

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

TOMVS XIII.


EGO ROGAVI PRO TE
NON DEFICIAT FIDES TVA

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

IN QVA

Authores melioris notæ qui hactenus pro Sancta Romana Sede, tum Theologicè, tum Canonicè scripserunt, ferè omnes continentur.

PROMOVENTE, AESQVE SVPPEDITANTE

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. FR. IOANNE THOMA DE ROCABERTI

Prælato domestico assistente sacro Solio, ab INNOCENTIO XI. Archiepiscopo Valentino: olim in eiusdem Vrbis Vniuersitate S. Theologiæ Primario Professore, Ordinis Prædicatorum in Prouincia Aragoniæ Prouinciali, postmodùm totius Religionis Generali Magistro; semel, atque iterùm Valentini Regni Prorege, & in præsentia Hispaniarum Inquisitore Generali.

SANCTISS.MO IN CHRISTO PATRI

INNOCENTIO XII.

DIVINA PROVIDENTIA PONTIF: MAX:

DICATA.

TOMVS XIII.





ROMÆ, M.DC.XCVIII.

Ex Typographia Ioannis Francisci Buagni.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Apostolici Palatij.

Sperellus Episc. Interamnen. Vicesg.

CENSVRA
TOMI XIII.
BIBLIOTHECÆ PONTIFICIÆ.

DE *ordine Reuerendiss. P. Paulini Bernardinij Sac. Palatij Apostolici Magistri reuidi infrascripta Opera: Gregorij de Valentia: De Romano Pontifice. Item: Analysis Fidei Catholicæ, &c. Gasparis Contareni: De Potestate Pontificis in vsu Clauium, & compositionibus, duæ Epistolæ. Item: De Potestate Pontificis, &c. Gennadij Scholarij: De Primatu Papæ. Henrici Regis Angliæ huius nominis Octaui: De Primatu Romani Pontificis, &c. Hieronymi Mutij: De Romana Ecclesia. Iacobi Latomi: De Primatu Pontificis aduersùs Lutherum. Iacobi Simancæ: De Papa. Ioannis de Turrecremata: De Potestate Papali. Item: De Concilijs. Item: De Summi Pontificis, & Generalis Concilij potestate. In ijs nihil reperi contrarium Fidei, aut bonis moribus, quare censeo posse permitti, quod imprimantur, vt Decimustertius Tomus Bibliothecæ Pontificiæ. Ita censeo ego infrascriptus. Ex Ædibus S. Mariæ in Porticu in Campitello hac die 15. Iunij 1698.*

Franciscus Maria Campionus
Examinat. Synod. in Vrbe.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinus Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatij Magister.

AVTHORES

Quorum opera in hoc XIII. Tomo continentur.

Gregorij de Valentia: De Romano Pontifice.

Item: Analysis Fidei Catholicæ, &c.

Gasparis Contareni: De Potestate Pontificis in vsu Clauium, & compositionibus, duæ Epistolæ.

Item: De Potestate Pontificis, &c.

Gennadij Scholarij: De Primatu Papæ.

Henrici Regis Angliæ huius nominis Octaui: De Primatu Romani Pontificis, &c.

Hieronymi Mutij: De Romana Ecclesia.

Iacobi Latomi: De Primatu Pontificis aduersus Lutherum.

Iacobi Simancæ: De Papa.

Ioannis de Turrecremata: De Potestate Papali.

Item: De Concilijs.

Item: De Summi Pontificis, & Generalis Concilij Potestate.

INDEX CAPITVM

Huius Decimitertij Tomi.

GREGORII DE VALENTIA METIMNENSIS,

E Societate Iesu Sacræ Theologiæ in Academia Ingolstadiensis Professoris.

Commentariorum Theologicorum, Tomus Tertius, Quæst.5. Disput.1. De obiecto Fidei, Punct.7. ibique Synopsis. pag:1.

QVÆSTIO V.

§.xxvij. IN quonam, vel in quibus fidelibus de ipso cœtu Ecclesiæ, resideat auctoritas illa infallibilis, iudex, & magistra fidei, quæ in sola vera Ecclesia Romana quæri debet? In omnibusne fidelibus? aut in aliquibus? aut in vno aliquo, puta in Romano Pontifice, tamquam in Ecclesiæ capite? pag.3

§.xxviij. Primariam in Ecclesia auctoritatem fuisse à Christo collatam Diuo Petro, probatur in primis testimonio Christi, Matth.16. 4

§.xxix. Probatur secundo Petri primatus ex loco Euangelij, Lucæ 22. pag. 11

§.xxx. Probatur tertio Petri primatus ex loco Euangelij, Ioan.21. 12

§.xxxj. Alia quædam Euangelij testimonia, ex quibus itidem D. Petri primatus confirmatur quarto. 14

§.xxxij. Probatur quinto D.Petri primatus ex rebus ab eo gestis. 15

§.xxxiij. Probatur sexto, D.Petri primatus, peculiari quadam, eaque firmissima, argumentandi forma, ex præcipuis, qui ea de re exstant, Euangelij locis. 17

§.xxxiv. Probatur etiam septimo, D.Petri primatus ratione. 18

§.xxxv. Probatur octauo Diui Petri primatus, testimonijs patrum. 20

§.xxxvj. Primariam illam in Ecclesiam auctoritatem successoribus etiam Diui Petri à Christo conferri. 21

§.xxxvij. Romanum Pontificem, pro tempore existentem, D. Petri successorem esse. 22

§.xxxviij. Vtrùm Diuino, an Ecclesiastico iure ille idem sit Diui Petri successor, qui est Episcopus Romanus. pag. 27

§.xxxix. Confutatio argumentorum, quibus Sectarij contendunt, Romanum Pontificem non esse Diui Petri successorem. 29

QVÆSTIO VI.

§.xl. AN ab omnibus fidelibus, ex diuino præcepto recipiendum sit, quod Romanus Pontifex definit, esse fidei sententiam. 33

§.xlj. Refutantur ea, quæ contra infallibilem auctoritatem Pontificis obijci possunt. 35

QVÆSTIO VII.

§. xlij. VTrùm aliquæ regulæ sint consulendæ à Rom. Pontifice, vt legitimè vtatur auctoritate illa sua in explicanda, & definienda doctrina fidei, & quænam regulæ illæ sint, & quomodo illis in ea re Pontificem vti oporteat. 41

Analysis Fidei Catholicæ, hoc est, Ratio Methodica eam in vniuersum Fidem ex certis principijs probandi, quam Sancta Romana Ecclesia aduersus multiplices Sectariorum errores profitetur. pag.43.

PARS PRIMA.

NEcessarium omninò ad salutem esse firma fide credere, doctrinam supra rationis naturalis captum à Christo traditam, esse diuinam, adeòque verissimam. ibid.

PARS II.

NOn satis ad salutem est credere in genere vniuersam doctrinam esse veram, nec etiam omninò sufficit aliqua doctrinæ præcipua capita in specie tenere, sed simul quoque necesse est, nihil falsi determinatè quod in aliqua fidei quæstione cum vera sententia Doctrinæ Christianæ pugnet, pertinaciter credere. 59
Probatio prima. ibid.
Probatio secunda. ibid.
Probatio tertia. 60
Probatio quarta. ibid.

PARS III.

DVbitandum non est, quin aliqua exstet auctoritas ad iudicandum de fidei controuersijs omnibus, infallibilis per quam in omni determinata quæstione cognoscere fideles omnes commodè possint, quæ sit Christi verissima sententia, & doctrina. pag. 62
Probatio prima. ibid.
Probatio secunda. ibid.
Probatio tertia. 63
Probatio quarta. ibid.
Probatio quinta. ibid.

PARS IV.

AVctoritas illa, quæ extat ad iudicandum de fidei controuersijs omnibus, infallibilis, non est tantùm diuina, neque tantùm humana, sed humana diuinitùs inspirata. 64
Probatio prima. ibid.
Probatio secunda. ibid.
Probatio tertia. ibid.
Probatio quarta. ibid.

PARS V.

HVmana illa auctoritas, inspirata diuinitùs, quæ de controuersijs fidei omnibus iudicare valeat, non vnius tantùm, vel alterius hominis quondam vita defuncti, aut etiam aliquorum propria est, qui olim, vel scripto, vel voce sententiam diuinam explicauerint, posteritatique commendarint, sed omnibus seculis apud fideles ipsos viget præsens, & pronunciare perspicuè, ac palàm de fidei controuersijs omnibus potest. 67
Probatio prima. Scripturam sacram non esse iudicem omnium controuersiarum fidei. ibid.
Probatio secunda. 74
Probatio tertia. 75
Probatio quarta. 76
Probatio quinta. ibid.
Probatio sexta. 77
Probatio septima. ibid.

PARS VI.

CVm auctoritas illa, Magistra fidei, apud ipsos Christi fideles perpetuò vigeat; non alibi, vel quæri debet, vel inueniri potest, nisi apud veram Christi Ecclesiam, hoc est, apud congregationem verè fidelium. Ea verò congregatio non alia est, quàm cœtus eorum, qui Romano Pontifici pro tempore existenti parent. 78
Quæ sit Ecclesiæ ratio. ibid.
Quæ sint Ecclesiæ proprietates. 81
Prima proprietas. ibid.
Secunda proprietas. 82
Tertia proprietas. ibid.
Quarta proprietas. 83
Quinta proprietas. ibid.
Sexta proprietas. 84
Probatio prima. ibid.
Probatio secunda. 85
Probatio tertia. ibid.
Probatio quarta. ibid.
Proprietas septima. 86
Octaua proprietas. 87
Quinam hominum cœtus sit vera Ecclesia, & ex quibus notis id discernendum sit. ibid.

Re-

Refutantur euidenter Ecclesiæ notæ, quas Sectarij assignant. 88
Probatio prima. 89
Probatio secunda. 90
Probatio tertia. 91
Probatio quarta. 92
Probatio quinta. ibid.
Probatio sexta. 93
Veræ Ecclesiæ notæ stabiliuntur. 94
Demonstratur ex legitimis notis Ecclesiam solam Romanam esse veram Ecclesiam. 96
Probatio prima. 99
Probatio secunda. 101
Probatio tertia. ibid.
Probatio quarta. ibid.

PARS VII.

Pontifex ipse Romanus est, in quo auctoritas illa residet, quæ in Ecclesia exstat ad iudicandum de omnibus omninò fidei controuersijs. 108
Primariam in Ecclesia auctoritatem fuisse à Christo collatam Diuo Petro. pag. 109
Primariam illam in Ecclesia auctoritatem successoribus etiam Diui Petri à Christo conferri. 124
Probatio prima. ibid.
Probatio secunda. ibid.
Probatio tertia. ibid.
Probatio quarta. ibid.
Romanum Pontificem pro tempore existentem Diui Petri successorem esse. 125
Argumentum primum. 130
Argumentum secundum. 131
Argumentum tertium. ibid.
Argumentum quartum. 132

PARS VIII.

Quotiescumque Romanus Pontifex, in fidei quæstionibus definiendis, illa qua est præditus auctoritate vtitur; ab omnibus fidelibus, tamquam doctrina fidei recipi diuino præcepto debet ea sententia, quam ille decernit esse sententiam fidei. Toties autem ea ipsum auctoritate, vti credendum est, quoties in controuersia fidei sic alterutram sententiam determinat, vt ad eam recipiendam obligare velit vniuersam Ecclesiam. pag. 136
Obiectio prima. 137
Obiectio secunda. 139
Obiectio tertia. ibid.
Obiectio quarta. 140
Obiectio quinta. ibid.
Obiectio sexta. 141
Obiectio vltima. ibid.
De modo quo Pontificem oportet auctoritate sua vti. 143
De quibusdam quasi definiendi regulis, quæ in determinandis fidei controuersijs consuli debent, & primum de sacra Scriptura. ibid.
Scriptura sacra ratio quæ sit. ibid.
Qui libri sint Canonici. 144
Quanta Scripturæ sacræ sit auctoritas. pag. 145
Vtrùm hi libri sacri, qui nunc extant, sint infallibiles. 146
Argumentum primum. ibid.
Argumentum secundum. ibid.
Argumentum tertium. 147
Argumentum quartum. ibid.
Argumentum tertium. 150
Argumentum quartum. ibid.
De traditionibus Apostolicis. 151
Argumentum primum. 152
Argumentum secundum. 153
Argumentum tertium. ibid.
Argumentum quartum. ibid.
Probatio prima. ibid.
Responsio ad primum argumentum Sectariorum. 158
Probatio secunda. 159
Responsio ad secundum argumentum Hęreticorum. ibid.
Probatio tertia. 160
Responsio ad tertium argumentum Hæreticorum. 161
Probatio quarta. ibid.
Responsio ad testimonia Patrum, quibus abutuntur hæretici contra traditiones. 162
Traditio verè Apostolica, quo modo dignoscenda: quam ad rem 4. assignantur Regulæ. 163
De Concilijs. 164
Conciliorum ratio, & varietas. ibid.
Conciliorum quanta auctoritas sit. ibid.
Probatio prima. 165
Probatio secunda. ibid.
Probatio tertia. ibid.
De consensu Doctorum. 171
De consensu fidelium. 172
Quem modum debeat tenere Pontifex in definiendo secundùm prædictas regulas. 173

GASPARIS CONTARENI CARDINALIS,

Ad Paulum Tertium Pontificem Maximum.

De potestate Pontificis in vsu Clauium, & compositionibus, duæ Epistolæ, ibique Synopsis. pag.175.

EIVSDEM AVCTORIS.

DE potestate Pontificis in compositionibus epistola. 180

De potestate Pontificis, quòd diuinitùs sit tradita. Ad Nicolaum Teupolum Commentariolus. 184

GENNADII SCHOLARII,

Patriarchæ Constantinopolitani.

De Primatu Papæ, quinti Capitis in sanctæ Oecumenicæ Florentinæ Synodi Decreto contenti Responsio, ibique Synopsis. pag.188.

SECTIO PRIMA.

QVod iustè, verèque dictum sit, Papam Caput esse totius Ecclesiæ Caput. 190

Sectio II. 191

Sectio III. 192

Decretum inuicti Imperatoris, & Magni Constantini ad Sanctissimum Siluestrum Romanum Papam. ibid.

Sectio IV. 193

Sectio V. 194

Sectio VI. ibid.

Sectio VII. 195

Epistola Innocentij Papæ. ibid.

Sectio VIII. 196

Sectio IX. 197

Sectio X. 198

Sectio XI. Gloriosissimo, & serenissimo filio Zenoni Augusto Felix Episcopus in Domino salutem. 199

Sectio XII. 200.

Sectio XIII. 201

Sectio XIV. 202

Sectio XV. 203

Sectio XVI. 204

Sectio XVII. 205

Sectio XVIII. 206

Sectio XIX. 208

Sectio XX. ibid.

HENRICI REGIS ANGLIÆ,

Huius Nominis Octaui.

De Primatu Romani Pontificis, & de Indulgentijs aduersùs Lutherum, ibique Synopsis. pag. 210.

Confutantur seqq. Propositiones.

INdulgentiæ sunt adulatorum Romanorum nequitiæ. 213

Papatus est Robusta Venatio Romani Pontificis. 214

HIERONYMI MVTII IVSTINOPOLITANI.

De Romana Ecclesia Tractatus, ibique Synopsis. pag.216.

CAPVT PRIMVM.

DE B.Petri, & Successorum dignitate, & auctoritate. 218

Cap.II. Romanam Ecclesiam à Deo immediatè auctoritatem accepisse. 220

Cap.III. Sacerdotium esse à Rom. Pontifice. ibid.

Cap.IV. Episcoporum appellationes, & maiores causas ad Pontificem Romanum pertinere. 221

Cap.V. De minis, & censuris Apostolis. pag. 222

Cap.VI. Conciliorum testimonia de Romana Ecclesia. 223

Cap.VII. Pontificum Romanorum au-

ctori-

ctoritatem esse supra Concilia. pagina 224
Cap. VIII. Concilia à Romano Pontifice conuocanda. 226
Cap. IX. Nullius iudicio in terris subiacere Romanum Pontificem. 227
Cap. X. Non in Petro tantùm fuisse, sed in Successoribus eius, & in Romana Sede esse supremam Ecclesiæ auctoritatem. 228
Cap. XI. Romanum Pontificem esse Episcopum vniuersalis Ecclesiæ, nec distributiuè modò, verùm etiam collectiuè. 229
Cap. XII. Dictorum in præcedentibus approbatio. 231

IACOBI LATOMI CAMBERONENSIS,

Sacræ Theologiæ apud Louanienses Professoris celeberrimi Opera, quæ precipuè aduersùs horum temporum hereses eruditissimè, ac singulari iudicio conscripsit, ab innumeris vitijs, quibus scatebant, diligenter repurgata.

De Primatu Pontificis aduersùs Lutherum, ibique Synopsis. pag. 232.

CAPVT PRIMVM.

Ostendens sex rationes esse inefficaces, quas Lutherus adducit tamquam necessarias, quibus ostendi possit, quod potestas Pontificis Romani profecta sit ex diuina institutione. pag. 235
Cap. II. Confutans cauillationes, quibus Lutherus verum Scripturæ sensum conatur subuertere, ex qua primatum Romani Pontificis Catholicus demonstrat. 236
Cap. III. Continens responsiones ad diuersa argumenta probandæ conclusioni adducta, & iuxtà eorum diuersitatem diuiditur in sex partes. 238
Prima pars declarat allegata ex beato Hieronymo esse perperam ab Luthero intellecta. ibid.
Secunda pars tradit verum sensum sententiarum, quas ex beato Cypriano citat Martinus. 242
Tertia pars interpretatur canones, & acta Conciliorum Africani, & Chalcedonensis, quibus vtitur Martinus. pag. 243
Quarta pars interpretatur scripturas ex Euangelio per Martinum perperam citatas. 244
Quinta pars tractans historia, & res per maiores nostros in Ecclesia sancta gestas. 246
Sexta pars confutans insignem illam hæresim, quam Martinus ex conclusione sua colligit. 258
Cap. IV. Continens responsiones ad nonnulla argumenta, quæ Martinus alijs quibusdam libellis suis ad corroborandum eandem suam conclusionem collegit. 260
Cap. V. Continens testimonia veterum, de primatu Petri, & Ecclesiæ Romanæ. 264

IACOBI SIMANCÆ PACENSIS EPISCOPI.

De Catholicis Institutionibus Liber ad præcauendas, & extirpandas hæreses, admodum necessarius, ibique Synopsis. pag. 270.

TITVLVS XLV. DE PAPA. pag. 271.

IOANNIS DE TVRRECREMATA,

Ordinis Prædicatorum, & S. R. E. Card. S. Sixti.

Summa de Potestate Papali, Liber secundus, ibique Synopsis. pag. 281.

CAPVT PRIMVM.

QVòd in Ecclesia sit ordo. pag. 283

Cap.II. Quòd talis ordo sit, & debeat esse in Ecclesia, vt vnus in ea superior sit princeps, & Rector existat. 284

Cap.III. In quo ponuntur obiectiones quædam aduersariorum contra prædicta de vnitate vnius Præsidentis Capitis in Ecclesia. 286

Cap.IV. In quo confutatur prædicta aduersariorum responsio, vt respondetur rationibus eorum. 287

Cap.V. In quo ostenditur multiplici sacræ Scripturæ argumento, quod B. Petrus primatum inter Apostolos habuerit. 289

Cap.VI. In quo inducuntur aliquæ rationes ad idem, videlicet ad probandum, quod Petrus Apostolus primatum habuerit super Apostolos. 291

Cap.VII. In quo ponuntur improbationes quædam aduersariorum, contra fundamenta, quæ inducta sunt pro primatu B. Petri. 292

Cap.VIII. In quo ponuntur aliæ rationes, aduersariorum contra Petri primatum ex Euangelijs sumptæ. 293

Cap.IX. In quo ponuntur aliquæ aduersariorum rationes ex epistolis B. Pauli collectæ. ibid.

Cap.X. In quo sunt aduersariorum rationes contra Petri primatum sumptæ ex actibus Apostolorum. 294

Cap.XI. In quo respondetur ad improbationes factas contra fundamenta, quæ inducta fuerunt pro primatu B. Petri. ibid.

Cap.XII. In quo respondetur rationibus supra factis contra B. Petri primatum, quæ ex Euangelio sumi videbantur. pag. 295

Cap.XIII. In quo respondetur rationibus sumptis ex epistolis beati Pauli. pag. 297

Cap.XIV. In quo respondetur rationibus Aduersariorum, quæ sumuntur ex Actibus Apostol. 298

Cap.XV. Quòd B. Petrus non solùm inter Apostolos, sed super omnes fideles in toto Orbe terrarum habuit principatum. 299

Cap.XVI. In quo ponuntur aduersariorum obiectiones contra id, quod dictum est, quòd Romanus Pontifex habeat vniuersalis Ecclesiæ primatum, & responsio ad illas. 301

Cap.XVII. Quibus rationibus B. Petrus fundamentum Ecclesiæ dictus sit. ibid.

Cap.XVIII. In quo aduersariorum obiectiones quædam ponunt contra hoc, quod dictum est, quod Petrus Apostolus Ecclesiæ Catholicę fundamentum verè dictus sit. 303

Cap.XIX. In quo respondetur ad superiores obiectiones aduersariorum. pag. 304

Cap.XX. Quòd B. Petrus Caput fuerit sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ. 305

Cap.XXI. In quo Aduersariorum ponuntur obiectiones contra hoc, quod dictum est, quòd B. Petrus Caput fuerit vniuersalis Ecclesiæ. 306

Cap.XXII. In quo improbatur aduersariorum præfata sententia, & ostenditur qualiter ratio capitis respectu Ecclesiæ Petro conuenerit, ac eius successori. 307

Cap.XXIII. In quo respondetur ad obiecta aduersariorum contra illud, quod B. Petrus fuerit Caput Ecclesię sanctæ Catholicæ. ibid.

Cap.XXIV. De quorumdam errore dicentium Petrum non fuisse caput vniuersalis Ecclesiæ, licèt benè singularum Ecclesiarum particularium. 310

Cap.XXV. In quo improbatur error pręfatus aduersariorum. ibid.

Cap.XXVI. In quo respondetur rationibus inductis in fauorem erroris præfati. 312

Cap.XXVII. Quòd Papa aliquo modo dicendus sit Sponsus Ecclesiæ vniuersalis. 313

Cap.XXVIII. In quo obijcitur, quòd Papa non possit dici Sponsus vniuersalis Ecclesiæ, & respondetur ad obiecta. 314

Cap.XXIX. De tempore, quo pontificali auctoritate B. Petrus à Christo sublimatus, ac consecratus sit. 315

Cap.XXX. In quo ponuntur aliqua obiecta contra prædicta. 316

Cap.XXXI. In quo respondetur ad obiectiones præfatas. 317

Cap.

Cap. XXXII. Quòd solus Petrus inter Apostolos à Christo immediatè ordinatus,& factus fuerit Episcopus. 318
Cap. XXXIII. In quo ponuntur aliquæ obiectiones contra prędicta. 320
Cap.XXXIV. In quo respondetur obiectionibus factis in superiori Capitulo. pag. 321
Cap.XXXV. Quòd beato Petro in Apostolici principatus amplitudine aliquis succedere debuit in Ecclesia vsq; ad consummationem seculi. 322
Cap.XXXVI. Quod beato Petro succedens in primatu, & amplitudine Apostolicæ dignitatis sit Rom.Pont. 324
Cap.XXXVII. Quòd Romanus Pontifex sit Christi Vicarius, & locum eius teneat in terris. 326
Cap.XXXVIII. Quòd Romanus Pontifex primatum, & amplitudinem dignitatis suæ à Christo immediatè habeat. 327
Cap.XXXIX. In quo ponuntur obiectionis contra prædicta. ibid.
Cap.XL. In quo respondetur ad rationes superiùs factas, quod Romanus Pontifex ex ordinatione Apostolorum primatum habuerit. 329
Cap.XLI. In quo respondetur ad obiecta aduersariorum, quod Romanus Pontifex ordinatione, & dispositione Sacerdotum, siue Conciliorum primatum habuit. ibid.
Cap.XLII. In quo dantur responsa, ad obiecta aduersariorum dicentium, quod dispositione, & dono Constantini Romanus Pontifex habeat primatum super alios. 331
Cap.XLIII. In quo respondetur rationibus aduersariorum dicentium, quod à Cardinalibus pendeat primatus Romani Pontificis. ibid.
Cap.XLIV. Quòd potestas papalis à nullo alio, quàm à Deo restringi possit, nec ampliari. 332
Cap.XLV. De errore quorumdam aduersariorum dicentium Papam non habere iurisdictionem coactiuam super fideles, & rationibus eorum. 333
Cap. XLVI. In quo improbatur error præfatus. 334
Cap.XLVII. In quo respondetur ad obiectiones aduersariorum supra positis. pag. 336
Cap. XLVIII. Quòd Romano Pontifici ab omnibus Christifidelibus parendum sit, & obediendum. 338
Cap. XLIX. In quo ponuntur obiectiones contra prędicta de obedientia debita Romano Pontifici;& respondetur eisdem. 340
Cap.L. De errore dicentium, quòd non sit obediendũ statutis papalibus. 341
Cap.lj. De rationibus, propter quas successoribus Petri Romani Pontifices magis per electionem, quàm per carnis successionem, aut institutionem prædecessoris ad pontificatum assumuntur. 342
Cap.lij. Quòd Romanus Pontifex habeat plenitudinem potestatis in Ecclesia Dei; & explicantur 15. in quibus maximè illa ostenditur. 344
Cap.liij. Quòd solus Romanus Pontifex in Ecclesia Dei habeat plenitudinem potestatis. 346
Cap. liv. Quòd potestas iurisdictionis omnium Prælatorum Ecclesiæ deriuetur à Papa, siue Apostolica Sede mediatè, vel immediatè. Arguitur prima via, scilicet ex ordine aliorum Apostolorum ad Petrum. 348
Cap.lv. In quo probatur eadem conclusio secunda via, scilicet per rationes. pag. 350
Cap.lvj. In quo probatur eadem conclusio tertia via, seu ex inconuenientibus, quæ ex contrario modo dicendi sequuntur. 352
Cap.lvij. In quo obijcitur contra antedictam conclusionem per aduersarios, ex ordine Apostolorum ad Petrum. pag. 354
Cap.lviij. In quo contra conclusionem præfatam per aduersarios obijcitur via rationum. 355
Cap.lix. In quo obijcitur contra præfatam conclusionem in speciali de presbyteris curatis. 356
Cap.lx. In quo ponuntur aduersariorum obiectiones sumptæ ex inconuenientibus, quæ dicuntur sequi ex conclusione præfata. 357
Cap.lxj. In quo respondetur ad obiecta aduersariorum primò sumpta ex parte Apostolorum. 358
Cap.lxij. In quo respondetur ad secunda obiecta aduersariorum, scilicet per rationes. 361
Cap.lxiij. In quo respondetur obiectis, quæ inducta sunt pro Curatis. 364
Cap.lxiv. In quo respondetur obiectionibus aduersariorum sumptis ex parte inconuenientium, quæ dicuntur sequi ex conclusione præfata. 369
Cap. lxv. Quòd Papa est immediatus Prælatus, & Iudex omnium Fidelium, ac in toto terrarum Orbe facere possit quicquid inferiores Prælati facere possunt. 370
Cap. lxvj. In quo obijcitur contra prædicta. 372

Cap.

Cap.lxvij. In quo respondetur obiectis aduersariorum iam factis. ibid.
Cap.lxviij.Quòd præter Romanum Pontificem sunt in Ecclesia necessarij alij Prælati. 373
Cap.lxix. Quòd omnes in Ecclesia Dei, aliæ à papali, potestates ecclesiasticæ subijciuntur potestati Romani Pontificis quantùm ad obedientiam præceptorum, quantùm ad correctionem, & quantùm ad subuentionem in necessitatibus. 374
Cap.lxx.In quo obijcitur contra id,quod dictum est superiùs, quod solus Romanus Pontifex in Ecclesia habeat plenitudinem potestatis. 375
Cap. lxxj. In quo impugnatur præfata conclusio aduersariorum dicentium, quòd in alio, quàm in Romano Pontifice resideat plenitudo potestatis in Ecclesia. 378
Cap.lxxij. In quo datur vera intelligentia huius, quod à sanctis Patribus dicitur, quòd Ecclesiæ vniuersali sint claues datę. 383
Cap.lxxiij. In quo respondetur ad rationes fundatas in prima suppositione. pag. 384
Cap.lxxiv. In quo ponitur responsio ad rationes fundatas in secunda suppositione. 385
Cap.lxxv. In quo respondetur ad rationes fundatas in suppositione tertia, vbi de multiplici modo, quo aliquid dicitur figurare,aut repręsentare personam alterius. 387
Cap.lxxvj. In quo respondetur ad auctoritates, & rationes fundatas in quarta suppositione. 391
Cap.lxxvij. In quo respondetur ad obiectiones fundatas in suppositione quinta. 392
Cap.lxxviij. In quo respondetur ad ea, quæ inducuntur in suppositione sexta. pag. 394
Cap.lxxix. In quo videndum est de veritate septimæ suppositionis aduersariorum; & de valitudine eorum, quæ inde concludebant. 397
Cap.lxxx. Quòd Romanus Pontifex iurisdictionis auctoritate, ac potestate superior, ac maior existat tota vniuersali Ecclesia. 398
Cap.lxxxj. In quo per aduersarios obijcitur contra prædicta. 399
Cap.lxxxij. In quo respondetur ad obiectionem primam. 401
Cap.lxxxiij. In quo respondetur ad secundam obiectionem. 402
Cap.lxxxiv.In quo respondetur ad obiectionem tertiam. 404
Cap.lxxxv.In quo respondetur ad quartam obiectionem sumptam ex eo, quod apud Ecclesiam sit maior sapientia, & charitas. ibid.
Cap.lxxxvj.In quo respondetur ad quintam obiectionem sumptam ex eo, quòd Ecclesia dicitur Mater Fidelium. 405
Cap.lxxxvij.In quo respondetur ad sextam rationem sumptam ex eo, quod Ecclesia dicitur Domina. 407
Cap. lxxxviij. In quo respondetur ad obiectionem septimam sumptam ex eo, quod Ecclesia est Domina rerum Ecclesiarum. 408
Cap.lxxxix.In quo respondetur ad obiectionem octauam sumptam ex eo, quòd Ecclesia dicitur Regina. ibid.
Cap.xc. In quo respondetur ad obiectionem nonam sumptam ex eo, quòd Ecclesia dicitur Sponsa Christi. 410
Cap.xcj. In quo respondetur ad obiectionem decimam sumptam ex eo, quòd Ecclesia errare non possit. ibid.
Cap.xcij. In quo respondetur ad vltimam obiectionem fundatam super illo Matth.18. Dic Ecclesiæ, 411
Cap.xciij. Quòd Romanus Pontifex extrà casum hæresis, non habeat Iudicem superiorem in terris. 415
Cap.xciv. In quo obijcitur contra prædicta, & primò, quòd Imperator sit iudex ordinarius Papæ. 419
Cap.xcv. In quo præfatus error dicentium, quòd Imperator, aut secularis potestas sit iudex ordinarius Papæ confutatur. ibid.
Cap.xcvj. In quo respondetur obiectionibus aduersariorum dicentium,quòd Imperator, &c. 420
Cap.xcvij. In quo ponuntur aduersariorum rationes ad probandum, quòd Papa extrà casum hæresis, &c. 422
Cap.xcviij. In quo reprobantur responsiones aduersariorum, &c. 424
Cap.xcix. In quo respondetur aduersariorum obiectionibus, &c. 426
Cap.c. In quo respondetur obiectionibus aduersariorum sumptis, &c. 429
Cap.cj. In quo respondetur aduersariorum obiectionibus,&c. 432
Cap.cij. In quo respondetur aduersariorum obiectionibus sumptis ex rationibus, & qualiter Papa, &c. 433
Cap.ciij. In quo respondetur obiectionibus aduersariorum sumptis,&c. 435
Cap.civ. Quod Romanus Pontifex non possit se submittere alteri,&c. 436
Cap.cv. In quo ponuntur aliquæ obiectiones aduersariorum, & respondetur eisdem. 438

Cap.

Cap.cvj. De remedijs contra Papam, moribus suis prauis scandalizantem Ecclesiam. 439
Cap.cvij. Quod ad Romanum Pontificem pertineat determinare ea, quæ fidei sunt,& sacræ Scripturæ,&c. 441
Cap.cviij. Quòd decreta, siue decretales Romanorum Pontificum,&c. 444
Cap.cix. Quòd Sedis Apostolicæ iudicium in his, quæ fidei sunt; & ad humanam salutem, &c. 446
Cap.cx. In quo responsionibus præfatum Apost. Sedis priuilegium probatur, & confirmatur. 448
Cap.cxj. In quo obijcitur contra ea, quæ dicta sunt, tam de infallibilitate iudicij Apost. Sedis in his, &c. 451
Cap.cxij. In quo obiectionibus præfatis aduersariorum respondetur. 453
Cap.cxiij. De iurisdictione, quam Romanus Pontifex habet in temporalibus. 458
Cap.cxiv. In quo exponitur, qualiter Romano Pontifici iure principatus sui competat iurisdictionem, &c. 462
Cap.cxv. In quo ponuntur aliquæ obiectiones aduersariorum contra ea, quæ dicta sunt de potestate, &c. 467
Cap.cxvj. In quo respondetur obiectionibus præfatis. 468

LIBER TERTIVS.

De Concilijs.

Cap.j. QVid Concilij nomine importetur. 473
Cap.ij. De origine celebrationis Conciliorum in Ecclesia. 474
Cap.iij. De multiplici specie Conciliorum in Ecclesia. 475
Cap.iv. De tempore, quo vniuersalia Concilia in Ecclesia celebrari inceperunt. 477
Cap.v. Quid per definitionem dicatur vniuersale Concilium Catholicæ Ecclesiæ. 478
Cap.vj. Cuius auctoritate Concilium vniuersale congregandum sit. 479
Cap.vij. In quo ponuntur aliquæ obiectiones contra prædicta, &c. 480
Cap.viij. In quo respondetur ad obiectiones iam factas. 481
Cap.ix. De causis congregationis vniuersalium Conciliorum. 484
Cap.x. De vtilitate celebrationis Conciliorum. 486
Cap.xj. Quod Romani Pontificis præsentia personaliter non necessariò requiratur in Concilijs vniuersalibus. pag. 488
Cap.xij. Qui ad vniuersalia Concilia necessariò vocandi sunt. 489
Cap.xiij. In quo ponuntur obiectiones contra iam dicta. 490
Cap.xiv. In quo ponitur solutio ad obiecta facta. 491
Cap.xv. Qui admittendi sunt ad Concilium vniuersale, & qui non. 493
Cap.xvj. An omnes Prælati maiores totius Orbis Christiani, &c. 496
Cap.xvij. In quo ponuntur obiectiones aliquæ contra prædicta. 498
Cap.xviij. In quo datur responsio ad superiora obiecta. ibid.
Cap. xix. De qualitate Prælatorum ad vniuersalia Concilia conuocandorum. pag. 499
Cap.xx. De punitione Prælatorum, qui vocati ad Concilium venire contemnunt. 500
Cap.xxj. De impedientibus celebrationem vniuersalium Conciliorum. 501
Cap. xxij. Quis in vniuersali Concilio præsidere debeat. 502
Cap.xxiij. In quo obijcitur per aduersarios, contra ea, &c. 503
Cap.xxiv. In quo respondetur ad obiectiones præfatas in primo loco positas. ibid.
Cap.xxv. In quo respondetur ad obiectiones secundo positas. 505
Cap.xxvj. De his, quæ in ipso vniuersalis Concilij prosecutionis exordio obseruanda sunt. 506
Cap.xxvij. A quibus cauendum est in Concilijs. 507
Cap.xxviij. Quòd vniuersalium Conciliorum auctoritas à Rom. Pont. deriuetur, & pendeat. 509
Cap.xxix. In quo obiectiones aliquæ aduersariorum ponuntur contra prædicta. 511
Cap.xxx. In quo reprobatur prædicta aduersariorum assertio, &c. 512
Cap.xxxj. In quo respondetur obiectionibus superpositis aduersariorum ad probandum, &c. 514
Cap.xxxij. Quod quicquid in Concilijs vniuersalibus statuitur, definitur, aut sententiatur, &c. 516
Cap.xxxiij. De laudabili consuetudine antiquorum Conciliorum, &c. 518
Cap.xxxiv. Quòd vniuersalia Concilia semper solita sunt gesta sua,&c. 520
Cap.xxxv. In quo ponuntur aduersariorum obiectiones. 522
Cap.xxxvj. In quo respondetur ad obiectiones factas. 523
Cap.xxxvij. De honorando Summo Pontifice per vniuersalia Concilia,& vniuersos fideles, &c. 526

Cap.


Cap.xxxviij. De quibus causis vniuersale Concilium debeat se intromittere. 527
Cap.xxxix. In quo objicitur contra prædicta.. 529
Cap.xl. In quo respondetur ad obiectiones prædictas. 530
Cap.xlj. Ad quæ vniuersale Concilium congregatum, aut congregandum, vacante Sede Apostolica, se debet, aut possit extendere, & qua auctoritate. pag. 531
Cap.xlij. In quo objicitur contra prædicta. 532
Cap.xliij. In quo respondetur obiectionibus præfatis aduersariorum. 533
Cap.xliv. In quo ostenditur, quòd Romanus Pontifex auctoritate iurisdictionis superior sit vniuersali Concilio. 534
Cap.xlv. In quo ponuntur aduersariorum obiectiones. 535
Cap.xlvj. In quo respondetur obiectionibus præfatis. 538
Cap.xlvij. Quod non liceat appellare à Papa ad vniuersale Concilium. 545
Cap.xlviij. In quo aduersariorum obiectiones ponuntur contra prædicta. pag. 547
Cap.xlix. In quo respondetur obiectionibus præfatis aduersariorum. ibid.
Cap.l. Quòd vniuersale Concilium in Rom. Pontif. verum, & indubitatum extrà casum hæresis, nullam habeat iurisdictionem. 548
Cap.lj. Quòd Romanus Pontifex legibus, & statutis vniuersalium Conciliorum, nec ligatur, nec necessariò subijcitur. 549
Cap.lij. Quod vniuersale Concilium non possit facere contra Romanum Pontificem decretum irritans. 550
Cap.liij. Quòd ad Romanum Pontificem pertineat Canonum sacrorum interpretatio. 551
Cap.liv. Quòd ad Romanum Pontificem maximè spectet, tam dispensatio sacrorum Canonum, quàm regularum sanctorum Patrum moderatio. 552
Cap.lv. Quòd Romanus Pontifex habet auctoritatem tollendi statuta aliqua, tam sacrorum Conciliorum, quàm Prædecessorum suorum. 553
Cap.lvj. In quo objicitur per aduersarios contra prædicta. 554
Cap.lvij. In quo respondetur obiectionibus præfatis. 555
Cap.lviij. Quod vniuersale Concilium plenarium in his, quæ fidei sunt, errare non possit. 559
Cap.lix. In quo objicitur contra prædicta. 561
Cap.lx. In quo respondetur obiectionibus præfatis. 562
Cap.lxj. In quo ostenditur, quòd Apostoli omnes in passione Christi à fide eius defecerunt. 563
Cap.lxij. Quòd ad Romanum Pontificem spectat corrigere, & damnare Concilia, quæ in perniciem fidei, aut scandalum Ecclesiæ processisse contingit. 565
Cap.lxiij. De ordine Conciliorum adinuicem: Cui standum sit, si ibi inuicem discrepare, siue dissonare inueniantur? 567
Cap.lxiv. Cuius iudicio standum sit, si in Concilio vniuersali contingat Patres à Papa, vel eius Legato dissentire? 569
Cap.lxv. Cui parti Patrum de Concilio standum sit, si inter eos dissensionem interuenire contingat. 570
Cap.lxvj. Quòd Papa possit transferre Concilium congregatum de loco ad locum, id rationabili causa exigente. pag. 571
Cap.lxvij. Quòd Romanus Pontifex causa legitima, siue rationabili existente, possit auctoritate sua vniuersale Concilium dissoluere, etiam inuitum. pag. 572
Cap.lxviij. In quo objicitur per Aduersarios contra prædicta. 573
Cap.lxix. In quo respondetur obiectionibus factis. ibid.

EIVSDEM AVCTORIS.

De Summi Pontificis, & Generalis Concilij potestate. pag. 575.

Responsio ad primum Articulum. pag. 576
Responsio ad secundum Articulum. 604
Ex Concilio Constantiensi Sess. quarta, &c. 609

GREGO-



GREGORII DE VALENTIA METIMNENSIS,

E Societate Iesu Sacræ Theologiæ in Academia Ingolstadiensis Professoris.

COMMENTARIORVM THEOLOGICORVM.

TOMVS TERTIVS.

QVÆSTIO V. DISPVTATIO I.
De obiecto Fidei, Punct. VII.

Gregorius de Valentia natione Hispanus patria Methymnensis ab ipsa pęnè infantia educatus est in Societate Iesu, & ad optimam Religionis normam institutus. Vbi verò animum liberalibus disciplinis cohoneſtauit, & probitatis ſuæ ſpeciem præbuit in *Germaniam* miſſus eſt, vt Sacram Theologiam in ijs Collegijs explicaret, & Furentium Theologorum impetum retardaret, iacenteſque catholicos excitaret,atque exigeret, quod tam cumulatè præſtitit Dilingæ primùm, deindè Ingolſtadis poſt Hieronymum Torrenſem prælectionibus diſputationibus congreſſibus, ſcriptis denique, vt omnium catholicorum animos, ſibi deuinxerit, & quæ maxima locus eſt in odium hæreticorum incurrerit, omnibus enim Aduerſarijs contra quos ſcripſit ſilentium impoſuit. A Stephano Rege Poloniæ eius fama commotus diù fuit poſtulatus. In Collegio Theologico Ingoliſtadienſis Annos XXIV. muratus ſexdecimę annis continuis S.Theologiam magno Auditorum plauſu, & fructu, & fœcundiſſima eruditione docuit; Hoc meritus Elogium poſt mortem à celebri illa Academia, quòd inter Theologos ſui temporis nulli vixerit ſecundus. Galliarum item Rex vehementibus literis, & Academia Pariſienſis ipſum expetiere. Apoſtolicæ Sedis defenſor Acerrimus, ità vt multarum propoſitionum Romano Pontifici fauorabilium à quamplurimis Auctoribus credatur, vel inuentor, vel excitator, & propagator, vt videre eſt in doctiſſima defenſione Cathedræ S. Petri edita ab Eminentiſſimo Cardinali Ioſepho Saenz de Aguirre. Nec minorem exiſtimationem de ipſo habuere Romani Pontifices, quippè Clemens VIII. Pontifex Maximus, qui eum audierat vocari Doctorem Doctorum, vt refert Adamus Contzen lib. 5. Politicorum cap. 1. quæ verba omnia alia elogia Theologorum paſſim occurrentia abſcribent. Denique Anno MDLXXXXVIII. Superiorum ſuorum voluntate Romam aduocatus eſt, & cùm illic partim S.Theologiæ Profeſſor, Partim ſupremus in Collegio Societatis ſtudiorum moderator aliquandiu clariſſimus vixiſſet,

demùm assiduis laboribus, prælectionibus, disputationibus coram Clemente VIII. Pontifice Maximo, & Cardinalium, grauissimorumque virorum consessu, continuisque studiorum laboribus, necnon acri, ac nimia contentione morbum contraxit, & Neapolim ad recuperandam valetudinem profectus magno sui bonis omnibus relicto desiderio, piè, sanctèque mortuus est 6. kalend. Aprilis anno salutis MDCIII. ætatis verò LX. Edidit autem infrascripta opera. Multa opuscula de controuersijs fidei contra Sectarios, quæ diuersis subindè temporibus edita postremò recognouit certa Methodo, ac ratione distribuit, vnoque volumine comprehensa vulgauit. Lugduni apud Hæredes Gulielmi Ruuilis MDXCI. hac inscriptione. De rebus fidei hoc tempore controuersis, qui libri hactenus extant omnes cum nonnullis alijs nondum antea editis. Index autem Generalis omnium librorum, qui hoc volumine continentur; hic est. Analisis fidei Catholicæ libris 8. comprehensa, in quibus simul de Ecclesia, de Romano Pontifice, de Scriptura, de Traditionibus, de Concilijs Disputatur. Editus est hic liber Anno MDLXXXV. De Sanctissima Trinitate libri 5. in quorum postremò pestilens quidam liber in Polonia editus confutatur. Editi fuerunt MDLXXVI. De Vera Christi Maiestate, & præsentia contra Lutheranos. Vbiquistas lib. 4. cùm epistola Francisci Turriani de eodem argumento ad Auctorem scripta. Editi sunt MDLXXXII. & duobus sequentibus; in tertio autem libro continetur annotatio aduersùs admonitionem à Schmidelino Lutherano Vbiquista pro Iesuitis contra Caluinianos editam. De rebus controuersiæ ad materiam Sacramentorum pertinentibus lib. 23. nempè de numero, & efficacia Sacramentorum nouæ legis lib. 1 1. de Baptismo paruulorum lib. 1. de reali Christi præsentia in Sacramento Eucharistiæ, & de conuersione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi lib. 4. contra Caluinistas. Editi sunt MDLXXXVII. de eodem argumento lib. 1 1. in quibus continetur examen, & refutatio præcipui mysterij doctrinæ Caluinistarum cum responsione ad obiectiones Antonij Sadaelis, & Fortunati Irelis. Accessit appendix de colloquio Monpelgartensi. Editi sunt MDLXXXIX. De legitimo vsu Eucharistiæ in altera tantùm specie lib. 1. de sacrosancto Missæ Sacrificio lib. 1 1. contra Lutheri Kemnitis Herbrandi, & aliorum Sectariorum doctrinam. Editi prior MDLXXX. posterior MDLXXXI. de contritione, & pœnarum timore concepta lib. 1. de necessitate confessionis lib. 1. de satisfactione lib. 1. Editus MDLXXXVIII. de Ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis discrimine lib. 1. de indissolubili vinculo Matrimonij lib. 1. de Idololatria lib. 5. in quibus cultus Sacræ Eucharistiæ, & Sanctorum, & Sacrarum Imaginum, ac Reliquiarum aduersùs Sectariorum contumelias defenditur. Editi MDLXXX. & sequente. De diuersis alijs materijs controuersis lib. 1 1. nempè de Peccato Originali lib. 1. de officio proprio Christi Mediatoris, ac Redemptoris lib. 1. Editus MDLXXXV. de vera, & falsa differentia Veteris, & nouæ legis contra fundamentum Lutheranæ, & Caluinianæ doctrinæ lib. 1. de gratia iustificatione, & meritis lib. 1. Editus MDLXXVI. De Prædestinatione, & Reprobatione lib. 1. Editus MDLXXIV. De Statu, & Votis Religiosorum hominum lib. 1. De Cœlibatu lib. 1. De Potestate Legis Humanæ præsertim Ecclesiasticæ lib. 1. De efficacia excommunicationis Ecclesiasticæ lib. 1. De Indulgentijs lib. 1. Editus MDLXXXVII. De Purgatorio lib. 1. Atque hæc quidem eo volumine benè magno continentur; postquæ sic excusa prodijt eodem Valentia Auctore. Redargutio inscitarum, & fraudum, quibus nonnulli falsi Theologi, & Pseudo Philosophi Geneuenses Subsidiarij Antonij Sadaeelis, & Fortunatus Grellius Heidelbergensis eum librum cauillati sunt, quo præcipuum Mysterium doctrinæ Caluinistarum Anno MDLXXXIX. examinatum, & conuictum est. Ingolstadij apud Dauidem Sartorium MDVC. In quartum supplementum earum fraudum, seù mendaciorum, quæ in redargutione superiore anno edita quibusdam Caluinistarum obiecta sunt collecta ex indice quodam secundo aduersùs eam redargutionem Geneuæ euulgato. Ibidem MDXCI. Peccata tria Sadaaelis in Apologia secundorum ipsius peccatorum. Ibidem MDXCV. in quarto Edidit præterea Valentia. Commentariorum Theologicorum, & Disputationum in summa D. Thomæ Aquinatis Tomus VI. qui primùm Anno MDXCI. & sequentibus sæpiùs demùm ab Auctore recogniti, & aucti recusi sunt Ingolstadis typis Adami Sartorij MDCIII. In quibus Commentarijs, seu disputationibus, ità stylum temperauit, vt solidam, & reconditam D. Thomæ doctrinam explicet, nimius, & spinosus

nosus subtilitates circumcidat, & spinosum illum scribendi Scholasticorum morem in faciliorem, atque elegantiorem commutet, vt hac velut illecebra Catholicos illarum nationum inuitet ad legendum, & abhorrentes à D.Thomæ doctrina hæreticos, & nauseantes eruditionis sapore prouocet. Inter hæc ea seligimus, quæ ad nostrum propositum de Romano Pontifice Auctor iste eximiè scripsit.

QVÆSTIO QVINTA.

§. 27.

In quonam, vel in quibus fidelibus de ipso cœtu Ecclesiæ, resideat auctoritas illa infallibilis, iudex, & magistra fidei, quæ in sola vera Ecclesia Romana quæri debet? In omnibusne fidelibus? aut in aliquibus? aut in vno aliquo, puta in Romano Pontifice, tamquam in Ecclesiæ capite?



Espondemus per hanc assertionem; [Pontifex Romanus est is, in quo, tamquam in Diui Petri successore, & totius Ecclesiæ capite, auctoritas illa residet.]

Hanc assertionem priùs, quàm probemus, ita declaramus: Cùm varij sint ordines fidelium in Ecclesia Christi; alius, eorum, qui docent, & præsunt, quales inprimis sunt Episcopi; alius, eorum, qui ab ijs reguntur, ac pascuntur doctrina salutari, atque vsu Sacramentorum; cuiusmodi sunt vulgò ipsi fideles: hìc non iam disputamus, an illa auctoritas infallibilis, cuius definitione oportet in Ecclesia dijudicari posse quæstiones fidei omnes, sit etiam in Episcopis, & Doctoribus, adeòque in Concilijs, aut in cœtu ipso vulgarium fidelium (quorum ordinum quatenus certa sit sententia in fidei controuersijs, infrà dicemus) neque vllam etiam comparationem huius, aut illius ordinis iam instituimus; sed affirmamus nunc absolutè, eiusmodi auctoritatem in Romano Pontifice, qui pro tempore existit, residere. Quam assertionem satis ipso iudicio legitime Christi Ecclesiæ confirmare possemus. Ita enim persuasus est ille hominum cœtus, qui Romano Pontifici paret. Quem cœtum, & veram esse Christi Ecclesiam, neque falli posse, hactenus à nobis demonstratum est. Sed vtemur præterea ijs probationibus, quæ sunt huius loci propriæ. Atque vt via, & ratione de re latissimè patente disseramus, placet hanc totam disputationem huiusmodi argumentandi forma concludere:

[Cui Ecclesia tota obtemperare tenetur in ijs rebus, quæ ad spiritualem animæ salutem pertinent, siuè illæ fidem, siuè cultum, siuè mores concernant; in eo auctoritas est infallibilis ad fidei quæstiones omnes dijudicandas:]

[Sed Romano Pontifici, pro tempore existenti, ita prorsus vniuersa Ecclesia obtemperare tenetur:]

[Igitur in Romano Pontifice est eiusmodi auctoritas infallibilis.]

Prima istius argumenti propositio facilè probatur ex his promissionibus, quæ de doctrinæ veritate sunt diuinitus factæ ipsi Ecclesiæ. Quod enim vniuersa Ecclesia credere tenetur: id infallibiliter verum esse oportet. Alioqui falsum illa quandoque obligaretur credere. Quod plurimùm abhorret ab illarum certitudine promissionum, Isaiç 59. [Hoc fœdus meum cum eis: Spiritus meus, qui est in te, & verba, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, amodò, & vsque in sempiternum.] Item Ioann. 14. [Alium paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis: vt maneat vobiscum in æternum.] Item: [Ille vos docebit omnia &c.] Vt alia nunc prætermeam, quæ supra §. 16. cùm de ea Ecclesiæ prærogatiua ageremus, disputata à nobis sunt. Si alicuius igitur in rebus ad salutem pertinentibus, atque adeò in fidei controuersijs, iudicium sequi debent omnes fideles: is quin auctoritatem infallibilem ad fidei controuersias omnes determinandas habeat, dubitari non potest· vt in illa priori propositione nostri argumenti posuimus.

Illud maius est, & accuratiore demonstratione indiget, quod in altera propositione assumpsimus, Pontificem Romanum esse eum, in quo talis, ac tanta dignitas præemineat, vt in ijs, quæ ad animi spectant salutem, adeòque ad ipsam fidem, omnes fideles ei obtemperare parereque teneantur. Quæ sanè assertio illum in Ecclesia Primatum Romano tribuit Pontifici, quem Sectarij omnes cùm primis reuocant in dubium, imò verò inficiantur. Neque enim aliud nomine eiusmodi Primatus intelligimus, quàm talem auctoritatem, cui omnes fideles in vtroque foro interno, & externo parere debeant in ijs, quæ spectant, vel ad mores, vel ad cultum, vel ad fidem, idest, in salutis negotio.

Ac sanè Romanum Pontificem hunc principatum obtinere, demonstratum luculenter est à quàm plurimis catholicis auctoribus: è quorum numero sunt Thomas Waldensis lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ cap. 29. & deinceps: Turrecremata lib. 2. de Ecclesia ferè per totum: Roffensis art. 25. contra Lutherum. Ioannes Driedo lib. 4. de varijs dogmatibus cap. 4. par. 2. & 3. Melchior Canus lib. 6. de locis Theologicis per totum, vt eos nunc omittam, qui doctissimè etiam de hoc ipso argumento posteriùs scripserunt: vt Sanderum, Stapletonum, Franciscum Turrianum, Bellarminum &c.

Nos quidquid in eius assertionis confirmatione præcipuè disputari solet, ad hanc rationem commoda methodo reuocare posse videmur.

[Auctoritas illa in Ecclesia primaria, prorsus à Christo tributa est beato Petro, & eius

eius successoribus, vsque ad consummationem seculi:]

[Sed Romanus Pontifex, pro tempore existens, beati Petri est successor:]

[Igitur Romano Pontifici pro tempore existenti illa auctoritas à Christo tribuitur.]

In hoc argumento tria ponimus. Primùm, auctoritatem illam primariam D. Petro esse à Christo collatam. Secundùm, non illi solùm, sed etiam eius successoribus. Tertium, Romanum Pontificem pro tempore existentem B.Petri successorem esse. Quæ tria cùm ordine probauerimus, locus hic erit expeditus.

§. 28.

Primariam in Ecclesia auctoritatem fuisse à Christo collatam Diuo Petro, probatur in primis testimonio Christi, Matth. 16.

PRimum illud, quoniam omnis hæc quæstio est facti, probandum est ex historia Euangelica, vbi Christi Domini gesta narrantur. Et quia mihi in hac tractatione propositum est, non tam proferre noua, quàm & explicatione nonnihil illustrare, & argumentis communire vetera, quæ solent esse ferè firmiora: vtar iam etiam ad probationem illis potissimùm Euangelij locis, ex quibus vniuersi Ecclesiæ Doctores (quos etiam allegabimus) eiusmodi Primatum Petri collegerunt.

Primus igitur locus valdè illustris est apud D.Matthæum cap. 16. vbi Christus Dominus eam auctoritatem verbis amplissimis D. Petro promisit. Cùm enim is Christo, communiter ex omnibus Apostolis percontanti: [Vos autem quem me esse dicitis? tamquam os omnium Apostolorum, & vertex totius consortij] vt inquit D. Chrysostomus hom.55. in Matthæum, respondisset: [Tu es Christus Filius Dei viui:] vicissim Christus ad eum ita loquitur: [Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis.] Ex quo sanè loco ad confirmandam illam Petri auctoritatem totidem penè argumenta duci possunt, quot sunt in illa Christi oratione verba. Expendamus igitur singula, quò demum intelligatur non perperam eruditissimos Ecclesiæ Patres hoc in primis testimonio Christi, singularem illum D.Petri primatum, vt post videbimus asseruisse.

I. Beatus es, inquit, Simon Bariona. Quemadmodum ex omni illo numero Apostolorum Petrus solus responderat, & vsque adeò præclaram de Christo professionem ediderat: ita Christus prætermissis cæteris, nomine proprio eum compellat, parentis etiam nomine indicato, vt ea re faciliùs intelligeretur ad quemnam propriè, atque singulariter sequentes promissiones referendæ essent.

II. [Quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.] Nempè declarauit etiam ijs verbis, quantam certitudinem habitura esset ea doctrina fidei, quæ à Petro traderetur ex præcipua illa auctoritate, quam deinde illi promittit, vt iamiam videbimus. Non enim sensu (qui sæpè fallit) carnis, & sanguinis, sed cœlestis Patris inspiratione fides de Christo, atque adeò de alijs omnibus mysterijs (vt quæ ad Christum omnia reuocantur) concipienda à Petro, atque explicanda erat.

III. [Et ego dico tibi:] Mercedem, inquit B.Hieronymus lib. 3. comment.in Matthæum, [recepit vera confessio.] Et B.Cyrillus lib. 4. Dialog. de Trinitate cum Hermia, paulò post initium: [Tam veræ, inquit, sententiæ, remunerationem Petrus reportauit,] idest, donum aliquod, atque prærogatiuam singularem vicissim Christus Petro pollicetur in præmium illius verissimæ confessionis, quam ipse solus præ alijs de Christo fecerat. Quod similiter D. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Hilarius in commentarijs eius loci intellexerunt.

IV. [Quia tu es Petrus.] Hæc nominis commutatio, promissæ etiam in omnes fideles auctoritatis indicium est. Quod primùm apparet ex Scripturæ analogia in alijs locis. Vbi enim aliàs similis commutatio nominis diuinitus facta perhibetur, singularis alicuius dignitatis Symbolum eam fuisse intelligimus. Id videre est in Abraham, Sara, & Iacob, & alijs. De qua re sic D Chrysostomus hom.18. in Ioannem: [Ipse Deus est, qui nomina aptè imponit. Qui Abram, Abraham, & Sarai Saram, & Iacob Israel vocauit. Multis à natiuitate nomina imposuit. Vt Isaac, & Samson, & ijs, quorum meminit Isaias, & Osee. Quibusdam quam acceperunt à parentibus appellationem mutauit, vt prædictis, & Iesu. Mos etiam antiquitus erat à rebus nomina imponi. Quod & Elias fecit. Hoc autem non temerè fit: sed vt ea appellatio imponatur, quæ sit diuini beneficij perpetuum monumentum, & memoria per prædicta nomina auditorum animis imprimatur.]

Deindè idem in proposito confirmat ipsa ratio impositi nominis. Petrus enim Latinè, Græcè *Petros*, & Syriacè, atque Hebraicè (qua lingua Christus tunc vsus est) *Chepha* Cephas est. Quod vocabulum significat saxum firmum, & magno ponderi sustinendo aptum. Eum igitur, qui in primis doctrinæ cœlestis soliditate, ac firmitudine totam Ecclesiæ fabricam sustentaturus erat: aptissimo vocabulo Christus Petrum appellat: nempè qui tamquam saxum immobile in ædificio Ecclesiæ futurus esset, [quod totius operis Christiani molem, atque compagem contineret,] vt D.Ambrosius, serm. 47. de fide Petri, disertis verbis interpretatur.

Accedit quòd multò etiam antea eam appellationem Petro Christus promiserat. Cùm primùm enim Petrus ab Andrea est adductus ad Christum, intuitus eum Iesus dixit: [Tu es Simon filius Iona: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur] inquit Euangelista Petrus. Ioan.1. Quorsum tanto antea hæc tam seria appellationis promissio, si vacabat

eabat mysterio? Equidem hîc mihi subaudire videor Christum, rationem eius nominis ab officij auctoritate, quam erat Petro aliquando collaturus, reddentem: perinde, ac si apertè subiunxisset: ideò Cephas vocaberis, quoniam instar firmissimi saxi totam molem ædificij Ecclesiæ sustentaturus es. Hoc enim proculdubio illud est quod animo Christus voluebat, tum cùm minimè ociosè intuens in Petrum aiebat: Tu vocaberis Cephas.

Sic hunc locum interpretatur D. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 11. [Respicit, inquit, vt Deum decet, qui corda, & renes scrutatur, videtque, qui nihil ignorat, ad quantam fidem, & virtutem discipulus peruenturus sit &c. nec Simon fore iam nomen sibi, sed Petrus, prædicit: vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tamquam in petra lapidèque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.] Quamuis non omnia quidem, inquit Chrysostomus homil. 38. in Ioannem, [quæ euentura ei erant, hoc primo congressu prædixit. Non enim tum dixit: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. Illud enim maioris erat potestatis, necnon & auctoritatis.] Quemadmodum igitur Deus Abrahæ dicens: [Tu vocaberis Abraham,] Genes. 17. rationem eius appellationis ab eius futura dignitate subiunxit: Quia Patrem multarum gentium constitui te: ita Christus Petro dicens: Tu vocaberis Cephas, futuram illius dignitatem, & principatum in ædificio Ecclesiæ insinuauit, etsi nondum tum quidem penitus id expresserit, sed postea demum cùm is est confessus Christi diuinitatem, vt ait idem Chrysostomus homil. 38. in Ioannem.

V. [Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Quam non explicarat rationem appellationis cùm Petro id nomen promitteret; eam tandem his verbis apertissimè exponit, in ipsa nominis attributione. Tu es, inquit, Petrus. Quamobrem verò? & qui tandem eiusmodi appellatio tantùm valet, vt mercedem illam contineat, quam, vt Patres asseuerant, *recepit vera confessio*? Nempè, quia super hanc, inquit, petram, idest, super te Petre, vt statim probauimus, ædificabo Ecclesiam meam.]

His autem verbis quemadmodum Dominus Petro promiserit primariam illam in Ecclesia auctoritatem, quam diximus, ita declaramus, & confirmamus: Ex multis nominibus, quibus Ecclesiæ dignitas, atque status propter varietatem, & ordinem, qui in ea cernitur, commodè significari potest, vnum est, Domus, vt supra notatum est, cùm de prærogatiua ordinis Ecclesiæ ageremus. Quod vocabulum ideò etiam in Ecclesiam bene conuenit, quia vt domus ab inquilino, ita cætus fidelium à Spiritu sancto inhabitatur. Hanc domum Deus per Filium eius Iesum Christum ædificat, vt Apostolus, inquit, 1. ad Corinth. 3. [Dei ædificatio estis.] Nec verò, diuinitus hanc domum ædificari, aliud est quàm, fide, cultu, & moribus, aptari diuino beneficio, atque perfici fideles, vt postquam gratia demum expoliti, ac tum inter se, tum cum Christo, quàm optimè coniuncti fuerint, ex illis quasi construatur dignum Deo habitaculum, secundùm gratiam quidem in hac vita, & secundùm æternam etiam beatitudinem in altera, quò spectat hęc omnis Ecclesiæ fabrica. Hæc illa ædificatio est, cuius Apostolus præsertim 2. Corinth. 10. 12. 13. & ad Ephesios 2. meminit; quam ad Ephesios 4. dicit esse cum primis in charitate, & in fide; ad quam omnia, quæ fiunt, referri vult, & in qua perficienda suorum opera ministrorum Deum, vti docet, hoc est, Doctorum, & Pastorum, [quos dedit Deus, inquit, in ędificationem corporis Christi, ad consummationem Sanctorum, vt euadamus omnes in virum perfectum.] Cùm Christus igitur singulariter supra Petrum se Ecclesiam suam ędificaturum dixit; Petrum constituit facere huius domus, atque ędificationis singulare fundamentum: vt ei videlicet post Christum tamquam firmę petrę tota illa fabrica spiritualis innitatur. Id verò aliud non est, quàm auctoritatem prorsùs solidam, ac firmam Petro promissam esse, qua certò niti oporteat omnes fideles, in ijs rebus, quę ad fidem, cultum, & mores, hoc est, quę ad ędificationem Ecclesię, vt explicatum est, pertinent.

Quòd autem eamdem Petri personam (secundùm officij alicuius pręrogatiuam) intelligere debeamus, quę hoc loco significatam à Christo esse nomine petrę (super quam ędificaturum se Ecclesiam dicit) atque nomine Petrus, multis modis confirmari potest.

Primò. Quia Christus non duobus illis vocabulis, [Petrus, & petra,] sed vno, & eodem, nempè Cephas (cùm Syriacè loqueretur) vtrobique vsus est. Quod vocabulum, vt B. Hieronymus in cap. 2. epistolę ad Galatas notat, absolutè significat saxum: sicut etiam *Petros* Gręcè indifferenter significat, & Petrum, & petram. Vt igitur, si Christus latinè dixisset: Tu es saxum, & super hoc saxum ędificabo Ecclesiam meam; non dubitaremus, quin vtrobique illo eodem vocabulo saxum vnam, & eamdem personam significasset: ita sentiendum est illum fecisse, cùm Syriacè loquens vtrobique similiter vocabulo Cephas vsus est, quod saxum significat. Neque quidquam impedire nos in ea re debet, quòd primò quidem, vbi magis expressè ad ipsam Petri personam vocabulum Cephas, & *Petros* refertur, interpres è Gręco, Petrus verterit, postea autem petra. Hoc enim ille fecit, non quia diuersę res vocabulo Petrus, & petra in eo loco significentur, sed vt commodiùs loqueretur secundùm vocum formationem latinam.

Secundò: Idem ostendit ipsa series orationis Christi, & maximè vis illius demonstratiui pronominis, [Hanc.] Super quam enim petram, dicit ędificaturum se Ecclesiam? [Super hanc,] inquit; nempè quam proximè antecedẽtibus verbis demonstrarat, inquiens: Tu, tu es Cephas, idest, petra seu Petrus. Alioqui quorsum tunc attinebat ipsum Petrum, seu saxum appellare, nisi illud etiam, quod de petra subiunxit, ad eumdem retulit? Certè id fecit, vt aptè ostenderet, rem illius nominis in Petri personam conuenire. Vt cùm Dominus dixit ad Abraham: [Tu vocaberis Abraham,] Genes. 17. ad ipsum accommodat rem etiam nominis, illud subiungens: [Quia patrem multarum gentium constitui te.] Sic etiam Angelus de ipso Christo,

sto, Luc. 1. [Vocabis, inquit, nomen eius Iesum, ipse enim, inquit, saluum faciet populum suum à peccatis eorum.] Vt iam alia exempla similia prætercam.

Tertiò: Si non eundem Petrum fidem profitentem eam petram esse Christus significauit: quem igitur aut quam rem ibi nomine petræ intellexit? Seipsum, inquiunt (vt postea videbimus) plerique Sectarij. At hoc multis argumentis refelli potest. Primùm enim, qualis obsecro tunc esset illa orationis consequentia? Tu Petrus es: Ego super me ædificabo Ecclesiam meam. Deinde, cur dicit [hanc?] Num digitum in se intendit, aut manu sublata sese indicauit, vt commodè [hanc] diceret? Tertiò accedit, quòd rem illis verbis facturum se promittit, planè futuram, quam nondum aut fecisset tunc, aut etiam inchoasset. At ipse Christus iam inde ab origine mundi erat fundamentum Ecclesiæ, ac super illum iam tùm bona ex parte Ecclesia ex ædificata. Quartò, si se, non Petrum ibi petram esse intellexit; quam, obsecro, mercedem illis verbis Petro propter factam ab eo confessionem promisit? Non enim Petri prærogatiua est, quòd super Christum ædificetur Ecclesia: At rectè sentiunt veteres, Petri confessionem illis Christi verbis, atque promissione singulariter remunerari, vt antè dictum est. Necesse est igitur, vt intelligamus, Christum, ibi ipsum Petrum fidem profitentem, appellasse petram, super quem adeò promiserit Ecclesiam se suam ædificarurum.

Quartò: Ita locum illum vniuersi Patres interpretati sunt; neque prorsus dubitauerunt, quin Petrus ibi petra dictus à Christo sit. Etsi vnus quidem excipiendus est Augustinus, qui cùm vtroque modo locum interpretetur, lib. 1. Retract. cap. 21. scilicet & de Petro, & de Christo, iudicium ad extremum permittit liberum Lectori, vt quam interpretationem probabiliorem putet, eam sequatur. Sed cùm ipse Augustinus nihil hac de re certe definiat, atque etiam permittat per petram ibi Petrum intelligere: Sequi nos oportet communem sententiam aliorum Patrum, qui in eiusmodi interpretatione consentiunt. Maximè cùm ratio ipsa loci eum sensum præferat, vt ostensum est, nec ex contrario sit firma ea ratio, quæ Augustinum de eiusmodi interpretatione addubitare fecit. [Non enim, inquit ipse, dictum est Petro: Tu es petra, sed tu es Petrus.] Atqui si de vocabulis quærimus; ne Petrus quidem à Christo dictum est illi, sed Cephas. Quod vocabulum petram seu saxum significat, vt suprà notatum est. Quare nihil impedit, quo minùs petram à Christo Petrum esse appellatum intelligamus, quamuis secundariam quidem post Christum, vt paulò post docebimus.

Nunc Patres cum locum ita interpretantes audiamus, Tertullianus libro de præscript. hæreticorum: [Latuit ne, inquit, aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum?] Clemens epist. 1. ad Iacobum: [Simon Petrus fundamentum Ecclesiæ definitus est. Qua de causa etiam Domini ore cognominatus est Petrus.] Origenes homil. 5. in Exod. [Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino: Modicæ fidei quare dubitasti?] Cyprianus in epistola ad Quintum de baptismo hæreticorum: [Petrum, inquit, primum Dominus elegit, super quem ædificauit Ecclesiam.] Atque idem disertè, quoque asserit lib. 1. epist. 3. & 12. & lib. 4. epist. 9. & in epistola ad Iubaianum, & libro de vnitate Ecclesiæ. Hippolytus de consummat. mundi: [Princeps Petrus fidei petra.] Ambrosius in hymno, teste Augustino lib. 1. Retractat. cap. 21. [Hoc (gallo gallinaceo) ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit. Qui sensus (inquit Augustinus loco citato) multorum ore cantatur in versibus beatissimi Ambrosij.] Item Ambrosius in alio loco sermone 47. de fide Petri: [Petrus pro soliditate deuotionis Ecclesiarum, petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; petra enim dicitur eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tamquam saxum immobile totiùs operis Christiani compagem, molemque contineat.] Ac rursus serm. 68. de Natali Petri, & Pauli, de claudo illo homine, qui diuinitus à Petro sanatus est, loquens: [Si Petrus, inquit, petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè priùs pedes sanat, vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet ita & in homine membrorum fundamenta confirmet.] Gregorius Nazianzenus in oratione de moderatione in disputat. habenda: [Vides, inquit, quemadmodum ex Christi discipulis, magnis, vtique omnibus, & excelsis, atque electione dignis, hic (Petrus) petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta] nempè intelligit reliquos Christi Apostolos [fidei suæ credita habeat.] Hieronymus lib. 3. comment. in Matthæum, in cap. 16. [Secundùm metaphoram, inquit, petræ, rectè dicitur ei (Petro) ædificabo Ecclesiam meam super Te:] Atque idipsum expressè affirmat in cap. 2. Isai. & 16. Ierem. & 41. Ezech. & 7. Amos, & 1. Abdiæ, & lib. 1. contra Iouinianum circa medium, & libro primo Dialog. contra Pelagian. ante medium. Basilius in concione de pœnitentia, quæ est num. 28. [Petrus cùm dixisset: Filius Dei es altissimi, & audisset, petra es; encomijs celeber factus est. Etiamsi autem petra est, non vt Christus petra est, sed vt Petrus petra. Christus enim reuera petra inconcussa est, Petrus verò propter petram, Largitur enim Iesus suas dignitates, & non euacuatur, sed habens dat.] Hilarius canone 16. in Matthæum: [O in nuncupatione noui nominis fœlix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges dissolueret. O beatus cæli ianitor, &c.] Paulinus epistola quarta ad Seuerum: [Petra est Christus; Etiam discipulo huius vocabuli gratiam non negauit, cui dicit; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Chrysostomus homilia 17. ex varijs Matthæi locis (idem in Psal. 50. & hom. 2. de encomio Petri, & Pauli, & hom. 55. in Matth.) [Princeps Apostolorum Petrus, super quem Christus fundauit Ecclesiam, verò immobilis petra, & firma confessio.] Prosper Aquitanicus lib. 2. de vocatione gent. cap. 9. [Hæc fortissima petra ab illa principali petra (Christo) communionem, & virtutis sumpsit, & nominis.] Epiphanius in libro

An-

Anchoratus, non longè ab initio; [Ipse Dominus constituit Petrum primum Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est.] Maximus sermone de Petro, & Paulo, qui incipit, Gloriosissimos. [Per Christum Petrus factus est petra: dicente ei Domino, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Concilium Chalcedonense Actione tertia; [Petrus Apostolus, & petra, & crepido Ecclesiæ Catholicæ.] Theodoretus lib. 3. in Cantica, ex Psello; non longè à fine; [In Petro Apostolorum principe Dominus in Euangelio se Ecclesiam suam ædificaturum promisit.] Eadem sententia (ne simus prolixi) reliquorum Patrum est. Optati lib. 2. contra Parmen. Leonis serm. 3. de passione Domini. Cyrilli lib. 2. in Ioannem, cap. 12. Isidori lib. de Patribus noui Testamenti. Euthymij in cap. 16. Matth. Gregorij in Registro, lib. 6. epist. 37. & aliorum.

Quin, & ipse Augustinus multis in locis Petrum à Christo dici petram, & fundamentum Ecclesiæ interpretatus est. Vt cùm inquit sermone de Cathedra Petri, qui est decimus quintus de Sanctis; [Petrum fundamentum Ecclesiæ Dominus nominauit, & ideo dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ędificij altitudo consurgit.] Item in Psalm. 69. [Petrus Christum confessus erat Filium Dei, & in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia.] Item tract. 11. in Ioannem; [Respondit Petrus, petra illa, voce omnium: Domine ad quem ibimus?] Etsi autem in alijs quibusdam locis petram Christum interpretatus sit (tract. vlt. in Ioannem, & sermon. 13. de verbis Apostoli) tandemque, vt antea diximus, dubitauerit, vtro modo potiùs ille quidem locus Matth. 16. intelligi debeat, lib. 1. Retract. cap. 21. tamen de ipso principatu alioqui, quem habuerit Petrus in Ecclesia, quemque vocabulo petræ, capitis, fundamenti, ianitoris cœli, metaphoricos significare Orthodoxi solent, nullo pacto dubitauit vnquam Augustinus. Eius enim sunt illa verba tract. 57. in Ioannem; [Quis nesciat, primum omnium Apostolorum esse beatissimum Petrum?] Item quæst. 75. ex nouo Testamento; [ipsum, inquit, constituit Dominus esse caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici.] Item enarratione prima in Psalm. 108. [Primatum in discipulis habuit.] Item lib. 2. de baptismo contra Donatistas, cap. 1. [Quis nesciat illum Apostolatus Petri principatum cuilibet Episcopatui præferendum?] Ac ex [illegible]us Augustini in epistola 68. ad Casulan. [illegible]x quo satis apparet, minimè illum impro[illegible]re, quo minus Petrus etiam [Apostolorum caput, cœli ianitor, & Ecclesiæ fundamentum] nominetur. Tot enim, ac talibus nominibus, Augustino referente, & minimè reprehendente, Petrum (ex vulgatissima procul dubio Ecclesiarum omnium sententia) appellauit is, contra quem ibi Augustinus de ieiunio Sabbathi disputat. Sed reliqua argumenta, quæ continentur in illo loco Matthæi pro primatu Petri persequamur.

VI. [Et tibi, inquit, dabo claues regni cœlorum.] Illustrat his verbis Christus alia metaphora vim auctoritatis illius primariæ, quam Petro ad constituendum de ijs rebus, quæ pertinent ad salutem fidelium, pollicebatur. Namque claues regni cœlorum eam potestatem vocat, propterea quod eius vsu multiplici cœlum fidelibus, vel clauditur, vel aperitur. Quid enim aliud est, doctrinam fidei certò explicare, peccata remittere; leges salutares condere; ea quæ ad sanctissimum cultum pertinent, constituere; alijsque id genus rationibus, hominum saluti consulere; quàm ijsdem cœlum, hoc est, aditum ad æternam beatitudinem aperire? Contra verò, cùm beneficium remissionis peccatorum iusta ex causa negatur, cùm alicuius aut vita, aut doctrina condemnatur: cùm excluditur ex communione fidelium; huic nimirum quasi clauditur cœlum.

Itaque intelligendum est, cùm soli Petro in hoc loco claues regni cælorum singulariter promittuntur, summam illi post Christum in Ecclesia promitti potestatem. Nempè eiusmodi, qua & omnibus alijs (atque adeò etiam ipsis Apostolis) & omnibus modis aperire potuerit regnum cœlorum. Non enim Apostolis, item reliquis claues ipsas cęli, aut promisisse, aut tradidisse Christum legimus. Etsi attribui illis quidem quamdam auctoritatem vsus eiusmodi clauium; vt scilicet clauderent cęlum, aut aperirent, retinendo, vel remittendo, seu quod idem est, soluendo, vel ligando peccata. Matth. 18. & Ioan. 20. Claues autem ipsæ, hoc est, plena atque summa potestas, id omni ratione faciendi, Petro soli promissæ, atque adeò tributæ sunt, quæ est Christi promissionum fidelitas.

Quod sanè discrimen inter Petrum, & reliquos Apostolos, quod attinet ad potestatem eam clauium, præclarè veteres Patres animaduerterunt. Nam Augustinus, quoniam ad vtilitatem ipsius Ecclesiæ, principatus eius auctoritatis Petro tributus est, ideò scribit Ecclesiam illum repræsentasse, cùm ei à Christo diceretur; [Et tibi dabo claues regni cœlorum; Quædam, inquit in Psalmum 108. dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, neque tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cuius ille cognoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in discipulis habuit; sicuti est; Tibi dabo claues.] Et rursus tract. 124. in Ioannem: Quod ad Petrum, inquit, propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus, abundantiore gratia vnus primusque Apostolus. Sed quando ei dictum est: Tibi dabo claues; vniuersam significabat Ecclesiam. [Item in tract. 134. in Ioannem: [Petrus, inquit, Apostolus propter Apostolatus sui primatum totius Ecclesiæ gerebat figurata generalitate personam.] Consentit cum Augustino Optatus Mileuitanus lib. 1. contra Parmen. circa medium, qui ob eam amplitudinem auctoritatis Petri, qua cæteris Apostolis antecelluit; disertis verbis inquit: [Solus Petrus claues accepit.] Item Origenes tractat. 6. in Matth. ferè in medio: [Quoniam oportebat, inquit, aliquid maius habere Petrum, ideò illi quidem sic dicit; Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata, & in cœlis.

lis. Non ergo modica differentia est, quòd Petro quidem sint datæ claues non vnius cœli, sed multorum cœlorum, vt quæcumque ligauerit super terram, sint ligata non tantùm in vno cœlo, sed in omnibus cęlis, & quæ soluerit super terram, sint soluta non solùm in vno cęlo, sed in omnibus cęlis. Ad eos autem, qui multi sunt ligatores, & solutores in terra, sic dicit, vt soluant, & alligent, non in cęlis, sicut Petrus, sed in vno cęlo, quia non sunt in tanta perfectione sicut Petrus.] Item beatus Leo epist. 89. ad Episcopos per Viennensem prouinciam constitutos: [Petro, inquit, præ cæteris est tradita soluendi, atque ligandi potestas,] Neque verò præeminentiam hanc auctoritatis clauium in Petro Hieronymus, & Cyprianus ignorauerunt, cùm ille lib. 1. contra Iouin. circa medium scripserit, [inter duodecim vnum eligi, vt capite constituto schismatis tollatur occasio:] hic autem lib. de vnitate Eccles. non longè ab initio: [primatum Petro dari, vt vna Christi Ecclesia, & vna cathedra monstretur.]

Huc præter auctoritatem sanctorum Patrum, accedit analogia Scripturæ; eiusque phrasis in alijs locis. Etenim clauium nomine summa potestas designari in Scriptura sacra solet. [Dabo (inquit Dominus Isaiæ 22. Eliachim summo Sacerdoti, qui typum Christi gessit) clauem domus Dauid super humerum eius. Et aperiet, & non erit, qui claudat. Et claudet, & non erit, qui aperiat.] Quid verò hæc clauis significat? Nempè potestatem talem in domo Dauid, hoc est, in Ecclesia, vt quod ab ea rectè, ac legitimè constitutum sit, ratum apud omnes, ac firmum esse debeat, nec possit à quoquam rescindi. Hoc enim est quod ait: [Aperiet, & nemo claudet, & claudet, & non erit, qui aperiat.] Hanc clauem, hoc est, potestatem in Ecclesia, quæ & dicitur regnum cęlorum, Christus præstantissima ratione habet. Ipse enim est [sanctus ille, & verus (inquit Ioannes Apostolus Apocalypsis tertio) qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.] Petro igitur vices suas in hac vsurpanda claue, hoc est, summam post ipsum auctoritatem in terris promisit, cùm se illi claues regni cęlorum traditurum pollicitus est. [Largitur enim Christus (inquit Basilius in concione de pęnitentia, quæ est 28.) suas dignitates, & non euacuatur, sed habens dat.]

Ac sanè in politicis, etiam id similiter obtinuisse videmus, vt cui regendæ ciuitatis summa auctoritas attribuitur, huic tamquam eius dignitatis Symbolum quoddam, claues ciuitatis tradantur. Ab hac igitur antiquissima, atque receptissima consuetudine existimare debemus, Christum (qui solius fuit ex rebus ferè, vulgo vsitatis sermonis rationem, ac modum petere) illam metaphoram mutuatum esse: vt amplitudinem eius potestatis, quam Petro promittebat, quàm aptissimè exprimeret.

VII. [Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Portæ inferorum, inquit Epiphanius in libro Anchoratus, non longè ab initio, [sunt hæreses, & hæresiarchæ. Iuxta omnem enim modum in ipso Petro firmata est fides, qui accepit claues regni cęlorum.] Quo pacto, & alij Patres portas inferorum hoc loco interpretantur. Si igitur ita super Petrum Ecclesia fundata est, vt possit opera Petri, ac ministerio aduersùs omnes hæreses, & omnem vim inferorum firma stare: confiteri necesse est, talem auctoritatem Petro tributam esse, qua is potuerit tùm in omni fidei quæstione, quod verissimum est certò docere, tùm quæ essent fidelibus, aut in cultu, aut in moribus salutaria, sanctè constituere. Quod enim Christus subiunxit: [Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam,] id ad antecedentia referri debet, vt inde præstantiam, atque firmitudinem illius potestatis intelligamus, quam Petro pollicebatur, affirmans se super illum Ecclesiam fundaturum, eique traditurum claues regni cęlorum. Nam & ad explicandam etiam vim, atque vsum eius auctoritatis adiunxit, illud quod ad extremum sequitur.

VIII. [Et quodcumque ligaueris super terram, erit & ligatum & in cęlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cęlis.] Quibus verbis, non qualicumque modo eum significat soluere, atque ligare posse, sed tamquam eum nimirum, qui auctoritatem ipsam clauium regni cęlorum absolutam, atque plenam habet; vt ex verbis antecedentibus, quæ hactenus exposita sunt, didicimus. Quò sanè pacto cæteri Apostoli clauium auctoritatem non acceperunt, vt testimonijs Patrum, quæ partim adduximus, partim postea adducemus, perspicuum fit.

Hic verò quominus ex hoc Euangelij loco primatum illum Petri colligamus, tria potissimum nobis obijciuntur aduersarij. Primo: Non Petrum, sed Christum ipsum nomine petræ, super quam Ecclesia ædificanda fuerit, intelligi hoc in loco debere: vel certè confessionem ipsam fidei de Christi diuinitate à Petro editam. Atque hic vrgent illud 1. Cor. 3. [Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.]

Secundo: Quicquid hic Petro promissum est, alijs etiam Apostolis esse tributum. Nam, & omnes fundamenta appellantur, Apocalyp. 21. & omnibus Christus dixit, Matth. [Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata, & in cęlo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in cęlo.] Et illud item omnibus, Ioan. 20. [Ite, ego mitto vos, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, &c.] Quò accedit auctoritas Patrum, qui pares omnes Apostolos fuisse, testari videntur. Cyprianus enim libro de vnitate E[illegible] dicit: [Hoc erant, vtique cæteri Apo[illegible] quod erat Petrus, pari consortio præ[illegible] & honoris, & potestatis.] Quod ipsum similiter affirmant Anacletus distinct. 21. cap. in nouo. Hieronymus lib. 1. contra Iouin. Leo epistola ad Anastasium Tharsens.

Tertio. Quòd Petro peculiariter videatur Christus claues regni cœlorum promisisse: id, inquiunt, ad confirmandum illius principatum non valere: Non enim ipsi Petro peculiariter, sed Ecclesiæ, cuius figuram ibi Petrus, auctore Augustino, præferebat, esse promissas atque datas claues.

Ad primum respondemus: Etsi Christus alioqui petra angularis, & fundamentum præcipuum, sit, quo Ecclesia omnis nititur,

tamen

tamen in eo quidem loco apud Matth. 16. petræ nomine non posse ipsum intelligi, sed Petrum significari. Quod cùm antea perspicuis argumentis ex ipso loco ductis, & consentiente auctoritate sanctorum Patrum confirmauerimus, nihil est necesse idem denuò probare. Nam quòd Augustinus (vt diximus) subdubitarit, Petrusne, an potiùs Christus ibi petra nominetur; cùm aliorum omnium Patrum sententia per petram Petrum intelligentium, tam sit concors, & constans, nihil nobis præiudicare debet.

Vt autem ibi per petram confessio fidei etiam, à Petro facta, intelligatur, non impedimus. Nam quod ad rem ipsam attinet, nihil interest, vtrùm supra Petrum, fidem certò confitentem atque docentem, vel supra certam Petri confessionem, Ecclesiam fundatam esse dicas. Eodem enim res redit. Nam neque nos, cùm ex sententia Patrum, supra petrum fundaram Ecclesiam esse affirmamus, personam Petri cogitamus nudam, sed explicantem certam de Filio Dei fidem: neque etiam illo loco, vel nuda fidei confessio per se ipsa, vel alterius hominis, præterquam Petri, potest intelligi. Dicit enim Christus: Super hanc petram, id est, super te petre, confitentem, atque adeo super confessionem fidei tuam certam, ac immobilem.

Itaque vtrumque videmus à veteribus explicatum esse, & supra Petrum, & supra Petri confessionem Ecclesiam esse fundatam. Quoniam nihil re ipsa inter vtrumque interest, vt dictum est: [Princeps, inquit Chrysostomus homin. 27. ex varijs locis Matthæi, Apostolorum Petrus, super quem Christus fundauit Ecclesiam, verè immobilis petra, & firma confessio.] Ac rursus homin. 55. in Matthæum, posteaquam supra fidem Petri Ecclesiam ædificatam esse dicit; vt magis explicet, hoc tantundem esse, ac supra Petrum certò de fide pronunciantem ædificari, hæc verba subiungit: [Id Christus agit, vt homo piscator quauis petra firmior reddatur, vniuerso terrarum orbe reluctante.] Atque ibi ad extremum super ipsum Petrum Ecclesiam ædificatam esse, disertis verbis testatur.

Item D. Cyrillus lib. 4. Dialog. de Trinitate paulò post initium. Insignem remunerationem atque honorem ipsius Petri maximum fuisse asserit, quòd [inconcussam, & firmissimam illius fidem petram Christus vocarit.]

Et Hilarius lib. 6. de Trinitate post medium: [Hec inquit, fides Petri Ecclesiæ fundamentum est.] Cuius tamen illa etiam sunt verba canon. 16. in Matthæum: [O in nuncupatione noui nominis fœlix Ecclesiæ fundamentum: O beatus cœli ianitor.]

Sic enim D. Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ paulò post initium: [Super illum vnum, inquit, ædificat Ecclesiam suam: Qui tamen eodem loco, paulò post dicit, [Super Cathedram, id est, supra doctrinam Petri, Ecclesiam esse fundatam.]

Et ob id etiam D. Basilius lib. 2. contra Eunomium paulò post initium, Petri nomine prærogatiuam Simonis, filij Ionæ, intelligi docet; [Qui de piscatoribus, inquit, ad Apostolatus functionem vocatus, propter fidei excellentiam, Ecclesiæ ædificationem in seipsum suscepit. [Quibus verbis an non Basilius clarissimè significauit, nec Petrum sine fide, nec fidem sine Petro, ædificio Ecclesiæ, quasi fundamentum, subesse?

Porrò illud, quod vrgent Sectarij, solum Christum esse fundamentum, facillimè expeditur, Ita enim Christus solus est Ecclesiæ fundamentum, sicut solus est mundi lux, sicut solus est noster Pontifex, Episcopus, Doctor, & pastor animarum. Et tamen sunt præter Christum alij etiam in Scripturis, lux mundi, Episcopi, Doctores, pastores, verissimè appellati. Nempe non eadem, sed alia ratione. Ita quoque fundamenta in Apocalypsi Ioannis, cap. 21. appellantur Apostoli. Num verò id impedit quo minus verè dictum sit; 1. ad Corinth. 3. [fundamentum aliud neminem posse ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus?] Minimè. Non enim absurdum est, vt quæ primariò, & principaliter, hoc est, præstanti quadam, & singulari ratione Christo conueniunt, eadem alijs conueniant secundariò. Lux ipse solus est, [quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.] Ioan. 1. Item solus ipse est ille pastor, qui posuit animam pro ouibus suis, Ioann. 10. seque dedit redemptionem pro omnibus, 1. Tim. 2. Et ipse est Pontifex solus ad Hebr. 4. [qui penetrauit cœlos, introiuitque per sanguinem suum in sancta, æterna redemptione inuenta, ad Hebr. 9. Item Doctor est vnicus, Isaię 30. in quo, vt in alio nullo, absconditi fuerint omnes thesauri sapientię, & scientię Dei, Colos. 2. Denique fundamentum est primum Ecclesię, & maximum, 1. Corinth. 3. & vt Augustinus, enarratione in Psalmum 86. non longè ab initio appellat fundamentum fundamentorum, quod videlicet seipso consistat, neque vlli alteri innitatur, sustineatque quidquid omninò pertinet ad Ecclesię ędificium, adeòque ipsum etiam confirmet Petrum. Sed, vt alij post Christum, suo quodammodo lux mundi sunt: itemque Episcopi, pastores & Doctores: sic etiam Petrus est secundarium, ac pręcipuum, post Christum, Ecclesię, fundamentum. Nempe cuius fidei etiam Ecclesię fundamenta commissa sunt (vt ait Gregorius Nazianzenus in oratione de moderat. in disputatione habenda) id est, Apostoli ipsi, qui, vt alios in religione confirmarunt, fundamenta etiam quędam fuerunt.

Atque hoc ipsum item, & veteres ipsi, qui Petrum fundamentum Ecclesię constitutum esse affirmauerunt, luculenter notarunt. [Sicut ipse, inquit Hieronymus lib. 3. comment. in Matth. circa caput 16. lumen Apostolis donauit: vt lumen mundi appellarentur, cęteraque ex Domino sortiti sunt vocabula: ita & Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen: & secundùm metaphoram petrę rectè dicitur ei: Ædificabò Ecclesiam meam super te.]

Et Basilius in concione de pœnitentia: [Christus verè est petra inconcussa, Petrus verò propter petram, largitur enim Deus suas dignitates, & non euacuatur, sed habens dat. Lux est, & dicit: Vos estis lux mundi. Sacerdos est; facit sacerdotes. Ouicula est, & inquit: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Petra est, & petram facit.]

Nec opus est prolixius referre, quæ in eamdem sententiam dicit Ambrosius libro 6. in Lucam, cap. 2. Leo serm. 2. in Natali Petri, & Pauli. Prosper lib. 2. de vocatione gentium, cap. 9. & alij. Ac potest, qui plura de hoc discrimine fundamentorum Ecclesiæ cognoscere volet, legere inter cæteros doctissimum Turrecrematam in erudito illo suo opere, quod summam Ecclesiæ nominauit, lib. 2. cap. 7. & sequent.

Ad secundam obiectionem Sectariorum, de Apostolorum omnium æqualitate, doctè sanè à multis Catholicis auctoribus iam pridem secundùm doctrinam Orthodoxam responsum est, vt à Ioanne Driedone, lib. 4. de varijs dogmatibus, cap. 4. par. 2. à Caietano in tractat. de comparat. Papæ, & Concil. capit. 3. à Melchiore Cano, libro 6. de locis Theologicis, cap. vlt. ad vndecimum argumentum, à Dominico Soto in 4. sentent. distinct. 20. quæst. 1. artic. 2. & 3. &c. Res autem, vt summatim, & aliquantò planius eam complectar, sic habet.

Ad Apostolatus prærogatiuam atque dignitatem duo pertinuerunt. Vnum est, quod ab ipso Christo proximè auctoritatem Ecclesiastici ministerij Apostoli acceperunt. Quamobrem, & ab eo missi, sicut ipse missus erat à Patre, dicuntur. Alterum est, quòd eam auctoritatem sic à Christo acceperunt, vt non tantùm in hac, vel illa orbis parte, sed vbique prorsus possent ritè, ac legitimè fungi muneribus Ecclesiasticis: Euntes enim, inquit Matth. 18. docete omnes gentes. Et: [Prædicate Euangelium omni creaturæ,] Marci 16. In his duabus rebus, atque adeo in huiusmodi dignitate, atque prærogatiua Apostolatus, partes omnes Apostoli fuerunt. Atque hęc dumtaxat æqualitas Apostolatus probari potest ijs testimonijs, vel Scripturæ, vel Patrum, quæ nobis obijciuntur.

Cæterùm aliæ duæ res sunt, in quibus Petrus Apostolus antecelluit reliquis Apostolis, non quidem propriè, vt Apostolus, sed vt singulare fundamentum, & caput Ecclesiæ, & pastor ouium Christi, & cœli ianitor constitutus. Vna est, quòd illam Apostolatus auctoritatem in vniuerso orbe, accepit ipse à Domino tanquam ordinariam, & duraturam suisque adeò successoribus relinquendam: eo quòd vniuersæ Ecclesiæ, quæ vnquam futura esset, fundamentum est constitutus (sicut infrà ostendemus) nec talis fundamenti locum ipse perpetuò, nisi per suos etiam successores tenere potuit. Reliqui verò Apostoli eam auctoritatem non eo modo acceperunt: sed eorum quasi extraordinarium priuilegium fuit, quòd & in orbem vniuersum, & à Christo proximè illam auctoritatem Apostolatus acciperent. Itaque illis è vita decedentibus, dignitas etiam eiusmodi Apostolatus esse desijt, neque est ad vllos eorum successores deriuata. Quod cùm ita dicimus, minimè volumus, nullam iam peruenire Apostolatus auctoritatem ad Episcopos, qui sunt (vt Anacletus explicat dist. 21. Canon in nouo) Apostolorum successores. Habent enim hi, in suis quique Ecclesijs, vicem atque functionem Apostolorum: estque adeò perpetuum illud Dei in Ecclesiam beneficium, quo inter cæteros ministros ei attribuuntur. Apostoli ad cōsummationem sanctorum; vt D. Paulus ad Ephesin. 4. disput. Hoc igitur tantùm dicimus, si & modum, quo Apostolicam auctoritatem reliqui præter Petrum acceperunt, & acceptæ auctoritatis amplitudinem, in totum scilicet orbem, spectemus; non transijsse eiusmodi dignitatem Apostolicam ad eorum successores. Nam neque auctoritatem ex æquo in vniuersum orbem habent; neque eam, quam habent, habent ita proximè à Christo, sicut habuerunt Apostoli, cùm Christus nimirum illam ipsis Apostolis per se tribuit, eaque re officium ordinarium Petri (id est, vniuersalis pastoris, à quo nimirum potestas aliorum pastorum ordinariè alioqui deriuanda est) sua quadam excellenti potestate quasi præuenit.

Altera res, in qua Petrus reliquis Apostolis antecelluit, est, quòd ipse quidem potestatem accepit etiam quamdam in ipsos Apostolos: tanquam omnium videlicet (nemine excepto) qui ad Ecclesiæ ædificium, & ad Christi gregem pertinent, fundamentum, & pastor (vt post ostendemus) singulariter constitutus. Itaque regere ipsos atque in fide confirmare cum auctoritate potuit, ijsque præscribere, & modum, & locum ad fungendum ministerio Apostolico, quatenus ad Ecclesiæ bonum id expediret. Quam sanè rem doctè mihi videtur Caietanus loco suprà citato expediuisse, vbi scribit, Apostolos reliquos, quatenus Apostolos, fuisse quidem D. Petro pares: tamen, qua ratione erant oues Christi, fuisse Petro subiectos.

Porrò, hanc Petri præeminentiam inter reliquos Apostolos minimè negauerunt veteres Patres. Quin imò ex loco Matthæi hactenus à nobis exposito, & ex alijs, quos deinceps adducemus, luculentissimè eam asseruerunt: etiam illi ipsi, qui pares alioqui in Apostolatus dignitate omnes fuisse affirmauerunt. Etenim D. Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ non longè ab initio, in eo ipso loco, vbi dixit, [pari consortio præditos reliquos Apostolos fuisse, & honoris, & potestatis,] mox subiungit: [Sed exordium ab vnitate proficiscitur, Petro primatus datur, vt vna Christi Ecclesia, & vna cathedra monstretur.] An non in pari consortio Apostolatus, primatum Petri agnoscit?

Legat, cui otium est, locum illum integrum Cypriani, & satis impudentiam Sectariorum mirari non poterit, quòd ex ea Cypriani disputatione probare velint, ita fuisse Apostolatus dignitate pares Apostolos, vt Petrus illis præpositus à Christo non fuerit. Dicit 1. compendio veritatis facilè fidem probari posse, [si caput teneatur, ac illud consideretur, quòd Dominus loquitur ad Petrum: Tu es Petrus, &c. Dicit 2. Super vnum Petrum Ecclesiam esse fundatam. Dicit 3. Quamuis, & alij Apostoli pastores constituti sint; tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram Christum constituisse, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuisse. Dicit 4. Super Cathedram Petri Ecclesiam esse constitutam. Et 5. illud item, quod antè recitatum est, primatus Petro datur, vt vna cathedra monstretur. Denique 6. caussam, quam ob rem hæretici perfidiam sub prætextu fidei, & Antichristum

sub

sub vocabulo Christi mentiantur esse, quia ad veritatis illam, & vnitatis originem (de qua dictum est) non reditur, nec caput, inquit, quæritur.] Quid hæc omnia sibi volunt, si nullum habuit Petrus principatum auctoritatis?

Nec minus profectò clarè Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum circa medium: [Super Petrum, inquit, fundatur Ecclesia. Et licet idipsum in alio loco super Apostolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo (quod attinet quidem ad prærogatiuam Apostolatus) super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.] An verò ab Hieronymo, vel amplius aliquid ad æqualitatem in Apostolatu declarandam, vel clarius ad Petri nihilominus præeminentiam in auctoritate regiminis tuendam dici potuit?

Et D. Leo epistola ad Anastasium Tharsensem Episcopum. [Inter beatissimos, inquit, Apostolos in pari honoris consortio fuit quædam discretio potestatis. Et cùm omnium par esset electio (nempe ad Apostolatum) vni tamen datum est, vt cæteris emineret.]

Et Anacletus dist. 21. canon. in nouo: & clarissimè epist. 3. vbi pari etiam consortio honorem, & potestatem Apostolicam reliquos accepisse dicit; perspicuè nihilominus asseuerat, [à Petro post Christum in nouo Testamento, sacerdotalem ordinem cœpisse, & ipsum Apostolos reliquos habuisse pro principe.]

Mitto, quòd auctor alioqui eruditissimus Ioannes à Turrecremata loco superiùs citato contendit, in hoc etiam Apostolos cæteros D. Petro fuisse inferiores, quòd à Christo acceperint Apostolici muneris auctoritatem non nisi per ipsum Petrum. Id quod etiam probat ex Anacleto 67. dist. can porro, qui affirmat Iacobum fratrem Domini fuisse ordinatum Episcopum Hierosolymitanum à Petro, & Ioanne, & altero Iacobo. Sed hæc quidem sententia minus communis est, neque etiam ad Petri, primatum asserendum necessaria. Nam etsi demus, à Christo proximè omnes Apostolos auctoritatem Apostolicam, vt antè docuimus, accepisse: satis nihilominus defensum iam est, quod ad auctoritatem quidem regiminis attinet, fuisse illos ipso Petro inferiores. Ex qua re fiebat, vt in modo quidem exercendi munus illud Apostolicum possent à Petro cum auctoritate dirigi. Quod verò de ordinatione Iacobi dicit Anacletus: id ad solam designationem quamdam loci referri potest.

Denique ad id, quod tertio aduersùs probationem nostram, ex illo Matthæi loco sumptam, obijciunt Sectarij, claues regni cœlorum nec promissas, nec datas Petro esse nisi in persona Ecclesiæ, facilis responsio est. Nam idipsum planè nobis potiùs suffragatur, & istos redarguit. Ideò enim de Petro peculiariter Augustinus scripsit, eum in persona Ecclesiæ claues accepisse, quoniam non vt priuata persona, neque vt qualiscumque alius Ecclesiæ minister, sed vt Ecclesiæ totius præfectus, qui singulariter proinde totam Ecclesiam repræsentauerit, catenusque in vtilitatem Ecclesiæ, eas accepit; vt suprà quoque exposuimus, & diligenter etiam à Caietano in tract. de Rom. Ponrif. institut. cap. 3. & ab Eckio in locis communibus cap. 3. notatum est. Sed satis, vt arbitror, de loco Matth. 16. dictum est, ex quo certè est perspicuum, præcipuam illam in Ecclesia auctoritatem fuisse Petro promissam.

§. 29.

Probatur secundo Petri primatus ex loco Euangelij, Lucæ 22.

SEcundus Euangelij locus, valdè etiam illustris, quo auctores Catholici primatum Petri probare consueuerunt, est apud Lucam cap. 22. vbi Christus contentione exorta inter discipulos, [quis eorum videretur esse maior:] primùm ambitionem eam, atque superbiam, vtpotè sæcularium ferè principum ambitioni similem, refutat, & suo exemplo proposito modum humilitatis præscribit ei, qui maior esset futurus, inquiens: [Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: Vos autem non sic. Sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.] Deinde conuersus ad Petrum, eique imperans vsum illius primariæ auctoritatis in confirmandis in fide fratribus; satis profectò indicauit, eum ipsum Petrum esse, cui antecedentibus verbis modum in supremo dignitatis gradu tenendum proposuerat. Ait enim è vestigio ad ipsum solum: [Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem oraui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus: confirma fratres tuos.]

Ex hoc loco primatum Petri confirmari, facilè animaduertet lector, si quatuor apud se diligenter expendat. I. Primùm enim in illa discipulorum contentione, minimè Christus negauit, aliquem in Ecclesia superiorem reliquis fuisse futurum. Quin potiùs id planè affirmat: [Qui maior, inquit, est in vobis;] quia videlicet iam erat Christo decretum, aliquem præficere, & caput cæterorum facere. Itaque hunc monet, vt in maximo gradu dignitatis post constitutus, non mundanorum principum arrogantiam, sed suam moderationem, atque submissionem imitetur: [Ego enim, inquit, sum inter vos, sicut qui ministrat.]

II. Quis autem ille maior futurus est? Nempè Petrus, pro cuius videlicet fide, vt ad communem aliorum vtilitatem sit firma, orat: quem iubet fratres aliquando, hoc est, accepta post lapsum, & resipiscentiam cura pastorali, confirmare in fide. Quo sanè confirmandi vocabulo, auctoritatem in docendo significari, ex alijs Scripturæ locis intelligi potest. Actor. 15. vers. 41. & cap. 16. vers. 5. & 1. ad Thess. 3. vers. 2. &c.

III. Atque Petrum maiorem reliquis significari hoc loco futurum, non propriè in vitæ sanctimonia, aut virtute, sed in muneris auctoritate; tum ex eo confirmandi præcepto,

cepto, quod illi deinde tanquam maiori datur, tum ex ipsa ratione huius Christi sermonis apparet. Monuit enim, vt is qui maior futurus esset, fieret virtute humilitatis, & submissionis sicut minor. Qua monitione non magnoperè iam eget, qui in maximo virtutis, atque sanctitatis est gradu, adeòque perfectionem humilitatis consecutus est. Sed is demùm ita cum primis admonendus est, qui in alio aliquo genere excellit; nempè potestatis, quæ nimirùm cum importunitatis, atque superbiæ vitio facilè coniungi solet; vt est videre in regibus gentium, quorum voluit Christus eum esse dissimillimum, qui maior inter Apostolos futurus erat.

IV. Nec verò putare in hoc loco possumus sermonem Christo fuisse de potestatis alicuius temporalis principatu, quem moderatè ab aliquo Apostolorum sustineri vellet. Perspicuum enim est de eiusmodi auctoritatis præstantia eum ibi agere, cuius maximè proprius sit vsus confirmare in fide fratres. Quæ auctoritas, spiritualis est. Quanquam nec indignum est, vt qui [spiritualia non seminant, temporalia etiam metant,] 1.Corin.9. vnusquisque quantum opus habet, spectata temporum ratione, & sui cuiusque in Ecclesia gradus.

Sed ipsos etiam sanctos Patres adire operæpretium est, qui etiam ex hoc loco Petri in Ecclesia principatum rectissimè collegerunt. D. Leo serm. 3. de die anniuersario assumpt. suæ (idemque habet serm. 2. de Natali Petri, & Pauli.) [Commune, inquit, erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant; quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere. Et tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur: Tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Cùm itaque, dilectissimi, tantùm nobis videamus præsidium diuinitùs institutum: iustè in ducis nostri meritis, & dignitate lætamur, gratias agentes redemptori nostro, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ principem fecit.]

Et D. Ambrosius in Psalm.43. aliquantò post medium. [Petrus, inquit, Ecclesiæ præponitur. Itaque antè significat Dominus, quid sit illud, quòd postea eum pastorem elegit Dominici gregis. Nam huic dixit: Tu autem conuersus, confirma fratres tuos.] Lucæ 22.

Item Theophylactus in comment. eius loci: [Planus, inquit, huius loci intellectus hic est: Quia te habeo, vt principem discipulorum, postquam negato me fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra, & fundamentum es.]

Tum D. Augustinus quæst. 75. ex nouo Testamento: [Quid ambigitur? inquit, pro Petro rogabat, & pro Iacobo, & Ioanne non rogabat? vt cæteros taceam. Manifestum est, in Petro omnes contineri: Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in præposito populus, aut corripitur, aut laudatur.]

Et tamen vsque adeo miserabilis cæcitas Sectariorum est, vt contra Petri potiùs principatum ex hoc ipso Lucæ loco, quo ille vel maximè stabilitur, argumentum petant. Vrgent enim admodùm inconsideratè illud: [Vos autem non sic:] Si non sic: ergo nemo, inquiunt, debet in Ecclesia cæteris omnibus imperare, id quod faciunt Reges gentium. Quantò rectiùs contrarium isti concluderent, hoc modo: Si non sic, id est, si non eo modo dominari, seu imperare aliquis Apostolorum debuit, sicut dominantur Reges gentium: Ergo debuit quidem aliquis ex Apostolis imperare (de quo inter eos fuit contentio, quis esset) sed alio quodam modo. Quo tandem? Qui, inquit, maior est in vobis, fiat sicut minor. Non dicit: Nullus erit in vobis maior. Nemo imperabit. Nec: Qui maior est, fiat aut sit minor, aut omnino non imperet. Quorsum enim tunc esset maior? Sed: [Fiat, inquit, sicut minor, hoc est, in mansuetudine, sine superbia, sine importunitate imperet. Non igitur summam auctoritatem hìc Christus remouet: sed modum in auctoritate summa requirit, eumque longè diuersum ab eo, quem Reges gentium tenent.

Idipsum confirmamus rursus hoc modo: Qui inter Apostolos maior sit, eum ita vult Christus erga reliquos se gerere, sicut ipse Christus se gessit erga Apostolos. Exemplum enim suum proponit eis, inquiens: [Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.] Sed Christus ita fuit, sicut qui ministrat, vt non ideo tamen potestate caruerit. Igitur nec vult potestate carere eum, quem esse vult vt minorem cùm sit maior, sed modum in vsu potestatis ei præscribit, vt dictum est.

Quid multa? Ipse Apostolus Petrus, quò pertinuerit illud Christi magistri sui præceptum, disertè explicat, cùm iisdem propè verbis id repetens, ac alios etiam Ecclesiæ pastores de eo commonefaciens: [Pascite, inquit, 1. Petr. 5. qui in vobis est gregem: prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.]

§. 30.

Probatur tertio Petri primatus ex loco Euangelij, Ioan.21.

Tertius locus clarissimus est apud Ioannem c.21. Vbi Christus Dominus ascensurus in cœlum, [Vicarium amoris sui erga gregem (vt inquit B. Ambrosius lib. 10. in Lucam cap.24.) D. Petrum relinquens; omnibus eum Apostolis antetulit,] eique summam tandem auctoritatem Ecclesiam suam regendi, toties anteà promissam, attribuit. [Erant, inquit Euangelista, Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo, &c. Et dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus

his?

his? Dicit ei; etiam Domine: tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterùm: Simon Ioannis diligis me? Ait illi, etiam Domine; tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò, Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò; amas me? Et dicit ei; Domine tu omnia scis, & scis, quia amo te. Dicit ei; Pasce oues meas.

Hunc autem in modum ex hoc tam illustri loco, pro Petri principatu in Ecclesia, ratiocinamur. Si Petro singularis aliqua regendi vniuersam Ecclesiam auctoritas à Christo tributa est, qualem cæteri Apostoli non habuerunt; certè Petrus habuit regiminis in Ecclesia principatum. Nam quæ maior in Ecclesia regendi auctoritas sit, quàm ea, quę antecelluit auctoritati alioqui Apostolicæ? At singularis Ecclesiam vniuersam regendi auctoritas, qualem cæteri Apostoli non habuerunt, Petro est à Christo tributa: Habuit hic igitur regiminis in Ecclesia principatum.

Id probatur perspicuè ex circumstantijs eius loci apud Ioannem. I. Simon, inquit, Ioannis diligis me plus his? Cur de præstantiori charitate eum, præ cæteris, tum præsentibus, interrogasset, nisi maioris etiam, atque præstantioris muneris auctoritatem ipsi attribuere voluisset?

II. Pasce agnos meos. Vel vt est Græcè, Rege oues meas. Et denique: Pasce oues meas. Nempè commisit ei curam omnium Ecclesiæ ordinum; vt regeret non modò vulgares, atque imperfectiores fideles, qui quasi agni sunt, & velut paruuli lacte pascendi: sed etiam perfectos, adeòque Past ores ipsos Ecclesiarum, qui velut oues, ac matres sunt cæterorum: Sic enim D. Ambrosius lib. 10. in Lucam cap. 24. hanc Christi sermonis varietatem in hoc loco interpretatur: [Tertiò, inquit, Dominus interrogauit. Et iam non agnos lacte pascendos, vt primò, neque ouiculas, vt secundò, sed oues pascere iubetur, perfectiores, vt perfectior gubernaret.]

III. Neque inter has, aut illas oues distinxit: Sed absolutè: Pasce, inquit, oues meas. Quo ipso apertè significauit, alienum fore à suo ouili, quicumque Petrum pastorem non agnosceret; vt scitè, atque elegantèr concludit D. Bernardus lib. 2. de consideral. ad Eugenium, paulò post medium. Quam ob rem nec Apostolos quidem à Petri cura excmit. Nisi fortè non etiam illi fuerunt Christi oues.

IV. Denique vis verbi, pasce, consideranda est. Quod vsum auctoritatis salutarem in subditos, in regendo, & docendo, secundùm Scripturæ sacræ consuetudinem, significare, dubium nullum est, 2. Reg. 5. Ezechiel. 34. &c. quiquid Caluinus lib. 4. instit. cap 7. contra obganniuerit. Quare Ioannes in recitanda ea Christi sententia, tali verbo Græco (*poimainein*] vsus est, quod & pascere, & regere significat, vt à sanctissimo Roffensi artic. 25. contra Lutherum, & alijs ex Scriptura etiam sacra passim, est notatum psal. 2. & 79. act. 10. Matth. 2. &c. Nec aliter Augustinus tract. 123. in Ioannem sub finem, Chrysostomus lib. 2. de sacerdotio, in initio, & alij Patres eius verbi significationem hoc in loco intellexerunt.

Sed quemadmodum hic Christus auctoritatem in Ecclesia primariam Petro attribuerit, quam anteà tot modis eidem erat pollicitus, præstat vt Lector ex ipsis verbis Sanctorum Patrum, quàm ex nostris intelligat. Chrysostomus homil. vlt. in Ioannem: [Cæteris, inquit, omissis solùm Petrum alloquitur, curam ei committens fratrum suorum, Et rursus lib. 2. de sacerdotio, initio: Interrogat, inquit, discipulum magister, num ab eo ametur? Non quò id ipse edoceatur; verùm vt nos doceat, quantæ curæ sibi sit gregis huius præfectura. Item ibidem paulò post: Illum, inquit, auctoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longè præcellere. Petre enim, ait, amas me plus, quàm hi omnes? Ac rursus hom. 1. de pœnit. Ecclesiæ, inquit, primatus, gubernatioque per vniuersum mundum ei à Christo concreditus est.]

Ambrosius libro 10. in Lucam cap. 24. [Interrogabat, inquit, Dominus, non vt disceret, sed vt doceret, quem eleuandus in cęlum amoris sui velut vicarium nobis relinquebat. Sic enim habes: Simon Ioannis diligis me? &c. Petrus testificatur affectum, & ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur. Et paulò post: Oues pascere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret.]

Cyprianus in lib. de vnitate Ecclesiæ sub initium: [Petro, inquit, post resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas, super illum vnum ædificat Ecclesiam suam (en, sententia Cypriani, quando Christus impleuerit promissionem illam: super hanc petram, &c.) [& illi pascendas mandat oues.]

Et Origenes in caput 6. ad Romanos: [Cum Petro, inquit, summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum velut terram, fundaretur Ecclesia (en etiam, quando impleta promissio) nullius confessio virtutis alterius, nisi charitatis ab eo exigitur.]

Theophylactus in locum illum Ioan. 21. [Petro, inquit, non alij præfecturam ouium per vniuersum mundum tribuit.]

Gregorius lib. 4. Registri epist. 32. [Totius, inquit, Ecclesiæ curam Petro dominica voce commissam esse, cunctis scientibus Euangelium liquet.]

Item Arnobius in psalm. 138. Petrum Episcopum Episcoporum esse inde ostendit, quod [nullus, inquit, Apostolorum nomen pastoris accepit (intellige, ita singulariter, & ab ipso Christo) solus enim Dominus dicebat: Ego sum Pastor bonus. Hoc nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit, & ter negatus, negatori suo hanc, quam solus habuit tribuit potestatem.]

Nec multò aliter hoc idem expressit Diuus Augustinus tract. 123. in Ioannem, vbi ita eleganter scripsit: [Sit amoris officium pascere dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem.] Quibus verbis, quis maximè sit sensus illius loci literalis, quòd toties tamque accuratè de singulari amore Petrus examinatus fuerit, Augustinus significauit. Nempe vt intelligeretur, quantopere charitas in subditos, & eorum Dominum, in Præposito necessaria sit.

Quod ipsum Chrysostomus significare vo-

voluit, vbi suprà lib. 2. de sacerdotio, cùm dixit Dominum interrogasse, [vt nos doceret, quantæ curæ sibi sit gregis huius præfectura. Et hom. 87. in Ioannem: Ter, inquit, interrogat, & semper idem præcipit, inquiens: Pasce, vt demonstret, quanti ouium suarum curam faciat.]

Neque tamen idcirco id improbamus, quod Augustinus in illo ipso tract. 123. in Ioannem etiam de hoc loco ita commentatus est: [Redditur, inquit, negationi trinæ trina confessio, ne minùs amori lingua seruiat, quam timori: & plus vocis licuisse videatur mors imminens, quàm præsens.]

Quod & Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 64. notat in eumdem locum, simul ibi Petrum appellans, [& principem, & caput cæterorum Apostolorum.]

Neque tamen illa Augustini interpretatio (de trina interrogatione ob præteritam trinam negationem) impedit quo minùs maximè etiam propter præfecturam gregis Petro committendam, ita sæpè illum Christum interrogauerit, vt Chrysostomus, & alij Patres locis antè citatis exponunt.

Sed aliud est, inquit Caluinus lib. 4. instit. cap. 7. pasce oues meas, quàm habens auctoritatem in eas omnes. Accedit, quod non dicit, omnes. Et ipse Petrus alijs Episcopis, inquit: [Pascite, qui in vobis est, gregem,] 1. Petr. 5. Tamquam habeant omnes ex æquo curam Dominici gregis sibi commissam. Atque hæc ferè sunt, quæ aduersùs pondus tanti, tamque illustris testimonij, quo Petri principatum confirmant Catholici, leuissimè obijciunt Sectarij.

Quibus Respondemus, & vsum alioqui sacræ Scripturæ, & huius loci circumstantias, & collationem eius cum locis alijs, in quibus antè summa auctoritas Petro promissa est; & (quod magni momenti apud nos esse debet) consentientem interpretationem sanctorum Patrum, satis superque comprobare, pascendi vocabulo in eo loco, metaphoricè significari etiam regendi auctoritate. Significat enim ea vox officium, eiusmodi erga oues Christi, quo bene, atque conuenienter illæ possint, & in spirituali vita sustentari, & omnino ad illa, vsque pascua vberrima vitæ sempiternæ dirigi, atque deduci. Hoc autem, si spectemus hominum naturæ conditionem, sufficienter præstari nequit, sine auctoritate etiam, atque vi præcipiendi, adeòque obligandi ipsas oues ad eum doctrinæ, & religionis quasi pastum sumendum, qui iudicetur salutaris à pastore. Quare, in quo Ecclesiæ præposito Christus significauit esse plenam auctoritatem pascendi, in eodem auctoritatem, quoque spiritualiter esse regendi intelligere debemus, vt auctoritate Scripturæ, & sanctorum Patrum, & ipsa illius loci ratione satis hactenus demonstratum est.

Nec nobis illud quidquam obstat, quod aduersarij obijciunt, Christum non dixisse: Oues omnes. Etenim loci circumstantiæ iam commemoratæ, & sententia communis Patrum cogit (nisi velimus esse impudentes) intelligere omnes. Obsecro enim, quænam, & quot, & quales oues intelligendæ ibi sunt, si non oportet omnes intelligi? Certè Christus non distinxit inter has, & illas, sed absolutè: [Pasce, inquit, oues meas.] Vnde sic sanè (præter ea, quæ priùs à nobis allata sunt) licet ratiocinari.

Dubium nullum est, quin Christus ita diligenter commendans Petro oues suas, voluerit ab eo satis intelligi, de quibus ouibus loqueretur. At nisi de omnibus, quæcumque essent suæ, sit locutus: non satis potuit Petrus, de quibusnam diceret, intelligere. Confirendum est igitur, illum de ouibus suis omnibus in eo loco locutum esse. Non enim de ijs, aut illis determinatè locutus est; nec verò de nullis; nec, si indeterminatè, & confusè de aliquibus locutus esset, satis illæ à Petro potuissent distinctè cognosci. Quod rectè etiam ante nos doctissimus Caietanus in eruditissimo suo tractatu de Romani Pontificis institutione cap. 10. conclusit.

Iam verò Petrus Episcopos item alios, vt gregem pascerent, admonuit, non quia par illis esset commissa cura totius Christi gregis in vniuerso Orbe pascendi: sed quia illi etiam certè, sub Petro, pascere oues Christi debuerunt, & hodie debent: vnusquisque in assignato sibi loco. Itaque nec dicit Petrus absolutè, [Pascite gregem,] sicut ipsi à Christo generatim, atque absolutè dictum est; [Pasce, oues meas.] Sed: Pascite, inquit, qui in vobis est gregem;] id est, vnusquisque illum, quem fidei, atque curæ suæ habet commendatum. Vt si Rex ad Consules diceret: Regite prudenter commissas vobis ciuitates; numquid propterea significaret, auctoritate regendi esse consules sibi ipsi pares?

§. 31.

Alia quædam Euangelij testimonia, ex quibus itidem D. Petri primatus confirmatur quarto.

Atque hæc quidem testimonia, quæ pro Petri primatu hactenus ex Euangelio proposuimus, potissima sunt, quibus etiam sancti Patres ad eam rem maximè sunt vsi. Sed illis tamen ita positis, atque confirmatis, non minimi ponderis ad eam assertionem stabiliendam alia quædam Euangelij testimonia videri debent, quæ solent huc etiam auctores Catholici non immeritò referre. Huius generis est, quòd Christus Dominus soli Petro Matt. 17. nominatim iussit, vt pro se, & pro illo ijs, qui tributum exigebant, solueret staterem, id est, duo didrachma, vt exponit eo loco D. Hieronymus. Qua re primatum Petri significari Christum voluisse Patres non absurdè intellexerunt. Genus enim illud tributi, quidam erat census capitis, id est, vel patris familias, vel certè primogeniti, ac præcipui in familia post ipsum, vt D. Chrysostomus homil. 59. in Matthæum initiò interpretatur. Qui, & propterea inquit; [Cùm primogenitus esset Christus; Petrus quoque discipulorum primus esse videretur, ipsum adeunt, &c.] Ac post aliqua: [Hunc locum, inquit, Marcus, qui discipulus Petri fuit, ideo non scripsisse videtur, quoniam ingens hinc honor magistro deferebatur.] Item paulò post; [In illa hora, inquit, Petrum omnibus discipulis prætulit.]

Item Augustinus quæst. 75. ex nouo Testa-

stamento; [Saluator, cùm pro se, & Petro dari iuber, pro omnibus exsoluisse videtur. Quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici.]

Hinc factum est, vt occasione huius honoris Petri, in illa ipsa hora, sicut Euangelista narrat, discipuli adirent Iesum dicentes; quis putas maior est in regno cęlorum? Quia viderant, inquit Hieronymus in commentarijs eius loci [pro Petro, & Domino idem tributum redditum, arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse Prælatum.] Item Chrysostomus homil. 59. in Matth. [Veriti, inquit, turbationem profiteri suam, non apertè quare Petrum ipsis præponeret, sed confusè; Quis ergo maior est, interrogarunt?] Et rursum ibidem; [Cùm ad vnum, inquit, delatus honor est, tunc nimirum doluerunt, Quanquam non ex hac re solùm, sed ex alijs multis inflammati fuerunt: Tùm quia dixit illi: Dabo tibi claues regni cęlorum: Tùm quia: Beatus es tu Simon, &c. Tùm etiam hic: Da illis pro me, & pro te.] Eodem ferè modo loquitur in illum locum Origenes tract. 5. in Matth.

Huc addunt etiam Doctores Catholici, quòd Matthæus cap. 10. cùm Apostolorum nomina recensere constitueret [Nomina, inquit, Apostolorum hæc sunt: Primus Simeon, &c. Vbi apparet, illum ad ordinem dignitatis respexisse, non ad ordinem temporis, quo essent Apostoli à Christo vocati. Ita enim Andream primùm dicere debuisset: quem primum vocatum esse constat. Quare Ambrosius, in 2. Corinth. cap. 12. [Prior, inquit, secutus est Andreas Saluatorem quàm Petrus, & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus.] Et animaduertatur contra Sectariorum cauillationes, Doctores Catholicos non inde argumentari, quòd Matthæus primò nominauerit Petrum, sed quod disertè dixerit: Primus Simon, &c.

Nec obscurè idem Petri primatus significatur etiam illius generis locis, quibus perhibetur ipse nomine omnium Apostolorum vel interrogasse Christum, vel eidem respondisse, vel ab eo, de necessaria doctrina pro omnibus peculiariter fuisse instructus. [Per vnum (inquit D. Cyrillus lib. 4. in Ioannem cap. 28.) qui præerat, omnes respondent. Sanctam profecto disciplinam optimè conseruantes, & posterioribus prudentiæ, atque modestiæ relinquentes exempla. Decet enim non omnes confusè prosilire, sed credere ijs, qui & consilio, & ordine præpositi sunt.] Hæc Cyrillus in eum locum, vbi Christo interroganti, Ioan. 6. [Numquid, vos vultis abire?] Respondit Petrus: [Domine quò ibimus? Verba vitæ æternæ habes.]

Accedit, quòd vbi in historia sacramentio Collegij Apostolici facienda fuit, passim videas nominari solùm Petrum, cæteris non nominatim expressis, planè tamquam ipsorum caput. [Prosecutus est eum (inquit Marcus cap. 1. Petrus, & qui cum eo erant.] Item Lucas cap. 8. [Dixit Petrus, & qui cum illo erant.] Et rursus Act. 2. [Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, &c.] Nonne modus ipse narrationis indicat ex omnibus Petrum fuisse præcipuum, cui reliqui, tamquam præposito suo adhærerent?

Hoc ipsum, & ea re significatum est, quod ad illum primò Christus lauaturus omnium pedes accedit, Ioan. 13. quòd illi nominatim suam resurrectionem nunciari voluit, Marci 16. &c.

Atque inter cætera eiusdem generis indicia, quæ ex Euanglio pro primatu Petri, diligenter etiam à Ioanne Turrecremata lib. 2. de summa Ecclesia cap. 5. & 15. collecta sunt: illud mihi videtur à D. Bernardo lib. 2. de consider. ad Eugenium post medium, pulchrè notatum esse, quod apud Ioannem cap. 21. legimus, Petrum se meri commisisse, vt ad Christum littore consistentem perueniret, cæteris discipulis nauigio venientibus. [Quid istud est?] ait Bernardus: [Nempè signum singularis Pontificis in Petro, per quem non vnam Ecclesiam, vt cæteri quique suam, sed seculum ipsum gubernandum susceperat. Mare enim seculum est: naues, Ecclesiæ. Hinc est, inquit, quòd altera vice, Matth. 14. instar Domini gradiens super aquas, vnicum se Christi Vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidem aquæ multæ populi sunt multi,] Apocal. 17.

§. 32.

Probatur quinto, D. Petri primatus ex rebus ab eo gestis.

PRæterea colligitur Petri primatus ab Orthodoxis ex rebus ab eo gestis, quæ in actis præsertim Apostolicis commemorantur. Ille enim post Christi resurrectionem Actor. 2. publicè ad multitudinem ex omni natione congregatam primus concionem habuit, adeòque [in nationibus (inquit Ambrosius serm. 47. de fide Petri) fidei fundamenta posuit.] Ille omnium primus in curatione claudi mirabiliter fidem confirmat. Act. 3. [Si enim Petrus petra est (inquit Ambrosius serm. 68.) super quam ædificatur Ecclesia; rectè primus pedes sanat, vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet.] Ille exurgens in medio fratrum, Actor. 1. statuit aliquem in locum Iudæ fuisse eligendum. Qua de re Chrysostomus homil. 3. in Acta: [Vide, inquit, feruorem. Quàm agnoscit sibi creditum à Christo gregem? Quàm in choro princeps est, & vbique primus omnium incipit loqui? Ad hunc enim inquit Christus: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos:] Ille præ cæteris Anania, & Saphira condemnandis auctoritate vsus est. Act. 5. Ille, Simonem Magum, hæreticorum primum, ex Ecclesia eiecit, deinde Romæ palam reuicit, vt plerique veteres testes sunt. Ambrosius serm. 66. Hieronymus in Catalog. scriptorum Ecclesiast. vbi agit de D. Petro. Maximus hom. 5. de natali Petri, & Pauli. Egesippus lib. 3. cap. 2. de excidio Hierosl. & alij plures apud D. Augustinum epist. 86. Ille mota controuersia de obseruatione legalium, primus in Apostolico Concilio loquitur, Act. 15. remque definit tanquam [princeps decreti,] vt affirmat Hieronymus in epistola quadam ad Augusti-

gustinum, quæ est 11. inter epistolas Augustini. [Vos enim scitis,] inquit in eodem Concilio Petrus, [quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis per os meum (nempè singulari cum auctoritate) elegit audire gentes verbum Euangelij, & credere.] Vnde, & ipsi omnium primò visione cælesti monstratum est gentes etiam in Ecclesiam Christi debere recipi, Actor. 10.

In summa, vbique, inquit Chrysostomus homil. 21. in Acta, [Petrus primus inuenitur. Quando eligendus Apostolus, hic primus. Quando loquendum Iudæis, non esse Apostolos ebrios, quando curandus claudus, quando concionandum, quando agendum contra principes; quando contra Ananiam, quando ab vmbra sanationes fiebant, hic erat. Et vbi quidem erat periculum, hic; & vbi moderatio. Vbi autem tranquillitate res erant plenæ, communiter omnes; Sic non exigit honorem maiorem.]

Atque, vt hic Chrysostomus Petrum à facilitate, & submissione commendat, quòd vbi opus auctoritate non fuit, cæteris Apostolis minimè se antetulit: ita vicissim reliquis Apostolis laudi dat, quòd sine controuersia, Petrum post Christi resurrectionem, superiorem suum in omnibus illis actis, de quibus iam dictum est, agnouerunt. Considera, inquit homil. in Acta, [quo pacto concedunt ei solùm (cùm de successore Iudæ eligendo ageret) nec ampliùs ambigunt, disceptantes inter se, quis futurus esset eorum maior?] Et clarissimè homil. 51. in Matthæum: [Nondum, inquit, gratia Spiritus sancti corroborati, facilè mouebantur; gratia verò accepta non tales nempè fuerunt, sed vbique primatum Petro præbent, & in concionibus eum anteponunt, quamuis cæteris rudior videretur.] Tractat hoc argumentum à Petri rebus gestis eruditè inter cæteros Roffensis, articulo 25. aduersùs Lutherum.

Verùm hic Lutherus, & Caluinus, & sectarij reliqui clarissimæ luci tenebras offundere nituntur. Obijciunt etiam impudenter, Petrum nequaquam exercuisse aliquando eiusmodi in Ecclesia primatum. I. Non enim constat, inquiunt, eum in reliquos Apostolos auctoritate esse vsum. II. Quin imò ipse cum Ioanne missus est ab illis in Samariam, Actor. 8. III. Deinde cùm electio Mathiæ, Acta. 1. & septem Diaconorum, Actor. 6. facienda fuit, non à Petro est facta, sed ab omnibus æquè Apostolis iactæ sunt sortes. IV. Nec solus etiam controuersiam de religione definiuit, sed in Concilio res decernitur. Vbi, & Iacobus quidem cum auctoritate dicit Actor. 15. [Ego iudico, &c.] V. Sed & D. Paulus disertè ad Galat. 2. ait: [Mihi autem, qui videbantur esse aliquandò (loquitur de Petro, Iacobo, & Ioanne) contulerunt. Sed contrà, cùm cognouissent, quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est, & mihi inter gentes) & cùm cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes: qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis: vt nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem.] VI. Accedit quo Paulus etiam in faciem Petrum reprehendit.

Ad hæc omnia ordine sic respondeo. Ad I. Aliud est, Petrum non habuisse auctoritatem in reliquos Apostolos: Aliud; propter eam modestiam, atque submissionem, quæ ipsi à Christo Lucæ 22. commendata fuit, eiusmodi auctoritate in illos non fuisse vsum. Illud primum omnino falsum est; Hoc vltimum, absque incommodo dari potest. Atque id tantùm ea ferè probare possunt, quæ sunt obiecta. Nam cùm reliqui Apostoli ipsi per se quàm decentissimè omnia facerent, quid opus habuerunt Petri imperio? rectissimè enim D. Gregorius lib. 7. Registri epist. 64. [Si qua, inquit, culpa in Episcopis reperitur; nescio quis Episcopus Sedi Apostolicæ subiectus non sit: Cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt.] Huius igitur moderationis seruandæ exemplum suis Petrus successoribus præbuit.

Ad II. Quòd ab alijs Apostolis, vt Samaritanis manus imponeret, cùm Ioanne missus fuerit; id verò nihil obstat. Sæpè enim, qui præcipui sunt de collegio, mittuntur. Nam & filij Israel miserunt ad filios Ruben, Phinees, filium, Eleazari sacerdotis, [& decem principes cum eo.] Iosuæ 22. Fuit autem Phinees [Dux eorum coram Domino,] vt historia sacra testatur, 1. Paral. 9. Ac sanè si mittendi vocabulum, nimis hoc loco premere velint Sectarij, non modò Petrum superiorem cæteris non fuisse, concludere debebunt, sed ne parem quidem: quod illi tamen contendunt. Etenim vulgò, & communiter, vt inferior non mittit superiorem, ita neque æqualis æqualem. Peculiari autem modo missionis, videlicet rogatu potius, & conuentione, quàm imperio; constat & pares, & superiores etiam, quandoque solere mitti, præsertim à toto aliquo collegio, sicut tunc Petrus, & Ioannes missi fuerunt.

Ad III. Quod ad electionem Matthiæ, & Diaconorum attinet; respondit pro nobis luculenter D. Chrysostomus, homil. 3. in Acta. [Quid? inquit, An non licebat ipsi Petro eligere? Licebat ei quidem maximè. Verùm id non facit, ne cui videretur gratificari.] Non igitur, quia non potuit, sed quia expedire non putauit, ipse non elegit. Et tamen in eo ipso genere satis ea re primatum suum ostendit, quòd de electione facienda reliquos ipse cum auctoritate admonuit; vt Chrysostomum etiam annotauisse suprà intelleximus. [Oportet enim, inquit Act. 1. ex his viris, qui nobiscum sunt, vnum eligere, &c.]

Ad IV. de congregato Concilio Apostolico, ob controuersiam de obseruatione Legalium, sentiendum est. Quid enim auctoritati suæ Petrus derogauit, quòd ex aliorum etiam consensu rem decerni voluerit? Nec verò in ea ipsa re auctoritas Petri non eminuit. Ipse enim primus sententiam pronunciauit, [quo etiam loquente, tacuit omnis moltitudo,] cæterique deinde illius sententiam sunt sequuti. Nam quod Iacobus dixit: Ego iudico; quid obstat? Nempe iudicauit idem quod caput cæterorum Petrus. Et expediebat, vt de Iacobi sententia iudicioque constaret, quia Hierosolymis quæstio mota fuit,

vbi

vbi ille (inquit Chryſoſtomus homil. 33. in Acta) Epiſcopus erat, & vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtaret omne verbum.

Ad V. Iam verò D. Paulus ſignificat quidem Apoſtolatus dignitate parem ſe Petro, & reliquis Apoſtolis fuiſſe: Quod minimè ſanè impedit, quominus, vt ipſe etiam ouis Chriſti erat, Petro inferior fuerit; quemadmodum hoc idem communiter de cæteris Apoſtolis ex Patrum ſententia ſuperiùs §. 37. à nobis expoſitum, atque defenſum eſt. Itaque Diuus Gregorius homil. 18. in Ezechiel. Paulum cum Petro comparans, minorem fratrem eum appellat: Itemque diuus Auguſtinus libro 2. de baptiſm. contra Donatiſtas cap. 1. poſteriorem Petro. Quin, & Paulus ipſe hunc primatus honorem D. Petro non obſcurè detulit. Quorſum enim poſt annos tres prædicationis ſuæ (vt in eadem epiſtola ad Galat. 1. legimus) venit Hieroſolymam videre Petrum? Nempè, inquit Chryſoſtomus homil. 87. in Ioannem; [quia os Apoſtolorum Petrus erat princeps, & vertex ipſius cœtus: propterea Paulus aſcendit eum videre præ alijs.] Et Ambroſius in caput 1. ad Galatás; vel quiſquis fuit ille verus auctor; Dignum, inquit, erat, vt vellet videre Petrum, cui delegauerat Dominus curam Eccleſiarum. Et D. Hieronymus in commentarijs illius loci: [Iuit, inquit, non diſcendi ſtudio, ſed honoris priori Apoſtolo deferendi.] Item Tertullianus in libro præſcript. circa medium: [Aſcendit, inquit, Hieroſolymam, Petri cognoſcendi cauſa ex officio, & iure; ſcilicet eiuſdem fidei, & prædicationis.] Et Theodoretus in illum locum ad Galat. 1. [Principi, inquit, Apoſtolorum, quem par erat, honorem tribuit.]

Quod verò ibidem Paulus dicit, nihil ſibi à Petro, & ab alijs collatum eſſe; ſignificat quidem, nihil ſe ab illis didiciſſe, quod pertineret ad fidem: vt qui erat ab ipſo Chriſto ſatis in eo genere eruditus, quemadmodum ipſe initio etiam eiuſdem epiſtolæ declarat. Quamquam approbationem quidem Euangelij ſui petijt à Petro, vt à principe, & ab alijs, qui videbantur (vt inquit) aliquid eſſe, hoc eſt, ab Eccleſiæ auctoritate, cui Petrus præſidebat; Adeo vt neget apertè diuus Auguſtinus lib. 28. contra Fauſtum capit. 4. fideles fuiſſe ei Euangelio, quod Paulus prædicauit, credituros, niſi cum illis Apoſtolis contuliſſet. Quod idem affirmant D. Hieronymus epiſtola ad Auguſtinum, num. 11. inter Auguſtini epiſtolas, & Tertullianus lib. 4. contra Marcion. paulò poſt medium. Atque id clariſſimè ſignificant illa eiuſdem Apoſtoli verba ad Galat. 2. [Contuli, inquit, cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus, ſeorſum autem ijs, qui videbantur aliquid eſſe nè fortè in vacuum currerem, aut cucurriſſem.] Iam verò quòd dexteram ei ſocietatis dederunt, aliud nihil quàm æqualitatem in Apoſtolatu ſignificat: quę non pugnat cum D. Petri principatu, quatenus illius curę ſingulariter ipſa fidei fundamenta (vt inquit Nazianzenus, oratione de moderatione in diſputatione habenda) commiſſa ſunt, hoc eſt, ipſi etiam Apoſtoli, vt auctoritate Scripturę, & Patrum ſuprà confirmatum eſt, §. 26.

Nec quod ait illic Paulus [ſibi in gentibus, Petro autem in circumciſione Euangelium commendatum fuiſſe,] ita intelligi debet, quaſi nec Petro licuerit Gentibus, nec Paulo Iudæis prædicare Euangelium. Contrarium enim conſtat ex Actis, cap. 10. Vbi legimus, viſo linteo cælitus monſtrato; in quo eſſent omnia reptilia, & quadrupedia terræ, Petrum cognouiſſe, ad ſe pertinere, vt gentes etiam ad Eccleſiam aggregaret. Quare, & poſtea quoque diſertis verbis pronunciat Actor. 15. Deum elegiſſe ſe, vt ad eius prædicationem gentes crederent Euangelio. Ac de D. Paulo viciſſim ſcriptum eſt; quòd [ingreſſus in Synagogas prædicabat Ieſum, affirmans, quoniam hic eſt Chriſtus, & confundebat Iudæos.] Actor. 9. Eſt igitur illa diſtributio præputij, & circumciſionis inter Petrum, & Paulum facta per accommodationem tantùm quamdam: vt illo videlicet tempore (quoniam ita expedire videretur) Paulus Gentibus, Petrus Iudæis ſingulari cura nunciaret Euangelium, quemadmodum rectè exponit Ioannes à Turrecremata lib. 2. de Eccleſia capit. 13. Neque verò qualiſcumque hæc diſtributio præputij, & circumciſionis quidquam obſtitit, quo minus, & in præputio, & in circumciſione; hoc eſt, Iudæis, & Gentibus ſingulari Petrus auctoritate eminuerit, vt ſuprà probatum eſt.

Ad VI. Quòd Paulus Petrum reprehendit (ſi maximè illud ab eo ſit factum non ſimulatè) vt Hieronymus contendit epiſtola ad Auguſtinum 11. inter Auguſtini epiſtolas (ſed ex animo, vt vult Auguſtinus epiſt. 19. ad Hieronymum, argumento eſſe non debet, Paulum, vel parem, vel ſuperiorem auctoritate Petro fuiſſe. Quando enim ita res poſtulat (præſertim publica) fas etiam eſt inferioribus ſuperiorum peccata debito cum modo redarguere, vt à D. Gregorio luculenter eſt explicatum. Vide 2. qu. 7. can. Si quis, & can. Lator.

§. 33.

Probatur Sexto, D. Petri primatus, peculiari quadam, eaque firmiſſima, argumentandi forma, ex præcipuis, qui ea de re exſtant, Euangelij locis.

ET hactenus ſanè illuſtria teſtimonia pro Petri primatu à nobis allata, & confirmata, & ab Aduerſariorum cauillationibus defenſa ſunt. Sed vt clariùs adhuc ipſorum pertinacia, quòd tanta mole teſtimonium non moueantur, ante omnium oculos conſtituatur; Probemus rurſus hanc primatus aſſertionem ijſdem ex teſtimonijs hoc modo.

Si poſteaquam Chriſtus, & Petro, & reliquis omnibus Apoſtolis auctoritatem Apoſtolici muneris communiter attribuit, inquiens: [Ite, ego mitto vos: quorum remiſeritis peccata, &c.] Ioann. 20. Et: [Prædicate Euangelium, &c.] Marci 16. nihilominus ſingulariter Petro eum ita dixiſſe legeremus. [Petre, non ædificabo ſuper te Eccleſiam meam: Non tibi dabo claues regni cælorum. Non quodcumque tu ſolueris, aut ligaueris ſuper terram, erit ſolutum, aut ligatum in cælis: Non confirmes tu in fide fratres tuos. Non paſcas tu oues meas. Item pe-

Petrus non est primus Apostolorum: &c.] Si, inquam, hæc in Euangelij historia sic legeremus: obsecro, quis ex Sectatijs dubitaret: quin in eiusmodi enunciationibus negatiuis ædificatio Ecclesiæ super Petrum, claues regnum cęlorum, cura singularis pascendi, oues, auctoritas fratres in fide confirmandi; primatus, & similia vocabula potestatem in Ecclesia post Christum summam significarent? An clariora (dicerent) testimonia contra Petri primatum requirimus? En, verbum habemus ipsius Christi manifestum. [Non ædificabo ò petre super te Ecclesiam meam. Non tibi claues regni cœlorum dabo. Non pascas tu oues meas. Non confirmes tu in fide tuos fratres, &c.] Quid vos Papistæ? An non videtis hic à Christo disertis verbis negari primatum? Quid enim aliud claues regni cælorum? Quid Ecclesiæ fundamentum? Quid cura singularis oues pascendi, & confirmandi fratres, nisi primatum in Ecclesia significat? Et tamen hæc omnia, dicerent, Christus negat Petro, &c. Equidem minimè dubito, quin pluribus etiam verbis, si quæ talia testimonia ex Euangelio recitare possent, nobis isti insultarent, vt qui nec iam verentur, nullis, ne probabilibus quidem, testimonijs aut argumentis freti, iactare, eius primatus assertionem, & commentitiam, & cum Euangelio pugnantem esse. Nunc igitur ita concludo: Quod in enunciationibus illis negatiuis, Non super te, ò petre, ædificabo Ecclesiam meam, Non tibi dabo claues regni cœlorum. Non es tu primus Apostolorum, &c. vocabula illa: Fundamentum ædificationis Ecclesiæ; claues regni cœlorum; munus pascendi, & confirmandi: primatus, &c. Significarent, hoc idem significant in contradicentibus enunciationibus affirmatiuis, quæ iam exstant in Euangelij historia: Nempe in his Matth. 16. Super te ædificabo Ecclesiam meam: Tibi dabo claues regni cælorum. Lucæ 22. Confirma fratres tuos Ioann. 21. Pasce oues meas. Matth. 10. Primus Apostolorum Petrus, &c. (Eadem enim ipsa vocabula in his affirmatiuis enunciationibus vsurpantur) Sed in illis enunciationibus negatiuis ea vocabula significarent primariam aliquam, ac summam in Ecclesia auctoritatem post Christum, quę Petro negaretur, vt iam ex ipsa etiam mente, & sensu tacito Aduersariorum ostensum est, Igitur hanc eamdem primariam auctoritatem, quæ Petro sit tributa, significant illa vocabula in ijs enunciationibus affirmatiuis, quas in Euangelio iam legimus: & vi consequentis efficitur, optimè primatum Petri testimonijs illis ex Euangelio productis confirmari.

Hic nisi, vel conscientia reclamante, vel præcipitante inscitia, & incogitantia, nihil ab aduersarijs responderi posse, certissimus sanè sum. Nam quid dicant? An non idem illa vocabula in enunciationibus affirmatiuis significare, quod significarent in negatiuis? At cùm propositiones contradicentes, hoc est affirmatiuæ, & negatiuæ, ijsdem terminis formentur: quis tam omnis artis atque etiam rationis expers est, vt non intelligat, eosdem terminos, siue vocabula eamdem significationem vtrobique retinere? Quid igitur? Num contendent in negatiuis illis: Non ædificabo super te, ò petre, Ecclesiam meam, &c. vocabulis illis fuisse Christum significaturum non propriè aliquem auctoritatis principatum, sed ipsam omninò auctoritatem Apostolici muneris, quam solam proinde etiam in affirmatiuis nunc significarit? At excludit prorsus hanc responsionem nostri argumenti hypothesis; quæ cùm nihil contineat repugnans; & explicationis tantùm gratia à nobis sumatur; reijci certè, nec debet, nec potest. Posuimus enim Christum, posteaquam, & Petro, & reliquis Apostolis communiter auctoritatem Apostolici muneris alijs verbis concessisset, nihilominus singulatiter Petro dicere: Non super te, ò petre, ædificabo Ecclesiam meam: Non tu cofirmes fratres tuos, &c. Itaque principatum propriè aliquem auctoritatis Apostolicæ eiusmodi verbis Christus significasset; Petroque negauisset: Non autem Communem Apostolatus auctoritatem, quam alias concessisset eidem, vt ponimus. Quandoquidem igitur Christus vtitur ijsdem illis vocabulis in affirmatiuis enuncintionibus contradicentibus, quæ in Euangelio exstant, profectò eumdem à Christo auctoritatis principatum inibi significari, Petroque attribui, confitendum est.

§. 34.

Probatur etiam septimo, D. Petri primatus ratione.

SVppetit etiam Catholicis ad eamdem confirmandam assertionem, præter testimonia, ratio, quæ partim ex Scriptura, partim ex ipsa natura Ecclesiæ, & diuina prouidentia erga illam duci potest hoc modo: Si Christus voluit Ecclesiæ regimen esse monarchicum, quod ab vno videlicet penderet, in quo principatus auctoritatis post Christum esset, necesse est fateri, D. Petrum esse, quem huic rei præfecerit. Nam quem, obsecro, potiùs existimare possumus? cùm tantùm non expressis verbis legamus in Euangelio Christum dicentem: Volo, vt Petrus summa post me auctoritate in Ecclesia polleat, vt ex allatis suprà testimonijs apparet: Atqui Christus Ecclesiæ suæ regimen monarchicum esse voluit: Petrum igitur illi præfecit. Id confirmamus. Nam constat Christum conuenientissimo atque optimo modo voluisse prouidere, vt Ecclesia, quæ varia atque multiplici conditione hominum continetur, vna esset vnitate doctrinæ, charitatis, pacis, &c. vt suprà §. 16. demonstratum est, cùm de eiusmodi Ecclesiæ proprietate, quæ est vnitas, inter cætera ageremus. Nec enim fuisset alioqui Christus Dominus vtilitatum Ecclesiæ sponsæ suæ satis prouidus. Siquidem experientia cognitum est, perniciem ac pestem communitatum omnium esse dissidia: contrà verò optimum illarum esse statum, cùm est omnium partium consensio stabilis atque firma pax. Est autem eius vnitatis in Ecclesia conseruandæ modus sanè optimus, si omnes pendeant ex vnius auctoritate in terris post Christum suprema.

Quod dupliciter probamus. Primo ab ipsa ratione vnitatis. Nam quod potest accommodatiùs esse quasi principium, & causa vnita-

vnitatis, quàm vnitas? Etenim contrà videmus, omnia dissidia, & quascumque controuersias in communitatibus non nisi ex aliqua tandem diuersitate proficisci, vel opinionum vel voluntatum. Deinde idipsum intelligi debet ex ijs omnibus rebus, quas videmus ab auctore ipso mundi Deo, quàm optimè factas atque constitutas esse. Quæcumque est enim in omni genere multitudo, sic est ab eo condita, institutaque; vt quoad eius fieri potest, ex vnitate pendeat, ab eaque contineatur. Satis, vt appareat benè esse multitudini eo modo prouisum. Hoc licet animaduertere in corpore humano, cuius omnes partes vim suam percipiunt ab vna quadam præcipua, nempe à capite, vel corde; in quo sit vitę quasi principatus. Hoc in arboribus, quarum omnes ramusculi per ramos, & omnes rami per truncum pertinent ad vnam radicem, ex qua succum attrahunt. Idem cernere possumus in bestijs etiam minimis, quæ quidem congregari soleant. Vt in gruibus, in apibus, quæ ducem vnum, & tamquam regem suum sequuntur. Denique ne singula persequar, id in ipsa cernitur vniuersitate rerum, quæ quidem res, quoniam (vt ait in duodecimo libro primæ Philosophiæ Aristoteles) nolunt malè disponi, sed benè, hoc est, quia rectissima quadam inclinatione omnes in optimum sui statum propendent, non plura principia, sed vnicum habent, à quo velut à principe vno reguntur, vt concludit etiam in illo loco Philosophus.

Ac sanè Respublicas, quàm optimè constitui monarchico ordine, idem Philosophus libro octauo Ethicorum, & tertio Politicorum euincit. Itaque, & in veteri lege vnius sacerdos summus præficiebatur, Deuter. 17. cuius auctoritate finirentur omnes controuersiæ: quamdiu Synagoga quidem finem nondum fuit habitura, sicut habuit temporibus Christi. Quin, & Sectarius quidam, non infimi inter Lutheranos nominis, palam aliquando affirmauisse fertur, nisi vnus aliquis *Archisectarius*, reliquis omnibus Sectarijs in causa religionis præsit, Synagogam ipsorum neutiquam posse consistere. Id de Schmidelino publicè nuper testati sunt Heidelbergenses in epistola consolatoria ad eundem. Nempe quia, & isti experiuntur, nullam aliquam disciplinam religionis facilè conseruari posse, nisi contineatur vnius auctoritate. Ac multa præterea, quæ illustrant confirmantque hoc argumentum tractata sunt inter cæteros à diuo Thoma lib. 4. contra Gentes, capitulo 76. & à Turrecremata lib. 2. de Ecclesia capit. 2. & 4. & plura non ita pridem à Nicolao Sandero in accurato illo suo opere de visibili Ecclesiæ monarchia in quinque libris prioribus. Nos breuiter tantùm voluimus ostendere, nequaquam defuisse rationem, quamobrem Christus regimen Ecclesiæ voluerit esse monarchicum, cui Petrum præfecerit, vt in primis constat ex propositis anteà Euangelij testimonijs si maximè nulla nobis eius institutionis ratio perspecta esset.

Verùm hoc etiam loco nobis obstrepit Caluinus lib. 5. instit. cap. 7. Arbitratur enim ille nequaquam expedire, vt vnus Ecclesiæ toti præficiatur: vt nec expedit, inquit, vnum orbi toti in temporalibus dominari. Quin & exempla nostra aduersùs nos retorquet. Nam quod ad apes attinet, singuli, inquit, Reges suis aluearibus contenti sunt. Cur non igitur sit contentus Romanus Pontifex Romana sua diœcesi? Præterea, vt maximè oporteat Ecclesiæ totius esse vnum caput, illud certè est Christus, non alius.

Respondeo. Primùm assertio nostra non illa ratione præcipuè nititur, sed Christi instituto, quod constat ex Euangelij perspicuis testimonijs. Deindè & illam quoque rationem congruentem esse defendimus. Nec enim si non expediret, vnum præesse vniuerso mundo in temporalibus, illico sequeretur, neque in spiritualibus vnum præponi omnibus debere. Gubernatio enim temporalis plus multò habet negotij, ac proindè non æquè commodè potest per vnum administrari. Præterea longè difficiliùs est, pœna temporali, quàm spirituali eos coercere, qui longissimè distant. Animaduersio enim spiritualis, vt excommunicatio &c. nullo locorum interuallo impeditur, quo minus efficax esse possit. Denique reliqua omnia, quæ ad gubernationem spiritualem pertinent, facilè ab vno Pontifice administrantur, modò Episcopis, & alijs ministris inferioribus tantam pro ratione locorum, & rerum, & aliarum circumstantiarum impertiat auctoritatem, quanta satis sit ad commodam omnium expeditionem. Neque enim, qui vniuersæ Ecclesiæ præfectus est, debet omnia per se ipse conficere.

Quod autem Caluinus deindè nobis obijcit, singulos quosque apium reges contentos esse suis aluearibus: id sanè rationem nostram confirmat. Cogitare namque Caluinus debuit, non modò vnamquamque Ecclesiam, aut diœcesim particularem, sed Ecclesiam etiam vniuersam, tamquam vnum esse alueare. Itaque vt quælibet aluearia suum habent regem; sic tota Ecclesia, quæ vna item est vnitate totius, vnum etiam, quasi regem, idest, vniuersalem pastorem habeat oportet: non minus, quàm vt quælibet Ecclesia particularis habeat etiam particularem præpositum suum. Caluini verò cauillatio procederet, si particulares dumtaxat Ecclesias voluisset Christus vnitatem retinere, & non etiam statuisset, vt vniuersa quoque Ecclesia, quæ ex particularibus, tamquam ex partibus, constat vnita esset. Nunc verò, quia Ecclesia etiam tota, instituto atque voluntate Christi, est vnita, necesse Caluinus habet huic quoque magno aluecari suum quasi regem concedere.

Neque obstat, quòd Christus nunc etiam sit omnis Ecclesiæ caput. Nam vt fidelium congregatio visibilis est, sic oportet, vt quò suauiter gubernetur, caput etiam habeat in terris visibile, idest vnum pastorem: licèt is ipse quidem ab illo pastore primario Christo pendeat, vt supra satis ex sententia Patrum explicatum est.

Nec ideò, vt Aduersarij nugantur, Ecclesiam monstruosum corpus facimus. Ratio enim metaphoræ animaduerti debet Christus regit Ecclesiam primò, & principaliter. Vicarius eius etiam id facit in terris summa secundùm ipsum auctoritate. [Omnes enim hic

hic propriè regit] inquit D.Leo serm. 3. de die anniuersario assumptionis suæ [quos principaliter regit, & Christus.] Hoc solùm, quod ad rem ipsam attinet, significare volumus, cùm & Christum, & eius Vicarium caput Ecclesiæ appellamus. Quemadmodum etiam, & Petrus petra fundamentalis Ecclesiæ est à Christo appellatus, cùm ipse Christus maximè sit petra, & fundamentum. [Communicat enim Christus alijs sua nomina, & potestatem, & habens dat,] vt supra §.17. ex Sanctis Patribus audiuimus.

§. 35.

Probatur octauo Diui Petri primatus, testimonijs Patrum.

QVæ cùm ita sint, meritò sanctissimi Ecclesiæ Patres (quorum sententias magna ex parte hactenus recitauimus) Euangelij testimonijs supra citatis, adducti sunt, vt Petro primatum in Ecclesia fuisse à Christo tributum assererent. Ambrosius lib. 10. in Lucam cap.24. affirmat, D.Petrum à Christo [omnibus prælatum fuisse, tamquam Vicarium in terris relictum.] Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, fuisse [caput omnium Apostolorum.] Augustinus in Psalm. 108. [primatum in discipulis habuisse.] Gregorius lib. 4. Registri, epist. 32. [Cunctis Euangelium scientibus liquere, voce Dominica Petro Apostolorum principi totius Ecclesiæ curam commissam esse.]

Hoc ipsum quod ij quatuor Ecclesię Doctores, asseuerant æquè luculentis verbis cæteri Patres Latini, Hilarius can. 16. in Matthæum. Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ. Optatus lib. 2. contra Parmen. Prosper lib. sententiarum sen. 359. & lib. 2. de vocat. gent. cap.9. Maximus serm.3. in Natali Petri, & Pauli, Arnobius in psalm. 138. Beda in cap.1. Ioan. Bernardus lib. 2. de consider. ad Eugenium &c.

Nec minùs clarè Doctores Ecclesię Grecæ vetustiores, à quibus recentes Schismatici, degenerarunt. Dionysius cap. 3. de diuin. nominibus vocat Petrum summum, & verticalem. Basilius in oratione de Dei iudicio circa finem tom. 3. ait [Omnibus discipulis fuisse prælatum.] Gregorius Nazianzenus, in oratione de moderatione in disputatione habenda: [vnum ex omnibus discipulis fuisse electum, & eius curæ fundamenta ipsa fidei, hoc est, reliquos Apostolos fuisse commissa.] Chrysostomus hom. 55. in Matthæum: [Pastorem, & caput fuisse, & vniuerso terrarum Orbi à Christo præpositum.] Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioan. cap. 64. [Principem caputque cæterorum.] Cyril. Hierosol. catech. 2. 17. 21. [Principem discipulorum, & regni cęlorum clauigerum.] Epiphanius hæresi 51. [Ducem discipulorum.] Eusebius lib.2. hist.cap.14. [Christianorum primum Pontificem. Idem Origenes super caput 1. Ioannis, Theophylactus in cap.27. Lucæ. Euthymius, & Oecumenicus in cap.21. Ioannis, vt reliquam vtriusque Ecclesiæ Doctorum turbam iam omittam, [quam dinumerare nemo potest,] inquit appositè Caietanus in tractatu de institutione Romani Pontificis capitulo vltimo.

Neque paruipendi in hac quæstione debent antiqui Pontifices sanctissimi, ijdemque maiore ex parte insignes Christi Martyres, qui & ipsi Petri primatum ex Euangelio confirmauerunt, quasi testimonium in propria causa perperam dicerent, vti calumniantur impudentissimè Sectarij. Nam præterquam quòd eos, & sanctitatis doctrinæ singularis existimatio, & martyrij gloria, iure, ac merito apud prudentes omnes ea suspicione liberat, obsecro, qui fieri potuit, vt ad vnum omnes, tam multi tamque, & natione, & ætate varij, ad causam propriam inique tuendam conspirauissent?

Igitur ex eo numero Summorum Pontificum non tamquam priuatam causam, sed tamquam Ecclesiæ Christi communem, viri, & zelo religionis, & studio veritatis, vsque ad vitæ profusionem (magna ex parte) insignes D.Petri primatum plerique asseruerunt; præsertim Clemens epist.1.ad Iacobum, Anacletus epist.2. & 3. Euaristus epist. 1. ad Episcop. Afric. Alexander epist.ad omne Orthodoxos, Pius I. in epist. ad omnes Ecclesiasticos, Victor in epist. ad Theophil.Episcopum Alexandrinum, Zepherinus in epist. ad Episcopos per Siciliam constitutos, Marcellus epist. 1. ad Episcopos per Antioch. prouinciam constitutos, Eusebius epist. 3. ad Episcopos Campaniæ, & Tusciæ, Melchiades epist. ad Episcopos Hispaniæ, Iulius I. in epist. ad Orientales pro causa D. Athanasij, Felix II. in epist. ad D. Athanasium, & reliquos Alexandriæ congregatos; Damasus in epistola ad Stephanum Archiepiscopum Mauritaniæ, & reliquos Episcopos African. Innocentius I. epist.1. ad Decentium, Leo I. epist. ad Anastasium,& aliàs passim, Gelasius in decreto de scriptis Apocryphis, Anastasius in epistola ad Anastasium Augustum. Vigilius in epistola ad Eutherum, Pelagius I. in epist. ad Vigilium Episcopum, Gregorius lib.4. Registri epist.32. & aliàs sæpè, & reliqui omnes his posteriores.

Quibus addè grauissima sanctissimaque iudicia Patrum in Oecumenicis Concilijs: In Nicœno primo, teste Iulio I. in epistola ad Orientales Episcopos, & in epistola ad Episcopos Antiochiæ, citatque ad eam rem can.18. & 19. qua de re lege præsertim Melchiorem Canum lib. 6. de locis Theologicis cap.4. Item in Chalcedonensi act. 1. 2. & 3. Item in quinta Synodo, in sententia Mennæ contra Anthymum. Et in Synodo sexta, in suggest. Synodica Agathonis, approbata act.8. 13. & 17. Et in Synodo septima, in epistola Synodica Adriani I.approbata,act.2. Et in Sydono octaua, in epistola Ignatij Patriarchæ Constantinop. ad Adrianum II. approbata in eadem Synodo. Et in Synodo Romana sub Symmacho, vt refertur 96.dict. cap. Bene. Et in alia sub Nicolao, vt refertur 25. quæst.2. cap. Si quis. Et in alia Lateranensi sub Innocentio III. vt refertur cap. Damnamus, de summ. Trinit. l. 6. Et in Florentina, vbi Græci tandem in ea sententia cum latinis conuenerunt. De prouincialibus autem Concilijs longum esset dicere.

Quare habentes tantam nubem testium, tamque firma ad hanc rem Scripturæ sanctæ testi-

testimonia, iure, ac merito hunc in modum cum D. Leone concludimus epist. 89. ad Episcopos per Viennensem prouinciam constitutos: [Quisquis Petro, inquit, principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit. Atque hactenus probauimus id, quod erat primum è tribus, quæ supra, §. 27. confirmanda proposuimus in hac quæst. de Primatu Romani Pontificis. Nunc sequitur, vt probemus secundum.

§. 36.

Primariam illam in Ecclesiam auctoritatem successoribus etiam Diui Petri à Christo conferri.

HÆc vis, atque sententia huius propositionis est voluisse Christum, vt Petro vita defuncto aliquis perpetua serie successionis in locum Petri ab Ecclesia reciperetur, cui Christus ipse auctoritatem supremam sicut Petro conferret, de fide, & alijs rebus ea constituendi, quæ ad salutem fidelium pertineant. Hanc autem catholicam assertionem Ioannes Wiclephus hæreticus negauit, cuius error vigesimus septimus (vnà cum alijs in Concilio Constantiensi sess. 8. & 15. damnatus) fuit talis: [Non est, inquit, scintilla apparentiæ, quòd oporteat in spiritualibus esse vnum caput regens Ecclesiam; quod semper cum ipsa Ecclesia militante conuersetur, & conseruetur.] Quem errorem Lutherus, & Caluinus, & reliqui Sectarij recentiores sequuti sunt.

Contra hos omnes probatur assertio nostra; Primò ex consensu Conciliorum, & Patrum præcedente, §. Citatorum, atque adeò totius Ecclesiæ Catholicæ, quæ verba illa: [Tu es Petrus, idest, solidus in fide, & super hanc petram, &c.] Itemque illa. [Confirma fratres tuos, & Pasce oues meas;] ad Petri etiam successores pertinere intellexit. Quod vnum aduersùs omnes hæreticorum corruptelas, & vanas interpretationes satis esse nobis deberet. Nam, quod sæpè dicendum est, ille est certissimus Scripturæ sensus, quem Ecclesia esse intelligit, peculiariter autem ad eius rei confirmationem valent ea sanctorum Patrum testimonia, quæ etiam nominatim confirmant, Romanos ipsos Pontifices, illos Petri successores esse, ad quos item ea Christi verba, D. Petro dicta, pertinuerint. De quibus testimonijs postea etiam suo loco dicemus.

Deindè eadem assertio probatur, tum ex ipsis Christi verbis ad Diuum Petrum, tum etiam ex eo fine, cuius causa Petrum vniuersæ Ecclesiæ præfecerat. Ex verbis quidem. Nam dum ait absolutè: [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:] procul dubio de Ecclesia illa loquitur, quæ iuxta certissimas promissiones ad finem, vsque mundi duratura est: Isaiæ 59. Matth. vltim. &c. Hæc enim est omnino illa Ecclesia ipsius. Hanc autem Ecclesiam ita perpetuò duraturam, ædificare supra Petrum ipsum solùm non potuit. Intellexit igitur ibi Petrum, & successores eius, vt optimè D. Thomas libro aduersus gentes tertio, capitulo 26. est argumentatus.

Item ex eo, quod Christus dicit: [Pasce oues meas,] dupliciter eadem veritas colligitur, vt eruditè à Caietano in tract. de institutione Romani Pontificis cap. 12. notatum est. Primò, quoniam instituit ibi officium pastoris ordinarium: vt vel ex ipso pastoris nomine (quod ordinariū quoddam officium significat) intelligi potest. Necesse autem est, vt pastoris officium ordinarium tandiù duret, quamdiù ipsum ouile duraturum est. Fuit autem Christi ouile in finem, vsque mundi duraturum; neque illud solus Petrus sine successoribus perpetuò pascere potuit: Est igitur auctoritas eius officij non Petro tantùm; sed etiam eius successoribus à Christo commissa. Secundò, quia [oues meas] itidem absque exceptione dicit: proindè oues omnes intelligit, quæ vsque ad consummationem sæculi efficient vnum ouile serie perpetua. Has autem omnes solus Petrus, vt iam dictum est, pascere non potuit. Quarè tradita est etiam eius successoribus auctoritas illa pascendi.

Ex ipso autem fine, cuius causa Petrus eiusmodi accepit auctoritatem, idem probatur. Is enim finis fuit, [vt vno pastore, atque capite constituto, schismatis tolleretur occasio,] inquit, Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, [& vt vna Ecclesia, & vna Cathedra esse monstraretur,] inquit, Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ; & vt in illa [vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur,] inquit Optatus lib. 2. contra Parmen. & in summa, vt Ecclesiæ toti, quàm rectissimè Christus ipsius sponsus consuleret, sicut supra ostensum est. Atqui non minus voluit Christus Ecclesiæ suę consultum esse defuncto Petro, quàm eo viuente, siquidem eam perpetua charitate diligit. Voluit igitur vnum aliquem Petri successorem, illo defuncto, perpetua serie in Ecclesia præesse.

Accedit, quòd non minus Ecclesiam suam modò Dei filius diligit, quàm olim Synagogam, de qua per Isaiam cap. 5. dixit: [Quod est quòd debui vltra facere vineæ meę, & non feci?] Sed Synagogę pastorem vnum prouidit Deut. 17. (omni tempore, quo stare certè illa debuit) vt illius auctoritate cōtrouersię omnes exortę definirentur. Igitur & iam Ecclesię suę Petrum pastorem præficiens, perpetuo cum in successoribus suis pręesse illi voluit. Quod autem Sectarij quidam comminiscuntur, vnum illum sacerdotem in veteri Synagoga tantummodò debuisse indicare de controuersijs politicis; nonne ex ipsius Scripturę verbis manifestissimè redarguitur? Etenim cùm absolutè dixisset Moyses: [Venies ad Sacerdotes, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore &c. & facies. Quodcumque dixerint, qui pręsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te, quia nimirum consilio aliorum etiam illi Sacerdoti erat vtendum, [iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram:] continuo subiungit: [Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo ex decreto Iudicis morietur homo ille.] In omnibus igitur omnino, atque adeo multò maximè in materia religionis,

dicto

dicto audientes Sacerdoti esse oportebat.

At, inquit, Caluinus lib.4. instit. cap.7. dispar ratio est. Nam Synagoga, atque etiam Ecclesia, quo tempore viuebat Petrus, angustis terminis continebatur: postea per vniuersum orbem diffusa est. Itaque si maximè expediuisset, tunc temporis illi præficere pastorem vnum: tamen non etiam expediret, vt postea quoque vnus ei pastor præsit. Quemadmodum, nec si commodè possit alicui colono vnius, vel alterius agri cura committi, illico sequitur, perindè expedire, vt agrorum totius Orbis cultura vni committatur. Sed non vidit hìc Caluinus, illa quam obijcit, rationis disparitate, nostro argumento vim addi, non minui. Etenim quò maiore ouium varietate, & numero existente, maius est periculum dissidiorum, quibus Ecclesia scindatur; eò maior nunc necessitas est vnius pastoris, cuius auctoritate, & officio controuersię componi possint. Cuius rei argumento esse possunt, vel ipsę dissensiones Sectariorum, irreconciabiles, eò quòd extra ouile Christi oberrantes, pastorem vnum minimè agnoscunt.

Neque verò Caluini exemplum nobis obstat. Pontifici enim vniuersalis quædam cura, eademque spiritualis incumbit, quam ille, attributa ministris inferioribus tanta potestate, quanta satis sit, haud difficulter sustinere potest, vt suprà à nobis explicatum est. Muneris autem agrorum colendorum alia est ratio. Ex qua, si libeat Caluino argumentum ad propositum petere longiùs, quàm ipse etiam volet, progrediatur necesse est. Nempe vt similiter probet, ne vnius quidem diœcesis paulò amplioris curam vni Episcopo rectè committi posse. Nam nec vnus potest colonus omnes vnius prouincię agros conuenienter colere.

Atque eiusdem farinæ sunt reliquæ cauillationes, quibus Sectarij conantur perperam ostendere, Euangelij locos, qui sunt de Petri auctoritate, minimè pertinere ad aliquos eius successores. Ad omnes autem id genus cauillatiunculas refutandas hæc quasi regula adhibenda est.

Quæ D. Petro à Christo Domino dicta esse Euangelium commemorat, ea duplicis sunt generis. Quędam ad ordinarium Pastoris officium spectant. Vt illud Matth. 16. [Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Et Luc.22. Confirma fratres tuos. Et Ioan. 21. Pasce oues meas, &c. Alia ad Petri priuatam personam pertinuerunt: vt illud Matth. 16. Vade post me Satana. Et Ioan.21. Alius cinget te, & ducet quo non vis. Et illud Luc.22. Tu aliquando conuersus,] id est, postquam à peccato resipueris per pœnitentiam. Nec enim necesse est, omnes qui officio summi Pastoris in Ecclesia functuri sunt, prius quàm fratres cum auctoritate confirment in peccatum illud Petri, aut aliud incidere, à quo resipiscant.

Iam verò quæ sententiæ sunt prioris generis, eas ad successores etiam Petri rectè censet Ecclesia referri debere. Posterioris generis non item. Qua de re plura Lector (si necesse esse putat) videre potest apud Turrecrematam, lib.2. de Ecclesia cap.35. & Thomam Waldensem, lib.2. doctrinalis fidei antiquæ, cap. 30. & Caietanum in tract. de institutione Romani Pontificis, cap.12. & Melchiorem Canum, lib.6. de locis Theologicis, cap. vlt.

Ego, quæ à me sunt iam breuiter explicata, satis esse iudico, vt intelligatur rectissimè à D. Leone serm. 2. de die anniuersario assumptionis suæ, de auctoritate successorum D. Petri illud scriptum esse, quod in huius rei conclusione opportunè poni potest: [Soliditas, inquit, illius fidei, quæ in Apostolorum principe est laudata, perpetua est. Et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit; ita permanet, quod in Petro Christus instituit. Manet ergo dispositio veritatis, & Beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseuerans, susceptra Ecclesiæ gubernacula non reliquit.] Hæc de secundo, quod iuxta methodum suprà §.27. propositam, fuit probandum. Nunc superest, vt confirmemus etiam Tertium, nempè D. Petri successorem esse Pontificem Romanum.

§. 27.

Romanum Pontificem, prò tempore existentem, D. Petri successorem esse.

HOc vt probemus, in primis demonstrandum est, quid propriè sit, aliquem esse D. Petri successorem in Ecclesiæ principatu. Quamuis enim is, qui D. Petro succedit, à Christo ipso certissimè accipiat illam in Ecclesia auctoritatem, quam habuit D. Petrus: tamen si rationes ipsas vocabulorum, atque adeo rerum etiam significatarum propriè consideremus, non idem significamus, cùm dicimus, hunc esse D. Petri successorem; & hunc à Christo recipere eamdem auctoritatem, quam habuit Petrus. Patet: Nam hoc secundum ex priori rectè concluditur, tamquam ex eo quòd est clarius. Itaque suprà, vt efficeremus, Romanum Pontificem habere in Ecclesia primariam à Christo potestatem, quam habuit Petrus, sine vllo vitio argumentationis assumpsimus, eum esse Petri successorem; vt inde demùm eius in Ecclesia principatum euinceremus.

Quemadmodum igitur in ciuilibus aliud est propriè, Ioannem, v.g. esse successorem Petri; & aliud, Ioannem legitimè possidere patrimonium à Petro relictum (nam ex illo probari hoc solet) ita in proposito, aliud propriè est, aliquem esse D. Petri successorem; & aliud, eum à Christo habere illam potestatem, quam habuit D. Petrus. Meritò itaque propria huius successionis ratio explicanda est, vt eam demùm ostendamus in Romanum Pontificem, pro tempore existentem, competere: vnde tamdem efficitur id, quod suprà §.27. conclusimus: Romanum Pontificem in Ecclesia obtinere Petri principatum, quasi patrimonium quoddam à Christo constitutum.

Affirmamus igitur aliquem esse D. Petri successorem, nihil aliud esse, quàm eum ab Ecclesia in locum D. Petri legitimo modo recipi, ac veluti Christo offerri, vt is illi conferat supremam auctoritatem, quam Petrus habuit, hoc est, vt certa lege statuat, peculiari quadam assistentia cum eo concurrere ad ea in doctrina, & moribus rectè constituenda,

da, quę ad bonum Ecclesię statum pertineant. Hoc enim est, aliquem habere supremam illam in Ecclesia potestatem, atque principatum, quem Petrus habuit. Porrò modus legitimus recipiendi aliquem in locum Petri, omninò is est, quem Ecclesia ipsa præscribit, & adhibet pro ratione cuiusque temporis, & aliarum omnium circumstantiarum.

Quod vt meliùs intelligamus, expendenda diligenter est vis illarum promissionum: [Ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi, Matth. vlt. Et; Vt maneat vobiscum in æternum, &c.] Ioan. 14. Ex his enim, & similibus intelligitur, curam & charitatem Christi erga sponsam suam Ecclesiam perpetuò eam esse, quæ ad Ecclesiæ statum suauiter, & conuenienter hominum naturæ conseruandum accommodatissima sit. Dubitari autem minimè potest, quin hominum natura, atque conditione considerata expediat, vt qui Ecclesiam vniuersam, accepta à Christo auctoritate, gubernaturus sit, is ab eadem Ecclesia ad id muneris recipiatur, approbeturque. Proinde volens Christus Dominus, in Ecclesia perpetuò esse (vt §. præcedente probatum est) Petri successores, quibus ille attribueret supremam in terris auctoritatem, quam Petro contulerat, necesse fuit, Ecclesiæ suæ hoc dare, vt eum ipsa diligeret in talem Pastorem, quem pro ratione temporis, & circumstantiarum iudicaret esse ad id muneris aptissimum. Quod ipsum confirmatur ex perpetua Ecclesiæ consuetudine circa successionem in sede tum Petri, tum aliorum Episcoporum. Is enim habitus est semper Episcopi alicuius successor legitimus, quem in eius locum Ecclesia recepit ea forma, & modo, qui pro ratione circumstantiarum in vnoquoque loco maximè conuenire existimatus est.

Iam cùm hoc ita sit, facilè intelligitur, qua ratione probari oporteat, Romanum Pontificem pro tempore existentem, D. Petri successorem esse. Nempè non hìc aliquibus argumentis à ratione ductis opus est; vt cum de rebus agitur, quæ non sunt in facto positę; sed satis superque id probamus testimonijs omnium ætatum locupletissimis, ex quibus planè constat, Pontifices Romanos continua serie successionis in D. Petri locum (absque vlla potestatis restrictione) fuisse ab Ecclesia receptos, atque ad eos, tamquam ad Petri in eadem potestate successores, per omnes Ecclesiæ ætates fuisse relatas maiores Ecclesiæ causas, vt persequitur diligenter Turrecremata, lib. 2. de Ecclesia cap. 36. 37. & 38. & Caietanus de institutione Romani Pontificis, cap. 13. & Canus lib. 6. de locis Theologicis, cap. 4. 5. & 6. & admodum copiosè, ac luculenter Nicolaus Sanderus, in suo opere de visibili Ecclesiæ Monarchia lib. 7. vt alios iam omittam.

Qua de re hæc in specie testimonia antiquitatis notentur. Irenæus lib. 3. cap. 3. Epiphanius hæresi 27. Augustinus epist. 165. ad literas cuiusdam Donatistæ. Optatus lib. 2. contra Parmen. sui temporis Romanos Pontifices, quorum & posteriores Pontifices constat successores fuisse, ad Petrum ipsum continua serie successionis ordine deducunt. Innocentius I. in epistola ad Concilium Mileuitanum, quæ est 93. inter epist. D. August. Eulogius apud D. Gregorium epist. 37. lib. 6. Registri, Petrus Chrysologus epistola ad Eutych. quæ extat inter epistolas alias sub initium Concilij Chalcedonensis tomo 1. Conc. fol. 227. Leo serm. 2. de die anniuersario assumptionis suæ, & alij, [Petrum in sua adhuc cathedra,] ministerio Romanorum Pontificum ipsius successorum, præsidere asseuerant. Tertullianus libro de præscript. Augustinus contra epistolam fundamenti cap. 4. & aliàs, Hieronymus ad Damasum. Gregorius lib. 6. Registri epist. 37. Eusebius lib. 3. histor. cap. 4. & alij infiniti, eosdem Romanos Pontifices successores esse D. Petri, apertè asserunt. Anacletus epist. 3. Marcellus epist. 1. ad Antiochenos, Sozomenus lib. 4. histor. cap. 14. Theodoretus in epist. ad Leonem, Cyprianus lib. 4. epist. 2. Augustinus epist. 157. & lib. 2. contra literas Petiliani cap. 51. &c. & alij Patres, idcirco etiam Sedem Romanam, [Petri locum & cathedram, seu Apostolicam Sedem] vocant. Quocirca Romano Pontifici, non nisi tamquam Petri legitimo successori, principatum auctoritatis in Ecclesia tribuit omnis antiquitas, Concilia, Patriarchæ, Patres vniuersi.

In Concilio Nicæno I. Iulius I. epist. 1. & 3. de quo vide Canum lib. 6. de locis cap. 4. & Alanum Copum in dialogis, dialogo primo, testatur, decretum fuisse ne Concilia pręter sententiam Romani Pontificis celebrarentur, itemque ad eum liceret Episcopis alijs ex toto orbe appellare, confirmatque solemni iuramento, eos Canones in sacro Sedis Apostolicæ scrinio asseruatos fuisse. Quod itidem in eo Concilio Nicæno fuisse sic statutum, testantur D. Athanasius, & alij Episcopi Thebaidis, & Lybiæ, qui ei Concilio Nicęno interfuerunt, in epistola ad Felicem II. Pontificem, qui Pontifex in rescripto ad eosdem Episcopos, conqueritur fuisse plurima decreta Concilij Nicæni ab hæreticis suppressa. Extant hæ epistolæ tomo 1. Conc. inter decreta Felicis II. Fuerunt autem huius Iulij epistolæ receptæ in Concilio Ephesino, vt Vincentius Lyrinensis in libro aduersùs hæresum nouitates, sub finem, ante annos mille testatus est. Item illius primam epistolam recitat in Apologia sua secunda D. Athanasius.

Nec sanè obstat, quod Africani Episcopi in epistola ad Pontificem Cœlestinum, quæ habetur tom. 1. Conciliorum fol. 520. negant eiusmodi Canonem de appellationibus ad Romanum Pontificem reperiri inter Concilij Nicæni Canones, quos à Patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, & Antiocheno petierant. Certum enim est, longè plures Conc. Nicæni Canones fuisse, quàm illos viginti & vnum, quos illi Patriarchæ ad Africanos miserunt, vt luculentissimis veterum testimonijs à nonnullis demonstratum est. Lege Alphonsum Pisanum de Concilio Nicæno, & Sanderum de Monarchia Ecclesiastica libro 7. circa annum Domini 336. Itaque ex illis Canonibus Concilij Nicæni, qui desiderantur, quique hæreticorum fraude, vt conqueritur etiam Felix II. interierunt, proculdubio illi etiam fuerunt, quos ab Iulio I. & ab Athanasio commemorari diximus.

Ac licèt Patres illi Africani apud eumdem Pontificem Cœlestinum egerint, ne ap-

pellationes vllas ab Africanis ad Sedem Apostolicam factas admitteret, aut de causis eiusmodi ipse vel per se, vel per legatos suos constitueret, sed iudicium omne prouincialibus Episcopis permitteret, vt rectiùs cognita causa in eo ipso loco, vbi criminis delatio instituta esset, ipsi litem finirent: tamen nihil minùs illi Patres ea re agebant, quàm vt supremam alioqui in Ecclesia potestatem, adeoque auctoritatem in iudicio etiam quarumcumque causarum Ecclesiasticarum, Romanæ Sedi competere negarent: Sed putabant certè non expedire, vt eiusmodi auctoritate Pontifex Romanus vellet vti in litigiosis controuersijs, quæ in transmarinis illis prouincijs inciderent: cùm existimarent eiusmodi causas personarum, & criminum, meliùs in proprio loco posse cognosci, & definiri.

Alioqui, quàm illi Patres Africani Romanæ sedis primatũ agnouerint, suspexerintque, vel ex vna epistola Mileuitani Concilij ad Innocentium I. quæ est epistola 92. inter epistolas D. Augustini (cui Concilio plerique ex illis ipsis Patribus Africani Concilij paulò antè interfuerant, clarissimè licet intelligere: [Quia te, inquiunt, Dominus, gratiæ suæ præcipuæ munere, in sede Apostolica collocauit, talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat. si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quàm ea tu possis vel fastidiosè, vel negligenter accipere: magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris. Noua enim hæresis, Pelagianorum, surgere cœpit &c. Et post aliqua: Hæc insinuantes Apostolico pectori tuo non opus habemus tantam impietatem verbis exagerare, cùm proculdubiò te ita moueant, vt ab eis corrigendis ne latiùs serpant, multosque contaminent, vel potiùs interimant omnino dissimulare non possis. Et sub finem epistolæ: Hæc ad sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginensis prouinciæ Coepiscopos nostros, quos ad Sedem Apostolicam, quam benignus illustras, de hac causa scripsisse comperimus.]

Certè luce clarius ostendit hic locus, Romanum Pontificem, ab Africanis Episcopis, & pastorem Ecclesiæ summum, cui aliarum etiam Ecclesiarum præter Romanam, cura pastoralis sollicitudoque incumbat, & iudicem causarum religionis, ac fidei agnitum fuisse.

Carthaginensis autem prouinciæ Episcopi, quorum in ea epistola mentio facta est, hunc in modum ad eumdem Innocentium in ea causa scripserant: epist. 90. inter epistolas D. Augustini: [Hoc gestum charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum, & quorumdam peruersitate etiam corrigenda. Et infrà: Error ipse & impietas, quæ tam multos assertores habet, etiam auctoritate Sedis Apostolicæ anatematizanda est. Consideret ergo sanctitas tua, & pastoralibus nobis compatiatur visceribus, &c.]

Et certè ex epistolis quibusdam D. Cypriani ad Pontificem Cornelium, lib. 1. epist. 3. & lib. 4. epist. 8. apparet, antiquam etiam fuisse Africanorum consuetudinem ad Apostolicam Sedem appellandi: vt mirum sit, hoc ab illis Patribus Africanis cogitatum non fuisse: sicut etiam in antiqua Synodo Sardicensi, can. 3. 4. & 7. eiusmodi appellationes ex omni loco ad Sedem Apostolicam disertissimis verbis & concessæ, & probatæ fuerant, vt paulò post dicemus.

Sic etiam neque testimonio illi Concilij Nicæni, quod pro Romanæ Sedis primatu, ex Iulio I. & Athanasio commemorauimus, auctoritatem detrahunt vllo modo Sectarij, cùm ex Canone sexto eiusdem Concilij hæc verba, sicut ea Ruffinus lib. 10. hist. cap. 6. refert, nobis obijciunt: [Apud Alexandriam, & in vrbe Roma, vetusta consuetudo seruetur, vt ille, Episcopus Alexandrinus, Ægypti; hic, Episcopus Romanus, suburbicariarum sollicitudinem Ecclesiarum gerat.] Primùm enim Canon, hic sextus in exemplo à tribus Patriarchis, sicut antè commemoraui, ad Episcopos Africanos misso, non omnino ita habet, vti refert Ruffinus: sed quædam verba ibi adduntur, ex quibus clariùs apparet, nihil ibi minùs, quàm supremam in omnes auctoritatem Rom. Pontificis negari. Sic enim dicitur in Concil. 6. Carthag. vbi Canones illi Nicæni recitantur: [Antiquiores, Episcopi, obtineant, id est, honore præcedant, vt colligitur ex can. 8. Nicæno apud Ruffinum vbi suprà, qui apud Ægyptum sunt, & Lybiam, & Pentapolim: ita tamen, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat sollicitudinem; quia & vrbis Roma Episcopo similis mos est. Similiter autem, & circa Antiochiam, & in cæteris prouincijs priuilegia propria seruentur Metropolitanis Ecclesijs.]

Non igitur negat hic Canon Romano Pontifici primatus auctoritatem, quam habet is alioqui tanquam successor D. Petri in omnes Ecclesias, sed significat certè, habere eum, quoque specialem quandam Metropolitani auctoritatem in adiacentes diœcesis Romanæ Ecclesias; quam quidem auctoritatem similiter, & alijs Archiepisc. Metropolitanis, vnicuique in sua prouincia, Concil. Nicænum voluit constare.

Accedit deinde, quòd in Concil. Chalcedonensi, act. 16. Canon hic 6. Nicænæ Synodi (recitante Paschasino, & nemine prorsus contradicente) sic incipit: [Ecclesia Romana semper habuit primatum, &c.] Ac tunc subiunguntur reliqua de auctoritate Metropolitanorum, quæ ex illo Canone iam à nobis exposita sunt.

Deniquæ in eadem actione Concilij Chalcedonensis, post recitatum illum Nicænum Canonum, & omnium sententias auditas, Iudices ita dixerunt, [Ex his quæ gesta sunt, vel ab vnoquoque deposita perpendimus, omnem quidem primatum, & honorem præcipuum secundùm Canones (nempè secundùm illum etiam Nicænum) antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari.] Ac tunc ipsi Patres Concilij dixerunt: [Hæc iusta sententia, hæc omnes dicimus, &c.] Sed de Canone Nicæni Concilij satis.

Item in Sardicensi Concilio, (quod generali etiam fuisse testantur Socrates, lib. 2. hist.

hist. cap. 16. & Athanasius, qui id Concilium vocat magnum, per illudque dixit eiectos fuisse ex Ecclesia, oratione 1. contra Arianos,) appellationes ex toto orbe factæ ad Romanum Pontificem approbantur. Et Iulio Pontifici ius competiuisse euocandi cum auctoritate alios Episcopos, non obscurè agnoscitur apud Theodoretum, lib. 2. hist. cap. 8.

Item in Constantinopolitano I. capite quinto (generali II.) post Romanum Pontificem primatus honor tribuitur Patriarchæ Constantinopolitano. Atque etiam eius Concilij Patres testantur, se Damasi Romani Pontificis literis monitos conuenisse Constantinopoli, in epistola ad eundem Damasum, cuius meminit Theodoretus, lib. 5. cap. 9. Vicissimque Damasus apud eundem Theodoretum eodem lib. cap. 10. reuerentiam ab illis in ea re exhibitam Sedi Apostolicæ collaudat.

Item in Ephesino (generali III.) Cyrillus, teste Euagrio, lib. 1. hist. cap. 4. locum Cælestini Romani Pontificis tenens, eius mandato dicit, se (vnà cum alijs Patribus) compulsum fuisse, vt Nestorium damnaret. Itemque Patres eiusdem Concilij ad eundem Cælestinum hoc modo scribunt: [Ioannis Antiocheni temeritatem (quòd Cyrillum deposuerat) reseruauimus tuæ pietatis iudicio.

Item in Chalcedonensi porrò Concilij (generali IV.) actione 16. itidem probatur iudicium illud Synodi Constantinopolitanæ, quod Constantinopolitano Patriarchæ secundæ concedantur post Romanum Pontificem. Et rursus ibi, actione 1. Marciano Imperatore præsente, sine vlla controuersia, [caput omnium Ecclesiarum] Romana Ecclesia appellata est. Atque etiam ipse Imperator Marcianus ibidem Leonem, tùm Pontificem Romanum, [Apostolicum thronum gubernare,] dicit. Itemque Concilij Patres eundem Pontificem his modis compellant, action. 3. in relatione facta eidem Pontifici ab ipsa Synodo: [Tu sicut caput membris præeras. Dioscorus contra te, *cui vineæ custodia à Saluatore commissa est*, extendit insaniam. Tuis decretis nostrum honora iudicium: & firmitas tua filijs, quod deest adimpleat.] Itaque in eo Concilio Paschasinus cum Lucentio, & Bonifacio, loco Leonis sic præfuit, vt inter cætera, quæ cum auctoritate ibi gesserit, etiam prohibuerit, teste Euagrio lib. 2. cap. 4. ne Dioscorus cum reliquis Episcopis Orthodoxis sederet.

Item in Concilio II. Constantinopolitano (generali V.) actione 4. in sententia Synodi contra Antymum, Patres profitentur, se per omnia sequi velle sententiam summi Pontificis Agapeti in causa Anthymi hæretici, quem idem Agapetus ex sede Constantinopolitana, & à communione fidelium eiecerat, vt patet ex loco citato: Itemque ex constitutione Iustiniani Imperatoris contra eundem hæreticum, quæ exstat in eadem Synodo. Cuius etiam sententiæ vi Synodus, eundem quoque eiecit ex sede Trapezuntina.

Item in Constatinopolitano III. (generali VI.) actione 18. sub finem dicitur: [Per Agathonem Romanum Pontificem loquutus esse princeps. Apostolorum Petrus, cuius nimirum ille, & imitator fuisset, & successor.

Item in Constantinopolitano IV. (generali VIII.) can. 21. Patriarchas omnes honorandos, [præcipuè verò sanctissimum Papam senioris Romæ.]

Item in Nicæno II. (quod fuit septimum generale) actione 2. [Romanam Sedem, primatum per orbem totum obtinere, omnium Christi Ecclesiarum caput existere, &c.]

Similia in Concilio Lateranensi, sub Alexandro III. titulo 2. cap. 3. & 4. & Lateranensi, item sub Innocentio III. cap. 5. Lugdunensi II. vt patet lib. 6. decret. cap. vbi periculum, de electione, & electi potestate; & Viennensi, vt patet ex Clementina 1. de S. Trinit. & Constantiensi, sessione 8. & 15. & Lateranensi sub Iulio II. & Leone X. sess. 2. & 3. & Trident. sess. 14. cap. 3. Quibus adde prouincialia, Arelatense, canone 1. Aurelianense IV. can. 1. Toletanum I. in assertione fidei in fine, Africanum, cap. 35. Mileuitanum apud Augustinum, epistola 92. & 93. &c.

Nec minùs perspicuè Patriarchæ quatuor. Certè Athanasius Patriarcha Alexandrinus, ad Iulium I. Romanum Pontificem, in sua causa contra Arrianos appellauit, vt patet, ex Sozomeno, lib. 3. cap. 7. & ex ipso Athanasio in Apologia ad Constant. Itemque in epistola ad Felicem II. Papam ab Athanasio, & alijs missa ex Synodo Alexandrina, ita Athanasius cum illis Episcopis Felicem alloquitur: [Vos præcessoresque vestros, Apostolicos videlicet præsules in summitatis arce Deus constituit: omniumq; Ecclesiarum curam habere præcepit.] Item in epistola ad solitariam vitam agentes, idem Athanasius: [Romanus, inquit, Episcopus Iulius Synodum iussit fieri, vt tutò, & crimina obijcerent, & inuicem sibi oblata refutarent.]

Item D. Cyrillus, & ipse Alexandrinus Patriarcha, ad Cælestinum Romanum Pontificem in causa Nestorij scribens, epist. 18. (Similiter quoque loquitur epist. 10. & 11.) [Ab illius, inquit, communione cum fiducia nos non eximimus, donec ista pietati tuæ communicaremus. Quapropter quid videatur, exprimere dignare, an aliquando illi communicare debemus.

Item Calandio Antiochenus Patriarcha, teste Liberato in Breuiario, cap. 18. Ioanni Talaiæ Patriarchæ Alexandrino suasit, vt contra Petrum Moggum, quem Achatius intruserat, ad Simplicium Romanum Pontificem appellaret. Item Flauianus, vt videre est apud Theodoretum, lib. 5. hist. cap. 23. eiusdem sedis Patriarcha, à Romano Pontifice, vt causam diceret euocatur, pro eòque apud Damasum, teste Sozomeno lib. 8. hist. cap. 3. & Socrate lib. 5. cap. 15. intercedunt Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus, & Theophilus Patriarcha Alexandrinus.

Item Petrus Patriarcha Hierosolymitanus in Synodo quinta, actione quarta, in sententia eiusdem Petri Hierosolymitani, affirmat, Agapetum Papam diuinitus fecisse, quòd Anthymum, Constantinopolitanum aliquando Patriarcham, de sede deiecisset.

Denique D. Chrysostomus, Constantinopolitanus Patriarcha, in epistola ad Innocentium, tom. 5. ad Romanum Pontificem appellauit. Macedonius item eiusdem sedis Pa-

Patriarcha, vt refert Theodoretus Lector, lib. 2. Collectaneorum circa medium, (qui libri exstant post historiam Sozomeni,) Anastasio Imperatori vehementer vrgenti, & mandanti, vt Episcopos sibi subiectos ad Synodum conuocaret, nihil omnino se ea in re facturum respondit, absque vniuersali Synodo, cui [magnæ Romæ Episcopus præsideret.] Item Menas in Synodo quinta, actione prima, Seuero, Petro, & Zoaræ, vitio vertit, quòd contempserint Ecclesiam Romanam, quæ [Apostolis, inquit, succedens,] contra ipsos sententiam protulit.

Longum verò est aliorum Patrum sententias referre. Irenæus lib. 3. cap. 3. [ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse esse affirmat omnem aliam Ecclesiam conuenire.] Cyprianus lib. 4. epist. 8. ad Cornelium Papam, eandem esse [Ecclesiam matricem.] Ambrosius lib. 10. epist. 81. initiò, Siricium Papam [Christi ouile custodire, dignumque esse, quem oues Domini audiant.] Hieronymus epist. 57. ad Damasum, eundem [piscatoris,] id est, Diui Petri, [successorem esse in eadem fidei cathedra, super quam sit ædificata Ecclesia.] Augustinus epist. 162. [in Romana Ecclesia Apostolicæ Cathedræ semper viguisse principatum.] Idem obsecrat Innocentium I. epist. 92. ad eundem missa ab Augustino, & alijs Patribus Concilij Mileuitani, vt [pastoralem diligentiam adhibeat magnis periculis infirmorum in Africa] propter hæresim Pelagianam imminentibus. Quod eius studium laudat idem Innocentius epist. 93. inter epistolas Diui Augustini, quòd [antiquæ regulæ formam secutus, opem implorarit ab ea sede, cui maneat solicitudo omnium Ecclesiarum.] Isidorus præfatione in opus Concilij, [nullam se Synodum reperisse, nisi vel congregatam, vel fultam Romanæ sedis auctoritate.] Prosper lib. de ingratis, contra Pelagianos, [Romam pastorali honore factam esse caput mundi.] Vincentius Lyrinensis libro aduersùs hæreses, [Romanum Pontificem esse caput Orbis.] Beda lib. 2. hist. Anglorum Gregorium [in toto Orbe] Pontificatum gerere, Origenes, teste D. Hieronymo epist. ad Pammachum, & Oceanum, libellos pęnitentię de suis erroribus offert Fabiano Papæ. Basilius in epistol. 52. ad Athanasium, ad Romanum Pontificem referendum iudicat, [vt indicij sui decretum interponat.] Chrysostomus postulat ab Innocentio in epistola ad eundem, tom. 5. vt [decreta Theophili rescindantur, & vt penis Ecclesiasticis,] qui iniquè agerent, [coercerentur.] Theodoretus in epistola ad Leonem, in fine tomi 2. ad Romanam sedem appellat, & illius dicit [se expectare sententiam.] Socrates lib. 2. hist. cap. 11. [Romanam Ecclesiam priuilegium præcæteris obtinere.] Et quid omnes, seu Latinos, seu Græcos commemorem?

Iam verò Pontifices ipsi Romani, sanctissimi, & antiquissimi, successores se esse D. Petri in cura vniuersalis Ecclesiæ, ijsdem in locis palam protestati sunt, quos pro ipsius D. Petri primatu superiùs magno numero allegauimus. Quorum testimonia, quamobrem in hac quæst. & causa minimè suspecta esse debeant, supra causas exposui. Clarissima verò, grauissimaque sunt in hoc genere illa verba Iulij I. epistola 1. ad Orientales, de causa Athanasij: [Semper, inquit, maiores causæ ad sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt; Ipsa namque omnibus prælata est Ecclesijs, quæ non solùm canonum, & sanctorum Patrum decretis, sed Domini voce singularem obtinuit principatum, cùm inquit; Tu es Petrus, &c.] Atque illa quoque Innocentij I. ad Patres Concilij Mileuitani, epistol. 93. inter epistolas D. August. [Per omnes, inquit, prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanant. Præsertim quoties ratio fidei ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quòd per totum mundum possit omnibus Ecclesijs in commune prodesse.] Item ibidem: [Diligenter ergo, & congruè Apostolico consultis honori, honori, inquam, illius, quem solicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxijs rebus, quæ sit tenenda sententia: antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostris esse seruatam.] Et Leo ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum epist. 84. [Sicut præcessores mei, inquit, præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ vices mei moderaminis delegaui, vt curam, quam vniuersis Ecclesijs principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuuares.]

Sed exstant multa testimonia similia Pontificum in locis suprà citatis. Quorum sanè in Ecclesia, tanquam successorum Petri, primatum agnouerunt, non Patres tantùm, sed etiam ipsi Imperatores Maximi, & disertissimis verbis protestati sunt. Valentinianus in epistola ad Theodosium ante Concilium Chalcedonense, affirmat, Romano Pontifici [principatum sacerdotij collatum.] Marcianus in epistola ad Leonem, [principatum in Episcopatu fidei obtinere,] Iustinianus in nouel. constit. 131. [primum omnium esse Sacerdotum secundùm quatuor Synodorum definitionem. Quibus Imperatoribus posterior fuit Phocas, à quo tamen Romanum Pontificem primatum accepisse Caluinus lib. 4. instit. cap. 7. ineptissimè nugatus est. Carolus Magnus, teste Cranzio in historia Eccles. Metrapolit. Saxon. lib. 1. cap. 7. Romanum Pontificem [vniuersalem Papam] compellat.

Sed, & hæretici, cùm principatum Romani Pontificis à nemine ignorari probè intelligerent, se idem cum illo de rebus fidei sentire, vt faciliùs laterent, subdolè simulauerunt Cœlestinus Pelagianus cum Innocentio, referente Augustino, lib. 2. de peccato originali, cap. 7. Melitius, & Vitalis cum Damaso, apud Hieronymum epist. 2. ad Damasum.

His accedit, quòd Romanus Pontifex perpetuò in Ecclesia earum, quæ essent fidei controuersiarum iudex agnitus est: Testimonia, & exempla multa eius rei petere licet ex Eusebio, lib. 4. hist. cap. 13. & 22. & lib. 5. cap. 27. & lib. 6. cap. 35. & lib. 7. cap. 8. & ex Augustino epist. 90. & 92. & lib. 1. contra duas epistolas Pelagian. cap. 1. & ex Optato lib. 1. contra

tra

tra Parmen. & Irenæo lib. 3. c.3. &c. & passim ex actis Concil. quòd ipse hæreses [condemnauit;] vt videre est apud Eusebium, lib. 5. cap. 27. & lib. 6. cap. 35. Cyrillum epist. 10. & 11. Tertullianum lib. contra Praxean, &c. quòd leges cum auctoritate sanciuit: vt est videre apud Eusebium in Chronicis, de Telesphoro, & Pio I. & lib. 5. hist. cap. 24. & passim in ipsis decretis antiquissimorum etiam Pontificum, quòd Concilijs generalibus [præfuit,] eademque [confirmauit,] vt infrà in loco de Concilijs ostendetur: quòd ad eum, vndique in grauissimis causis Ecclesiasticis [appellatum] est; vt est videre apud Sozomenum, lib. 3. cap. 7. & 9. Euagr. lib. 3. cap. 15. Athanasium epistola ad solitariam vitam agentes. Basilium, epist. 74. Chrysostomum, epistola ad Innocentium tom. 5. Epiphanium, hæresi 68. quòd alios Episcopos auctoritate sua in varias mundi partes misit: vt apparet ex Augustino epistola 157. & posidonio in vita eiusdem Augustini, cap. 14. & Beda lib. 1. vitæ sanctorum Patrum: quòd eos Vicarios suos constituit, vt apparet ex D. Leone, epist. 84. & D. Gregorio, lib. 4. epist. 51. 52. 53. quòd eos creauit apud Socratem, lib. 7. hist. cap. 35. & Mettaphrastem in vita Gregorij Agrigentini; quòd eos confirmauit, vt apparet ex Concilio Chalcedonensi. actione 7. & ex D. Gregorio, lib. 4. epistol. 9. & ex Cedreno in Compendio historiarum de Irenæo, fol. tercentesimo octuagesimo septimo, &c. quòd eos pallio inuestiuit, vt est videre apud D. Gregorium, libro quarto, epistola decima quinta, & quinquagesima quinta. Bedam lib. 2. hist. Anglorum, &c. quòd eos deposuit, vt patet ex Synodo quinta, actione quarta. Gregorio lib. 4. epistola quinquagesima, & in actis Sixti III. tom. 1. Concil. &c. quòd eos restituit, vt apparet ex Sozomeno, lib. 3. cap. 7. Basilio epist. septuagesima quarta, &c.

Hunc vsum auctoritatis tam varium, tamque latè patentem, eumdemque Romano Pontifici, per omnes rectè sentientes in Ecclesia, semper integrum, atque liberum, quis non videat indicem, atque testem locupletissimum esse, quòd D. Petro in cura Ecclesiæ vniuersali, ad constituendum de ijs rebus, quæ ad fidem, & salutem spectent, Romani Pontifices succedant?

Quoniam igitur probatum est, & primariam in Ecclesia potestatem, atque adeò infallibilem auctoritatem, de rebus fidei omnibus controuersis iudicandi D. Petro datam esse; nec illi solùm, sed etiam illius successoribus esse datam, & eius in eo genere successorem Romanum Pontificem pro tempore existentem esse verè, ac rectè, §. 27. conclusimus, atque posuimus, Romanum Pontificem pro tempore existentem esse: verè, ac rectè, §. 27. conclusimus, atque posuimus, Romanum Pontificem esse eum, in quo auctoritas illa primaria, de quæstionibus fidei omnibus infallibiliter statuendi, resideat.

§. 38.

Vtrùm Diuino, an Ecclesiastico iure ille idem sit Diui Petri successor, qui est Episcopus Romanus.

SEd cùm Romanum Pontificem D. Petri successorem in vniuersali Ecclesiæ curam esse dicimus, sciscitabitur aliquis, ecquonam iure successor talis D. Petri sit is, qui Pontifex est Romanus? Vtrùm scilicet diuino? ita vt Christus Dominus non modò voluerit in Ecclesia esse perpetuò eiusmodi successorem Petri, cui ipse supremam auctoritatem, quam habuit D. Petrus, conferret, sed etiam statuerit, vt hic successor esset perpetuò Romanus Episcopus? An verò id obtinuerit in Ecclesia solùm iure humano, hoc est, ipsius Ecclesiæ instituto, quæ non nisi Romanos Episcopos in Diui Petri locum, quod ad vniuersalem Ecclesiæ curam attinet, recipiendos esse putarit?

Refert autem non parum hoc scire. Nam si solùm ex iure humano Ecclesiastico, ratio hæc successionis cum Romanæ Diœcesis Episcopatu coniuncta est; posset fieri, eiusdem Ecclesiæ, atque adeò ipsius etiam Pontificis auctoritate, vt aliquando is, qui vniuersalis Ecclesiæ pastor est, non idem sit Romanæ Diœcesis Episcopus, sed vt alterius diœcesis; vt cùm Petrus Antiochiæ sedebat, erat Episcopus non Romanus, sed Antiochenus; vel etiam nullius particularis determinatè; sicut eo tempore, quo nondum Diuus Petrus Antiochiæ sedebat, cùm tamen nihilòminus esset tunc pastor vniuersalis Ecclesiæ, à Christo constitutus. Sin autem diuino iure constitutum est, vt non alius præterquam Romanus Pontifex, sit Petri successor, non erit in Ecclesiæ potestate id institutum mutare. Item etiam ex hac quæstione pendet, vt postea patebit, quomodo illud Ecclesiæ Romanæ priuilegium intelligendum sit, cùm dici solet recta, atque Apostolica fides non posse à Romana Ecclesia deficere: sicut iam defecit exempli causa ab Ecclesia Constantinopolitana.

Ego verò hac de re varias reperio sententias Doctorum. Nam Canus lib. 6. de locis Theologicis cap. 4. 5. & 6. & Driedo lib. 4. de varijs dogmatibus cap. 4. par. 3. & Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 40. & alij communiter, sine dubitatione affirmant, ex Christi Domini institutione Romanum Episcopum fuisse, futurum esse semper D. Petri successorem in cura vniuersalis Ecclesiæ. Fundamentum ipsorum præcipuum est in modo loquendi Patrum, ac Conciliorum, cùm passim asseuerant, Romanum Pontificem ab ipso Christo Domino potestatem obtinere. Item Romanam Sedem à Christo Domino priuilegium habere, vt sit peculiariter Apostolica, à qua fides recta nequeat deficere. Denique ex Romana Sede definitionem certam in controuersijs fidei petendam esse, atque illos catholicos esse, qui illius sequuntur doctrinam: illos è contrà hæreticos, qui reijciunt. Ex quibus, & id genus alijs Ecclesiæ Romanæ elogijs, quæ magno numero superius recitauimus, colligi videtur, institu-

tionem Christi esse, vt qui successor Petri futurus est, sit Romanus Episcopus.

Accedit, quod D. Ambrosius in oratione ad Auxentium, quæ extat lib. 5. epistolarum, post epistolam 32. & Egesippus lib. 3. excidij Hierosol. cap. 2. referunt, Christum Dominum Petro ex Vrbe decedenti occurrisse, ac interroganti quò pergeret, respondisse: Eo Romam iterum, crucifigi. Ex qua historia conijci potest, Petrum ex voluntate, atque præcepto Christi Romam reuersum esse, ibique morientem reliquisse Romanum Episcopum successorem.

Alia sententia est Dominici de Soto, lib. 4. sent. dist. 24. quæst. 2. art. 5. qui contrà existimat, Apostolicam Sedem, hoc est, dictæ successionis rationem iure Ecclesiastico tantùm annexam esse Episcopatui Romano: ac proindè fieri posse auctoritate Ecclesiæ, vt Petri successor non sit Romanus Episcopus, sed vel Episcopus alterius Diœcesis, vel nullius determinatè, sed dumtaxat pastor vniuersalis. Fundamentum eius auctoris est, quòd Christus Dominus instituens Petrum vniuersalem Pastorem, nulli eum Ecclesiæ particulari addixit; neque aliundè institutio Christi circa hoc satis constat, quare videtur potius totum hoc reliquisse Christus dispositioni Ecclesiæ, vt scilicet illa pro ratione circumstantiarum, ac temporum variè statuere posset de conditione personæ eligendæ, quod expedire maximè videretur: sicut constat, vt postea videbimus, mutasse illam quandoque circumstantias electorum Summi Pontificis, & modum eumdem eligendi.

Hanc verò opinionem, vt Sotus defenderet, sanè oportuit eum in primis dicere, Concilia, & Patres neutram partem huius quæstionis apertè satis determinauisse. Quod enim dicunt, Romanum Pontificem habere potestatem à Christo, eiusque institutione primatum obtinere; id verò non nisi ex quadam hypothesi ab illis dictum esse, nimirùm, vt id intelligatur, quamdiù Romanus Episcopus est ille, quem Ecclesia ipsa successorem Petri constituit, siue hoc illa faciat propria auctoritate, siuè institutione Christi. Nihil verò Concilia, vel Patres determinare circa hanc hypothesim, vtrùm scilicet illa sit ex institutione Christi, vel tantùm ex Ecclesiastica traditione. Quidquid enim horum dicatur, manere ex fide certum id, quod ipsi asserunt, Romanum Pontificem, quamdiù in Petri successorem; sicut fit, eligitur, ab ipso Christo accipere auctoritatem vniuersalis pastoris. Quod verò attinet ad illam historiam ex Egesippo; licèt Christus Dominus præceperit tunc Petro, vt Romæ maneret, vsque ad mortem, indè tamen non necessariò sequi, præcepisse etiam eum, vt successor illius in cura Ecclesiæ vniuersalis esset perpetuò Romanus Pontifex; sed benè inde consequi, institutionem ipsius Petri, & Ecclesiæ, qua cautum est, vt Romanus Pontifex sit Petri successor, habuisse fundamentum in Christi voluntate statuente, vt Petrus Romæ permaneret, & suo martyrio Ecclesiam illam decoraret. Quod nisi accidisset, non fuisset dispositum, vt Romanus Episcopus D. Petro in vniuersali cura Ecclesiæ succederet. Quod, ipsum etiam Caietanus tract. 2. de compar. Pontif. & Concil. cap. 22. & in opusculo de Romani Pontificis institutione cap. 13. tantummodò voluisse videri potest, cùm ait, causam, ob quam Romanus Pontifex sit is, qui Petro succedat, fuisse (vt ille inquit) appropriationem Romanæ Ecclesiæ ad Petri vniuersalem pontificatum, firmatam Christi auctoritate, volentis, vt Petrus Romæ maneret, ac ibi moreretur: non autem Euangelicam institutionem.

Cæterùm vtcumque ista subtiliter pro Soti opinione disputari possint: mihi certè videtur ea opinio in re tam graui nimium esse singularis, nec verò satis tuta. Quæ enim testimonia Patrum, & Conciliorum pro contraria sententia Driedonis, Cani, & Turrecrematæ allegari possunt, maius omnino pondus habent, quàm vt tam subtilibus distinctionibus eludi possint. Quin prorsus arbitror, cùm Patres tot modis asseuerant, Romanam Sedem à Christo obtinere auctoritatis in Ecclesia primatum, non aliam institutionem, nisi ipsius Christi, à quo totum id priuilegium Sedis Romanæ pendeat, cogitauisse. Penderet autem id priuilegium etiam ex Ecclesiæ ipsius humana institutione, si posito tantùm, quòd Ecclesia auctoritate sua velit in Petri successorem eligi Romanum Pontificem, Romana Sedes diceretur habere à Christo primatum. Atqui Patres hoc minimè putauerunt: sed absolutè, Romanæ Ecclesiæ ex diuina institutione curam incumbere aliarum omnium Ecclesiarum, affirmat D. Leo epist. 84. item ad Ecclesiam Romanam, cuius fides sit ab Apostolo Paulo laudata, [non posse perfidiam habere accessum,] ait D. Cyprianus ad Cornelium, libro primo, epistola tertia, post medium: Item ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem oportere omnes alias Ecclesias conuenire, censet Irenæus libro tertio, capite tertio. [Quæ semper, inquit, Hieronymus aduersùs Ruffinum, immaculata permansit, & Domino prouidente, ac Beato Apostolo ferente opem, in futuro manebit.] Et clarissimè S. Anacletus epistola tertia: sicut Sixtus II. epist. 1. [Hæc, inquit, sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est; sicut ipse B. Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus &c. [Et Iulius huius nominis primus, in epist. ad Episcopos congregatos Antiochiæ: [Sanctam, inquit, Romanam Ecclesiam ipse Dominus allocutus est, inquiens: Tu es Petrus &c.] Atque vt alia antiquitatis testimonia (quæ sunt magno numero collecta, etiam à Cano libro sexto de locis Theologicis capite quarto, quinto, & sexto) prætercam, in magno certè Lateranensi Concilio, de summa Trinitate cap. Damnamus, ex certissima Ecclesiæ sententia, disertis verbis Ecclesia Romana dicitur, [Deo ipso disponente, mater esse, & magistra omnium Ecclesiarum.]

Itaque vetus Patrum traditio indicare videtur, Christi etiam institutionem esse, vt qui Petro successurus est, atque adeò, qui est à Christo accepturus primatum, is alius non sit, nisi Episcopus Romanus; vt copiosè etiam

ac

ac diligenter disputat Ioannes Driedo loco supra citato. Qua sanè ex re sequitur, numquam omnino futurum, vt ij à recta fide desciscant, qui fidem sequentur eius, qui legitimus erit, atque permanebit Episcopus Diœcesis Romanæ, siue is in illius Diœcesis loco morabitur, siue alibi. Nam idem ex institutione Christi erit successor Petri in cura Ecclesiæ vniuersalis, ac proinde errare minimè poterit in fidei doctrina proponenda, vt postea etiam sumus probaturi. Nunc satis fuerit ita breuiter explicauisse, quod est à nobis tertio loco probatum: Nempè Romanum Pontificem D. Petro in cura Ecclesiæ vniuersalis succedere. Videamus modò quid contra id soleant, aut possint etiam hæretici obijcere.

§. 39.

Confutatio argumentorum, quibus Sectarij contendunt, Romanum Pontificem non esse Diui Petri successorem.

PRincipio, Petrum Romæ fuisse, nedum Romæ mortuum esse, Velenus quidam, & Sebastianus Francus, & alij eiusdem farinę hæretici negant. Quin etiam dubitat ea de re Caluinus. Falsum igitur, aut certè minus exploratum est, quòd Romanus Pontifex succedat Petro defuncto.

Respondeo, quòd hoc isti negent, vel in dubium vocent, facere eos stultissimè, atque pueriliter, cùm sit res confirmata omnium historiarum, & Patrum testimonio, & ipsius Petri in Vrbe vestigijs. Id enim affirmant Eusebius lib. 2. cap. 14. & 15. & 25. & lib. 3. cap. 1. & 25. Egesippus lib. 3. de excidio Hierosolym. cap. 2. Sulpicius lib. 2. histor. Orosius lib. 7. hist. cap. 6. Eutropius libro itidem histor. Iræneus lib. 3. cap. 3. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. & libro de præscriptionibus. Epiphanius hæresi 27. Ambrosius in oratione contra Auxentium, quæ habetur lib. 5. epistolarum, post epistolam 32. *August. lib. 1. contra Iulianum* cap. 2. & aliàs passim. Hieronymus in Catalogo, vbi agit de Diuo Petro, & innumeri alij. Qua de re quoniam non nisi leuissimas ratiunculas pro suis somnijs Sectarij illi afferunt, quæ nemini prudenti persuadent, non opus esse iudico iam à me repeti, quæ sunt ab alijs sufficienter, vel potius dicam, penè supernacaneè (quis enim sanus de hoc dubitet?) tractata. Lege potissimùm Nicolaum Sanderum de visibili Monarchia Ecclesiæ lib. 6. cap. 10. Horatium lib. 6. Catholicorum locorum cap. 12. Lindanum lib. 4. Panopl. cap. 82.

Huc accedit, quòd si maximè dubitari posset, vtrùm Diuus Petrus Romæ fuisset (quæ tamen ipsa dubitatio nihil profectò differret ab insania) adhuc tamen non id haberent Sectarij, quod volunt. Nam inde solùm sequeretur, non esse Romanum Pontificem successorem D. Petri etiam in cura Diœcesis Romanæ: sicut iam ex omnium traditione esse constat, posset tamen adhuc ille Diuo Petro succedere in cura vniuersalis Ecclesiæ, quam potuisset Petrus annectere Romanæ Sedi, tametsi ille fuisset alibi Episcopus, aut etiam nullius fuisset particularis Ecclesiæ Episcopus. Quemadmodum etiam manens Romæ potuisset alterius Diœcesis Episcopo vniuersalem curam Ecclesię demandare, si coniunctio illa quidem Romanæ Sedis cum successione Diui Petri in vniuersalis Ecclesiæ cura non esset de iure diuino.

Secundum argumentum Sectariorum est, quòd Concilia, & Patres veteres, quorum auctoritate vtimur, non de huius temporis pontificibus loquuntur, cùm affirmant illos esse Petri successores legitimos, ac proinde in Ecclesia tenere primatum, sed de illis, qui priscis temporibus Ecclesiæ Romanæ præfuerunt; Nihil ergo eorum Patrum auctoritas Pontifici Romano præsenti, & alijs pro tempore futuris suffragari videtur.

Respondeo, veterum Patrum, & Conciliorum testimonia omnino etiam ad hunc præsentem Pontificem Romanum, & alios, qui pro tempore, tamquam Petri successores, ab Ecclesia recipientur, pertinere. Nam ratio, ob quam Patres illi suorum temporum Pontifices Romanos, Petri successores esse agnoscebant, alia propriè non erat, nisi quia illi legitimo modo ab Ecclesia Catholica in locum Petri recipiebantur, in qua re, vt supra §. 36. diximus, consistit hæc ratio successionis. Sed hic etiam pontifex, qui nunc est, legitimè item ab Ecclesia eadem in locum Diui Petri receptus est, & alij quoque, qui succedent, similiter, vt pono, recipientur. Ergo huic item pontifici, & futuris, veteres illi Patres testimonium successionis legitimæ perhibuerunt. Quemadmodum simili quoque ratione supra conclusimus, testimonia veterum Patrum, qui congregationem Romanis Pontificibus, suis illis temporibus adhærentem, legitimam esse Ecclesiam asseruerunt, ad hanc quoque numero congregationem pertinere, quæ Pontifici Maximo hodiè obtemperat.

Tertium argumentum est propriè contra hoc ipsum, quod nunc ponebamus, eos Pontifices Romanos, qui antecesserunt, vsque ad præsentem, esse legitimè receptos ab Ecclesia. Etenim à tempore Vrbani VI. qui Gregorio XI. demortuo, Anno 1378. electus fuit in mense Aprili, vsque ad præsentem pontificem, nullus videtur legitimè successisse. Nam, vt videre est apud Diuum Antoninum tertia parte histor. tit. 22. cap. 2. & initio Concilij Constantiensis, eodem anno 1378. in mense Iulio, ex Cardinalibus quidam, quòd pontificis electi mores difficiles non ferrent, Roma discesserunt, & in sequenti mense Septembri elegerunt alium pontificem, qui nominatus est Clemens VII. Porrò Vrbanus Romæ manebat, Clemens Auenione. Et vterque suos asseclas habebat. Quod schisma, vsque ad annum 1417. quo, vndecimo die mensis Nouembris, Martinus Quintus electus est, ita continua successione vtriusque Pontificis, & Cardinalium ab ipsis creatorum, continuatum est, vt non posset satis dignosci vter illorum esset verus pontifex. Imò & alius etiam tertius pontifex anno 1408. accessit, dictus Ioannes XXIII. quem aliqui Cardinales ex vtraque factione ad eam rem designati crearunt, vt refert Turrecremata lib. 4. cap. 9. Tandem Martinus V. à Cardinalibus multis ex illis dubijs, & schisma-

maticis, anno, vt dictum est 1417. creatus est in Concilio Constantiensi. Itaque nec præcedentes pontifices, nec ipse Martinus V. & consequenter, neque alij pontifices posteriores, qui Martino deinceps successerunt, legitimo modo videntur ab Ecclesia recepti. Accedit etiam, quòd post Martinum V. tempore Eugenij IV. fuit aliud schisma. Amadeus enim quidam in Concilio Basileensi, à quibusdam electus est, & vocatus Felix: Is postea Nicolao V. cessit, à quo Cardinalis creatus est. Neque tamen videtur satis compertum, vter istorum habuerit maius ius ad pontificatum: atque ita propter hoc etiam schisma dubij videntur pontifices illi omnes, qui Nicolao vsque ad pontificem præsentem successerunt.

Respondeo, tempore illo, quod ab Vrbano VI. vsque ad Martinum V. intercessit, illos sanè Pontifices censeri posse legitimè fuisse receptos, qui in huius Vrbani locum successionis serie recepti sunt; alios verò fuisse Schismaticos. Nam de electione ipsius Vrbani non videtur dubitandum, quin fuerit legitima. Qui proinde de modo, rationeque eligendi suos successores, poterat id statuere, quod in illa schismatum difficultate magis expedire iudicabat, donec aliquid aliud, ipso defuncto, Ecclesia ea de re decernendum putaret. Sed siue, hi, siue illi, durante eo schismate, fuerint legitimi Pontifices, siue nullus eorum, qui in schismate electi sunt, sed tunc sedes quasi vacauerit; nihil hoc quidem interest; modò constet ipsum tamdem Martinum V. in Concilio postea Constantiensi legitimo modo receptum fuisse in locum illius Vrbani, & antecessorum, atque adeo etiam in locum ipsius D. Petri.

Id autem ita esse, hoc modo probamus: Nam, vt suprà §.36. dictum est; modus legitimus recipiendi aliquem in Petri successorem ille prorsus est, quem Ecclesia pro ratione temporis, & aliarum circumstantiarum præscribit, rectumque esse iudicat: siue is modus præscribatur ab ipsomet Pontifice, in quo tanquam in capite, residet primaria auctoritas Ecclesiæ, atque adeo ius etiam constituendi modum in electione Pontificis, vt colligitur ex multis Canonibus septuagesima nona distinctione, & rectè ostendit inter cæteros Caietanus in Apologia de auctoritate Pontificum, & Conciliorum, par.2.cap.22. siue præscribatur ab Ecclesia in Concilio, vel aliter decernente; quando Sedes quidem Apostolica vacaret, aut illius possessio non esset admodum certa; & graues aliquæ circumstantiæ postularent eligendi modum aliquem extraordinarium; sicut intelligi potest ex his, quæ eruditè Turrecremata lib. 4. de Ecclesia, cap. 10. scripsit de decem vijs sedandi schismata in electione Pontificis. Nunquam enim deest Christus Ecclesiæ suæ, quin in omni casu possit illa ex schismatum difficultatibus emergere, indubitatum & certum Pontificem pacificè, & absque scandalis recipiendo in Diui Petri locum. Nunc certum est, Martinum V. electum in Concilio Constantiensi fuisse eo modo, qui omnibus circumstantijs illorum temporum consideratis, iudicatus est ab Ecclesia in Concilio tunc congregata optimus. Nam Gregorio XII. qui tunc erat Vrbani successor, suo iuri, propter Ecclesiæ pacem, atque bonum, cedente & alijs duobus Antipapis, scilicet Benedicto XIII. & Ioanne XXIII. depositis; omnibus Cardinalibus, qui Concilio quidem interfuerunt; siue illi veri essent, siue falsi, & sex præterea ex qualibet natione, qui Concilio interessent, delectis, ius suffragij actiui, & passiui datum est, quorum demùm suffragijs Martinus V. est electus. Qua quidem ratione nihil prudentius tunc temporis ad tantas schismatum difficultates, & scandala sedanda, constitui potuit. Itaque perspicuum certè est, Martinum V. legitimum fuisse Petri successorem, & consequenter etiam alios Pontifices sequentes, quia omnes recepti sunt eodem modo, quem habita temporis ratione Ecclesia legitimè præscripsit: quamuis pro ratione temporis modus ille quidem, quo Martinus electus est, fuerit à solito diuersus. Ordinariè autem iam ea ratio seruatur, vt qui à duabus partibus Cardinalium eligitur, ille Pontifex legitimus habeatur, vt patet extrà de electione, cap. licet de euitanda.

Ex quibus intelligitur, quàm turpiter Wiclephus, quem & alij Sectarij sequuntur, errauerit, cùm propositione nona damnata in Concilio Constantiensi asseruit, à tempore Vrbani VI. nullum esse recipiendum tanquam Pontificem, sed more Græcorum proprijs legibus esse viuendum. Errant isti turpissimè: quoniam via ac ratio fuit, ac erit semper in Christi Ecclesia, vt schismate sedato, vnicus, verus, & indubitatus Pontifex ab omnibus agnoscatur. Neque enim illud schisma primum fuit in Ecclesia, sed schismata omnino viginti illud præcesserunt, vt Turrecremata etiam lib. 4. de Ecclesia cap. 9. commemorat. Nec ideò tamen nullus ante Vrbanum VI. fuit verus in Ecclesia Pontifex.

Iam verò ad illud, quod in confirmationem eius argumenti de schismate Amadei addebatur, facilis est responsio. Nihil enim huiusmodi casu successio Pontificum dubia redditur, cùm constat Amadeum illum cum suis electoribus apertè schismaticum fuisse, maxima Ecclesiæ parte Eugenium IV. (legitimum sine controuersia successorem Martini V.) & successorem Eugenij, Nicolaum V. pro legitimis Pontificibus cognoscente.

Quartum argumentum fieri porrò potest contra hoc quod nunc dictum est, eum esse legitimum Petri successorem, quem Ecclesia recipit, modo quem iudicat conuenientissimum. Nam qui legitimus Petri successor est, is à Christo Domino certò, & infallibiliter accipit supremam in terris potestatem, qualem habuit Petrus, vt suprà probatum est. At non semper, qui ab Ecclesia legitimo modo in locum Petri recipitur, eam potestatem à Christo Domino accipit: Ergo non illico legitimus Petri successor is est, qui ab Ecclesia recipitur modo legitimo. Id patet in casu, quo per errorem eligeretur mulier, quod saltem posse accidere non admodum dubitare videntur quidam, etsi falsa, atque commentitia omnino sit alioqui historia illa de Ioanne fœmina, vt Onuphrius in annotat. ad Platin. & etiam Alanus Cop. dialogo primo, capite octauo, & alij demonstrarunt. Præterea idem patet, si errore eligeretur infidelis quispiam non baptizatus. Talis enim non

reci-

reciperet verè à Christo primariam potestatem, neque verè esset Pontifex, vt ex communi orthodoxorum sententia ponit Turrecremata lib. 4. de Ecclesia par. 2. cap. 20.

Respondeo. Quod dictum est, illum esse legitimum D. Petri successorem, atque adeo primariam auctoritatem à Christo accipere, quem Ecclesia modo legitimo recipit in locum D. Petri; id non aliter intelligendum est, nisi posito, quòd Ecclesia legitimo modo eum eligat, ac recipiat, qui sit alioqui capax Pontificatus. Mulier autem, & infidelis, Pontificatus minimè sunt capaces. Quare argumentum hoc non euertit ea, quæ sunt dicta.

Sed hinc rursus nascitur alia difficultas, de qua non inutiliter tractari solet à Catholicis Theologis in scholis. Nam si casus isti, in quibus incapaces Pontificatus eligantur, possibiles sunt; sequitur, non posse nos penitùs esse certos; vtrùm hic, vel ille electus, sit verus Pontifex. Nam licèt simus omnino certi, Ecclesiam veram, modo conuenienti, tum ex parte electorum, tum ex parte modi in eligendo, hunc, aut illum legitimè recepisse: at dubitare poterimus, vtrùm ille baptizatus sit, atque adeo num sit capax Pontificatus. Itaque nec poterimus esse certi omnino de ijs, quæ ille tanquam de fide definierit. Eòdemque res recidet, atque si liceret dubitare, vtrùm Deus voluerit esse aliquem omnino successorem Petri in Ecclesia perpetuò, qui sit regula fidei, & morum infallibilis. Illud enim idem incommodum, quòd ex hac dubitatione sequeretur; videlicet incertitudo eorum, quæ Romanus Pontifex decerneret; perinde sequeretur ex illa etiam dubitatione, vtrùm videlicet hic sit verus successor Petri nec ne.

Ad hanc expediendam difficultatem, libenter illud solum responderem, quòd multi docti, ac pij viri meritò credunt, atque ipse mihi persuadeo: nempe nunquam futurum, vt incapax eligatur; Deo, ad auertendum ab Ecclesia sua periculum, *facilè* (*vt potest*) id *prohibente*. Neque id reuera vnquam accidisse arbitror, aut de lege ordinaria posse accidere: obstante nimirum decreto eiusmodi prouidentiæ diuinæ. Sed quia graues etiam Doctores eiusmodi casum tanquam possibilem admittunt; consequenter sanè concedendum est ab illis, non ex hoc ipso tantùm, quòd aliquis ab Ecclesia in Diui Petri locum electus est, ex fide infallibili esse certum, quòd is sit verus Pontifex; quandoquidem incapax eius muneris eligi posset, vt admittunt. Cęterùm non inde sequitur illud incommodum, quod obijciebatur, nempe vt necesse sit de certitudine definitionum, siue decretorum electi Pontificis dubitare. Hoc, inquam, incommodum dico non sequi, idque ostendimus duplici ratione.

Prima, quia certa fide compertum est firmum esse, ac ratum quicquid circa vniuersam Ecclesiam statuit is, qui existimatur ab omnibus fidelibus Pastor Ecclesię vniuersalis: nam illud Ecclesia tota, quæ decipi nequit, tenetur recipere, vt paulò post probabitur. Atqui Pastor vniuersalis ab omnibus fidelibus is existimatur, qui ab Ecclesia in locum D. Petri legitimè est receptus: Igitur si is aliquid erga vniuersam Ecclesiam decernat, à nemine dubitari potest quin illud sit ratum, & firmum: siue id quidem infallibiliter decernat tanquam verus Pontifex, cuius videlicet ministerio Deus, ex certa, & ordinaria lege in Ecclesia gubernanda, tanquam instrumento vtatur, siue Deo tantummodo in particulari casu non permittente, vt erret, in erroremque adeo inducat vniuersam Ecclesiam, cui se Deus nunquam defuturum promisit. Procedit enim perinde hæc prima ratio, siue concedamus fieri etiam posse, vt falsus Pontifex statuat aliquid circa vniuersam Ecclesiam, siue id non concedamus, vt concedi reuera non debet, sicut iamiam videbimus.

Secunda ratio quare non sequatur illud incommodum, quod obijciebatur, est, quia cùm primùm is, qui est electus Pontifex, statuit aliquid in fide, aut moribus, quod ad vniuersam Ecclesiam pertineat, eo ipso est nobis certum de fide, quòd ille sit Pontifex legitimus; qui à Deo videlicet acceperit potestatem illam iurisdictionis primariam. Quæres autem vnde hæc fidei certitudo tunc eliciatur? Respondeo, ex duabus propositionibus de fide, hoc modo: Quem Christus Dominus in ijs, quæ vel ad fidem, vel ad mores pertinent, ab vniuersa Ecclesia audiri vult; is verus ac legitimus est pastor Ecclesiæ vniuersæ. Sed Pontificem ab Ecclesia legitimo modo electum, cùm is aliquid ad vniuersam Ecclesiam pertinens in fide, aut moribus statuit, audiri vult Christus Dominus ab vniuersa Ecclesia: ergo verus ille Pastor est vniuersæ Ecclesiæ.

Prior propositio patet ex illis Scripturæ testimonijs, quibus superiùs §. 27. probauimus, Christum Dominum super Petrum determinatè, & eius successores, quorum vnusquisque, communione quidem eiusdem auctoritatis, esset in Ecclesia futurus quasi alter Petrus, voluisse, vt exurgeret totum ædificium Ecclesiæ. Nam super te, inquit Matt. 16. [ædificabo Ecclesiam meam. Et Ioan. 21. Pasce, tu Petre, oues meas. Et Lucæ 22. Tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Quarum certè sententiarum ea vis est, vt intelligere debeamus per neminem alium hominem singularem, nisi qui communione eiusdem auctoritatis reuera sit tanquam ipse Petrus, quique habeat præceptum illum pascendi oues Christi vniuersas, Ecclesiam regi, ac proinde, obligari ad recipiendum fidei, & morum instituta, quibus illius ædificium continetur. Ideo enim cæteris Apostolis prę teritis solùm Petrum ex nomine toties tamque singulariter Christus compellauit, dum eam illi auctoritatem vel promitteret, vel tribueret, vt ea re clarè significaret, per neminem alium hominem singularem, velle se spiritu suo sancto ita instruere Ecclesiam, sicut per Petrum & eos, qui in eadem auctoritate futuri essent, tanquam ipse Petrus, vt suprà disputatum est.

Iam probatur illa altera propositio potestatis: nempe velle Christum, vt is in rebus fidei, atque morum ab vniuersa Ecclesia audiatur, qui ab Ecclesia est legitimè in Pontificem electus. Nam cùm in Scriptura datur præceptum subditis, ad Hebr. 13. vt [Præpositos suos audiant;] de ijs Præpositis omnino

nino sermo est, quos subditi suos esse Præpositos agnoscunt, & pro talibus habent; alioqui frustra prorsus id præceptum daretur. Quare certum ex fide est, velle Christum, vt quem Ecclesia vniuersa Pastorem suum esse agnoscit, eum de rebus fidei, & morum docentem audiat. Agnoscit autem omnino eum esse Pastorem, quem ipsa legitimè elegit, ac recepit. Hunc igitur ex Christi voluntate tenetur audire. Certa igitur ex fide est quoque posterior illa propositio. Atque ita patet, conclusionem etiam, quam ex vtraque propositione deduximus, certam ex fide esse: videlicet, electum legitimè in Pontificem, & aliquid postea erga vniuersam Ecclesiam definientem, verum esse Pontificem: ac proinde minimè de certitudine illius decretorum esse dubitandum.

Ex quibus rebus consequitur, si quis fortè in Pontificem, huius auctoritatis incapax, quod minimè vereor futurum, eligeretur, numquam tamen fore, vt is aliquid erga Ecclesiam vniuersam decerneret, sed vel discederet è vita, priusquam ad id, ventum esset, vel illius certè vitium, & incapacitates Deo prouidente detegeretur. Neque verò hoc foret aliquod miraculum, sed quiddam omnino consequens ex ordinaria illa Christi lege, qua is voluit Ecclesiam suam vniuersam non per ministerium alicuius alterius hominis singularis, præterquam legitimi Pastoris; gubernare.

Erga particularem verò Ecclesiam aliquam, aut aliquas etiam personas, non esset vsque adeo incommodum concedere, posse aliquid statuere eum, qui verus non esset Pontifex. Quo casu Deus per se, sicut in similibus casibus piè credi posse, notat ex sententia D. Thomæ, & aliorum Theologorum, Turrecremata lib. 4. de Ecclesia, part. 2. cap. 2. suppleret, ad aliorum videlicet necessarias vtilitates, ministerium Pastoris veri: Vt confirmando per se, exempli causa, eos Episcopos, quos ille Pontifex confirmasse verè putaretur.

Sed quæret hic aliquis; cuiusmodi debeat esse illud, ad vniuersalem Ecclesiam pertinens, quod cùm Pontifex statuit, intelligitur certissimè secundùm fidem esse verus Pontifex. Nam si opus est, vt aliquid circa fidem definiat; cùm eiusmodi definitiones à paucis Pontificibus, & raro fiant; raro etiam ex fide constabit, aliquem esse Pontificem verum.

Respondeo primò, quàmdiu Pontifex quidem nihil erga vniuersam Ecclesiam statuit, nihil vel parum admodum imminere periculi, si diu, aut etiam omnino non constaret ex fide, illum esse verum Pontificem, sed certitudine tantùm morali. Plus enim quiddam est, sedem Apostolicam omnino vacare, quàm non prorsus ex fide constare, num is, qui in ea præsidet, legitimè ac verè præsideat. Et tamen vacat quandoque sine magno Ecclesiæ incommodo Sedes Apostolica aliquamdiu. Minus igitur incommodum erit, si is, qui in ea præsidet, morali tantùm certitudine existimetur ritè præsidere, non autem infallibili fide.

Deinde dicimus, non modò ex definitione fidei, sed etiam ex aliqua institutione circa mores, ad vniuersam Ecclesiam pertinente, quales sæpè fiunt à Pontificibus, colligi posse de fide, quòd aliquis sit verus Pontifex. Imò etiam ex dispensatione Thesauri Ecclesiæ per generalem indulgentiam, siue Iubilæum. Nec enim his etiam modis Christus Ecclesiæ suæ prospicit per alterius ministerium præterquam veri Pastoris. Quare non ita raro accidit, vt per fidem constet de vero Pontifice.

Postremò à nobis illud breuiter refellendum est, quod vaniloqui hæretici obijciunt, aliquos Romanos Pontifices à nonnullis principibus, aut etiam ab alijs grauibus viris, vehementiùs quandoque reprehensos fuisse, atque etiam eo loco habitos, quasi non Petri successores, & Christi Vicarij, sed Antichristi essent. Quo in calumniæ genere eo etiam nostri Aduersarij processerunt impudentiæ, vt eam communem fuisse Ecclesiæ existimationem de Pontificibus Romanis suadere quidam vanissimè, & mendacissimè conentur. Sed hanc de Antichristo contumeliam varij Theologi, nec ita pridem sufficientissimè, & doctissimè refutarunt; Vt Sanderus toto libro octauo de visibili Monarchia Ecclesiæ. Et Bellarminus libro tertio de Romano Pontifice. Et quo loco Romanus Pontifex in Ecclesia semper sit habitus ex allatis suprà §. 26. testimonijs aduersùs istorum vanitatem, satis superque iam constat. Itaque breuiter iam pro instituto nostro respondemus: Si qui ex orthodoxis acriùs aliquando in Romanum Pontificem inuecti sunt; ij non ad locum, & auctoritatem, sed ad priuata vitia personæ, seu conficta, seu vera, respexerunt. Quod nobis nihil sanè obstat. Nec enim, vt illi sedi auctoritas sua constet, defendi necesse est, omnes, & singulos, qui in ea sederunt, fuisse innocentissimos.

Quin immò schismaticis istis Romanorum Pontificum obtrectatoribus, qui, mendacijs ferè diaboli voce confictis aduersùs sacerdotes Dei (vt de sui temporis hæreticis grauissimis verbis scripsit Cyprianus) Catholicæ vnitatis concordiam rumpere conantur, fidenter idem respondemus, quod ad similes criminationes (sunt enim omnes hæretici, quod ad odium sedis Apostolicæ attinet, similes) olim respondit D. Augustinus Donatistis hæreticis, libro 2. contra literas Petil. cap. 51. [Cathedra, inquit, tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ? in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius, dicamus nos Clemens, sedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & à qua vos nefario furore separastis? Quare appellas cathedram pestilentiæ, cathedram Apostolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere: numquid Dominus Iesus Christus propter Pharisæos, de quibus dixit Matthæi 23. Dicunt enim, & non faciunt; cathedræ in qua sedebant, vllam iniuriam fecit? Nonne illam cathedram Moysi commendauit, & illos tamen, seruato cathedræ honore, redarguit? Ait enim: Super cathedram Moysi sedent, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt. Hæc si cogitaretis (nonne Sectarios hodie etiam alloqui videtur?) non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis cathedram Apostolicam, cui non communicatis.] Tum etiam idem Augustin. lib. 2. contra lit. Petil. cap. 72. [Cùm tales, Pharisæi, sederint

rint super cathedram Moysi, cui Dominus honorem seruauit: quare vos propter eos, quos istis, siue iustè, siue iniustè, comparatis, cathedram Apostolicam blasphematis?] Hæc Augustinus. Quæ à nobis hoc tempore similiter, aduersùs Sectariorum meledicta in Romanos Pontifices, iure optimo vsurpantur.

Ex quo etiam intelligi potest, qua ratione, & illud accipi debeat, quod D. Gregorium lib. 4. Registri, epistola 32. scripsisse legimus: [Antichristi præcursorem eum esse, quisquis se contemptis reliquis Episcopum vniuersalem appellare audet.] Non enim locum ipsum, & dignitatem vniuersalis Episcopi Gregorius exagitat, sed superbiam, & arrogantiam in eo nomine temerè vsurpando, quasi nullus alius Episcopus esset. Quod vitium iure optimo reprehendere potuit Gregorius in illo Ioanne Constantinopolitano, schismaticè primatum affectante, aduersùs quem eo loco scribebat.

Ac sanè maximam esse Sectariorum vanitatem, quòd illud etiam Gregorij dictum aduersùs Pontificis Romani primatum obijcere soleant, ex ea re perspicuum est, quòd in eo ipso loco, vbi Gregorius vocabulum illud exagitat, simul etiam Petri primatum, cuius ipse successorem se frofitetur, agnoscit, ac luculenter asserit; nempe lib. 4. epist. 32. [Cunctis, inquit, Euangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica, sancto & omnium Apostolorum principi Petro, totius Ecclesiæ cura commissa est, &c.] Et infrà vocabulum etiam ipsum vniuersalis Episcopi Romano Pontifici à Chalcedonensi Synodo delatum esse memorat; quamuis illud Pontifex modestè detrectauerit: [Certè, inquit, pro beati Petri Apostolorum principis honore, per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est nomen Vniuersalis.] Idem lib. 4. epist. 38. scribens ad illum ipsum Ioannem: [Numquid non, sicut vestra sanctitas nouit, per venerandum Chalcedonense Concilium huius Apostolicæ sedis Antistites, *cui, Deo disponente, deseruio*, Vniuersales, oblato honore, vocati sunt?]

Tria igitur à nobis hactenus probata atque defensa sunt, ex quibus certissimè concludimus, Romanum Pontificem suprema in Ecclesia auctoritate ad constituendum infallibiliter de rebus fidei, & morum præditum esse. Primò, auctoritatem eiusmodi D. Petro à Christo tributam esse. Secundò, non Petro solùm, sed eius etiam vsque in sęculi finem legitimis successoribus eam à Christo auctoritatem tribui. Tertiò, Romanos omninò Pontifices esse in eo genere legitimos D. Petri successores. Quare manet profectò, Romanum Pontificem, pro tempore existentem, eum esse cui tamquam successori D. Petri, vniuersalis Ecclesiæ cura, quod ad fidem, moresque spectat, commissa sit, & in quo proinde de quæstionibus omnibus fidei decernendi auctoritas resideat.

QVÆSTIO SEXTA

§. 40.

An ab omnibus fidelibus, ex diuino præcepto recipiendum sit, quod Romanus Pontifex definit, esse fidei sententiam.

RESpondemus per hanc assertionem: [Quotiescumque Romanus Pontifex in fidei quęstionibus definiendis, illa, qua est præditus, auctoritate vtitur; ab omnibus fidelibus tamquam doctrina fidei recipi diuino præcepto debet ea sententia, quam ille decernit esse sententiam fidei. Toties autem eum illa ipsa auctoritate vti credendum est, quoties in controuersia fidei sic alterutram sententiam determinat, vt ad eam recipiendam obligare velit vniuersam Ecclesiam.]

Prior huius assertionis pars facilè probatur ex his, quæ hactenus sunt constituta. Nam si D. Petro, tamquam vniuersali Ecclesiæ pastori, Christus auctoritatem tribuit, infallibiliter constituendi de quæstionibus fidei: & hæc eadem auctoritas Romanis Pontificibus D. Petri successoribus diuinitus confertur (quæ duo hactenus à nobis confirmata sunt) dubitari non potest quin etiam Christi oues teneantur tunc salutarem pastum doctrinæ fidei acceptare, cùm vsu illius auctoritatis à Romanis Pontificibus ipsis ostenditur. Omnes enim in primis hanc obedientiam suo pastori, atque præposito debent, vt siquid ille in quæstionibus fidei infallibiliter verum tradiderit, id sibi verissimum esse persuadeant, nec possint assentiri contrario.

Ac nisi eiusmodi auctoritatem docendi **Christus D. Petro** (atque adeo etiam successoribus eius) attribuisset, sanè quidem, nec absolutatam curam pascendi Dominicum gregem Petrus suscepisset (cùm pascatur ille in primis veritate doctrinæ) neque omninò claues regni cælorum accepisset, cùm aperiantur in primis cæli vera doctrina fidei sine qua impossibile est placere Deo, ad Heb. 11.

Huc apertissimè quoque spectat illud Christi: [Ego, inquit Lucæ 22. rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Quod rectè in primis ad officium docendi sancti Patres referunt. Hoc, & ipse Petrus etiam illis verbis testatus est: [Viri fratres, inquit, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus elegit Deus per os meum audire gentes Euangelium, & credere,] Actor. 15. Atque eam etiam D. Petri auctoritatem D. Ambrosius in cap. 5. Lucæ, pulchrè colligit, ea re à Christo significatam esse, quòd alijs Apostolis præsentibus, soli tamen Petro dixit, Lucæ 5. [Duc in altum, idest, in profundum disputationum.] De quo multa etiam superius à nobis dicta sunt, circa locum præsertim Matth. 18. pro D. Petri primatu, §. 27. & multa quoque disputantur eruditè tum ab alijs scriptoribus, tum præcipuè à Ioanne Turrecremata lib. 4. de Ecclesia cap. 107.

Cùm igitur constet, id ab omnibus in ma-

materia fidei recipi debere, quod Romanus Pontifex D. Petri succeſſor vtens ea docendi auctoritate, qua eſt præditus, infallibiliter tradit; Altera nunc pars aſſertionis à nobis confirmanda eſt, nempe toties Romanum Pontificem illa docendi auctoritate vti, hoc eſt, infallibiliter Spiritu ſancto aſſiſtente docere, quoties de rebus fidei controuerſis alterutram ſententiam ita determinat, vt ad eam recipiendam obligare velit vniuerſam Eccleſiam. Niſi enim etiam de hoc conſtet, dubitare liceret, num ob eam rem fortaſſis Pontificis definitio in fidei quæſtionibus falſa ſit, quòd non ſit in definiendo vſus illa infallibili auctoritate docendi, qua eſt præditus.

Id autem, vt probemus, diſtinguendi ſunt modi, quibus poteſt contingere, Pontificem aliquid aſſerere. Primò enim poteſt ſibi perſuadere, aut aſſerere aliquid, vt priuata perſona quædam, vel doctor alius quiſpiam. Vt, ſi nollet Eccleſiam vniuerſam ad recipiendam ſuam aſſertionem obligare, ſed tantùm ſententiam ipſe ſuam reputaret veram. Hoc modo Innocentius III. & nonnulli alij Pontifices opuſcula varia ediderunt. Ac illa quidem, quæ ſic Pontifex aſſeuerat, communis ſententia omnium Theologorum eſt, non oportere eſſe omnia vera, & infallibilia, quaſi à Pontificia auctoritate profecta. Quin imò à pleriſque auctoribus conceditur; fieri poſſe, vt Pontifex tamquàm quædam priuata perſona in hæreſim labatur.

Quod, & quandoque eueniſſe, ex ſexta & ſeptima Synodo generali, itemque ex nonnullis Pontificum epiſtolis, nonnulli colligunt nimirum ex epiſtola Adriani, vt habetur in octaua Synodo, actione 7. & ex epiſtola Agathonis, vt habetur in ſexta Synodo, actione 4. in quibus commemoratur. Honorium Pontificem defunctum condemnatum eſſe, tamquam infectum errore Eutychetis, de vna voluntate, & operatione Chriſti. Et quamquam Albertus Pighius Campenſis lib. 4. Eccleſiaſt. hierarch. cap. 8. & ante eum Ioannes à Turrecremata lib. 2. de Eccleſia capit. 93. piè conentur hunc Pontificem (ſicut, & nonnullos alios, de quibus minor difficultas eſt) à nota hæreſis vindicare, defendantque, eum aut omninò damnatum ab Eccleſia non fuiſſe, aut non niſi ſecundùm falsò allegata, & probata fuiſse damnatum: tamen (quicquid de ea quæſtione, particularis facti ſtatuatur) videtur ſaltem in illis Concilijs, & epiſtolis Pontificum, atque etiam in Concilio quinto Romano ſub Symmacho, canon. 3. admitti tamquam poſſibilis eiuſmodi caſus, quo ſcilicet Romanus Pontifex in hæreſim priuatim labatur.

Secundò modo poteſt Pontifex aliquid aſſerere obligando vniuerſam Eccleſiam, vt illud recipiat, nec quiſpiam audeat ſibi perſuadere contrarium. Et quæcumque Pontifex in aliqua de religione controuerſia ſic aſſerit, certa fide credendum eſt, illum infallibiliter, ac proinde ex auctoritate Pontificia, hoc eſt, ex diuina aſſiſtentia, id aſſerere.

Atque hoc ipſum eſt, quod ponimus in Secunda parte illius noſtræ aſſertionis. Quę ſic probatur. Quidquid eo modo Pontifex determinat, id ſine contradictione Eccleſia vniuerſa tenetur recipere. Sed quidquid Eccleſia vniuerſa, vno aliquo homine docente, tenetur recipere, id eſt veritas infallibilis, quam Spiritus ſanctus miniſterio legitimi paſtoris illi ſuggerit. Ergo quidquid eo modo Pontifex determinat, id ſuggerente Spiritu ſancto, tamquam legitimus paſtor, ac proinde ex Pontificia auctoritate infallibiliter determinat.

Maior propoſitio probatur. Nam cùm Chriſtus dedit Petro, & ſucceſſoribus (vt ſuperiùs probatum eſt) auctoritatem regendi totum Eccleſiæ ouile, atque adeo illud paſcendi verbo doctrinæ; dubium non eſt quin etiam oues vniuerſas obligarit, ad ſui Paſtoris, atque Præpoſiti vocem audiendam: idque tunc præcipuè; cùm Paſtoris cura, & educatus maximè illis neceſſarius eſt, videlicet in rebus de fide, ac religione controuerſis. Quin imò D. Petrum habuiſſe, & ſucceſſores eius Romanos Pontifices nunc habere, poteſtatem à Chriſto cum auctoritate docendi vniuerſam Eccleſiam (quod abundè ſuperiùs probatum eſt) hoc ipſum ſanè eſt; ita docendi munus illis commiſſum à Chriſto eſſe, vt eorum vocem audire vniuerſi fideles teneantur. Quod præclarè intelligens D. Cyprianus lib. 1. ep. 3. veriſſimè illud ſcriptum reliquit: [Non aliunde hæreſes oriri, quàm quod ſacerdoti Dei non obtẽperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur.] Vt iam cætera teſtimonia veterum ſuperiùs pro D. Petri, & ſucceſſorum auctoritate citata, non repetam. Certa eſt igitur illa propoſitio maior.

Minor autem eiuſdem argumenti propoſitio patet ex promiſſionibus diuinis, quas habet Eccleſia de doctrinæ veritate certiſſimas, ne vnquam tota in errorem induci poſſit, ſicut ſuprà §. 16. in loco de vera Eccleſia circa proprietatem ſeptimam vidimus: itemque ex Scripturæ teſtimonijs ſuprà §. 38. allatis, quibus ſanè conſtat, lege ordinaria Spiritum ſanctum, non per aliquem alium hominem ſingularem, veritatem ſuggerere vniuerſæ Eccleſiæ, (cum obligatione acceptandi) niſi per legitimum Paſtorem, cui nimirum traditæ ſunt oues Chriſti paſcendæ; & ſuper quem ęſt ædificata ipſa Eccleſia.

Ac ſanè inſtar petræ firmiſſimas, maximèque infallibiles eiuſmodi Pontificum Romanorum definitiones eſſe, paſſim eſt à ſanctis Patribus, & Concilijs conſtitutum, vt videre eſt in pleriſque teſtimonijs, ex ijs quæ ſuprà non paruo numero pro primatu Petri ſucceſſorum citauimus. Præſertim in ijs, quæ allata ſunt ex antiquis Concilijs, & Pontificibus, & alijs circa locum Matth. 16. Lucæ 22. & Ioan. 21. ſuprà paragraphis pręcedentibus. Prorſus vt iure, ac meritò Leo X. articulum etiam Lutheri vigeſimum octauum damnauerit, qui continebat, non obſtante determinatione Pontificis, poſſe quempiam contra eam ſentire: in Bulla damnationis Lutheri. Ac eamdem propoſitionem tanquam hæreticam damnauit Sixtus IV. in Concilio Complutenſi contra Petrum quemdam Oxonienſem.

Poſtremò idipſum probare poſſumus ex perpetua praxi Eccleſiæ. Si enim iam vſque ab exordio Eccleſiæ memoriam temporis Ordine

dine repetamus; constat profectò controuersias omnes de religione moras, ex D. Petri cathedra fuisse iudicatas, eosque tandem, & solos, communi Ecclesiæ iudicio, hæreticos esse habitos, qui repugnarint definitioni eius cathedræ. Etenim ortam quæstionem de obseruatione legalium, in primis ipse Diuus Petrus in Apostolico Concilio Actor. 15. terminauit.

Deinde qui volebant Pascha non nisi decima quarta luna, etiamsi Dominicus dies tunc non esset, celebrari debere, tandem obtinente sententia, atque definitione Romani Pontificis Victoris, hæretici sunt habiti, vt patet ex Eusebio lib. 5. cap. 23. & 24. & à propria secta, vt fit, nominati Quartadecimani, vt patet ex Epiphanio, hæres. 50.

Item Cornelius in Concilio Romano Nouatianorum damnauit errorem, vt patet ex Eusebio lib. 6. cap. 33.

Item damnauit idem Cornelius (teste Eusebio lib. 7. cap. 2.) atque etiam Stephanus, errorem rebaptizatium hæreticos, teste D. August. lib. 5. de bapt. contra Donatistas cap. 23. Idque apparet etiam ex D. Cypriano, in epistola ad Pompeium: quam epistolam Diuus etiam Augustinus illic commemorat.

Item damnati sunt Arriani, in Concilio Nicæno (vt patet ex actis eius Concilij) Siluestri Legatis, Vito, & Vincentio, & Hosio, in eo præsidentibus, & eodem postea Siluestro, ad Patrum petitionem, Concilium id confirmante.

Item Macedoniani in Concilio primo Constantinopolitano, quod Damasus Pontifex ad eum finem suis literis mandauit congregari, vt apparet ex Theodoreto, lib. 5. cap. 9.

Item Nestoriani in Concilio Ephesino, Cœlestini Pontificis vices gerente D. Cyrillo, vt patet ex Euagrio, lib. 1. cap. 4.

Item Eutychiani in Concilio Chalcedonensi, Paschasino, & Lucentio, locum Leonis tenentibus, vt patet ex actis eius Concilij.

Item Pelagiani ab Innocentio, & Zozimo, vt patet ex Augustino lib. 2. Retract. cap. 50.

Item Monothelitæ in Synodo sexta, & Iconomachi in septima, similiter præsidentibus Romani Pontificis Legatis, vt patet ex actis illorum Conciliorum.

Item error Berengarij à Leone IX. in Concilio Vercellensi, & Nicolao II. in Concilio Romano, & ab alijs etiam Pontificibus.

Et Petri Abailardi ab Innocentio II. epist. 195. inter epistolas D. Bernardi.

Et Gilberti Porretani ab Eugenio III. in Concilio Remensi, teste D. Bernardo, serm. 80. in Cantica circa finem.

Et Abbatis Ioachimi ab Innocentio III. in magno Concilio Lateranensi sub eodem Pontifice.

Et Begardorum, ac Beguinarum à Clemente V. in Clementina ad nostrum, de hæreticis.

Et Ioannis Wiclephi, & Ioannis Hus à Martino V. in Concilio Constantiensi.

Et Græcorum ab Eugenio IV. in Concilio Florentino: Vt dubitare iam nemo possit, quin sententiæ, quoque nostri temporis Sectariorum, similiter à diuersis hoc nostro sæculo Pontificibus condemnatæ, hæreticæ sint.

§. 41.

Refutantur ea quæ contra infallibilem auctoritatem Pontificis obijci possunt.

CÆterùm, vt magis etiam huiusmodi assertio confirmetur, nonnullæ iam expediendæ sunt hoc in loco difficultates. Quod faciam breuiter ad ea ipsa respondendo, quæ contra constituta hactenus de Pontificis auctoritate infallibili, opponi possunt. Potest autem opponi Primo, quòd non satis compertum esse videatur, vtrùm Pontifex in canonizatione Sanctorum errare nequeat. Cùm enim ille testimonijs hominum, & probatione necessariò in ea re nitatur; vt hoc testimonium fallibile est, sic videtur Pontifex falsò posse pronunciare, aliquem reuera esse sanctum. Item in approbandis Religionibus similiter errare posse videtur. Nam ex iure Canonico constat, aliquas Religiones priùs approbatas, postmodum improbatas, & explosas esse, vt patet in lib. 6. Decretalium, titulo de religiosis domibus, cap. vnico, & in extrauaganti, Sancta Romana, quæ est Ioan. 22. Non igitur ea quæ Pontifex determinat, omnia sunt infallibilia.

Respondeo. Non est negandum, quin quod dictum est de infallibili certitudine definitionum Pontificis, in primis locum habeat in ijs, quæ Pontifex ad doctrinæ controuersias finiendas, erroresque exterminandos, fidelibus proponit, tanquam à Deo reuelata, & credenda ex fide. Cæterùm quoniam Pastorem suum semper audire tenetur Ecclesia, & Ecclesiam diuina Scriptura absolutè prædicat, esse columnam, & firmamentum veritati, 1. Timoth. 3. ideòque nunquam errare tota potest; dubium esse non debet, quin in alijs, quoque rebus omnibus asserendis, quæ ad pietatem spectent, & Ecclesiam totam concernant, infallibilis sit Pontificis auctoritas. Neque sanè arbitror, hoc absque errore negari posse. Vt enim alijs omnibus Ecclesiæ Ministris, ita etiam in primis summo Ecclesiæ Pastori attributa est potestas auctoritasq; sui muneris ad ea, quæ pertineant ad Ecclesiæ ædificationem. Talia autem cùm sint, quæcumque spectant ad pietatem; dubitari non debet, quin in ijs constituendis Pontifex officio suo fungatur. Cùmque in vsu sui muneris ille, si quid pro Ecclesia vniuersa statuit, errare (vt anteà probatum est) non possit: fit vt in omnibus, quæ ad pietatem religionemque spectent, sit infallibilis illius auctoritas, quemadmodum dixit.

Itaque, quod ad Canonizationem Sanctorum attinet, omninò nego id, quod communiter Doctores Catholici iure optimo negant, videlicet posse Pontificem hac in parte errare. Quamuis enim testimonia, quæ pro alicuius hominis sanctitate asseruntur, sint humana, ideòque natura sua fallibilia: tamen posito quòd Pontifex illis inducatur tandem ad pronunciandum, quempiam sanctum, atque beatum iam esse, certa fide credendum est, testimonia illa (quatenùs in genere saltem probant piè, atque sanctè quempiam ex

hac vita excessisse) vera esse, & hominem eiusmodi ex eorum esse numero, quos per reuelationes Scripturæ generales in communi constat, diuinæ gratiæ beneficio consequi æternæ vitæ beatitudinem.

Quæ sanè certitudo ijsdem illis Dei promissionibus nititur, ex quibus compertum habemus numquam esse futurum, vt vniuersa Ecclesia in rebus Religionis fallatur. Falleretur autem grauiter in negotio Religionis, si sanctum reputaret, ac pro tali veneraretur eum, qui sanctus non est. Hic autem illud, quod aliàs ab orthodoxis probatum, atque defensum est, tanquam ex fide certum pono; nempè rem esse omninò, quæ ad Ecclesiæ ædificationem, adeòque ad officium Pontificis pertineat, vt Sancti quidam aliquando canonizentur: ac proinde vniuersam Ecclesiam debere, vt sanctum, venerari illum, quem summus Pontifex numero Sanctorum adscribit; sicut etiam vsus ipse perpetuus, atque traditio Ecclesiæ confirmat. Qua de re videri plura possunt apud Thomam Waldensem, tom. 2. de Sacramental. cap. 122. & deinceps, & Alphonsum à Castro, lib. 1. de iusta hæreticorum punitione, cap. 6. itemque apud D. Thomam, quodlib. 9. art. 16.

Ad aliud, quod de Religionum approbatione in argumento obijciebatur, ita respondeo: Cùm Pontifex Religionem aliquam, hoc est, certum aliquod vitæ institutum approbat, duo in eiusmodi facto Pontificis considerari debent. Vnum est in ipsa definitione Pontificis, atque iudicio positum: nimirum quòd is asseuerat, institutum illud vitæ malum non esse, sed Euangelicæ potiùs perfectioni omninò consentaneum. Alterum verò spectat ad quandam Pontificis prudentiam in gubernando: nempè quod tali vitæ instituto, tali tempore, &c. suum quemdam in Ecclesia concedit locum.

Iam in primo illo quidem nullo modo Pontifex errare potest. Deciperetur enim tunc Ecclesia tota non parum, si is hominum ordo eàque religio à Pontifice commendaretur ei vt sancta, quæ non esset sancta, sed profana potiùs, ac perperam instituta. Quo circa in Concilio Constanciensi sess. 8. damnatur vltimo loco error quidam Wiclephi, impudentissimè asserentis, [omnes Religiones indifferenter esse introductas à diabolo.] Neque ob aliam certè rationem hic error damnatur, nisi quia multæ sunt Religiones per Sedem Apostolicam approbatæ. Quare prorsus errare censendus est is, qui hanc vel illam Religionem, à sede Apostolica approbatam, diceret esse aut malam, aut pugnantem cum doctrina Euangelij.

Quod verò attinet ad Pontificis prudentiam in admittenda hac, vel illa Religione, quibusdam sanè visum est, errari posse à Pontifice, sic vt Religionem aliquam admittat, quam circumstantijs omnibus spectatis oportuisset reijcere. Sed ea tamen opinio iure, ac meritò reprehenditur. Neque enim debet vllo modo concedi, posse Pontificem vniuersam Ecclesiam ad rem aliquam obligare, quæ ipsa tamen non ad ædificationem, sed ad destructionem (quacumque tandem ratione) pertineat Ecclesiæ, vt satis superque iam ex dictis intelligi potest. At cùm Pontifex locum concedit in Ecclesia alicui Religioni; certè vniuersam Ecclesiam eatenus etiam ea re obstringit, & obligat, vt nequeat illa obsistere, quominus talis Ordinis Religiosi inter fideles ipsos versari possint. Hoc igitur si incommodum ipsi Ecclesiæ esse posset, iam illam Pontifex obligaret ad rem, quæ non ad fidelium ædificationem spectaret, sed ad destructionem potiùs. Et tamen quoniam, & rerum, & temporum, & personarum circumstantiæ sæpè mutantur, concedendum nihilominus est euenire posse, vt quæ Religio prius benè, ac prudenter approbata, atque recepta fuit; posteà item benè, ac prudenter reijciatur.

Quod igitur in argumento obijciebatur, Religiones quasdam antea probatas, posteà explosas esse, id non ita factum est, quasi aliquando fuerit probata religio; quæ esset malè, ac imprudenter instituta: sed quòd posteà progressu temporis visum fuerit, magis ad ædificationem Ecclesiæ conuenire, vt ex Religionibus antè probatis quædam exploderentur. Cauenda autem in hoc genere præsumptio, atque temeritas est in arrogando sibi iudicio, quòd Pontifex in hac, aut illa Religione priùs admittenda, vel post retinenda, & fouenda minus faciat conuenienter. Non enim ad quoscumque pertinet hoc iudicium, sed ad Pontificem tantùm, vel ad eos, quorum ille opera vtitur in ijs rebus instituendis, quæ ad commune Ecclesiæ bonum spectant. Qua sanè in re dicendi libertas auctoris cuiusdam, & Catholici alioqui, & bene eruditi, meritò ab alijs est notata, atque reprehensa.

Sed dicet modò aliquis: Si certum infallibiliter est, hominem illum in cœlis esse, quem Pontifex canonizat: Item illud Religionis institutum Euangelio consentaneum esse, quod ipse approbat: erit igitur fidei assensus ille, quo nobis Sanctum aliquem in cęlis esse, & Religionem aliquam esse bene institutam, persuademus. Quod si ita est, Primùm oportebit reuelationem aliquam assignare diuinam, qua eiusmodi veritas contineatur, id quod videtur difficile. Deinde falsum erit, quod Theologi tradunt, numquam aliquid per Pontificis definitionem fieri nobis ex fide certum, quod sit omninò nouum, hoc est, quod fuerit Apostolis, & veteribus Patribus incognitum. Quid enim Apostoli de D. Francisci (v. g.) & Ordinis ab ipso instituti sanctitate nouissent? Postremo ex ea re sequeretur, hæreticum esse eũ, qui neget D. Franciscum (v. g.) esse in cęlo: at talis à Doctoribus, hæreticus non putatur apertè, vt videre est nominatim apud Melchiorem Canum lib. 5. de locis cap. 5.

Hæc paucis expediri possunt. Quod enim ad Primum attinet, dico satis esse in proposito generalem illam reuelationem, qua constat, quidquid Pontifex determinat ad vniuersam Ecclesiam pertinent: id esse verissimum. Item ad Sanctos canonizatos, illæ etiam (vt suprà attigi) reuelationes Scripturæ pertinent, quibus generatim ijs, qui piè viuunt, beatitudo cęlestis promittitur. Per determinationem enim Pontificis cognoscimus, contineri Sanctum canonizatum in eiusmodi propositionibus Scripturæ vniuersalibus:

bus: atque ita possumus sanè propter eiusmodi propositiones elicere fidei assensum, quo nobis persuadeamus eiusmodi Sanctum æternam beatitudinem adeptum esse.

Ad Secundum verò, quod de nouitate assensus fidei obijciebatur, respondeo, id nec incommodum habere vllum, neque doctrinæ Theologorum repugnare. Etenim cùm illi aiunt, nullam fidei veritatem nouam in Ecclesia definiri; id intelligunt de veritate dogmatum, quæ controuerti possint circa nostræ Religionis capita: vt circa Deum, circa Sacramenta, & similia. Nihil autem obstat quominùs de particularibus, & contingentibus materijs, quales sunt illæ in nostro proposito, aliquid per definitionem Pontificis innotescere nobis de nouo possit. Quod potest confirmari hoc exemplo: Communiter enim dici solet, eum qui debita cum intentione infantem baptizat, credere ex fide debere (propter reuelationem Scripturæ ea de re vniuersalem) talem infantem esse in gratia. Quod ipsum tamen ab Apostolis certè non fuit ita determinatè creditum de eiusmodi infante.

Ad illud autem, quod Postremo obijciebatur, negari debet consequentia. Non enim est hæreticus, quicumque negat aliquid, quod reuera pugnat cum sententia fidei, sed is qui negat, quod scit vel debet scire esse contra sententiam ab Ecclesia traditam, tanquam de fide, sine vlla apud orthodoxos controuersia. Non est autem ita prorsus ab Ecclesia tradita hæc doctrina, qua ponimus, Pontificem non posse etiam errare in canonizatione Sanctorum, & proinde ex fide credi sanctum canonizatum esse in cœlo: Sed cùm Theologi nonnulli (vt Canus lib. 5. de locis Theologicis, cap. 5.) sentiant, certum quidem esse non posse in eo genere Pontificem errare, non esse id autem certum ex fide: opinamur nos sanè, id etiam verè esse certum de fide propter promissiones factas Ecclesiæ de omni veritate, quæ ad illius ædificationem spectet. Et consequenter etiam putamus, vel hoc ipso ab Ecclesia, id esse nobis propositum, quòd proponit nobis Scripturas, in quibus sunt tales promissiones. Id quod nobis quidem satis est, vt conemur ipsi elicere assensum fidei circa eiusmodi veritatem; atque adeò etiam eum omninò eliciamus, si nostra sententia, quemadmodum existimamus, est vera.

Alij autem, cùm non teneantur quidem sibi persuadere, veritatem eiusmodi ex fide esse certam, non illico sunt hæretici, si eam negent; quamdiu Ecclesia quidem non apertè declarat, certam illam ex fide esse. Sed essent tamen illi sine controuersia temerarij, & scandalosi, atque adeò digni, qui ab Ecclesia puniantur, vt rectè notat Melchior Canus lib. 5. cap. 5. Atque hactenus de ijs, quæ primo loco aduersus certitudinem definitionum summi Pontificis opponebantur.

Secundo, opponi potest, quòd aliquorum Patrum scripta ab Ecclesia sunt approbata, vt Cypriani, Chrysostomi, Gregorij Nazianzeni, Basilij, & Ambrosij, quæ approbantur à Gelasio Papa 15. d. Can. sancta Romana: neque tamen omnes istorum Patrum sententiæ, infallibiles existimantur. Non igitur quidquid Pontifex decernit verum esse, id infallibiliter verum est.

Respondeo breuiter, Pontificem eiusmodi approbatione non vtique decernere verum esse quidquid illi Patres scripserunt; solùm affirmat, illos bene, atque vtiliter, addo etiam sanè de Religione scripsisse; sed vt homines tamen, qui non ita fuerint spiritu Dei præditi, sicut fuerunt Scriptores Canonici, quique proinde in illis rebus, quæ suo tempore non erant adeò expresè de fide errare interdum potuerunt. Qua de re eruditè mihi scripsisse videtur Canus lib. 7. de locis Theologicis, cap. 3. concl. 2.

Tertio mouere fortè potest, quòd nonnulli Scriptores Catholici negauerunt, oportere verum esse infallibiliter, quicquid Pontifex determinat. Non ergo, vsque adeò id est certum, quod de infallibilitate Pontificiæ auctoritatis statuimus.

Respondeo. Quid eiusmodi auctores voluerint, non satis illi perspicuè, (vt mihi videtur) declarauerunt. Itaque non est mirum, si non satis etiam constet, illos contra fidem errauisse. Nam si tantummodo voluerunt, Pontificem, vt priuatam personam, errare posse, aut etiam priuatum aliquem suum errorem in fide manifestum peruersè velle Ecclesiæ ipsi, aduersus exploratam alioqui in eadem Ecclesia fidem, obtrudere; rem illi opinantur non penitus improbabilem. Nam Pontificem posse priuatim in hæresim incidere, multi, vt suprà vidimus, concedunt: (de quo lege Melchiorem Canum lib. 6. de locis Theologicis, cap. vlt. ad 11. argumentum:) & posse eum prætereà frustrà velle priuatam suam hæresim manifestam alijs etiam obtrudere, auctores etiam graues admittunt. Vt Turrecremata lib. 2. de Ecclesia, cap. 112. ad 7. argumentum, & lib. 4 par. 2. cap. 16. modo 17. conuincendi aliquem de pertinacia. Et idem subindicat Siluester, in summa, verbo opinio, in fine. Neque esset id sanè coniunctum cum Ecclesiæ periculo: vtpotè quæ iam agnoscens, per hæresim manifestam, Pontificem eiusmodi de auctoritate sua decidisse, & contra compertam in Ecclesia fidem docere, minimè tunc eum tanquam pastorem audire, sed tanquam lupum manifestum fugere teneretur. Sin autem auctores illi volunt, Pontificem in rebus alioqui omninò controuersis, hoc est, non satis expresè in Ecclesia compertis ac determinatis; definire posse, vt personam publicam, errorem reipsa contra fidem; errant ipsi in fide grauissimè. Posset enim, imò teneretur tunc Ecclesia vniuersa Pontificem de re controuersa docentem, ac nondum hæresi manifesta notatum, pro Pastore suo agnoscere, atque adeò ipsum omninò audire. Ita fieret, vt si tunc ille errare posset; Ecclesia etiam vniuersa posset, imò teneretur errare, quæ est hæresis intolerabilis, vt satis suprà disputatum est.

Atque hinc intelligi debet, multum interesse, cuiusmodi sit ea quæstio fidei, quam Pontifex determinat. Aut enim est, vel esse potest controuersia omninò, etiam inter ipsos orthodoxos: aut tantùm est cum hæreticis certè controuersa, ipsis autem orthodoxis explorata. Si quæstio apud omnes, etiam orthodoxos, sit aut possit esse controuersa; fieri nullo casu potest, vt alterutram talis quæstionis partem Pontifex recipi velit ab vni-

vniuerſa Eccleſia, & tamen in ea re erret. Quoniam conſequenter etiam errare tunc poſset, imò errare teneretur vniuerſa Eccleſia: cùm nullo alioqui poſset niti certo præiudicio, quominùs propoſitam à ſuo alioqui Paſtore in tali quæſtione doctrinam ipſa reciperet.

Si autem quæſtio tantùm cum hæreticis ſit controuerſa, & aliàs iam definita in Eccleſia; porrò diſtinguendum eſt. Nam vel controuerſia peculiaris ab hæreticis rurſus de illa mouetur, ita vt peculiare ſcandalum oriatur in Eccleſia, cui per clariorem Pontificis definitionem occurri ad confirmandos in fide fideles, expediat: vel nulla denuò peculiaris controuerſia de eiuſmodi quæſtione mouetur. Si nulla controuerſia talis rurſus mouetur; tunc quidam illud poſſet habere locum, quod non improbabiliter quidam (vt antè diximus) admittunt, nempè fieri poſſe, vt Pontifex tanquam priuata perſona in hæreſim antè ab Eccleſia damnatam lapſus, eam etiam fruſtra vellet Eccleſiæ obtrudere: quæ res cum nullo eſſet coniuncta ipſius Eccleſiæ periculo, vt paulò antè expoſitum eſt. Sin autem de eiuſmodi quæſtione fidei, rurſus controuerſia moueretur; nulla tunc ratione fieri poſſet, vt Pontifex ſententiam hæreticam de ea quæſtione vellet recipi ab Eccleſia vniuerſa: quin imò ſimpliciter, & abſolutè eam quoque fidei controuerſiam infallibiliter determinaret, nec poſſet niſi ſententiam veram, in Eccleſia priùs definitam, fidelibus credendam proponere. Omninò enim earum promiſſionum, quas vel Diuo Petro, & ſucceſſoribus, vel ipſi etiam Eccleſiæ Chriſtus fecit, ea etiam vis atque ratio eſt, vt motis controuerſijs nunquam non infallibiliter ſummus Eccleſiæ Paſtor confirmaturus ſit fideles in veritate, etiamſi antè in Eccleſia haberetur eiuſmodi veritas manifeſtè præiudicata.

Porrò, & illud hinc etiam intelligi debet, cùm à Pontifice Romano, vel per ſe, vel vnà cum Concilio, definitiones eiuſmodi quæſtionum fidei inſtituuntur, quæ apud orthodoxos quidem ſunt alioqui exploratæ, & cum hæreticis tantùm (vt ferè fit) controuerſæ, non idcirco inſtitui, vt quaſi de re per ſe dubia, & ancipiti diſceptetur; ſed vt re alioqui certa rurſus diligenter diſcuſſa, & argumentis contrarijs, quæcumque poſſint opponi, confutatis, illuſtriori quadam cum auctoritate, & veritas ipſa fidei commendetur fidelibus, & damnetur atque proſcribatur hæreſis contraria. Quo fit, vt minimè mirum videri debeat, ſi per eiuſmodi Eccleſiæ definitiones raro, vel nunquam ij hæretici aduerſus quorum pertinaciam illæ inſtitui ſolent, in viam reuocentur. Cùm enim id genus definitiones à præiudicata Eccleſiæ ſententia, qua tales alioqui hæretici damnati etiam ſunt, minimè diſcrepent; æque demùm pertinaciter ſolent ab illis contemni, atque ipſa Eccleſiæ ſententia præiudicata. Et de tertia quidem obiectione ſatis.

Quarto, poſſet item aliquem fortaſſe perturbare, quòd Doctores aliqui etiam Catholici, cum concedunt, Pontificem in rebus controuerſis infallibiliter definire: addere tamen ſolent; ſi res illæ ad ſalutem ſint neceſſariæ. Quaſi aliquæ controuerſiæ ſint, de quibus Pontifex, non ſemper verè conſtituat. Quæ ſi ſunt, non igitur eſt vniuerſum verum, quod hactenus docuimus.

Reſpondeo. Si Pontificis auctoritas infallibilis eſſe dicatur in ijs tantùm rebus, quæ per ſe ad pietatem, & religionem (& eatenus quidem ad ſalutem) ſpectare poſſunt, non autem in alijs, cuiuſmodi ſunt res (v. g.) Mathematicæ, aut Phyſicæ: rectè id dicitur. Non enim ad ſcientiarum cognitionem, ſed ad Eccleſiæ ædificationem, quæ in pietate eſt & ad ſalutem animarum ſpectat, omnis auctoritas Pontifici attributa eſt. Si autem prætereà in earum rerum genere, quæ ad religionem pertinent, dicat aliquis, Pontificem tùm demùm infallibiliter definire, ſi res illæ ad ſalutem ſint neceſſariæ; videri certè poteſt loquendi modus non ſatis expeditus. Nam ſi neceſſaria ad ſalutem hoc loco intelligantur ea eſſe, quæ à fidelibus cunctis explicitè ſunt credenda: immeritò infallibilis auctoritas Pontificis ad hæc tantùm coarctabitur. In alijs enim ferè rebus definiendis illa exercetur, quas videlicet non omnes fideles explicitè ſcire tenentur; vt, quòd eſſentia diuina non generat (v.g.) quòd ſumus iuſti per inhærentem iuſtitiam, & id genus alia. Sin verò neceſſaria ad ſalutem in propoſito appellentur illa, quæ nemini certè abſque ſalutis periculo negare licet; tunc quidem omnia ſimpliciter, quæ Pontifex in rebus de Religione controuerſis, tanquam perſona publica, determinat, neceſſaria hoc modo ad ſalutem efficit, hoc ipſo quòd vniuerſam Eccleſiam obligat ad illarum determinationem recipiendam; ſi non explicitè credendo, neceſſitate, vt vocant. [quoad actus exercitium,] certè non ea negando cùm fuerint propoſita, atque adeò credendo ea neceſſariò, [quoad actus (vt dicitur) ſpecificationem.] Ita abſque vlla reſtrictione dicendum eſt, quicquid Pontifex in rebus controuerſis ad pietatem ſpectantibus determinat, infallibiliter illum determinare, quando, vt expoſitum eſt, vniuerſam Eccleſiam obligat.

Quinto, obijci poſſet, quòd ſicut poteſt Pontifex (multorum quidem ſententia) errorem aliquem in fide manifeſtum ſibi, vt priuata perſona perſuadere, ita etiam errorem contra fidem quidem, ſed non manifeſtum. Rurſus ſicut liberè poteſt (vt admittunt Turrecremata, & Silueſter locis paulò ſuperiùs citatis) velle quantum in ſe eſt obtrudere Eccleſiæ priuatum errorem ſuum manifeſtum: ita etiam videtur poſſe eadem libertate velle ipſi obtrudere errorem aliquem non manifeſtum. Fieri igitur poteſt aliquo caſu, vt de re alioqui controuerſa, nec ſatis apud Catholicos explorata, errorem definiat.

Atque id rurſus ea re Confirmatur. Nam poteſt accidere, vt quo tempore Pontifex errore non manifeſto imbutus eſſet, eodem tempore neceſſe eſſet in Eccleſia determinari controuerſiam circa materiam illius erroris. Quo caſu, vt apparet, Pontifex erroneam ſententiam ſuam definiret.

Reſpondeo ad hoc argumentum, fidelitatem Dei, qua is ex promiſſione tenetur communem Eccleſiæ errorem impedire, tunc obſtare, quominùs Pontifex errore non manifeſto imbutus, vellet Eccleſiam ad illum reci-

recipiendum obligare. Teneretur enim illa tunc errorem eiusdem recipere, si res esset planè controuersa; atque ita teneretur errare, quod est absurdissimum. Hæc verò Dei fidelitas non perinde obstat, quominùs possit Pontifex iam apertè hæreticus, atque adeò non ampliùs, aut reipsa, aut etiam fidelium existimatione Pontifex, velle frustrà errorem manifestum Ecclesiæ obtrudere. Nam, vt suprà diximus, ex tali conatu Pontificis nullum periculum errandi immineret toti Ecclesiæ; vt quæ statim agnosceret, non iam eum esse reuera Pontificem, atque pastorem suum, quem audire oporteat, sed lupum manifestum ab ouili arcendum.

Ad confirmationem autem illiùs argumenti respondeo, similiter ad fidelitatem Dei erga Ecclesiam spectare, vt impediret in eo casu quominùs per Pontificem illum controuersia falsò definiretur. Id quod facere Deus posset, aut Pontificem de medio tollendo, ne ipse, sed successor potiùs rem decerneret: aut interna mentis illustratione, vel alio aliquo modò Pontificem ab errore reuocando. Neque verò huiusmodi prouidentia Dei in similibus casibus miraculosa esset censenda, sed esset potiùs quidam effectus eius legis ordinariæ, quia Deus per promissiones de veritate factas, sese obstrinxit Ecclesiæ.

Ac sanè huius rei expmelum illud proferri potest, quòd cùm Ioannes XXII. existimaret, sanctorum animas ante diem Iudicij diuinam essentiam non videre, idque eo tempore, quo in Ecclesia (sicut Canus etiam lib. 6. de locis Theologicis cap. vlt. ad 1. argum. notauit,) nondum erat satis explicata hæc controuersia, & ad rem definiendam sese compararet; priusquam id faceret, è vita excessit. Quod & illiùs successor Benedictus Vndecimus refert in Extrauagāti Benedictus, de qua Extrauag. lege Alfonsum à Castro lib. 3. aduersùs hæreses, verbo Beatitudo, hæres. 6. Qui tandem Benedictus (Deo Ecclesię suę propitiante) contrariam sententiam definitur: nimirum, sanctorum animas ante diem extremi *Iudicij* Deum videre.

Sextò obijci potest, quòd, vt posteà dicturi sumus, vt Pontifex in definiendo auctoritate sua rectè vtatur, studio, & diligentia in inquirenda veritate opus habet. Nihil autem obstare videtur quominùs possit interdum ille eiusmodi diligentia prætermissa, cōtrouersiam definire. Poterit igitur tunc saltem errare.

Respondeo. Siue Pontifex in definiendo studium adhibeat, siue non adhibeat: modò tamen controuersiam definiat; infallibiliter certè definiet, atque adeò reipsa vtetur auctoritate sibi à Christo cocessa. Quod ex promissionibus diuinis de veritate per magisterium vnius pastoris Ecclesiæ factis certissimè colligimus, vt sæpiùs argumentati sumus. Itaque studium, ac diligentia Pontifici necessaria est, non vt omninò definiat, atque infallibili sua auctoritate vtatur, sed vt conuenienter, ac rectè (hoc est, sine peccato) ea vtatur: sicut patebit etiam ex ijs quæ post dicemus.

Huc accedit, quòd si maximè diligentia Pontifici necessaria esset, vt omninò definiat; tamen eadem fide credere deberemus, illum quando rem controuersam definit, sufficientem adhibuisse diligentia; qua suprà demonstratum est, debere nos credere, quòd tunc illè infallibiliter, ac verè definiat. Ratio est, quoniam eo ipso quòd Christus promisit Ecclesiæ, numquum futurum vt ipsa fallatur, atque adeò, neque vt Pontifex controuersiam falsò definiat; etiam promisisse censendus esset, nunquam futurum, vt is prætermissa debita diligentia definiat; si einsmodi quidem diligentia necessaria omninò Pontifici esset ad definiendum. Quemadmodum si Deus nobis promitteret, futuram anno sequenti magnam frugum copiam; promittere hoc ipso quoque censeretur aeris temperiem, quæ ad eum effectum necessaria esset, vt appositè ad hanc rem inquit Melchior Canus lib. 5. de locis Theologicis, cap. 5. Cæterùm non est ratio vlla firma, quamobrem existimare debeamus, studij diligentiam Pontifici necessariam esse non modò, vt conuenienter, ac sine culpa, auctoritate sua infallibili vtatur, verùm etiam vt omninò illa vtatur. Quare quod à nobis antè responsum est, abundè sufficit ad id explicandum, quod obijciebatur.

Postremo, ad probandum, fieri posse, vt Pontifex erret, opponi hoc loco nonnulli casus solent, quibus Pontifices aliqui ipso facto videntur errauisse. Summa autem rei est. Qui Pontificum tamquam errores obijciuntur, eos vel errores non esse; vel falsò Pontificibus imponi; vel certè Pontifices non ita definiuisse, sed ita sensisse tantùm, vt priuatas personas, aut aliquid aliud agendo, aut etiam obiter inter probandum id, quod ex instituto determinare voluerunt. Neque enim omnia, quæ Pontifices ad rem confirmandam asserunt, volunt illi definire, hoc est, obligare ad ea etiam recipienda vnuersam Ecclesiam, sed illa tantùm, quæ ex instituto determinant. Quę autem sint huiusmodi, colligi potest, aut ex erroribus contrarijs, aduersùs quos Pontifices aliquid definiunr, aut ex asseruandi modo atque forma; vt si aliquid sub anathemate statuant, aut si ex fide certum esse affirment, &c. id quod rectè notauit Canus lib. 5. de locis Theologicis, cap. 5. & lib. 6. cap. vlt. Quod & Caietanus in comment. 1. part. D. Thom. quęst. 61. art. 3. ante Canum attigerat.

I. Vt igitur casus illos, qui solent obijci, breuiter percurramus: minimè Cælestinus III. definiuisse existimandus est, matrimonium dissolui, si alter coniugum in hæresim labatur. Etsi enim Innocentius III. in cap. Quanto, de diuortijs, significat Cœlestinum ita visum esse sentire; tamen non dicit ipsum ita determinasse. Et certè in cap. Laudabilem, de conuersione infidelium, vbi Cœlestinus perhibetur illud dixisse, nequaquam de ea quæstione, sed de alia diuersa interrogabatur: satis vt appareat, si quid ille tale ibi dixit (non enim eiusmodi Cœlestini sententia ampliùs iam reperitur) id nonnisi obiter ex priuata sua opinione interseruisse, cùm res adhuc nondum esset satis explicata in Ecclesia.

II. Item cùm Alexander III. cap. Licet de sponsa duorum, definit matrimonium non irritari per secundùm matrimonium con-

consummatum, additque id ita tenendum esse, quamuis aliqui sui Praecessores aliter iudicauerint, minimè asserit absolutè, tales aliquos fuisse Pontifices, qui contrarium iudicauerint; de nullis enim omninò id constat. Imò expressè Innocentius Tertius in cap.vlt. eiusdem tit. de sponsa duorum, contrariam sententiam ita definit, vt planè significet, eam fuisse perpetuam sententiam Sedis Apostolicae. Sed loquitur Alexander per exaggerationem, significatque vsque adeò certam esse illam suam definitionem, vt quamuis contrarium praecessores, etiam sui iudicassent, tamen ita tenendum sit. Quo modo loquendi Apostolum imitatus est, cùm is dicit ad Galat. 1. [Licèt nos aut Angelus de coelo euangelizet vobis praeterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit.] Atque est Alexander ita locutus, quoniam, vt conijcere licet ex glossa in illo c.Licet, itemque ex cap.vlt.eiusdem tit.contraria illi consuetudo diuturna, atque adeò veluti à Pontificibus aliquibus approbata, obijciebatur.

III. Item, cùm idem Alexander III. cap. Cùm esses, de testam. ait, à sanctorum Patrum institutis, & ab Ecclesiae consuetudine generali, & à diuina lege esse alienum, vt in testamentis plures, quàm duo, vel tres testes requirantur (cùm in ore duorum, vel trium stet omne verbum) iubetque, vt rata habeantur, si sint adhibiti duo, vel tres testes coram Parocho: cùm hoc, inquam, dicit, nihil ille sanè erat in ipso decreto, siuè definitione. Primùm, quoniam quicquid illud sit tandem, quòd significat cùm dicit, illum morem esse à Diuina lege alienum; id tamen non dicit, nisi in ratione, quam affert pro decreto. Non autem à pontifice definiri putandum est, quod ab eo pro ratione affertur; vt antea ex sententia etiam Caietani, & Melchioris Cani notatum est. Deinde, quia non significat id institutum legum ciuilium esse diuinae legi contrarium, sed non satis illi consentaneum, aut etiam consuetudini Ecclesiae in alijs causarum generibus. Nec id institutum abrogat, nisi in testamentis, vt vocant, pijs, sicut rectè Doctores colligunt ex eiusdem Alexandri decreto, quod in eodem titulo proximè sequitur, vt videre est in glossa illius capituli, cùm esses.

IV. Item, cùm Innocentius I. in epist.22. ad Rufum, & Eusebium, & reliquos Episcopos Macedoniae cap.1. qui viduas acceperunt vxores, Sacerdotes fieri non debere, praeceptum vocat [Diuina lege Mosaica subnixum:] minimè quidem ille vult, legem Mosaicam, nunc etiam vim obligandi habere, sed significat, legem Ecclesiasticam, quae bigamis Sacerdotio interdicit, exemplum, & quasi fundamentum habere in illa lege antiqua.

V. Atque eodem modo Innocentius III. in cap. Per venerabilem, titulo qui filij sint legitimi, intelligi debet, cùm controuersias in Ecclesia per Summum Pontificem definiri oportere, ea re confirmat, quoniam in Deuter. cap.17. praeceptum fuit, vt obediretur Sacerdotis imperio. [Et cùm Deuteronomium, inquit, secunda lex ex vi vocabuli sit, indè comprobatur, vt quod ibi decernitur, in nouo Testamento debeat obseruari.] Quod minimè sanè eruditissimus alioqui pontifex ita intelligit voluit, quasi illa ipsa per se, quae in Deuteronomio praecipiebantur, nunc sint necessariò facienda, sed quia illa certè figura fuerunt eius, quod nunc ex nouae legis praescripto fieri debet. Quod proinde cùm fit, illa lex Deuteronomij, quasi seruatur quodammodo in suo prototypo: vt ipsemet Innocentius pluribus verbis in eo loco declarat.

VI. Praeterea, nec in definitione errauit Nicolaus de consecr. dist. 4. Can. A quodam Iudaeo, cùm ad consulta Bulgarorum respondit, baptizatum à quodam Iudaeo, etiam in nomine tantùm Christi, rebaptizandum non fuisse. Haec enim vis definitionis est, non fuisse illum rebaptizandum propterea quòd baptizatus esset à quodam Iudaeo; de quo propriè pontifex interrogabatur. Valere autem baptismum in nomine tantùm Christi, obiter ipse ex opinione sua (quae etiam fuit aliquorum) adiunxit.

VII. Item Ioannes XXII. quamuis, vt retulit Benedictus XI. in Extrauag. Benedictus, opinatus sit, animas iustorum ante extremum Iudicij diem non videre Deum (qui sanè eror non fuit semper in Ecclesia manifestus) tamen numquam id definiuit, vt praedictus illius successor Benedictus XI. in dicta Extrauag. disertis verbis testatur.

VIII. Item, Nicolaus III. in Extrauag. exijt, qui seminat, de verborum significat, cùm inquit, Christum abdicationem proprietatis rerum, tum in communi, tum in particulari, exemplo etiam suo docuisse; minimè vult, Christum omninò numquam habuisse proprium in particulari, vel in communi (quod asserere esset haereticum, vt Ioannes postea XXII. in Extrauag. cùm inter nonnullos, definiuit) sed significat certè, quandoque etiam Christum abdicando se in communi, & in particulari à proprietate aliquarum rerum, vitae etiam perfectionis exemplum praebuisse: vt suam ipse Nicolaus sententiam satis declarat, & repetit quoque ex eius mente Ioannes XXII. in dicta Extrauag.

IX. Item, neque errarunt Gregorius I. in epistola ad Augustinum Cantuariensem Episcopum, & III. in epistola ad Bonifacium Episcopum, cùm definierunt, si mulier ob infirmitatem debitum reddere non possit, licere viro alteram ducere. Loquuntur enim illi planè in casu, quo eiusmodi aliqua infirmitate ante matrimonium initum mulier correpta fuerit; vt minimè proindè fuerit matrimonium validum.

X. Item Pontifex Gelasius minimè sensit (vt Sectarij obijciunt) substantiam panis manere post consecrationem in Eucharistia. Non enim huius Gelasij Pontificis est fragmentum illud libri, quod Gelasij nomine, de duabus naturis contra Eutychetem, circumfertur, vt lib.2. Apolog. de Idololatria cap.5. diximus, & à Melchiore etiam Cano lib. 6. de locis Theologicis cap.vlt. ad nonum argumentum, & ab alijs bene animaduersum, atque probatum est. Quamquam, nec prorsus asserit ille liber, substantiam ipsam panis remanere, vt in dicta Apologia, vbi supra exposuimus.

XI. Denique quòd Honorius, & nonnulli alij pontifices in errorem lapsi fuisse dicuntur (quamquam de nullo prorsus satis compertum est, pertinaciter errauisse) id quidem

vtcum-

vtcumque res habeat, non nisi ad priuatum attinet personarum virium: atque adeò nihil nobis obstare potest, vt, qui tam non ipsas personas, quàm auctoritatem illam Apostolicæ Sedis in definiendo defendimus, sicut supra, Augustini etiam exemplo, respondeamus.

QVÆSTIO SEPTIMA.

§. 42.

Vtrùm aliqua regulæ sint consulendæ à Romano Pontifice, vt legitimè vtatur auctoritate illa sua in explicanda, & definienda doctrina fidie, & quænam regulæ illæ sint, & quomodo illis in ea re Pontificem vti oporteat.

CVm hactenus expositum, atque defensum sit, toties pontificem auctoritate sua vti, atque adeò Spiritu sancto assistente infallibiliter decernere, quoties in rebus controuersis alteram partem definit, & ad eam recipiendam obligare vult vniuersam Ecclesiam: meritò quæritur hoc loco, quidnam illud sit, quod Pontificem præstare oporteat, vt illa auctoritate non modò vtatur, sed etiam rectè, hoc est, sine culpa vtatur. Nec enim existimādum est, nullum modum in eius auctoritatis vsu pontificem seruare debere.

Ac principio quidem illud extra omnem controuersiam est, pontificem in vnaquaque re decernenda ijs argumentis, vel testimonijs niti oportere, ex quibus veritas, quam determinaturus est, pro ratione materiæ, possit colligi, quàm certissimè. Hoc primùm patet ex ipsius pontificis officio, quod est, vt patet ex Orthodoxa doctrina, quam passim etiam Vincentius Lyrinensis in libro aduersùs hæreses inculcat, non noua fidei dogmata constituere, sed eruere vetera. Quàm ad rem inquisitione aliqua pro rei subiectæ natura, opus est. Deinde id etiam patet ex perpetuo pontificum vsu, iam vsque ab Apostolo Petro, qui sanè controuersiam de cessatione legalium nonnisi facta prius magna conquisitione in Concilio Hierosolymitano, Act. 15. constituit. Denique ob eam rem etiam hæc pontificis diligentia necessaria est, vt quæ ille, tamquam regula doctrinæ quædam nobis notior, constituit, ea faciliùs nobis persuadeamus vera esse, si adhibita etiam studij diligentia sint constituta.

Diximus verò debere pontificem ea argumenta conquirere, quæ ad veritatem, pro ratione vniuscuiusque materiæ, indagandam sint aptissima; quoniam vt materiæ, quæ possunt in controuersiam venire; sic etiam argumenta, quæ pontifici consulenda sunt, latè patent. Verbi gratia, si de sancto canonizando, aut de religione approbanda agitur; humana informatione, & historia vtatur necesse est. Si verò determinaturus est dogma aliquod, vt diuinitus reuelatum; illa consulat oportet, quibus diuina reuelatio pura, atque integra custoditur. Cuius generis est primò, Scriptura sacra, vt quæ tota est reuelatio diuina. Secundò, traditio Apostolica, quæ & ipsa, vt dicemus, diuina quædam reuelatio est, tametsi non consignata literis. Tertiò, [definitio priorum pontificum, & Conciliorum.] Quartò, concors sententia Patrum, atque Doctorum omnium. Quintò, quadam etiam ratione, consensus fidelium. De quibus rebus consentaneum erit hoc in loco quædam generatim, cùm delectu, & nonnulla explicatione, breuiter annotare, vt quis sit in pontificum definitionibus istorum locorum vsus, & quàm rectè ipsis inniti illæ soleant, plenius intelligatur.

Prius tamen explicanda est hìc breuiter quædam dubitatio, quæ ex dictis oritur. Nam si regulæ infallibiles ad controuersiam fidei constituendam, tam multæ sunt, tamque latè patent, dubium esse potest, vtrùm pontifex determinatè debeat illas omnes consulere, vel certè aliquam, aut aliquas. Item vtrùm determinatè debeat in eiusmodi inquisitione, & studio, aliorum quoque vti opera; vt Episcoporum, vel Cardinalium &c. an verò omnia ista sint planè in illius arbitrio posita: nimirum, vt in adhibenda diligentia eum ipse modum teneat, quem expedire magis putauerit.

Respondeo. Primùm, vt alios etiam, qui in diuinis literis, rebusque Theologicis exercitati sint, consulat, eorumque opera vtatur, omninò est consentaneum. Hoc enim & ipsa rei conditio postulat, quæ sanè est grauissima, & perpetuus etiam pontificum vsus declarat, quandocumque illis fuit aliquid in materia fidei constituendum. Cætera verò, quæ attinent ad diligentiæ modum in definiendo adhibendum, planè pendent ex libero pontificis arbitrio: nempè vt opera horum, vel illorum Doctorum potius vtatur, siue Cardinales illi, siuè Episcopi, siuè alij sint. Item, vt hanc, vel illam, vel illas regulas consulat, quatenus requiret ratio subiectæ materiæ. Satis enim ad rectè definiendum fuerit, si eam ille diligentiam adhibeat, quæ ad ipsam rem, de qua agitur, iudicari possit sufficiens. Vt enim in alijs negotijs, ita etiam in hoc necessaria, & sufficiens diligentia latè patet.

Id quod etiam ex pontificum more in definiendis controuersijs confirmare possumus. Multæ enim, ac variæ illorum definitiones exstant in Ecclesia, quæ omnes habentur infallibiles; neque tamen illi semper ratione eadem ad definiendum processerunt. Aliquando enim ad id conuocarunt Episcoporum Concilium; nam & Concilij definitionis auctoritas non ex multitudine, sed ex pontificis auctoritate potissimùm pendet; sicut infra docebimus) aliquando sine Concilio ipsi definierunt. Quare sicut in hoc, arbitrio suo sunt vsi, sic etiam in alijs, quæ ad modum diligentiæ spectant, illo citra culpam aliquam vti posse videntur.


Ex quo nouitia cuiusdam auctoris, eaque minimè tolerabilis, opinio reuincitur. Qui pontifici in vtenda sua auctoritate, vsque adeo angustos limites præscribit, vt censeat, illum infallibiliter non definire, nisi de consensu Cardinalium definiat. Itaque distinguit hoc loco inter Romanam Ecclesiam, seù Apostolicam Sedem, & ipsum Romanum Pontificem. Apostolicam Sedem ait non

Pontificem modò, sed etiam collegium Cardinalium continere. Hanc proindè dicit errare in definiendo non posse. Pontificem verò, si absque consensu, & approbatione Cardinalium definiat, errare posse. Hæc sententia meritò viris doctissimis displicet, ac nominatim Cano lib. 6. de locis Theologicis cap. vlt. In alterutrum enim incommodum incurrit, quorum vtrumque est maximum, neque vllo modo ferendum; videlicet, aut auctoritatem infallibiliter confirmandi fratres in fide, non Petro tantùm, & illius successoribus, à Christo Domino collatam fuisse, sed etiam Cardinalibus; qui est error in fide manifestus: aut certè auctoritatem hanc pontificis, quod attinet ad eius vsum infallibilem, esse Cardinalium sententiæ quasi alligatam; Itaut si pontifex sine illorum consensu aliquid in fidei controuersia definiat, non obligetur Ecclesia ad ipsum audiendum iure diuino, siquidem ita errare possit. Quod etiam planè commentitium, atque absurdum est, cùm semper teneatur Ecclesia pastori suo assentiri, quem solùm fidei magistrum infallibilem ab ipso Christo accepit, vt ex supra dictis patet.

Neque verò nego, quin pontifices conuenientissimè faciant, quòd Cardinalium de controuersijs fidei iudicia consulunt in definiendo. Solùm assero, non esse hoc ita necessarium, vt nisi fiat, errare pontifex possit, aut etiam contra officium suum sit peccaturus in definiendo. Quinimò dicimus, posse illum pro negotij conditione aliorum duntaxat Doctorum opera ad eam rem vti: sicut sine controuersia posset, quando Cardinales ipsi inter se minimè consentirent, & oporteret quæstionem à pontifice definiri. Quare rectissimè Melchior Canus, vbi supra, notat, in iudicio fidei non esse inter Apostolicam Sedem, seu Romanam Ecclesiam, & Romanum Pontificem, ita distinguendum, quasi iudicium Sedis, siuè Ecclesiæ Romanæ sit infallibile, iudicium verò Romani Pontificis non item: quin potius esse hæc reipsa vnum, & idem. Propterea enim Sedes Apostolica, seu Rom. Eccl. infallibilis dicitur, quia is, qui præest illi, auctoritatem habet per se infallibilem.



EIVS-



EIVSDEM AVCTORIS.

ANALYSIS FIDEI CATHOLICÆ,

Hoc est, Ratio Methodica eam in vniuersum Fidem ex certis principijs probandi, quàm sancta Romana Ecclesia aduersus multiplices Sectariorum errores profitetur.

PARS PRIMA.

Necessarium omninò ad salutem esse firma Fide credere, doctrinam supra rationis naturalis captum à Christo traditam, esse diuinam adeoque verissimam.



DVæ causæ sunt, quamobrem arbitrati sumus, ab hac sententia nobis exordiendum esse. Vna est: quoniam ab eiusmodi assertione, tamquam à capite, reliqua pendent, quæ ex instituto nostro tractanda sunt; nec sine illa plenè satisfit inquisitioni rationis humanæ, quæ in fidei negotio ante omnia secum reputare posset, vtrum omninò sit necesse Christianæ doctrinæ fidem adhibere. Altera: quoniam vt hunc etiam locum confirmemus, ipsa ratio horum temporum nonnihil postulare videtur. Etenim qui se varijs sectis, deserta veritate, tradiderunt; si suæ quidem perfidiæ conuenienter ratiocinati fuerint; facillimè possunt ethnici tandem, (quod plerisque iam illorum contigit) euadere; ita vt præcipuum hunc etiam articulum fidei, de veritate in vniuersum necessitateque doctrinæ Christianæ, vnà cum alijs, vel vocent in dubium, vel reijciant penitùs. Quod sanè si faciant, mirum videri non debet. Quid enim ij credant, qui Ecclesiæ magisterium contemnunt? Certè si vllus articulus fidei est, qui auctoritate, atque magisterio Ecclesiæ, (Ecclesiæ, inquam, Catholicæ Romanæ, quæ sola Ecclesia vera est, vt infrà ostendemus, quæque sola pro Ecclesia in orbe semper est habita,) vt credatur, indigeat, hic maximè est, de veritate Scripturæ sacræ adeoque de necessitate Christianæ doctrinæ. Si enim singuli quique fidei articuli, qui naturalis captum excedunt, per se difficiles ad credendum sunt, ideoque oportet eos Ecclesiæ certissima auctoritate hominibus commendari: quantò magis ipsa veritas vniuersæ Scripturæ, qua non vnus tantùm, aut alter, sed omnes fermè eiusmodi fidei articuli continentur, quæque tam varia, & multa in omni genere, rerum etiam quandoque minutissimarum, tradit, eiusdem Ecclesiæ testimonio, atque approbatione indigebit, vt ab ipso Spiritu sancto dicta esse credatur? Equidem hoc ego cum attentius perpendo, rem esse potiùs maximè admirabilem iudicio, si quisquam ex Sectarijs est, qui repudiata Ecclesiæ auctoritate, à qua, & Scripturas ipsas accepimus, aliquid omninò credat. Firma certè fide nihil credunt.

Sed vt ad sententiam propositam redeamus, hic vnus locus, ex omnibus quos in hoc libro tractandos suscepi, est, in quo Scripturæ sacræ auctoritatem ad probandum, quidem vsurpare minimè licet. Nam confirmandum primò loco est, necessariò credi debere, doctrinam Christi, atque adeò Scripturam sacram, (quia eiusmodi doctrina magna ex parte continetur) esse diuinam, atque certissimam. Ita fit, vt si Scripturæ auctoritatem tanquam certam hoc loco ad probandum sumere, id in probatione vitiosè sumerem, quod est iam mihi probatione efficiendum. Quod quamuis ita sit, non ideò

tamen in hac prima disputationis nostrę parte Scriptura penitus muta esse debet. Quin, & hic quoque opportunas inde sententias inducere possumus, si non rem confirmandi, certè illustrandi causa.

Sed quanam igitur ratione hoc, quod inprimis ponimus, Christianam doctrinam necessariò, vt veram atque diuinam recipi debere, probari oportet? Sanè cum necessitas credendi doctrinam Christianam vnus quidam articulus eiusdem Christianæ doctrinæ sit; nec euidenti aliqua ratione constet; ijsdem argumentis probari debet, quibus veritas in vniuersum Christianæ doctrinæ confirmatur. Et verò Deus ipse inprimis est, qui Christianam doctrinam, atque adeò Scripturam sacram veram esse, voce reuelationis suę, & interno quodam instinctu atque impulsu humanis mentibus contestatur atque persuadet, vt in ea ipsa Scriptura multis in locis est expressum. Sed quia rationi humanæ reuelatio ipsa diuina non euidenter patet: alijs quibusdam præter diuinam reuelationem argumentis opus est, quibus homines etiam inducti prudenter sibi persuadeant doctrinam Christianam veram esse. Nec verò eiusmodi argumenta ad eam rem requiruntur, vt propter illa propriè, certò, ac firmiter homines credant (certitudo enim, & firmitas fidei, atque adeò ipsius assensio per se, diuinæ reuelationi soli, tamquam fundamento quidem, innititur) sed vt clariora quædam habeant motiua, quibus prudenter animum inducant velle certò, ac firmiter propter diuinam reuelationem, adiuuante Deo, credere.

Etenim accuratè sunt animi motus duo in ijs, qui fidem amplectuntur discernendi. Nam, & prudentia etiam dictante iudicant dignam esse Christi doctrinam, quæ certò, ac firmiter credatur; & demum credunt assensione fidei, adiuti diuinitus, eam veram esse. Quod assensione fidei certa, atque firma, adiuti diuinitus, credunt doctrinam Christi veram esse: id in solum diuinum testimonium, quod reuelatione continetur, tamquam in causam quidem rationemque credendi, referri debet; itemque in Ecclesiæ propositionem, tamquam in quandam sanè conditionem, sine qua Christiana quidem fide minimè crederetur, vt infrà suis locis magis intelligetur. Quod autem prudenter inprimis deliberant, atque statuunt, meritò eam à se doctrinam, tanquam diuinam, ac veram, certò ac firmiter credi posse: id verò prudentiæ quoddam iudicium est, quod propriè argumentis alijs præter diuinam reuelationem nititur. Quæ sanè argumenta incitamenta quædam ad prudenter credendum necessaria (vt & Scriptura indicat, & experientia ipsa constat) dici possunt; sed ratio propriè causasque credendi censeri non debent. Non enim propter illa propriè, sed propter diuinæ reuelationis auctoritatem demum creditur, vt dictum est. Itaque præclarè D. August. [Ratio, inquit, auctoritatem non deserit, cum consideratur cur sit credendum.] Nempe quia vbi de fide agitur, eò propriè pertinet ratio, vt intelligatur, prudenter animum induci, vt propter auctoritatem diuinæ reuelationis, licet alioqui obscuræ, Christi doctrinæ fide adhibeat.

Quæ cùm ita explico, minimè sanè nego, quia in re ipsa tamen, & prudentiæ quoque illud consilium, in eo qui credit, diuina item reuelatione nitatur, sitque proinde certissimum; & vicissim etiam assensus ipse fidei argumentis illis fulciatur, quæ præter diuinam reuelationem adducuntur. Sed expono tantum, quod nam sit certè cuiusque actus fundamentum proprium, cùm affirmo, assensum ipsum fidei, diuina reuelatione; prudentiæ autem illud consilium credendi, argumentis alijs, præter diuinam reuelationem, niti. Et loquor sanè in hac explicatione de assensu ipso fidei, non qualiscumque, sed Christianę & supernaturalis, cuius nimirum instituitur à me Analysis. Nam assensum alioqui humanæ cuiusdam fidei (quam, acquisitam Theologi nominant) de eadem veritate Christianæ doctrinæ, illis etiam argumentis, quæ præter diuinam reuelationem adhibentur, tanquam fundamento, niti posse, explorata res est. Sed ipsum tandem assensum Christianæ supernaturalisque fidei negamus eiusmodi argumentis propriè niti.

Atque hanc videlicet explicationem idcirco adhibendam hoc loco existimaui, vt ex ea intelligatur, non illico fore, vel nostram fidem infirmam, vel consilium nostrum in credendo imprudens, ac leue, si vt velimus credere, eiusmodi etiam aliquibus argumentis moueamur, quæ non sint ex suo genere prorsus infallibilia; vt antiquitate, vt multitudine, vt consensione hominum, & id genus alijs. Nam (quod sæpè dico) non his argumentis propriè fides nostra innititur, sed prudentiæ quoddam consilium, quo ad credendum cum iudicio, (vt Clemens etiam Romanus loquitur) impellimur. Non est autem à maturo, & graui prudentiæ consilio alienum, vbi euidentia rei non est, argumentis etiam bonis, licet non penitus per se infallibilibus, commoueri.

Ergo, argumentis, Christianæ fidei veritas atque adeò necessitas, ijs qui aut dubitant, aut non credunt, suaderi debet, non vt propter illa credant, sed vt animum inducant propter diuinam reuelationem credere; id quod Deo mentem illustrante, & liberum adiuuante arbitrium, facere possunt. Ea verò argumenta cùm pro cuiusque ingenio, & naturæ perspicacite multiplicia varijs ex locis proferri possint: ego maximi ponderis illa esse duco, quæ non recenter excogitata, sed auctoritate iam pridem sunt confirmata communi, & summis etiam ingenijs eruditissimorum Patrum iam olim persuaserunt. Quę sic à me nunc, propter doctrinæ ordinem initio propositum, breuiter repetentur, vt & lucem aliquam, Christo propitio, his addam, & modum, ex quo simul illud ipsum appareat quod antè docuimus; nempe argumentis eiusmodi, quæ præter diuinam reuelationem adducuntur, non ipsam fidem nostram, sed prudentiæ consilium deliberationemque credendi tanquam fundamento inniti. Atque, vt rationes omnes, ordinis causa, certos ad locos, & veluti ad sedes suas reuocemus, considerandum est, eas ab aliquo ferè ex quinque locis duci posse, ac solere. I. ab eorum conditione, & auctoritate, qui fidem Christianam olim receperunt. II. à modo, quo in orbe recepta illa est. III. ab ijs etiam, corumque

quę exitu, qui illam non receperunt, aut hostiliter etiam insectati sunt. IIII. ab ipsa per se ratione Christianæ doctrinæ. V. denique à dignitate virtuteque Doctoris eius, qui est Dominus noster Iesus Christus. Ex his igitur locis argumēta varia iam olim pro Christiana fide veteres Patres deprompserunt. Quę quidem, vt confirmare plurimùm, atque consolari verè Christianos, hoc est, Catholicos debent: ita quoque Sectarios pudore summo afficere: quòd ex eiusmodi etiam communibus argumentis Christianæ doctrinæ perspicere liceat, eos à vera doctrina Christiana (in ijs quidem dogmatibus, quę propria ipsorum sunt) turpissimè desciuisse, quemadmodum sub cuiusque argumenti finem à nobis breuiter indicabitur, magisque postea confirmabimus toto progressu huius operis.

I. Ac primò quidem præclarissimum ecclesiæ lumen Diuus Aurelius Augustinus, licet ipse incredibili esset ad iudicandum dere ingenio præditus, tamen vt ille sæpè significat, huiusmodi quodam argumento ab auctoritate ducto maximè mouebatur. Prudentissimè creditur, quod omnes penè gentium nationes, & in his innumerabiles viri summa auctoritate, summo ingenio, & excellenti virtute, atque eximia variaque doctrina prędditi, ita crediderunt, vt & rationem disciplinæ suæ reddere omni poscenti se pulchrè possent, & contrarios errores religionum aliarum (quod alia nulla disciplina ita præstitit) manifestè refellerent. Talis autem Christiana doctrina est. Illi igitur prudentissimè fides adhibetur. [Ego, inquit is, quem dico, Augustinus, nullis me video credidisse, nisi populorum atque gentium confirmatę opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ.] Et alio in loco: [Tenet me in Ecclesia, inquit inter cætera, consensus populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata.] Atque hæc, & similia tum quidem Augustinus, cùm ipse sanè neque Augustinum, neque reliquos, qui post ipsum in Ecclesia floruerunt, haberet, quorum etiam auctoritate moueretur. Nos, qui, & Augustinum ipsum, & alios è fidelium numero innumerabiles Ecclesiæ Doctores eruditissimos (quorum etiam Catalogi prolixissimi extant) duces sequimur, quantò vehementiùs exemplo maiorum commoueri par est, ad Christianam fidem toto pectore complectendam? Habuerunt quoque superstitiosarum religionum cultores, maiores suos quos sequerentur: sed tanta præditos auctoritate, tanta doctrina, tanta probitate vitæ, tanta constantia, tanta luce, tam deinde paratos instructosque tum ad suam disciplinam tuendam, tum ad alienas omnes religiones confutandas, & euertendas, quàm nostri fuere maiores, quinam vnquam populi habuerunt? Neque verò cogitari potest, aliquod humanùm commodum, aut diuitiarum, aut voluptatis, aut mundanæ gloriæ, quod mentem in deligenda religione excæcaret, propositum sibi habuisse eos, qui primis illis temporibus, reiecta vanitate patriæ superstitionis, Christiana sacra susceperunt. Quis enim nescit, quàm tunc acerbè cum Christianis hominibus agebatur? Ita nimirum, vt qui Christiani fierent, præter salutem animi, & vitam æternam in cœlis, aliud ex ea re nihil in hoc mundo nisi ignominiam, & crucem, ac ipsam adeò mortem polliceri sibi potuerint. Quod, vel ex vna illa appellatione, qua ethnici homines Christianis conuiciari erant soliti, luculenter intelligere licet. Sarmenticios enim (vt de cæteris ludibrijs nihil dicam) vulgò appellitabant à vitæ discrimine, in quo perpetuò versabantur: quòd scilicet ad palum deligati, sarmentisque suppositis passim comburerentur. Apollinem ferunt Pithium percunctantibus de legitima religione Atheniensibus, oraculo respondisse, patriam religionem, & quam coluissent maiores, retinendam esse. Hoc consilium cùm sequebantur Athenienses, quia in maioribus suis non nisi religionis errorem, quem imitarentur, habebant, miserè fallebantur. Nos autem, cùm tam sincerè salutem animi solam, vt dictum est, maiores nostri in Christiana complectenda fide quæsiuerunt; ac tales præterea, tamque in omni genere præstantes fuerint; consilium illud, non dico ab Appolline, sed à Deo, in Scripturis sanctis datum iure optimo sequemur, Deoque patrum nostrorum (vt eiusdem Scripturæ vtar phrasi) arctissimo Christianæ religionis, ac fidei vinculo adhærebimus.

Contra verò ex hoc ipso argumento, ad probandum doctrinam Sectariorum non re, sed nomine tantùm esse Christianam, ita licet rationem ducere: Quæ verè Christiana doctrina est, ea maiorum etiam auctoritate, hoc est, consensu doctorum atque populorum, & fama, vt Augustinus loquitur, admodum celeberrima nititur. His autem Sectariorum doctrina minimè nititur. Non est igitur doctrina Sectariorum verè Christiana. Obsecro enim, quos populos? quos maiores? quamque Christiani nominis existimatione atque fama celebres sequuntur? Ipsos, inquiunt, Prophetas, & Apostolos sequimur. Equidem non requiro antiquiores. Sed cùm quæstio omnis, sit vtrum Catholici, an Sectarij, Prophetas, & Apostolos doctrinæ duces sequantur: habuerintque etiam eiusmodi antiquissimi Patres, suos sine controuersia discipulos fidelissimos, famaque celebertimos, quos ipsos quoque tanquam maiores sequi necesse sit eos, qui nunc Apostolicam, & Propheticam doctrinam verè complectuntur; quærimus sanè, quosnam etiam ex eo numero sequantur Sectarij? Num Augustinos, Hieronymos, Ambrosios, Gregorios? Num, vel doctores, vel fideles reliquos, qui per omnes Ecclesiæ ætates, cum Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Gregorio, in doctrina Christiana Prophetica, & Apostolica consentientes fuerunt? Non magis certè quàm ipsos Concilij Tridentini Patres, à quibus isti nuper ex consensu omnium temporum superiorum condemnati sunt. Etenim doctrinam Diui Augustini, vt vtar compendio, Catholicam doctrinam maiorum esse, ne ipsi quidem audent diffiteri Sectarij. Num verò aliud Diuus Augustinus, aliud Concilij Tridentini Patres, de quæstionibus fidei controuersis docuerunt? Quid? Nonne iam ipse Augustinus in ea confessione, quę cum ingenti istorum fremitu ab omnibus teri-

teritur, definitiones illas Tridentini Concilij, ad verbum ex ipso Concilij codice recitatas, doctrina sua comprobauit, ijsque quasi propria manu subscripsit? Nam quid ego de diligentia catholicorum auctorum in singulis locis controuersis ex sententia tum Augustini, tum aliorum Ecclesiæ doctorum, aduersùs istorum pertinaciam tractandis dicam? An aliquis est, vel mediocriter in eo genere disputationum scriptisque tum Sectariorum, tum ipsorum Patrum versatus, qui non videat, toto cœlo, ab erudita illa Orthodoxaque antiquitate distare fæcem istam omnem Lutheranæ, Caluinianæque doctrinę? Quod non nisi ita sit; cur, vt proditum est, de ijs discipulis penitus desperare solitus erat Lutherus, qui veterum Patrum monumenta paulò diligentius in causa religionis consulere cœpissent? Cur toties à Patrum sententia ad Scripturam, hoc est, à certa antiquitatis intetpretatione, quam sibi aduersari vident, ad sua commenta vanissimè prouocant? At citant, & ipsi testimonia Patrum. Deus bone, qua fide! Equidem (vt de me ipso hoc in loco profitear) nullam hos totos annos duodecim, vel docendo publicè in schola, vel scribendo, pertractaui controuersam de fide quæstionem, in qua non aliquot insignes istorum corruptelas in allegandis veterum testimonijs manifestissimè deprehenderim. Quo in fraudis genere, cùm illi omnes exercitatissimi sunt, tunc examinator ille Concilij Tridentini Kemnitius maximè excellit. Qui quàm multa, & magna mihi semper exempla, ad hanc istorum improbitatem in ordinario ipso cursu prælectionum mearum exagitandam suppeditauerit; omnes aliquando, si Dominus voluerit, clarissimè intelligent. Sed quoniam de antiquitate catholicæ, atque Apostolicæ doctrinæ Ecclesiæ Romanæ, à qua isti desciuerunt, infra quoque certo loco dicendum est, illos ego nunc, vt ad alia argumenta pergam, rursùs interrogo, si non Augustinum, non doctores, & fideles alios populos, cùm Augustino consentientes, doctrinæ duces habent, quosnam alios doctores, & populos christianos fama admodum celeberrimos, vt Augustinus loquitur, tanquam maiores suos sequantur? Nempè, vt vno verbo expeditam, illos omnes populos, ac doctores Lutheranos, & Caluinianos isti sequuntur, qui multis ante Lutheri, & Caluini nomen auditum sæculis in orbe illustres, & noti fuerunt: idest, nullos penitus. Nam de consensu cum priscis hæreticis in Ecclesia olim notis, & proscriptis, quorum isti, vt infra certo loco docebimus, opiniones instaurarunt, opinor, minimè gloriari volunt.

II. Alterum argumentum duci solet à constantia martyrum hoc pacto: Nullo modo verisimile est, falsam eam esse doctrinam, quam innumerabiles omnis ordinis, sexus, & ætatis homines, qui & Deo placendi veræque religionis agnoscendæ colendæque cupidissimi erant, & singulari vitæ probitate, atque sanctimonia conspicui, sic amplexi sunt, vt illi res omnes, ac vitam ipsam, exquisitissimis tormentorum generibus admiranda patientia tolerandis, postponere non dubitauerint. Talis autem, vt constat, est Christiana doctrina. Non est igitur verisimile eam falsam esse. Id probatur ex prouidentia, ex bonitate Dei, ex eiusdem ergà hominum genus multis modis testata charitate. Ex Dei prouidentia: quia cùm homines ad eum finem ipse creauerit, vt sibi vera religione, atque cultu seruirent; aut nullis omnino, quod incredibile est, aut illis maximè, secundum rectissimam suæ prouidentiæ rationem, opitulari ad eam rem putandus est, qui tam ardenter ipsi seruire cupiuerunt, vt quò placerent illi, non modò sanctissimè, ex ipsa lege naturæ, vixerint, verùm etiam, quod omnium maximum est, constantissimè mortem pro illo oppetiuerint. Ex Dei bonitate, & charitate erga homines: nam quàm esset ab illa alienum, imò verò quàm crudele esset, permittere atque pati, vt homines ea voluntate, eo studio religionis, eo desiderio salutis, ea vitæ innocentia, in negotio summo, quod ad salutem æternam spectat, fallerentur, ac vitam etiam sine vtilitate prodigerent? Hoc certè nemo, qui modò conuenienter rationi iudicet persuadere sibi possit de Deo: siquidem eum, & sapientem, & prouidum, & clementem, & nostri amantissimum esse, illa cognitionis luce, quæ mentibus nostris est innata, compertum omnes habemus. Quòd si iam ipsius etiam diuinæ doctrinæ testimonijs probare nobis liceret, Deum inquirentes se non deserere, in promptu plurima eaque luculenta haberemus. [Quæretis me, inquit ipse Deus per Hieremiam, & inuenietis, cùm quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis.] Et per Amos: [Quærite me, & viuetis.] Quod, vt cætera loca prætercam, adeò certum, & constitutum in diuinis libris est, vt Apostolus id inprimis, tanquam immotum quoddam principium fidei, credi oportere docuerit. [Accedentem ad Deum, [inquit, [oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est.] Sed initio istius primi capitis præfati sumus, non licere iam nobis, cùm veritatem christianæ Doctrinæ probare instituimus, ex christianæ Doctrinæ testimonijs probationem ducere. Quanquam, vt etiam monuimus, vtiliter ex illa quoque sententiæ proponuntur hoc loco gratia explicationis, atque etiam, vt appareat, eam cum ijs, quæ ratione naturali nota sunt, pulchrè consentire. Quoniam igitur compertum est, innumerabiles eiusmodi martyres, quales iam descripsimus, veræ religionis inueniendæ, & Deo placendi cupidissimos &c. fidem christianam complexos fuisse: Et incredibile est, vt ostendimus, tales esse in re tanta deceptos; certò certiùs concludimus, doctrinam christianam prorsus dignissimam esse, quæ pro vera, atque certa habeatur. Sed nonne, dicet aliquis, proditum est, ethnicos etiam quosdam, specie religionis falsa deceptos, dæmonibus deuouere se esse solitos? Negari non potest. Verùm ij profectò res, aut credunt alioqui, aut faciunt tam pugnantes cum ipsa etiam ratione, & lege naturæ; vt facilè appareat, illos ea re non à diuina prouidentia in vera religione dirigi, sed secundùm æquissimam diuinæ prouidentiæ rationem pœnas meritas, vel stultitiæ, vel improbitatis dare. Nostri verò plerique martyres,

tyres, ex christianæ religionis instituto prinsquam mortem oppeterent, innocentissimè vixerunt: nihilque contrà, quamuis quædam, vt post dicemus, supra rationem, crediderint. Quamobrem, & D. Ambrosius, eorum esse illam vocem in Psalmis, non incommodè interpretatur: [Principes persecuti sunt me gratis. Quia cùm nihil malè fecerint; ait Ambrosius; peiora latronibus subire tormenta sint coacti.] Non igitur Deo vindice ob aliqua scelera, vt quidam ethnici, sed adiutore Deo vitam pro veritate profudisse christiani martyres existimari debent.

Num verò etiam, & hoc argumento doctrinam quoque suam confirmare Sectarij potuerunt? Nihil profectò minus: quinimò, vt probemus ipsi, eorum doctrinam non esse reuera christianam, iure optimo possumus ex eo argumento ita rationem deducere: Vera Christi doctrina sanguine etiam innumerabilium sine controuesia martyrum mundo testata est, vt hactenus est ostensum. Non habet autem id testimonium Sectariorum doctrina. Non est ea igitur verè christiana doctrina. Qui enim pro ea doctrina mortem oppetere potuerunt martyres, quam vel in veteribus hæreticis martyres ipsi execrari sunt, vel multis sęculis post martyrum tempora: sicut præcedenti argumento vidimus: Martinus Lutherus, & id genus nouatores excitauerunt? Quid quod præcipui, ac maximi quique martyres contrariam istorum erroribus doctrinam, hoc est, doctrinam, quam hodiè profitetur Ecclesia Catholica, disertis verbis asseruerunt? Martyres fuerunt Dionysius, Ignatius, Martialis, Iustinus, Irenæus, Cyprianus, Hypolitus, & amplius triginta Romani pontifices ex primis, atque plures alij. Horum verò, quis nesciat, nos aduersùm Sectarios passim pugnare testimonijs? Quid? An non hoc ipso nomine Sectarij Centuriatores in cœlum ponunt os suum, impudentissimeque sanctos eiusmodi martyres reprehendunt, quòd senserint nobiscum, atque adeò, *ipsorum quidem iudicio*, à pura, atque Apostolica doctrina, scilicet, degenerauerint? Sic enim de discipulis ipsis Apostolorum sanctissimisq,martyribus Ignatio, Policarpo, Irenæo, Iustino &c. censent: Deploratione, inquiunt, dignum est, quòd tam citò magnæ obscurationes magnorum articulorum fidei sensim inciderunt. **Summi** enim in Ecclesia Doctores (nempè illi quos iam nominaui, quosque ipsi Centuriatores ex illo sęculo solos commemorant) suas quasdam opiniones parum commodas, suosque næuos habuerunt, quibus sequentibus temporibus Ecclesia quassata, & turbata est. Nam doctrina de libero arbitrio statim hoc sęculo cœpit vitiari, nimiumque viribus humanis tributum est &c. Operibus iustificatorum plusquam debeant ascripserunt; quod fortè, inquiunt, ex errore de necessitate operum ad salutem promanauit. Martyria Sanctorum sentire cœperunt esse peccatorum expiationes.] Item: Videas, inquiunt, in doctorum huius sęculi, ante annum videlicet trecentesimum, non obscura, hoc est, clara, vestigia inuocationis Sanctorum. Item inquiunt: Ex Ignatij epistolis apparet, homines iam tum paulò impensiùs cępisse amare, & venerari Virginitatis statum. Nam in epistola ad Antiochenos inquit: [Virgines videant, cui se consecrarint.] Et ad Heronem: [Virgines custodi tamquam Sacraria Christi.] Item ad Tharsenses: [Eas quæ in Virginitate sunt honorate, sicut sacras Christi.] Rursus Centuriatores impetum propterea faciunt in eumdem Christi martyrem Ignatium, quòd ad Philippenses in hæc verba scripserit:[Dies festos nolite inhonorare: Quadragesimam verò nolite pro nihilo habere. Imitationem enim continet Dei conuersationis: Hebdomadam etiam passionis nolite despicere.] Quid hìc Centuriatores? Nimirum affirmant, Ignatium contra doctrinam Pauli[Nemo vos iudicet in cibo, aut parte dici festi] ita scripsisse. Quid autem de Dionysio? Non sentit, inquiunt, Apostolicè quòd monachorum ordinem, vt sublimiorem, & excellentiorem reliquis, commendet.] Quod ipsum superstitiosè admodum ab eodem Dionysio traditum esse, pluribus etiam verbis Philippus Melachthon asseuerat. Porrò censent isti fidesolarij, perperam Iustinum martyrem scripsisse, totam legis iustitiam esse diligere Deum plusquam seipsum, & proximum, vt seipsum. Quæ tamen sententia non tam est Iustini, quàm ipsius Christi. Sic, & martyrem Irenæum de oblatione, hoc est, de sacrosancto Missæ sacrificio, satis loqui incommodè, cùm ait: [Noui Testamenti nouam docuit Christus oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo Deo offert.] Itemque eumdem martyrem Irenæum reprehendunt, quòd liberum arbitrium, etiam in spiritualibus, passim defendat. Item de martyre Cypriano, superstitiosè, inquiunt isti, ait, Euchatistiam in Altari sanctificari, & sacerdotes sanctificare calicem, & vice Christi fungi, ac Deo Patri sacrificium offerre.] Atque etiam in eodem vehementer ipsis displicet, quod asseruerit, Romanam Ecclesiam ab omnibus alijs pro matrice, & radice Catholicæ Ecclesiæ agnoscendam esse.] Quid multa? Hæc & id genus catholica dogmata, ne alia plurima nominatim à Sectarijs eodem modo reprehensa persequar, quæ primis etiam illis sęculis martyrum, sanctissime à nostris maioribus iuxta Apostolicam traditionem defensa sunt, non aliud isti, quàm peculiares, incommodas, monstruosas opiniones, stipulas, næuos, & errores, quia nunc etiam à Papistis videlicet, similiter retinentur, contumeliosè appellant. Quod cùm ita sit, quid habet obsecro commune doctrina Sectariorum cum doctrina Martyrum?

III. Est etiam pro fide nostra magnum argumentum illud, quòd ex admirabili quadam animi mutatione eorum, qui eam complectuntur, & colunt, sumitur. Primùm enim, si ex christianæ religionis instituto viuant, singulare quoddam animi robur, magnamque facultatem, vt illorum vita testatur, ad grauiora peccata omnia contra naturæ legem vitanda obtinent. Qua facultate cùm careant ij, qui christianæ religionis sunt expertes, apparet profectò, illam naturalem non esse, sed à Deo tributam, tamquam testimonium etiam quoddam veritatis christianæ doctrinæ. Deinde cuiusmodi luce, & quibus inter-

interdum spiritualibus delitijs animo perfundantur ij, qui secundum christianam religionem sanctè, ac piè viuunt; id verò neq;nouit aliquis, nisi qui accipit,neque illi ipsi, qui norunt, & experti sunt, vlla possunt oratione explicare. Certè ex illorum rectissimis factis, & tranquillitate, atque constantia vitæ, perspicuum est, in eorum animis aliquid versari, atque inesse diuinum, quod nec humanitùs soleat contingere, & veritatem, sine quâ rectè se habere, aut requiescere mens nostra nullo modo potest, necessariò sociam habeat. Hoc argumento Malachias Propheta, vel potiùs ipse Deus per Malachiam,ad probandam hominibus Christianam religionem, quæ veteri legi successura erat,tanquam validissimo, vsus etiam fuisse videtur. [Erunt, inquit, mihi in die quam ego facio, in peculium, & parcam eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi. Et conuertimini, & videbitis, quid sit inter iustum, & impium, inter seruientem Deo, & non seruientem ei.] Vides, quibus verbis, futuram in meliùs animorum mutationem, quæ experimento etiam probari possit, proponit, vt homines ad legitimum Dei in Ecclesia cultum, spe quoque experiundi alliciantur? Ducebat item ab eadem mutatione rationem Apostolus Paulus, qua persuaderet Ephesijs studium virtutum. [Eratis enim, inquit, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate, fructus enim lucis est in omni bonitate & iustitia, & veritate &c. Denique nonnisi dexteræ excelsi mutationem] hanc in his, qui Christianam religionem susceperunt, fuisse, vel inde colligi potest, quòd ipsis etiam Ethnicis, quibus Christus fuit lapis offensionis, maximè admirabilis extitit. Nemo est enim, qui falsum existimet narrauisse D. Petrum in illo loco, vbi recens Christianos adhortatus inter cætera dicit: [Sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium consumandam, ijs qui ambulauerunt in luxurijs, desiderijs, vinolentijs, commessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus. In quo,inquit, admirantur (vel obstupescunt, vt habet alia litera) non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem.]

Quo ex argumento doctrinam Sectariorum verè Christianam non esse ita certissimè ostenditur: Qui ex doctrinæ Christianæ instituto viuunt, ij & magnam in se experiuntur ad euitanda grauiora peccata facultatem, & reliquis ferè sunt innocentiæ, atque omnis probitatis exemplum. At non eadem vis, ac ratio doctrinæ Sectariorum est; quinimò hæc facillimè ipsa mores peruertit, & ad omnem vitæ licentiam homines facit procliues. Doctrina igitur Sectariorum nihil præter nomen habet commune cum vera Christi doctrina. Etenim, si non alio tremore, & labore præterquam sola fide salutem quisque suam operari debet; si conscientiæ ratio, ad obtinendam remissionem peccatorum, reddenda Dei ministris non est; si ieiunijs nullis caro, domari,& coerceri debet; si denique conuenienter reliquis Sectariorum placitis, ad libertatem carnis excogitatis, vita instituitur; quid mirum erit, si eius alumni doctrinæ, nullo certo disciplinæ freno cohibiti, sed habenis potius ad omnem carnis cupiditatem laxatis, desideria carnis in omni genere perficiant? Exierunt ex Ecclesia, vt de hæreticis D.Ioannes inquit, & transierunt ad istorum castra magno suo malo quandoque nonnulli. An hi vnquam meliores apud istos sunt facti, posteaquam ex Lutheranæ doctrinæ ratione viuere cœperunt? An mutatio in eorum vita dexteræ excelsi, alijs admirantibus, vt Diuus Petrus de recens Christianis dicit, notari potuit? Num exemplis illustribus, & frequentibus,charitatis,orationis, pœnitentiæ, patientiæ, modestiæ, humilitatis, omnisque continentiæ vitæ, quæ apud Sectarum prædicantes viderint, ad pietatis studium vehementius inflammati sunt? Quis nescit, apud istos fermè iacere hæc omnia, præter suum illud Verbum, & nimis solam suam, vel potius nullam, fidem? Sed ne ego in istorum vita,quibus cum parum ipse versor, curiosiùs fortè inquirere videar, domesticos eorum testes vnum, aut alterum de fructu sui Euangelij profitentes audiamus. Bucerus igitur de eiusmodi hominibus Euangelicis loquens: Maxima, inquit, eorum pars visa est id tantùm ex Euangelio Christi petijsse, vt iugum qualiscumque disciplinæ, pœnitentiæ, & religionis vniuersæ, quæ in Papatu reliqua fuit, abijcerent, proque carnis suæ arbitrio, ac libidine instituerent, agerentque omnia. Tum non ingratum eis fuit audire, iustificari nos fide in Christum, non bonis operibus, quorum nullo tenebantur studio. Nec pauci eorum qualemcumque Euangelij prædicationem eo tantùm receperunt, vt in opes inuaderent Ecclesiasticas.] Hactenus Bucerus. Tum etiam de laxatione disciplinæ pluribus verbis conqueri Wigandus: Rapere, inquit, Ecclesiastica bona, scortari, inebriari, aliaque id genus innumera peccata, eo magis inualescunt quotidie, quia libertatem crescendi habent.] Et vnde nam potiùs crescendi libertatem, Wigande, innumera, vt inquis, peccata nunc habent, quàm ex relaxata apud vos (quemadmodum antè diximus) Christianæ religionis sanctissima disciplina? Cuius profectò rei, & aliud quoddam illustre admodum testimonium, idemque publicum, primariæ ciuitatis Lutheranæ, Dominicus Sotus, auctor in primis grauis, & ob summam doctrinæ, atque prudentiæ existimationem,inuictissimi Imperatoris Caroli V. in ipsa etiam Germania à sacris confessionibus, ita ad verbum commemorat: [Verecundia, inquit, confitendi vehementissimè homines à peruersis moribus arcet. [Id quod me, inquit, teste Germani ipsi publicè dum inter eos agebam fatebantur. Qua de re ex inclyta Normberga ciuitate missa est ad Cæsarem legatio, per quam ciues illi petebant, vt Cæsar Imperatorio iure confessionem auricularem induceret. Aiebant enim se vsu, & more intellexisse, Rempublicam suam, postquam confessio cessauerat, vitijs contra iustitiam, & alias virtutes scaturire, quæ illis antea fuerant incognita. Risum autem, inquit Sotus, ea legatio mouit. Nam cùm fateri omnino renuerent, per absolutionem sacerdotis culpas remitti, & diuino iussu teneri homines ad confessionem: quomodo plebs induci posset Cæsarea lege occulta sua scelera secretò confiteri.] Ergo à fructibus etiam eorum doctrinę,

falsi isti Prophetæ, iuxta præceptum Christi, cognosci debent.

IV. Præterea: quæ doctrina diuinitùs est hominibus probata, ea sine dubitatione est vera. Atqui doctrinam Christianam esse probatam diuinitùs, modus certè, quo in orbem est introducta, declarat. Nam à paucissimis hominibus, nulla neque humana eruditione eloquentiaue instructis, neque potentia, & vi armatis, neque nobilitate claris, neque opulentia præstantibus; & præterea eiusmodi res docentibus, quæ magna ex parte hominum voluntatibus, atque adeò ipsi carni repugnant; plurimi sapientissimi, eloquentissimi, potentissimi, nobilissimi, opulentissimi, vna vi veritatis, [Domino cooperante, & sermonem eorum admirabiliter confirmante,] victi ac superati sunt, eoque demum adducti, vt desertis patrijs religionibus, quæ vel ipsa diuturnitate valdè confirmatæ erant, Christianam disciplinam amplecterentur. Quod profectò naturaliter, id est, absque aliqua maiore virtute planeque diuina, non magis fieri potuit, quàm vt ferocissimi lupi, à mansuetissimis agnis superarentur. Itaque cùm Apostoli, qui, vt agni inter lupos sunt missi, lupos vicerint: id est, cùm absque vllis humanis præsidijs orbem Christo subdiderint; nemo prudens dubitare debet, quin insit in Christiana doctrina vis veritatis, quam ipse Deus sanctissimorum illorum hominum ministerio, atque opera mundo probauerit. Quod ipsum pulcherrima sanè ratione confirmat D. Augustinus. Si enim priusquam Christianam fidem mundus complecteretur, sapientium philosophorum aliquis interrogatus fuisset, vtrùm censeret, sine virtute diuina per vnum, vel per paucos homines nulla neque potentia excellentes, neque humana doctrina claros persuaderi mundo illa posse, quæ Christum, & Apostolos persuasisse iam cernimus: Respondisset credo ille, inquit Augustinus, non posse hoc ab hominibus fieri, nisi quos ipsa Dei virtus, atque sapientia commendasset, vt omnia contemnendo, quæ praui homines cupiunt, & omnia perpetiendo, quæ horrescunt, genus humanum ad tam salubrem fidem summo amore, atque auctoritate conuerteretur. Hoc igitur cùm iam factum videamus; non nisi diuina planè ope esse factum, confitendum est. Huius argumenti vim, quæ est sanè maxima, intelligi à Corinthijs voluit Apostolus, quos ideò illis verbis commonefaciebat: [Videte, inquit, fratres vocationem vestram. Quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. Ac rursus ad eosdem: Non secundum carnem, inquit, militamus. Nam arma militiæ nostræ, non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersùs scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. [Certè vel hæc ipsa D. Pauli verba suaptè grauitate declarant, Apostolos in persuadenda Christiana doctrina, quemadmodum diximus, maiori vi fuisse vsos, quàm sit vlla humana. Quo & illud eiusdem Apostoli pertinet: [Sermo meus, inquit, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.

Iam verò, si Sectariorum doctrina, illa ipsa doctrina Apostolica est, quam duodecim illi viri sine humanæ sapientiæ verbis, mundo vniuerso persuaserunt: qui nunc fit tandem, vt eam tam multi Sectarij prædicantes, ijdemque verborum etiam artifices non admodum imperiti, ne diuturno quidem multorum iam annorum spatio, probare orbi potuerint? Nempe quia militant prorsus secundum carnem, non autem, vt Apostoli, in virtute Dei, & potentia spiritus. Verùm, quia non istos propugnare, sed oppugnare planè doctrinam Apostolicam, atque adeò Ecclesiam ipsam Christi infrà suis locis accuratè probandum est; satis nunc erit, si Lector notet, posse istorum doctrinam ita redargui ex hoc loco: Quæ doctrina ab ijs nouatoribus propriè, ac singulariter defenditur, qui & vita, & moribus, & virtute, atque efficacia in docendo, plurimùm distant ab Apostolis; eam nullo modo verisimile est doctrinam esse verè Christianam, & Apostolicam, qualis olim orbi ab ipsis Apostolis probata est, duratura secundum Christi promissiones in Catholica Ecclesia perpetuò. At doctrina Lutherana, & Caluiniana à talibus nouatoribus ita defenditur. Quare minimè verisimile videri debet, eam esse doctrinam verè Christianam, & Apostolicam.

V. Pertinent & ad hunc locum miracula: quæ vel ob eam rem maximè, quasi antonomaticos, nominari solent signa, quia cum primis significant, atque declarant, eam doctrinam diuinitùs probari, atque adeò veram esse, cuius ad confirmationem edantur. Quo quidem ex loco ita licet formare rationem. Non dubium est, quin ea doctrina prudentissimè existimetur vera esse, quæ miraculis diuina planè virtute editis, confirmata, atque probata orbi est. Eiusmodi est autem Christiana doctrina. Quare dubium nullum est, quin vera, planèque diuina esse prudentissimè putetur. Sed vnde, dicet aliquis, intelligi potest, eiusmodi miracula, & diuinitùs facta esse, & etiam fuisse facta ad confirmationem Christi doctrinæ? Ego verò ad huius argumenti conclusionem, quæ est, doctrinam Christi dignissimam esse fide, primùm non necesse esse puto, vt ista duo simul, prorsus euidenter constent. Nam si sic constarent; euidenti etiam consequentia rationis nobis esset nota Christianæ doctrinæ veritas. Et tamen illam sola fide, in qua non est euidentia, tenemus. Vt igitur propter miracula etiam, prudenter animum inducamus ad assentiendum Christianæ doctrinæ, satis erit, si alia quadam, sed tamen magna illa quoque, certitudine, quam moralem nominant, nobis constet, ea & diuinitùs esse facta, & simul ad eam rem facta fuisse, vt Christi doctrina confirmaretur.

Deinde quin sint pleraque miracula ex illis patrata non alicuius creaturæ virtute naturali, sed planè potentia diuina, plusquam morali certitudine perspicuum est. Nam à

sæculo non est auditum, quòd naturaliter aperti sint oculi cæci nati, aut mortui planè ad vitam resurrexerint. Quæ ac plura eiusdem generis admirabilia à Christo, eiusque ministris præter naturæ consuetudinem fuisse gesta, si quis neget, hic omnem omnino historiam eadem ratione in dubium reuocare possit, vt egregiè conuincit S. Augustinus. Commemorantur quidem apud veteres Scriptores prophanos aliqua prodigia, quæ aliarum religionum hominibus acciderunt, quæ persequitur diligenter D. Augustinus: Sed non talia, nec tanta, nec tam testata ac illa, quæ sunt à Christo, & eius ministris pro nostra religione facta. Itaque nemo profectò similia aliqua mirabilium operum exempla opponi posse existimabat, cùm Christus ipse non minùs fidenter illud, quàm verè affirmaret: Si opera, inquit, non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Quod ipsum eruditè sanè, ac copiosè Michael Medina, auctor valdè diligens, in suo opere de recta in Deum fide persecutus est.

Sed & omnia eiusmodi opera Christi admirabilia, in vniuersum gesta fuisse diuina virtute, ita compertum est, vt nemo ea de re prudenter dubitare possit. Hoc patet, tum ex illorum operum magnitudine; tum ex singulari innocentia, & perfectissima sanctimonia vitæ eius, per quem fiebant, nempè Christi Domini; tum ex modo quo idem admirandas eiusmodi res operabatur. Nam neque vllius rei naturalis, quæ ad illos effectus natura sua valeret, adminiculo, sed solo verbo, atque imperio, vel certè precatione vtebatur; neque malignorum spirituum præstigijs, atque opera credibile est, adiutum eum fuisse, cui tantùm, tamque apertum fuit cum illis nequam spiritibus bellum, vt non modò sanctissimis studijs in omni vita eorum conatibus aduersaretur, verùm etiam reluctantes ipsos, atque inuito se corporibus humanis summa vi pelleret. Qua ratione ad hanc ipsam rem ille vtens: [Si Satanas, inquit, Satanam eijcit, quomodo stabit Regnum eius?] Itaque reliquum est, vt Dei ope supra humanas suas, & omnium etiam creaturarum vires ad eas res peragendas vsus fuerit. Huc accedit, illum vno & eodem ferè modo miracula, quæ fecit, omnia patrauisse, nempè admirabili imperio. Quare, vt opera quædam maiore virtute, quam sine dubitatione sit aliqua vis creata, fecit (nempè illuminandis cæcis à natiuitate, & mortuis excitandis) ita & reliqua omnia fecisse putandus est, quæ similiter fecit.

Quod autem in argumento quoque sumebamus, miracula hæc ad eam rem diuinitùs facta per Christum fuisse, vt Christiana confirmaretur doctrina: id verò, si non euidenter, (quis enim, præsertim citra lumen fidei, vt iam loquimur, cognouit penitùs, atque vidit sensum, & consilium Domini?) at ita certè compertum est, vt nonnisi imprudenter, ac temerè in dubium reuocari possit. Primùm, quoniam ipse Christus Dominus id testabatur: in cuius spectatissima virtute, quid obsecro iure desiderari potuit, quo minus eius auctoritati, ac testimonio in ea re à prudentibus fides haberetur? Magnus vir, ac sapientissimus erat Ioannes Baptista, neque indoctos, aut imprudentes habebat, & ipse discipulos. Annè igitur hi temerè fidem Christo adhibuerunt, cùm is, vt suam illis auctoritatem probaret: opera eiusmodi mirabilia ad dignitatem doctrinamque suam comprobandam pertinere significauit? [Euntes, inquit, renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, mortui resurgunt, leprosi mundantur, pauperes euangelizantur, & beati qui non fuerint scandalizati in me.] Certè operum Christi, tam admirabilium ea quoque vis fuit, vt credere oporteat sapientes non modò per se esse vera, quæ ille docuit, sed hoc ipsum etiam verissimum esse, quod asseuerauit, opera quæ ipse faceret testimonium de se præbere, id est, ad ipsius confirmandam doctrinam diuinitùs fuisse patrata.

Sed & valde præterea hoc idem diuinæ erga homines prouidentiæ suauissima, atque ad eorum salutem aptissima ratio confirmat. Nam si Deus ad confirmandam aliam aliquam doctrinam veram (non enim ad falsam potuit,) aut omninò ad alium finem, quàm ad conciliandam auctoritatem Christo, miracula illa tam stupenda edidit, cur non vllum hominibus dedit eius finis iudicium, ne in re tanta, vsque adeò verisimiliter falli possent? Quid enim ipsi aliud cogitare poterant, nisi in eius gratiam miracula illa fieri, per quem omninò fiebant? aut quomodo diuinassent aliò illa referri, cùm nihil ipsis ostenderetur vllo modo quò alioqui pertinerent? Aut igitur miraculorum illorum finis non alter fuit, quàm vt Christi doctrina probaretur, aut Deus eum finem non monstrans, in re maximè necessaria defuit hominibus. At Dei prouidentia hominum saluti non deest. Non igitur nisi ad eam rem diuina illa miracula fuerunt, vt Christianæ doctrinæ adhiberetur. Quæ ratio docet, prudenter admodum illos omnes fecisse, qui propter miracula, quæ à Christo fieri cernebant, inducebantur, vt ei fidem accommodarent. Sic Regulus cum domo sua tota, sic Centurio, sic alij, de quibus passim legimus, ad fidem adducti sunt.

Sed perspicitur nescio quo pacto magis huius argumenti vis, si proponitur illa forma & modo: quo est à D. Augustino propositum. Is igitur pro religione nostra contendens contra ethnicos, hunc ferè in modum à miraculis argumentatur. Aut Christiana religio diuinis miraculis orbi probata est, aut nullis miraculis est confirmata. Si aliquibus miraculis probata est, diuina est igitur, & digna quæ recipiatur: sin autem nullis; multò etiam magis est fide digna. Quod enim maius miraculum ad illius veritatem auctoritatemque persuadendam proferri potest, quàm si nullis testata miraculis, eam tamen vim per se habuerit, vt ab vniuerso orbe sit suscepta?

Sed vt hunc locum magis firmemus, ad extremum breuiter dicendum est, quæ sit illarum sententiarum vis, in quibus Christus nihilominùs significat non esse miraculis in negotio fidei innitendum. Faciet enim signa, & prodigia magna Antichristus, facient etiam, & fecerunt sæpenumerò alij seductores; quibus tamen non est credendum. Hoc

si ita

si ita est, qui potest pro fide nostra, tam firmum argumentum à miraculis duci, quàm hactenus condendimus? Hoc ita expeditur. Non prohibet Christus, seductorum miraculis credere, quia nullis miraculis sit credendum. Nam ad confirmandam doctrinam suam,& ipse miracula fecit, & vt à suis etiam discipulis fierent, omninò voluit. Quod ipsum esse alioqui consilium Dei, quandocumque opus fuit auctoritatem hominibus aliquibus in negotio religionis diuinitùs addi, ex sacris quidem literis non est obscurum. Quid ergo commonefactio illa Christi significat? Nimirum, vt seductorum miraculis ne commoueamur, quia eiusmodi sunt, vt si illorum ratio dispiciatur, haud difficulter intelligi possit, non vera miracula ea esse per virtutem Dei facta, sed signa, vt Apostolus loquitur, planè [mendacia in virtute Satanę.] Primùm quoniam ex eorum alijs fructibus, hoc est, ex vita, ex consilijs, ex actionibus denique cæteris apparet quò pertineant, & cuius adminiculo edantur ab illis ea signa. Referunt enim ea, vel ad ambitionem plerumque, & gloriam vanam, vel certè ad oppugnandam doctrinam veram, quæ sit alijs multis,ac magnis argumentis probata: Quod est in primis studium dæmonis. Quæ autem opera verè admirabilia sunt diuinaque virtute edita, nonnisi ad optimum sanctissimumque finem spectant, vt docet etiam præclarè Diuus Augustinus. Itaque miracula, quæ primò pro religione Christiana verissimè à Deo (alijs argumentis id contestantibus) facta sunt; meritò quibusque alijs impostorum Christique hostium signis auctoritatem, atque fidem derogant. Deinde pleraque istorum facinora, aut meræ præstigiæ sunt, aut res certè non prorsus per se admirabiles, sed potiùs eiusmodi, quę in causam aliquam naturalem, tametsi occultam, & abditam referri à peritioribus possint. Atque inde porrò fit, vt minimè seductores isti quidquid admirabiliter diuina virtute, pro confirmanda veritate religionis Christianę, aut etiam *olim Mosaicæ, factum est*, similiter facere possint. Quod Magi Pharaonis ostenderunt, cùm nequiuerunt similiter, vt Moyses efficere ciniphes. Multò minùs valent, aut cæcis oculorum lumen, aut mortuis veram, atque solidam vitam restituere. Quamquam commemorantur quoque in his generibus multæ apud ethnicos præstigiæ, quas redarguit Michael Medina diligenter, quem auctorem antea nominaui. Nec verò, quod Apostolus Paulus scripsit, futurum aduentum Antichristi [in omni virtute,] ita intellexit, quasi facturus sit aut facere possit ille homo nequissimus omnia quæcumque fieri possunt admirabilia: Sed quia in omni genere miraculorum enitetur opera diaboli, cuius erit præcipuum organum, homines ludificari. Quare non absolutè dicit, venturum illum in omni virtute: sed addit etiam, [secundum operationem Satanæ, & signis, & prodigijs mendacibus.] Quamobrem igitur ijs miraculis, que pro religione Christiana adduci solent, moueri debeamus, alijs autem non item, ita breuiter explicasse ad institutum nostrum satis nunc erit.

Quo ipso argumento à miraculis, tantùm abest, vt Sectarij ad confirmationem doctrinæ suæ vti possint, vt ex eo etiam rationem petere facillimum sit, qua planum fiat, non esse reuera Christianam illorum doctrinam. Sic enim licet argumentari: Si quam doctrinam singularem (hoc est, abhorrentem à recepta communique sententia orbis) Deus aliquando eorum hominum ministerio persuaderi voluit, qui auctoritate, secundum humanum iudicium, impares cæteris viderentur; eam doctrinam necesse fuit supernaturalibus aliquibus miraculis diuinitùs comprobari, vt verissimè Diuus Augustinus disputat, & exemplum prædicationis Apostolorum, & Prophetarum, & ratio ipsa docet: Non enim alioqui posset eiusmodi doctrina prudenter recipi, ab his præsertim, qui rationem ipsam per se doctrinæ dijudicare satis non possunt, sed auctoritate potissimùm docentis commoueri debent. At singularem illam doctrinam, quam orbe vniuerso reclamante profiteri isti cœperunt, nullis Deus miraculis mundo comprobauit. Neque vult igitur, neque voluit Deus, vt eam sibi homines istorum ministerio persuadeant; ac proinde neque Apostolica, neque verè Christiana doctrina est. Quam rationem, quoniam infrà sumus vberiùs confirmaturi, nihil attinet hìc dilatare.

VI. Splendescit preterea maximè doctrinæ, atque fidei nostræ veritas ex eo, quòd vel illorum etiam, qui ipsius lumen non receperunt, testimonia luculentissima exstant de dignitate huius doctrinæ auctoris, qui est Christus Dominus, ac magister noster. Quo in genere nescio, quid aut veriùs, aut grauiùs dici potuit, quàm illud quod est scriptum à Iosepho Iudæo, magnæ existimationis auctore. Is cùm in historia gentis suæ ad id seculum felicissimum peruenisset, quo Christus vnigenitus Dei Filius in terris visus, & cum hominibus conuersatus est, de ipso hunc in modum (proculdubiò ex communi valdèque celebri hominum opinione) scripsit: [Fuit autem, inquit, his temporibus Iesus sapiens vir. Si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor omnium eorum, qui libenter audiunt, quæ vera sunt. Et multos quidem Iudæorum, multos etiam ex gentibus sibi adiunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis virorum, cùm Pilatus in crucem agendum decreuisset, non deseruerunt hi, qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertia die iterum viuus: secundum quod diuinitùs inspirati Prophetæ, vel hæc, vel alia innumera miracula futura prædixerant. Sed & in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseuerat, & genus.] Hæc, & alia Imperatorum veterum Romanorum spectant testimonia præclara, quæ illi pro Christianis, quos aliqui crudelissimè persequebantur, ab ipsa veritate sunt coacti ferre; ex quibus Christianæ vitæ, atque doctrinæ institutum, optimum sanctissimumque esse, omninò intelligitur. Sed quia breuitas in hoc mihi præsertim argumento maximè proposita est, omissa non necessaria recitatione, moneo tantum Lectorem, vt ea de re, si libuerit, legat epistolas varias, eius-modi

modi Imperatorum apud Eusebium. Omnia certè externorum, hæc hominum testimonia eiusmodi sunt, vt non temerè proinde postulare possimus, vt in negotio, & causa Christianæ religionis contra inimicos nostros, vel ipsi etiam inimici nostri sint iudices.

Tale verò aliquod testimonium inimicorum Christianæ religionis, vel veterum, vel recentiorum, omnino pro suis opinionibus Sectarij non habent: nisi intestinos hostes, hoc est, hæreticos veteres, quorum isti discipuli sunt, intelligas. Etenim, vt veteribus christianis (quod, & supra argumento primo vidimus, & infrà etiam docebimus) Lutherana, atque Caluiniana doctrina incognita fuit, sic & veteribus Christianæ religionis hostibus externis. Qui autem modò supersunt Ecclesiæ hostes, seù Turcæ, seù Ethnici, si modò rationis aliquam habent scintillam, ne possunt quidem sine summa execratione de istorum proteruia, atque rebellione erga Ecclesiæ Dei præpositos, cùm Christiani illi se profiteantur, audire. Nam quod fuerit nuper Ecclesiæ Grecæ de istorum opinionibus iudicium, quamque ipsis acerba, & ignominiosa censura, cùm res iam vulgo notissima sit, quid attinet hoc in loco commemorare?

VII. Sed enim, cùm illustria, & verbis, & scriptis testimonia inimici Christianæ doctrinæ pro eadem ipsa doctrina præbuerint; haud scio tamen, an non illud testimonij genus, multò luculentius esse existimari debeat, quòd illi ferè grauissimas, & iustissimas acerbitatis suæ, ac odij in Christum, & homines christianos pœnas Deo dederunt. Velut impij, & Christicidæ Iudæi. Qui maximas calamitates, eò quod tempus non cognouerunt visitationis suæ, patiuntur in hanc vsque diem, vt prædixerat illis futurum Christus Dominus. Nam, si non ira est, quam obsecro aliam ob causam suspicari possumus, illos vsque adeò grauiter à Deo mulctari? Certè cùm, & grauissimè, & iam indè à Christo per ipsos interfecto, & omnes communiter, & continenter, puniantur; necesse omninò est, crimen illud, propter quod ita acerbè puniuntur, & grauissimum esse, & in illa Christi tempora incidisse, & id omnibus illis aliqua ratione esse commune, & illius eos numquam omninò pœnitere. Has verò peccati conditiones omnes, in nullo alio facinore generis istius, præterquam in eo quo Christum occiderunt, apparet esse coniunctas: In illo verò maximè. Etenim in ea re, si peccatum ab illis est, vt omninò est, grauissimè peccatum est; (quippe qui auctorem interfecerint vitę) & id illorum peccatum calamitates eas, quas tolerant, non ita multum antecessit, & commune illis omnibus, saltem consensu, ac voluntate est; & eius numquam ipsos pœnitet, imò de illo nefariè gloriantur. Quibus ex rebus colligitur, homines istos infelicissimos, non nisi illius sceleris, tam diuturno acerboque supplicio, pęnas dare, quòd impiè conati sint opprimere veritatem, hominemque Deum interfecerint, qui vera, vt ipse verissimè aiebat, loqueretur illis.

Quò, & illa etiam D.Chrysostomi accedit, haud exigui ponderis ratio. Fingamus enim animo, id quod existimare nefas est, Christum, verum Deum, vti dicebat ipse, non fuisse, neque veram adeò, atque diuinam, vt profitebatur, doctrinam tradidisse. Dubium ita non est, quin in interficiendo eo, qui vsque adeò impiè gloriam diuinam ad se transtulisset, magnum tunc fuisset à Iudæis gratissimumque obsequium præstitum Deo. Hoc autem posito, nequaquam certè esset diuinæ bonitati consentaneum, quòd post id facinus illa gens, tam multis, tam diuturnis, tam magnis ærumnis vexaretur. At in ea re diuinam bonitatem accusare nullo modo possumus. Non igitur illo facto diuinam illi gloriam propugnarunt, sed grauissimè offenderunt, eum qui verissimè erat Filius Dei occidendo. [Si Phinees, inquit D. Chrysost. vnico perempto homine totam numinis iram aduersùs populum placuit (Stetit enim Phinees, & placuit, & cessauit quassatio) tamque multos homines eripuit ab ira diuina vnius hominis cædes: multò magis hæc vobis oportuit accidere, si legis transgressor erat, quem vos crucifixistis. Cur igitur, quæso, Phinees, viro legis transgressore perempto, iustus habitus est, & sacerdotio honoratus; vos autem cùm in crucem egeritis virum impostorem, vt dicitis, non modò non indè fertis laudem, & honorem, verùm etiam acerbiora patimini, quàm tum cùm filios vestros mactaretis? An non istud perspicuum est, etiam vehementer tardis, & hebetibus, quòd posteaquam aduersùs seruatorem, ac principem orbis impiè egistis, talis sit de vobis sumpta vindicta?] Iam verò supplicia, & horribiles exitus aliorum, qui religionis Christianæ præcipui hostes extiterunt, non prolixum modò, sed etiam superuacaneum esset repetere, cum in promptu vnicuique sint ijs de rebus historiæ. Legat, si quis velit, Tertullianum saltem, & Eusebium, & Nicephorum.

Neque committere possum, quin hoc etiam in loco Sectarios interrogem, qui tandem fiat, quòd res Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, tam habeant in omni genere faustum progressum, si ipsi (quòd iactitare solent) velut alij quidam Apostoli, doctrinæ sanæ propugnatores sunt: Ecclesia verò Romana, non secus, atque Iudæorum olim Synagoga, à doctrina vera, sinceraque religione desciuit? Cur templa? cur sacrificium? cur cęrimoniæ, atque ritus? cur certa descriptio formaque religionis in Ecclesia Romana magis, quàm in reliquis, ac fæce Iudæorum, durauit? Ita ne verò? portas inferorum aduersùs sanam incorruptamque doctrinam, quam Sectarij scilicet, tuentur, tam diù Christus, contra promissiones suas, præualere permisit? Tamdiù etiam patitur doctrinæ lumen ministerio doctoris Lutheri, vt isti loquuntur, accensum, intra insolentem tantùm partiunculam, vt Paciani verbis vtar, turbeque collectum, & à reliquo corpore separatum, tamquam sub modio inclusum contineri? Mitto, quòd non minus horribiles multorum Sectariorum exitus fuerunt, qui doctrinam Ecclesiæ Romanæ his temporibus oppugnarunt, quàm eorum, qui olim hostiliter eamdem insectati sunt, vt nominatim etiam ab Erasmo Albero est literis proditum. Quod ipsum profectò argumento minimè leui est, non magis istorum doctrinam, quàm veterum illorum Ecclesiæ ho-

hostium, esse reuera christianam.

VIII. Denique, & illud nobis minimè leue argumentum inimici nostri, Iudæi, suppeditant, quòd Scripturam veteris Testamenti ipsi probant, ac retinent, vndè clarissimè nostræ fidei mysteria confirmantur. Quare diuinitus magnoque nostro commodo factum esse censuit D. Augustinus, vt Iudæi in illa vastatione Hierosolymitana non omnes funditus deleti fuerint, sed aliqui etiam in varias mundi partes dispersi. Sic enim consecuti sumus, vt testimonia nostræ fidei secum ipsi, contra se, & pro nobis, circumferant, nosque optimo iure vsurpare possimus illud: [Et inimici nostri sint Iudices.] Quod & idem Augustinus indicat, à Deo postulatum fuisse voce illa Christi in Psalmis: [Deus, inquit, ostendit mihi super inimicos meos. Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.]

Quod cùm ita sit; profectò non est, cur sibi Sectarij tantoperè de Scripturarum sola professione blandiantur. Quid enim illæ, nunc prosunt Iudæis? Aut quare ipsis non prosunt, nisi quia eas illi ex proprio suo sensu (quod faciunt æquè pertinaciter Sectarij) interpretantur? Nam quod ex collatione Scripturarum dicunt verissimam se colligere sententiam, an non idem, & Iudæorum, & omnium, qui vnquam fuerunt hæreticorum prætextus est? Quemadmodum igitur Iudæi, ita & Sectarij (quod inferiùs abundè probabitur) [Scripturas tenent ad speciem, non ad salutem,] inquit præclarè Diuus Augustinus.

IX. Sed operæ pretium est considerare deinceps, quàm multa quoque, & magna pro se argumenta contineat ipsa ratio, atque conditio Christianæ doctrinæ. Primùm enim, cùm mysterijs magna ex parte contineatur planè contingentibus, quæ præsciri certò futura, nisi diuinitus non potuerunt; multa tamen ex illis ita planè prædicta sunt, vti postea euenisse constat. Id apparet maximè in rebus, quæ pertinent ad vitam, & passionem, ac mortem Christi. Rursus alia mysteria nostræ fidei, item contingentia, quæ vel futura adhuc sunt, vel iam quidem præterita, sed per se tamen occultiora, quàm vt ex historijs etiam humanis sine controuersia ea iam euenisse constet; similiter atque illa, quæ sine controuersia iam acciderunt, sunt olim prædicta. Prorsus, vt ex simili prædictionum modo appareat, illa æquè certò, atque adeò perindè diuinitus prædicta esse, atque illa alia, quæ in externo euentu, de quo nulla iam controuersia est, sunt posita. Iam verò cùm huiusmodi omnia mysteria sic prædicta diuinitus, & certò sint, vt eadem ipsa prædictione fuerint quoque per se asserta: fit necessariò, vt omnino sint vera; siquidem sunt asserta ab ipso Deo, qui nec falli potest, nec fallere.

Hoc argumentum, quod ex prædictione fidei nostræ prophetica duci solet, hac forma, & modo proponi debere, vt pro veritate doctrinæ Christianæ vim habeat; sicut habet sanè maximam; explicabo vno exemplo. Cùm Isaias dixit: [Ecce virgo concipiet:] asseueratio ipsius futuri mysterij cum prædictione coniuncta est. Non enim tantùm dixit, fore, vt virginem concepisse ab aliquibus crederetur: quo modo etiam hæreses, & falsa dogmata prædicta diuinitus à Christo fuerunt, neque tamen ideò sunt ipsa vera: Sed prædicendo illud mysterium, simul etiam ipsum per se asseuerauit. Virgo, inquit, concipiet. Cùm ergo eiusmodi asseueratio mysterij contingentis, quæ prædictione illa continetur, fuerit, vt antè ostensum est, planè diuina: verùm prorsus id mysterium est. Atque hæc quidem argumentandi ex hoc loco forma, eodem modo ad probandum alia Christianæ fidei mysteria, quæ similiter sunt diuinitus prædicta, accommodari debet. Vt ad salutem humani generis per Christum partam; ad eius resurrectionem; ad ascensionem in cœlum; ad Spiritus sancti admirabilem aduentum; ad assistentem opem diuinam in operibus mirabilibus, quæ vel à Christo, vel ab illius discipulis in confirmationem Christianæ doctrinæ patrata sunt; ad iudicium futurum; ad resurrectionem carnis quam speramus; ad alia huius generis, quæ partim à Prophetis in Scripturis, partim etiam à Sybillis, fœminis è populo gentilium prophetissis, de Christianæ religionis mysterijs prænunciata fuerunt.

Hinc Christus ipse, vt vel hoc argumento auctoritatem doctrinæ suæ Iudæis probaret, Prophetarum de se vaticinia, quibus illi fidem habebant, obijcere eis erat solitus. [Scrutamini, inquit, Scripturas, in quibus vos dicitis vitam æternam contineri, quoniam illæ testimonium perhibent de me. Et; Si crederetis Moysi, crederetis vtique, & mihi, quoniam de me ille scripsit.] Ab eodem argumento, & sanctus Apostolus, vt auctoritatem Euangelio conciliaret, exorsus in epistola ad Romanos est: [Segregatus, inquit, in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui natus est ei ex semine Dauid, secundùm carnem.]

Obsecro verò, vbinam Lutheri Euangelium, hoc est, Euangelicę doctrinę, vt Sectarij dici malunt, Lutheranam instaurationem, per Prophetas suos, aut per Apostolos, promiserat Deus? Equidem nullum Scripturæ locum video, qui ad eam rem pertineat prętérquam illos: [Oportet hęreses esse. Surgent pseudoprophetę. Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritubus erroris, & doctrinis dęmoniorum, in hypocrisi loquentiū mendacia, & cauteriatam habentiū conscientiam, &c.] Hæ nimirum Euangelij Sectariorum sunt prophetiæ: non aliæ. Nam vbi perpetuò sonare oportuit vocem veri Euangelij, Deus ipse clarissimè significauit cum Ecclesia loquens per Esaiam. [Spiritus, inquit, meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui amodo, & vsque in sempiternū.] Cum quanam verò Ecclesia hic loquitur? Nempe cum ea, quæ sit congregatio eorum, de quibus per eundem Prophetam dicit: [Scietur in gentibus semen eorum, omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quoniam isti sunt semen cui benedixit Dominus.] Hi verò, & visi

visi semper, & cogniti ab omnibus, quinam alij sunt, nisi qui omnibus illis sęculis ante Lutherum, Ecclesiæ sanctæ Romanæ membra fuerunt? Ab huius igitur Ecclesiæ ore si (iuxta illustrem illam Dei promissionem) numquam recessit, aut recedet Euangelij verbum: qui potuit Deus velle, ac promittere, vt Lutheri aliorumque Sectariorum opera in eam Ecclesiam Verbum Euangelij (tamquam si recessisset) denuò reduceretur? Redarguamus igitur ex prophetiæ ratione Sectarios hoc modo: Verum Christi Euangelium, hoc est, veram Christi doctrinam, multò antè per Prophetas suos tamquam perpetuò in Ecclesia duraturam promiserat Deus. Lutheri autem aliorumque Sectariorum Euangelium numquam Deus promisit: quin immò id planè priorem illam Dei promissionem euacuat, vt est ostensum. Non est igitur illud verum Christi Euangelium, sed hæresum potiùs sentina quædam, quales & fuisse in Ecclesia futuras diuinitus prædictum est, & cæteri quoque hæretici (teste D. Irenæo) Euangelij nomine similiter palliare iam olim consueuerunt.

Deinde sanctitas, & rectitudo Christianę doctrinæ ex omni parte ea profectò est, vt facilè appareat, illam omninò veram, ac salutarem hominibus esse. Nam primùm contra rationem docet nihil. Quamquam docet quidem supra rationem non pauca: sed quæ sunt tamen eiusmodi, vt ab argumentis omnibus eiusdem humanæ rationis quæcumque contra fiant, defendi haud difficulter possint, sintque luculenter defensa à Christianis auctoribus. Sed neque iubet aliquid, quod sit improbum; Immò verò naturæ leges vniuersas sanctissimè tuetur confirmatque, cum alia porro nonnulla præcepta addit, quibus modum religionis, & per se optimum, & ipsi rationi Christianæ doctrinæ hominumque naturæ valdè conuenientem præscribit. Quę res quantam vim habere debeat, vt & qui nondum Christianam religionem susceperunt, animum ad eam applicent, & qui receperunt, constanter eamdem teneant; Psalmista etiam indicasse videtur. [Lex enim, inquit, Domini immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis, illuminans oculos.] Quasi diceret: Quia, & immaculata prorsus est, & præclara docet: conuertendi vim habet animas. Quam etiam ob causam; [Iudicia item Domini vera, & iustificata in semetipsa esse dixit.] Quia videlicet, cùm diuina doctrina, non nisi optima quæque doceat, satis se ipsa probat. Contrà verò nulla secta fuit, aut est hominum infidelium, quam nostri non conuicerint aliqua, vel docere absurda, vel sancire atque approbare planè impia

Tale verò illud est, non minus sceleratum, quàm peruulgatum, doctrinæ Lutheri decretum: Si non vult vxor, veniat ancilla. Itemque illa eiusdem aduersùs Christi sanctissimum consilium, blasphemia, quam scripsit, præter morem suum. Græcè, vt tegeret aliquo modo turpissimæ sententiæ improbitatem: *agamos* (celebs) planè *adynata tirei* (impossibilia sectatur) *cai olos theomachei* (& omninò cum Deo pugnat.) Vt prætercam nunc alia istorum dissolutissima placita, quæ eum fructum suaptè vi proferunt, de quo ipsos suprà argumento tertio testificantes audiuimus. Quamobrem non hæc Sectariorum doctrina, lex Domini sancta, & immaculata, sed legis atque doctrinæ Dominicæ præuaricatio, multis erroribus contaminata, reputari debet.

XI. Et verò cùm Christiana doctrina ferè doceat, quæ sunt hominum deprauatis voluntatibus atque studijs aduersa; cumque à tot, tamque diuersi generis hostibus oppugnata omnibus temporibus sit; nisi in ea inesset, magna vis veritatis, & patrocinio diuino prorsus niteretur; non potuisset vllo modo, vel initiò persuaderi, vel posteà consistere. Nunc verò non modò oppugnationibus tum hæreticorum, cum tyrannorum firmior reddita est, verùm etiam hac inprimis ratione mirabiliter aucta. Ita neque verendum est, ne vllo vmquam tempore opprimatur. Nam si hostes illi sunt commodo, à quibus, nam ei periculum interitus impendere potest? Quod si, & stetit hactenus, sicut alia religio nulla, & perpetuò consistet, neque ab vllis hostibus delebitur; auctoritate illam firma, & stabili, id est, planè diuina, niti necesse est.

Contra verò, aduersùs Sectariorum doctrinam hunc in modum, & istud argumentum retorquere licet; Christiana doctrina, vel ea ratione maximè commendatur, quòd cùm disciplinam contineat repugnantem alioqui propensis hominum cupiditatibus, tamen mirabiliter ijsdem hominibus probata est. Atqui doctrina Sectariorum prurit carni, & auribus, congruitque his planè, qui ex sanguinibus, & ex voluntate carnis, & ex voluntate viri, non ex Deo, nati sunt; & vix tamen paucis nationibus hactenus persuaderi potuit. Nihil igitur doctrina Sectariorum est minus reuera, quàm Christiana doctrina.

XII. His accedit in magna differentia officiorum, & graduum pulcherrimus ordo religionis, quem tenet Christiana disciplina. Qui profectò est indicium ab eo illam constitutam esse, à quo omnia, quæ sunt, ordinatissima sunt. Nam si Regina Saba ex ordine atque ratione familiæ Salomonis rectè colligebat, res illius regis singulari Dei prouidentia atque ope contineri. Quid nos de Ecclesia Christi censere debemus? in qua tanto admirabilior est ordo atque consensus, quanto latiùs illa, per cunctum orbem diffusa, quàm domus Salomonis patet.

Hic verò de Babylonica confusione, quę est in cœtibus Sectariorum, quoniam inferiùs commodiori loco de eadem dicturus sum, aliud nihil dicam, nisi non esse mirum, si nullus apud illos, vel in differentia vitæ statuum, vel in hierarchicis Ecclesiæ veris atque legitimis ministerijs ordo emineat, postquam omnem istam varietatem, ex qua ordo ipse existit, quoque est Christi Ecclesia pulcherrimè circundata, suis ex Synagogis procul eijecerunt.

XIII. Sed cùm multa sint in ipsa Christiana doctrina, quæ ipsa per se fidem illi atque auctoritatem conciliare possunt: tamen mihi maximum illud esse videtur, quod sua nescio qua admirabili vi, diuinè prorsus hominum

minum animos afficit, atque ad virtutem impellit. Est scripta verbis simplicibus, & caret ferè artificio orationis, & ornamentis. Nihilominus ita vehementer Lectoris mentem commouet, vt alia nulla doctrina. Quod argumento est, illius auctoritatem omninò diuinam esse, non humanam: hæc enim fine verborum arte, & lenocinijs ad efficiendum animorum motum non valet. Neque verò in vno aliquo, vel altero genere, sed in omni prorsus, hęc doctrina hominibus [vtilis est, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.] Docet ignorantes: solatur tristes: torpentes excitat: confirmat atque erigit afflictos. Denique nulla animorum ægritudo est, cui mederi non possit. Nam verissimè Sapiens: [Omnis, inquit, sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se.] Quam Scripturæ sanctæ virtutem cùm essent Machabæi experti; licet hostibus vndique sæpti essent, magnisque difficultatibus premerentur; nulla re tamen indigere se aiebant, [habentes solatio sanctos libros, qui sunt, inquiunt, in manibus nostris.] Mihi quidem Machabæorum hoc testimonium sæpenumerò eiusmodi visum est, vt vel eo audito, qui non omninò sit malæ mentis, salutarem hanc, & diuinam Scripturæ sacræ virtutem, etiam sine alia experientia, sentire possit. Vnde etiam Apostolus; [Quæcumque, inquit, scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus.]

Hanc consolationem, & hunc fructum ex Scriptura, si Sectarij perciperent, proculdubio Ecclesiam Catholicam, [quam sine vlla dubitatione (vt Augustinus inquit) Scriptura commendat,] & ad quam nos illa sæpè remittit, minimè vel insectarentur, vel contemnerent. Quod cùm faciant; rursus hic repeto ex eodem D. Augustino, [teuere illos Scripturam ad speciem non ad salutem,] neque magis, vt probent suam doctrinam verè Christianam esse, Scripturam ipsis suffragari, quàm Iudæis, itidem Scripturæ tenacissimis, vt comprobent perfidiam suam.

XIIII. Huc accedit sanctarum etiam Scripturarum summa antiquitas, quæ bona sui parte longè antecesserunt omnia alia profanorumq́ hominum monumenta. Itemque consensus earum maximus. Tum etiam in illis seruandis, ac ex Hebraico sermone in Græcum per interpretes illos septuaginta admirabiliter transferendis, singularis prouidentia diuina. Denique tanta in eisdem sapientiæ vbertas, vt etiam profanarum scientiarum vetustissimi doctores ex hoc fonte hauserint, quidquid melius, & verius tradiderunt. Quæ omnia proculdubio pondus auctoritatis doctrinæ nostræ addunt maximum.

Quod si antiquitas ipsa per se ad commendationem doctrinæ valet; certè doctrinæ nouitas, præsertim cum antiquitate è diametro pugnans, auctoritatem Sectariorum doctrinæ (ne habeatur pro verè Christiana) meritò apud omnes detrahet. Nam quod dictitant, se omnium primam, & antiquissimam doctrinam profiteri ab ipso Deo in paradiso illis verbis traditam: Ipse (sic enim malunt, quàm, ipsa; licet eodem res recidat) conteret caput tuum; nonnè valdè est ridiculum? Etenim, quod vnigenitus Dei atque Mariæ virginis filius contriuerit passione sua caput, hoc est, vim diabolici serpentis, non ipsorum propria, immò non reuera ipsorum, sed Ecclesiæ Catholicæ, cuius ipsi quasi calcaneo insidiantur, doctrina est. Ipsorum autem doctrina propria est, reliquisse potiùs Christum integrum caput serpenti, immò nescio quo illud inuolucro mollissimè quasi confouisse; hoc est, non delere penitus illum sua gratia in Baptismo peccatum originis (quod quasi caput operum diaboli in homine est) sed tanquam velo quodam tegere. Hoc commentum, & reliqua absurdissima, quæ de iustificatione, alijque locis isti propriè defendunt, quæro, quonam in loco paradisi Deus docuit?

XV. Iam ipse etiam Christianæ doctrinę, auctor Christus multis certè de causis, quæ præter argumenta facta, ab ipsius etiam persona peti possunt, fidem atque auctoritatem obtinere debet. Nam, vt nihil nunc repetam de illius absoluta sapientia, de singulari innocentia vitæ, de patientia admiranda, de signis stupendis, quæ illius, & vitam, & mortem, & resurrectionem admirabilem mundo reddiderunt; de virtutibus denique omnibus, quæ conciliare doctrinæ alicuius apud homines auctoritatem possunt: nonnè etiam veritatis se doctorem esse, multarum rerum prophetica prædictione, quas euenisse iam constat, luculentissimè probauit? Nonnè Hierosolymitanæ vrbis excidium; futuram in Ecclesia perfidiam hæreticorum; conuersionem Gentium; prædicationem Euangelij vbique; peccatum Petri, Iudæ proditionem; Apostolorum martyrium, &c. prædixit? Aut non hæc omnia quemadmodum prædixit, euenerunt? Quid quod intimas hominum cogitationes diuinitus sæpè vidit, ad easque mirabiliter responsum accommodauit? Hæc certè tam insignis virtus argumento nobis esse debet, in omnibus eum doctrinæ partibus tradendis verissimi diuinique magistri munus expleuisse.

Hìc verò mihi venit in mentem admirari, cùm toties audiunt Sectarij, à Christo Domino inter cætera verissimè esse prædictum, hæreticos Christiano nomine palliatos, fuisse futuros; cur non aliquando tandem intelligant, ex eorum omninò se esse numero, atque adeò nihil minùs, quàm doctrinam retinere verè Christianam? Neque enim difficile est hunc in modum ratiocinari: Hæretici, quos Christus Dominus prædixit futuros, illi homines omninò sunt, qui cùm opinione quidem sua existiment, atque iactent, se propugnare veram, atque Apostolicam doctrinam; se sequi prorsus sententiam Scripturæ; se in hoc non errare; se esse Christi veram Ecclesiam; alios qui ipsis contradicunt in errore versari, nec Ecclesiam veram esse &c. hæretici, inquam, sunt ij, qui cùm hæc, & similia opinione quidem sua ita de se iactent: eius tamen cœtus auctoritate, & sententia, qui pro Ecclesia Christi vera in orbe vniuerso ante natam controuersiam habitus fuerit, & postea etiam à cæteris omnibus habeatur, hæretici iudicantur. Tales autem prorsus sunt omnes Sectarij, tum Lutherani, tum Calui-

uiniani. Igitur omnes illi ex eorum hæreticorum sunt numero (cogor ita loqui propter argumenti consequentiam) quos Christus verè prædixit fuisse futuros. Obsecro, quid in vllo quæstionis genere certius concludi potest? Vtrùm enim maiorem, an minorem, an consequentiam negabunt? Quid? Diffiteri ne possunt; quin sententia eius cœtus fidelium, qui pro vera Ecclesia ante Lutherum in vniuerso orbe habebantur, & postea etiam à reliquis præter ipsos habentur, hæretici sint iudicati? At hoc & sciunt ipsi plus satis, & animo iniquissimo (quod est etiam hæreticorum ingenium) ferunt. An verò negabunt iudicium reliqui orbis terrarum satis esse, vt iure habeantur hæretici? Quorum nam igitur præterea iudicium requiritur, si non sufficit iudicium aliorum omnium præter ipsos? Certè nullum superest nisi iudicium etiam ipsorum. Quid igitur? Hæretici meritò non habebuntur, nisi qui sua etiam sententia propria sint hæretici? Nulli igitur omnino hæretici in Ecclesia Christi vel fuerunt, vel erunt aliquando; falsoque Christus hæreticos aliquos fuisse futuros prophetauit. Quis enim vnquam aut fuit, aut erit hæreticus, qui se ipse etiam hæreticum esse profiteatur? An non etiam Manichæi, Ariani, Pelagiani, & reliqui omnes sine controuersia hæretici, errare se aut hæreticos esse pernegabant? Nonne, vt meritò haberentur hæretici, iudicium satis fuit reliquorum fidelium cetus, qui ante controuersiam communiter ab omnibus pro vera Ecclesia agnoscebatur? Sed de hoc aduersùs istos inuictissimo argumento infrà nobis redibit oportunè sermo.

XVI. Porrò doctrinam omnem à Christo traditam (vt argumento præcedenti concludebamus) esse diuinam, atque verissimam, vel ipse profectò in docendo admirabilis modus, atque energia, qua ille ad stuporem vsque maximum auditorum, vti solitus erat, persuadere possit. Quis enim hominum vnquam ita locutus est, vt ille homo? Aut de quo legimus tantùm dicendo potuisse, vt turbæ maximæ relictis domibus, ad agros, & ad montes desertos audiendi causa toto triduo, atque etiam oblitæ necessarij cibi, sequerentur? An hoc efficere potuit humana vis, præsertim vani alicuius, & mendacis magistri? Negemus, hæc ita vt narrantur accidisse; & planè barbari tum erimus, qui pari ratione historijs aliarum rerum, quas ipsi non vidimus; nullam debeamus adhibere fidem; vt argumentatur rectissimè D. Augustinus. Sed loquebatur ille fortassis humanæ sapientiæ verbis. Nihil minùs. Imò simplicissima oratione, & planissimis sententijs, ac vulgaribus similitudinibus vsus est. Quo magis est perspicuum illius in dicendo vim fuisse planè diuinam. Beati, inquit in eo sermone, quem ad multas vndique turbas concurrentes in monte habuit, pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, &c.] Quid hac, & sequenti oratione tota leniùs esse potest? Et tamen, [cùm consummasset Iesus omnia verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi.] Nempe homo erat non tantùm homo, sed idem Deus. Vnde & illud etiam, quod proditum est, eueniebat, vt quos ipse discipulos deligeret, ad vnam statim eius vocem diuina vi attracti, confestim sequerentur, vt Matthæus, & alij Apostoli. Quod cùm Iulianus, & alij Christianæ religionis hostes, velut leuiter à discipulis Christi factum impiè deriserunt; validius etiam nobis hoc argumentum pro fide nostra reddiderunt: si quidem eo ipso agnouerunt tamen, id factum esse, quod nisi diuina Christi docentis, atque vocantis virtute accidisse, non est verisimile.

Iam verò, qui cum illa Christi in docendo moderatione summa, atque puritate, arrogantiam, superbiam, obscœnitatem, & procacissimam maledicentiam, quæ est passim in Lutheri aliorumque Sectariorum scriptis, contulerit; sibi ne persuadere poterit, istorum doctrinam [de sursum esse, & non potiùs (vt ait D. Iacobus) terrenam, animalem, diabolicam? Quæ enim desursum est sapientia, inquit idem Apostolus, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.] Quibus profectò verbis, quid nominatim defuturum esset in huius temporis Sectariorum doctrina, videri non iniuria posset sanctissimus hic Apostolus voluisse describere.

XVII. Omnino autem ex dignitate, atque præstantia Christi, magna mihi videtur pro illius doctrinæ auctoritate ratio duci posse isto modo: Si Christus eiusmodi homo fuit, qui falsò contenderet se Filium Dei naturalem esse, veramque adeo doctrinam diuinitus tradere, necesse prorsus est, eum aut singulari, imò portentosa superbia, & ambitione, aut stultitia, & stupiditate mentis maxima præditum fuisse; qui videlicet dignitatem tantam vel nequiter, vel ignoranter, atque stolidè sibi falsò arrogaret. Rursus verò, tam improbus, vel tam stupidus si fuisset, facere aliter non poterat, quin aliquo, vel in vita, & conuersatione peccato, vel in doctrina manifesto errore, nonnullum indicium improbitatis, aut stultitiæ suæ aliquando daret. Ostendit enim impietas, atque insipientia sese; neque latere penitùs diu potest. At nemo fuit vnquam, etiam ex inuidiosissimis, & ad omnem cauillandi occasionem intentissimis hostibus, qui aliquod illius, aut dictum, aut factum posset probabiliter [arguere de vllo peccato, vel errore: tametsi multi falsi testes] ad eam rem diligentissimè quæsiti fuerint. Neque ambitione igitur improbus, neque verò insipiens homo fuit. Quod si talis non fuit: non falsò igitur contendit se Dei Filium naturalem esse, veramque doctrinam diuinitus tradere.

Cæterum, [quomodo, inquit præclarè D. Augustinus, confidimus, ex diuinis literis accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus, & Ecclesiam manifestam?] Atqui Sectarij ex diuinis literis nondum didicerunt, Ecclesiam Christi manifestam, omniumque oculis perpetuò expositam esse, vt infra suo loco videbimus. Non igitur, auctore D. Augustino, confidere possunt, ex diuinis se literis didicisse Christum manifestum. Quod si hac fiducia freti esse nequeunt: certè non re, sed nomine tenus Christiani sunt.

XVIII. Et

XVIII. Et hactenus quidem eiusmodi argumenta pro auctoritate Christianę doctrinę fecimus, quæ per se ipsa satis esse prudentibus debeant, vt animum inducant velle credere. Illud autem nescio, an sit argumentum ijs omnibus maius, quòd qui verè Christiani sunt, ita se animo diuinitus affectos esse, quod ad fidem attinet, sentiunt, vt præcipuè quidem propter nullum argumentum, quod vel hactenus fecimus, vel ratione similiter excogitari possit, sed propter aliud nescio quid. quod alio quodam modo, & longè fortiùs, quàm vlla argumenta, animis nostris persuadet (est autem id reuera diuinum ipsum testimonium) ad firmiter credendum moueri se intelligant. Hanc experientiam diuini testimonij & sensum, licet per se quidem non satis sit euidens; tamen quoniam ab ijs, qui credunt, propemodum clarè percipitur, & ab alijs etiam, indicio quodam, & significatione, in credentibus ipsis animaduerti potest: dico pro multis argumentis esse debere, ad fidem vel constantissimè retinendam, vel etiam de nouo suscipiendam. Etenim quod minimè vanus hic sensus sit, sed diuinus, & solidus, & ex natura ortus supernaturalis fidei, quæ mentem ipsa per se in diuina reuelatione faciat ita firmiter acquiescere: fructus optimè, atque sanctissimæ vitæ ostendit eorum, qui ad normam Christianæ fidei actiones suas studiosè instituunt. Accedit eodem, quòd etsi quandoque contingat, vt Angelus Satanæ in Angelum lucis sese transfiguret, hoc est, vt ij qui errant, lucem nihilominus veritatis sibi percipere videantur aliqua ex parte similem (nam prorsus similiter eos, atque fideles affici non mihi persuadeo) ei, quam persentiunt, qui vera credunt: tamen non est vllo modo diuinæ prouidentiæ consentaneum, vt tot Christi fideles, ac tales, & tam ordinariè, in orbe toto sic illudantur.

Quo ipso argumento, & Lutherus ipse aliquando, quasi clarissima voce, à conscientia propria in viam reuocabatur, monebaturque verissimè, si voluisset audire, quantoperè à recto itinere veræ, Christianæque doctrinæ declinare inciperet. Quoties, inquit ipse Lutherus, mihi palpitanit tremulum cor, & reprehendens obiecit fortissimum illud argumentum? Tu solus sapis? tot ne errant vniuersi? Tanta sęcula ignorauerunt? Quid si tu erres, & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter?] Infelicissimum verò te mortalium omnium, Luthere, quòd non tunc audieris, quid Dominus, secundum magnam misericordiam suam, cùm nondum esses consumptus, in te loqueretur. Quid enim ad fortissimum illud argumentum, vt ipse appellas, quo & sanctissimi olim Ecclesiæ Patres ad sese, & alios confirmandos, vt infrà videbimus, vti solebant, respondere poteras? Tandem, inquit, confirmauit me verbis suis Christus, vt iam non tremat, nec palpitet, sed insultet cor meum his Papisticis argumentis.] Atqui ab Angelo potius Satanæ in ista tua obstinatione, Luthere, obfirmatum fuisse te, illud ipsum fortissimum argumentum, à tanta aliorum auctoritate, & fama Catholici nominis, vt Augustinus inquit, admodum celeberrima, certissimè concludebat. Sed scriptum est: [Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.] Ad eos verò omnes, qui Lutheri, aliorumque Sectariorum fraudibus irretiti tenentur, clamat adhuc Dominus, & vel hoc ipso horribili exemplo obstinationis Lutheri monet, vt [magnum ipsi, sicut in simili causa D. Cyrillus ait, profectum faciant à peccatis aliorum, quærantque, vt Augustinus grauissimè inquit, Christianam religionem in Ecclesiæ Catholicæ communione, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solùm à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis.]

XIX. Concludam ad extremum hunc locum, si de ratione vna breuissimè dixero, quę iure etiam optimo ad consolationem vsurpari, ac repeti memoria potest. Vt maximè enim argumenta singula, quæ fecimus, tantam vim non haberent, vt vnumquodque per se mouere debeat, quanquam nullum est omnino quod non sit maximum, certè in omnibus simul ingens est pondus: si non vt constet euidenter Christianam doctrinam esse veram; certè vt euidenter intelligamus, eam quamuis per se non sit euidens, esse tamen fide, & assensione prudentum dignissimam: quod sine hoc quidem, certè vt error, atque ignorantia, si quæ in assentiendo Christianæ doctrinæ esset, est autem in ea re potiùs summa, verissimaque sapientia, omni culpa, & reprehensione vacaret. Quid enim vnquam de rebus non euidentibus sine culpa creditum est, si credere, quæ Christiana tot, tantisque argumentis confirmata docet, culpa non vacat? Aut quomodo in extremo illo iudicio Deus propter studium, professionemque Christianæ religionis condemnare nos poterit, quam tot modis vel ipse probauit, vel certè probari sic permisit, vt nisi planè desipimus, nulla religio alia, ac multò minùs contemptus omnis religionis vel gratus Deo ipsi, vel rectæ rationi conueniens esse videri nobis possit? Nunquam igitur laudari satis illa cuiusdam oratio ad Deum poterit: Domine, si decepti sumus, tu nos decepisti. Quæ mihi vox, & verissima, & consolationis plenissima, & prorsus eiusmodi videtur, quam omnibus portis inferorum in negotio fidei confidentissimè opponere possimus. Neque enim video, vt assentiamur Christianæ doctrinæ, quid vehementius mouere nos possit, quàm quod intelligimus, vt explicatum est, eam aut omnino esse veram, aut sine culpa prorsus veram à nobis iudicari.

Hac verò consolatione, cùm (vt argumentis etiam ipsis, hactenus pro Christiana doctrina factis) destituantur omnes Sectarij; nihil eis, dum ad regiam viam Ecclesiæ Catholicæ non redeunt, nisi vt planè desperent, superesse video.

Quæ cùm ita sint, apparet eos, qui Christianam doctrinam complectuntur, nequaquam indoctas fabulas sequi, sed testimonijs eiusmodi niti, quæ verè sunt, vt Psalmista loquitur, credibilia nimis. Deinde intelligitur, quamcunque aliam religionem à Christiana differentem, indignam esse prorsus cui adhibeant fidem prudentes. Iisdem enim argumentis vtrunque conuincitur: videlicet & nostram fidem credi prudenter, & quæ cum ea pugnant, prudenter credi non posse. Primùm, quoniam idipsum inter cætera docet

nostra fides, quæ in vniuersum, vt probatum est, vera docet. Tum etiam, quoniam vt repugnantes doctrinæ prudenter credantur, fieri per se quidem non potest: id est, si vtriusque partis argumenta satis cognita sint, & inter se benè conferantur. Quod ob eam rem ita dico; quoniam propter ignorantiam fieri ex accidenti potest, vt quis, antequam rationes, & argumenta nostræ fidei percipiat, haud imprudenter assentiatur doctrinæ pugnanti cum ijs fidei nostræ articulis, qui sunt supra captum naturalis rationis. Itaque hoc euincunt euidenter argumenta nostræ fidei, qui argumenta hæc percipiat, hunc neque posse prudenter credere, quod pugnet cum nostra fide, & prudentissimè facturum si complectatur illam, quoniam omnino nulla religio est, aut fuit vnquam ita probata, sicut est nostra. Ex qua re etiam illud intelligi debet, iure hominibus impositum esse diuinitus præceptum credendi; siquidem prudenter, ob argumenta iam explicata; possunt hoc facere, quamuis fidei doctrina non sit ipsa euidens. Quod erat igitur nobis primo loco argumentis docendum, id satis, vt arbitror, ostensum est: nempe necesse omnino ad salutem esse firma fide credere doctrinam à Christo traditam esse veram. Quoniam id ipsum hæc doctrina tradit, quam probauimus esse in vniuersum fide dignam, & veram. Quod ipsum tamen, vt initio etiam monui, potius propter diuina testimonia, & reuelationem, quæ latet, quàm propter vlla argumenta, persuasum habemus. Sed argumenta efficiunt tamen, vt animum inducamus propter diuinam reuelationem, atque testimonium, velle adiuuante Deo, credere: vt initio declaratum à nobis est. Deinceps in confirmatione earum assertionum, quæ sequuntur, auctoritate, quoque Christianæ doctrinæ, atque adeò Scripturæ sanctæ, quam argumentis hactenùs asseruimus, ad probandum vti licebit.



PARS



PARS SECVNDA.

Non satis ad salutem est credere in genere vniuersam doctrinam esse veram, nec etiam omninò sufficit aliqua doctrinæ præcipua capita in specie tenere, sed simul quoque necesse est, nihil falsi determinatè quod in aliqua fidei quæstione cum vera sententia doctrinæ Christianæ pugnet, pertinaciter credere.



SVnt, vt intelligo, non pauci, qui posteaquam Sectariorum fraude ab Ecclesia Catholica abducti, nullo se firmo fundamento ad veritatem in tanta doctrinarum varietate cognoscendam niti posse, nisi ad Ecclesiam redeant, animaduertunt: perniciosissima opinione conscientijs exulceratis mederi,& desperationi,à qua non longè absunt, obsistere student. Sibi enim persuadent, modò aliquis Deum, & Christum, & præcipua fidei capita fateatur; nihil interesse præterea quid credat, aut quorum disciplinam sequatur, vt adipiscatur salutem. Aduersùs quem errorem, assertio iam posita confirmanda est, vt ordinem etiam, quem initiò nobis proposuimus, persequamur.

Probatio Prima.

AC primùm quidem demonstrari, hæc assertio potest hoc modo. Si de aliquibus omnino fidei capitibus contra sententiam veram aliorum Christianorum, quod velis credas; non vna, & eadem fides erit apud te, quæ est apud verè Christianos omnes, sed alia diuersa: non enim idipsum quod alij sapies, nec in eadem permanebis regula, sicut ad vnitatem fidei requirit Apostolus. Si autem non vna & eadem fides est apud te, quę sit etiam apud verè Christianos omnes; non habebis fidem Christianam; hęc enim vbique est vna, sicut vnum Baptisma. Si autem Fidem Christianam non habebis; Deo gratus esse non poteris. Sine fide enim (vtique Christiana) inquit Apostolus, [impossibile est placere Deo.] Quod si Deo gratus non eris; certè nec poteris saluus esse. Igitur, vt hoc vltimum ex primo concludamus, si quod velis credas, nequaquam poteris consequi salutem. Hoc certè probationis filum omni ex parte ferreum est, neque potest disrumpi vllo modo.

Probatio Secunda.

DEinde. Nemo hæreticus, nemo Sectarius, nemo incredulus, nemo falsus propheta, aut magister mendax, aut lupus rapax, docens peruersa, &c. nisi ante mortem resipuerit, salutem consequi poterit. Hoc enim manifestè Scriptura declarat, cùm vniuersè de ijs omnibus absque vlla, vel personarum, vel erroris (qui quidem cum doctrina fidei pugnet) exceptione hunc in modum pronunciat: [Docete omnes gentes. Qui non crediderit (non dicit, hoc aut illud, sed absolutè, qui non crediderit) condemnabitur. Attendite à falsis Prophetis, qui sunt lupi rapaces,&c. Obseruetis eos, qui dissensiones, præter doctrina quam vos accepistis, faciunt, & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt. Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci. Hæreticum hominem post vnam, aut alteram admonitionem deuita, quoniam est proprio iudicio condemnatus. Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere, nec aue ei dixeritis. Manifesta sunt opera carnis, fornicatio, inuidia, dissensiones, sectæ,&c. Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt. Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, superinducentes sibi celerem perditionem.] Nunc ne sim sententijs similibus recensendis prolixior, ita rationem concludo; Omnis qui obstinatè, & contumaciter contra veram fidei sententiam arbitratu suo aliquid omnino credit, est hæreticus, infidelis, incredulus, sectarius; atque etiam, si alios quidem doceat, falsus propheta, magister mendax, lupus rapax, &c. Igitur cum nemo qui est talis, salutem consequi possit, vt probatum est; nemo quoque poterit consequi salutem, qui pro libito contra sententiam fidei aliquid obstinatè,& contumaciter credat.

Probatio Tertia.

SEd & contra eos etiam, qui arbitratentur vnumquemque non prorsus Atheum (siue is Christi doctrinam recipiat, siue non recipiat) secundum sectam viuendo suam, modò nihil contra conscientiam admitteret, saluari posse: licet nobis etiam, absque testimonio Scripturæ, huiusmodi sanè firma rectæ rationis argumentatione vti. Si quilibet secundum sectam suam salutem consequi potest; causam necessariò erit, quia vel omnes omnino sectæ, quæ possint esse, placent atque probantur per se ipse Deo: vel quia omnes qui sectis addicti sint,excusari per inuincibilem ignorantiam poterunt:vel certè quia ipsa opinio, quantumcunque vincibilis, omnes excusabit, qui secundùm conscientiam suam, id est, congruenter cum eo quod ipsi putant, viuant, & sentiant. Sed neque omnes sectæ per se placent Deo: neque omnes qui sectis addicti sint, excusari per inuincibilem ignorantiam poterunt: ac multò etiam minus opinio qualiscunque, si sit vincibilis, excusabit. Igitur non omnes secundùm quamlibet sectam salutem consequi poterunt.

Iam confirmo singula. Ac primùm, non omnes certè sectas per seipsas probari Deo, planissimum est. Nam cum plerasque opiniones differentium sectarum, atque adeò etiam nata ex opinionibus actionum studia, oporteat inter se pugnare: fieri nequit, vt quælibet sectæ per se sint diuinæ voluntati consentaneæ. Inde enim (quod est perabsurdum) sequeretur, eundem ipsum Deum auersari, quod approbat, & id vetare, quod sibi tamen placet. Etenim ex omnibus contrarijs, ac repugnantibus actionibus necesse est quasdam esse, cum recta ratione congruentes, ac proinde probari, vel etiam imperari à Deo: eas autem quæ ex contrario his repugnant, necesse est item esse hoc ipso à recta ratione auersas, ideòque peccata, Deo inuisa, ab eoque prohibita. Ita si opiniones omnes, & actiones quarumlibet sectarum Diuinæ voluntati consentaneæ sunt: cùm quædam ex illis, vt ostensum est, Deo sint exosæ, & ab eo prohibitæ: consequetur, vt dicebamus, aliquid auersari Deum, quod ipse tamen approbet, & idipsum vetare, quod sibi tamen placet. Accedit quod si proprius etiam disciplinas inspicimus earum sectarum quarum notitiam tenemus, vt Gentilium, Iudæorum, Turcarum, hæreticorum; in singularis prauos errores, atque adeò actionum instituta peruersissima facilè animaduertimus,quę esse quidem media salutis consequendæ, ipsi grata Deo, neque cogitatari sine summo scelere, neque dici sine atroci blasphemia potest.

Iam verò quòd per inuincibilem ignorantiam aliqui quandoque excusentur, fieri quidem potest: vt autem ita excusentur omnes, non est vllo modo probabile. Quis enim credat, omnino nullos esse ex omnibus Sectarijs, qui & idoneo iudicio præditi sint, & opportunitatem aliquando habeant, ad cognoscendum veritatem? Quod si multis, vt sanè fit, facultas hæc suppetit: multi profectò possunt vera scientia comparanda vincere ignorantiæ errorem. Quare non omnes Sectarij ignorantia inuincibili excusabuntur.

Multò etiam minùs ipsa opinio falsa excusabit (nam hoc erat in partitione nostra postremum) si voluntaria sit, hoc est, si in ea peruicaciter persistas, cùm veritatem cognoscere bene possis. Inest enim vel maximè in ipsis, etiam prauis opinionibus, cùm alioqui deponi possunt, turpitudo: à qua proindè non magis honestari opus aliquod improbum potest, quàm illustrari, v. g. obscurus locutus à tenebris. Itaque & hæresis, cùm error ipse sit peruersæ de rebus diuinis opinionis, peccatum est maximum: nec ipsis etiam priscis Philosophis, qui modo rationem sequerentur, ignotum fuit, summam esse impietatem in falsis, atque improbabilibus sententijs de Deo. Denique nullum omnino esset peccatum in falsi cultus superstitione, si opinio ipsa falsa per se, tum etiam cùm deponi potest, à peccato excusaret. Quis enim in eo genere delinquit, qui non falsò arbitretur obsequium se præstare Deo? Ergo falsa opinio, cùm est quidem voluntaria, & vincibilis, non modò non omnes Sectarios, sed ne vllum quidem à peccato excusare ipsa potest. Quod quidem non modò ratio recta, vt ostensum est, docet, sed etiam Scriptura diuina confirmat multis in locis.

Huc accedit, quod si maximè vel inuincibilis ignorantia, vel opinio qualiscunque eos omnes, quod fieri non potest, à peccato excusaret, qui sectis quibuscunque dediti sunt: tamen inde non statim consequitur, vt quisque possit secundùm sectam quamlibet adipisci salutem. Namque vt salutem consequaris, satis tibi non est, vt à peccato in prauis alioqui actionibus excuseris: sed præterea etiam necesse est, vt aliquibus medijs consequendæ salutis, per se rectis, & diuina prouidentia ad eam rem institutis, vtare. Cuiusmodi sunt, fides, pœnitentia, &c. Vt enim Deus ipse hominibus præstituit finem vltimum, id est, summam beatitudinem: sic etiam ad ipsum pertinuit media, etiam aliqua, & bona, & necessaria constituere ad perueniendum in eum finem. Quod si terminum tantum, & non etiam viam hominibus ostendisset, non illius esset prouidentia perfecta. Non est autem consequens, si per ignorantiam, aut opinionem in prauis actionibus à peccato excusaris, vt etiam vtaris eiusmodi medijs, quæ per se sunt bona, & necessaria ad salutem. Quoniam igitur, vt demonstratum est, neque omnes sectæ per se placent Deo: neque omnes Sectarij per ignorantiam inuincibilem, aut opinionem excusabuntur; nec, si maximè excusarentur, ideò futurum esset, vt omnes adhiberent media per se necessaria ad salutem: perspicuum est, eos desipere, qui in vniuersum omnibus, secundùm quamlibet sectæ disciplinam, salutem pollicentur.


Probatio Quarta.

LOnge verò secus sanctissimi, & eruditissimi Patres arbitrati sunt, qui vel si minimum aliquid contra fidem creadatur, eo ipso fidem, atque salutem amitti constanter tradiderunt. Ita enim scriptum reliquit Beatus

tus Gregorius Nazianzenus: Nihil, inquit, periculosius his hæreticis esse potest, qui cùm integrè per omnia decurrant, vno tamen verbo, tanquam veneni gutta, veram illam, ac simplicem fidem Dominicam, & exinde Apostolicæ traditionis, inficiunt. Ac Diuus Heronymus, vbi de Origenis erroribus agit, disertis verbis affirmat, [propter vnum etiam verbum, aut duo, quæ contraria essent fidei, multas hæreses eiectas esse ab Ecclesia.] Hinc quoque D. Basilius apud Theodoretum: [Qui sunt, inquit, in sacris literis educati, ne vnam quidem syllabam diuinorum dogmatum prodi sinunt, sed pro istius defensione, si opus sit nullum non mortis genus libenter amplectuntur.] Atque ideò etiam Diuus Augustinus hæreticum hominem, & ab Ecclesia alienum ita describit: [Qui in Ecclesia, inquit, Christi, morbidum aliquid paruumque sapiunt (non dicit, qui de omnibus doctrinæ partibus praue sentiunt; sed: Qui morbidum aliquid,) si correpti vt sanum rectumque sapiant resistunt contumaciter: hæretici fiunt, & foras exeuntes habentur in inimicis.] Et præclarè hoc idem ante Augustinum ita confirmauit Diuus Cyprianus: [Neque enim, inquit, Dominus noster Iesus Christus, cùm in Euangelio suo testaretur, aduersarios suos esse eos, qui secum non essent, aliquam speciem hæreseos designauit; sed omnes omnino hæreticos, qui secum non essent, & secum non colligentes gregem suum spargerent, Aduersarios suos esse ostendit, dicens: Qui non est mecum, aduersum me est, & qui mecum non colligit, spargit. Item Beatus Ioannes Apostolus, nec ipse vllam heresim, aut schisma discreuit, sed vniuersos qui de Ecclesia exissent Antichristos appellauit, dicens: Audistis, quia Antichristus venit, nunc autem Antichristi multi facti sunt. Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Vnde apparet, Aduersarios Domini Antichristos omnes esse, quos constet, à charitate, atque ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ recessisse.] Nec quidquam potest ad hanc rem illa D. Athanasij sententia proferri clarius: [Quicunque vult, inquit, saluus esse, ante omnia opus est, vt teneant fidem Catholicam, quam nisi quisque integram inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit.] Sic ille in fidei symbolo, quod ad Aduersarios, etiam obtinuit auctoritatem. Quod enim ibidem Athanasius subiungit: [Fides autem Catholica hæc est, &c.] non significat, illos dumtaxat articulos, quos de mysterio sanctissimæ Trinitatis, atque Incarnationis commemorat, continere in vniuersum ipsam fidem integram: sed eos certè, vel maximè etiam ad fidem integram pertinere: id quod ibi Diuus Athanasius ex instituto agebat. Itaque si quis negaret, v. g. Baptismum esse Sacramentum, vel aliam eiusmodi sententiam fidei sine controuersia certam, neque tamen ab Athanasio propositam in eo symbolo; in æternum profectò, ex mente quoque sententiaque Athanasij, esset periturus, eò quòd fidem integram non seruaret.

Quæ cùm ita sint, non est profectò, cur sine illa fide vndequaque incorrupta, atque integra, quàm Apostolus sperandarum substantiam rerum, hoc est, quasi basim, atque fundamentum spei vitę æternæ, esse, verissimè definiuit, salutem sibi quisquam apud Sectarios polliceatur. Neque enim aliquis vllam excusationem perfidiæ suæ ob difficultatem inueniendæ sincerissimæ veritatis prætendere poterit, [cùm facilè alioqui sit (inquit præclarè Diuus Irenæus) veritatem ab Ecclesia sumere, nempè in quam, tanquam in depositorium diues, plenissimè Apostoli contulerunt omnia quæcumque sunt veritatis, vt omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim, inquit, vitæ introitus, omnes autem reliqui, fures sunt, & latrones: propter quod oportet deuitare quidem illos. Quæ autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere, ab eaque accipere veritatis traditionem.] Ac sanè mihi Diuus Augustinus non modò Honoratum Manichæum, cui illi scribebat, sed etiam vnumquemque eorum, qui in indaganda nunc veritate extra Ecclesiam Catholicam inani labore se defatigant, saluberrimis illis verbis adhortari videtur: [Si iam, inquit, satis tibi iactatus videris, finemque huiusmodi laboribus vis imponere, sequere viam Catholicæ disciplinæ, quę ab ipso Christo per Apostolos ad nos vsq; manauit, & ab hinc ad posteros manatura est.] Sed quemadmodum sola Ecclesia Catholica Romana, legitima sit Christi Ecclesia, in qua veritas incorrupta doctrinæ, iuxta istorum sanctissimorum Patrum, vel potiùs ipsius Christi pręceptum, quærenda sit, suo loco postea demonstrabitur. Nunc ad ea, quæ sunt nobis deinceps proposita, progrediendum est.

PARS



PARS TERTIA.

Dubitandum non est, quin aliqua exstet auctoritas ad iudicandum de fidei controuersijs omnibus, infallibilis, per quam in omni determinata quaestione cognoscere fideles omnes commodè possint, quae sit Christi verissima sententia, & doctrina.



Haec etiam assertio praecipuè propter rem ipsam, & vt ex ordine proposito in veritate indaganda progrediamur, breuiter admodum confirmari debet. Et quidem putare quis posset, de hac assertione, sic generatim posita, nullam nobis cum vllis Sectarijs esse controuersiam: Sed cùm ab omnibus, qui volunt haberi Christiani, constitutum sit (& certè verbis nemo id apertè negat) esse aliquam auctoritatem, à qua possimus in omni quaestione discere Christi sententiam; illud tantummodò, de quo in sequentibus agemus, controuerti; cuiusmodi omnino, & qualis sit haec auctoritas. Caeterùm talem hanc auctoritatem esse contendunt Sectarij, vt nullam reuera (quemadmodum infra videbimus) eiusmodi, asserant, quae ad omnes omnino fidei quaestiones satis fidelibus esse possit. Itaque vt id firmemus, quod non tam illi verbis fatentur, quàm re ipsa negant, & quia per se quoque id proderit ad confirmandum animos; non alienum ab instituto erit monstrare hic breuiter earum rationum capita, quae cum primis docent, eiusmodi auctoritatem aliquam, ad omnes fidei quaestiones sufficientem, esse oportere: maximè cùm ex ijsdem ipsis rationibus firma deindè argumenta ducturi simus ad demonstrandum praeterea contra Sectarios, quae etiam & qualis eiusmodi auctoritas esse debeat.

Probatio Prima.

Ergo prima eius rei ratio hunc in modum à diuina prouidentia ducitur; Nisi talis aliqua exstaret auctoritas, magistra doctrinae fidei, non satis esset à Deo prospectum hominibus de necessarijs rebus ad salutem aeternam comparandam. At satis in eo genere illis prospectum est. Exstat igitur talis aliqua auctoriras. Et quidem quod satis superque Deus hominum saluti prouideat; vsque adeò Scriptura sacra euidenter tradit, vt ab ea etiam erga homines prouidentia, quasi cognomen quoddam Deum accepisse significet. Nam ideò vocatur Deus saluos faciendi; quia quae praesidia ad salutem necessaria sunt, affatim suppeditat hominibus. Quod autem minimè satis prospectum hominibus esset, nisi exstaret aliqua certa auctoritas magistra fidei, indè patet, quod Scriprura diuina multis in locis docet, rectam ex omni parte fidem de diuinis rebus ad salutem nobis necessariam esse. Hanc autem fidem animalis homo per se non percipit, idest, nequit rationis humanae viribus assequi ipse per se, sed eam necesse est, discat. [Stultitia enim est illi doctrina fidei, & non potest intelligere.] Quòd si discere, quae sunt fidei oportet, alicundè discere profectò oportet. Quare aliquam exstare auctoritatem magistram doctrinae fidei, quę de rebus in eo genere dubijs omnibus, docere verū possit, necesse est.

Itaque praeclarè ob hanc rationem Diuus Augustinus: [Si Dei, inquit, prouidentia non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagandum. Sin autem praesidet] quod pulchrè Augustinus isti ostendit [non est, inquit, desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam esse, qua velut gradu certo nitentes, attollamur in Deum.] Id confirmat etiam verissima illa sententia, quam ibi paulò ante posuerat Augustinus. [Sola est, inquit, auctoritas quae commouere possit stultos (hoc est, adhuc ipsius rei ignaros) vt ad sapientiam festinent.] Quod Augustini dictum, si in vllo genere locum habet, maximè certè in fidei religionisque negotio, in quo vel ipsa mundi sapientia stultitia est, si auctoritate neglecta inuestigare ratione velit diuina mysteria.

Probatio Secunda.

Secundò. Mens nostra non modò natura sua imbecilla est, & omnino impar viribus, vt ipsa per se necessariam doctrinam fidei peruestigare possit; sed in ea ipsa doctrina, tum etiam cùm reuelata nobis diuinitus est,

est, quàm facillimè hallucinatur, & aberrat. Cuius rei partim causa est exiguitas nostri luminis, partim maiestas doctrinæ fidei, nempè quam, eo quòd supra naturam est, numquam satis ratione, ac mente complecti possumus. Quæ ratio est, quam ob rem in ipsa etiam Ecclesia, vbi lucet splendidissimè fides, necesse tamen sit, oriri quandoque hæreses, vt & Apostolus dixit, & plus satis experientia docet. Id cùm ita sit, auctoritatem aliquam exstare oportuit, cuius magisterio singuli, nisi velint esse nimium cæci, in vera doctrina retineri, aut ad eam reuocari possint.

Probatio Tertia.


TErtiò. Hæc est fidei ratio, [vt argumentum sit rerum non apparentium;] idest, cognitio non euidens, sed quæ nitatur testimonio, & pariatur ex auditu. Quæ autem res obscurè isto modo sciuntur, eas necesse est, alicuius auctoritatis indicio, atque asseueratione discere. Quia igitur cuncti fideles possunt, atque debent in omni quæstione fidei falsum repudiare, & quod verum est, Christique doctrinæ consentaneum credere; consequitur, aliquam auctoritatem exstare, per quam fideles vniuersi in quacunque controuersia fidei possint ita doceri, vt falsum respuant, verum amplectantur.

Probatio Quarta.

QVartò. Cognitio, quæ cum obedientia quadam mentis in assentiendo coniuncta est, aliqua nititur auctoritate magistra, cui sit in hoc genere obediendum. Talis autem est omnis cognitio fidei. Exstat igitur aliqua talis auctoritas, quæ fidei veritatem in omni quæstione doceat. Maior probatione nulla indiget. Minor occurrit passim in Scriptura Apostoli. Nam non alia causa est, quamobrem ipsa etiam fides obedientia quędam nominari soleat; contra verò hęresis, aut obstinatio aduersùs fidem, inobedientia; nisi quia necesse est in credendo obedire. [Gratias autem Deo, inquit Apostolus, quod fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in qua traditi estis.] [Sed non omnes, inquit alibi, obediunt Euangelio,] idest, non omnes credunt. Ideò enim subiungit: [Isaias enim dicit; Domine, quis credidit auditui nostro?] Idem rursus: [Quis, inquit, vos fascinauit non obedire veritati?] Atque etiam de hęreticis commonefaciens Titum ob eam rem affirmat, [Episcopum amplecti oportere sermonem fidelem: quoniam sunt, inquit, multi inobedientes, vaniloqui, & seductores &c.] Hę sententię, & aliæ, quę sunt similes, perspicuè indicant, aliquam eiusmodi auctoritatem esse, cui velut magistrę in omnibus fidei quęstionibus oporteat in assentiendo obedire; vti dictum est.

Probatio Quinta.

QVintò. Nulla potest oriri de aliqua fidei quęstione hęresis, quę non possit, ac debeat in Ecclesia damnari, & reijci, dicto anathemate eius auctoribus. Absolutè enim pronunciat Apostolus: [Si quis vobis euangelizauerit, quidquid illud sit, pręter id quod accepistis, anathema sit.] At hoc minimè fieri posset, nisi auctoritas exstaret aliqua, quę in omni quęstione de rebus fidei excitata certò doceret, quid rectę fidei consentaneum sit, & quid eidem repugnans. Sed nihil necesse est amplius dilatare hoc loco probationem, quare ad alia progrediamur.



PARS



PARS QVARTA.

Auctoritas illa, quæ extat ad iudicandum de fidei controuersijs omnibus, infallibilis, non est tantùm diuina, neque tantùm humana, sed humana diuinitus inspirata.



On esse purè humanam eam auctoritatem, cuius magisterio in omni fidei quæstione sententia Christi cognoscenda sit, satis liquet ex demonstratione præcedentis assertionis. Nam planum fecimus, humani vires ingenij esse minores, quàm vt quisquam valeat per se doctrinam fidei sine errore percipere alijsque tradere. Quod verò neque purè diuina sit eiusmodi auctoritas, id est, quod non absque alicuius humanæ auctoritatis ministerio Deus ordinariè doceat per sese (vt nonnulli Sectarij ex Anabaptistarum factione somniauerunt) facilè quoque probatur his argumentis.

Probatio prima.

PRimò. Scriptura docet, fidem oportere primùm concipi ex auditu: Deinde fouendam atque conseruandam eam esse [obedientia erga præpositos, qui nos docuerunt verbum Dei: petendam ex ore sacerdotis; discendam à Pastoribus, & doctoribus, quos posuit in Ecclesia Deus, vt non circumferamur omni vento doctrinæ, &c.] His autem, & alijs externis adminiculis quid opus erat, si Deus per se ipse, quæ sit in omni quæstione recta fides, docere voluisset?

Probatio secunda.

SEcundò. Deus non eo modo docet nos ordinariè veram fidem, quo modo de rebus fidei ordinariè nobis non loquitur. Etenim docet vtique loquendo. At nobis de doctrina fidei per se ipse ordinariè non loquitur, [sed per os Sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum eius; atque etiam per os Ecclesiæ, in quo posuit ipse, & manere perpetuò voluit suum verbum.] Non igitur per sese ipse de eiusmodi rebus ordinariè nos docet.

Probatio tertia.

TErtiò. Si singulos ipse per se solus docet; quanam obsecro ratione hoc facit? Docet ne illos, ita vt nequeant omnino ipsi falli dum putant se aliquid didicisse ex Deo? An verò permittit eos in eiusmodi iudicio quandoque decipi? Primum dici nullo modo potest. Nam extra controuersiam est, omnibus temporibus fuisse, & iam etiam esse per multos hæreticos, qui falsò sibi persuadeant eam esse diuinam doctrinam, quæ pugnat cum sententia diuina. Quod si Deum illo altero modo docere omnes dicas, scilicet ita, vt nihilominus quiuis decipi possit existimando id se discere ex Deo, quod ipse fingit errore proprio: certè nondum erit ea ratione satis hominibus prouisum, vt veram in omnibus controuersijs fidem primùm dignoscere, deinde complecti, ac retinere possint. Quid enim procliuius, quàm in illo iudicio falli, si in eo falli possumus? Spiritus est Deus, ideoque spiritualiter, ac latenter ipse mentibus humanis loquitur (loquitur eis autem, cùm vult efficaciter, vt hoc aut illud intelligant, ac sibi persuadeant) nec oculis euidenter cernitur, vt facilè animaduertere possis vtrum id audias, quod ille in te loquatur, an quod dicit tibi spiritus tuus, vel certè spiritus Satanæ, qui se in Angelum lucis persæpè transfigurat. Huc accedit, quod nihil interest, vtrum fidem dicas vnicuique ex proprio ingenio cognoscendam esse; vel ex magisterio solius Dei, qui tamen vtrum aliquid ipse doceat, necne, vnusquisque ingenio proprio, & fallibiliter dijudicare debeat. Nam ex ea parte singulis erit æquè facilè in doctrina fidei errare, atque si fallibiliter ipsos, sine magisterio peculiari Dei, dijudicare oporteret doctrinam fidei. Quibus igitur rationibus constat, homines præter vim ingenij sui, aliqua auctoritate externa infallibili indigere, vt vera fide salutem consequi possint; ijsdem efficitur, eam auctoritatem non esse solius Dei per se ita docentis, vt homines in doctrina diuina percipienda, quemadmodum fit, falli possint.

Probatio quarta.

QVartò. Cùm ab ipso Deo in Scriptura sacra ij reprehenduntur, qui de rebus diui-

diuinis ea, & sentiunt, & docent, quæ ipsis propriè, ac singulariter veniunt in mentem: numquid aliquid ad excusationem eos iuuat, quod id faciant prætextu diuinæ doctrinæ, quam ipsi singulariter, ac propriè diuinitus se accepisse iactent? Minimè verò. Hic enim ipse prætextus est, qui cum primis in Scriptura sacra redarguitur. Nam, [Væ, inquit, Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Dicunt; Ait Dominus: cùm ego non sim locutus.] Et rursus: [Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos. Visionem cordis sui loquuntur; non de ore Domini.] Et: [Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo. Non loquutus sum ad eos. Visionem mendacem, & diuinationem fraudulentam, & seductionem cordis sui prophetant vobis.] Item ipse magister noster Christus; [Attendite à falsis Prophetis.] Et: [Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus (id est, hæc est diuina Christi doctrina) ecce illic, nolite credere.] Iam verò cùm duplex causa esse possit, cur tam seriò, ac grauiter moneamur priuatos huiusmodi prętextus diuinæ doctrinæ fugere; vna, quia per se, quod ad rem ipsam attinet, sint falsi; altera, quòd priuati & singulares sint, eoque ipso abhorreant à consilio Dei, qui ordinariè non priuatim singulos, sed per communem aliquam regulam omnes docere soleat: profectò causa hæc posterior, est eius admonitionis ratio præcipua. Pauci enim admodum sunt, qui dijudicare de re ipsi possint, vtrum ea doctrina, quæ tamquam diuina proponitur, vera sit an falsa, Et tamen omnes communiter eiusmodi priuatos spiritus, atque doctrinas iubentur auersari: quoniam nemo est, qui non facilè vel per se, vel alieno auxilio discernere queat num dogma, quod proponitur sit proprium, ac singulare alicuius, an verò per communem aliquam auctoritatem, & regulam in Ecclesia traditam.

Quòd igitur ordinariè Deus per se solus ac priuatim vnumquemque non doceat, ex dictis satis perspicuum esse videtur. Itaque præclarè D. Augustinus: [Veritas, inquit, tua Domine, nec mea est, nec illius, aut illius; sed omnium, quos ad eius communionem publicè vocas: terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quisquis id, quod tu faciendum omnibus proponis, sibi propriè vendicat, & suum esse vult, quod omnium est, à communi propellitur ad sua: id est, à veritate ad mendacium.] Sic Diuus Augustinus. Ac ob id etiam B. Iræneus iure in hæreticos est inuectus sui temporis, [quod singularitate dogmatum se ipsos prædicarent, ac veritatis deprauarent regulam.] Tum illud à Tertulliano rectè hæreticis exprobatum est, [Idem, inquit, licuit Valentinianis, quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni: de suo ingenio fidem innouare.] Et à veritate ipsa dictum est, diabolum etiam, cùm mendacium loquitur, ex proprijs loqui; qui tamen diuinæ doctrinæ prætextu, & ipse vsus est: inquiens, scriptum est enim, &c. Ergo, de fidei rebus quocumque prætextu ex proprijs sibi loquendum putant, ij ex patre sunt diabolo.

Quod si neque purè diuina, sine communi aliô medio, est illa auctoritas infallibilis, quæ in omni quæstione nos doceat, vt ostendimus hactenus; neque etiam purè humana, vt præcedente capite probatum est; non est nobis opus alia propria probatione, vt quod in hoc loco agimus, persuadeamus; esse scilicet illam auctoritatem quasi ex vtraque compositam atque mediam; nempe humanam diuinitus inspiratam. Bonus enim, ac firmus est hic syllogismus. Oportet auctoritatem illam, in determinandis omnibus fidei quæstionibus infallibilem, aut purè diuinam, aut purè humanam, aut humanam diuinitus inspiratam esse. (Nemo enim est cui probare nunc oporteat, non esse Angelicam.) Non est autem, vel purè diuina, vel purè humana, vt probatum est. Est igitur humana inspirata diuinitus.

Et sanè cùm omnes penè Sectarij eam auctoritatem sola Scriptura sacra contineri contendunt, fateri eos necesse est, humanam, diuinitus inspiratam, illam esse. Homines enim ij sunt, qui spiritu sancto inspirati, sunt nobis in Scripturis loquuti. Sed an rectè Scriptura sola eam auctoritatem isti definiant, videbimus in capite sequenti. Nunc tantùm hic restat, vt Scripturæ quosdam locos explicemus, quibus contra assertionem positam videtur confirmari posse, Deum per seipsum singulos docere rectam fidem, sine vllo prorsus humano ministerio. Quod eò quoque faciendum est, quia eiusmodi locis illi etiam Sectarij imprudentes ad errorem suum abutuntur, qui volunt tamen Deum non docere sine omni medio, sed per Scripturam sacram, quæ ipsa, vt dictum est, continetur humana auctoritate diuinitus inspirata.

Eius generis sunt ij loci: [Erunt omnes docibiles Dei. Et: Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Et: Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina eius vtrum ex Deo sit. Item: Oues meæ vocem meam audiunt. Item: Cùm venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.] Atque in ijs quidem & alijs eiusdem generis testimonijs, simpliciter significari videtur futurum, vt omnes de rebus fidei ab ipsomet Deo erudiantur. Sunt autem, & alij loci quidam, in quibus item negari videtur, opus alicui fore alio magistro præter Deum. Vt in prima Canonica Ioannis: [Non necesse habebitis, vt aliquis doceat vos: sed ipsa vnctio docet vos de omnibus.] Et apud Ieremiam: [Non docebit amplius vnusquisque proximum suum.] Et in Euangelio ipse Christus: [Ego, inquit, testimonium hominum non accipio.] Acciperet autem, si oporteret ab hominibus veritatis Christianæ fidei proponi. Quare, & alibi scriptum est: [Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.]

Respondendum est, ad locos priores, vtrumque verum esse: & à Deo doceri fideles (sicut in illis testimonijs diuinitus est promissum) & doceri tamen ab illo ordinariè non nisi per ministerium humanum. Sed est consuetudo sacræ Scripturæ, vt quæ Deus principaliter facit, ea illi sic tribuat, ac si solus omnino sine aliquo instrumento faceret: idque etiam propterea, quod ipse quoque suppedi-

peditat vim instrumentis ad operandum. Hanc ob causam simpliciter ab Apostolo illud scriptum est: [Neque, qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.] Et Christus ipse: [Non estis vos qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.] Nec sanè dicet aliquis (vt hoc quoque vtamur exemplo) producere Deum absque concursu aliarum causarum in montibus fœnum: quamuis Psalmista illi soli videatur hunc effectum, sicut & alios permultos, attribuere. Ergo pari ratione, cùm in Scripturis citatis legimus, Deum esse qui nos docet: intelligere debemus, hoc eum facere per ministerium auctoritatis humanæ, cuius etiam per os loquitur, & auditur. Itaque non ipse solus per se docuit Paulum, sed ad Ananiam adire illum voluit, à quo erudiretur, & Philippum misit, vt ad currum accedens doceret Eunuchum, & Petro traditur in disciplinam Cornelius.

Quæ explicatio ad eos locos etiam, qui sunt posterius obiecti, pertinere potest. Nam quod negat Scriptura, necesse esse, vt alius alium doceat; eodem modo intelligi debet, quo illud; [Neque, qui plantat est aliquid neque qui rigat:] Et illud etiam, quod similiter explicauimus: [Non estis vos qui loquimini.] Quid enim hoc significat? An, qui inspirante Deo loquitur, prorsus ipsum non loqui? Minimè verò: sed Deum esse quidem, qui eius ore tamquam instrumento quodam præcipuè loquitur. Ita non doceri fideles ab homine, minimè idem est quod nullo modo per humanum ministerium doceri: sed est, doceri præcipuè à Deo: qui cum omnibus temporibus docuerit ipse, vt Psalmista loquitur, hominem scientiam; longè id vberius in hoc tempore gratiæ facit. Quod si nullo modo doctrinam hanc Deus per humanum ministerium traderet; responderi profectò satis Augustino non posset, hunc in modum cum ipso Ioanne Apostolo hac de re colloquenti: [Vnctionem, inquit, habebant quibus loquebaris. Tu dixisti; quia vnctio ipsius docet vos de omnibus. Vt quid igitur talem epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? Quid instituebas? Quid ædificabas?] Sed respondit facilè pro ipso Apostolo conuenienter ijs, quæ iam à nobis explicata sunt, idem ipse Augustinus: [Iam hic videte fratres magnum Sacramentum. Sonus verborum nostrorum aures percutit. Magister intus est. Nolite putare quemquam hominem aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ. Si non sit intus, qui doceat, inanis fit strepitus noster.] Ac paucis in eandem sententiam interpositis: [Cathedram, inquit, in cœlo habet, qui corda docet. Propheta ait, & ipse in Euangelio; Nolite vobis dicere Magistrum in terra, vnus est Magister vester Christus.] Hæc Augustinus. Qui pulchrè hac oratione docet ideò fidei doctrinam ipsi Deo acceptam ferri debere, quoniam etsi per se ipse sine ministerio auctoritatis humanæ non doceat; tamen ipse est magister huius disciplinæ principalis.

Quod verò ait Christus: [Ego non ab homine testimonium accipio,] sic intelligendum est. Non indiguit Christi doctrina humano testimonio, vt ipsa ab illo robur acciperet: Sed opus habuit eo tamen, vt secundum consilium Dei, & rationem constitutam eius prouidentiæ propagaretur, id est, vt ei homines fidem haberent. Nam & illud etiam ob eam rationem à Christo Domino dictum est: [Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, &c.] Tum illud eodem pertinuit: [Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.] Ac subiungit Euangelista rationem à nobis assignatam: Vt omnes, inquit, crederent per illum. Hinc est, quod in eo ipso loco vbi negat Christus se ab homine testimonium accipere: vtitur tamen aduersùs Iudæos testimonio Ioannis. Dixerat enim: [Vos misistis ad Ioannem, & ille testimonium perhibuit veritati.] Tum subiungit; [Ego autem non ab homine testimonium accipio. Sed hæc, inquit, dico vt vos salui sitis.] Quasi diceret: Ego quidem testimonium, quod mihi perhibuit. Ioannes, non adfero tanquam illo nitatur mea doctrina: sed vt illam eo vobis probem, id est, vt Ioannis auctoritate, qui magnus est apud vos, commoti, mihi credatis, & salui sitis.

Ex his arbitror satis cofirmandam, ac defensam tertiam nostram assertionem esse, nempe, non purè diuinam neque purè humanam, sed humanam diuinitus inspiratam esse oportere auctoritatem illam, quæ de fidei quæstionibus omnibus certò doceat fideles. Nam quod phanatici illi Sectarij, qui contempta Scriptura solis somnijs priuatarum reuelationum niti volunt, illud præterea Diui Pauli vrgere solent: [Litera occidit, Spiritus autem viuificat;] confutatione vix indiget. Neque enim his verbis Apostolus aut perniciosam, aut inutilem ipsam per se Scripturam (quam aliàs prodesse, vt perfectus sit homo Dei verissimè affirmat) significauit, sed vel ab ipsa certè illos redargui, & damnari, qui spiritu gratiæ, & charitatis non eius præceptis obsequuntur, quique nudis illius verbis, neglecto vero sensu, ad errorem abutuntur, vt fecerunt Iudæi, & faciunt omnes hæretici: vtroque enim modo eum locum D. Augustinus benè interpretatus est.

PARS



PARS QVINTA.

Humana illa auctoritas, inspirata diuinitus, qua de controuersijs fidei omnibus iudicare valeat, non vnius tantùm, vel alterius hominis quondam vita defuncti, aut etiam aliquorum propria est, qui olim, vel scripto, vel voce sententiam diuinam explicauerint, posteritatique commendarint, sed omnibus sæculis apud fideles ipsos viget præsens, & pronunciare perspicuè, ac palam de fidei controuersijs omnibus potest.



NOn absolutè hìc negamus, alicuius ominis, vel aliquorum vita defunctorum auctoritatem diuinitus infallibilem esse in quęstionibus fidei. Sed cùm in iudicio, & quasi causa fidei, duobus modis intelligi possit, aliquam auctoritatem esse infallibilem; videlicet, aut tamquam magistram, & iudicem, cuius sit sufficienter pronunciare, & statuere, quæ sit in omni quæstione doctrina fidei; aut certè tamquam testem, qui licet in eo iudicio definire satis ipse, ita vt est necesse, quæstionem omnem non possit, tamen ab auctoritate magistra, & iudice consuli debeat: affirmamus sanè, auctoritatem illam infallibilem, à qua oportet, vt hactenus ostensum est, in omnibus quæstionibus, quæ de fide moueri possint, tanquam à iudice, ac magistra, fideles cunctos omni tempore sufficienter de fide doceri; non esse propriam alicuius, vel aliquorum hominum vita defunctorum. Quanquam & talis quidem auctoritas aliquorum, qui superstites non sunt, & olim diuinam sententiam, aut verbo, aut scripto infallibiliter explicarunt, tanquam testis in fidei causis certa ratione, & modo, id est, vt vel rem ipsam dicat, vel aliquid rei consentaneum, ex quo res deduci possit, consuli debeat, vt à nobis suo loco post explicabitur.

Nunc explicatione hac adhibita, probanda nostra assertio est. Quod fiet commodissimè si vtamur huiusmodi partitione. Auctoritas humana eorum, qui vita functi sunt, & olim diuinam sententiam, aut verbo, aut scripto infallibiliter declararunt, partim Scriptura ipsa sacra, partim traditionibus Apostolicis; idest sententia per Apostolos viua primùm voce tradita, & deinceps ab eorum successoribus retenta, & custodita, & continua successorum serie ad posteros transmissa, continetur, vt infra quoque suis locis docebimus. Sed neque Scriptura sacra, neque etiam sola traditio, si ab ea separes præsentem in Ecclesia auctoritatem infallibilem; sic enim de traditione nunc loquimur, est illa auctoritas infallibilis magistra fidei, & iudex in omnibus quæstionibus. Talis igitur auctoritas non est propria alicuius, vel aliquorum hominum vita defunctorum. Quòd si exstat tamen aliqua talis humana auctoritas, vt probarum est; neque verò ea est illorum hominum propria, qui iam præterierunt; restat, vt viuat semper inter fideles præsens, quemadmodum in assertione nostra positum est. Confirmemus singula. Ac primùm eiusmodi auctoritatem sola Scriptura sacra, vt hæretici perperam sentiunt, non contineri, sequentia argumenta persuadere debent.

Probatio Prima. Scripturam sacram non esse iudicem omnium controuersiarum fidei.

PRimò. Sententia eius auctoritatis, cuius de rebus omnibus fidei iudicium est, apertam oportet esse, vt ab omnibus fidelibus commodè possit intelligi. Nam si non ita perspicuè, & planè auctoritas illa doceat, non ad eam rem valebit, cuius causa, vt suprà probauimus, diuinitus instituta est; nempè vt omnes, nisi nimium velint esse cæci, facilè cognoscere possint, quid ex fide credere debeant, & quid tanquam fidei contrarium repudiare. Quomodo enim conscientia acquiescet, aut in animum aliquis inducet certò, & absque vlla hæsitatione id credere, quod scire clarè ipse non possit ab aliqua auctoritate proponi, & tradi quam sibi persuadeat esse infallibilem? Iam verò sententia Scripturæ de maximis etiam fidei quæstionibus, ita obscura, & difficilis ad intelligendum est, vt homines etiam benè literati, nedum vulgares fide-

fideles, in eius inquisitione facillimè hallucinentur ab eaque aberrent.

Id, quia hæretici omnes pertinaciter negant, demonstrandum iam diligenter est. Quod rectiùs fiet, si primùm constiterit, quo sensu, & quare Scripturam obscuram esse affirmemus. Ita enim, & ipsas vias quasi obstruemus Aduersarijs, quibus illi in hac re arbitrantur, se posse subterfugere. Cùm enim Scripturam obscuram esse dicimus, non vitium aliquod in doctrina ipsa diuinitus tradita inesse sentimus, sed maiestatem, atque altitudinem potiùs eiusmodi sapientiæ, & scientiæ Dei, & imbecillitatem ingenij nostri profitemur. Nam hoc significat, eam obscuram esse, difficulter à nobis illam intelligi posse; quoniam, & ipsa diuino, ac singulari suo quodam modo conscripta est, & nos multis rebus, atque adminiculis indigemus, vt eius sententiam assequamur; atque adeò multis etiam modis in ea re impedimur. [Quod totum, inquit præclarè D. Augustinus, diuinitus prouisum esse non dubito ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum, cui facilè inuestigata plerumque vilescunt.] Nec dissimilem rationem, cur Scriptura sit obscura, reddidit Clemens Alexandrinus.

Fatemur igitur ante omnia, & concedimus aduersarijs, hominum, vel infirmitate, vel etiam vitio accidere, vt Scriptura non intelligatur. Sed vicissim ab ipsis postulamus, vt, quia tolli hac in vita nequit illa infirmitas, & difficillimè vitari hoc vitium ab hominibus potest; nobiscum etiam agnoscant & fateantur, Scripturam solam, quæ vix à paucis rectè intelligi potest, non esse communem illam fidelium omnium regulam, & magistram, à qua in quæstionibus fidei doceri posse infallibiliter omnes oportet. Quæ enim fidei regula communis hominibus ipsis est proposita: eam prorsus oportet ex parte inprimis psorum hominum esse cognitu facilem, atque adeò perspicuam: Siquidem tota eorum ad vsum accommodata esse debet. At Scripturam, ex parte saltem conditionis hominum, obscuram, & difficilem esse, ita certum est, vt sint etiam impudentes Sectarij si negent. I. Etenim ipsi etiam intelligunt, vim dictionis cognosci debere, qua vel primùm est ipsa doctrina sacra mandata literis, vel certè deinde in aliam linguam benè versa. Hoc, quod minimum est: tamen non omnes fideles rectè nouerunt. II. Scientiam quoque rerum ipsarum, & sensus in Scripturis exercitatos, ad Scripturarum intelligentiam requiri, negari non potest. Ideò enim fit, vt etiam inter eos, qui verborum cuiusque linguæ, omnisque Grammaticæ benè periti sint, difficillimè tamen de Scripturarum sensu in maximis rebus conueniat. Cui rei ipsi sunt argumento Sectarij. Sunt enim ex Caluinistis, & Lutheranis non pauci Caluinistæ, & Lutherani bilingues, imò trilingues Grammatici. Et tamen, qui de maximis fidei rebus, Lutheranis cum Caluinistis, imò ipsis etiam tum Lutheranis, tum Caluinistis inter se, dum omnes sola Scriptura niti volunt, conueniat, nouit iam satis Orbis Christianus, quin etiam norunt Turcæ, & Ethnici. Non igitur Grammaticæ tantùm, sed rerum inprimis doctore ad Scripturam intelligendam opus est. Quod profectò censuit Augustinus, cùm ita scripsit ad Honoratum: [Terentianum Maurum, sine magistro attingere non auderes: Asper, Cornutus, Donatus, & alij innumerabiles requiruntur, vt quilibet Poeta possit intelligi: Tu in eos libros, qui sancti diuinarumque rerum pleni propè totius generis humani confessione diffamantur, sine duce irruis, & de his sine præceptore audes ferrè sententiam?] Nec dissimilis Diui Hieronymi oratio est, quam, quia notissima est, breuitatis causa prætereo. Iam quotusquisque idoneum Scripturarum præceptorem, vel quærit, vel inuenit, vel rectè intelligit, vt Scripturæ genuinam sententiam assequatur? Tertiò. Sed neque historiam multarum rerum artesque liberales quasdam ignorare oportet; quarum ignoratione fit sæpè, vt aberret aliquis à verò Scripturæ sensu, quemadmodum Diuus Augustinus diligenter notat, & res ipsa docet. Quartò. Ratio quoque omnis tenenda rectæ fidei est, vt eius vbique analogiam videre, & ad eam exigere Scripturæ sententias difficiliores possis. In qua re magno sanè iudicio, quod paucis contingit, & dexteritate magna opus est. Quintò. [Et quoniam in maleuolam animam non intrabit sapientia,] purgandus etiam est animus, ne cœno vitiorum obruta, atque excæcata mens videre in Scriptura non possit lumen veritatis. Quod Diuo etiam Augustino, quantumuis magno, & perspicaci ingenio esset præditus, tum accidebat, cùm adhuc erat inquinatus peccatis. [Institui, inquit, animum intendere in Scripturas sanctas, vt viderem quales essent. Et ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris: sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysterijs. Et non eram ego talis, vt intrare ad eam possem. Nam illa erat, quæ cresceret cum paruulis. Sed ego indignabar esse paruulus; & fastu turgidus mihi grandis esse videbar.] An verò nullius difficultatis res est, ab hoc tumore vitiorum vacuum esse, eorumque fuligine velatum cor, instar Iudæorum, non habere, sed humilem fieri, ac docilem discipulum, ad huiusmodi Spiritus sancti disciplinam capessendam? Sextò. Quid autem precatio ad Deum pro sapientiæ interpretationisque Scripturæ dono? An exigua difficultas est, & piè, & perseueranter illud cum eodem Augustino orare: [Domine attendè, & miserere mei. Domine Deus meus, lux cæcorum, & virtus infirmorum. Largire spacium meditationibus nostris in abdita legis tuæ, neque aduersùs pulsantes claudas eam. Neque enim frustra scribere voluisti tot paginarum opaca secreta.] Et aliquibus interpositis. [Vide, inquit, Pater, & aspice, & vide, & approba, & placeat in conspectu misericordiæ tuæ inuenire me gratiam ante te; vt aperiantur pulsanti mihi interiora sermonum tuorum. Obsecro per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Ipsum quæro in libris tuis &c.] Septimò. Sed ex omnibus, quæ ad intelligentiam Scripturarum necessaria sunt, illud est difficillimum, quod tamen magno sanè errore Aduersarij putant omnem remouere

Scri-

Scripturæ obscuritatem. Aiunt enim, difficiliores Scripturæ locos ex alijs clarioribus, qui sunt eadem de re, interpretandos esse. Quod & nos fatemur. Sic enim, & Augustinus præcipit, & passim præter Augustinum alij Patres docent, ac vsu exemploque suo confirmant. Sed difficillimum tamen esse asserimus, huiusmodi locorum collationem ita instituere, vt quem locum tu putas clariorem esse, ideòque ex eo alium locum interpretandum, is reuera sit clarior, & non contra potius obscurior: ex quo idcircò non alterum interpretari, sed eum ex altero sit necesse. Vt enim quis in Scriptura ipsa, & in cognitione locorum Theologicorum, magis, aut minus versatus est, atque etiam, vt magis, aut minus perspicax, & in indagando diligens, sic magis, aut minus rationes videt, cur hic sensus potius, quàm alius huic loco subijci debeat. Ita fit, vt qui locus in vno sensu alteri clarus videtur, alteri videatur obscurus: eaque varietas facit, vt facillimum sit, quemadmodum diximus, in huiusmodi collatione locorum Scripturæ falli, atque errare: dum non obscurus reuera locus ex claro, sed clarus, si rationes omnes latentes, & circumstantes considerantur, ex obscuro peruersè exponitur.

Cuius rei, cùm multa, & vetera, & recentia etiam exempla ex nostrorum temporum controuersijs proferri possint, ego breuitatis causa vnum, aut alterum ponam, vt Lector contempletur Labyrinthum errorum, in quo, propter hanc suam Scripturæ collationem, versantur Sectarij, & versabuntur perpetuò, nisi redeant ad saniorem mentem. Quæstio est, Vtrùm concupiscentia in ijs, qui gratiam sunt adepti in Baptismo, sit peccatum veri nominis damnatione etiam dignum. Affirmant omnes Sectarij. Quia quod in persona iustificati hominis Paulus ait, [Habitare in se peccatum;] putant habere illum sensum clarum, quem illico verba superficietenus exhibent, nempè concupiscendi facultatem, seu appetitum esse peccatum. Itaque ex hoc loco interpretantur alios eiusdem Apostoli, vbi contrà negat, vllum remanere peccatum, in ijs, quos affirmat [ablutos, & sanctificatos] esse in Baptismo. Dicunt enim sensum esse, non quòd ij mundi prorsùs facti sint, & immunes à peccato, sed quòd peccatum quo aliqui inquinati sunt, non imputetur ipsis ad pœnam. Falluntur autem in hac Scripturarum collatione. Quoniam locos clariores malè interpretantur ex obscuro. Demonstrant enim certissimè Catholici, sensum eius, quod Apostolus inquit, habitare in se peccatum, non esse illum prima facie clarum; quem falsò putant Aduersarij, nempè reuera concupiscentiam peccatum esse. Hoc enim, & naturæ ipsi diuinæ gratiæ repugnat, quæ cum peccato mortali stare nullo modo potest, & alijs etiam innumeris Scripturæ locis, ex quibus constat per gratiam ita aboleri penitus peccata, vt nihil in ipso homine insit damnationis, id est, damnatione dignum. Docent igitur ijdem Catholici alium quendam illi Apostoli loco subijci sensum obscurum, videlicet, concupiscentiam, & ex peccato prouenisse, & ad peccatum inclinare, ideòque appellari ibi ab Apostolo peccatum: sicut etiam ipsum Christum peccatum alibi impropriè appellat, quia fuit hostia pro peccato: & Adam Euam similiter os appellauit, quia ex osse extitisset. Proinde non ex eo Apostoli loco, tanquam ex claro, illi alij loci, qui gratia emundari penitùs hominem à peccatis manifestissimè docent, exponendi perperam erant: Sed ex ijs potiùs locis, tanquam claris, illius alterius loci sensus obscurior, quem indicauimus, colligi ab Aduersarijs debuit.

Item quæstio est, vtrum quilibet possit, ac debeat certò credere se iam esse receptum in gratiam diuinam. Affirmant etiam cuncti Sectarij: quamuis ego quidem nunquam mihi persuadere potero, vllum esse cordatum hominem inter illos, qui sibi omnino ita certò persuadeat: cuius rei alio in loco manifestissimas rationes reddidi. Sed affirmant tamen ita credendum esse, licet minimè ipsi credant. Cùm autem obijcitur illis testimonium Apostoli clarum in persona hominis iustificati, dicentis: [Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum;] conferunt hunc locum cum illo alio eiusdem Apostoli: [Ideò ex fide, iustificatio, vt secundum gratiam firma sit promissio.] Quoniam autem putant significasse hìc Apostolum, gratiam per fidem solam ideò apprehendi, vt quilibet, non ex bonis animi sui motibus, aut recta conscientia, sed ex promissione diuina per fidem certò possit sibi persuadere, quòd gratiam sit consequutus; interpretantur, non negauisse Apostolum in illo alio loco, quin sciret omnino, atque adeò, quin sciat quiuis iustus, in cuius persona tunc loquebatur, se esse iustificatum: Sed negauisse tantùm, id se scire ex bona sua conscientia. Decepti verò sunt in ea collatione turpissimè. Nam vt aliud non esset, tamen antithesis certè, quæ continuò sequitur in verbis Apostoli, declarat, eum (in persona quidem hominis iustificati) omnino negauisse se vel ex promissione diuina, vel aliunde, secundum legem Dei ordinariam, scire in præsentia num esset iustificatus. Subiungit enim: [Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit occulta cordium, & tunc laus erit vnicuique à Domino.] Cùm Dominum solum esse affirmat, qui num aliquis iustificatus sit, sciat; de eaque re ante tempus illud extremum, à nobis certò iudicium fieri vetat, nonne omnino negat, in præsentia quemquam hoc de se certò scire aliqua ordinaria via? Aliter igitur debuissent hìc instituere collationem Sectarij; & vel ex hoc loco potiùs intelligere, sensum illius alterius loci, vbi Apostolus ait; ideò ex fide hominem iustificari, vt secundum gratiam firma sit promissio, non esse, quòd per fidem iustificemur, vt ex promissione sola possimus certò scire nos esse iustificatos. Negat enim absolutè Apostolus, hoc à nobis sciri ante nouissimum tempus ordinario vllo modo posse. Sed docet, ideò nos gratis, absque merito nostrorum operum, per fidem, & alios nimirum animi rectos motus, charitatis, & pœnitentiæ, qui cum fide viua coniuncti sunt, iustitiam, & gratiam consequi, quoniam opor-

oportet certò diuinam promissionem impleri, quæ fuit prorsus talis; scilicet vt eo modo gratis iustificaremur absque nostro merito; quemadmodum sic etiam Abraham iustificatus est coram Deo. Hæc ibi tantùm Apostoli sententia est, neque quidquam de vana illa istorum persuasione hic agit: vt ex disputatione, & instituto Apostoli in ea epistola, alibi quoque probauimus.

Notum etiam est Sacramentarios hæreticos idcircò errare, quoniam Scripturæ locos, qui sunt de Christi discessu ex hoc mundo, non ex hoc claro loco; [Hoc est corpus meum,] sicut oportet, interpretantur (ita scilicet, vt de discessu tantùm, & absentia Christi secundum modum ordinarium, atque visibilem eos locos intelligi necesse sit,) sed hunc peruersè ex illis malè intellectis. Vnde fit, vt dum prauè, tum ili tum etiam Lutherani panistæ collationem instituunt, plures quàm octoginta interpretatione differentes plenasque vanitatis paucissimis illis Christi verbis; [Hoc est corpus meum,] adhibeant, ne vel præsentiam corporis Christi in Eucharistia, vel conuersionem panis in illud fateantur. Quæ profectò varietas clarissimo argumento est, hos omnes, quantumlibet Scripturæ collationem iactitent, à proprio illorum Christi verborum sensu longissimè aberrare.

Atque vt vno verbo dicam, in omni fidei quæstione, quæ in vtramque partem ex Scripturis agitetur; proposita quacunque collatione Scripturæ, semper porro quæstio esse poterit, vter potiùs locus ad sensum alterius accommodandus sit ex eòque interpretandus? Ita fit, vt collatio non finiat ipsa & absoluat difficultatem quæstionis de sensu Scripturæ, sed plerumque etiam augeat. Huc accedit, quod non modò facillimè contingit error in iudicando, an hic locus per illum exponi debeat; cùm vtrumque constat de eadem re loqui: sed etiam in discernendo, an idipsum, quod in collatione sumitur, verum sit, scilicet vtrumque locum de vna eademque re loqui. Quandoque enim idem in Scriptura verbum, & eadem ferè phrasis ad significandas res diuersas accommodatur, vt admonuit etiam Diuus Augustinus. Quod quia nuper quidam Sectarius, Lutheri discipulus, non animaduertit; ineptè voluit per Scripturę scilicet collationem ostendere, oblationem mundam, de qua vaticinatus est Malachias, non aliud sacrificij genus in Ecclesia esse, nisi Euangelij prædicationem, quam etiam Apostolus per similitudinem oblationem vocat. Rectè autem Diuus Augustinus: [Non putemus, inquit, esse præscriptum, vt quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significauerit, hoc eam semper significare credamus.] Sed errorem istiusmodi collationis in alio loco redarguimus. Et omnes disputationes, quæ nobis intercedunt cum istis, plenissimæ sunt exemplis similibus, in quibus appareat varijs vbique erroribus Aduersarios esse implicatos, propter Scripturæ collationes à se sinistrè institutas.

Nunc quæ exempla huius rei adduximus, non tam adduximus, vt in illis quæstionibus eos errasse ostenderemus, id enim aliorum est locorum, quàm vt (quod iam agimus) euinceremus, eos facillimè certè, dum sola Scripturarum collatione niti volunt, sic errare potuisse. Ex quo intelligi debet, non quidem eorum esse leuiorem culpam in errando, quis enim eos Scripturis solis quæstiones fidei velle definire cogit? sed Scripturam profectò esse ad intelligendum difficilem: quandoquidem in eius interpretatione collatio locorum, in qua facillimè erratur, negligenda non est, & alia multa adminicula antè enumerata ad eam rem requiruntur, ex quibus aliqua in plerisque hominibus sæpè desiderantur. Neque sanè ab hoc proposito aliena obseruatio est, quod cùm præter ea, quæ diximus, quasdam etiam peculiares regulas ad Scripturam intelligendam vtiles, Augustinus ex quodam Tyconio commemorasset: tamen quosdam dicit tale esse Scripturæ locos, vt ad eorum sensum inueniendum vix vlla eiusmodi regularum satis esse, imò ne seruire quidem possit.

Quod si necdum ista omnia satis Aduersarij probant, difficulter Scripturæ sensum intelligi posse; vel domesticis tandem eius rei argumentis experientiaque propria moueantur. Nam si Scriptura difficilis non est, quid sibi vult inter ipsos, in tam multis tamque grauibus fidei quæstionibus de Scripturę sensu tanta dissensio? Cur Caluiniani Lutheranis, & Lutherani Caluinianis, vt capita tantùm ipsa sectarum, variè porro inter se dissectarum, nominem, non persuadent rem claram? An literas nesciunt? An locus non conferunt? An à Deo, qui dat omnibus affluenter, sapientiam non postulant? Eligant igitur hìc quod maluerunt, alterutrumque fateantur, aut Scripturam esse difficilem aut se insanire, quòd inter eos de clarissimo minimeque difficili Scripturæ sensu conuenire non possit.

Sed audiamus Scripturam ipsam de se loquentem, num eam facilitatem sibi tribuat, quam ei isti quasi per vim obtrudere, contra sensum, contra experientiam, suam & alienam, conantur. Non autem noua adferam, sed vetera hac de re Scripturæ testimonia, cùm sint optima, repetam, vt ea magis confirmem. In quo genere clarissimum certè testimonium est illud D. Petri, qui testatur, quædam esse in epistolis D. Pauli difficilia intellectu. [Quæ, inquit, indocti homines, & instabiles, sicut & cæteras Scripturas, deprauant ad suam ipsorum perditionem.] Cùm dicit, illa Diui Pauli, sicut & Scripturas cæteras, deprauari à peruersis; certè Scripturas, etiam cæteras magna ex parte similiter esse difficiles indicat. Nam propter difficultatem vtique cæteræ quoque Scripturæ deprauantur, sicut & illa de Pauli epistolis. Neque verò D. Petrum latebat, quid valere possent ad Sripturę intelligētiam collatio locorum: & tamen ea re non obstante pronunciat simpliciter, Scripturam intellectu esse difficilem: ac ideò facilè deprauari posse.

Et planè falsum, ac ineptum etiam est, quod quidam Lutheri discipulus, vt hoc testimonium eludat, hìc comminiscitur. Respondeo, inquit, Petrus non dicit, epistolas Pauli ita esse conscriptas, vt difficultate, & obscuritate sua Lectoribus prębeant occasionem

nem

nem ad perditionem. Vtitur enim articulo non fœminino sed neutro: significans, res ipsas de quibus Paulus loquitur, quia positæ sunt longè supra, & extra omnem conspectum rationis, non posse rectè intelligi ab hominibus carnalibus, sed opus esse illuminatione Spiritus sancti.] Hactenus ille Lutheranus. Quem adeò nō est Deus passus, hac interpretationis vanitate Lectorem decipere, vt ad eam clarissimè refellendam ipsius etiam ore sit vsus. Subiungit enim iste illico: Vtitur autē Petrus, inquit verbo valde emphatico, *streuloysi*, id est, detorquent, quod à torturis sumptum est. Sicut enim adhibitis tormentis sæpè de innocentibus habentur quæstiones, vt aliquid aliud, quàm res habet, pro affectu torquentium, ab illis exprimatur: ita Petrus dicit Scripturæ quasi tormenta adhiberi, quibus à genuina, simplici, & aperta sententia distorqueatur, vt illud nobis loquatur, quod ante lectionem præsumpsimus intelligendum, vt Hilarius loquitur.] Hactenus etiam iste. Ex cuius hac postrema oratione tale contra commentitiam illam expositionem ipsius conficitur firmum, ac euidens argumentum: D. Petrus ea in epistolis D. Pauli dicit esse intellectu difficilia, quorum item ait significationem deprauari ab indoctis hominibus: vt scilicet aliud illa nobis loquantur & significent, quàm res habet: sicut iste Lutheranus ex verbi Græci interpretatione non malè colligit, & ex ipsa sententia, & oratione D. Petri est pespicuum. Nunc ita subsumo: Illa quæ secundum significationem isto modo deprauantur, non sunt res ipsæ significatæ à Paulo (non enim propriæ res ipsæ loquuntur nobis, & significant) sed loci & partes scriptarum epistolarum à Paulo. Igitur illa quæ D. Petrus affirmat esse difficilia intellectu in epistolis Pauli, non sunt propriè res ipsæ à Paulo significatæ, sed ipsius Scripturæ Paulinæ loci, & partes. Nihil profectò potest euidentius concludi.

Iam [velamen, quod ipse Paulus affirmat, vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, esse positum supra cor Iudæorum:] profectò textum, vt ita dicam, bona ex parte est ex difficultate Scripturarum illarum. Hoc enim, vt anteà monuimus, est, Scripturam esse difficilem, eiusmodi eam esse, & tam multa, vt illa intelligatur, requiri, vt procliue fuerit Iudæis, & sit alijs omnibus, non percipere veram eius sententiam. Quod quia dare nobis coguntur, velint, nolint, Sectarij: rectè ac necessariò inde concludimus, communem illam regulam, & magistram fidei, quam necesse est, esse propositam fidelibus omnibus, non esse Scripturam: cùm non sit cognitu facilis ipsis hominibus: vt antè quoque argumentati sumus.

Huc & illud Isai. 29. pertinet: [Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cùm dederint homini scienti literas, & dicent, lege istum, respondebit non possum. Signatus est enim.] Atque etiam obscuritatem Scripturæ D. Gregorio Magno rectè significauit liber ille inuolutus, quem de manu Domini Propheta Ezechiel accepit. [Liber inuolutus, inquit Gregorius, est Scripturæ sacræ eloquium obscurum, quod profunditate sententiarum inuoluitur, vt non facilè sensu omnium penetretur.] Quocirca & Eunuchus ille, de quo D. Lucas in actis, cùm Scripturam legeret, ab eoque Philippus percontaretur, [putas ne intelligis quæ legis? Quomodo possum, inquit, nisi quis doceat me?] Tum illud eleganter (vt iam alios Patres prætercam) Clemens Alexandrinus: [Dauid, inquit, dicit, tenebrosa aqua in nubibus aeris, à fulgore coram ipso nubes transierunt grando, & carbones ignis, abditos esse docens sanctos sermones.]

Et tamen dicitur Scriptura [lucerna pedibus nostris, & lumen nostris semitis, cui benè faciamus attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, &c.] Hæc verissima sunt omnia. Sed est in primis etiam videndum, vbi nam collocatam esse oporteat hanc lucernam doctrinæ diuinæ, vt ipsi lumen eius videre, & eo dirigere gressus nostros possimus. Quid enim si lucernam aliquam ponas sub modio? Certè lucebit ibi nihilominus ipsa & ardebit, & lumen retinebit suum: sed non etiam ibi te illuminabit, nisi eam colloces in idoneo loco. Concedimus igitur pari modo, sacras literas, quæ diuinæ doctrinæ continent lumen, tanquam lucernam esse per se ipsam splendidissimam semper, atque fulgentissimam. Sed nobis tamen considerandum est, quomodo sit hoc lumen non in se modò lucidum, verùm etiam (vt regius Propheta dicit) illuminans oculos? Nunquid qua ratione vnusquisque ingenij proprij, atque industriæ suæ finibus illud tanquam modio quodam exiguo comprehendit? Minimè verò: sed quatenus est diuinitus in Ecclesiæ Catholicæ auctoritate tanquam in candelabro positum; [vt luceat omnibus; qui in domo sunt.] Hanc enim Ecclesiæ auctoritatem, docebimus posteà suo loco, esse in vniuersum iudicem, atque magistram fidei viuam; quæ idcirco necesse est, vt lumen illud fidei, quod in diuinis literis splendet, præferat ipsa; atque ostendat omnibus, qui ad eam aggregantur, in eaque maneut, licet inerudití sint alioqui, nec valeant ipsi per se lumen illud, vt in ipsis literis sanctis tanquam in lucerna continetur, aspicere.

Quam rem benè mihi, ac subtiliter Diuus Ambrosius attigisse videtur, cùm docuit, Christum; vt fidem nostram Ecclesiæ Catholicæ accommodaremus, oratione illa hortari. [Nemo, inquit, accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.] Quid autem aliud fuisset, Scripturam non alicui communi auctoritati infallibili interpretandam commendare, sed vnicuique priuato ex æquo committere; quid, inquam, hoc aliud fuisset, quàm accensam lucernam in abscondito ponere? In abscondito enim, Scripturæ lumen poni est, ea illud ratione, ac modo proponi, quo non possit, neque debeat lucere omnibus. qui sunt in Ecclesiæ domo. Non potest autem, aut non debet certè Scripturæ, fideique lumen sic lucere alijs omnibus, ab ijsque recipi, quomodo lucet vni, aut alteri priuato, quicumque ille sit tandem, & quantumcumque in indaganda Scripturæ sententia laborarit. Nam cur alijs non liceat illi anteponere parem auctoritatem iudicij etiam sui? Cur non possint putare illum

lum ex ijs esse, qui priuato spiritu dicunt: [Ecce hic, ecce illic Christus:] à quibus, vt diligentissimè nobis caueremus, Magister noster Christus præcipit? Errant igitur vehementer aduersarij, cùm Scripturam esse lucidam lucernam, ac illuminare nos, idem esse existimant, quod eam non egere Ecclesiæ communi aliqua, atque infallibili auctoritate, vt certos nos faciat de fidei dogmatibus. Lucet enim, & illuminat, sed super candelabrum Ecclesiæ constituta, vt est explicatum. Quod si eam sub modio ingenij tui tegere, atque comprehendere velis; ipsa quidem lucida per se nihilominus est, & simul tamen, vt hactenus est probatum, tibi est obscura: sicut esset alia lucerna quæuis sub modio.

At, si maximè, inquiunt, de quæstionibus fidei subtilioribus quædam tradat Scriptura obscurius: tamen ex articulis fidei necessarijs, quos satis est ad salutem credere, nullus est, qui non alicubi in Scriptura clarissimè doceatur. Hac erroris sui defensione cùm vtuntur Aduersarij, profectò declarant se non satis animaduertisse, quibus modis fiat, vt ad salutem necesse sit credere aliquam fidei veritatem. Fit autem hoc bifariam. Vno modo, quoniam absolutè, & simpliciter necesse est, vt veritatem hanc, aut illam fidei noris, & credas. Altero modo, quia cùm omnis infidelitas diuinitùs sit prohibita, non licet tibi sine iactura salutis, credere aliquem errorem vlli veritati fidei contrarium. Vnde fit, vt etsi aliquam fidei veritatem absolutè non necesse habeas nosse, & credere: sub conditione tamen debeas illam & credere, & nosse. Nam si contingat tibi proponi eiusmodi veritatem fidei, atque ei contrarium errorem; & alterutri assensum præbiturus sis: necesse tibi ad salutem est, vt veritati fidei assentiaris, non contrario errori.

Priori modo, scilicet absolutè, & simpliciter, paucarum admodum veritatum fides, & cognitio omnibus fidelibus ad salutem necessaria est. Posteriori autem modo, scilicet, sub illa conditione, vt contrarij caueantur errores; omnes omnino fidei sententiæ, ac veritates, cum quibus pugnare possint aliqui contrarij errores, sunt omnibus hominibus necessariò credendæ ad salutem. Nemo enim est, cui liceat amplecti aliquem contrarium fidei errorem: quin (vt suprà probatum est par.2.) omnes prorsus, & singuli mandato diuino iubentur quemuis errorem, atque hæresim repudiare eique anteponere veræ fidei sententiam. Iam quæ fidei veritates priori modo, scilicet absolutè, & simpliciter, ab omnibus hominibus necessariò cognoscendæ, & credendæ sunt, vt & fide, & spe, & charitate ad beatitudinem contendere valeant; eas non diffitemur perspicuè ferè in Scripturis ipsis doceri, vt Augustinus etiam notauit. Sunt enim illæ & paucæ, & communissimæ, nec notitiam requirunt vsque adeò distinctam & expressam, modo aliquali ratione non falsa in mente concipiantur. Atque huius quidem generis sententiæ sunt comprehensæ in Apostolorum symbolo. Veritates autem aliæ, propè infinitæ, quæ posteriori modo (scilicet sub conditione, vt contrarij quique errores caueantur) ab omnibus fidelibus credi debent; ipsi Aduersarij coguntur fateri, & euidenter hactenus est probatum, maiori ex parte contineri in Scripturis obscurè. Itaque & illos Scripturæ locos, ex quibus oportet hæreses refutare, obscuros esse scripsit D. Augustinus. [Multi, inquit, sensus Scripturarum sanctarum latent: & paucis intelligentioribus noti sunt: nec asseruntur commodius, & acceptabilius, nisi cùm respondendi hæreticis cura compellit.]

Huiusmodi verò locorum Scripturæ obscuritas, in his rebus difficilioribus, caput est probationis nostræ, qua necessariò euincimus, Scripturam non esse illam communem regulam, & quasi magistram, à qua possint fideles omnes sufficienter doceri; vt in omnibus fidei quæstionibus veritatem amplectantur, & errorem repudient. Nam cùm omnes mandato diuino debeant quoscumque errores contrarios fidei cauere; & eatenus quibuscunque etiam fidei veritatibus, vt expositum est, assentiri; certè facere hoc, secundum diuinam prouidentiam, omnes possunt: licet casu contingere possit, interdum aliquos in ea re à peccato excusari. Quomodo verò præstare id omnes poterunt, nisi communis illa regula diuinitus proposita, clarè & perspicuè, & accommodatè ad captum omnium de quæstionibus, ac rebus fidei quibuscunque definiat? Hoc autem Scriptura non facit, vt ostensum est, & ipsi etiam inuiti agnoscunt Sectarij. Quare perspicuum est, nihil proficere Aduersarios nec argumentationis nostræ vim vllo modo infirmare, cùm dicunt, Scripturam de ijs rebus fidei, quæ sunt necessariè, claram doctrinam tradere. Omnes enim res fidei vno quodam modo necessariæ sunt, vt exposui; & proinde de omnibus perspicuè Scripturam docere oporteret, si esset ipsa fidei Iudex, communisque illa regula.

Huc accedit quod illos ipsos Scripturæ locos, qui continent articulos fidei simpliciter necessarios, non nisi quadam cum distinctione, concedi debet esse omnes perspicuos. Duobus enim modis intelligi, atque dici potest, locum scripturæ aliquem esse clarum. Vno modo, quia ipse locus certè, si per se spectetur, proprio, plano, & aperto sermone constat, neque vllo genere figuratæ dictionis inuoluitur. Atque hoc quidem pacto illi loci, qui continent fidei articulos absolutè necessarios perspicui ferè sunt, vt ex sententia D. Augustini exposuimus; quin omnes alij quoque Scripturæ loci, qui proprijs, & planis verbis sunt scripti, eò etiam clariores, ex ea parte, quàm aliæ Scripturæ prophanorum auctorum, censeri possunt, quò minùs humanæ eloquentiæ artificio fucati sunt. Qua quidem ratione rectè Patres affirmare solent Scripturam facilem, & planam esse; videlicet per se, quatenus ferè vtitur proprio, & simplici sermone. Quemadmodum contrà, per se etiam obscuri dici possunt illi ferè Scripturæ loci, qui constant ex figurato sermone. Quanquam & horum tamen locorum sententia ferè etiam exposita reperitur in alijs quibusdam Scripturæ locis, qui sunt per se quidem clari, hoc est, plano, ac proprio sermone scripti. Quòd rectè notauit D. Augustinus cùm dixit: [Nihil ferè de illis obscuritatibus figurati sermonis erui, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.] Ibi enim ipse

ipse Augustinus explicat id dici [planissimis verbis, quod sine similitudinis adminiculo dicitur.] Altero modo dici posset locus aliquis Scripturæ clarus, non modò si per se ipse consideretur, sed etiam si consideretur cum relatione ad locos alios, cum quibus & benè, & malè conferri possit. Atque hoc quidem modo quàm paucissimi, imò vix aliqui loci, etiam ex ijs, qui & planè scripti sunt, & articulos simpliciter necessarios continent, clari & perspicui censeri possunt: quin propemodum omnes illi, ob humani quidem ingenij vel imbecillitatem, vel peruersitatem, vt suprà exposuimus, sunt obscuri. Etenim, si ad verba ipsa rationemque dicendi spectemus, quis planior, & clarior videri possit locus, quàm ille: [Hoc est corpus meum?] Aut quàm ille de diuinitate Christi: [Hic est verus Deus.] Et tamen collatio cum locis alijs, quàm plurimas de genuina eius etiam generis locorum sententia parit controuersias. Quæ controuersiæ tam variæ, ac multiplices an non euidenti argumento sunt, esse etiam eiusmodi Scripturæ locos, si cum relatione ad alios considerentur, difficiles ipsis quidem hominibus ad intelligendum, atque obscuros? Hæc igitur obscuritas Scripturæ, quæ ex relatione potissimùm, atque collatione locorum existit, ob quam etiam locis per se quidem planissimis, & clarissimis, hæretici facillimè abutuntur, vt posteà quoque docebimus ex Augustino, fundamentum est nostræ probationis firmissimum.

Sed enim hoc loco, cùm à Scripturæ difficultatibus probamus, non esse eam sufficientem omnium quæstionum fidei iudicem, admodum impudenter Sectarij nobis obijciunt, similiter nos facere, atque hæreticos illos, quos D. Irenæus his verbis redarguit: [Cùm ex Scripturis, inquit, redarguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas ab ijs qui nesciant traditionem.] Considerandum autem est, qua ratione D. Irenæus aduersus eiusmodi hæreticos pugnandum esse, tum putabat, & quomodo etiam illi in accusationem conuertebãtur Scripturam: quod in ipsis iure, ac meritò Diuus Irenæus accusauit. Nempè Irenæus Scripturę testimonijs hæreticos illos, Gnosticos, reuincendos arbitrabatur, non vt quisque Scripturam, per ipsam Scripturam solam, intelligendam autumat, sed vt ab Ecclesia inprimis intelligitur, ex viua etiam Apostolorum traditione, quæ fideliter custodiatur ab Apostolorum legitimis successoribus: quemadmodum statim ex ipsomet Irenæo audiemus. Contrà verò hæretici illi aduersus Scripturæ sententiam ex Apostolica traditione ab Ecclesia ipsa certissimè propositam, commentitijs suis tantummodo traditionibus, nulla Ecclesiarum auctoritate commendatis, nitebantur. Atque hîc contendebant; immeritò, ac perperam ipsis Scripturas illas obijci: non enim eas habere alioqui certam auctoritatem, & variè esse dictas, neque posse ex illis elici veritatem sine adminiculo suarum illarum commentitiarum traditionum.

Hanc impudentiam quin rectè Diuus Irenæus taxauerit, dubium esse non debet. Etenim posteaquam Ecclesia sententiam aliquam ex Scriptura colligit, Scripturamque proinde, vt est à se secundum Apostolicam traditionem intellecta, contrarij erroribus opponit; summa improbitas est, aliquid pręterea in eiusmodi Scripturæ, vel auctoritate, vel interpretatione, quocumque id fiat siue difficultatis, siue obscuritatis prætextu, desiderare. Quæ enim Scriptura per auctoritatem Ecclesiæ commendatur explicaturque, eam iam hoc ipso, & maximè est authentica, & splendidissimè clarissimèque lucet, tanquam lucerna videlicet, vt suprà exponebamus, posita super candelabrum. Num verò cum ea, quam Irenæus hîc incusat, hæreticorum veterum in Scripturis ipsis, accusandis petulantia, quidquam est commune Catholicis propterea quòd sentiunt, Scripturam, si per se & ex se quidem sola, semoto Ecclesiæ lumine, quo ipsa illustratur, consideretur, difficilem ad intelligendum eatenusque obscuram esse? Nonne eiusmodi alioqui intelligendæ Scripturæ difficultas in causa est, quamobrem hæreticis omnibus procliue sit, suis etiam figmentis, vt ostendit luculenter idem Irenæus, Scripturas accomodare, illaque etiam palliare ipso sacrosancto Euanhelij nomine? Quid quod ipsi potiùs Sectarij eodem planè modo in accusationem hodie conuertuntur Scripturarum, quem in Gnosticis illis hæreticis Irenæus hîc notauit? Etenim quas Scripturas manifestas eorum erroribus opponit Ecclesias, eas dicunt, vel non esse ex auctoritate, vt quæ afferuntur ex lib. Machab. & ex epistola Iudæ, &c. vel non rectè ita habere sicut ab Ecclesia explicantur, nec posse ex his inueniri veritatem ab ijs, qui nesciant Lutheranam traditionem. Quanta igitur Sectariorum impudentia hæc est, cum nobis Irenæi locum obijcere, in quo nihil minùs quàm nostra de Scripturę difficultatibus sententia, sed ipsorum potiùs Sectariorum in sanctas Scripturas crimen iustissimè vituperatur?

Sed ne hanc à nobis Diui Irenæi sententiæ explicationem pro arbitrio nostro, non ex ipsius mente Irenæi, proponi, Sectarij suo more cauillari possint, age, quæ illi hęreticorum accusationi eodem in loco Diuus Irenæus opponit, audiamus: [Cùm autem, inquit, ad eam iterum (id est, præter Scripturam) traditionem, quæ est ab Apostolis, quę per successiones presbyterorum in Ecclesijs custoditur, prouocamus eos, aduersantur traditioni, dicentes, se non solùm presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores inuenisse veritatem; sed indubitatè, & incontaminatè, & sincerè (dicas, Lutheranum aliquem, vel Caluinistam, loqui) absconditum scire mysterium. Euenit itaque, neque Scripturis iam, neque traditioni consentire eos.] Vides, Scripturas, & traditionem in Ecclesijs præter Scripturas, per successionem presbyterorum custoditam? Vides, quemadmodum Irenæus ad Scripturam, in disputatione contra hæreticos, traditionem quoque adhibendam, & ex ea Scripturam interpretandam, atque ita demum aduersus hæreticos Scripturam vrgendam, existimauerit? Vides denique Irenæum non nisi illos hære-

hæreticos accusare, qui Scripturam, postea quàm est ab Ecclesia, hoc est, ab eo fidelium cœtu qui solus pro Ecclesia Christi in orbe sit agnitus, explicata, tanquam dubiam, atque incertam incusant? Sed quia de probatione prima, ab obscuritate Scripturæ sumpta, satis, vt arbitror, ad errorem Aduersariorum redarguendum, qui Scripturam solam de fide iudicare volunt, dictum est, alia etiam argumenta subiungemus, quibus item assertio nostra confirmetur.

Probatio Secunda.

Sit igitur hæc secunda probatio. Si maximè Scripturæ sententia vbique esset clara: tamen quædam de fide quæstiones, & fuerunt aliquando, & esse possunt, quæ sola Scriptura definiri nullo modo valent. Non est igitur Scriptura sola, illa auctoritas, quam inquirimus, dijudicandi quæstiones fidei omnes. Id probatur, quoniam fieri potest, vt in dubium vertatur auctoritas ipsa tota, & doctrina alicuius, vel aliquorum librorum sacræ Scripturæ; an scilicet in vniuersum à Deo reuelata sit. Hæc autem controuersia ex Scriptura, aut rarò, aut nunquam dirimi poterit. Itaque alia regula opus erit, quæ non modò iudicet de sensu Scripturæ, sed omnino de Scripturæ auctoritate: num sit diuina, quæ proinde contineat sententiam fidei. Scribit Eusebius, Simonidem fuisse quendam hæreticum, qui libros nescio quos Prophetarum, præter eos, qui in sacro volumine sunt, comminisceretur. Eorum vnum Barchabam: alterum Barcham nominauisse. Hanc opinionem quomodo Scripturæ tantùm testimonio refelleres? Item sanctus Augustinus auctor est, nonnullos omnia reiecisse Euangelica. Neque defuerunt, teste etiam Eusebio, quibus omnes epistolæ Diui Pauli in vniuersum improbarentur. De multis quoque alijs libris sæpè fuit in Ecclesia disputatum, an Canonici essent, cùm vel tales aliqui falsò à quibusdam esse negarentur, vel importunè alij, ementito nomine Apostolorum, fidelibus obtruderentur. Quæ controuersiæ omnes non potuerunt Scripturæ soliùs auctoritate definiri in Ecclesia.

Itaque non modò falsa, sed admodum etiam frigida atque inepta Caluini sententia est, cum scribit, haud difficiliùs Scripturam Canonicam à non Canonica per se ipsam dignosci, discernique posse, atque album à nigro, frigidum à calido, dulce ab amaro. Hoc si ita est, quomodo magis controuerti posset, an hic liber, aut ille sit Scriptura Canonica, quàm vtrum ignis sit calidus, & aqua frigida; aut amarum fel, & mel dulce? Num verò ipsa de se tota nominatim, Scriptura loquitur? aut vllus in ea locus est, vbi Caluinus, aut alius quispiam ex Sectarijs legerit, singulos illos, atque omnes libros nominatim, qui sine controuersia sacri, atque Canonici sunt, esse à Spiritu sancto dictatos? Cur igitur doctrinam illam in eis libris contentam, diuinam esse credunt, si nihil arbitrantur certa fide credi oportere, quod ex ipsa Scriptura non didicerint?

Quod si aliam præter Scripturam necesse est esse infallibilem fidei regulam, quæ doceat id quod in fide est maximum, nempè Scripturę ipsam doctrinam esse in vniuersum diuinam: profectò est insania non credere, illam ipsam regulam infallibiliter item docere, quæ sit sententia eiusmodi diuinæ doctrinæ. Simile namque illud est, quod præclarè inprimisque sapienter scriptum est à Diuo Augustino; [Cur, inquit, non apud eos potissimùm (loquitur de Ecclesia Catholica) diligentissimè requiram quid Christus præceperit, quorum auctoritate commotus, Christum aliquid præcepisse iam credidi? Tu ne mihi melius expositurus es, quid ille dixerit, quem fuisse aut esse non putarem, si abs te mihi hoc commendaretur esse credendum? Quæ igitur, inquit, ista tanta dementia est? Illis crede Christo esse credendum: & à nobis disce quid dixerit? Multò facilius mihi persuaderem Christo non esse credendum, quàm de illo quidquam nisi ab ijs, per quos ei credidissem, discendum. Hæc ibi diuinè prorsus Augustinus.

Quæ nos similiter Lutheranis, & Caluinianis hominibus, vt ille tunc Manichæis, pro Ecclesię Catholicæ auctoritate, quam esse fidei magistram post ostendemus, dicere possumus. Agite enim vos, seu Lutherani, seu Caluiniani Sectarij: Cur non apud Ecclesiam Catholicam potissimùm requiremus, quid Deus omninò in libris sacris docuerit, cuius auctoritate commoti credidimus, Deum aliquid omnino docuisse in ijs libris? Vos ne melius quàm Ecclesia Catholica, exponetis nobis, quid in Scripturis Deus dixerit, quem nec dixisse omnino in Scripturis aliquid, nisi hoc Ecclesia docuisset, crederemus? Et quæ isthęc insania est: Ecclesiæ credere, Deo in Scripturis loquenti esse credendum, & à nobis potiùs, qui Scripturam rectiùs, quàm Ecclesia intelligimus, quid in eis Deus dixerit, disce. Ego verò, vt ex Augustini mente, atque sensu loquar, vehementer admiror, cur non multò faciliùs sibi persuadeant, qui Caluino, aut Luthero credunt, Scripturæ diuinæ nihil omnino esse credendum, quàm ex ea quidquam, nisi ab Ecclesia per quam ei crediderunt, esse discendum. Quanquam hic tandem multorum exitus miserrimus est, vt nec Scripturæ ipsi credant, postquam Ecclesiæ, quam Scriptura commendat, & à qua ipsos etiam Scripturam discere, atque accipere oportuit, non credunt.

Sed Ecclesiæ in fide docenda auctoritatem postea in proprio loco asserimus. Nunc quia Scriptura sola de præcipuis fidei quæstionibus, & inprimis ad salutem necessarijs, quæ scilicet de auctoritate sunt ipsius Scripturæ, nihil, ne obscurè quidem, definit: rectè concludimus, non ipsam esse iudicem sufficientem, ac regulam illam generalem in omnibus controuersijs fidei, quam inquirimus. Huc accedit, quòd ne de alijs quidem multis fidei dogmatibus peculiaribus, quæ certissimè credi debent, Scriptura ipsa docet. Quod non meis, sed Augustini verbis breuiter indicabo, vt minùs possint repugnare Aduersarij; [Credo, inquit, consuetudinem non rebaptizādi hæreticos ex Apostolica auctoritate venire: sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Concilijs posterorum: & tamen quia custodiuntur

tur

tur per vniuersam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur. Sic ille. Item alibi: Patrem, inquit, in sacris libris nusquam ingenitum legimus, & tamen dicendum esse defenditur. Item: Da, inquit, testimonia, vbi adoratur Spiritus sanctus. quasi non ex ijs, quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus intelligamus. Sed ne quærere multa compellar: tu vbi legisti, Patrem Deum ingenitum vel innatum? & tamen verum est. Item: Multa sunt, quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc Apostolis præcepta benè creduntur, quanquam scripta non reperiantur.] Hæc ille. Atque vt alia exempla prætercam. Nullus Christianus est, qui perpetuam beatissimæ Dei matris virginitatem contra blasphemiam Heluidij, vt in libro de Ecclesiasticis dogmatibus appellatur, non putet sibi esse credendam. E tamen ex Scriptura certè non hoc dogma satis probabitur.

Quæ cùm ita sint, necesse est vt aliter, atque intelligunt Aduersarij, interpretemur locum illum D. Pauli: [Omnis Scriptura diuinitùs inspirata vtilis est ad docendū, &c. vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.] Sententiam enim huius loci esse volunt, Scripturam ipsam solam sine adminiculo alterius regulæ omnia docere, quæ ad rectam fidem, atque ad absolutam Christiani hominis perfectionem sint necessaria. Quà in re magnoperè, vt in alijs omnibus decipiuntur. Nam ibi Apostolus, non Scripturam solam sufficientem esse, vt perfectus sit homo Dei, dicit, sed simpliciter ad eam rem affirmat Scripturam quidem valere. Hoc autem duobus modis intelligi potest. Primò, quasi ipsa Scriptura immediatè omnia tradat. Hoc minimè vult Apostolus. Secundò, quoniam Scriptura, quæ sunt credenda, & facienda, aut ipsa tradit, aut certè auctoritatem, à qua illa peti debent, nobis monstrat, commendatque. Hoc modo Apostolus vult, & Orthodoxi etiam sentiunt Scripturam continere, quæ ad salutem sunt necessaria. Ita fit, vt præter Scripturam suus etiam maneat alicui alteri auctoritati in controuersijs fidei locus. Quod profectò Diuus Augustinus intellexit, cùm ita scripsit: [Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm id facimus, quòd vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas: Vt quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.]

Simili modo Patres, cùm vni Scripturæ omnia tribuere videntur, intelligi debent. Non enim eorum mens est à Scripturę auctoritate, vbi de fide iudicandum est, auctoritatem Ecclesiæ, quæ item ipsa diuina est, diuellere. Sed quemadmodum, quando vni personæ diuinæ aliqua perfectio diuinitatis absoluta tribuitur, intelligunt Theologi, ab eius perfectionis communione creaturas tantùm excludi, non autem personas alias diuinas, quæ sunt eiusdem naturæ: ita sancti Patres, sicubi Scripturę auctoritatem solam ad fidei quæstiones finiendas valere significant; Ecclesiæ certè auctoritatem, quam item pro diuina habent, minimè excludunt, sed alia tantùm siue testimonia, siue argumenta, quę sint tantùm humana. Nam si non ita intelligerent: profectò nunquam illi in controuersijs fidei ipsa per se auctoritate Ecclesiasticæ traditionis ad probandum vterentur. At, & vtuntur ea ipsi frequentissimè, vt infrà quoque suo loco videbimus, & vtendum esse docent. Quo in genere præter Augustini testimonia, quæ paulò antè allegauimus, illustris etiam illa D. Basilij oratio est: [Plurima, inquit, mystica citra Scripturarum inter nos versantur. Et Apostolicum arbitror esse, etiam in non scriptis traditionibus perseuerare. Laudo enim, inquit Apostolus, vos; quòd omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones continetis, &c.] Ita Magnus basilius.

Probatio tertia.

Tertia probatio. Regula quæ ad iudicandas omnes fidei quæstiones diuinitus est instituta, proculdubio accommodatissima est ad cognoscendos, & cauendos errores omnes fidei contrarios. Nam ad eam rem talis aliqua regula diuinitus est proposita: vt homines ad illam iudicium suum conforment, atque ita repudiatis erroribus rectam fidem complecti, tenereque possint. Neque putandum est, aut voluntatem, aut sapientiam, aut facultatem Deo defuisse, quo minus nobis ad eum finem optimam, atque accommodatissimam regulam diuina sua prouidentia pararet. At Scriptura sacra sic omnino composita est, vt experientia etiam doceat, eam per se solam non tam regulam accommodatam esse ad declinandos omnes errores, quàm arcano Dei iudicio esse velut lapidem offensionis, & in tentationem (vt Sapiens de Dei creaturis inquit) pedibus insipientium, vt qui velint ea sola niti, facillimè impingant, & errent. Vnde enim vlli errores existunt, nisi de Scripturis malè intellectis? Aut qui fieri potest, vt quæ doctrina tam facilè ab hominibus adulteratur, vt in patrocinium omnium errorum aduocetur, eadem sit accommodatissima apppositissimaque regula ad reijciendum omnes omnino errores? Non magis hoc certè stare potest, quàm si quis diceret, illud esse accommodatissimum remedium ad rectè videndum, ex quo accideret omnes cæcutire quicumque fierent cæci.

Quod enim dicunt Sectarij, id hominum culpa, ac peruersitate, non Scripturæ vitio, accidere: nos etiam fatemur. Sed considerandum est, hoc ipsum quidem præuidisse Deum: nempe vitio hominum fuisse futurum, vt quicumque forent hæretici, ij omnes Scripturæ prętextu facilè vterentur ad confirmandum errorem. Ita cùm non sit vllum dubium, quin Deus in negotio fidei de optima, & accommodatissima ad hominum naturam regula prospectum esse voluerit: profectò est dementia arbitrari, non aliam esse eiusmodi fidei regulam, nisi Scripturam. [Omnes enim hæretici, inquit D. Augustinus, qui Scripturas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cùm suos potiùs sectentur errores.] Et alio in loco: [Neque enim, inquit, natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, nisi dum

Scripturæ bonæ intelliguntur non benè: & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè, & audacter asseritur.] Hæc ille. Et obseruatione dignum est, quod idem Augustinus alibi verissimè scribit, non modò locos Scripturæ obscuros, sed etiam eos, qui sunt aperti, & clari corrumpi ab hæreticis. [Non est mirum, inquit, si Pelagiani dicta nostra in sensus, quos volunt, detorquere conantur, quandoquidem de Scripturis sanctis, non vbi obscure aliquid dictum est, sed vbi clara, & aperta sunt testimonia, id facere consueuerunt, more quidem Hæreticorum etiam cæterorum.] Quam ob rem, & Tertullianus in præscriptionibus aduersùs hæreticos ita scriptum reliquit: [Non ergo, inquit, ad Scripturas prouocandum est; nec in his constituendum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa.]

Neque Augustini modò, & Tertulliani, aliorumque Patrum ea de hæreticis sententia est, sed Christus etiam facillimè ab illis doctrinam corrumpi subindicauit, cùm admonuit, vt ab ijs tanquam à falsis Prophetis, caueremus. Nam ideò falsi Prophetæ à Christo sunt dicti, quia cùm Prophetæ, id est, interpretes diuinæ sententiæ, propter externam diuinæ doctrinæ quasi speciem, verisimiliter videantur: minimè tamen Prophetę sunt. Videntur Prophetæ, quoniam Scripturæ verba proferunt, quæ diuinæ doctrinæ sunt character, & quasi externa species. Sed Prophetæ non sunt: quoniam sub ea verborum diuinorum externa specie non ostendunt nobis genuinam Spiritus sancti sententiam, sed adulterinas suas peruersasque opiniones sacrilegè in verbis sacris à se collocatas tamquam abominationem (vt eleganter Origenes notauit) stantem in loco sancto. Quod ipsum appellatione quoque luporum rapacium, qui vestimentis induti sint ouium, Christus nobis declarauit. [Nam quænam istæ sunt pelles ouium, inquit Tertullianus, nisi nominis Christiani, & Scripturæ, extrinsecus superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus, & spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes? Qui pseudoprophetæ, nisi falsi prædicatores, &c.] Quem Tertulliani locum pulchrè quoque Vincentius Lyrinensis imitatus, & prosequutus est. Atque etiam huc pertinet, quod elegantissimè hic ipse Lyrinensis dicit, vbique hæreticos Scripturæ verbis opiniones suas tanquam quodam aromate aspergere, ne fœtorem exhalent. Quæ quidem ideò recitaui, vt quoniam vniuersi hæretici facillimè Scripturas omnes in suam perditionem, sicut D. Petrus inquit, deprauant: intelligamus certè, non in Scripturis solis vniuersalem illam, & ad hominum salutem accommodatissimam totius fidei regulam, quam inquirimus, diuinitus constitutam esse.

Probatio quarta.

QVartò. Quomodo posset stare ea Respublica, in qua scriptis tantùm legibus ita causas politicas dijudicari oporteret, vt priuato cuilibet, atque adeò ipsi etiam reo esset integrum ad scripturarum legum normam iudicia quæcumque exigere, nec prius acquiescere, quàm ipse persuaderet sibi cum legum sententia congruere controuersiæ definitionem? An esset vnquam in illa Republica controuersiarum exitus aliquis futurus? Quilibet certè in suo sensu abundaret, & vim faceret legibus, vt eas ad suam mentem, & causam quoquo modo inflecteret. Itaque, vt ea perturbatio, & confusio tolleretur, omnes intelligunt necesse fuisse Magistratus tanquam iustitiæ normam animatam, vt Aristoteles inquit, in populis exstare, atque etiam aliquam auctoritatem parem ipsis legibus, cuius sit summa potestas iudicandi, finemque omnino imponendi litibus. Num verò censebimus, rationem iudicandi fidei causas minus aptè in Ecclesia diuinitus esse constitutam, quàm sit ratio in Rebus publicis dirimendi controuersias politicas? Non est id quidem vllo modo credibile. Nam dilexit Christus Ecclesiam, nec facultas, aut sapientia illi defuit, quo minus optima ratione eius statum constitueret. Quam ob rem, vt finis facilè esse posset controuersiarum de doctrina fidei; præter auctoritatem, quæ est in Scripturis Canonicis infallibilis, aliam aliquam procul dubio infallibilem item auctoritatem, eamque animatam in Ecclesia Deus esse voluit, cui debeant omnes in iudicio fidei parere, licet ipsi non penitus etiam videant quemadmodum ea auctoritas conuenienter Scripturæ iudicet.

Probatio quinta.

QVintò. Cùm tam seriò, ac grauiter admonuit beatus Petrus, vt hoc inprimis sciremus, quod omnis, inquit, Prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit: obsecro, quid significare voluit? An tantum vt non putet aliquis esse sibi vnum, aut alterum Scripturæ locum ingenio proprio, non consultis, & collatis alijs Scripturæ locis intelligendum? At hoc quis omnino hæreticorum putat? Quid opus erat hoc tam seriò admonere? Item, si vnum aut alterum locum Scripturæ, ingenio, sensuque proprio interpretari non licet: quantò minus licebit, interpretari proprio sensu, atque auctoritate locos Scripturæ plures, inter quos collatio instituitur? Quid ergo illud est, quod Diuus Petrus vult? Videamus quomodo loquitur. [Omnis, inquit, prophetia Scripturæ, &c.] Non dicit, Hæc, aut illa tantùm: sed absolutè, ac sine vlla exceptione, [omnis prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit.] Hæc igitur vis atque sententia huius Apostolicæ monitionis est: Neminem priuato suo labore, atque proprio studio, quacumque demùm ratione, atque adeò etiam ne ex ipsa quidem Scriptura doctrinam Scripturæ certò, ac infallibiliter in controuersis quæstionibus intelligere posse: sed opus esse, vt discat ex aliqua alia auctoritate in Ecclesia communi, per quam Spiritus sanctus communiter loquatur, ac omnes doceat. Nam, vt ipse Apostolus ibidem subiungit, quemadmodum [non auctoritate humana, sed diuina loquuti in Scripturis sunt sancti Dei homines:] ita etiam non humana, ac propria industria huius, vel illius hominis, vllo modo, ne ex ipsa quidem Scriptura, sententia

Scri-

Scripturæ certò cognoscenda est, sed ex aliqua auctoritate, item diuina, per quam ipse Spiritus sanctus, qui Scripturæ auctor est, fit etiam certissimus Scripturę interpres. Ita fit, vt sola Scriptura non sufficiat nobis ad certò dijudicandas fidei quæstiones.

Atque etiam hinc intelligitur, quemadmodum ex mente, atque sententia planè ipsius D. Petri, suprà exposuerimus, quod ille hoc in loco dixerat, Scripturam [quasi lucernam quamdam esse, cui lucenti in caliginoso loco benè faceremus attendentes.] Docuimus enim, Scripturam quidem lucernam per se esse: sed eam tamen non modio proprij iudicij comprehensam, sed in auctoritate Ecclesiæ tanquam in candelabro constitutam, illuminare nos posse. Quod, vt D. Petrus doceret; statim, ac dixerat Scripturam esse lucernam, subiunxit admonitionem, ne quis hoc ita intelligeret, quasi illuminaret ea etiam secundum propriam alicuius interpretationem, valeretque proinde ipsa sola ad terminandas fidei quæstiones sine communi, & certa alia regula.

Probatio Sexta.

SExtò. Potest huc etiam illa forma argumentandi rectissimè accommodari, qua suprà sumus vsi, vt probaremus, Deum per se solum sine vllo alio medio non docere. Nam ab ijs etiam, qui asserunt, per Scripturam solam Deum omnes, ac singulos de rebus fidei sufficienter docere: quærendum est, vtro modo id Deus faciat? Nunquid ita omnes, ac singulos Deus per solam Scripturam docet, vt nequeant omnino ipsi falli dum iudicant se aliquid in fidei quæstionibus didicisse ex Scriptura diuinitùs? An verò ita, vt permittat eos in eiusmodi iudicio quandoque falli? Primum dici non potest. Nam, vt suprà quoque ex Apostoli sententia dicebamus, oportet hæreses esse, & fuerunt ferè omni sæculo, ac sunt iam, ob Scripturam falsò intellectam, plures etiam, quàm oporteret. Quod si Deus illo altero modo per Scripturam solam docet; permittendo videlicet, vt homines falsò putent, se ex Scriptura didicisse id, quod Scripturæ est contrarium: non magis isto modo consuluisset saluti hominum, quàm si ipse solus per se sine omni medio doceret. Nam cùm Scriptura nec linguam, vt sese ipsa sonora voce declaret, habeat, & præterea difficilis, vt euidenter suprà ostendimus, atque obscura nobis sit: æquè ferè facilè decipi possumus in existimando nos aliquid ex Scriptura didicisse, atque in iudicando nos didicisse sine vllo medio ex ipsomet Deo: vt plus etiam satis hæreticorum omnium exemplo, tam facilè ad errores suos Scriptura abutentium, comprobatur. Quemadmodum igitur propter eiusmodi facilitatem errandi non esset satis hominibus prospectum, si absque medio Deus doceret: ita neque si doceret per solam Scripturam absque alia quadam auctoritate administra, quæ viuat, & loqui clarè ipsa possit, ne quis in eius sententia percipienda facilè decipiatur.

Probatio Septima.

SEptimò. Si ex Scripturis solis discenda esset fides; non oporteret ex diuino mandato, Ecclesiæ in credendo obedire; illius iudicio prorsus acquiescendo, eique submittendo iudicium proprium. Liceret enim semper illi refragari prætextu Scripturæ, si præter Scripturam nulla in ea auctoritas sit, quæ certò, & infallibiliter doceat de fide. At veram, & Christianam fidem cum quadam obedientia mentis (nempe erga Ecclesiam per cuius os Deus loquitur, & auditur) coniunctam esse necesse est, vt suprà par. 3. certissimè demonstrauimus. Non est igitur fides ex Scriptura sola, tanquam ex iudice controuersiarum omnium, discenda.

Atque ijsdem fermè argumentis efficitur, neque solam traditionem viuæ vocis eorum, qui olim vita defuncti sunt, esse regulam sufficientem fidei, quæ valeat per se sine alia aliqua infallibili, ac præsente auctoritate omnes omninò definire fidei quæstiones. Nam primùm, sicut de auctoritate ipsius Scripturæ necesse est per aliquam aliam certam regulam constare, ita etiam de auctoritate traditionis, si ea quoque reuocetur in dubium. Non enim traditio loquitur etiam ipsa clarè, & perspicuè de sese: vt neque ipsa Scriptura. Deinde cùm traditio scriptis ferè doctorum Orthodoxorum in Ecclesia conseruetur: quæstiones, ac dubia moueri possunt de sensu illius, sicut dubitatur sæpè de sensu, ac mente Doctorum. Eiusmodi autem quæstiones, cùm erunt ortæ post traditionem; quæ semel tantùm, vt ita dicam, loquuta est, neque præterea amplius loquitur; certè per eandem ipsam traditionem definiri satis non poterunt. Postremò multæ in Ecclesia varijs temporibus definitæ, ac declaratæ sunt sententiæ fidei, & deinceps similiter, motis controuersijs, definiri possent, de quibus antè non fuerit, vsque adeò expressa traditio.

Quod si igitur aliquam humanam auctoritatem diuina assistentia infallibilem, magistram, ac iudicem, in omnibus quæstionibus fidei, extare necesse est, vt superiùs probauimus: neque verò ea est illorum hominum propria, qui olim diuinam doctrinam aut verbo, aut scripto tradiderunt, & vita defuncti sunt, vt iam etiam probatum est; restat, vt viuat hæc auctoritas successione semper inter fideles præsens, quemadmodum in assertione nostra posuimus. Atque hoc in loco velim, vt ij, qui sectis hodie addicti sunt, incipiant secum perpendere, quantoperè à recta fide aberrent: si quidem eam discere nolunt ex aliqua auctoritate præsente: cuius tamen solius, vt probatum est, absoluta & plena potestas est de omnibus fidei quæstionibus iudicandi. Sed progrediamur ad reliqua.



PARS SEXTA.

Cum auctoritas illa, Magistra fidei, apud ipsos Christi fideles perpetuò vigeat; non alibi, vel quæri debet, vel inueniri potest, nisi apud veram Christi Ecclesiam, hoc est, apud congregationem verè fidelium. Ea verò congregatio non alia est, quàm cœtus eorum, qui Romano Pontifici pro tempore existenti parent.



Vod illa auctoritas, cuius est omne fidei iudicium, in Ecclesia vera Christi fidelium quærenda sit, nec alibi inueniri possit: id verò probatione noua nihil indiget. Nam si tota eiusmodi auctoritas ad vsum, & salutem Christifidelium est diuinitus instituta, viuitque, vt probatum est semper, ac præstò in omnibus fidei quæstionibus adest: frustra nisi inter fideles ipsos, atque adeò in Ecclesia quæreretur. Sed
1 vt illam demum auctoritatem in Ecclesia Christi vera inueniamus, necesse est primùm inueniri, ac ostendi eam ipsam veram Ecclesiam Christifidelium. Hanc asserimus esse congregationem, seù cœtum eorum hominum, qui Romano Pontifici pro tempore existenti parent, idest, Romanam Ecclesiam. Hoc nunc probandum est. Quam ad rem necessariò dicendum primo loco erit, & de ratione ipsa in genere veræ Christi Ecclesiæ, & de proprietatibus eius, quæ partim ipsi in Scriptura sacra, partim in fidei symbolis tribuuntur. Nam congregationem illam, quæ Romano paret Pontifici, atque adeò hanc ipsam, quæ nunc paret Gregorio XIII. Pontifici Maximo, esse veram Ecclesiam Christi; tum demum probabimus, si ostènderimus ei congregationi conuenire prorsus, & rationem, & proprietates veræ Christi Ecclesiæ. Dicam igitur primùm de his duabus rebus, hoc est, de ratione, & proprietatibus veræ Ecclesiæ, & breuiter, & meo modo, quæ ad rem pertinebunt. Et quia controuersia est inter nos, & Sectarios, non modò, quæ sit vera Ecclesia, sed etiam ex quibus notis, ac proprietatibus Ecclesia vera probari debeat: istud quoque deindè constituemus. Ita enim aperta demum, atque expedita via erit, vt probemus id, quod nunc agimus, Ecclesiam Romanam, idest, congregationem, quæ Romanum Pontificem pro Pastore habet, esse veram Ecclesiam. Si quis verò, de ipsa quidem ratione, ac forma Ecclesiæ in communi, plura fortasse, quàm ego dicenda putem, desiderabit, quamquam rem ipsam complectemur, ea petet ab alijs, qui antè de Ecclesia scripserunt. Nam tractarunt id argumentum latissimè Thomas Waldensis lib. 2. doctrinalis fidei antiq. cap. 9. & deinceps. Ioannes Turrecremata in summa de Ecclesia. Ioannes Driedo lib. 4. de varijs dogmat. c. 2. Albertus Pigius lib. 6. de Ecclesiastica hierarchia. Melchior Canus toto lib. 4. de locis Theologicis. Hosius Cardinalis in Confessione Polonica, super Articulum de Ecclesia. Alfonsus à Castro in suo opere aduersùs hæreses, verbo, Ecclesia. Franciscus à Victoria in relectione de potestate Ecclesiastica. Franciscus Turrianus, & alij quàm plurimi. Nos sanè eò potissimùm tractationem hanc totam dirigemus, vt manifestissimè constet, illam congregationem determinatè, quæ Romano Pontifice, pro tempore existenti paret, esse veram Ecclesiam.

Quæ sit Ecclesiæ ratio.

Ergo, vt remota vocabuli ambiguitate, rem illico aggrediamur, Ecclesia Græcè, Latinè est conuocatio, sicut omnes notant. Indè traductum est hoc nomen 1. ad significandum locum ipsum, in quem conueniunt plures, qui sunt conuocati. Sic in libro Iudith ea vox accipitur, vbi scriptum est: [Totam noctem intra Ecclesiam orauerunt.] Hęc vocabuli vsurpatio ad præsens institutum non attinet 2. Accommodatum est id nomen ad significandum cœtum ipsum, siuè conuentum hominum conuocatorum. Quæ acceptio pertinet ad propositum. Sed animaduertendum est, nomen hoc in ea significatione, vtramque in partem, nempè in bonam, & ma-

malam à Scriptura sacra vsurpari. In malam, vt cùm in Psalmo dicitur: [Odiui Ecclesiam malignantium.] In bonam autem, vt ibi legimus: [Laus eius in Ecclesia Sanctorum.] Iam verò Ecclesiastici Doctores in bonam tantùm partem ea voce vtuntur: vt Ecclesia dicatur cœtus eorum, qui diuinitus ad virtutis aliquam, sanctęque religionis societatem conuocantur. Et quemadmodum varijs modis cœtus aliquis virtute, ac religione copulari potest: ita Ecclesiæ nomen in ea ipsa significatione latè porrò patet. Quæ sanè est causa, quamobrem, vbi de Ecclesiæ ratione agitur, non expediat vnam tantùm aliquam Ecclesiæ descriptionem ponere, sed satius sit plures magis, & minus latè patentes, quæ totum Ecclesiæ ambitum, illiusque varias acceptiones exponant, distinguere. Ita enim, semotis verbi controuersijs, commodius, quod ad rem ipsam attinet, intelligi poterit primò, quid Ecclesiæ conueniat iuxta vnamquamque acceptionem nominis, in illa vltima significatione, quæ est in vsu Ecclesiastico, secundò, qui nam errores circa variam Ecclesiæ rationem, seù varias eius partes vitari debeant, tertiò, quæ sit Ecclesiæ acceptio, & descriptio apud Doctores vsitatior, quæ præcipuas huius loci difficultates contineat.

Secundùm postremam igitur nominis acceptionem in bonam partem, quam apud Ecclesiasticos Doctores diximus esse vsitatam, potest primò Ecclesia describi latiùs, vt sit eorum multitudo, quos beneficio vocationis diuinæ verus Dei cultus, & vera Dei cognitio indita diuinitus coniungit: siuè ea quidem cognitio sit obscura, qualis est cognitio fidei, siuè clara, & aperta, cuiusmodi est beatorum. Isto modo latissimè Ecclesia patet. Atque ita de illa loquuntur doctores, quando tripartito eam diuidunt: nempè in militantem hac in vita cum eius hostibus, mundo, dęmone, & carne; & peccata expiantem in purgatorio; atque triumphantem in patria cęlesti. Hoc tam amplo modo definita Ecclesia, in ipsa conditione Angelorum suum habuit initium. Nam sunt illi creati cum vera cognitione Dei: imò etiam in gratia, vt verissime sentiunt grauiores Theologi. Quocirca ad Ecclesiam communi isto modo acceptam pertinent: vt D. Bernardus, & D. Thomas notauerunt.

Secundò. Alio modo definitur angustius Ecclesia, vt sit hominum multitudo, quos verus Dei cultus, veraque cognitio, sed obscura, nimirum fidei, hac in vita coniungit. Sic Doctores accipiunt, cùm asseuerant, vnam atque eandem esse veteris, & noui Testamenti Ecclesiam, ob eandem videlicet fidem in eundem Christum Mediatorem: quæ Patribus illis, nobiscum fuit communis. Atq; ideò Apostolus lapidem angularem Christum esse dixit, quo sit vtraque Ecclesia connexa. De initio Ecclesiæ sic acceptæ, non eodem modo loquuntur recentes scriptores. Aliqui asseuerant, illam ab Adam ducere suam originem, quod sentiunt Ioannes Driedo, & Hosius in Confessione Polonica. Sed Ioannes Turrecremata in sua summa de Ecclesia affirmat communionem esse sententiam, quod Abel dederit huic Ecclesiæ initium. Id quod D. Augustinus sensit. Quæstio autem hæc non tam est de re, quàm de nomine. Nam si Ecclesia illo modo dicatur hominum multitudo, quam coniungit fides, & cultus Dei absolutè; etiam si nullis externis cærimonijs, ac singulis cultus eiusmodi declaretur: certum est, ab Adamo eam incepisse. Sin verò in ea Ecclesiæ descriptione fides, & cultus intelligantur cum cærimonia externa; non constat certè Ecclesiam ita incepisse ab Adamo: quoniam non constat Adamum cęrimoniam aliquam cultus externam vsurpasse ante Abel: quamquam id fortè non improbabiliter suspicari liceat. Ita cùm Abel sit primus, de quo certò quidem constet externam cultus cærimoniam rectè adhibuisse Deo, ille ferè dicitur fuisse Ecclesiæ sic acceptæ principium; quod videlicet sciatur.

Tertiò. Postremò pressius definitur Ecclesia, vt sit hominum multitudo, quam congregat, non modò verus Dei cultus in hac vita, & vera cognitio: sed etiam idem baptismi Sacramentum, eademque professio Christianæ religionis. Sic diuersa est nunc Ecclesia ab ea, quæ fuit olim in lege veteri. Ad huiusmodi enim Ecclesiam propriè quidem, atque simpliciter omnes, & soli baptizati, ac verè Christiani pertinent, siuè prædestinati sint, siuè reprobi, siuè iusti, siuè iniusti, siuè cuiuscumque alterius conditionis, dummodò fidem retineant integram. Quamuis, vt sunt in hac Ecclesia diuersi gradus, ita ex ijs ipsis, qui ad eam pertinent, alij magis, alij minus arctè in hoc corpore copulantur. Indè enim fit, vt excommunicati certa quadam ratione dicantur non esse membra Ecclesiæ; quamuis, si sint verè fideles, absolutè quidem non sunt extra Ecclesiam: vt paulò post dicemus. Catechumeni verò, si per votum Baptismi, gratiam consecuti sint, & fidem adeò habeant; ad Ecclesiam Christianam, & ipsi pertinent secundum meritum: quamuis non propriè, & secundum numerum, vt rectè notat ex recepta Theologorum sententia Turrecremata. Hæretici autem ad Ecclesiam Christi non pertinent verè tanquam membra. Nam, vt rectissimè, inquit Diuus Augustinus: [Non quia videntur Ecclesiæ Christi habere nomen, idcircò pertinent ad eius consecrationem.] Quare, & alibi dealbatos tantùm Christiano nomine eos esse dicit eleganter idem Augustinus. Quod idem asserunt Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, & alij communiter sancti Patres. Et clarum est testimonium Ioannis: Ex nobis, inquit, prodierunt. Hoc probat etiam inter cæteros diligenter Melchior Canus. Et si autem hæretici verè, ac propriè membra Ecclesiæ non sint, tamen minimè negandum est, quin quadam ratione ad Ecclesiam pertineant. Quia enim, & characterem habent Baptismi, & aliquando membra Ecclesiæ fuerunt; illorum quædam cura ad eam pertinet. Vt manus verbi gratia à corpore cuiuspiam abscissa: peculiari quodam iure, ac ratione ad eius curam, & potestatem attineret, cuius fuisset antea membrum. Ex quo intelligi debet, Ecclesiam, dum hæreticos iure suo punit, minimè facere contra illud Apostoli: [Quid mihi de ijs, qui foris sunt iudicare?] loquitur enim hoc loco Apostolus de infidelibus,

libus, qui numquam in Ecclesia fuerunt, quos perspicuum est non perinde, atque hæreticos ad Ecclesiæ ius pertinere, nec Ecclesiæ membra esse: nisi fortè membra dicas in potentia: quatenus ad fidem conuerti possunt. Quo pacto ad Ecclesiam eos pertinere, eorumque caput esse Christum, docet B. Thomas.

Porrò hæc Ecclesiæ ratio, quam ita breuiter nunc descripsi, & exposui, omnium est frequentissima apud Orthodoxos scriptores. Sic Ecclesia propriè ad nos Christianos pertinet. Sic eam Apostolus vocat societatem Iesu Christi Filij Dei, ad quam simus immenso Dei beneficio vocati. Atque ad eam item pertinent Scripturæ noui Testamenti multæ, ac variæ sententiæ, quæ nobis declarant qualis sit Ecclesiæ Christianæ forma, & status, quamque varia, & multa genera hominum illa complectatur. [Attendite, inquit, Apostolus, vobis, & vniuerso gregi: in quo vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei.] Hic quosdam esse in Ecclesia, qui alios regendi auctoritatem habeant, & quosdam etiam, qui aliorum auctoritate, & cura regantur, clarè significat. Quam regendi potestatem Christus quoque declarauit inquiens: [Si te non audierit dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus.] Atque etiam reprobos cum prædestinatis, malos cum bonis, dum fidem quidem retinent, permistos esse in Ecclesia, vsque ad extremum diem Iudicij, multis similitudinibus in Scriptura significatur. Ideò siquidem, vt Augustinus rectè intellexit, Ecclesia comparatur [areæ, in qua triticum est cum palea,] donec cribro perpurgatum reponatur in horreum: [palea autem comburatur igne inextinguibili.] Ac eadem ratio comparationis est, cùm esse Ecclesiam quasi sagenam dicitur, [ex omni genere piscium congregantem,] qui primum in littore segregantur. [Sic, inquit, erit in consummatione sæculi: Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.] Item, [Simile est, inquit, regnum cœlorum] (idest, Ecclesia, vt rectè D. Gregorius interpretatur) [decem virginibus: quarum quinque erant prudentes, & quinque fatuæ &c.] Ideò etiam Apostolus: [In magna, inquit, domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.] Et illud quoque pulchrè Augustinus: [Est in Canticis canticorum quod de sancta Ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit: Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Vndè appellat spinas, nisi propter malignitatem morum: Et easdem, vndè filias, nisi propter communionem Sacramentorum] Ac sunt, quàm plurima Scripturæ testimonia similia, ex quibus satis apparet, illam Ecclesiæ descriptionem, secundum quam affirmauimus, omnis conditionis homines fideles in Ecclesia contineri, certissima fide niti.

Ex qua doctrina tres errores circa formam Ecclesiæ Christianæ facilè refutantur. Primus Catharorum, Donatistarum, & Anabaptistarum. Qui commenti sunt, Ecclesiam ex ijs tantùm hominibus constare, qui gratia, & charitate perfecti sint, neque vlla sint infecti peccati macula. Secundus error fuit, Ioannis Wiclephi, & Ioannis Hus. Hi contenderunt, ne ex bonis quidem omnibus, sed tantùm ex solis prædestinatis Ecclesiam constare. Tertius error est, aliorum quorumdam Sectariorum, qui voluerunt constare tantùm ex iustis, quantumuis ij sint aliquibus obstricti peccatis. Aduersùs hos omnes illa Scripturæ testimonia, quæ sunt adducta, satis sunt, & firma, & perspicua. Deinde etiam illa ratio eosdem reuincit, quòd si Ecclesia tantùm ex perfectis, aut ex prædestinatis, aut ex iustis constaret, omnis gubernatio, siuè regimen illius funditus tolleretur. Nam neque superiores cognoscere possent suos subditos, neque vicissim subditi suos superiores. Quis enim sciat vtrum sis perfectus, nec ne? vtrùm prædestinatus, an reprobus? vtrùm iustus, an impius? Propriè verò contra primum errorem valent illa, ex quibus in materia de gratia probari solet, perfectam illam iustitiam, quæ peccatum excludat prorsus omne, in hac vita minimè reperiri. Quare Augustinus: [Vbicunque, inquit, commemoraui Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam: non sic accipiendum est, quasi iam sit, sed quæ præparatur, vt sit: quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum, habet vnde quotidiè tota dicat: Dimitte nobis debita nostra.] Hæc ille. Est etiam secundus ille error Wiclephi damnatus in Constantiensi Concilio. Quòd si quis plura hac de re videre velit, legat inter cæteros auctorem eruditissimum Ioannem à Turrecremata lib. 1. de Ecclesia cap. 54. & 55. & Thomam Waldensem lib. 2. doctrinalis fidei antiq. c. 8. & 9. & Melchiorem Canum lib. 4. de locis Theologicis cap. 3. Hi etiam scriptores ad argumenta illorum hæreticorum facilè respondent.

Quibus sanè argumentis omnibus ex hoc vnico fundamento occurri potest: nempè Ecclesiæ Christianæ, cùm tam latè pateat, plures & eas valdè diuersas esse partes. Nam qui non solùm fide inter se, & cum Christo capite coniuncti sunt, sed etiam gratia, & charitate: ex ijs præstantior Ecclesiæ pars constituitur, quàm sit illa, quæ constat ex hominibus fide dumtaxat præditis: & ea pars Ecclesiæ omnium est præstantissima, quæ hominibus non modò fidelibus & iustis, sed etiam prædestinatis continetur. Si quid igitur interdum, vel à Scriptura sacra, vel à Patribus tribuitur Ecclesiæ, quòd aut iustis tantùm, aut prædestinatis tantum conueniat; id non ad Ecclesiam totam, sed per Synechdochen ad Ecclesiæ partes illas præstantiores referri debet. Quòd si Patres etiam quandoque negant, peccatores esse membra Ecclesiæ; aut certè asserunt membra ipsius esse mortua: sensus est, non eos esse membra sana, & perfecta, quæ scilicet vita perfecta spirituali, hoc est, etiam gratia, & charitate vigeant. Hoc tamen non obstat, quò minus ratione fidei, quam à Christo capite percipiunt, vera alioqui membra simpliciter censeantur. Etenim vel ipsa fides vita est quædam spiritualis imperfecta, qua vtcumque moueri possis, & contendere in vitam æternam, licet minimè quidem sufficienter absque charitate. Ita vel sola

par-

participatione fidei in Ecclesiæ corpore connexus, tanquam membrum, hæret peccator. Velut si pars aliqua verbi gratia, sic esset vnita corpori humano, vt nonnihil vitæ participaret ex corpore, videlicet motum, & vigorem per nutrimentum, non autem etiam sensum: membrum corporis censeretur, tametsi non sanum, & perfectum. Quocirca non est certè ratio, cur magnoperè recipiamus modum quorumdam loquendi, qui aiunt, peccatores quidem Ecclesiæ partes dici posse, membra non posse. Quamquam quæstio est omnis de nomine: cùm res ipsa quidem vno, & eodem modo sine controuersia ab omnibus Orthodoxis intelligatur.

Ex eodem illo fundamento, quòd sint videlicet Ecclesiæ Christianæ partes multæ, ac diuersæ; intelligi potest, qua ratione excommunicati, licet fideles sint, tamen à quibusdam dicantur præcisi ab Ecclesia, neque membra eius esse. Hoc sanè verissimum est, si intelligantur esse præcisi ab ea parte Ecclesiæ, quæ non modò fide, sed etiam solemnium precum, atque suffragiorum mutua communicatione coniungitur. Sic etiam illud accipiendum, quod verissimè à Theologis docetur, schismaticos, etsi non sint etiam hæretici (contingere namque id potest, vt intellexit quoque D. Augustinus, ac rectè D. Thomas declarat) hoc ipso quòd schismatici sunt, non esse membra Ecclesiæ. Huius enim ratio est, quòd cùm subtrahunt sese ab imperio summæ in Ecclesia potestatis (quæ est, vt infrà probabimus, Summi Pontificis) eo ipso ab recto desciscunt ordine, quem conuenit Ecclesiæ membra habere cum illius in terris capite visibili, Christi Vicario: atque ita ad potiorem illam, & saniorem Ecclesiæ partem non pertinent, quæ non solùm inter se, & cum Christo fide coniuncta est, sed etiam ordine recto subest, atque coniungitur visibili capiti. Atque hæc pro instituto nostro sufficiant, tum ad rationem ipsam Ecclesiæ per se intelligendam, tum ad rectè de quibusdam doctorum disputationibus iudicandum. Quos quidem apparebit ex dictis, etsi in aliquibus videantur circa rationem, formamque Ecclesiæ dissentire, re tamen consentire, tantumque propter varias Ecclesiæ acceptiones loqui diuerso modo.

Quæ sint Ecclesiæ proprietates.

NVmerabimus hic breuiter eas Ecclesiæ Christianæ proprietates, quas ipsi, vel Scriptura sacra, vel etiam fidei symbola sine controuersia tribuunt. Etsi autem varia numerandi ratio esse possit, neque magnoperè intersit, quomodo distinguas, ac numeres; modo illa attributa, quæ re ipsa conueniunt Ecclesiæ (siue alia illorum ad alias referas, siue ab alijs separes numerando, ac distinguas) cognoscantur: animaduerto tamen Ecclesiæ prærogatiuas, quæ quidem ad propositum attinere possint, esse potissimùm octo. Ex quibus quatuor priores recitabimus ex vsitatis etiam fidei symbolis; Posteriores autem quatuor colligemus ex diuina Scriptura. Tum videbimus, ex quibus earum, & quomodo, quænam sit vera Ecclesia probari debeat.

Prima Proprietas.

PRimò igitur Ecclesia dicitur, vna. Hæc proprietas in symbolo fidei Nicœno habetur. Ac significatur ex Patrum sententia illis canticorum verbis: [Vna est Columba mea.] Quæ verò sit huius vnitatis ratio, exposuit Apostolus. [Solliciti, inquit, seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ; Vnum corpus, & vnus spiritus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & Pater omnium.] Quo loco Ecclesiæ vnitatem contineri docet tum vnitate principij, videlicet Dei vocantis: tum vnitate finis, nempè vitæ æternæ, quam speramus, & ad quam vocati sumus: tum vnitate mediorum, per quæ nobis ad illam contendendum est, nimirum fidei, baptismi, & reliquorum Sacramentorum, quorum quasi ianua est baptismus. Explicat quoque speciatim illam Ecclesię vnitatem in alio loco ab vnitate eiusdem cibi cœlestis, id est, Eucharistiæ, qua fideles omnes reficiuntur. [Vnus, inquit, panis, & vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane, & calice participamus.] Item id declarat ab vnitate charitatis, & doctrinæ, quæ sit eadem à fidelibus retinenda. [Vnamines, inquit, in charitate id ipsum sentientes.] De quo modo vnitatis illud etiam intelligi potest: [Erat multitudo credentium cor vnum, & anima vna.] Est etiam, sententia Patrum, Ecclesia vna ab vno Pastore, seu Episcopo, [cui plebs Christiana,] vt Cyprianus, inquit, adunata cohæret. Cùm verò dicimus Ecclesiam sic esse vnam, hoc intelligimus vnitate totius. Nam ratione diuersi loci, aut temporis non dubium est, quin plures Ecclesiæ dici possint, vti loquitur etiam sæpè D. Paulus. Sed tamen omnes istiusmodi Ecclesiæ sunt partes vnius Ecclesiæ Christianæ vnitate totius. Et hoc quidem perspicuum est.

Sed illud deindè circa hanc Ecclesiæ proprietatem diligentissimè notari debet, Ecclesiam Christi non ob eam rem solùm, ab vnitate fidei, & doctrinæ vnam esse, ac dici, quoniam omnes, qui sunt eius membra in eadem fide, atque doctrina, quamdiù quidem sunt eius membra, consentiant actu: Sed ob id inprimis ab vnitate fidei, & doctrinæ dicitur Ecclesia vna, quoniam modum, atque rationem ipsa tenet accommodatissimam ad consensionem fidei, & doctrinæ tuendam. Quod erit postea præcipuè ponderandum, cùm ex hac Ecclesiæ proprietate probabimus, Ecclesiam Christi legitimam non apud vllos Sectarios, sed apud eos solos esse, qui Romano parent Pontifici. Cur verò hæc Ecclesiæ proprietas ita necessariò debeat intelligi: ratio est in promptu clarissima. Etenim, si Ecclesiæ vnitatem in actuali tantùm doctrinæ fidei consensione, & non præcipuè in ratione ad consensionem accommodatissima poneremus; nihil omnino magnum Ecclesię Christi tribueremus, dum illam propter vnam atque eamdem fidei doctrinam asserimus vnam esse. Sed neque posset Christi Ecclesia per eam notam ab hęreticorum conuenticulis vllo modo discerni. Quis enim vnquam fuit hęreticorum cœtus tam exiguus in quo qui

ad eum pertinuerunt (quamdiù pertinuerunt ad eum quidem) non fuerint actu de doctrina consentientes? Etenim vbi primum, quis, prudens, ac sciens, ab alijs dissentit, eo ipso censetur à cętu aliorum, qui secus sentiunt, alienus. Itaque hodiè Lutherani, in publicis etiam suis scriptis, pro alienis, ac planè pro hęreticis Caluinianos habent, & vicissim Caluiniani Lutheranos: quia licet in vna, & eadem familia, cuius insanum caput exstitit Lutherus, omnes principio fuerint: tamen postea inter se de fidei doctrina dissentire cęperunt. Non igitur in actuali tantùm consensu: sed inprimis in ratione aliqua optimè accommodata ad retinendum consensum vnitas Ecclesię Christi consistit. Quod velim diligentissimè considerari ab ijs maximè, qui sunt Sectarijs, vel Lutheranis, vel Caluinianis addicti. Sed postea id quoque repetemus.

Secunda Proprietas.

DEindè dicitur Ecclesia Sancta. Ita vtrumque symbolum; atque etiam Apostolus: [Templum, inquit, sanctum quod estis vos.] Et sunt rationes plures quamobrem Ecclesia sancta censeri debeat. Decem collegit Ioannes à Turrecremata in erudito illo suo, ac prolixo opere de Ecclesia. Potissimæ sunt hæ. Primò. Quoniam secundum aliqua præcipua sua membra, nempè secundum iustos immunis est ab omni peccati macula mortali, quę sola videlicet cum gratię sanctitate stare non potest, & eius delet nitorem. Itaque per synechdochen Ecclesia sancta dicitur, propter iustos. Quemadmodum nationem aliquam, fortem dicere solemus: non quòd omnes eius nationis homines, fortes sint, sed quoniam aliquos gignit fortes. Neque verò obstat quod in Canticis de Ecclesia dicitur: [Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.] Sensus enim non est, omnes, àc singulos fideles in Ecclesia carere macula peccati mortalis, sed aliquos ita carere ea prorsus, vt sint toti mundi: idest, vt neque secundum intellectum, neque secundum affectum, sint aliquo peccato mortali inquinati. Quam interpretationem doctè explicat, ac dilatat Ioannes Turrecremata. Quamquam dici etiam potest, sententiam illam non ad Ecclesiam qualis in hac vita est, sed qualis in patria cęlesti est futura referri debere: [cùm exhibebit sibi Christus Ecclesiam gloriosam non habentem maculam, neque regulam.] Vera enim esse illa D. Augustini oratio videtur: [Quęcumque, inquit, testimonia diuinarum Scripturarum commemorari potuerint, quibus ab omni malorum hominum permixtione pura prænunciatur Ecclesia: non qualis nunc est illis testimonijs pręnunciatur: sed qualis post istam mortalitatem in vita ęterna futura est.] Huc adde, posse quoque in hac vita totam pulchram dici propter christianam professionem, quæ tota pura est, vt mox dicemus. Secundò, Item dicitur Ecclesia, Sancta, à sua firmitate. Est enim supra petram, quæ inprimis est Christus, fundata, contra quem nulla vis pręualebit. Ideò in Canticis, [terribilis dicitur, quasi castrorum acies ordinata.] Atque hac ratione pulchrè D. Augustinus Ecclesiam interpretatur terram esse illam, de qua Dauid in Psalmo: [Fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in sęculum sęculi.] Hanc rationem sanctitatis rectè explicauit in Confess. Polonica, Cardinalis Hosius. Tertiò, Sancta dicitur, quoniam sanguine est Christi iuncta, & acquisita. Ad quod attendisse D. Petrus videtur, vbi fideles vocat gentem sanctam, populum acquisitionis. Quartò, Quia tota diuino cultui consecrata est: pręceptis, Sacramentis, institutis sanctis continetur: prorsus, vt in eam rectissimè conueniat illud Psalmi: [Lex Domini immaculata &c.] Hac ratione Ecclesia tota sancta dici potest, Quia licèt non omnes fideles colant vitę sanctimoniam: omnes tamen certè illam profitentur. Quemadmodum religiosos, aut artifices, propter vitę institutum, & professionem, eos etiam solemus dicere, qui religionis, aut artis pręcepta transgrediuntur, vt ad hoc propositum rectè notatum est in Cathechismo Romano. Quintò, Sancta item dici potest propter sanctissima eademque varia, ac multiplicia diuinę gratię charismata, quibus ornata est: atque etiam ob vniuersalia, efficacissimaque remedia sanctitatis, quibus affatim diuino beneficio abundat.

Tertia Proprietas.

EST pręterea Ecclesia Christi, catholica: vt dicitur in vtroque symbolo. Cùm autem, catholica, idem sit quod vniuersalis, variam habet rationem hęc Ecclesię proprietas. Nam primùm catholica dicitur ab vniuersitate eius doctrinę, quam profitetur. Continet enim materiam vberrimam de Deo, & de Creaturis. Secundò. Ab vniuersitate loci: quia per vniuersum est orbem diffusa. Quam rationem appellationis D. Augustinus diligenter exposuit. Ex eaque sępè probat hęreticorum conuenticula Ecclesiam Christi non esse, quoniam suis quibusdam tantùm contineantur prouincijs. De qua re postea. Huc autem illa Patris Æterni ad Christum promissio pertinet: [Dabo tibi gentes hęreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrę.] Ac item illud: [In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrę verba eorum.] Vt iam pręteream multa similia.

Tertiò. Dicitur quoque Ecclesia Catholica à temporis vniuersitate. Nam ad finem, vsque mundi perseuerabit. Quemadmodum, & à mundi exordio constans perpetuò aliqua Dei Ecclesia fuit, vt eruditè inter cœteros Ioannes Turrecremata, & Ioannes Driedo ostenderunt. Nunc quod Christi Ecclesia ad finem, vsque mundi sine interruptione mansura sit, satis constat ex illis Christi promissionibus, in Matthęi Euangelio: [Portę, inquit, inferi non pręualebunt aduersùs eam. Et: Ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sęculi.] Item in Euangelio Lucę Gabriel Angelus: [Dabit, inquit, ei Dominus sedem Dauid Patris sui, & regnabit in domo Iacob in ęternum.] Quod & ab Isaia prædictum erat: [Super solium, inquit, Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet, & corroboret in iustitia, & in iudicio, à modo, &

vsque

vsque in sempiternum.] Ex qua Ecclesiæ perpetuitate intelligitur, & fidem illius fore perpetuam: vt luculentissimè Diuus Augustinus ostendit. Nam despensabo (inquit Dominus Ecclesiæ per Oseam) te mihi in fide. Huic autem perperuitati consuluit Deus prospiciendo Ecclesiæ de Pastoribus, & Doctoribus, qui fidem Christianam, ac religionem tutarentur. Quos ideò Pastores, & Doctores Ecclesiæ datos dicit Apostolus [ad consummationem Sanctorum, donec occurramus omnes in vnitatem fidei in agnitionem Dei in virum perfectum, &c.] Idque promiserat Deus Ecclesiæ per Zachariam: [Circundabo, inquit, domum meam ex ijs, qui militant mihi.] Sic Timotheum Apostolus militare Deo, & Ecclesiæ volebat, cui dicebat: [Labora vt bonus miles Christi Iesu. [De ijs Deus per Isaiam: [Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, &c.] Atque hi sunt nimirum, is fortes, qui custodiunt lectulum Salomonis.

Dicet aliquis: Cùm Apostoli scandalum omnes in Christi passione sunt passi, vbi fuit tunc Christi Ecclesia? Item vbi erit illo tempore, de quo Christus inquit: [Putasne filius hominis veniens inueniet fidem in terra?] Quod si aliquando Ecclesia non fuit, & aliquando etiam non erit, quomodo est etiam Catholica ab vniuersitate temporis? Nonnulli sentiunt, Christi passionis tempore, in sola Beata Virgine mansisse fidem. Id verum non est. Primùm quia si maximè omnes tunc Apostoli fidem abiecissent, non inde consequitur in nullo prӕterquam in Beata Virgine fidem permansisse: Potuerunt enim alij perseuerare fideles, etsi de illis quidem taceatur. Deinde nego amisisse fidem omnes omnino Apostolos: imò retinuerunt eam aliqui, vt eruditè ostendit Melchior Canus. Et certè id defendit de Diuo Petro manifestè D. Hilarius. Neque verò aliud ex Scriptura colligi potest, quàm quod omnes Apostoli [scandalum passi sunt in illa nocte,] quod attinet quidem ad externam fidei confessionem. Id autem fieri potuit, licet illorum aliqui fidem ipsam animo retinuerint. Fuit itaque, & tunc aliquis fidelium numerus, ex quorum congregatione, tametsi exigua, constaret Ecclesia. Sic etiam sub mundi finem aliqua omnino Ecclesiæ congregatio erit. Christus enim illo modo dicendi: Putasne, &c. paucos futuros tunc esse fideles significauit, nullos fore non significauit. Præclarè enim Diuus Augustinus: [Hoc, inquit, nos intelligamus à Christo dictum, vel propter ipsam fidei perfectionem, quæ ita difficilis est, vt in ipsis quoque admirabilibus Sanctis, sicut in ipso Moyse, inueniatur aliquid, vbi trepidauerint, vel trepidare potuerint: vel propter illam iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum. Propterea enim, tanquam dubitans, hoc Dominus dixit. Neque enim ait: Veniens filius hominis non inueniet fidem in terra. Sed, putas inueniet fidem in terra?] Hactenus Agustinus.

IV. Dicitur denique Ecclesia Catholica, id est, vniuersalis, quoniam ad eam homines vniuersi, cuiuscunque sint sexus, aut ætatis, aut conditionis, conuocantur. [Quicunque enim, ait Apostolus, baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.] Atquæ, vt rectè explicauit Ioannes à Turrecremata, ob easdem rationes, & fides ipsa, Catholica dicitur, & fideles, Catholici. Quo etiam loquendi modo Apostolus penè est vsus, cùm epistolam scribit [dilecto filio Tito, secundum communem, inquit fidem, id est, secundum Catholicam, vt exponit Glossa ex D. Augustino.

Quarta Proprietas.

PRæterea dicitur Ecclesia Christi in Nicæno Symbolo Apostolica. Primò, quoniam in Apostolis habuit initium. Quam rem Diuus Paulus explicauit illa oratione: [Nos autem, inquit, primitias Spiritus habentes. Vbi Glossa: Et tempore, inquit, priùs, & cæteris abundantiùs. Secundò, quoniam ab illis per orbem propagata est. Vnde Christus Dominus, dum pro ijs rogat æternum suum Patrem, [qui per Apostolorum verbum erant in se credituri;] pro Ecclesia sanè rogat. Tertiò, quoniam antiquam proinde fidem, doctrinam, auctoritatem, Apostolorum perpetuò sequitur, vt suprà quoque dictum est. Quod non modò facit, quando scriptis Apostolicis expressam doctrinam retinet: Verùm etiam cùm aliquid ipsa per orbem vniuersum obseruat, neque id tamen scriptum est in Apostolicis libris. Illa enim vniuersalis Ecclesiæ consuetudo, quod infrà suo loco probabimus, argumento certo est, manasse rem ex Apostolica traditione, vt & sæpissimè, & clarissimè, & verissime affirmat Diuus Augustinus. Huc pertinet, quod ideò in libro Apocalypsis, atque etiam à Diuo Paulo, Apostoli vocantur fundamenta Ecclesiæ: tametsi sunt illi quidem nonnisi fundamenta secundaria; quippe cùm & ipsi niterentur fundamento primo, [quod est Christus Iesus.] Quo etiam spectat illud Dauidis de Ecclesia: [Fundamenta eius in montibus sanctis, id est, in Apostolis, vt Diuus Augustinus interpretatur. Itaque meritò propter hæc dicitur Ecclesia Apostolica. De qua Ecclesiæ proprietate, plura, si quis volet, videre licet apud Turrecrematam præsertim, & apud Waldensem. Atque hactenus quidem de ijs Ecclesiæ proprietatibus, quas etiam confitemur in fidei Symbolis.

Quinta Proprietas.

EX alijs autem siue prærogatiuis, siue proprietatibus Ecclesiæ, quæ colligi ex Scriptura possunt, non est sanè postrema, quòd licet multorum hominum sit congregatio, minimè tamen est, quasi chaos aliquod, confusa, sed quàm rectissimè ordinata. Hoc ex multis potest intelligi nominibus, quibus illa propter eiusmodi ordinem afficitur in sacris literis. Cuiusmodi sunt: [Regnum, ciuitas, templum, domus, tabernaculum, hortus, castrorum acies ordinata,] & id genus alia, quorum rationes ad Ecclesiam pulchrè, atque eruditè accommodat Ioannes Turrecremata. Maximè verò optimus Ec-

clesiæ ordo significatur cùm, corpus dicitur. Cuius appellationis ea potissimùm ratio est, [quia sicut in vno corpore multa, ac varia sunt membra, nec illa omnia tamen eundem actum habent.] Sic in Ecclesia fideles non omnes auctoritate sunt pares. non officio, non gradu dignitatis. Vt perspicuè Apostolus in epistola ad Romanos docuit,& elegantissimè persequitur D. Gregorius Nazianzenus. Sunt enim oculi in Ecclesia, sunt pedes, sunt manus; hoc est, sunt qui alijs obsequi, & ab ijs doceri debeant; sunt etiam qui alios doceant, & regant, [Pastores, & Doctores, quos dedit Christus Ecclesiæ,& in ea perpetuò conseruat, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem Filij Dei, in virum perfectum, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum in, astutia ad circumuentionem erroris.

In ordine hoc igitur, quo est Christi Ecclesia constituta, illud præcipuum est, quod Pastores, & Doctores perpetua sibi successionis serie succedunt, qui legitimè vocentur ad id opus ministerij sustinendum, sine quo Ecclesiæ Christianæ forma consistere nullo modo potest. Nam si Ecclesia est, certè oportet, vt corpus sit Ecclesię quoddam; idque totum, vt ait Apostolus, [Compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri.] Et promissiones hac de re diuinas superiùs indicauimus, cum Ecclesiæ sanctitatem, atque firmitatem ministerio perpetuò Doctorum, atque Pastorum niti doceremus.

Sexta Proprietas.

DIcitur porrò ab Orthodoxis Doctoribus, secundum certissima, & clarissima sanctorum Scripturarum testimonia, Ecclesia visibilis: id est, sic in luce hominum, & conspectu posita, vt quouis sęculo euidenter internosci, & quasi digito monstrari queat congregatio illa, quam esse Ecclesiam veram determinatè credere possis, ac debeas. Hæc autem Ecclesiæ proprietas vniuersos hæreticos pessimè habet. Neque id sanè mirum. Etenim huius proprietatis assertio cogit illos fateri, vel certè intelligere, se non esse de Christi Ecclesia: Cùm nullum possint illustrem, hoc est, in orbe præteritis temporibus cognitum, hominum cœtum indicare, in quo fuerit ea religionis, atque doctrinæ forma, quam ipsi nuper inuexerunt. Ergo vt se filios esse tenebrarum ostendant, Ecclesiam, quod in ipsis est quidem, priuant sua luce, eamque tanquam in latebris per plura sęcula delitescere posse putant. Quod enisse scilicet ante nouatorem Lutherum asseuerant. Ac Brentius quidem, & nonnulli alij Sectarij hoc ad eam rem argumento vtebantur. Si quid credi debet: id non etiam oculis cerni potest. At ex fidei articulis ille vnus est:[Credo sanctam Ecclesiam.] Non igitur Ecclesia cerni potest; aut si conspicua esse dicitur, tollendus erit ille de Apostolico symbolo articulus.

Sed quàm sit hæc istorum argumentatio imperita, & opinio etiam falsa, facilè intelligetur, si priùs quàm probemus, explicemus etiam, quæ sit nostræ assertionis sententia, cùm dicimus Ecclesiam esse cōspicuam. Nam & hoc ipsum animaduerto posse perperam intelligi: Si videlicet aut nimis multum, aut nimis parum claram, atque visibilem Ecclesiam esse, asseratur. Primùm igitur, non vsque adeò ipsi volumus, Ecclesiam esse conspicuam, vt censeamus, aut oculis cerni, aut euidenti ratione intelligi posse ipsam etiam Ecclesiæ quasi essentiam, & veritatem, aut etiam proprietates eius omnes. Non enim arbitramur palam aspici, aut euidenter cognosci posse, quòd vlla congregatio sit reuera cœtus rectè colentium Deum, & sancto Spiritu gubernetur, sanctitate, vera fide, & doctrina, alijsque donis affecta sit. Imò verò hæc in illa ipsa congregatione hominum inesse, quæ vera est Ecclesia, non nisi obscura fide credimus, quomodo cæteros fidei articulos. Sed neque rursus cùm Ecclesiam dicimus visibilem esse, vsque adeò parum dicimus, vt solùm contendamus, eam ex hominibus constare, qui per se, cùm sint præditi corpore, pateant sensibus. Hoc enim nemo, qui modò sit homo, sciatque homines, quorum sine controuersia Ecclesia est cœtus, sensibili, atq; aspectabili ex corpore esse constitutos, in dubium reuocare potest. Sententia igitur nostræ assertionis hęc est: euidenter posse omni sęculo conspici, & internosci, & quasi digito demonstrari congregationem aliquam hominum, de qua possit, ac debeat vnusquisque firma fide, tametsi alioqui obscura, vt antè dictum est, credere, quòd sit vera Ecclesia, id est, cœtus rectè Christum colentium, quòd vera fide copuletur, quòd Spiritu sancto regatur, quòd alijs muneribus, atque prærogatiuis sit prædita, de quibus partim iam dictum est, partim dicetur. Ita fit, vt, quamuis isto modo Ecclesiam visibilem esse statuamus, suum locum tamen, quod non videbant Sectarij, in symbolo relinquamus illi articulo, quo credimus Ecclesiam esse, & esse sanctam, &c.

Esse verò isto modo Ecclesiam conspicuam, fremant licet lucifugæ Sectarij, Scripturæ sanctæ certissimis testimonijs conuincitur.

Probatio Prima.

NAm primùm aperta est illa Christi oratio de Ecclesia: [Vos, inquit, estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Item: Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super cādelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.] Quibus duobus testimonijs Augustinus ad eam ipsam rem vsus est contra Donatistas. [Non est, inquit, operta Ecclesia. Quia non est sub modio, sed super candelabrum: Et de illa dictum est: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Sed Donatistis (intellige etiam Lutheristis, & Caluinistis) operta est; quia audiunt tam lucida, & manifesta testimonia, quæ illam toto orbe esse demonstrant, & malunt clausis oculis offendere in montem, quàm in eum ascendere, qui

qui cùm esset lapis præcisus de monte sine manibus, creuit & factus est mons ingens, & impleuit vniuersam terram.] Hactenus Diuus Augustinus. Qui etiam illud Dauidis huc pulchrè accommodat: [In sole posuit tabernaculum suum,] id est, inquit Augustinus, [Ecclesiam suam in manifestatione.] Nam & alibi etiam Ecclesiam intelligit Rex Dauid per hoc tabernaculum: [Proteges, inquit, eos in tabernaculo tuo.] Vbi etiam Augustinus: [Quid est, inquit, tabernaculum Dei, nisi Ecclesia præsentis temporis, quæ tabernaculum ideò dicitur, quoniam adhuc in terra peregrinatur?] Sed recitemus integrè superiorem locum Augustini, qui de Ecclesiæ claritate videtur hodie contra Sectarios loqui: [In manifestatione, inquit Augustinus, posuit Ecclesiam suam non in occulto, non quæ lateat; non velut operta, ne fortè fiat sicut operta super greges hæreticorum. Quid tu hæretice fugis in tenebras? Quid latitare conaris?] Hactenus ibi Augustinus. Nec potuit certè Isaias illustrius significare hanc Ecclesiæ Christi claritatem, quàm cùm de fidelibus, ex ipso Dei ore, hunc in modum vaticinatus est: [Fœdus, inquit, perpetuum feriam eis: & scietur in gentibus semen eorum in medio populorum. Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.] Atque vt alia multa, quæ ad hanc rem ex Scripturis adduci possunt, prætercam; ad Ecclesiam ipsam pertinet, auctore Augustino, quod ita vaticinatus est, alius Propheta: [Operuit cœlos gloria eius, laudis eius plena est terra: Splendor eius, vt lux erit.

Probatio Secunda.

Extra controuersiam est, omni tempore aditum ad Christi Ecclesiam ijs omnibus patere, qui extra eam sunt, vt possint, ac debeant ad eam se aggregare. Sic enim cum ipsa Dominus per Isaiam loquitur: [Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit.] At ne intelligi quidem potest, quemadmodum fores Ecclesiæ pateant omnibus, vt ad eam se adiungere, & intrare possint; si non ea hominum congregatio queat internosci, quæ vera est Ecclesia. Est igitur illa prorsus conspicua.

Probatio Tertia.

Neque verò eorum aliquid, quæ in Ecclesia geri debent, si non ipsa pateat, agi posset. Nam si nescias, quam hominum congregationem credere debeas esse veram Ecclesiam; multò minus cognosces, qui sint in Ecclesia tamquam oues, qui verò vt pastores: id est, quosnam oporteat doctrina, & Sacramentis pasci, ac ministerij auctoritate hierarchica ab alijs duci atque regi: qui verò munus sustineant docendi, regendi, pascendi. Quod si ignorent fideles, à quibus quæri, aut quibus impartiri Sacramenta debeant: item cui præcipi possit, aut quibusnam obtemperari oporteat: quænam esse poterit in Ecclesiæ corpore functio membrorum? aut quomodo (quod Christus iubet) [Ecclesia audietur, & pascetur Grex Christi?] Tolletur profectò pulcherrimus ille ordo, differentiaque Ecclesiæ membrorum, quæ vt D. Gregorius Nazianzenus inquit, diuinitus sic constituta est, [vt alij sint oues, alij pastores: illi obediant, ij imperent, quò omnia rectè inter se conueniant, commodumque tam ad præfectos, quàm ad subditos redundet, omnesque fiant vnum in Christo.]

Probatio Quarta.

Hanc etiam esse de Ecclesia sententiam Patrum non dubium est. Ex Augustino quædam iam recitauimus. Qui rectè quidem claritatem Ecclesiæ inde ostendere solet, quòd vbique terrarum diffusa est. Nam quomodo possit esse ignota illa hominum congregatio, quæ religionis instituto communicat cum omnibus gentibus? [Quia, inquit Augustinus, in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: hinc fit, vt Ecclesia vera neminem lateat.] Et alio loco: [Nonne, inquit, aperta est Ecclesia? Nonne obtinuit omnes gentes? Nonne impletur, quod ante tot annos promissum est Abrahæ; in semine eius benedici omnes gentes? Ecce mons implens vniuersam faciem terræ.] Tum illud rectè: [Quid amplius, inquit, dicturus sum, quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident? qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudunt?] Hieronymus autem ita conspicuam Ecclesiam esse censuit, vt solem etiam eleganter appellarit. [Poteram, inquit, omnes propositionum tuarum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare.] Item D. Chrysostomus: [Sic, inquit, eritis manifesti cunctis quemadmodum ciuitas in montis vertice collocata: vel sicut lucerna in domo super candelabrum relucens. Vbi igitur nunc sunt Christi virtuti increduli? Audiant, inquit, ista & prophetiæ potentiam post experimenta mirantes, maiestatem Domini adorando revereantur.] His, ne sim prolixus, testimonium vnicum adiungam D. Cyrilli Alexandrini. Qui rationem, cur Christi Ecclesia [Sion atque etiam Hierusalem nominetur, assignauit his verbis: Excelsa, inquit, & specula exponitur Sion; Visio autem pacis, Hierusalem. Est autem vtrumque hoc verè Christi Ecclesia: celsa nempe, & illustris, velut in monte posita.]

Iam verò ad varias Sectariorum argutias hoc loco refellendas diligenter animaduerti debet, non sic accipiendum esse, quod dicimus, Ecclesiam esse semper conspicuam, quasi velimus eam omni tempore dignosci posse æquè facilè. Nouimus enim ijs illam aliquando errorum, schismatum, persecutionum fluctibus esse agitatam, vt imperitis quidem, nec satis prudenter rationes temporum rerumque circumstantias æstimantibus, cognitu fuerit difficilis. Quod tum maximè accidit, cùm Arrianorum perfidia in orbe penè toto dominabatur. Nam, & eo tempore, scripsit Hieronymus, Ecclesiæ nauem fuisse fermè obrutam; & Hilarius pluribus admonuit verbis non fuisse Ecclesiam tunc temporis in tectis, & exteriori pompa quærendam, sed

ſed potius in carceribus, & ſpeluncis. Non igitur negamus, quin fuerit alio, quàm alio tempore difficiliùs Eccleſiam dignoſcere. Hoc tamen aſſerimus, ſemper illam potuiſſe à prudentibus rerum æſtimatoribus internoſci. Etenim illo ipſo tempore, quo videbatur latere, cum præteritis temporibus collato, deprehendi potuit, Eccleſiam non apud multitudinem eorum, qui religionem innouabant, ſed apud paucos illos potius fuiſſe, qui, quod veteres Eccleſiæ Patres, & fideles omnes magno conſenſu diuturniſque temporibus tenuerunt, conſectabantur. Quòd præclarè mihi de prouidentia Dei erga Eccleſiam cogitauiſſe Diuus Auguſtinus videtur, cùm ita ſcripſit: [Ipſa eſt, inquit, Eccleſia, quæ aliquando obſcuratur, & tamquam obnubilatur multitudine ſcandalorum, quando peccatores intendunt arcum, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. Sed etiam tunc in ſuis firmiſſimis eminet.] Itaque cùm Eccleſiam omni tempore eſſe viſibilem, id eſt, cognitu facilem affirmamus: non ad præſentem tantummodo ſtatum, quem habeat illa vno tempore, aut altero, ſed etiam ad perpetuam eius continuamque ſucceſſionis ſeriem reſpicimus. Hæc ſeries ſi cogitetur, & diligens adhibeatur temporum atque perſonarum comparatio: neque latuit Eccleſia, neque vnquam latere poterit, ſed in ſuis firmiſſimis, vt Auguſtinus inquit, ſemper eminebit. Qua re animaduerſa, tenebræ omnes facilè diſcutiuntur, quas offundere lucifugæ Sectarij luci, atque claritati Eccleſiæ hoc in loco conantur.

Proprietas Septima.

ILla quoque præclara eſt Eccleſiæ prærogatiua, quod ſic à Spiritu ſancto ſibi aſſiſtente veritatem omnem fidei docetur, vt aberrare ab ea minimè poſſit. Ac notet hoc loco Lector, non ipſam fidei veritatem per ſe à nobis nominari Eccleſiæ prærogatiuam, & quaſi proprietatem: hæc enim eſſentia ipſa potius, ſeu de eſſentia Eccleſiæ eſt; quatenus Eccleſia videlicet congregatio verè fidelium eſſe deſcribitur. Non igitur ipſam per ſe doctrinæ fidei veritatem, ſed aſſiſtentiam illam Spiritus ſancti, qua fit, vt à veritate Eccleſia aberrare non poſſit, in prærogatiuis, & quaſi proprietatibus Eccleſiæ numeramus. Quæ quidem explicatio quorſum pertineat, & quantum ad redarguendam Sectariorum obſtinatam inſcitiam valeat, quòd veritatem ipſam doctrinæ fidei pro nota Eccleſiæ aſſignent; ſuo loco poſtmodum clariſſimè intelligetur. Nunc quod aſſerimus, Eccleſiæ etiam prærogatiuam eſſe, quòd à veritate fidei deſciſcere nequeat, Apoſtolus ſatis indicauit, cùm Eccleſiam ideò vocat columnam, atque firmamentum veritatis. Et habemus illuſtres hac de re promiſſiones. [Ego, inquit Chriſtus, rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ſpiritum veritatis: ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.] Ac rurſus in eodem Euangelio Ioannis: [Pater, inquit, ſanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt; & ego pro eis ſanctifico me ipſum, vt ſint ipſi ſanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed pro illis etiam, qui credituri ſunt per verbum illorum in me.] Ex qua Chriſti precatione (cùm efficax fuerit) ſanè perſpicitur, ita Eccleſiæ promiſſum eſſe Spiritum veritatis ſanctum, vt ea promiſſio non modò ad illos, qui Apoſtolorum temporibus vixerunt, ſed etiam ad omnes poſteros pertineat, ex quibus quacumque ætate Eccleſia Chriſti coaleſcat. Idipſum clariſſimè Deus per Iſaiam eſt teſtatus his verbis: [Hoc fœdus meum cum eis: ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, à modo, & vſque in ſempiternum.] Quam promiſſionem, & Chriſtus ipſe confirmauit; [Alium, inquit, paracletum dabit vobis Spiritum veritatis, vt maneat vobiſcum in æternum.] Nec ſanè adeſt Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, vti promiſit, vſque ad conſummationem ſeculi, & non eam in veritate conſeruat, cùm ſit ipſe magiſter veritatis. Quare præclarè Auguſtinus, terram illam, quæ fundata eſt (vt Rex Dauid inquit) ſuper ſtabilitatem ſuam, nec inclinabitur in ſeculum ſeculi; Eccleſiam eſſe intelligit ſupra fundamentum, quod eſt Chriſtus, fundatam. [Ipſa eſt enim, inquit, prædeſtinata columna, & firmamentum veritatis.]

Cæterùm, quoniam promiſſiones hæ generale quiddam ſonant: explicanda iam vis illarum eſt ſpeciatim. Summa hæc eſt. Primò. Si quando oriantur controuerſiæ de fide, Eccleſiam non poſſe in ijs definiendis à veritate aberrare. Hæc autem Eccleſiæ infallibilis auctoritas ad definiendum non eſt in ſingulis fidelibus, quippe qui ſine controuerſia poſſunt errare ſinguli. Neque eſt etiam in omnibus omnino fidelibus. Fruſtra enim data illis eſſet, cùm fieri vix poſſit, in fidei cauſis, vt ab omnibus illis ſigillatim ſententia dicatur. Sed reſidet illa ſumma Eccleſiæ auctoritas (vt poſtea ſumus ex inſtituto probaturi) in Chriſti Vicario, ſummo Pontifice; ſiue vna cum Epiſcoporum Concilio, ſiue abſque Concilio res fidei definire velit. Secundò, vis etiam illarum promiſſionum eſt, omnes fideles non poſſe deficere à doctrina fidei, neque omnino, neque quoad aliquam ipſius partem. Nam ſi deficerent omnes, Eccleſia tota deficeret: Ita falſa eſſet illa Dei pollicitatio facta Eccleſiæ per Prophetam Oſeam: [Deſpenſabo, inquit, te mihi in fide vſque in ſempiternum.] Tertiò, nec poſſe omnes fideles in vniuerſum aliquem articulum fidei ignorare. Id probatur ex illa promiſſione: [Docebit veritatem.] Item: [Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.] Eſt enim ſenſus, Spiritum ſanctum minimè paſſurum, vt cognitio alicuius fidei veritatis penitus in Eccleſia extinguatur. Quartò, oſtendit rectè Melchior Canus, eam etiam vim prædictarum promiſſionem eſſe, vt nequeat Eccleſia tota perſuadere ſibi ſententiam aliquam erroneam etiam in materia, quæ non pertineat ad fidem. Nam hoc quidem pati, alienum eſſet ab illo Spiritu veritatis, quo ſemper Eccleſia regitur. Quintò, quod dictum eſt, omnes fideles, neque omnino, neque partim, aut errare in fide, aut ignorare fidei articulum aliquem, aut perſuadere ſibi quidquam falſi in vllo genere poſſe; hoc idem de Eccleſiæ paſtoribus,

tibus, atque Doctoribus omnibus dicendum est: vt rectè demonstrat ille idem auctor. Primùm quoniam Pastores, & Doctores, cum sint in Ecclesia primarij; tota quasi censentur Ecclesia. Itaque cùm Scriptura commemorasset, congregatos esse omnes principes filiorum Israel: perinde ac si nemo prorsus de Ecclesia defuerit, subiunxit: [Tunc conuersus Rex benedixit vniuersæ Ecclesiæ; Omnis enim Ecclesia, inquit, astabat.] Qua etiam ratione Aristoteles scripsit, ciuitatem id esse, quod est in ciuitate præcipuum. Deinde huc accedit, quod si Pastores, & Doctores omnes à veritate aberrare possent, consequenter omnes fideles in vniuersum possent errare. Ab illis enim isti erudiuntur in Ecclesia. Quam ob rem hoc ipso, quod errare fideles omnes non possunt; necessariò fatendum est, neque posse Pastores omnes atque Doctores errare. Immò idcirco fideles omnes errare non possunt, quia Pastores omnes, & Doctores omnino errare nequeunt. Ipsos enim ad eam rem esse datos affirmat Apostolus, vt alij [non circumferantur omni vento doctrinę in circumuentionem erroris.] Cùm verò hoc loco dico Pastores, & Doctores omnes: non tantùm omnes omnino intelligo, sed etiam ita maiorem, aut illustriorem eorum partem, vt reliqui penè nulli sint (id est, nullius auctoritatis, si cum illis comparentur. Vnde sæpè fit, vt cùm aliquis, aut etiam aliqui Doctores errant, rectè, & infallibiliter possint aliorum Doctorum consentiente auctoritate refelli, & premi. Quod magis postea declarabimus, cum regulas quasdam ostendemus, quas oportet ab Ecclesia consuli cùm sunt res fidei definiendæ.

Nunc obijciat aliquis; Cùm quilibet fidelis, & quilibet Doctor per se, immò quęlibet Ecclesia particularis errare possit: consequens videri, vt possint errare in vniuersum omnes Doctores, & fideles atque adeò Ecclesia ipsa tota. Respondeo. Vitium est in omni argumenti materia maximum, quod de singulis dicitur, id velle transferre per consequentiam ad omnes. Adest ita Spiritus sanctus Ecclesiæ, vt non possint quidem errare omnes; sed (quod singulis certè, non autem ipsi Ecclesiæ, vtilius esset) iustis rationibus non vult sic adesse, vt nequeat errare hic, aut ille. [Oportet enim hæreses esse, vt qui probati sint, manifesti fiant.] Rursus obijcies, quod olim Ecclesia Israelitica omnis errauit, cùm adorauit vitulum in deserto. Quod idem euenisse videtur Eliæ temporibus; cùm is relictum se esse solum conquereretur. Cur non igitur, & Christi Ecclesia similiter errare possit? Sed & ipse Christus dicit; [Cùm venerit filius hominis, putasne inueniet fidem in terra?] Quasi diceret, Non inueniet. Respondendum est, morem esse Scripturæ interdum, vt quod in paucis reperitur, negetur vniuersim. Sic in Psalmo dicitur; [Non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.] Quod nemo tamen ita, vti sonat, intelligit. Sic Eliæ temporibus; quia paucissimi rectum cultum retinebant; omnes quasi damnantur infidelitatis; Et se solum relictum esse Elias quæritur; cùm tamen seruasset Deus septem hominum millia, qui non curuauerant genu ante Baal. Quod verò attinet ad cultum illum vituli in deserto; constat certè non ab omnibus illum fuisse adoratum. Non enim adorauit Moyses, non Iosua, quibus erat demandata inprimis cura illius populi. Sed & alij multi ab illo scelere abstinuerunt. Itaque ibidem legimus filios Leui ad vnam Moysis vocem sese illi adiunxisse, [& consecrauisse manus suas Domino, vnumquemque in fratre suo, & in proximo suo. Quod autem Christus inquit, Putasne inueniet filius hominis fidem in terra?] suprà ex Augustino interpretati sumus. Significat enim, paucissimos certè fore postremo illo tempore fideles: Non autem nullos fore. Item indicat, rem esse omnino difficilem, fidem integram conseruare. Quare maneat Ecclesiam vniuersam à veritate aberrare non posse. Quod cùm certissimum sit turpiter errauit Montanus, qui, vt refert Eusebius, discipulis suis, vt Ecclesiæ per orbem diffusæ auctoritatem contemnerent, præcipiebat. Item Donatistæ, ac Rogatiani, quos similiter contempsisse auctoritatem Ecclesiæ commemorat Diuus Augustinus.

Octaua Proprietas.

Est & illud in Ecclesiæ Catholicæ prærogatiuis vel maximum, quod, vt ex numeratis hactenus eius proprietatibus est consequens, extra ipsam nemini patet salus. Quæ ratio est cur B. Petrus Ecclesiam cum Arca Noe rectissimè compararit. Hinc illa sententia Diui Augustini apud vsu trita est: [Non habebit Deum Patrem, qui noluerit Ecclesiam habere matrem.] Quod certè tam verum est, quàm est verum, [sine fide neminem placere Deo posse.] Nam qui extra Ecclesiam est, recta fide caret: cùm Ecclesia sit congregatio fidelium. Qui autem infidelis est, hostis est Dei, non adoptiuus filius. Ac præclarè D. Augustinus: [Ad ipsam, inquit, salutem, ac æternam vitam nemo peruenit, nisi qui habet caput Christum; habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in corpore eius fuerit, quod est Ecclesia.] Sed cùm hæc res apud omnes sit in confesso, non est prolixius hoc loco confirmanda. Sed illud ad extremum, quod ad summam hanc Ecclesiæ prærogatiuam attinet, animaduertendum: non eos modò in Ecclesiæ corpore, vt salutem quidem assequi possint, hoc loco censeri, qui actu Baptismum susceperunt, sed etiam eos, qui illum habent in votis. Tales sunt Catechumeni. Qui, si in diuina quidem sint gratia; secundum meritum sanè dici solent ad Ecclesiam pertinere: licet non actu omnino secundum numerum, vti Doctores loqui consueuerunt.

Quinam hominum cœtus sit vera Ecclesia, & ex quibus notis id discernendum sit.

Hæc cùm ita sint, quæstio restat huius loci grauissima, quænam hominum congregatio sit illa, ex qua constat vera Ecclesia. Hoc enim cùm constiterit, etiam constabit, apud quosnam sit verissimum, atque infallibile de doctrina iudicium, quod non est, vt suprà posuimus, nisi in vera Ecclesia.

Item

Item etiam inde perſpicuum erit, qui ſint hæretici, ſecundum præceptum Apoſtolicum, deuitandi, quorum videlicet proprium eſt ex Eccleſia exiuiſſe. Quæ cauſa eſt, vt, quoniam nulli vnquam hæretici pro hæreticis agnoſci voluerunt, inuiſa illis omnibus hæc quæſtio fuerit, ſicut iam eſt maximè vniuerſis Sectarijs. Eos enim, ne deuicti videantur, hæc controuerſia compellit, cauſam ex deſperatione quadam, vt mihi perſuadeo, ſuſcipere, quam ſentiunt ipſi parum eſſe probabilem; nimirum vt doceant, ſe cùm à Chriſti Eccleſia ſemetipſos ſegregauerint, tamen de Eccleſia Chriſti non eſſe egreſſos, imò ſe ſolos eſſe Chriſti Eccleſiam. Nam cùm ſint ſoli, & ſingulares in ratione doctrinæ, neceſſe eſt, vt demonſtrent, ſe ſolos Eccleſiam eſſe, ſi nobis perſuaſuri ſunt, omnino ſe eſſe in Eccleſia. Hoc etiam fruſtra egiſſe veteres hæreticos annotauit Lactantius: [Singuli, inquit, hæreticorum cœtus ſe potiſſimùm eſſe Chriſtianos, & apud ſe veram Eccleſiam eſſe contendunt. Item B. Cyprianus: Nouatianus, inquit, Simiarum more, quæ cùm homines non ſint, homines tamen imitantur; Eccleſiæ auctoritatem ſibi vendicauit. Et cùm in Eccleſia non eſſet, ſed Eccleſiæ rebellis, reliquos hæreticos faciens, apud ſe Eccleſiam eſſe præſumpſit.] Ideò etiam D. Auguſtinus hac ipſa de re cum ſuis, & Eccleſiæ aduerſarijs Donatiſtis acerrimè pugnauit. [De hoc, inquit, inter nos quæſtio verſatur, vtrùm apud nos, an apud illos vera Eccleſia ſit.] Determinanda nunc eſt igitur, & nobis Eccleſia Chriſti vera.

Sed importunitas, atque etiam aſtutia quædam Sectariorum nos cogit, vt prius indicemus, ex quibus quaſi notis idipſum diſcerni debeat, nempe quæ ſit Eccleſia vera. Nam poſtquam hanc illi de vera Eccleſia quæſtionem omnino defugere (quod maximè vellent) non poſſunt: Saltem facere ſtudent, vt nunquam illa finiri poſſit: dum notas Eccleſiæ conſtituunt, vſque adeò non notas, vt multò magis in ijs cognoſcendis laborandum ſit, quàm in ea ipſa vera Eccleſia, quæ quæritur, inuenienda. Has notas ferè dicunt duas coniunctim eſſe: Veritatem doctrinæ fidei ſecundum ſacram Scripturam; & legitimum vſum Sacramentorum; qui tamen ipſe ex doctrina etiam dijudicari debet. Ita cùm ad indicandum quis hominum cœtus ſit Eccleſia, prius conſtitui velint, quinam teneant veram doctrinam; conſecuturos hac calliditate ſe putant, vt quæſtione propoſita de vera Eccleſia; nunquam tamen ad eiuſmodi quæſtionem propius accedatur, ſed de veritate ſolùm doctrinæ quæſtio ſit primò infinita. Atque etiam iſto modo ſubdolè id agunt, vt ne in quæſtionibus de doctrina ipſis vnquam opponi poſſit Eccleſiæ veræ auctoritas, cùm conſtare prius de hac nolint, quàm fuerit de veritate doctrinæ conſtitutum. Qua ratione laxiſſimum iſti ſibi faciunt ad pertinaciam locum. Nam cùm difficilis per ſe, vt ſuprà docuimus, atque obſcura diſputatio de veritate doctrinæ ſit; quis erit finis contendendi, niſi auctoritas Eccleſiæ aliunde cognita, tanquam iudex in doctrinæ quæſtionibus interponatur? [Facillimè enim ad imagines phantaſmatum ſuorum, vt præclare inquit Diuus Auguſtinus, [carnales, atque ſeductores hæretici conuertunt omnia Sacramenta, & verba librorum ſanctorum.] Ergo noſtri Sectarij à veteribus quidem hæreticis, quorum pertinaciam imitati ſunt, hunc etiam aſtum didicerunt, vt Eccleſiæ veræ notas eſſe velint doctrinam, & Sacramenta. [Omnes enim Seductores, vt D. Auguſtinus eodem in loco notauit, non aliter populos fefellerunt, niſi prætextu Sacramentorum, & Scripturarum, quæ tenent, inquit, ad ſpeciem, non ad ſalutem.]

Refutantur euidenter Eccleſiæ notæ, quas Sectarij aſſignant.

NOs autem fatemur, neque veritate doctrinæ, neque legitimo Sacramentorum vſu Eccleſiam Chriſti carere poſſe; & apud quos hæc omnino ſint ſalua, ex ijs conſtare veram Eccleſiam. Sed negamus tamen, veritatem doctrinæ, & legitimum Sacramentorum vſum idoneas notas eſſe diſcernendæ Eccleſiæ. Id probamus hoc modo.

Quod neque vniuerſæ doctrinæ, neque ſingulariter alicui parti illius conuenit; id minimè conuenit doctrinæ fidei. Sed neque vniuerſæ doctrinæ fidei, neque verò alicui parti ſingulari illius, etiam accedente legitimo Sacramentorum vſu, conuenit, vt ſit ſufficiens Eccleſiæ diſcernendæ nota. Non eſt igitur Eccleſiæ ſufficiens nota fidei doctrina, etiam cum legitimo Sacramentorum vſu. Huius argumentationis partes cùm confirmatæ fuerint; locus omnino tergiuerſandi præcludetur Sectarijs. Quod enim dicunt, veram doctrinam fidei eſſe notam Eccleſiæ, neceſſe eſt intelligant, vel de doctrinæ aliqua ſingulari parte (voco autem hìc doctrinæ partem, quidquid dogmatum non ſit tota ipſa, atque integra ſumma doctrinæ) vel de doctrina vniuerſa, ſecundum omnem ſui partem. Nam ne fingi quidem aliquid tertium poteſt: vt ſcilicet doctrinæ tribuatur aliquid, neque tamen tribuatur ipſi vel ſecundum ſe totam, vel non ſecundum ſe totam, id eſt, ſecundum partem.

Et non eſſe quidem Eccleſiæ notam, fidei doctrinam, ſecundum aliquam tantùm ſui partem, probatur euidentiſſimè huiuſmodi argumento. Si quid eſſe poſſit Eccleſiæ veræ commune cum hæreticis: id non eſt per ſe ſufficiens nota, ſeu ſymbolum veræ Eccleſiæ. Poteſt autem quæuis doctrinæ pars, vnà cum recto Sacramentorum vſu, communis eſſe Eccleſiæ veræ cum hæreticis, id eſt, cum ijs, qui ſine controuerſia ſunt extra Eccleſiam. Quare nulla doctrinæ pars poteſt ipſa per ſe, etiam cum Sacramentorum vſu, ſufficiens, atque certa eſſe nota Eccleſiæ. Id confirmatur. Quoniam ex Scriptura diuina ſuprà oſtendimus, hæreticos eos eſſe, qui vel vnicam fidei ſententiam pertinaciter inficiantur. Poteſt autem euenire, vt retenta quauis ſingulari parte doctrinæ, & vſu etiam legitimo Sacramentorum, negetur tamen hæreticè, atque pertinaciter vna quædam alia, vel altera fidei ſententia. Ita fit, vt quæuis doctrinæ pars, & vſus Sacramentorum legitimus, poſſit eſſe communis Eccleſiæ veræ cum aliquibus hæreticis. Ex quo efficitur, vti concluſimus,

non

non esse id certum, ac proprium symbolum veræ Ecclesiæ.

Quocirca plenissima vanitatis opinio est quorumdam Sectariorum, qui Sectarios alios, quantumuis de maximis hodie rebus à se dissidentes, ab Ecclesia vera, in qua se falsò esse putant, propterea exclusos esse non volunt, quoniam teneant illi, vt isti loquuntur, fidei nescio quod fundamentum, etsi fidei repugnent alioqui in nonnullis quasi secundarijs rebus. Credo autem (non enim satis ipsi se declarant) hoc fundamentum continere intelligunt ea doctrinæ dogmata, in quibus communiter illi omnes conspirant aduersùs Ecclesiam Catholicam. Vt, non comparari, scilicet, ipsis bonis operibus vitam æternam: Fas nobis non esse, quidquam boni ad obsequium Dei vltro facere, præter id quod lege iubeamur: Id si faciamus, idololatriam à nobis committi: Omnia, etiam iustorum, opera, quantumuis bona, esse per se horribilia peccata damnatione digna: Per Christi gratiam non prorsus peccata tolli: Vota castitatis, & paupertatis Euangelicæ non esse necessariò seruanda: Et cætera huiusmodi nefaria placita, in quibus ars istorum perfidiæ, tanquam in fundamento est constituta. Sed vtcumque nobis istud fundamentum interpretentur; certè statuunt illud non in doctrina fidei vniuersa, sed in aliqua tantùm parte doctrinæ, quæ sit ipsis quasi præcipua. Nam si fundamentum hoc illis esset tota fidei doctrina, non sanè concederent, eos etiam, qui contra doctrinam fidei in aliquibus rebus sentiunt, retinere tamen illud fundamentum, & ob id, vt dicunt, esse in Ecclesia. Atqui iam probatum est, nullam doctrinæ partem sufficere, vt non sis hæreticus extra Ecclesiam, si preterea quid aliud pertinaciter contra doctrinam fidei sentias. Quare nec illud istorum, qualecumque sit, fundamentum sufficiet: cùm illud esse ponant partem tantùm doctrinę.

Accedit quod sanctus Apostolus non fidei aliquam partem, sed ipsam fidem vniuersam nobis descripsit, atque commendauit, cùm eam asseruit esse [sperandarum rerum,] id est, salutis nostrę, quasi basim, atque fundamentum. Hoc illud fundamentum est, quod ad Ecclesię structuram est initio diuinitùs [positum, pręter quod nemò potest aliud ponere; quod est Christus Iesus,] per fidem nimirum nulla ex parte falsam aut fictam, sed vndequaque integram, atque absolutam, & viuam, inhabitans in cordibus nostris. Ab huiusmodi igitur firmissimo fundamento, si vel secundum minimam eius partem, quis decidat; etiamsi in alijs doctrinę partibus persistat; omnium fiet reus, vt D. Iacobus de transgressore legis loquitur, excidetque hoc ipso à fidei, atque adeò etiam ab Ecclesię vnitate. Quam rem pręclarè, vt omnia, sancti Patres, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Basilius, Augustinus, Athanasius, intellexerunt, quorum hac de re clarissima testimonia superiùs à nobis recitata sunt. Concludo ex ijs igitur, nullam doctrinę singularem partem, quod fuit mihi probandum, certam esse notam verę Ecclesię, siquidem quamlibet teneas doctrinę partem, aut fundamentum; hęreticus esse potes, si quacumque alia in parte pertinaciter fidei refrageris. Atque hoc ita esse, ipse etiam Sectariorum omnium pater Lutherus, vt cęterorum erga se mutuò conuitia omittam, apertè confessus est. Quamuis enim Zuingliani, & alij Sacramentarij in doctrinę multis capitibus, & vt hodie quidam istorum loquuntur, in fundamento, perfidię, cum Lutheranis consentiunt: tamen quia non per omnia cum ijs sunt concordes, ita scriptum reliquit Lutherus: [Hereticos, inquit, seriò censemus, & alienos ab Ecclesia Dei esse Zuinglianos, & Sacramentarios omnes.] Tum etiam Petrus Martyr, non ignobilis Sacramentarius: [Improbamus, inquit, nouam quorumdam opinio[illegible] qui affirmant, de controuersia Sacramentaria quemlibet posse absque fidei, atque salutis periculo, quam velit, amplecti sententiam.] Vel ipsorum igitur Sectariorum testimonio constat, vnicum etiam in fide errorem, si pertinacia accesserit, obstare, quominus salutem aliquis tanquam Ecclesię membrum adipiscatur, atque adeò nullam singularem partem doctrinæ, sufficientem ac propriam notam esse Ecclesię dignoscendę.

Deinceps probo, neque eiusmodi notam esse doctrinam fidei vniuersam, id est, omni ex parte incorruptam: id quod etiam in argumentatione nostra paulò antè sumpsimus, vt euinceremus, veritatem doctrinæ fidei nullo modo, sicut Sectarij contendunt, proprium atque sufficiens symbolum esse ad dignoscendam Christi Ecclesiam. Id verò cum multis argumentis ostendi possit, ego tantùm subiungam, quæ mihi maxima clarissimaque videntur.

Probatio Prima.

PRimò. Nota sufficiens, ac propria ad dignoscendam Ecclesiam omninò necesse est, vt sit omni hominum generi, atque conditioni accommodata. Omnes enim, vt ex Scriptura sacra planissimum est, ad Ecclesiam diuinitùs euocantur, neque vllus est, qui non diuina lege debeat, atque adeò qui non etiam prudenter possit, vel ad eam aggregare se, si est extra, vel in ea permanere constanter, si ipsius iam est membrum. Quam ad rem proculdubiò opus est, vt propriam, atque sufficientem Ecclesiæ dignoscendæ notam omnes possint dispicere, quò inter veram Ecclesiam Christi, & hæreticorum, aliorumque infidelium cœtus discernere valeant. At vniuersa fidei doctrina minimè, quidem eiusmodi nota est, quæ omnium hominum conditioni, id est, ad omnium captum, sit accommodata. Non est igitur ipsa idonea, atque propria Ecclesiæ dignoscendæ nota. Quid enim? An in Ecclesia Christi omnes sunt, aut etiam esse possunt, oculi, qui veritatis lumen in omnibus doctrinæ partibus ipsi peruideant? Anne omnes Doctores? Non certè. Sed quosdam, inquit, dedit Doctores. Neque quisquam omnino potest satis prudenter de doctrinę ipsius veritate in tam multis quęstionibus hodie controuersis iudicium ferre, nisi errore penitus animaduerso contrariorum argumentorum sciuerit quemadmodum fides saluberrima, quæ ad beatitudinem ducit, defendatur? [Atqui hac scientia, inquit verissimè D. Augustinus, non pollent

fideles plurimi, quamuis polleant ipsa fide plurimùm. Aliud enim, inquit, est, scire tantummodo quid homo credere debeat, propter adipiscendam vitam æternam: aliud autem, quemadmodum hoc ipsum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur: quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.

Quid quod benè cum ipsis etiam huius scientiæ Doctoribus agitur, si non aliqua in parte doctrinæ hallucinentur, à veritateque aberrent? Quod si illis tamen quandoque id accidit, qui professione Doctores, aut certè Theologi sunt, & vitam in sacræ doctrinæ studio consumpserunt; quis tam demens est, vt omnibus hominum ordinibus, id est, rudibus etiam, illiteratis, agricolis, opificibus & id genus, tantum cognitionis, atque intelligentiæ tribuat, vt eos censeat vniuersam fidei doctrinam non aliorum tantum auctoritate commotos veram esse sibi persuadere posse, sed intelligere quoque, & dijudicare, ac videre in omnibus illam suis partibus esse veram? Cogitet tantùm hìc Lector ea doctrinæ capita, de quibus hodie Sectarij partim nobiscum, partim etiam inter se contendunt: Nempè de originis peccato, de iustificatione hominis, de operibus, de cultu, de Sacramentis, deque alijs omnibus locis hodie controuersis, qui continent porro singuli varias admodum, atque multiplices fidei quæstiones. Profectò desipiat, qui à vulgo putet lucem ipsam veritatis in his omnibus doctrinæ partibus controuersis discerni ipsam per se satis, atque videri posse. Et tamen non dubium est, quin aliæ etiam sint, ac esse possint innumerabiles de fide quæstiones, cùm pateat vniuersa doctrina fidei multò latiùs, quàm illi loci, qui sunt his temporibus controuersi.

Ac sanè mihi venit in mentem hoc loco admirari vehementer, cur non timeant Sectarij futurum, vt illicò populi, quos seduxerunt, deceptos se esse animaduertant, cùm ab illis audiunt, veritatem incorruptam doctrinæ, de capitibus controuersis, notam esse propriam, & quasi tesseram, cuius indicio necesse sit ad Ecclesiam se adiungere eos, qui prudenter saluti suę voluerint esse consultum. Ratiocinabitur enim hìc secum facillimè homo Lutheranus, vel Sacramentarius illiteratus, seu Princeps ille sit, seu nobilis, seu mercator, seu aliquis opifex, seu etiam rusticus, in hunc modum: Qui consultè, ac prudenter in Ecclesia Christi sunt, ij notitia veræ doctrinæ de locis controuersis ad Ecclesiam sunt adducti; vti me docent mei Prædicantes. At ego mihi euidenter conscius sum, non intelligere me, neque satis dijudicare, ac videre ipsam fidei veritatem, in illis omnibus doctrinæ partibus; non enim studui literis, neque Theologus sum, neque adeò res ipsas (licet nomina quidem audiam) ita mente comprehendo, vt ad iudicandum de veritate doctrinæ controuersæ oporteret: non inquam, comprehendo satis, quid omnino sit peccatum naturæ, siue originis, quid redemptio generis humani, quid vnio personalis duarum naturarum in Christo, quid transubstantiatio, quid esse circumscriptum, vel incircumscriptum corporis Christi, quid iustificatio formalis, quid opus operatum, quid meritum, aliaque sexcenta, de quibus hodie maxima contentione disceptatur. Sed neque disputationes, & argumenta dissentientium partium conferre, atque momentis suis ponderare mihi facilè est, vt necesse haberem ad iudicandum in tot controuersis, de veritate ipsa doctrinæ. Non igitur ego sum consultè, atque prudenter in Christi Ecclesia. Sed aut sum extra illam, aut sum in ea non nisi temerè, nempè motus humana auctoritate, sicut in rei veritate sum, meorum Prædicantium, quos puto, licet ipse non intelligam, habere veram, ac consentaneam Scripturæ sacræ doctrinam. Quod si ita est, certè decipiunt me, cùm eiusmodi viam ad Ecclesiam, nempe cognitionem veræ doctrinæ, mihi ostendunt, per quam sum mihi sat conscius, & ipsi etiam sciunt, incedere me non posse. Hìc quomodo, quæso, expedient se Prædicantes?

Probatio Secunda.

SEcundò. Non modò, vt dictum est, omnibus facilis ad cognoscendum esse debet nota ipsa Ecclesiæ, sed cognitu etiam facilior, quàm id ipsum quod quæritur, nempe vtrum hic, aut ille cœtus hominum vera sit Ecclesia. Ideò enim alicuius rei notam appellamus, quod faciliùs ipsa in hominum notitiam incurrat, atque adeò perspicuum indicium sit rei magis abditæ, quam inquirimus. At omnium iudicio æque difficilè, imò difficilius esse putatur, statuere, vtrum homines hi vel illi complectantur sanam omnino doctrinam, quàm vtrum ex his, aut illis vera Christi Ecclesia, in Scripturis sanctis descripta, constet? Quare sana, atque incorrupta omnino fidei doctrina non potest idonea esse nota dignoscendæ Ecclesiæ. Nam, si Ecclesiam ex aliquo alio indicio cognoscere, faciliùs quàm ipsam per se doctrinæ veritatem intelligere, non esset, non ipsa tanquam magistra, & custos ipsius veritatis omnibus, ac præsertim cognitione paruulis proponeretur, vt illi tanquam firmamento, & columnę innitentes non circumferantur omni vento doctrinæ. Quod præclarè intelligens D. Augustinus Cathecumenum de ratione cauendi doctrinæ errores his verbis non frustra interrogantem alicubi facit: [Quo ergo, inquit, signo manifesto adhuc paruulus, & nondum valens liquidam à tot erroribus discernere veritatem; quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi, in quem iam credere tanta rerum antea prædictarum manifestatione compellor? Hìc certè minimè dubium est, quin Augustinus persuasus fuerit, faciliùs à rudi Cathecumeno, quæ sit Ecclesia Christi, in qua doctrinæ errores debeant vitari, cognosci posse, quàm ipsam per se liquidam veritatem à tot erroribus segregatam.

Itaque longè aliud Cathecumeno sic percontanti Augustinus respondit, quàm opinione Sectariorum debuisset respondere. Interroganti enim Christiano Cathecumeno, quo manifesto indicio, vt Agustinus inquit, ad euitandum errores Ecclesiam possit tenere, cùm alioqui paruulus ipse non valeat, liquidam veritatem discernere à tot erroribus, respondendum Sectarij putant, non alio indicio Ecclesiam ab eo esse dignoscendam, nisi illo

illo ipso, quod se non posse discernere verissimè ille asseuerat: nempè liquida, neque vllis erroribus contaminata, doctrinæ veritate. Augustinus verò id responsum, quoniam est stultissimum, Cathecumeno dandum non censuit: Sed ex Propheta Hieremia ei respondet, [Ecclesiam Christi ipsam esse prædictam, quæ omnibus eminet, & apparet. Ipsa est enim (vt ait Propheta) sedes gloriæ: de qua Apostolus dicit: Templum enim Dei quod estis vos. Vnde iste Propheta dicit: Sedes autem gloriæ exaltata est.] Sed quemadmodum ex claritate, & alijs, eiusdem Augustini quoque sententia, manifestis indicijs Ecclesia dignosci possit, postea dicemus. Nunc non eam esse notam Ecclesiæ, quam Sectarij volunt, scilicet doctrinæ veritatem, ea ratione probamus, quia non est notior hominibus, quàm ipsa Ecclesia.

Cui argumento non satis fecit nuper quidam Sectarius, cùm respondit indoctè, vt doctrinæ veritas sit Ecclesiæ nota, satis esse quòd natura sua sit notior, quàm Ecclesia, etsi non sit ea notior secundum nos. Hoc imperitissimè dici nemo dubitare poterit; qui rationem teneat notioris secundum naturam, & item notioris secundum nos. Natura enim notius id dicimus, quod habet in se plus rei, atque perfectionis. Nam cùm intelligentia nostra, in re ipsa, atque rei perfectione perspicienda versetur, illud, natura quidem sua, notius, seu magis cognoscibile est, quod natura plus habet perfectionis intelligibilis. Notius autem secundum nos illud dicitur, quod spectata nostræ intelligentiæ imbecillitate, humanaque conditione, facilius à nobis cognosci potest. Vndè fit, vt quia rebus perfectissimis perspiciendis, ob exiguum mentis nostræ lumen, impares sumus; illa secundum nos minus nota sint, quæ sunt notissima sua natura. Quod appositè Philosophus declarauit, vbi breuiter dixit: ita se habere intellectum nostrum ad ea, quæ sunt manifestissima natura, vt oculus noctuæ se habet ad lumen solis: quod etsi natura sua maximè omnium visibile sit, à noctua tamen vix videri potest. Iam verò cùm rei notam appellemus non id, quod in se plus habet, vndè cognosci possit, sed quod nobis inprimis ad rem obscuriorem facilius ex nostra parte cognoscendam adiumento est; profectò non est satis, vt rei nota sit notior natura sua, sed oportet, vt inprimis nobis ipsis, seù secundum nos, sit notior. Quare si doctrinæ veritas non secundum nos, vt isti fatentur, sed tantum tantùm notior, quàm Ecclesia est; nequaquam Ecclesiæ nota esse ipsa potest. Si enim, naturæ, atque intelligentię nostræ modo, & conditione spectata, notior nobis ad cognoscendum veritas doctrinę non sit, vt eius tanquam lumine, in videndo, vbi sit Ecclesia, iuuemur; quid, obsecro, nobis ad Ecclesię cognitionem ea nota valebit? Non plus certè (vt exemplum vrgeam Aristotelis) quàm lumen solis ad cernendum adiuuat oculos noctuæ. Verùm hi homines lynces in Scripturis videri volunt; cùm tamen repudiata Ecclesiæ luce, quæ ad intelligentiam Scripturarum necessaria est, vix tantum in illis videant quantum noctuæ, & vespertiliones in lumine Solis.

Probatio Tertia.

Tertiò. Valdè absurdum est, illud assignare pro sufficienti rei alicuius nota, quod ipsum tamen tanquam abditum, atque obscurum, vnà cum ipsa re, vel maximè inquiritur. Exempli causa, si quæram, in quonam loco Germaniæ cœlum sit salubre: ineptè atque etiam ridiculè respondebis, si tantummodò dicas, in eo loco salubre esse cœlum, vbi rarissimum est, vt homines propter aeris intemperiem ægrotent. Id enim ipsum est quod quæro, cuius proindè necesse est, vt aliquam aliam notam habeam. Sic, cùm quærimus, quisnam hominum cœtus sit Ecclesia; certè etiam inprimis quærimus, quis hominum cętus incorruptam teneat doctrinæ fidei veritatem: vt si ad eum nos aggregemus, de veritate securi simus. Videmus enim veritatem omnes, sibi Sectarios summa contentione arrogare; ideòque cùm audimus Ecclesiam esse firmamentum, & Columnam veritatis, & ea de re præclaras habere à Deo promissiones, quæ nequeunt fallere; Ecclesiam inquirimus, vt in illa quoque certò inueniamus doctrinæ veritatem. Item scimus, doctrinæ fidei veritatem ad ipsam Ecclesiæ substantiam, vt supra quoque notauimus, pertinere: Describitur enim Ecclesia esse congregatio verè fidelium, idest, eorum qui fidei doctrinam inuiolatam tenent. Hinc autem necessariò etiam efficitur, vt si cum iudicio, quinam cœtus Ecclesia sit, inquirimus; inprimis etiam quæramus, apud quosnam sit incorrupta doctrinæ fidei veritas? Quare respondere hìc, cum cœtum hominum Ecclesiam esse, qui fidei veritatem tenet; minimè satis erit.

Quam ad rem declarandam (quoniam, vel hoc vnum argumentum satis Sectariorum cæcitatem redarguit) vtar altero exemplo ex hac ipsa quæstione sumpto. Quæro enim à Sectarijs, vtrùm non sentiant, illam quoque, non minus certò, quàm constantiam in veritate doctrinæ, esse Ecclesiæ prærogatiuam, quòd extra ipsam videlicet nemini contingat æterna salus? Opinor in ea re Apostolo Petro non repugnabunt, qui ob eam causam Ecclesiam cum Arca Noe comparauit. Neque etiam reijcient peruulgatum illud dictum Augustini, atque aliorum Patrum: [Non potest Deum in cœlis habere patrem, qui non habuerit Ecclesiam in terris matrem.] Rursus ab eis interrogo, num percontanti, quis hominum cœtus sit vera Ecclesia; satis fuerit respondere, eum hominum cœtum veram Ecclesiam esse, extra quem nemini vnquam contingit salus? Negabunt procul dubio satis esse. Quam ob rem verò? Quia nimirum hoc ipsum, vel maximè, quis quærit, cùm de Ecclesia quærit; in quonam videlicet hominum cœtu, tanquam in vera Christi Ecclesia, sit certa salutis spes, vt ad eum tanquam ad Arcam in diluuio sese recipiant. Quare alia nota ipsis opus est, ex qua vtrumque intelligant, scilicet, & aliquem hominum cœtum esse veram Ecclesiam, & in eo solo proindè posse sperari salutem. Iam verò cùm, vt dictum est, pari modo doctrinæ veritatem, qui de Ecclesia inquirunt, vnà cum Ecclesia,

imò in ipsa substantia Ecclesiæ quærant, profectò non rectius ijs respondebitur, Ecclesiam esse eum cœtum hominum, qui veritatem tenet doctrinæ, quàm si respondeas eum cœtum esse Ecclesiam, in quo solo est certa salutis spes. Nam (quod sæpè repetendum est) veritatem inuenire cupimus, cùm Ecclesiam indagamus, in eiusque quasi gremio contineri volumus. [In ventre enim Ecclesiæ, inquit, elegantissimè D. Augustinus, veritas manet. Quisquis ab hoc ventre separatus fuerit, necesse est, vt falsa loquatur. Necesse est, inquam, vt falsa loquatur, quisquis, aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excussit.] Sic Augustinus, qui maximè certè hac oratione argumentum nostrum confirmat.

Ex quo planè intelligitur, crassissimam esse quorumdam Sectariorum ignorantiam, cùm nunc garriunt, ideò Ecclesiam ex veritate doctrinæ dignosci oportere, quia doctrinæ veritas sit illi intima, & substantialis. Atqui inde potius perspicere isti deberent, doctrinæ veritatem non esse idoneam, ac sufficientem Ecclesiæ notam, siquidem ipsa etiam in Ecclesiæ substantia, & tanquam in eius ventre, vt loquitur Augustinus, abdita, simul quæritur ab ijs, qui inquirunt Ecclesiam. Ideò enim alijs notis opus omnino est, quæ eam substantiæ rationem in vera Ecclesia nobis demonstrent. Tales autem notæ, vt paulò post ostendemus, sunt Ecclesiæ quædam manifesta accidentia. Quæ tantum abest, vt quia accidentia Ecclesiæ sunt, ideò esse nequeant (sicut imperitè isti ratiocinantur) Ecclesiæ notæ, vt vel eo nomine, maximè illis notæ ratio conueniat. Sunt enim ferè accidentia rei ipsa re clariora, faciliusque in hominum cognitionem incurrunt. Quæ ratio est, cur etiam Philosophus in vniuersum verissimè senserit, vniuscuiusque rei accidentia ad ipsius essentiam, siue substantiam cognoscendam conferre. Quòd si necdum hoc sibi persuadent Sectarij, sed doctrinæ veritatem eo ipso, quod Ecclesiæ substantiæ ratio est, sufficientem Ecclesię notam esse putant; obsecro, mihi dicant, si Deus talem aliquam naturam indiuiduam hominis conseruaret, in qua, nec humana figura, neque hominis vlla operatio, neque aliquod omnino humanum accidens, præter humanam substantiam esset, quod percipi posset: dicant, inquam, vtrùm ex sola substantiæ hominis definitione (nempè animal rationale) quæ nihilominus illi naturæ, tunc conueniret, posset omnino aliquis hominum deprehendere, naturam hominis illam esse? Nullus profectò, nisi Deus, vel Angelus, id cognoscere posset. Sunt enim nobis essentiæ ipsæ per se rerum obscuræ, & abditæ; neque ad eas intelligentia nostra, nisi per accidentia penetrare vllo modo potest. Quocirca doctrinæ veritas non eo ipso, quod essentia, seu ratio Ecclesiæ sit, sufficiens est Ecclesiæ nota: sed vt aliarum rerum, sic etiam Ecclesiæ accidentibus quibusdam ratio notæ competit.

Probatio Quarta.

QVartò. Vniuersa fidei doctrina incorrupta, atque integra non potest esse necessaria, & idonea nota eius rei, quæ vna quædam pars est doctrinæ fidei. Esset enim tunc, secundum eam quidem partem, nota sui ipsius: & sic seipsa quoad eam quidem partem deberet esse magis, & minus, prius & posterius nota, quod est planè absurdum. At vna quædam fidei doctrinæ pars est, quòd ille cœtus hominum sit vera Ecclesia, quæ reuera est. Non est igitur vniuersa fidei doctrina eius rei dignoscendæ necessaria, atque idonea nota. Sed neque fidei doctrina tota, hoc vno excepto fidei dogmate (nempè illum cœtum esse veram Ecclesiam, qui re ipsa est) pro idonea Ecclesiæ nota, assignari potest. Fac enim aliquem hominum cœtum de omnibus alijs fidei dogmatibus rectè sentire, & in illo solo articulo fidei errare: Credo sanctam Ecclesiam catholicam: certè, vel ob hunc solum errorem cœtus ille non vera Ecclesia fidelium, sed Synagoga esset hæreticorum. Ita fit, vt ne ex veritate quidem doctrinæ in reliquis omnibus fidei partibus, tanquam ex certa, & sufficienti nota, statui possit, aliquem determinatè cœtum esse veram Ecclesiam. Quanquam iam quidem, secundùm partitionem, quam supra fecimus, probationis nostræ contra Sectariorum notas, inprimis illud confirmamus, vniuersam omnino fidei doctrinam non esse idoneam notam Ecclesiæ. Quod autem, neque sit secundum aliqua dogmata (quæcumque illa fuerint) antea quoque est à nobis probatum.

Probatio Quinta.

QVintò. Neque verisimilis, neque diuinæ erga homines prouidentiæ consentanea res est, vt indè dignoscere, atque discernere oporteat Ecclesiam, quod, etsi falsò quidem, tamen summa cum facilitate singuli quique hæreticorum cœtus, sibi arrogant. Imò verò si quid tale est, id profectò non modò secundum Dei prouidentiam non est conueniens Ecclesiæ nota, sed ne nota quidem: cùm adeò parum ipsum sit notum, vt in eo falli, atque errare tam sit omnibus ijs procliue, qui in fidei rebus falluntur. At quàm facilè vniuersi hæretici de doctrinæ veritate, atque bono Sacramentorum vsu glorientur, quis est, qui ignoret? Certè & videmus id non absque dolore ipsi in omnibus huius ætatis Sectarijs (quod ne ipsi quidem diffiteri possunt, & de hæreticis similiter temporum superiorum) idem cognoscimus sanctorum Patrum testimonijs. [Facillimè enim, inquit Augustinus, ad imagines phantasmatum suorum carnales, atque seductores hæretici conuertunt omnia Sacramenta, & verba librorum sanctorum.] Quod idem alijs verbis beatus Irenæus, & Tertullianus testatum reliquerunt.

At enim, inquiunt Aduersarij, falsò, sibi hæretici verbum Dei, idest, fidei doctrinam arrogant. Certè. Nam à sententia, & intelligentia ipsa, in qua verbum Dei propriè consistit, aberrant, tantumque Scripturæ sacræ literis, tamquam melle, oblitum venenum opinionum suarum pro cœlestis doctrinæ succo venditant populis, quos miserè decipiunt. Sed quia tam facilè est vniuersis hæreticis doctrinam veram falsò, sibi

sibi arrogare, & eiusmodi prætextu Ecclesiam se esse cum multorum exitio persuadere: ideò rectè concludimus, non esse credibile, quin aliæ sint Dei beneficio clarissimæ notæ, quarum perceptione paruuli, etiam ac simplices, qui non valent ipsi liquidam (vt ait Augustinus) à tot erroribus discernere veritatem, possint ad Ecclesiam Christi, tanquam ad salutis tutissimum portum, sese recipere. Quid enim, quæso, alioqui faciat, seu rusticus, seu mercator, seu artifex, seu nobilis illiteratus, qui suę salutis cupidissimus diligentèr, atquę sollicitè interrogat, apud quosnam Ecclesia sit, quorum cœtui aggregare se debeat? Obit eius rei causa Germaniam, & Galliam totam; interrogat Zuinglianos, Lutheranos, Hussitas, Anabaptistas, & harum omnium Sectarum quascumque factiones, in quas vnaquæque rursus multipliciter variéque diuiditur. Audit ab omnibus eiusmodi Sectarijs pari contentione sibi dici, Ecclesiam Christi eam esse, quæ veritatem doctrinæ retinet, & rectum vsum Sacramentorum: Se autem omnino eos esse, qui veram doctrinam, & Sacramentorum rectum vsum retineant: Proinde suum ipsorum cœtum esse Christi Ecclesiam, cui aggregare vnusquisque se debeat. Hæsitat hic animo miser ille; cùm omnes eiusmodi Sectarios videat æquè sibi auctoritatem Ecclesiæ vendicare, neque ipse satis ex differentia doctrinæ (quæ pro nota ei proponitur) dijudicare valeat quinam potius ex illis sint vera Ecclesia. Quod si de peccato, de iustificatione, de meritis, de Sacramentis, deque alijs doctrinæ capitibus hodie controuersijs explicare ipsi velis, quæ sententia sit verior: obsecro quid ipsum iuuas? An enim hominem illiteratum de ijs rebus rectè iudicaturum arbitraris, quas vix Theologi, multorum annorum spatio, in Scholis discere potuerunt? Audiet verba, quæ proferes, & nonnihil etiam fortassis intelliget. Sed nisi demens quoque, & non tantùm illiteratus eiusmodi homo sit, euidenter sibi conscius erit, se res illas (etiam quod attinet tantùm ad ipsa puncta his temporibus controuersa, vt nihil de exactiori cognitione Theologicorum dogmatum dicamus) non ita certè intelligere, vt valeat ipse liquidam à tot erroribus discernere veritatem. Quid igitur talibus facias? Ad scholas ne omnes ducendi sunt, vt inde, cùm intellexerint doctrinæ veritatem, deduci demum, eius notæ beneficio, ad veram Ecclesiam possint? Profectò fuisset crudele, & est adeò incredibile, Deum non per alias notas Ecclesiæ clariores, minusquę fraudi hæreticorum expositas, voluisse hominum saluti consulere.

Probatio Sexta.

SExtò: Maximum pondus in fidei controuersijs, Ecclesiæ veræ auctoritatem habere, & eam idcirco rectissimè ad reuincendos errores in eiusmodi quæstionibus interponi, extra omnem controuersiam est. At nec valeret Ecclesiæ auctoritas in eiusmodi quæstionibus aliquid, nec in illis iure interponi posset, si veritas doctrinæ fidei integra, atque incorrupta, esset nota necessaria ad dignoscendam Ecclesiam. Non ea igitur Ecclesiæ nota debet statui. Iam confirmo, quæ sumpsi singula. Ac primùm, quod Ecclesiæ auctoritas in fidei quæstione valeat, interponique possit, ne ipsi quidem Sectarij negant. Nam etsi disputant perfidè, hanc Ecclesiæ auctoritatem non esse ipsam infallibilem, non iudicant tamen nullam esse, quin potius confitentur ad eam rem omnino valere, vt instituta per Ecclesiam diligenti inquisitione doctrinæ, dijudicentur, atque notentur errores, & hæreticorum audacia comprimatur. Neque enim (inquit è præcipuis Sectarijs quidam) Ecclesia Dei, motis præsertim de religione controuersijs talis cœtus est, vbi nulla fiat de controuersijs ex verbo Dei inquisitio, nulla sententiarum collatio, nulla dogmatum dijudicatio, sed quisque fingat, & præsumat sibi peculiarem, quam amplecti, & tueri velit, sententiam, Sed ideò Deus voluit esse communionem, & consociationem, vt instituta de controuersijs inquisitione doctiores in verbo Dei fundamenta veræ sententiæ alijs ita præmonstrent, vt ipsi agnoscere possint, quæ sententia, vt Orthodoxa sit amplectenda, quæ verò opiniones, vt falsæ sint damnandæ, vt ita errantes in viam reuocentur.] Et habemus pro auctoritate, quæ est in Ecclesia iudicandi de rebus fidei (si maximè eam Sectarij nullo modo concederent) illustria Scripturæ sacrę sanctorumque Patrum testimonia. Si enim columna, & firmamentum est ipsa veritatis; cur non in quæstionibus de veritate ad confirmationem nostram audiri debeat, ne omni circumferamur vento doctrinæ? Si diuina veritas, vt testatus etiam est Dauid, in Ecclesia est Sanctorum, & tamquam in eius ventre, vt Augustinus interpretatur, delitescit; nonne iure, ac merito explicationem veritatis de ore ipso Ecclesiæ requiremus? Ibi est enim diuinitus positum, id est, ibi sonat ipsius Dei verbum: neque tam ipsa est, quæ loquitur, quàm Spiritus ipse diuinus, qui suggerit illi omnia, quem proinde iudicem audimus, cùm audimus Ecclesiam de fidei quæstionibus pronunciantem. Atque hoc ipsum etiam veteres Patres de Ecclesiæ auctoritate præclarè intellexerunt, & testati sunt. Quam tanti fecit Diuus Augustinus, vt ne Euangelio ipsi quidem (quod caput est doctrinæ fidei) crediturum se fuisse dixerit, nisi haberet Ecclesiæ auctoritatem. Qui rursus ibidem pluribus verbis contestatur, eadem Ecclesiæ celeberrima auctoritate, retentum etiam in Ecclesia fuisse se, nempe vt pergeret credere: magna profectò, vt fuerit impudentia Kemnitij, & Caluini, quòd Augustinum motum initiò Ecclesiæ auctoritate fuisse, vt fidem Euangelio adhibere inciperet, non autem postea, vt in ea item fide perseueraret, finxerunt. Item Augustino antiquior D. Irenæus: [Non oportet, inquit, quærere apud alios veritatem, quam facilè est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli, quasi depositorium diues, plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis, vti omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus: Omnes autem reliqui fures sunt, & latrones: propter quod oportet deuitare quidem illos: Quæ autem sunt Ecclesiæ, magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem.

nem. Quid enim si aliquibus, vel de modica quæstione disceptatio esset; nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis sumere quod certum, & de re liquidum est?] Item Tertullianus: [Quid, inquit, Christus Apostolis reuelauerit, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt.] Quod autem præterea in argumento sumpsimus: Si veritas doctrinæ fidei integra, atque incorrupta, esset nota necessaria dignoscendi, quę sit Apostolica, atque adeò vera Christi Ecclesia; nihil omnino in quæstionibus de doctrina fidei valere posse Ecclesiæ auctoritatem; id verò probo manifesta ratione. Nam si quis eam interponeret, illico tunc liceret obijcere; cùm Ecclesia vera ex incorrupta prorsus doctrina dignoscenda sit, non antè constare, vtrum cœtus ille hominum, cuius sententia, & auctoritas allegatur, sit vera, & Apostolica Ecclesia, quàm fuerit de illa ipsa sententia alijs argumentis constitutum vtrum vera sit: proinde cùm adhuc ea de re disceptetur, minimè licere in aliquam eius quæstionis partem auctoritatem, atque sententiam vllius cœtus hominum tanquam Ecclesiæ veræ interponere. Atqui constat ex ijs testimonijs, quę attulimus, plurimum sine controuersia in fidei quibusque quæstionibus auctoritatem Apostolicæ, veræque Ecclesiæ valere debere, atque adeò iure optimo, tum ad probandum, tum ad reuincendum interponi posse. Non est igitur doctrinæ veritas incorrupta necessaria, atque idonea nota Ecclesiæ veræ dignoscendæ: Si enim esset; auctoritas Ecclesię, vt probatum est, nihil omnino tunc valeret: Quod absurdissimum est.

Quoniam igitur veram doctrinam fidei neque in vniuersum integram, atque incorruptam, neque etiam secundum vllam eius partem, aut partes, idoneam, atque necessariam Ecclesiæ notam esse, demonstratum est: coguntur pati Aduersarij, vt ex alijs notis, quę sit vera Ecclesia dijudicemus. Et dico, coguntur, quoniam non possunt non inuiti eam rationem de Ecclesia vera disputandi admittere, quæ ipsos euidenter ostendit esse planè extra Ecclesiam veram. Nam, vt suprà dicebamus, veritatem doctrinæ notam Ecclesiæ esse contendunt, non tam, vt ex illa ipsi ostendant (quod planè desperant) esse se in Ecclesia vera, quàm vt infinita quæstione primùm de veritate doctrinæ instituta nos impediant, atque retardent, quo minus ex alijs idoneis Ecclesiæ notis, à quibus omnibus defecerunt, clarè videamus, eos ex Ecclesia Christi exiuisse, quod hæreticorum est proprium.

Veræ Ecclesiæ notæ stabiliuntur.

Sed quænam tandem illæ sunt notæ? Omnino in Ecclesia, quemadmodum neque in alia vlla re, præter ipsius essentiam, & accidentia nihil inest. Ostendimus autem euidenter paulò antè, essentiam ipsam Ecclesiæ, ad quam veritas doctrinæ fidei pertinet (est enim congregatio verè fidelium) nequaquam esse satis, vt aliquem hominum cœtum Ecclesiam veram esse dignoscamus. Si enim ad probationem aliud nihil sumas, quàm quod hic, vel ille cœtus sit congregatio verè fidelium baptizatorum, &c. (hæc enim est ratio, & essentia Christianæ Ecclesiæ) nihil omninò effeceris. Hoc enim ipsum alijs ex notis volo mihi confirmes, sicut paulò antè contra nimis arrogantem Aduersariorum inscitiam argumentati sumus. Restat igitur, vt accidentia alia quædam, seu proprietates Ecclesiæ sint illius notæ. Sed quia multa, ac varia, vt suprà docuimus, sunt Ecclesiæ accidentia siue proprietates, intelligendum est, & quid in ijs requiratur, vt sint Ecclesiæ notæ, & quid etiam, quo minus sint, non impediat. Requiritur ergo primùm, vt omnino Ecclesiæ veræ conueniant; atque etiam, vt illi soli, qua ratione quidem assignabuntur pro Ecclesiæ notis. Nam si aut Ecclesiæ veræ non competunt, aut in alijs cœtibus, qui Ecclesia non sunt, reperiuntur, non poterit ex illis certò, atque propriè dignosci ille cœtus hominum, qui solus est Ecclesia Christi vera. Deinde etiam necesse est, vt sint eiusmodi accidentia cognitu facilia omnibus, & quidem clariora, ea ipsa re, quæ quæritur, nempe vtrum hic, aut ille cœtus sit Ecclesia, id est, congregatio eorum, qui veram fidem habent. Nam id est de ratione notæ, sicut demonstrauimus paulò superiùs. Non impedit verò neque tollit rationem notæ, quod quædam ex eiusmodi Ecclesiæ accidentibus non iam inde ab eius exordio ipsi conuenerunt. Satis est, si secundum certissimas Scripturas ei competant in eo statu, quem iam habet, quemque habitura fuit post disseminatum Euangelium in orbe per prædicationem Apostolorum. Quæritur enim iam post Apostolorum tempora Ecclesia in eo velut ætatis suæ statu, quem habet, & fuit habitura post ea tempora, non autem in illo, quem, vel in ortu suo, vel in primo progressu habuit ad breue tempus, tamquam in infantia. Quare illa accidentia, quæ in hoc statu ipsi competunt, illius sunt in hoc statu notæ, licet non illis prædita fuerit etiam initio, cùm primùm oriretur. Sicut contrà quoque, alijs quibusdam ex accidentibus, tamquam ex notis, in suo primordio cognosci Ecclesia potuit, ac etiam debuit, quibus nunc quidem post Euangelij propagationem non perinde est prædita. Erant illis temporibus Ecclesiæ notæ non modò quædam eius proprietates, quas nunc habet, & tunc etiam habebat (vt quod erat vna, Apostolica, &c.) sed etiam mira quædam prodigia, & signa visibilia, quæ tunc cernebantur in Ecclesia, id est, in cœtu fidelium. Quas notas ipse miraculorum auctor Dei filius assignauit, atque ostendit hominibus. [Nam, signa, inquit, eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, &c.] Atque etiam descendebat visibiliter Spiritus sanctus super ijs, qui manuum impositione ab Apostolis confirmabantur. Hæc signa non perinde nunc in Ecclesia fiunt: neque tamen id impedit, quo minus tunc, cùm illis ornaretur Ecclesia, notæ ipsius, vt erat quidem in illo statu, fuerint. Ita vicissim, post propagatum Euangelium, alia quædam Ecclesiæ accidentia, quæ statim exponemus, Ecclesiæ notæ sunt in hoc Ecclesiæ statu: tametsi non etiam illis initijs fuerint in Ecclesia.

Quæ explicatio ignorantiam, errorem-que quorundam Sectariorum perspicuè redarguit, qui putant nunc aliquid se dicere, cùm argumentantur, claritatem, & diffusionem, & similes prærogatiuas Ecclesiæ, de quibus statim dicemus, ideò Ecclesiæ notas esse non posse, quoniam illis aliquando caruit Ecclesia: quæ tamen tunc etiam cognosci debuit, ac potuit. Non enim cogitant, cum differentia status Ecclesiæ, vt explicatum est, differentiam notarum eiusdem Ecclesiæ optimè congruere. Quocirca perperam etiam, atque inscitè concludunt, idoneam, atque necessariam Ecclesię notam omni tempore esse doctrinæ veritatem, quia ea nunquam Ecclesia caruerit, cùm sit de eius essentia. Contrarium enim, vt suprà demonstraui, concludere deberent. Nam quia de essentia Ecclesiæ est, perpetuò doctrinæ veritas, inde fit vt inprimis ipsa quæratur, cùm quæritur Ecclesia, atque adeò, vt ex alijs notis indicari ipsa in Ecclesiæ quasi ventre, vt loquitur Augustinus, & antè in illis initijs debuerit, vt explicatum est, & nunc etiam debeat. In Ecclesia enim sicut depositorium, vt Irenæus inquit, cœlestis doctrinæ veritas custoditur: atque adeò non satis ipsa per se patet, nisi Ecclesia, quæ custos & depositaria eius est, auctoritatem suam, tanquam clauem, ad Scripturam admoueat, & aperiat. Prorsus, vt non minus absurdum sit, veritatem facere notam Ecclesiæ, quam si ex re deposita, bene, atque arcanè custodita, cognoscere velles, quis & qualis sit depositarius, & non potiùs ex depositario quæreres de re ipsa deposita. Sed quemadmodum Ecclesia non ex essentia sua, ad quam spectat veritas, sed ex eius accidentibus, tanquam ex notis, cognosci debeat; & qua id ratione possit accidentibus conuenire, satis hactenus expositum est.

Nunc assero, secundum eam doctrinam, notas dignoscendæ Ecclesiæ esse priores sex proprietates, ex illis octo, quas suprà ostendimus, Ecclesiæ Christi conuenire: videlicet, quòd sit vna, Catholica, sancta, Apostolica, rectè ordinata, visibilis. Has siue proprietates, siue prerogatiuas Ecclesiæ, simul saltem, atque coniunctim consideratas, affirmo necessarias, atque sufficientes illius notas esse, secundum eum quidem statum, quem post disseminatum in orbe Euangelium habet, & habitura est vsque ad tempus consummationis sęculi. Nulla est enim earum Ecclesiæ prærogatiuarum, quæ secundum aliquam saltem notionem ipsius, vt explicabimus, facilior cognitu apud omnes non sit, quàm ipsa ratio Ecclesiæ, & præterea omnes conueniunt Ecclesiæ, vt suprà probatum est; atque etiam soli ipsi, saltem si coniunctim, ac simul omnes illæ, vel etiam pleræque earum considerentur. Quod ideò sic dico, quia fieri fortè posset, vt aliqua prærogatiua illarum per se sola, & separatim ab alijs, reperiretur in aliquo cœtu hominum, qui non sit vera Ecclesia (vt claritas per se, verbi gratia) sed vt aliqua illarum prærogatiuarum simul, atque coniunctim cum omnibus reliquis, aut illarum plerisque, in alio cœtu, nisi in Ecclesia vera reperiatur, fieri secundum legem quidem Dei ordinariam non potest. Quoniam via, & ratione omnino tunc careremus, Ecclesiam Dei certò internoscend (vti etiam iubemur) secernendique ab alijs hominum conuenticulis, qui Ecclesia non sunt. Quod diuinæ erga nos prouidentiæ nullo modo consentaneum esset. Non enim ex ipsa alioqui Ecclesiæ essentia, atque adeò neque ex doctrinæ fidei veritate, aut ex officijs, seu ritibus, de quibus ex doctrina iudicandum est, satis ab omnibus Ecclesia dignosci potest, vt suprà euicimus. Neque verò præter doctrinæ veritatem, & ritus ex doctrina pendentes, aliud aliquid ipsa Ecclesiæ essentia clariùs ordinariè in Ecclesia animaduertere licet, nisi iam numeratas illas eius prærogatiuas. Quare restat omnino, vt ex illis, saltem coniunctim consideratis, tanquam ex suis proprijs notis dignosci Ecclesiam oporteat. Et certè Scriptura sacra manifestè hoc ipsum indicat, dum propriè per hæc ipsa accidentia Ecclesiam nobis, qualis ea post Euangelium disseminatum futura fuit, describit, vt suprà perspicuis testimonijs, pro vnaquaque earum proprietatum adductis, docuimus. Inde enim fit, vt qui sibi persuadeat, eam congregationem esse Ecclesiam, in qua omnes eiusmodi proprietates, quæ quidem ab omnibus facilè cognosci queant, sicut Ecclesia debet cognosci ab omnibus, animaduertit: is planè Scripturam sacram, tanquam Ducem Ecclesiam indicantem, sequatur. Quamobrem ne in errorem homines à Scriptura ipsa per se, cùm ita de vera Ecclesia ratiocinantur, induci aliquando possint; necesse prorsus est, eiusmodi accidentia, seu prærogatiuas (saltem coniunctim) esse proprias, ac certas Ecclesiæ notas, quæ nequeant proinde secundum legem quidem Dei ordinariam in alio cœtu hominum, qui non sit Ecclesia, reperiri. Atque hoc ipsum pręclarè sanctos Patres intellexisse, inde perspicuum est, quod non nisi ex ijs proprietatibus, vt videbimus, contra hæreticos suis temporibus Ecclesiam veram asseruerunt, illosque ab ea desciuisse conuicerunt. Hæc vis illius Diui Augustini sententiæ est: [Nolo, inquit, humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.] Quia nimirum Scriptura est, quæ quibusdam in locis clarissimè (non enim vbique planè obscura est) nobis eas Ecclesiæ proprietates indicat, ex quibus illa tanquam ex notis probari debeat. Porro septimam, & octauam proprietatem Ecclesiæ suprà numeratas, nempe assistentiam, atque directionem Spiritus sancti perpetuam, ne vnquam aberret à veritate; & certam in ea sola spem comparandæ ęternæ salutis; ideò in Ecclesiæ notis non etiam pono, quia licet illi quoque proprietates istæ, vt suprà probauimus, maximè conueniant, tamen sunt cognitu difficiliores, quàm ipsa Ecclesia, vt ex ijs patet, quæ antè sunt à me disputata.

Demon-

Demonstratur ex legitimis notis Ecclesiam solam Romanam esse veram Ecclesiam.

PRobo igitur ex notis iam assignatis solam illam congregationem, seu cœtum hominum, qui Romano Pontifici pro tempore existenti paret, esse veram Christi Ecclesiam, hoc modo: Illa hominum congregatio sola est Ecclesia Christi, quæ eadem est, & vna, & sancta, & Catholica, & Apostolica, & rectissimè ordinata, & visibilis, hoc est, in luce hominum perpetuò constituta. Sola autem ea congregatio, quæ Romano Pontifici pro tempore existenti paret, & nulla alia est talis. Igitur ipsa sola est Ecclesia Christi. Prior propositio, scilicet illam solam hominum congregationem esse Christi Ecclesiam, quæ est vna, sancta, &c. satis hactenus probata est tum ijs testimonijs, quibus eas Ecclesiæ proprietates suprà asseruimus, tum etiam ijs rebus, quæ de Ecclesiæ notis disputatæ iam sunt. Solam autem congregationem, quæ Romano Pontifici pro tempore existenti paret, esse talem, nempe vnam, sanctam, Catholicam, &c. id verò nunc ordine probandum est. Neque verò in hac probatione omnes eas notiones persequemur, quas suprà docuimus spectare ad huiusmodi Ecclesiæ proprietates, sed illas dumtaxat, quas cognitu facillimum sit alicui hominum cœtui competere.

I. Talis est potissimùm in vnitate Ecclesię doctrinæ fidei consensio. Hanc in sola congregatione, quæ Romano Pontifici paret, nunc reperiri facilè probatur. Nam ea sola rationem accommodatam ad retinendam in doctrina concordiam retinet: in qua re suprà euicimus hanc doctrinæ fidei vnitatem propriè consistere. Ipsa enim vnum Pastorem rectissimè, vt suo loco probabitur, agnoscit, cuius iudicio in fidei controuersijs acquiescit. Vel, vt Cypriani verbis vtar, quibus Ecclesiam definit, ipsa est [plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens.] Itaque quàm facile est in Ecclesia cognoscere, quid summus Pontifex de fidei quæstionibus cum auctoritate, hoc est, vniuersam Ecclesiam obligando decernat: tam est Ecclesię facile retinere in doctrina fidei consensum. Contra verò hæreticorum omnium conuenticula, dum Scripturarum, atque adeò fidei explicationem alicui certæ auctoritati, tanquam diuina assistentia infallibili, non committunt; sed vnicuique Scripturam solam, vt vnicam, ac sufficientem fidei regulam proponunt; necesse est, vt in tot sententias de fide ipsa diuersas distrahantur, quot sunt ferè capita. Quod & experientia plus satis profectò docet. Ita non retinent doctrinæ fidei vnitatem: quoniam non sequuntur in doctrina rationem accommodatam ad consensum, sed eiusmodi prorsus, quæ sectas ipsa varias identidem pariat, vt variè à varijs Scriptura ipsa intelligitur. Nam quod dicunt, Scripturam esse cognitu facilem; suprà ostendimus, qui sibi id persuadent, eos propemodum etiam insanire. Quid enim esse causæ censebimus, quam ob rem Lutheri doctrina, dum Scripturam tantùm, id est, Lutheri de Scriptura sensum, est sequuta, tot sectas differentes ipsa protulerit, quot passim etiam in tabulis depictæ monstrantur? Nempe quia Scriptura, quam solam proposuit discipulis suis Lutherus, facillimè potuit diuersis modis intelligi, cùm sit ea hominibus ipsis quidem, ob multas causas superiùs expositas, ad intelligendum difficilis. Neque verò aliqua ex illis ipsis sectis, quæ ex Lutheri quasi prima disciplina prodierunt, magis iam vna, & suaptè ratione consentiens secundum doctrinam fidei, quàm illa prima disciplina Lutheri dici potest. Nam cùm similiter vnaquæque sectarum Scripturam solam sequendam sibi nunc proponat; illarum quælibet est similiter suapte ratione, vt ita dicam, dissolubilis porrò, atque dissipabilis: Siquidem nihil procliuius est, hominibus præsertim æquè imperitis, ac superbis, quàm varias admodum de Scriptura opiniones comminisci.

Quod si nobis isti respondeant, se satis hoc ipso doctrinæ vnitatem retinere, quod tamdiù quidem omnes consentiunt, quamdiù in vna aliqua secta, vt Sacramentaria, vel Vbiquitaria, vel Illyricana, &c. numerantur: iam suprà docui non propriè in actuali consensu, sed potissimùm in ratione accommodata ad retinendum consensum ponendam esse necessariò hanc prærogatiuam vnitatis, quæ propriè tribuitur Ecclesiæ veræ. Non enim alioqui Ecclesia Dei ab hæreticorum cœtibus vnitate doctrinæ differret: cùm, vt suprà docui, nullus vnquam hæreticorum fuerit cœtus tam exiguus, in quo non actu, fuerint in quæstionibus fidei consentientes, qui ad ipsum pertinuerunt, quamdiù pertinuerunt ad eum quidem. Et tamen sancti Patres antiquis etiam nihilominus hæreticorum sectis diuisionem, atque doctrinæ schismata, & varietatem rectissimè obiecerunt: quia cum omnibus hæreticis commune fuerit Scripturis solis, id est, suo de Scripturis sensu niti velle: in ipsa sectarum omnium ratione radix fuit, & causa dissensionum. Hinc Donatistarum secta, seu pars, vt Augustinus inquit, in minutissima frustra concisa fuit. Quod similiter de alijs hæreticis, alij Patres memoriæ prodiderunt. [Variant enim, vt inquit Tertullianus, hæretici inter se, dum vnusquisque pro suo arbitrio modulatur, quod accepit; quemadmodum ea pro arbitrio composuit ille, qui tradidit. Quare idem licuit, inquit, Valentinianis quod Valentino, sicut & Lutheranis quod Luthero, Marcionistis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innouare. Denique penitus inspectæ omnes hæreses in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.] Ergo doctrinæ vnitas in Ecclesia vera, inprimis etiam ratione accommodata ad retinendum doctrinę consensum continetur. Qua ratione, quia carent, vt ostendi, omnes sectæ: nulla illarum vera Ecclesia est: sed sola Ecclesia Romana. Hęc enim, vt ex Cypriano repetam, plebs est sacerdoti adunata, & grex pastori suo adhęrens. Quem quidem dum audit, vnitatem doctrinę retinet: sicut contrà non aliunde hęreses obortę sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tēpus sacerdos, & ad tēpus iudex vice Christi cogitatur, vt idem inquit Cypr.

II. Iam

II. Iam verò quod sola congregatio, quæ Romano Pontifici pro tempore existenti paret, sit catholica, eodem modo probamus, quo probauerunt id olim sancti Patres, vt hęreticos sui temporis ostenderent exiuisse ex Ecclesia. Ille enim cœtus inprimis catholicus est, qui communicat in fidei, & religionis christianæ instituto cum omnibus per orbem gentibus; vt ex instituto etiam suscepit Augustinus probandum in peculiari libro, quem de vnitate Ecclesiæ conscripsit. Solus autem cœtus, qui Romano Pontifici nunc paret, ita communicat cum omnibus gentibus, hoc est, credit, quod vbique, quod ab omnibus nationibus creditur, igitur ille solus catholicus est. Sed præstat audire Augustinum, qui contra Donatistas maximè argumentum hoc ita tractat, vt planè etiam videatur contra Sectarios hodiè propugnare causam Ecclesiæ Romanę, sicut tunc etiam propugnabat. [Cum Christi Ecclesia, inquit, catholica canonicarum Scripturarum diuinis, & certissimis testimonijs in omnibus gentibus designata sit: quidquit attulerint, aut vndecumque recitauerint, qui dicunt; Ecce hìc est Christus, ecce illic; andiamus potius, si oues eius sumus, Pastoris nostri vocem ibidem dicentis; Nolite credere. Singulæ quippe hęreses in multis gentibus, vbi Ecclesia Catholica est, non inueniuntur: Hęc autem, quę vbique est, etiam vbi illę sunt, inuenitur.] Item: [Audite, inquit, hęretici, quid scriptum sit: Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prędicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes. Omnes gentes totus mundus est. Ecclesia totum possidet, quod à viro suo accepit in dote. Quęcumque congregatio cuiuslibet hęresis in angulis sedet, concubina est, non matrona.] Nonne videtur cum Sectarijs hodiè loqui? Hoc enim est in angulis sedere, & tanquam concubinam esse, in paucis prouincijs (vt hodiè euenire Sectis omnibus cernimus) locum habere; in plerisque alijs omnibus, aut omnino non esse, aut latere, non se prodere, non manifestè per orbem dilatari. Quod perindè est, ac omnino non esse. Nam Ecclesia Christi continuò succrescit, [vsque ad messem, & plamites suos vsque ad mare extendit, neque sub modio delitescit, sed Domini luce perfusa;] vt Cyprianus, inquit, per totum orbem radios suos porrigit: vt videmus num etiam facere vberrimè in immensis illis Orientis, atque Occidentis plagis. Contrà Sectarij in penetralibus sunt, & vbera habent arentia. Sed audiamus adhuc pro nobis contra Sectarios loquentem D. Augustinum: [Quoniam Ecclesiam Dei, inquit, quę catholica dicitur, sicut de illa prophetatum est, per orbem terrarum diffusam videmus: arbitramur nos non debere dubitare de tam euidentissima impletione sanctę prophetię. Nam & in capite sacrosancti Psalterij scriptum est de Filio Dei: Postula à me, & dabo tibi gentes hęreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrę.] Item contra Petilianum: Obijcio, inquit, tibi, Lutherane, vel Caluinista, [Schismaticis crimen, quod tu negabis, ego autem statim probabo. Neque enim communicas omnibus gentibus, & illis Ecclesijs Apostolico labore fundatis.] Item: [Tenet me, inquit, in Ecclesia ipsum catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, vt cùm omnes hæretici se catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad catholicam conueniatur, nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Velint enim nolint,] inquit, alibi idem Augustinus, [ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud, quàm catholicam vocant, non enim possunt intelligi, nisi hoc nomine eam discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur.] Exemplum planè hodie habemus in ijs etiam regionibus, in quibus aliquis sectis locus est, vt in Germania. [Quamuis enim Ecclesiæ Catholicæ variæ hæreses, ait idem Augustinus, diuersa nomina imponunt, cùm ipsæ singulæ proprijs vocabulis appellentur,] tamen apud ipsos etiam hæreticos nomen potissimùm catholicæ ea Ecclesia obtinuit, quæ verè catholica est, nempè quæ sequitur fidem Romanam. Quod vel ipsi certè librorum catalogi, qui conficiuntur in nundinis Francfordiæ singulis, anni bini ab ipsismet hæreticis, declarant. Libros enim, qui à catholicis auctoribus scribuntur, libros vocant catholicos, qui Romanæ, inquiunt, Ecclesiæ subijciuntur. Quo nomine, & titulo eiusmodi libros ab alijs libris discernunt, qui sunt à Sectarijs hominibus compositi, quos illi Protestantes, Theologos appellant, catholicos autem appellare non audent: non enim intelligerentur, vt inquit, Augustinus. Sed & alios Patres præter Augustinum audire operæprecium est, qui hac eadem nota catholicæ, cœtum eorum, qui veram fidem amplectuntur, idest, Ecclesiam Christi ab hæreticorum conuenticulis discernunt. [State, inquit magnus Basilius, in fide; ipsum orbem inspicite, & videte, quàm modica sit ea portio, quæ hoc morbo laborat. Reliqua verò vniuersa Ecclesia, quæ ab orbis finibus, vsque ad fines Euangelium recepit, sanam hanc, & rectam fidem sectatur; à cuius communione, vt ne excidatis, petimus.] Item Tertullianus: [Nos, inquit, communicamus cum Ecclesijs Apostolicis,] idest, ab Apostolis fundatis, [quod nulla doctrina aduersa facit. Hoc est testimonium veritatis.] Hieronymus: [Poteram, inquit, omnes propositionum tuarum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare.] Optatus Mileuitanus: [Cùm manifestum, inquit, sit & ipsa luce clarius, nos cum tot innumerabilibus populis esse, & tot nobiscum prouincias; iam videtis vos in parte vnius, aut alterius regionis positos, & ab Ecclesia vestris erroribus separatos, frustra vobis solis hoc nomen Ecclesiæ cum suis dotibus vendicare.] Item Cyprianus ea ratione probat, Nouatianos hæreticos esse, & ab Ecclesia alienos, quia constat, inquit, [eos cum corpore Ecclesiæ non conuenire &c.] Et Vincentius Lyrinensis: [In Ecclesia, inquit, catholica, ad quam non vna natio, non vnus angulus, sed multitudo maris conuertitur, id teneamus quod ab omnibus, quod vbique quod semper creditum est.] Præclarè igitur, vt alios omittam, Pacianus annotauit, christiani nomine à Paganis, & Iudæis, catholici autem cogno-

mine ab hæreticis fideles distingui: [Ne æstues, inquit, frater, christiani mihi nomen est, catholicus verò cognomen; Illud me nuncupat, istud ostendit, hoc probor, indè significor.]

Hæc omnia iure suo certè Ecclesia Catholica, nunc etiam sibi vendicat, nec ad vllam accommodari possunt sectam recentium hæreticorum. Sola enim Ecclesia, quæ Romana paret Pontifici, per vniuersum orbem pertinet, velcertè in dies per eum diffunditur. Itaque ipsa sola est, hæreditas, illa, ac possessio Christi, quæ non angustioribus, quàm totius terræ terminis continetur. Quam quo Sectarij quidem vehementius oppugnant, eò magis in Oriente, & Occidente propagatam esse videmus. Prorsus, vt in istos pulchrè conueniat, quod de sui temporis hæreticis commodè dixit D.Bernardus. [Ipsi, inquit, potius se subtrahunt huic hæreditati, qui illam Christo conantur subtrahere.] Neque verò nobis hìc obstat, quod apud illas ipsas gentes, in quibus doctrina Romanæ Ecclesiæ disseminatur, multi etiam inueniuntur, qui illam repudient. Nam & illud oportet impleri, quod item scriptum est: [Eritis odio omnibus hominibus propter me.] Itaque Ecclesiam Christi esse Catholicam, minimè quidem est, eius doctrinam ab omnibus, & singulis vbique gentium recipi, sed esse certè vbique, qui illam in dies recipiant: vt diligenter etiam Ioannes Driedo, vir eruditissimus, annotauit. Quod cùm in eum cœtum duntaxat, qui Romano Pontifici, tanquam Pastori grex adhæret, conueniat; ille solus Ecclesia Catholica est.

Quamobrem, siuè prophetiam illam Dauidis de Apostolis: [In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum:] per Apostolos ipsos omnino impletam fuisse: sicut placuit quibusdam è sanctis Patribus, siuè continua in dies Euangelij propagatione per orbem, vsque ad sęculi consummationem impleri, vti Augustinus, & alij sentiunt, arbitremur; perspicuum est, in solam Ecclesiam, quæ fidem amplectitur Romanam, eiusmodi prophetiam competere, atque adeò ipsam solam esse catholicam. Nam (quod obseruatione dignissimum est) sicut à nulla vnquam hæreticorum Secta legitur Christi fides apud vllas gentes fuisse plantata: ita nulla vnquam gens christianam complexa est fidem, nisi eorum opera, qui cum Ecclesia Romana communionem habuerunt; eiusque membra fuerunt: sicut & hodiè quoque in amplissimis Orientis, & Occidentis regionibus ab Ecclesiæ Romanæ ministris Euangelium diffunditur. [Negotium enim, inquit Tertullianus, est hæreticis non ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur.] Qua in re, quàm illi sint Apostolorum dissimiles, pulchrè idem Tertullianus ostendit his verbis: [Apostoli enim, inquit, de mortuis viuos suscitabant, isti de viuis mortuos faciunt.] Neque verò Christi fidem Ecclesia Romana tantummodo propagauit, sed etiam perpetuò illam ipsa conseruauit; auctoritate nimirum sua hæreses, quæcumque olim exortę sunt, damnando, & proscribendo, vt ex varijs historijs, & Conciliorum actis cognosci potest.

III. Iam sanctitatis Ecclesię illa inter cęteras illustrior notio est, qua illius firmitas, atque constantia declaratur, contra quam, nec portæ inferi preualebunt, vt superiùs à nobis in huius proprietatis assertione demonstratum est. Hoc modo solam congregationem, quę Romano Pontifici paret, sanctam esse, planissimum est. Nempè, quæ nullis vnquam, aut persecutionibus, aut erroribus opprimi potuit, sed illis est potius illustrior multo facta. [Improbatio enim hęreticorum,] inquit ad Dominum D. Augustinus, [facit eminere quid Ecclesia tua sentiat, & quid habeat sana doctrina.] At hęreticorum côuenticula nulla fuerunt diuturna vnquam. Sed neque erunt recentium Sectariorum, cùm & illa ipsa, quę ab illis defenduntur, nefaria dogmata, iam olim etiam ab Ecclesia reiecta fuerint: vt minimè existimandum sit, eam in posterum doctrinę deprauationem perpetuò duraturam. Etenim fidem solam ad salutem satis esse, cum Simone Mago, & Eunomio volunt: cùm Ærianis sacrificium, & orationes pro defunctis improbant: Sanctorum, atque imaginum cultum cum Vigilantio, & Iconoclastis: Matrimonium virginitati anteponunt ex sententia damnati Vigilantij: Episcopos superiores presbyteris non agnoscunt, quę fuit hęresis Ærij. Originis peccatum tegi tantùm, non tolli baptismatis gratia, docent cum Messalianis: Execrantur Euangelicam paupertatem cum Vigilantio: Item Ecclesiam errare posse putant, vt ante illos Donatistę, & alij hęretici opinati sunt. Traditiones non scriptas repudiant, solisque Scripturis niti volunt, quod illis est commune cum Arrianis, & Eunomianis, & quotquot vnquam exstiterunt hęretici. Et ne omnia enumerem quidquid aduersùs Ecclesiam Catholicam perniciosa animositate: vt Augustini verbis vtar, defendunt, non nisi ex veterum fęce hęreticorum hauserunt: vt in omnibus quęstionibus controuersis facilè ostenditur. Quod cùm ita sit, omnino separandum est, non multò post fore, vt quorum errores isti imitantur, eorum quoque habeant exitum, [deficientesque quemadmodum fumus deficiant.]

IV. Deinceps sequitur, vt illam ipsam congregationem, quæ cum Ecclesia Romana communionem habet, Apostolicam item esse, id est, fidem atque dogmata Apostolorum sequi, ab iisdemque originem ducere, probemus. Hoc Episcoporum omnium continua successione, & doctorum, ac populorum, per quos doctrina ab Apostolis accepta, ad nos vsque perpetua temporum serie peruenit, rectissimè probatur. Vt enim aliquis tum optimè probat, se patrimonium aliquod, aut nobilitatem antiquam à maioribus suis, qui multò antè vixerunt, accepisse, cùm ostendit, id se accepisse à parente, & hunc rursus à patre suo, & illum item à suo, sicque deinceps donec ad familiæ caput perueniatur: ita nos rectè probamus, doctrinam, quam hodie tenemus, à maioribus nostris, Apostolis, atque adeò ab ipso Christo, tanquam hæreditatem accepisse, cùm defendimus, hanc ipsam doctrinam fuisse eorum, qui nos

pro-

proximo seculo antecesserunt, & rursus illos à maioribus suis, qui similiter proximè illos præcesserunt, eamdem ipsam accepisse, & ita deinceps, donec successionis series continua ad Apostolos ipsos perducatur, qui Ecclesiam Christi plantauerunt. Hanc probandi rationem aptissimam esse, sanctissimi Patres etiam iudicarunt, eamque ipsi contra sui temporis hæreticos passim vsurpauerunt. Quo quidem in genere maximè est illustris illa Diui Irenæi sententia: [Traditionem, inquit, ab Apostolis, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eo, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.] Sed vt hanc argumentandi formam nobis competere doceamus, confirmandum iam est, nos hanc ipsam doctrinam, quam Romana nunc tenet Ecclesia, ab ijs, qui proximo sæculo præterierunt, & illos similiter ab antecedentibus proximè suis maioribus, & sic deinceps vsque ad Apostolorum tempora accepisse. Quod his modis certissimè ostendimus.

Probatio Prima.

PRimò. Quotiescunque in Ecclesia aliqui ab Apostolica doctrina discesserunt, constat eos tandem à Catholica Ecclesia, iuxta diuinas promissiones, quas habet, notatos primùm, deinde repressos, & proscriptos esse; idque cum personarum, ac temporum notatione varijs historijs est proditum. Quo autem tempore, vel à quibus Ecclesijs primùm, post Apostolorum tempora, doctrina ea, quam nunc Ecclesia Romana tenet, contra doctrinam Apostolicam introducta fuerit, doceri non potest; multoque minùs constat, illi vnquam ab Ecclesijs Catholicis (ab Ecclesijs Catholicis inquam, non ab vno, vel altero, vel paucis hæreticis, qui & ipsi communi Ecclesiarum sententia damnati fuerint, vt Hus, Wiclephus, & similes) reclamatum esse. Dum autem Sectarij, qui Ecclesiam accusandi partes scelerate sibi sumpserunt, id non ostendunt; iure optimo possessionem huius doctrinæ Apostolicæ, tanquam hæreditatis à nostris maioribus acceptæ, nobis vendicamus.

Nam quod quidam ex Sectarijs dicunt, ab hinc annis circiter quadringentis doctrinam Apostolicam in Ecclesia palam corruptam esse; alij abhinc ferè sexcentis; alij abhinc ferè mille, circa tempora videlicet Diui Gregorij: nonne satis hac opinionum varietate declarant, habere se nihil ea de re compertum? Fuit temporibus Gregorij communis orbis terrarum ea fides, quam defendit Gregorius; vt qui cum omnibus Ecclesijs, earumque Episcopis communionem habuit. Eamdem autem fidem Gregorij, post Gregorij tempora vsque ad nos, in orbe communem, atque Catholicam fuisse fidem, constat de omnibus hodie doctrinę capitibus controuersis. Quomodo igitur aut Gregorij temporibus, aut post Gregorij tempora doctrina illa, quę sola erat vbique terrarum eadem, corruptela doctrinæ Apostolicæ fuit? Quod enim apud multos, & multò magis quod apud omnes, vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum, inquit verissimè Tertullianus. Et impossibile est, vt in orbe toto contra legitimam Christi Ecclesiam portæ inferorum præualeant, corruptelaque Apostolicæ fidei vbique obtineat, sicut obtinuit à tempore Gregorij, atque adeò Apostolorum vsque ad nos, fides ipsa Gregorij.

Quod autem Sectarij quidam hoc loco respondent, iam vsque ab Ecclesiæ exordio Apostolicam doctrinam corrumpi cœpisse; id verò nihil quidem pertinet ad rem, de qua nunc agimus. Quærimus enim, quando Apostolica doctrina adulterari cœperit, non tantum priuato vnius, aut paucorum errore, sed communi eius cœtus consensu, qui vera Christi Ecclesia antea fuisset, quique proinde, deficiens communiter à vera fidei doctrina, vera etiam esse Christi Ecclesia desierit.

Hæc enim summa eius accusationis, quam Ecclesiæ Romanæ non ita pridem Sectarij intentarunt, est: eam cùm aliquando esset cœtus verè fidelium, hoc est, cùm fuisset aliquando legitima Christi Ecclesia, ab ipso Apostolo Paulo, alijsque permultis Apostolicis, sanctissimisque viris, magnificè etiam ob integritatem fidei laudata; demum errore communi ab Apostolica, veraque doctrina fidei degenerasse, adeòque legitimam Christi Ecclesiam esse desijsse. Hoc autem quando factum sit, iure nos optimo percunctamur Sectarios; quando, inquam, vel omnino, vel ex parte, Apostolica doctrina corrumpi in Ecclesia Romana, communi (communi, inquam) errore cœperit. Etenim priuatis erroribus, non dubium est, quin iam inde ab Ecclesiæ primordio seductores aliqui veritatem fidei adulterare tentauerint, quos passim suis in epistolis confutauit Apostolus, qui etiam idcircò ad Thessalonicenses scribens aiebat, iam suo tempore mysterium iniquitatis operari. Quando autem communi eius cœtus consensu, qui vera fuisset Christi Ecclesia, corrumpi Apostolica doctrina, vel omnino, vel ex parte cœperit; hoc verò est, quod expedire nobis nequeunt Sectarij iure, ac meritò de ea re interrogati.

Accedit quod de auctoribus, per quos ea communis corruptela sit inuecta, & quomodo deinde ab Ecclesia vera fuerint illi repressi, nihil isti proferre possunt. Nisi quod planè incredibiliter, & admodum etiam ridiculè quādoque solent (ne videantur ipsi esse hæretici) nobis affingere errores quorundam veterum hæreticorum; qui tamen à nulla alia Ecclesia, neque secundùm vllam aliam doctrinam nisi nostram, damnati & profligati ex Christi castris sunt. Verbi gratia: Dixerunt Ebionitæ, non solam Christi fidem (quatenus ea vox pro tota lege Christi accipitur) ad salutem sufficere: intellexerunt autem etiam requiri cæremonias, & obseruationem veteris legis. Quia verò nos docemus, non sola fidei virtute, sed alijs etiam animi bonis motibus, vt charitatis, &c. & obseruatione aliorum mandatorum Christi, salutem comparari: Nugantur isti, doctrinam illam Ebionitarum nos defendere. Quis non videt discrimen? Ac ratione æque facili similes

miles istorum in hoc genere leuissimas nugas confutaui alio loco.

Sed aiunt praeterea se ex libri ipsis Apostolicis, id est, ex Scriptura sacra, probare, contraria nos Apostolicae doctrinae sentire. Id verò non modò falso, sed etiam admodum ineptè ab illis in hac controuersia obijcitur. Cùm enim quaestio aliàs de Scripturae sententia, & interpretatione in varijs doctrinae capitibus inter nos agitetur; eaque sit propter istorum pertinaciam penè interminabilis: postulamus ab ipsis duo. Primum, vt quandoquidem Ecclesiae accusatores sunt, quibus incumbit ex officio probare, planum nobis ex Scriptura faciant, doctrinam suam esse Apostolicam potiùs, quàm nostram. Hoc verò cùm praestare non possint, eoque nomine, sicut est accusatorum lex, causa cadant; nec videant tamen, vt sunt caeci, à nobis potius se in quaestionibus omnibus tanquam corruptores Apostolicae doctrinae reuinci: Petimus deinde, vt compendio historiarum, notatis temporibus, & personis, testimonijsque contrarijs Catholicorum, doceant, nostram doctrinam post Apostolorum tempora contra Apostolos, aut eorum in doctrina successores inuectam in Ecclesiam fuisse. Hic dico ineptè ipsos facere, si ad quaestionem de Scripturae sententia infinitam regredi velint. Quod nostri quidem non ideò in hac de Ecclesia controuersia detrectant; quia de doctrina ipsa ex Scripturae fundamentis disputare nolint (faciunt enim id in singulis doctrinae locis controuersis, satis copiosè, & voce quotidie in templis, & scholis, & scriptis etiam libris, pluribus fortè quàm est necesse) sed vt quaestio de vera Ecclesia, atque adeò de veritate in vniuersum doctrinae, finem aliquando habere, compendioque dijudicari possit ex ijs notis, quibus Ecclesiam suam Deus discerni voluit, quarum vna est haec originis Apostolicae.

Postulamus igitur ab Aduersarijs, vt si Ecclesia Romana ab ea fide Apostolica communiter defecit, quae de ea, per vniuersum mundum, vt Apostolus inquit, cum laude aliquando annunciabatur; nobis tempora, auctores, & modum indicent eius defectionis. Cùm enim haereses in vtilitatem Ecclesiae diuinitùs permittantur, vt qui probati sunt, sicut Apostolus inquit, manifesti fiant; cumque maneat Spiritus veritatis cum Ecclesia in aeternum: certè fieri nequit, vt doctrina vera, atque Apostolica, vel simul, vel sensim per partes, palam adulteretur, quin id ipsum in Ecclesia manifestum fiat.

Non enim Ecclesia, vt Sectarij quidam ludunt, tanquam singulare alicuius hominis corpus est, quod nemine animaduertente labefactari sensim potest, donec totum appareat tabidum. Neque etiam ideò nauicula Petri eadem nominatur, quia vt nauicula potest nemine attendente rimas paulatim facere, donec fluctibus tandem obruatur: sic sensim etiam Ecclesia ipsa possit inquinari eiusmodi erroribus, qui neque sciantur, neque notentur, neque damnentur ab Ecclesiae coetu. Non est in hoc comparatio, sed in eo, quòd vt corpus, sic etiam Ecclesia varijs ex membris constat, & tentationibus varijs, sicut nauis fluctibus, quatitur, dum ad portum patriae caelestis appellit. [Cùm verò ciuitas etiam supra montem posita] sit & luce solis clarior; necesse est, vt sensim in ea notentur errores, si sensim in illam irrepunt.

Itaque cùm multas, ac varias doctrinę corruptelas, iam inde ab Apostolorum temporibus diuersi haeretici, taquam zizaniam, superseminare in agro Ecclesiae contra fidem Apostolicam tentauerint: nulla tamen ex illis est, cuius auctorem, originem, progressum, exstirpationem, notatis temporibus assignare ipsi non possimus. Imò verò ex qua haeresum faece doctrina Lutheri, aliorumque Sectariorum sit hausta, clarè & distinctè eiusmodi obseruatione docemus. Poteste igitur isto modo indicari, quo tempore, à quibus, qua ratione, ea quae hodie est doctrina Ecclesiae Romanae, contra doctrinam Apostolicam inuecta sit, & rursus à Catholica Ecclesia reiecta? profectò non potest. Quare alterutrum fatendum est, vel doctrinam, quam hodie tenet Ecclesia Romana, esse planè eam, quam ab Apostolis initiò sine controuersia accepit; vel si corruptela potiùs illius doctrinae Apostolicę est, Spiritum sanctum Ecclesiam suam deseruisse, qui de ea inquinatione doctrinae nullis sęculis praeteritis ante Lutherum ipsam admonuerit; atque etiam orbem vniuersum perpetuo quasi lethargo laborauisse, qui non animaduerterit, neque literarum monumentis prodiderit tantam in religione Romana mutationem. At hoc incredibile est: alterum illud igitur est verum, nempè doctrinam Ecclesiae Romanae esse incorruptam, planeque Apostolicam.

Quae ratio eò apud me maioris est ponderis, quòd illa similiter video veteres Patres suorum temporum hęreticos refutasse, ecclesięque doctrinam in vniuersum Apostolicam esse probauisse, cùm illi ęque, atque iam Sectarij à doctrina Apostolica eam desciuisse comminiscerentur. [Videamus, inquit Tertullianus, ne Apostoli simpliciter, & plenè omnem regulae ordinem omnibus ediderint: Ecclesiae autem suo vitio aliter acceperint, quàm Apostoli praeferebant. Omnia enim, inquit, ista scrupulositatis incitamenta inuenias praetendi ab hęreticis.] Et plus satis, Tertulliane, eum hodie praetextum impium notamus in nostris Sectarijs. Sed subiungit deinde eiusmodi calumniae refutationem: [Hoc, inquit, si ita est; neglexerit officium Dei villicus, Christi Vicarius Spiritus sanctus, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos praedicabat. Quomodo, inquit, verisimile est, vt tot, ac tantę Ecclesiae in vnam fidem errauerint? nullus inter multos euentus, vnus exitus: variasse debuerat error doctrinae Ecclesiarum. Cęterùm quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum.] Hactenus ille, & rectissimè quidem. [Vbi enim Ecclesia, inquit Beatus Irenaeus, ibi, & spiritus Dei: & vbi spiritus Dei, illic Ecclesia, & omnis gratia, spiritus autem veritas.]

Neque facere possum, quin hic propter loci opportunitatem adscribam pulcherrimam, ac spiritu Dei plenam, Campiani nostri, non ita pridem fortissimi in Anglia Christi martyris, orationem, quae figmentum Sectariorum de corrupta doctrina in Ecclesia Ro-

Romana, mirificè redarguit. [Quando, inquit, fidem tantoperè celebratam Roma perdidit? Quando esse desijt, quod antè fuit? Quo tempore? Quo Pontifice? Qua via? Qua vi? Quibus incrementis vrbem, & orbem religio persuasit aliena? Quas voces, quas turbas, quæ lamenta, ea res progenuit? Omnesne orbe reliquo sopiti sunt, dum Roma, Roma inquam, noua Sacramenta, nouum sacrificium, noua religionis dogmata produceret? Nullus exstitit historicus: neque Latinus, neque Græcus, neque remotus, neque citimus, qui rem tantam, vel obscurè iaceret in commentarios?]

Atque, vt ego quidem aliqua ratione exprimam, quantam apud animum certè meum hæc oratio Campiani vim habeat: hoc vtar exemplo. Censent Sectarij, institutum sacrificandi Eucharistiam, moremque sanctos inuocandi, & aliorum eiusmodi cultum, turpissimam esse idololatriam, atque adeò non minus, sed multo etiam magis peruersum, Apostolicæque doctrinæ contrarium, quàm si quis vellet ritu gentilium, aut Iudæorum, oues, & boues, aliasque pecudes immolare Deo, aut pro Dijs venerari volucres, & serpentes. Obsecro, quis nunc credat, fieri his temporibus posse, vt vel Pontifex aliquis Romanus, vel alius quisquam, eiusmodi ritus immolandi animalia, vel adorandi serpentes; contra Christi, Apostolorumque doctrinam in Ecclesiam inducat, tum Spiritu sancto conniuente, tum eadem ipsa Ecclesia Catholica per cunctum orbem, & consentiente, & planè dissimulante, neque notante quidem ad memoriam posterorum talem Christianæ, atque Apostolicæ doctrinæ deprauationem? Profectò insanus est, ac mente omni caret, qui hoc existimet in Christi Ecclesia posse euenire. Quod si hoc accidere posse incredibile est: quomodo credi potest, idipsum iam antè euenisse? Quomodo, inquam, est verisimile, & sacrificium Missæ (v. gr.) atque adeò ritum vestium sacrarum, & templorum; & morem venerandi imagines, ac Diuos inuocandi; æquè (vt æstimant Sectarij) Apostolicæ doctrinæ contrarium esse, atque immolandi animalia ritum; & tamen in Ecclesiam per cunctum orbem sic esse introductum, vt neque repugnauerint in ea re vmquam Christiani populi, neque posterorum quidem memoriæ, cum obseruatione personarum, & temporum, talem curruptelam religionis prodiderint? Porrò, si hoc in vno etiam, vel altero dogmate factum esse, incredibile apparet: quanto id videri debet incredibilius, si res omnes cumules hodie controuersas, in quibus Sectarij criminantur Ecclesiam Catholicam communi errore ab Apostolorum institutis, doctrinaque recessisse? Me quidem hęc consideratio certissimè apud animum meum statuere facit, aut nullam omnino esse in orbe incorruptam doctrinam Apostolorum, quod existimare nefarium esset, aut eam esse, quam retinet Ecclesia Romana, quæ proinde verissimè est Ecclesia Christi Apostolica.

Probatio Secunda.

SEcundò, Id ipsum probamus, quia, vt maximè consuetudines aliquæ pro ratione temporum, vt fit, variæ fuerint: tamen quod attinet ad doctrinam ipsam de auctoritate statuendi, quod in Ecclesia conueuit, alijsque doctrinæ locis hodie controuersis, sæpè nostri ostenderunt, Patres, & Doctores illustres, qui ab Apostolorum temporibus ad hæc vsque tempora diuersis sęculis scripserunt, nobiscum esse consentientes. Quod profectò verissimum esse, ab ijs deprehenditur, qui non Sectariorum more pauculas quasdam sententias obscuriores hinc inde in monumentis Patrum venantur, sed locos ipsos perlegunt, & cum iudicio conferunt. Consensus autem ille diuersarum ætatum manifesto argumento est, continua serie successionis eam doctrinam iam inde ab Apostolico sęculo ad nos vsque peruenisse.

Probatio Tertia

TErtiò. Non tantùm Patres, ac Doctores illustres per omnes ætates ad hæc nostra vsque tempora in doctrinæ capitibus hodie controuersis nobiscum consentiunt, sed disertis etiam verbis passim confitentur, Ecclesiam Romanam, cui similiter, vt iam: Pontifices Romani varijs temporibus pręfuerunt, legitimam, & Apostolicam esse Ecclesiam. Neque verò hic obstat, quod veteres Patres non videantur de hac ipsa numero congregatione, quæ hodie paret Romano Pontifici, paruitque Pontificibus recentioribus, esse loquuti. Huic enim quoque testimonium re ipsa perhibuerunt, eo ipso, quod non alia de causa fatebantur, eum cœtum hominum, qui cum Romana Ecclesia communionem illis temporibus habebat, esse Apostolicum, nisi quia successione Episcoporum, ac populorum, atque adeò etiam ipsius doctrinæ, cum illa ipsa Ecclesia primitiua coniungebatur, quæ fuit ab ipsis Apostolis plantata, sicut hodie planè coniungitur Ecclesia, quæ nunc est Romana.

Probatio Quarta.

QVartò, cùm Aduersarij contrà, testimonijs veterum, tum alibi, tum maximè in historia Magdeburgensi probare voluerint, non retineri à nobis, sed instaurari à se potius doctrinam ab Apostolis traditam; hoc adeò non præstiterunt, vt tamquam laborasent ipsi pro nobis, non suam, sed nostram omnino originem ostenderint esse Apostolicam. Etenim (vt optimè Turrianus noster annotauit) præcipuus illorum labor in eo consumptus est, vt ex omnibus Ecclesiæ ætatibus testes colligerent, & accerserent, qui pro nobis, nostraque doctrina, contra se testimonium dicerent, vt id ipsi testimonium non aliter refellerent, quàm auctoritate sua (magna scilicet) affirmando, næuos, atque errores esse eiusmodi Patrum, quòd nobis fuerint suffragati. Qua quidem re non minus stultè fecerunt, quàm reus aliquis faceret, si dum nullum innocentiæ suæ idoneum testem inue-

inuenire poteſt, laboraret tamen in teſtibus accerſendis, qui ipſum condemnarent, vt coram iudicibus deinde diceret, illos omnes mentiri. Atque hoc idem iudicium eſt aliorum omnium, qui cum iudicio aliquo hiſtoriam illam Centuriatorum Magdeburgenſium legunt. Nulla enim annorum centuria eſt ex tredecim, in quas memoriam temporis à Chriſto nato ad annum vſque circiter 1300. partiti ſunt, in qua non ipſi apertè indicauerint, Orthodoxos, qui vnaquaque centuria floruerunt, doctrinæ noſtræ, vel more, inſtitutoque religionis, vel fidei dogmatibus explicandis, vel damnandis hæreticis (quorum iſti nunc diſcipuli ſunt) ſuffragari: niſi quod inclinationem doctrinæ, næuos, ſuperſtitioſos cultus, erroreſque Doctorum (ſcilicet) appellant.

V. Alia Eccleſiæ proprietas, ex qua item, tamquam ex nota, dignoſci illam debere dicebamus, rectus eſt ordo. In quo maximè illuſtris eſt auctoritas, atque dignitas Eccleſiaſtici miniſterij, continua ſerie ſucceſſionis Epiſcoporum, ac Miniſtrorum Eccleſiæ conſtans, quos Deus vſque ad ſęculi couſummationem eſſe voluit, vt tamquam Paſtores, & Doctores in vera, ſolidaque doctrina contineant, atque confirment fideles alios, ne falſarum opinionum vento circumferantur. Hinc verò propterea firmiſſimum ad veram Eccleſiam comprobandam argumentum ducitur, quia ex epiſtola ad Epheſios perſpicuum eſt, doctrinam fidei veram, atque adeò communicationem cum legitima Chriſti Eccleſia, ab huiuſmodi Paſtorum, atque Doctorum miniſterio diſiungi non poſſe. Nam Apoſtolus nobis declarat, conſilium Dei fuiſſe, perpetuò, vt in Eccleſia ſint Paſtores, à quibus Chriſtianus populus doctrina ſolida rectè informari poſſit. Cuius quidem conſilij, cùm totum ad Chriſtiani populi ſalutem accommodatum ſit, ea certè vis eſt, vt numquam non idem populus, in Eccleſiæ legitimis Paſtoribus doctrinam veram reperturi ſint, ſi ab ijs eam requirant. Id autem, vt conſiſtat, omnino fatendum eſt, ſecundum legem quidem ordinariam Dei, neutiquam fieri poſſe, vt legitima perſeueret in Eccleſia ſucceſſio Paſtorum, & tamen apud eos non ſit vera, atque ſolida fidei doctrina. Quod, & illa etiam ratione manifeſtiſſimè patet. Si enim fieri poſſet, vt omnes legitimi Eccleſiæ miniſtri à vera fide aberrarent, poſſet quoque euenire, vt aberrarent item cum illis reliqui fideles omnes. Sequuntur enim hi, immò ſequi debent, vocem Paſtorum. At vt oues omnes, & Paſtores errent, id eſt, vt erret Eccleſia vniuerſa, quæ conſtat omnis, vt D. Gregorius Nazianzenus ait, ex ouibus, & paſtoribus, fieri, vt ſuprà eſt probatum, nullo modo poteſt. Ergo neque, vt errent omnes Eccleſiæ miniſtri legitimi.

Hoc cùm præclarè olim intelligerent ſanctiſſimi Patres, ipſi quoque contra ſui temporis hæreticos vehementer premebant iſtud argumentum, quod pro Eccleſia vera, ex legitima Epiſcoporum auctoritate, continua ſucceſſione ab Apoſtolis proueniente, ducitur. [Edant, inquit Tertullianus, origines ſuarum Eccleſiarum: euoluant ordinem Epiſcoporum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentes, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerarit, auctorem habuerit, vel anteceſſorem.] Item Auguſtinus aduerſùs Donatiſtas: [Numerate, inquit, Sacerdotes primò ab ipſa ſede Petri: & in ordine illorum Patrum, quis cui ſucceſſerit, videte.] Et contra Epiſtolam fundamenti; [Tenet me, inquit, in Eccleſia Catholica ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopum ſucceſſio ſacerdotum.] Hoc argumento Auguſtinus numquam eſſet permotus, niſi ex ſacris literis didiciſſet à manifeſta, continuataque Paſtorum Eccleſiæ ſucceſſione, doctrinæ veritatem, atque adeò legitimam Chriſti Eccleſiam diuelli non poſſe. Quod enim ait: [Tenet me in Eccleſia Catholica, ſacerdotum ſucceſſio:] tantumdem valet, ac ſi dixiſſet: Ideò in huius cœtus communione permaneo, quoniam in eo exiſtimo eſſe cum ſucceſſione veritatem coniunctam, quæ tanquam anima eſt Eccleſiæ. Prætereo Irenæum, Epiphanium, Cyprianum, Optatum, & alios, qui ſimiliter ex eiuſmodi ſucceſſione, tamquam ex certa nota, dignoſci legitimam Eccleſiam voluerunt.

Hanc notam ordinis in manifeſta paſtorum, atque Doctorum ſucceſſione, in ſolam Eccleſiam, quæ Romano Pontifici paret, conuenire, clarius eſt, quàm, vt ab ipſis Sectarijs negari vllo modo poſſit. Conſtat enim à Diuo Petro vſque ad Gregorium ipſum decimum tertium, qui Pontifices in Eccleſia Romana, ſucceſſionis ſerie præfuerint, itemque in alijs etiam Eccleſijs omnibus qualis itidem fuerit à ſua cuiuſque Apoſtolica origine ſucceſſio Paſtorum. Contrà Sectarum magiſtri, quibus ipſi Apoſtolicis viris loco, atque miniſterio Eccleſiaſtico ſucceſſerint, demonſtrare non poſſunt. Immò ne volunt quidem cum ijs aliquid eſſe ſibi commune, qui in illo externæ ſucceſſionis ordine ſuum locum miniſtrorum tenent. Itaque, quod Optatus Mileuitanus de Victore hæretico Donatiſta, inquit, eum Romæ fuiſſe filium ſine patre, diſcipulum ſine magiſtro, &c. hoc idem rectè de Luthero dici poteſt, itemque de Zuinglio, Caluino, & alijs Sectarijs, qui primi varijs in vrbibus noſtra, Patrumque memoria errores diſſeminarunt. [Hi enim nemini ſuccedentes (vt de Nouatiano Cyprianus ſcripſit) à ſe ipſis Epiſcopi ordinati ſunt, & tamquam de ſe prodigioſè naſci voluerunt,] vt inquit de hæreticis alijs Optatus. Quod cùm ita ſit, non ſunt Eccleſia Chriſti illi cœtus, qui ab eiuſmodi Sectarijs ſunt eruditi. Cæterùm hic reſpondent dupliciter. Primùm, externam ſucceſſionem Paſtorum, & Doctorum in miniſterio tantùm externo, & loco, minimè ipſam per ſe indicium eſſe veræ Eccleſiæ, niſi cum ſucceſſione ſit coniuncta in eadem doctrina Apoſtolica. Ab hac autem deſciuiſſe Paſtores, & Doctores, qui adhærent Romano Pontifici. Proinde, quamuis in locum illi ſucceſſerint Apoſtolorum, tamen nihil minus, quàm Apoſtolicam eſſe eam Eccleſiam, quæ ipſis adhæret. Deinde aiunt, ſe quantumuis careant illa ſucceſſione, tamen legitimos eſſe Paſtores, & Doctores, quoniam diuinitus ſint ad inſtaurandam doctrinam Apo-

Apostolicam excitati extraordinaria vocatione: non minus quàm olim Prophetæ, aut ipsi etiam Apostoli: qui auctoritatem docendi minimè sunt consequuti ordinaria successione.

Sed quis non videat vtrumque ab istis vanissimè dici? Quod enim ad primum attinet, paulò antè ex Scriptura, & Patribus probauimus, à successione legitima, & ordinaria Pastorum omnium, & Doctorum Ecclesię neutiquam separari posse veritatem Apostolicę doctrinę. Quare fatemur, si successio legitima Pastorum, & Doctorum absque doctrinę veritate staret, non ex illa satis posse veram Ecclesiam demonstrari. Sed pernegamus, secundum legem quidem Christi ordinariam, doctrinę veritatem ab illa successione penitus seiungi posse; ita nimirum, vt nulli aliquando supersint in illa successione Doctores, atque Pastores, qui doctrinam incorruptam retineant, sed omnes à verò aberrent. Quid enim si Augustino, Irenęo, Cypriano, & alijs Patribus, à successione Pastorum, & Doctorum Ecclesiam Christi, atque adeò veritatem in ea doctrinę quasi compendio quodam demonstrantibus, Lutherus aliquis, vel Caluinus, vel quiuis alius recens Sectarius, obiecisset, ex successione ipsa ministrorum per se, veram Ecclesiam demonstrari non posse, nisi cum ea successione veritatem doctrinę coniunctam esse argumentis alijs comprobetur? An non hoc fuisset stultitię sanctissimos, atque eruditissimos Patres arguere, quòd ex successione pro vera Ecclesia argumentarentur, cùm potius deberent argumentari ex vnica veritate doctrinę? Atqui illi veritatem doctrinę, vnà cum legitima Ecclesia rectè ex ordinaria illa successione probari posse putauerunt, quia nec Ecclesiam, neque adeò veritatem doctrinę ab illa Doctorum successione seiungi posse existimabant. Hac verissima persuasione fretus D. Gregorius Nazianzenus hunc in modum sui temporis hęreticos Arrianos exagitabat: [Absconditam post Christum sapientiam nobis annunciant. Rem lachrymis dignam. Si enim triginta his annis fides originem habuit; cùm quadringenti ferè anni ab eo tempore fluxerint, quo Christus palam conspectus est: inane tanto tempore fuit Euangelium. Inanis etiam fides nostra. Et Martyres quidem frustra martyrium subierunt. Frustra etiam tales, tantique Antistites populo pręfuerunt. Item Hieronymus: Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antè nesciuimus? Vsque in hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit. Et Tertullianus in pręscriptionibus contra hęreticos: Qui estis, inquit, vos? Vnde aut quando venistis?

Num verò illi heretici, quos ita sanctissimi Patres refutabant, nouam & ab Apostolica traditione diuersam doctrinam proferre se fatebantur? Minimè. Sed id tamen Patres eo argumento conuincebant, quod secus illi docerent, quàm ordinarij ministri ante illos docuissent, à quorum ordinaria vocatione, & successione doctrinam Apostolicam separari non posse, Patres illi sanctissimi meritò persuasi erant. Quod ipsum euidentissimis illis verbis affirmat D. Irenęus. [Obaudire oportet ijs, qui successionem habent ab Apostolis, qui (id est, quia) cum Episcopatus successione charisma veritatis acceperunt. Et rursus. Vbi charismata Domini posita sunt, ibi oportet discere veritatem; apud quos est ea, quę est ab Apostolis successio. Hi enim eam, quę est in vnum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt, & Scripturas sine periculo nobis exponunt.] Vides quemadmodum ex successione, certo quasi vinculo colligit veritatem?

Quod autem isti aiunt, se extraordinario modo diuinitùs esse vocatos, atque missos, vt olim Prophetę, & Apostoli fuerunt: id verò nonnisi vanissimè ab ipsis fingi demonstraui nuper alio quodam in loco. Vbi primùm aiebam, vix me credere, sic illos esse persuasos. Quanta enim temeritas est, homines & ventri plerumque, & mundo deditos; nec magnis aliquibus aut eruditionis, aut pietatis insignibus ornatos, hunc in modum apud se statuere: Ego neque vocatus ad Ecclesiasticum ministerium, neque missus modo ordinario sum, videlicet per seriem successionis: sed sum tamen vocatus, & missus ab ipso Deo, vel certè à Martino Luthero, & similibus, qui sine successione fuerunt ipsi diuinitus tanquam Prophetæ. atque Apostoli, ad id ministerium excitati. Profectò dubitant isti saltem vtrùm ita sit, nisi planè insaniunt.

Deinde neque Lutherum, neque vllum Sectarium extraordinario modo fuisse à Deo missum, hac ratione manifestissimè probatur: Si qui vnquam extraordinariè ad docendum diuiuitus mitterentur; ij sic etiam ad persuadendum, diuinitùs instructi essent, vt spectatis omnibus rerum circumstantijs, prudenter possent fideles, etiam vulgares, illis potius, quàm ordinarijs ministris fidem adhibere. Non sunt autem ita ad persuadendum diuinitùs instructi Sectarij. Quare extraordinariè ad docendum missi diuinitùs nequaquam sunt. Maior propositio patet. Quoniam quos extraordinariè Deus ad docendum contra doctrinam ab ordinarijs ministris traditam mitteret; ijs vt potius fideles omnes; etiam vulgares crederent, proculdubio vellet: imò ad eam rem mitteret, vt ab ijs omnes de veritate aduersùs receptos errores docerentur. Neque verò Deus vult, aut etiam velle potest, vt ijs Doctoribus homines fidem habeant, quibus fides haberi prudenter nequeat re tota circumspectè deliberata. Vult enim Deus, vt nihil nisi rectè ab hominibus agatur; rectè autem non creditur, nisi quod prudenter creditur. Atque ideò diuina testimonia dicuntur à Psalmista [credibilia nimis,] quia doctrina cœlestis eo modo, quo ex voluntate Dei hominum ministerio proponitur, dignissima est fide, ac assensione prudentum. Quin sit igitur vera nostri argumenti maior dubitandum non est; nempe qui extraordinariè ad docendum diuinitùs mitterentur, eos ita etiam ad persuadendum diuinitùs oportere esse instructos, vt omnes etiam vulgo fideles prudenter possint, ac debeant illis potius, quàm ordinarijs ministris, fidem adhibere.

Nunc probo propositionem alteram argumenti minorem, videlicet nullos Sectarios, ita diuinitùs ad persuadendum esse instructos. Hi enim quò hominibus persuadeant, do-

doctrinam quam proferunt, esse illam ipsam, quæ in Scripturis contenta, quæ ab Apostolis tradita, quæ miraculis olim confirmata, & in summa, quæ vera sit, nulla re alia præterquam vnica pollicitatione doctrinæ veræ nituntur. Non multitudine, non antiquitate, non integritate vitæ, non vllo eiusmodi titulo, qui auctoritatem alioqui doctrinæ conciliare posset, extraordinarij isti Prophetę cum Ecclesiæ Ministris ordinarijs certare volunt. Quin propterea tantum postulant, vt sibi potius credatur, quoniam verissimam, vt dictitant, ostendunt doctrinam. At ipsa per se veritate doctrinæ quomodo ad credendum prudenter induci poterunt ij, qui non queunt ipsi satis dijudicare, & perspicere doctrinæ veritatem? Quid opifices? Quid rustici? Quid ad vnum omnes literarum ignari faciant? Debent, inquiunt Sectarij, nobis potius, quàm Papisticis ministris ordinarijs credere, sibique persuadere à Deo nos esse ad repurgandam fidei doctrinam missos. Cur ita verò? Quoniam nihil in vlla fidei quæstione hodie controuersa, nisi ipsissimam Scripturæ sanctę doctrinam docemus. At maior hominum pars, iudicare de ipsa per se veritate doctrinæ in quæstionibus controuersis nequit, vt suprà conuicimus. Nam etsi sententiam fortasse vnius partis vtcumque possint vulgares fideles percipere: non tamen cum alia contraria accuratè conferre, non argumenta vtrinque suis momentis satis prudenter ponderare, non denique ita intelligere, vt necesse est ad iudicandum de ipsa ratione doctrinæ; quod sine doctrina, qua plerique carent, fieri minimè potest. Quomodo igitur ij prudenter animum inducent, vobis potius credere, si nihil aliud, quàm doctrinæ veritatem, vt vobis assentiantur, proponitis? Quid quod non minus ab ordinarijs ministris promitti veritatem animaduertunt? Certè est manifestum, eos, qui obiecto tantum veritatis titulo opiniones suas alijs persuadere student, non esse diuinitus ad persuadendum ita instructos, vt prudenter omnes homines facturi sint, si illis potius crediderint. Solam autem doctrinæ veritatem prætendunt Sectarij: Non sunt igitur diuinitùs ad persuadendum omnibus instructi: atque adeò neque missi diuinitùs ad docendum extraordinariè, vt antè conclusimus.

Hoc vt clarius intelligeretur, hominem faciebam aliquem prudentem, neque tamen rerum Theologicarum peritum, secum ratiocinantem hunc in modum. [Audio Catholicos, & Sectarios contrarias mihi sententias de fidei quæstionibus proponentes. Vtri verò parti potius adhæream? Certè illi debeo, cui si re circumspectè deliberata potius credidero prudenter sim facturus. Vult enim Deus, vt nonnisi prudenter credam. Sed quosnam potius veritatem proponere mihi prudenter persuasero? Catholicosne, an Sectarios? Omnino duplex ratio suppetere potest ad id dijudicandum. Vna, si veritatem apud hos potius, quàm illos esse ipse perspiciam. Altera, si horum potius auctoritate mouear, vt ab his potius, quàm ab illis veritatem (tametsi eam ego non satis intelligam) doceri statuam. Priori modo, nempe vt ipse ex ratione doctrinæ de veritate iudicem, nequaquam prudenter definire possum, vtri potius veram doctrinam profiteantur. Neque verò, vt hac ego via ad veram fidei cognitionem perueniam, Deus à me requirit. Non enim res ipsas controuersas satis intelligo: nec me Deus obligat, vt quò fidem incorruptam tenere possim, in studium incumbam Theologiæ. Restat igitur, vt auctoritate me induci oporteat, quò demum statuam, apud hos potius, quam apud illos esse doctrinæ veritatem. Quod si auctoritate hominum me duci oportet: certè est necesse, vt quorum auctoritas, consideratis omnibus, maior & fide dignior est, ijs potius assentiar. Porrò eorum hominum, qui docent, auctoritas partim existit ex rebus naturalibus, quæ fidem conciliare solent, partim aliquando ex mirabilibus signis, quibus doctrinæ veritas nonnunquam solet diuinitùs comprobari. Naturalia quasi ornamenta, quæ ad auctoritatem faciunt, sunt, ingenium, studia, antiquitas, multitudo, & id genus prærogatiuæ eorum, qui in eadem doctrina consentiunt. Supernaturalia sunt, miracula, qualia ediderunt olim Prophetæ, & Apostoli, & alij qui ad doctrinam supernaturalem aduersùs errores inueteratos hominibus persuadendam diuinitus missi aliquando fuerunt. Iam igitur vt maioris pondere auctoritatis prudenter impellar, ad assentiendum alterutri parti; videlicet Catholicorum, vel Sectariorum: comparatio mihi auctoritatis horum, & illorum facienda est; vt quorum, omnibus consideratis, maior & fide dignior videbitur esse auctoritas, eos potius credam verum docere. Considerabo autem, atque comparabo in vtraque parte sigillatim tum naturales, tum supernaturales causas auctoritatis. Certè quod ad naturales attinet, nihilo sunt Catholici, atque ordinarij ministri Sectarijs extraordinarijs (sicut se volunt nominari) inferiores, quinimò multis partibus eis antecellunt. Quis enim ita desipiat, vt censeat eos, qui fuerunt post Lutherum, Sectarios, vel ingenio, vel studijs, vel multitudine, vel antiquitate, vel integritate vitæ, aut superiores, aut pares esse ijs omnibus Catholicis ministris, atque Doctoribus, quos illi oppugnant, id est, omnibus qui à tot sæculis sunt, ac fuerunt in Germania, Gallia, Hispania, Italia, in toto orbe Catholici? Quod si verò me ad causas supernaturales auctoritatis conuerto, planè reperio, ne comparari quidem vllo modo cum ordinarijs ministris Catholicis Sectarios extraordinarios posse. Quod enim aut quale, aut quando miraculum ediderunt, quo diuinitus probaretur, digniores esse ipsos fide? De nullo prorsus constat. Cùm tamen apud Catholicos nullo non ferè tempore varijs in locis admirabiles euentus, Beatissimæ præsertim Virginis, aliorumque Sanctorum intercessione, contingant. Si igitur extraordinarij Sectarij, neque naturalibus ornamentis, aut superiores, aut pares Catholicis, & ordinarijs Doctoribus, neque supernaturalibus vllo modo cum ijs comparandi sunt; consequitur certè, Catholicorum auctoritatem, consideratis omnibus, præponderare apud me debere. Cumque auctoritate ipse in hac varietate sententiarum de doctrina fidei (vt antè conclusum est) duci debeam: neque prudenter moueri possim, nisi à maiore auctoritate;

tate; statuo prorsus Catholicis potius, quàm Sectarijs assentiri. Hos doctrinam fidei verissimam proponere: hos legitimos esse Doctores, & Ministros: ab his doctrinam diuinitus reuelatam, & à Christo traditam, & ab Apostolis verbo, scriptis, miraculis confirmatam doceri credo: Sectarios autem omnes, non extraordinariè diuinitùs ad docendum missos, neque adeò vera docere, sed hæreticos planè extraordinarios esse (quales à Catholicis iudicantur) mihi persuadeo.]

Ex his certò concludebam, omnino nihil Deum habiturum, quod in illo tremendo tribunali opponat huic opifici, huic mercatori, huic nobili, huic homini illiterato, qui hunc in modum apud se ratiocinatus, doctrinam potius Catholicorum de multiplicibus, atque varijs illis quæstionibus hodie controuersis veram esse crediderit? An enim is conuinci poterit minus prudenter credidisse? Certè non poterit. [Vna est enim auctoritas, inquit verissimè Augustinus, qua stultos, hoc est indoctos, ad sapientiam peruenire oportet.] Neque minori, sed maiori auctoritate hominem moueri par est, vt animum inducat credere. Antecellunt autem auctoritate Catholici longè Sectarijs, qua meritò, atque prudenter mouentur, præsertim ij, qui non sunt docti. Quod cùm ita sit, non sunt diuinitus instructi ad persuadendum omnibus Sectarij: vnde sequitur, neque esse eos extraordinariè missos ad docendum; sicut antè sumus argumentati.

Atque id probabam rursus hoc modo: Quotiescumque Deus voluit, vt paucis, & in speciem minus fide dignis aduersùs reliquam multitudinem, tanquam extraordinariè missis, crederetur, toties supernaturalibus signis, quæ naturalibus omnibus alijs ornamentis præponderarent, eorum auctoritatem hominibus comprobauit. Hoc animaduertere licet in Moyse, in Prophetis, in Apostolis, quorum doctrinæ veritatem signis mirabilibus, atque prodigijs Deus contestatus est, vt inquit D. Paulus. Hoc etiam ipsa ratio diuinæ prouidentiæ requirit. Si enim supernaturalibus saltem virtutibus ij, qui naturæ alioqui ornamentis inferiores auctoritate sunt, superiores esse non videantur, quomodo poterunt homines, præsertim indocti, qui sola auctoritate commoueri debent, prudenter illis assentiri? Neque profectò rectè ab hominibus exigeretur, vt id crederent, quod non possent prudenter credere. Atqui nullis Deus mirabilibus, ac supernaturalibus signis auctoritatem nobis istiusmodi prædicantium extraordinariorum commendauit; & sunt alioqui Catholicis, si cætera spectemus ornamenta, impares: Nequaquam sunt igitur diuinitus ad eam rem missi, vt doctrinam à Catholicis ministris ordinarijs traditam ipsi refellant.

At illis ipsis miraculis, inquit Caluinus, freti sumus, quæ Apostoli ediderunt, quandoquidem non nisi illam ipsam doctrinam proponimus, quæ ab ipsis Apostolis est explicata. Quid verò magis ineptè responderi potuit? Quæstio enim omnis inter nos est, vtri potius doctrinam illam Apostolicam sequantur? Catholicine, atque ordinarij Doctores, an verò Sectarij extraordinarij? Quod cùm quæritur, simul quæritur, vtrinc nitantur illis miraculis, quibus est Apostolica doctrina diuinitus probata. Ita fit, vt ea quæstio minimè ex illis ipsis Apostolorum miraculis determinari debeat, aut possit. Vtraque enim pars illa miracula vnà cum ipsa doctrina Apostolica sibi vendicat: Et quæruntur præterea indicia, ex quibus constet ad quam partem illa potius pertineant, Catholicorumne an Sectariorum? Hìc igitur si Sectarij respondeant, ad se pertinere, quia ipsi doctrinam Apostolorum miraculis confirmatam tradant; quis non videat eos ludere, & principium petere, hoc est, id ad probandam suam causam sumere, quod est in quæstione positum & aliunde deberent probare? Veritate, inquiunt, ipsa doctrinæ id probamus. At hanc veritatem non omnes intelligunt, vt antè dictum est. Auctoritatis igitur pondere necesse est homines impellatis ad vobis assentiendum. Hac cùm non excellatis; vtpote neque præstantioribus naturæ ornamentis, neque vllis supernaturalibus indicijs diuinitus commendati: concludimus, non fuisse vos extraordinariè à Deo missos, vt mundum doceretis, quod (vt inquit Hieronymus) antè nesciuerat. Huc accedit, quod ne ijs quidem, qui ad oppugnandam Ecclesiæ doctrinam miracula ederent, nunc credi debet: cùm necesse sit ea esse falsa miracula, facta in astutia Satanæ, quæ opiniones confirment pugnantes cum certissima veritate diuinitùs iam pridem nobis testata. Id autem cùm ita sit, quanto minus credendum Sectarijs est, qui nullis neque veris, neque apparentibus miraculis confirmant doctrinam pugnantem cum orbis vniuersi consensione?

Sed quàm non sint isti diuinitùs ad docendum extraordinariè missi, satis hactenus demonstratum esse puto. Cùm autem neque sint Doctores, & Pastores ordinarij, vt ipsimet fatentur: restat, [vt ascenderint aliunde in ouile ouium, atque adeò, vt (Christo ipso iudice) sint fures, & latrones,] qui non pastum doctrinæ salutarem præbeant Christi ouibus, sed eas furentur, hoc est, abstrahant ab Ecclesiæ ouili, perdant, & mactent. Quod cùm ita sit, non sunt Christi Ecclesia illi cœtus, qui adhærent Sectarijs. Nam Ecclesia, vt antè argumentabamur, sine ordine legitimorum Ministrorum, Pastorum, & Doctorum nunquam est. Tales autem, vt ostensum est, non sunt Sectarij, sed Catholici ministri, vt probauimus. Cœtus igitur ille, in quo Catholicorum Doctorum, atque Pastorum ordo conspicitur, id est, qui Romano Pontifici patet, est vera Christi Ecclesia. Et hactenùs quidem hoc modo ad eam assertionem confirmandam argumentum ab Ecclesiæ prærogatiua, quæ in ordine consistit, duximus.

Eminet etiam Ecclesiæ ordo maximè in differentia, atque varietate vitæ statuum, & officiorum, seu administrationum, quæ in illa cernuntur. Quæ differentia partim nascitur ex differentia obligationum, quibus alij, atque alij fideles ad alia, & alia genera vitæ astringuntur, partim ex differentia gratiarum, & potestatum, quæ ad varias functiones in Ecclesia obeundas, diuinitus distribuuntur. [Diuisiones enim, inquit Apostolus, gratiarum sunt, & diuisiones operatio-

num, & diuisiones administrationum.] Atque pro differentia quidem obligationum ad alia, & alia genera vitæ, tres in vniuersum status fidelium maximè insignes in Ecclesia distinctos animaduertere licet, quorum quilibet in Scriptura sacra noui Testamenti commendatur. Vnus coniugatorum, qui sola communi obligatione seruandæ legis diuinæ tenentur, quò ad beatitudinem peruenire possint. Quæ vitæ ratio satis ab ipso etiam Christo Domino probata est. Alter status est Episcoporum, & Presbyterorum, à quibus, & officij, & dignitatis ratio singularem vitæ perfectionem requirit. De quorum obligatione sæpè verba facit Apostolus. Tertius est religiosorum, quorum vitæ institutum; nisi obedientiæ, & castitatis, & paupertatis professio, in Scripturis sanctis luculenter commendata & proposita, impiè vituperetur; sperni non potest. Porro ex differentia etiam earum operationum, quæ secundum legem Dei ordinariam in Ecclesia necessariæ sunt, vt ad beatitudinem peruenire possint fideles; differentia etiam nascitur officiorum Ecclesiasticorum. Sunt autem tria genera eiusmodi operationum. Nempe diuini verbi prædicatio. Sacramentorum administratio. Gubernatio, seu regimen animarum. Quæ tria genera actionum D. Dionysius Areopagita alijs verbis expressit, cùm actus hierarchicos tripartito diuisit. Docet enim ad Ecclesiasticum ministerium tria pertinere, nempe purgare, illuminare, & perficere. Fit enim purgatio prædicatione diuini verbi, Illuminatio administratione Sacramentorum, quibus animus splendore gratiæ exornatur, vt D. Dionysius interpretatur, Perficere autem ad eos maximè spectat, qui regunt alios; vt ad Episcopos: quos idcircò D. Dionysius appellat perfectores. Iam concionandi muneri destinantur propria quadam ratione quidam in Ecclesia cum delectu: neque cuiuis id munus vsurpare licet. Administrationi autem Sacramentorum varij ministri, secundum varios gradus, qui continentur ordinis Sacramento, destinati sunt. Item regendi auctoritas multis, neque omnibus vno modo conuenit: quin alijs amplior, vt Episcopis; alijs angustior concessa est; vt Presbyteris Pastoribus animarum. Qui omnes vni Pastori, summo secundùm Christum, subiecti sunt, cui est omnis Ecclesiæ cura (sicut postea videbimus) commissa. Hac varietate tum vitæ statuum, tum officiorum, tum graduum, tamquam vestitu deaurato, circumamicta Ecclesia summam obtinet dignitatem. Hunc ordinem, & hierarchiam insigne Christi Ecclesiæ ornamentum esse, passim sancti Patres, integris etiam voluminibus de hoc argumento editis, testificantur. Quin & Scriptura sacra multis modis significat huiusmodi ex varietate Ecclesiam esse constitutam. Ideò enim corpus (vt superiùs quoque notauimus) ideò regnum, ideò ciuitatem, ideò domum, & ne omnia nomina id genus persequar, ideò castrorum aciem ordinatam Ecclesiam vocat: in quibus rebus magnam licet officiorum, ac munerum varietatem animaduertere. Et [alios, inquit D. Paulus, dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Doctores, & Pastores, &c. in consummationem Sanctorum, & vt efficiatur (sicut alibi inquit) omnis homo perfectus;] qui finis, atque scopus est huius Ecclesiæ varietatis, atque Hierarchiæ. Et quemadmodum bonitas, atque perfectio Dei varijs admodum creaturis, & varia multiplicique ratione communicatur, vt eo magis in illis omnibus emineat: ita etiam conuenit, vt multiplex Christi gratia, tanquam à capite in membra, variè deriuetur in varios fideles, quò magis pateant diuitiæ gratiæ, & donationis ipsius.


Hac verò varietate, & ordine Hierarchico Ecclesiam Romanam insignem esse, nemo est, qui dubitet. Carent autem prorsus illa cœtus Sectariorum. Non illi igitur, sed Ecclesia Romana est ea Christi Ecclesia, quæ in Scripturis sanctis corpus, regnum, ciuitas. & domus Dei propter eiusmodi varietatem nominatur. Quid enim aliud in Sectariorum Synagogis, præter Babylonicam confusionem, & velut orbitatem quandam, atque desolationem tristissimam, apparet? Reijciunt varietatem vitæ statuum: oderunt obedientiæ, castitatis, paupertatis professionem: nullam ministrorum differentiam, quæ quidem auctoritate aliqua, seu potestate peculiari ad munus rectè obeundum (præter meram ad id deputationem, seu designationem) agnoscunt: Omnes apud eos, quod ad muneris auctoritatem attinet, sunt sacerdotes, & Euangelij ministri: ijdem pastores, & oues: nulli qui certa professione virtutum præstantissimarum, obedientiæ, castitatis, paupertatis, secundum consilia Christi, ad beatitudinem contendant, per [viam (vt Apostoli vocabulo vtar) excellentiorem:] nulla fermè cultus cærimonia: Denique talia apud eos omnia, vt in eorum religionis ratione vix aliquod Christianæ disciplinæ signum reliquum sit, quo eos possis ab ethnicis, nulla veri Dei cognitione imbutis, discernere. Sed de probatione ab Ecclesiæ ordine satis hactenus multa.

VI. Postremò, quòd sola Ecclesia Romana perpetuò fuerit visibilis (hæc enim vltima prærogatiua est, ex qua suprà conuicimus, probari etiam debere veram Ecclesiam Christi) ne ipsi quidem Sectarij diffiteri possunt. Quare in eo magis laborant, vt Ecclesiam inuisibilem nobis faciant: ne si visibilem esse concedant, fateri cogantur à vera Ecclesia se defecisse tum cùm defecerunt ab Ecclesia Romana, quæ sola, ante desertorem Lutherum, fuit in orbe cognita. Quando enim, aut vbi ante annos circiter sexaginta Lutheri Synagoga fuit, hoc est, hominum aliquis cœtus, qui doctrinæ, qui cultus rationem à Luthero traditam sequerentur? [Audemus, inquit ipse Lutherus, gloriari, Christum primò à nobis vulgatum. Et Wigandus: Secundum, inquit, Germaniæ beneficium est, articulorum fidei illustratio, qualis ab Apostolorum temporibus hucusque in mundo non est cognita.] Si igitur doctrina Lutheri tam multis illis seculis ante Lutherum non fuit: qui esse potuerunt ante Lutherum cœtus, qui sequerentur doctrinam Lutheri?

Sed instaurauit, inquiunt, Lutherus omnino doctrinam veterem, adeoque veritatem in tenebris per tot sæcula delitescentem in lucem protulit. Hoc verò est, quod ostendimus esse incredibile; vt tot sæculis veritas,

atque

atque adeò Ecclesia Christi latuerit: vt nulli fuerint cogniti,& successione aliqua constantes Pastores, & Doctores, ad quos communiter oues Christi recurrerent pro salutari pastu doctrinæ. Ecclesia enim Christi, qualis ea quidem in Scripturis descripta est, omnino talis est, nempe conspicua, supra montem posita, in qua sint veri Doctores, & Pastores, in qua vsus legitimus vigeat Sacramentorum, in qua sonet, & audiatur vox veræ doctrinæ, vt superiùs abundè probatum est. Talis igitur Ecclesia si aliquot sæculis non fuit; prorsus Ecclesia Christi nulla tunc fuit: quod sine ingenti blasphemia dici non potest. Ac multò nos sanè meliore iure Sectarijs ita tergiuersantibus possumus idem obijcere, quod olim Tertullianus, ducentorum tantùm annorum præscriptione fretus, nec tam latè, quàm modo propagata Ecclesia, sic hæreticis obijciebat. [Quid? inquit, Verisimilene est,vt tot, ác tantæ Ecclesiæ in vnam fidem errauerint? Scilicet, aliquos Marcionitas, & Valentinianos (dicamus nos, Lutheranos, & Caluinianos) liberanda veritas exspectabat? Interea perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotes, tot ministeria perperam functa. Item, Hoc, inquit, si ita est, neglexit officium Dei villicus, Christi vicarius, Spiritus sanctus, sinens Ecclesiam aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos prædicabat.] At enim veteres ita contra eiusmodi hæreticos ratiocinabantur, qui manifestos errores contra Scripturas defendebant. Nos autem, inquiunt Sectarij, nihil docemus, nisi quod continetur in scriptis Apostolicis. Ego verò quin hæc à Patribus contra errores disputarentur, minimè dubito. Sed hoc vrgeo, eo demum argumento, tanquam compendio quodam, veteres ostendisse, erroneam, & à Scriptura alienam fuisse doctrinam illam veterum hæreticorum, quoniam à doctrina multis sæculis in Ecclesia recepta discreparet; nec verisimile esset tot Ecclesias,tot sacerdotes,tot Christi fideles tanto tempore in errore fuisse versatos. Hoc idem argumentum, cùm nobis aduersùs Sectarios eò etiam magis competat, quò diuturniore tempore fuisse Ecclesiam sine doctrina Lutheri constat; rectè similiter concludimus, nihilo minus illos, quàm veteres hæreticos à vera, & Apostolica fide aberrare. Vanissimè igitur nobis doctrinam talem venditant,quæ vera fuerit, & Apostolica; & tamen cum ea doctrina, quæ tot sæculis palam apud fideles sonuit, pugnarit, ipsaque latuerit in inuisibili Ecclesia, qualem Christus certè nullam instituit, vt suprà probatum est. Quæ cùm ita sint, rectè initio conclusimus, solam Ecclesiam, quæ Romano Pontifici pro tempore existenti paret: quoniam (vt hactenus demonstratum est) sola [vna, sancta, Catholica,Apostolica, rectè ordinata, & visibilis est:] veram illam, atque legitimam esse Christi Ecclesiam, in qua vnica demum quæri debeat, atque inueniri possit auctoritas illa infallibilis, magistra fidei in omnibus quæstionibus controuersis. Deinceps, quæ sunt reliqua prosequamur.





PARS SEPTIMA.

Pontifex ipse Romanus est, in quo auctoritas illa residet, quæ in Ecclesia exstat ad iudicandum de omnibus omnino fidei controuersijs.



CVm varij sint ordines fidelium in Ecclesia Christi; alius eorum, qui docent, & præsunt, quales inprimis sunt Episcopi; alius eorum, qui ab ijs reguntur, ac pascuntur doctrina salutari, atque vsu Sacramentorum; cuiusmodi sunt vulgo ipsi fideles: hìc non iam disputamus, an illa auctoritas infallibilis, cuius definitione oportet in Ecclesia dijudicari posse quæstiones fidei omnes, sit etiam in Episcopis, & Doctoribus, adeòque in Concilijs, aut in cœtu ipso vulgarium fidelium (quorum ordinum quatenus certa sit sententia in fidei controuersijs, infra dicemus) neque vllam etiam comparationem huius, aut illius ordinis iam instituimus: sed affirmamus, nunc certè absolutè, eiusmodi auctoritatem in Romano Pontifice, qui pro tempore existit, residere. Quam assertionem satis ipso iudicio legitimę Christi Ecclesię confirmare possemus. Ita enim persuasus est ille hominum cœtus, qui Romano Pontifici paret. Quem cœtum, & veram esse Christi Ecclesiam, neque falli posse, hactenus à nobis demonstratum est. Sed vtemur præterea ijs probationibus, quæ sunt huius loci propriæ. Atque vt via, & ratione de re latissime patente disseramus, placet hanc totam disputationem huiusmodi argumentandi forma concludere.

Cui Ecclesia tota obtemperare tenetur in ijs rebus, quæ ad spiritualem animæ salutem pertinent, siue illæ fidem, siue cultum, siue mores concernant; in eo auctoritas est infallibilis ad fidei quæstiones omnes dijudicandas. Sed Romano Pontifici, pro tempore existenti, ita prorsus vniuersa Ecclesia obtemperare tenetur. Igitur in Romano Pontifice est eiusmodi auctoritas infallibilis.

Prima istius argumenti propositio facilè probatur ex his promissionibus, quæ de doctrinæ veritate sunt diuinitus factæ ipsi Ecclesiæ. Quod enim in vniuersa Ecclesia credere tenetur: id infallibiliter verum esse oportet. Alioqui falsum illa quandoque obligaretur credere. Quod plurimùm abhorret ab illarum certitudine promissionum: [Hoc fœdus meum cum eis: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, amodò, & vsque in sempiternum.] Item: [Alium paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis: vt maneat vobiscum in æternum.] Item: [Ille vos docebit omnia &c.] Vt alia nunc prætercam, quæ supra, cùm de ea Ecclesiæ prærogatiua ageremus, disputata à nobis sunt. Si alicuius igitur in rebus ad salutem pertinentibus, atque adeò in fidei controuersijs iudicium sequi debent omnes fideles: is quin auctoritatem infallibilem ad fidei controuersias omnes determinandas habeat, dubitari non potest: vt in illa priori propositione nostri argumenti posuimus.

Illud maius est, & accuratiore demonstratione indiget, quod in altera propositione assumpsimus, Pontificem Romanum esse, in quo talis, ac tanta dignitas præeminear, vt in ijs, quæ ad animi spectant salutem, adeòque ad ipsam fidem, omnes fideles ei obtemperare, parereque teneantur. Quæ sanè assertio illum in Ecclesia principatum Romano tribuit Pontifici, quem Sectarij omnes cumprimis reuocant in dubium, imò verò inficiantur. Neque enim aliud nomine eiusmodi primatus intelligimus, quàm talem auctoritatem, cui omnes fideles in vtroque foro interno, & externo parere debeant in ijs, quæ spectant, vel ad mores, vel ad cultum, vel ad fidem, idest, in salutis negotio. Ac sanè Romanum Pontificem hunc principatum obtinere, demonstratum luculenter à quàm plurimis catholicis Auctoribus est: ex quibus mihi valdè probatur Thomas Waldensis lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ cap. 29. & deinceps: Turrecremata lib. 2. de Ecclesia ferè per totum. Roffensis art. 25. contra Lutherum. Ioannes Driedo lib. 4. de varijs dogmatibus cap. 4. par. 2. & 3. Melchior Canus lib. 6. de locis Theologicis per totum, vt eos nunc omittam, qui doctissimè etiam de hoc ipso argumento posterius scripserunt: vt Sanderum, Stapletonum, Franciscum Turrianum &c. Nos quidquid in eius assertionis confirmatione præcipuè disputari solet ad hanc rationem commoda methodo reuocare posse videmur: Auctoritas illa in Ecclesia primaria prorsus à Christo tributa est B. Petro, & ipsius successoribus, vsque ad consummationem sęculi. Sed Romanus Pontifex pro tempore exi-

exiſtens, B. Petri eſt ſucceſſor. Igitur Romano Pontifici pro tempore exiſtenti illa auctoritas à Chriſto tribuitur.

Hoc in argumento tria ponimus. Primum. Auctoritatem illam primariam Diuo Petro eſſe à Chriſto collatam. Secundum. Non illi ſolùm, ſed etiam eius ſucceſſoribus. Tertium. Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem B.Petri ſucceſſorem eſſe. Quæ tria cùm ordine probauerimus, locus hic erit expeditus.

Primariam in Eccleſia auctoritatem fuiſſe à Chriſto collatam Diuo Petro.

PRimum illud, quoniam quæſtio hæc omnis eſt facti, probandum eſt ex hiſtoria Euangelica,vbi Chriſti Domini geſta narrantur. Et quia mihi in hac tractatione, ac Analyſi fidei, propoſitum (vt initio monui) eſt, non tam proferre noua, quàm & explicatione nonnihil illuſtrare, & argumentis communire vetera,quæ ſolent eſſe ferè firmiora: vtar iam etiam ad probationem illis potiſſimùm Euangelij locis, ex quibus vniuerſi Eccleſiæ Doctores (quos etiam allegabimus) eiuſmodi primatum Petri collegerunt.Primus igitur locus valdè illuſtris eſt apud Diuum Matthæum: vbi Chriſtus Dominus eam auctoritatem verbis ampliſſimis Diuo Petro promiſit. Cùm enim is Chriſto, communiter ex omnibus Apoſtolis percontanti: [Vos autem quem me eſſe dicitis? tanquam os omnium Apoſtolorum, & vertex totius conſortij,] vt inquit Diuus Chryſoſtomus, reſpondiſſet: [Tu es Chriſtus Filius Dei viui:] viciſſim Chriſtus ad eum, ita loquitur: [Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis.] Ex quo ſanè loco ad confirmandam illam Petri auctoritatem totidem argumenta duci poſſunt, quot ſunt penè in illa Chriſti oratione verba. Expendamus igitur ſingula, quò demum intelligatur non perperam eruditiſſimos Eccleſiæ Patres hoc inprimis teſtimonio Chriſti ſingularem illum Diui Petri primatum (vt poſt videbimus) äſſeruiſſe.

I. Beatus es, inquit, Simon Bariona. Quemadmodum ex omni illo numero Apoſtolorum Petrus ſolus reſponderat, & vſque adeò præclaram de Chriſto confeſſionem ediderat: ita Cſriſtus prætermiſſis cæteris, nomine proprio eum comppellat, parentis etiam nomine indicato, vt ea re faciliùs intelligeretur ad quemnam propriè, atque ſingulariter ſequentes promiſſiones referendę eſſent.

II. [Quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.] Nempè declarauit etiam ijs verbis quantam certitudinem habitura eſſet ea doctrina fidei, quæ à Petro traderetur ex pręcipua illa auctoritate, quam deindè illi promittit, vt iam iam videbimus. Non enim ſenſu, qui ſæpè fallit, carnis, & ſanguinis, ſed cœleſtis Patris inſpiratione fides de Chriſto, atque adeò de alijs omnibus myſterijs (vt quæ ad Chriſtum omnia reuocantur) concipienda à Petro, atque explicanda erat.

III. Et ego dico tibi: [Mercedem,inquit B.Hieronymus, recepit vera confeſſio.] Et B.Cyrillus: [Tam veræ, inquit, ſententiæ remunerationem Petrus reportauit,] ideſt, donum aliquod, atque prærogatiuam ſingularem, viciſſim Chriſtus Petro pollicetur in præmium illius veriſſimæ confeſſionis, quam ipſe ſolus præ alijs de Chriſto fecerat. Quod ſimiliter D. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthimius, Hilarius intellexerunt.

IV. Quia tu es Petrus. Hæc nominis commutatio promiſſæ etiam in omnes fideles auctoritatis indicium eſt. Quod primum apparet ex Scripturæ analogia in alijs locis. Vbi enim aliàs ſimilis commutatio nominis diuinitus facta perhibetur, ſingularis alicuius dignitatis ſymbolum eam fuiſſe intelligimus. Id videre eſt in Abraham, Sara, & Iacob, & alijs. De qua re ſic Diuus Chryſoſtomus: [Ipſe Deus eſt, qui nomina aptè imponit. Qui Abram, Abraham, & Sarai Saram, & Iacob Iſrael vocauit. Multis à natiuitate nomina impoſuit. Vt Iſaac, & Samſon, & ijs quorum meminit Iſaias, & Oſee. Quibuſdam quam acceperunt à parentibus appellationem mutauit, vt prædictis, & Ieſu. Mos etiam antiquitus erat à rebus nomina imponi. Quod & Elias fecit. Hoc autem non temerè fit: ſed vt ea appellatio imponatur, quę fit diuini beneficij perpetuum monumentum, & memoria per prædicta nomina auditorum animis imprimatur.]

Deindè idem in propoſitio confirmat ipſa ratio impoſiti nominis. Petrus enim Latinè; Græcè *Petros*, & Syriacè, atque Hebraicè (qua lingua Chriſtus, tunc vſus eſt) *Cepha* Cephas eſt. Quod vocabulum ſignificat ſaxum firmum, & magno ponderi ſuſtinendo aptum. Eum igitur, qui inprimis doctrinæ cœleſtis ſoliditate, ac firmitudine totam Eccleſiæ fabricam ſuſtentaturus erat; aptiſſimo vocabulo Chriſtus Petrum appellat: nempè qui tanquam ſaxum immobile in ædificio Eccleſiæ futurum eſſet, [quod totius operis chriſtiani molem, atque compagem contineret,] vt D. Ambroſius diſertis verbis interpretatur.

Accedit quod multò etiam antea eam appellationem Petro Chriſtus promiſerat. Cum primum enim Petrus ab Andrea eſt adductus ad Chriſtum: [Intuitus eum Ieſus dixit. Tu es Simon filius Iona, Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur (inquit Euangeliſta) Petrus.] Quorſum tanto antea hæc tam ſeria appellationis promiſſio, ſi vocabat myſterio? Equidem hic mihi ſubaudire videor Chriſtum rationem eius nominis ab officij auctoritate, quam erat Petro aliquando collocaturus, reddentem: perinde ac ſi apertè ſubiunxiſſet: ideò Cephas vocaberis, quoniam inſtar firmiſſimi ſaxi totam molem ædificij Eccleſiæ ſuſtentaturus es. Hoc enim proculdubiò illud eſt, quod animo Chriſtus voluebat tum, cùm minimę ocioſè intuens in Petrum, aiebat: [Tu vocaberis Cephas.] Sic enim hunc locum interpretatur Diuus Cyrillus:

rillus: [Respicit, inquit, vt Deum decet, qui corda, & renes scrutatur. videtque, qui nihil ignorat, ad quantam fidem, & virtutem discipulus peruenturus sit, &c. nec Simon fore iam nomen sibi, sed Petrus prædicit: vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tanquam in petra lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam. Quamuis non omnia quidem, inquit Chrysostomus, quæ euentura ei erant, hoc primo congressu prædixit. Non enim tum dixit: super hanc petram ędificabo Ecclesiam meã, &c. Illud enim maioris erat potestatis nec non, & auctoritatis.] Quemadmodum igitur Deus Abrahę dicens: Tu vocaberis Abraham: rationem eius appellationis duxit ab eius futura dignitate, subiungens: [Quia Patrem multarum gentium constitui te:] ita Christus Petro dicens: [Tu vocaberis Cephas,] futuram illius dignitatem, & principatum in ædificio Ecclesiæ insinuauit, etsi nondum tum quidem penitùs id expresserit, Sed postea demum, [cùm is est confessus Christi diuinitatem, vt ait idem Chrysostomus.

V. [Et super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam.] Quam non explicarat rationem appellationis cum Petro, id nomen promitteret; eam tandem his verbis apertissimè exponit, in ipsa nominis attributione. [Tu es, inquit, Petrus.] Quamobrem verò? & qui tandem eiusmodi appellatio tantum valet, vt mercedem illam contineat, quam (vt Patres asseuerant) recepit vera confessio? Nempè quia super hanc, inquit, petram, id est, super te Petre (vt statim probabimus) ædificabo Ecclesiam meam.] Sanè ex multis alijs nominibus, quibus Ecclesię dignitas, atque status propter veritatem, & ordinem, qui in ea cernitur, commodè significari potest, vnum est, Domus, vt suprà notatum est, cùm de prerogatiua ordinis Ecclesię ageremus. Quod vocabulum ideò etiam in Ecclesiam benè conuenit, quia vt domus ab inquilino, ita cœtus fidelium à Spiritu sancto inhabitatur. Hanc domum Deus per filium eius Iesum Christum ędificat: vt Apostolus inquit; [Dei ædificatio estis.] Nec verò diuinitùs hanc domum ędificari aliud est, quàm fide, cultu, & moribus aptari diuino beneficio, atque perfici fideles; vt postquam gratia demum expoliti, ac tum inter se, tum cum Christo quàm optimè coniuncti fuerint ex illis quasi construatur dignum Deo habitaculum, secundum gratiam quidem in hac vita, & secundum ęternam etiam beatitudinem in altera, quò spectat hæc omnis Ecclesiæ fabrica. Hęc illa ędificatio est, cuius Apostolus pręsertim sępè meminit; quam dicit esse cum primis in charitate, & in fide; ad quam omnia quę fiunt, referri vult, & in qua perficienda suorum opera ministrorum Deum vti docet, hoc est, [Doctorum, & Pastorum, quos dedit Deus, inquit, in ędificationem corporis Christi ad consummationem sanctorum, vt euadamus omnes in virum perfectum.] Cùm Christus igitur singulariter suprà Petrum se Ecclesiam suam ędificaturum dixit; Petrum constituit facere huius domus, atque ędificationis singulare fundamentum: vt ei videlicet post Christum tanquam firmę petrę tota illa fabrica spiritualis innitatur. Id verò aliud non est, quàm auctoritatem prorsus solidam, ac firmam Petro promissam esse qua certò niti oporteat omnes fideles, in ijs rebus, quę ad fidem, cultum, & mores, hoc est, quę ad ędificationem Ecclesię, vt explicatum est, pertinent. Etenim, vt eandem Petri personam æque intelligamus, hoc loco significatam à Christo esse nomine petrę (super quam ędificaturum se Ecclesiam dicit,) atque nomine Petrus; multis modis confirmari potest.

Primò. Quia Christus non duobus illis vocabulis, Petrus, & petra, sed vno, & eodem, nempè Cephas, cùm Syriacè loqueretur, vtrobique vsus est. Quod vocabulum, vt Beatus Heronymus notat, absolutè significat saxum: sicut etiam, *Petros*, Gręcè indifferenter significat, & Petrum, & petram, vt igitur, si Christus Latinè dixisset: [Tu es saxum, & super hoc saxum ędificabo Ecclesiam meam;] non dubitaremus quin vtrobique illo eodem vocabulo, saxum, vnam & eandem personam significasset: ita sentiendum est illum fecisse cùm Syriacè loquens vtrobique similiter vocabulo, Cephas, vsus est quod saxum significat. Neque quidquam impedire nos in ea re debet, quod primò quidem vbi magis expresse ad ipsam Petri personam vocabulum, Cephas, & *Petros*, refertur, interpres è Græco Petrus verterit, posteà autem, petra. Hoc enim ille fecit, non quia diuersæ res vocabulo Petrus, & petra in eo loco significentur, sed vt commodius loqueretur secundum vocum formationem Latinam.

Secundò. Idem ostendit ipsa series orationis Christi, & maximè vis illius demonstratiui pronominis, Hanc. Super quam enim petram dicit ædificaturum se Ecclesiam? Super hanc, inquit: nempè quam proximè antecedentibus verbis demonstrarat, inquiens; Tu, tu es Cephas; id est, petra seu Petrus. Alioqui quorsum tunc attinebat ipsum Petrum, seu saxum appellare, nisi illud etiam quod de petra subiunxit, ad eundem retulit? Certè id fecit, vt aptè ostenderet, rem illius nominis in Petri personam conuenire. Vt cùm Dominus dixit ad Abraham: [Tu vocaberis Abraham:] ad ipsum accommodauit rem etiam nominis, illud subiungens:] Quia patrem multarum gentium constitui te.] Sic etiam Angelus de ipso Christo: [Vocabis, inquit: nomen eius Iesum. Ipse enim, inquit, saluum faciet populum suum à peccatis eorum.] Vt iam alia exempla similia pręteream.

Tertiò. Si non eundem Petrum eam petram esse Christus significauit: quem igitur, aut quam rem ibi nomine petræ intellexit? Seipsum, inquiunt, vt postea videbimus, plerique Sectarij. Primum, qualis esset illa orationis consequentia? Tu Petrus es: Ego super me ędificabo Ecclesiam meam. Deinde cur dicit hanc? Num digitum in se intendit, aut manu sublata sese indicauit, vt commodè, Hanc, diceret? Accedit quod rem illis verbis facturum se promittit, planè futuram, quam nondum, aut fecisset tunc aut etiam inchoasset. At ipse Christus iam inde ab origine mundi erat fundamentum Ecclesię, ac super illum iam tum bona ex parte

Eccle-

Ecclesia exędificata. Item si se, non Petrum ibi petram esse intellexit; quam, obsecro, mercedem illis verbis Petro propter factam ab eo confessionem promisit? Non enim Petri prerogatiua est, quod super Christum ędificetur Ecclesia. At rectè sentiunt veteres, Petri confessionem illis Christi verbis, atque promissione singulariter remunerari, vt antè dictum est. Necesse est igitur, vt intelligamus Christum ibi ipsum Petrum appellasse petram, super quem adeò promiserit Ecclesiam se suam ędificaturum.

Quartò. Ita locum illum vniuersi Patres interpretati sunt, neque prorsus dubitauerunt, quin Petrus ibi petra dictus à Christo sit. Et si vnus quidem excipiendus est Augustinus, qui cum vtroque modo locum interpretur, scilicet, & de Petro, & de Christo, iudicium ad extremum permittit liberum Lectori, vt quam interpretationem probabiliorem putet, eam sequatur. Sed cùm ipse Augustinus nihil hac de re certi definiat, atque etiam permittat per petram ibi Petrum intelligere: Sequi nos oportet communem sententiam aliorum Patrum, qui in eiusmodi interpretatione consentiunt. Maximè cùm ratio ipsa loci eum sensum preferat, vt ostensum est, nec ex contrario sit firma ea ratio, quæ Augustinum de eiusmodi interpretatione addubitare fecit: [Non enim, inquit ipse, dictum est Petro: Tu es petra, sed tu es Petrus.] Atque si de vocabulis quærimus; ne Petrus, quidem à Christo dictum est illi, sed Cephas. Quod vocabulum petram, seu saxum significat, vt suprà notatum est. Quare nihil impedit, quo minus petram à Christo Petrum esse appellatum intelligamus, quamuis secundariam quidem post Christum, vt paulò post docebimus.

Nunc Patres eum locum ita interpretantes audiamus. Dionysius Petrum affirmat ab Apostolo Paulo vocatum fundamentum Ecclesiarum. Tertullianus: [Latuit ne, inquit, aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum? Clemens: Simon Petrus fundamentum Ecclesiæ definitus est. Quia de causa etiam Domini ore cognominatus est Petrus. Origenes: Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, & petra solidissima, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino: Modicæ fidei quare dubitasti? Cyprianus: Petrum primum Dominus elegit, super quem ædificauit Ecclesiam. Hyppolitus: Princeps Petrus fidei petra. Ambrosius in hymno, teste Augustino: Hoc (gallo gallinaceo) ipsa petra Ecclesia canente culpam diluit. Qui sensus, inquit Augustinus, multorum ore cantatur in versibus beatissimi Ambrosij. Item Ambrosius in alio loco: Petrus pro soliditate deuotionis Ecclesiarum, petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, petra enim dicitur eò, quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat.] Ac rursus de claudo illo homine, qui diuinitùs à Petro sanatus est, loquens: [Si Petrus, inquit, petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat, vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Gregorius Nazianzenus: Vides, inquit, quemadmodum ex Christi discipulis, magnis vtique omnibus, & excelsis, atque electione dignis, hic, Petrus, petra vocetur atque Ecclesiæ fundamenta (nempè intelligit reliquos Christi Apostolos) fidei suæ credita habeat. Hieronymus: Secundum metaphoram, inquit, petræ, rectè dicitur ei, Petro, ædificabo Ecclesiam meam super te. Basilius: Petrus cùm dixisset: Filius Dei es altissimi; & audisset, petra es; encomijs celeber factus est. Etiamsi autem petra est, non vt Christus petra est, sed vt Petrus petra. Christus enim reuera petra inconcussa est, Petrus verò propter petram. Largitur enim Iesus suas dignitates, & non euacuatur, sed habens dat. Hilarius: O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges dissolueret. O beatus cœli ianitor, &c. Paulinus: petra est Christus. Etiam discipulo huius vocabuli gratiam non negauit, cui dicit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Chrysostomus: Princeps Apostolorum Petrus super quem Christus fundauit Ecclesiam, verè immobilis petra, & firma confessio. Prosper Aquitanicus: Hæc fortissima petra ab illa principali petra, Christo, communionem, & virtutis sumpsit, & nominis. Epiphanius: Ipse Dominus constituit Petrum primum Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est. Maximus: Per Christum Petrus factus est petra: dicente ei Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Concilium Chalcedonēse: Petrus Apostolus est petra, & crepido Ecclesiæ Catholicæ. Theodoretus: In Petro Apostolorum principe Dominus in Euāgelio se Ecclesiam suam ędificaturum promisit.] Eadem sententia (ne simus plolixi) reliquorum Patrum est. Quin, & ipse Augustinus multis in locis Petrum à Christo dici petrā, & fundamentum Ecclesiæ interpretatus est. [Vt cum, inquit: Petrum fundamentum Ecclesiæ Dominus nominauit: & ideò dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo surgit. Item: Petrus Christum confessus erat filium Dei: & in illa confessione appellatus erat petra, super quam fabricaretur Ecclesia. Item: Respondit Petrus, petra illa, voce omnium: Domine, ad quem ibimus?] Etsi autem in alijs quibusdam locis petram Christum interpretatus sit; tamdemque, vt antea diximus, dubitauerit, vtro modo potius ille quidem locus Mat. 16. intelligi debeat: tamen de ipso principatu alioqui, quem habuerit Petrus in Ecclesia, quemque vocabulo petræ, capitis, fundamenti, ianitoris cœli, metaphoricos significare Orthodoxi solent, nullo pacto dubitauit vnquam Augustinus. Eius enim sunt illa verba: [Quis nesciat primum omnium Apostolorum esse beatissimum Petrum? Item: Ipsum, inquit, constituit Dominus esse caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici. Item: Primatum in discipulis habuit. Item: Quis nesciat illum Apostolatus Petri principatum cuilibet Episcopatui præferendum?] Ac extat locus Augustini in epistola ad Casulanum;

num; ex quo satis apparet, minimè illum improbare, quo minus Petrus etiam Apostolorum caput, cœli ianitor, & Ecclesiæ fundamentum nominetur. Tot enim, ac talibus nominibus, Augustino referente, & minimè reprehendente, Petrum (ex vulgatissima procul dubio Ecclesiarum omnium sententia) appellauit is contra quem ibi Augustinus de ieiunio Sabbati disputat. Sed reliqua argumenta, quæ continentur in illo loco Matthæi pro primatu Petri prosequamur.

VI. Et tibi, inquit, dabo claues regni cœlorum. Illustrat his verbis Christus alia metaphora vim auctoritatis illius primariæ, quam Petro ad constituendum de ijs rebus, quæ pertinent ad salutem fidelium, pollicebatur. Namque claues regni cœlorum eam potestatem vocat, propterea, quòd eius vsu multiplici cęlum fidelibus, vel clauditur, vel aperitur. Quid enim aliud est, doctrinam fidei certò explicare; peccata remittere; leges salutares condere; ea quę ad sanctissimum cultum pertinent, constituere; alijsque id genus rationibus hominum saluti consulere; quàm ijsdem cęlum, hoc est, aditum ad æternam beatitudinem aperire? Contrà verò, cùm beneficium remissionis peccatorum iusta ex causa negatur; cùm alicuius, aut vita, aut doctrina condemnatur; cùm excluditur ex communione fidelium; huic nimirum quasi clauditur cęlum. Itaque intelligendum est, cùm soli Petro in hoc loco claues regni cęlorum singulariter promittuntur, summam illi post Christum in Ecclesia promitti potestatem. Nempe eiusmodi, qua, & omnibus alijs (atque adeò etiam ipsis Apostolis) & omnibus modis aperire potuerit regnum cęlorum. Non enim Apostolis item reliquis claues ipsas cęli, aut promisisse, aut tradidisse Christum legimus. Etsi attribuit illis quidem quamdam auctoritatem vsus eiusmodi clauium; vt scilicet clauderent cęlum, aut aperirent, retinendo, vel remittendo, seu quod idem est, soluendo, vel ligando peccata. Claues autem ipsæ, hoc est, plena atque summa potestas id omni ratione faciendi, Petro soli, promissæ atque adeò tributæ sunt; quæ est Christi promissionum fidelitas.

Quod sanè discrimen inter Petrum, & reliquos Apostolos, quod attinet ad potestatem eam clauium, pręclarè veteres Patres animaduerterunt. Nam Augustinus, quoniam ad vtilitatem ipsius Ecclesiæ, principatus eius auctoritatis Petro tributus est, ideò scribit Ecclesiam illum repræsentasse tum cùm ei à Christo diceretur; Et tibi dabo claues regni cęlorum. [Quædam, inquit, dicuntur, quę ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, neque tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cuius ille cognoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in discipulis habuit: sicuti est: Tibi dabo claues. Et rursus: Quod ad Petrum, inquit, propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus, abundatiore gratia vnus primusque Apostolus. Sed quando ei dictum est; Tibi dabo claues; vniuersam significabat Ecclesiam. Item: Petrus, inquit, Apostolus propter Apostolatus sui primatum totius Ecclesiæ gerebat figurata generalitate personam.] Consentit cum Augustino Optatus Mileuitanus, qui ob eam amplitudinem auctoritatis Petri, qua cæteris Apostolis antecelluit; dissertis verbis inquit: [Solus Petrus claues accepit. Item Origenes: Quoniam oportebat, inquit, aliquid maius habere Petrum, ideò illi quidem sic dicit; Et tibi dabo claues regni cęlorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata, & in cęlis. Non ergo modica differentia est, quòd Petro quidem sint datæ claues non vnius cęli, sed multorum cęlorum, vt quęcumque ligauerit super terram, sint ligata, non tantùm in vno cęlo, sed in omnibus cęlis, & quæ solueris super terram, sint soluta non solùm in vno cęlo, sed in omnibus cęlis. Ad eos autem, qui multi sunt ligatores, & solutores in terra, sic dicit, vt soluant, & alligent, non in cęlis, sicut Petrus, sed in vno cęlo; quia non sunt in tanta perfectione sicut Petrus.] Item beatus Leo: [Petro, inquit, præ cæteris est tradita soluendi, atque ligandi potestas.] Neque verò præeminentiam hanc auctoritatis clauium in Petro Hieronymus, & Cyprianus ignorauerunt, cùm ille scripserit, [inter duodecim vnum eligi, vt capite constituto schismatis tollatur occasio: hic autem, primatum Petro dari, vt vna Christi Ecclesia, & vna Cathedra monstretur.]

Huc præter auctoritatem sanctorum Patrum accedit analogia Scripturæ, eiusque phrasis in alijs locis. Etenim clauium nomine summa potestas designari in Scriptura sacra solet. [Dabo (inquit Dominus Eliachin summo sacerdoti, qui typum Christi gessit) clauem domus Dauid super humerum eius. Et aperiet, & non erit, qui claudet, & claudet, & non erit, qui aperiat.] Quid verò hęc clauis significat? Nempe potestatem talem in domo Dauid, hoc est, in Ecclesia, vt quod ab ea rectè, ac legitimè constitutum sit, ratum apud omnes, ac firmum esse debeat, ne possit à quoquam rescindi. Hoc enim est quod ait: [Aperiet, & nemo claudet, & claudet, & non erit qui aperiat.] Hanc clauem, hoc est, potestatem in Ecclesia, quæ, & dicitur regnum cęlorum, Christus præstantissima ratione habet. [Ipse enim est sanctus ille, & verus (inquit Ioannes Apostolus) qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.] Petro igitur vices suas in hac vsurpanda claue, hoc est, summam post ipsum auctoritatem in terris promisit, cùm se illi claues regni cęlorum traditurum pollicitus est. [Largitur enim Christus (inquit Basilius) suas dignitates, & non euacuatur, sed habens dat.] Ac sanè in politicis etiam id [illegible]iliter obtiuuisse videmus, vt cui regend[illegible]itatis summa auctoritas attribuitur, h[illegible]nquam eius dignitatis symbolum quod[illegible] claues ciuitatis tradantur. Ab hac igitu[illegible]iquissima, atque receptissima consue[illegible]e existimare debemus, Christum (qui solitus fuit ex rebus ferè vulgò vsitatis sermonis rationem, ac modum petere) illam metaphoram mutuatum esse: vt amplitudinem eius potestatis, quam Petro promittebat, quàm aptissimè exprimeret.

VII. [Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Portæ inferorum, inquit Epiphanius, sunt hæreses, & heresiarchæ. Iuxta omnem

omnem enim modum in ipso Petro firmata est fides, qui accepit claues regni cœlorum.] Quo pacto, & alij Patres portas inferorum hoc loco interpretantur. Si igitur ita super Petrum Ecclesia fundata est, vt possit opere Petri, ac ministerio aduersùs omnes hæreses, & omnem vim inferorum firma stare: confiteri necesse est, talem auctoritatem Petro tributam esse, qua potuerit tum in omni fidei quæstione, quod verissimum est certo docere, tum quæ essent fidelibus, aut in cultu, aut in moribus salutaria, sanctè constituere. Quod enim Christus subiunxit: [Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam,] id ad antecedentia referri debet, vt inde præstantiam, atque firmitudinem illius potestatis intelligamus, quam Petro pollicebatur, affirmans se super illum Ecclesiam fundaturum, eique traditurum claues regni cœlorum. Nam, & ad explicandam etiam vim, atque vsum eius auctoritatis adiunxit, illud quod ad extremum sequitur.

VIII. [Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis.] Quibus verbis non qualicumque modo eum significat soluere, atque ligare posse, sed tamquam eum nimirum, qui auctoritatem ipsam clauium regni cœlorum absolutam atque plenam habet: vt ex verbis antecedentibus, quæ hactenus exposita sunt, didicimus. Quod sanè pacto cæteri Apostoli clauium auctoritatem non acceperunt; vt testimonijs Patrum, quæ partim adduximus, partim postea adducemus, perspicuum fit.

Hic verò quo minus ex hoc Euangelij loco primatum illum Petri colligamus, nobis obijciunt Aduersarij primò, Non Petrum, sed Christum ipsum nomine petræ, super quam Ecclesia ædificanda fuerit, intelligi hoc in loco debere: vel certè confessionem ipsam fidei de Christi diuinitate à Petro editam. Atque hic vrgent illud: [Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.] Secundò. Quidquid hic Petro, promissum est, alijs etiam Apostolis esse tributum. Nam, & omnes fundamenta appellantur, in Apocalypsi Ioannis: & omnibus Christus dixit: [Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata, & in cœlo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in cœlo.] Et illud item omnibus: [Ite, ego mitto vos, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, &c.] Quò accedit auctoritas Patrum, qui pares omnes Apostolos fuisse, testari videntur. Cyprianus enim dicit: [Hoc erant vtique cæteri Apostoli, quod erat Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis.] Quod ipsum similiter affirmant Anacletus, Hieronymus, Leo. Tertiò. Quod Petro peculiariter videatur Christus claues regni cœlorum promisisse: id, inquiunt, ad confirmandum illius principatum non valere. Non enim ipsi Petro peculiariter, sed Ecclesiæ, cuius figuram ibi Petrus, auctore Augustino, præferebat, esse promissas, atque datas claues.

Ad primum respondemus: Etsi Christus alioqui petra angularis, & fundamentum præcipuum sit, quo Ecclesia omnis nititur, tamen in eo quidem loco apud Matthæum petræ nomine non posse ipsum intelligi, sed Petrum significari. Quod cùm antea perspicuis argumentis ex ipso loco ductis, & consentiente auctoritate sanctorum Patrum, confirmauerimus, nihil est necesse idem denuò probare. Nam quod Augustinus, vt diximus, subdubitarit, Petrusne, an potiùs Christus ibi petra nominetur; vbi tam est aliorum omnium Patrum sententia concors, & constans, nihil nobis præiudicare debet.

Vt autem ibi per petram, confessio fidei etiam, à Petro facta, intelligatur, non impedimus. Nam quod ad rem ipsam attinet, nihil interest, vtrum supra Petrum, fidem certò, ac singulariter confitentem, atque docentem, vel supra certam, & singularem Petri confessionem, Ecclesiam fundatam esse, dicas. Eodem enim res redit. Nam neque nos, cùm ex sententia Patrum supra Petrum fundatam Ecclesiam esse affirmamus, personam Petri cogitamus nudam, sed explicantem certam de Filio Dei fidem: neque etiam illo loco, vel nuda fidei confessio per se ipsa, vel alterius hominis, præterquam Petri, potest intelligi. Dicit enim Christus: Super hanc petram, id est, super te, Petre, confitentem, atque adeò super confessionem fidei tuam certam, ac immobilem.

Itaque vtrumque videmus à veteribus explicatum esse, & supra Petrum, & supra Petri confessionem Ecclesiam esse fundatam. Quoniam nihil re ipsa inter vtrumque interest, vt dictum est. [Princeps, inquit Chrysostomus, Apostolorum Petrus, super quem Christus fundauit Ecclesiam, verè immobilis petra, & firma confessio. Ac rursus alio in loco, posteaquam supra fidem Petri Ecclesiam ædificatam esse dicit, vt magis explicet hoc tantumdem esse, ac supra Petrum certò de fide pronunciantem ædificari, hæc verba subiungit: [Id Christus agit, vt homo piscator quauis petra firmior reddatur, vniuerso terrarum orbe reluctante.] Atque ibi ad extremum super ipsum Petrum Ecclesiam ædificatam esse disertis verbis testatur. Item Diuus Cyrillus: [Insignem remunerationem, atque honorem ipsius Petri maximum fuisse asserit, quòd inconcussam, & firmissimam illius fidem petram Christus vocarit. Et Hilarius: Hæc, inquit, fides Petri Ecclesiæ fundamentum est. Cuius tamen illa etiam sunt verba: O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum! O beatus cœli ianitor! Sic etiam Diuus Cyprianus: Super illum vnum, inquit, ædificat Ecclesiam suam. Qui tamen eodem loco, paulò post dicit; Super cathedram, id est, supra doctrinam Petri, Ecclesiam esse fundatam. Et ob id etiam Diuus Basilius, Petri nomine prærogatiuam Simonis, filij Ionæ, intelligi docet; Qui de piscatoribus, inquit, ad Apostolatus functionem vocatus, propter fidei excellentiam, Ecclesiæ ædificationem in seipsum suscepit.] Quibus verbis, an non Basilius clarissimè significauit, nec Petrum sine fide, nec fidem sine Petro, ædificio Ecclesiæ, quasi fundamentum, subesse?

Iam illud quod vrgent Sectarij, solum Christum esse fundamentum, facillimè expeditur, Ita enim Christus solus est Ecclesiæ fundamentum, sicut solus est mundi lux, sicut solus

solus est noster Pontifex, Episcopus, Doctor, & Pastor animarum. Et tamen sunt præter Christum alij etiam in Scripturis lux mundi, Episcopi, Doctores, Pastores, verissimè appellati. Nempè non eadem, sed alia ratione. Ita quoque fundamenta in Apocalypsi Ioannis appellantur Apostoli. Num verò id impedit, quo minus verè dictum sit; [Fundamentum aliud neminem posse ponere præter, id quod positum est, quod est Christus Iesus?] Minimè. Est igitur intelligendum, quæ primario, & principaliter, hoc est, præstanti quadam, & singulari ratione Christo conueniunt, eadem alijs conuenire secundario. Lux ipse solus est, [quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.] Item solus ipse est ille [Pastor, qui posuit animam pro ouibus suis, seque dedit redemptionem pro omnibus. Et Pontifex solus, qui penetrauit cœlos,] introiuitque per sanguinem suum in sancta, æterna redemptione inuenta. Sic Doctor est vnicus, in quo, vt in alio nullo absconditi fuerint, [omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.] Denique fundamentum est primum Ecclesiæ, & maximum, & vt Augustinus appellat, fundamentum fundamentorum, quod videlicet seipso consistat, neque vlli alteri innitatur, sustineatque quidquid omnino pertinet ad Ecclesiæ ædificium, adeòque ipsum etiam confirmet Petrum. Sed vt alij post Christum suo quodam modo lux mundi sunt. Itemque Episcopi, Pastores, & Doctores: sic etiam Petrus est quasi secundarium, ac præcipuum, post Christum, Ecclesię fundamentum. Nempè cuius fidei ipsa etiam Ecclesiæ fundamenta commissa sunt, vt ait Gregorius Nazianzenus, id est, Apostoli ipsi, qui, vt alios in religione confirmarunt, fundamenta etiam quędam fuerunt. Atque hoc idem & veteres ipsi, qui Petrum fundamentum Ecclesiæ constitutum esse affirmauerunt, luculenter notarunt. [Sicut, inquit Hieronymus, lumen Apostolis donauit, vt lumen mundi appellarentur, cæteraque ex Domino sortiti sunt vocabula: ita & Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen: & secundum metaphoram petræ rectè dicitur ei: Ædificabo Ecclesiam meam super te.] Et Basilius: [Christus verè est petra inconcussa, Petrus verò propter petram, largitur enim Deus suas dignitates, & non euacuatur, sed habens dat. Lux est, & dicit: Vos estis lux mundi, Sacerdos est; facit sacerdotes. Ouicula est, & inquit; Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum. Petra est, & petram facit.] Nec opus est prolixius referre, quæ in eandem sententiam dicit Ambrosius, Leo, Prosper, & alij. Ac potest, qui plura de hoc discrimine fundamentorum Ecclesiæ cognoscere volet, legere inter cæteros doctissimum Turrecrematam in erudito illo suo opere, quod summam Ecclesiæ nominauit.

Ad secundam obiectionem Sectariorum, de Apostolorum omnium æqualitate, doctè sanè à multis catholicis auctoribus iam pridem secundum doctrinam Orthodoxam responsum est, vt à Ioanne Driedone, à Caietano, à Melchiore Cano, à Dominico Soto, &c. Res autem, & summatim, & aliquantò planius complectar, sic habet. Ad Apostolatus prærogatiuam, atque dignitatem duo pertinuerunt. Vnum est, quod ab ipso Christo proximè auctoritatem Ecclesiastici ministerij Apostoli acceperunt. Quamobrem, & ab eo missi, sicut ipse missus erat à Patre, dicuntur. Alterum est, quod eam auctoritatem sic à Christo acceperunt, vt non tantùm in hac, vel in illa orbis parte, sed vbique prorsus possent ritè, ac legitimè fungi muneribus Ecclesiasticis. [Euntes enim, inquit, docete omnes gentes &c. Et: Prædicate Euangelium omni creaturæ.] In his duabus rebus, atque adeò in huiusmodi dignitate, atque prærogatiuâ Apostolatus, pares omnes Apostoli fuerunt. Atque hæc dumtaxat æqualitas Apostolatus probari potest ijs testimonijs, vel Scripturæ, vel Patrum, quæ nobis obijciuntur.

Cæterùm aliæ duæ res sunt, in quibus Petrus Apostolus reliquis Apostolis, non quidem propriè, vt Apostolus, sed vt singulare fundamentum, & caput Ecclesiæ, & Pastor ouium Christi, & cæli ianitor constitutus, antecelluit. Vna est, quòd illam Apostolatus auctoritatem in vniuerso orbe, tanquam ordinariam, & duraturam, suisque adeò successoribus relinquēdam, ipse accepit: eò quòd vniuersæ Ecclesiæ, quæ vnquam futura esset, fundamentum est constitutus: sicut infra ostendemus, nec talis fundamenti locum ipse perpetuò, nisi per suos etiam successores tenere potuit. Reliqui verò Apostoli eam auctoritatem non eo modo acceperunt. Quin eorum quasi extraordinarium priuilegium fuit, quòd & in orbem vniuersum, & à Christo proximè illam auctoritatem Apostolatus acceperent. Itaque illis è vita decedentibus, dignitas etiam eiusmodi Apostolatus esse desijt, neque est ad vllos eorum successores deriuata. Quod cùm ita dicimus, minimè volumus, nullam iam peruenire Apostolatus auctoritatem ad Episcopos, qui sunt, vt Anacletus explicat, Apostolorum successores. Habent enim hi, in suis quique Ecclesijs, vicem, atque functionem Apostolorum: estque adeò perpetuum illud Dei in Ecclesiam beneficium, quo inter cæteros ministros ei attribuuntur Apostoli, ad consummationem Sanctorum, vt D. Paulus disputat. Hoc igitur tantum dicimus, si & modum, quo Apostolicam auctoritatem reliqui pręter Petrum acceperunt, & acceptæ auctoritatis amplitudinem, in totum scilicet orbem, spectemus; non transijsse eiusmodi dignitatem Apostolicam ad eorum successores. Nam neque auctoritatem ex æquo in vniuersum orbem habent; neque eam quam habent, habent ita proximè à Christo, sicut habuerunt Apostoli; cum Christus nimirum illam ipsis Apostolis per se tribuit, eaque re officium ordinarium Petri (idest, vniuersalis Pastoris, à quo nimirum potestas aliorum Pastorum ordinariè alioqui deriuanda est) sua quadam excellenti potestate quasi præuenit.

Altera res, in qua Petrus reliquis Apostolis antecelluit, est, quòd ipse quidem potestatem accepit etiam quandam in ipsos Apostolos: tanquam omnium videlicet, nemine excepto, qui ad Ecclesiæ ædificium, & ad Christi gregem pertinent, fundamentum, & Pastor, vt post ostendemus, singulariter con-

constitutus. Itaque regere ipsos, atque in fide confirmare cum auctoritate potuit, ijsque præscribere, & modum, & locum ad fungendum ministerio Apostolico, quatenus ad Ecclesiæ bonum id expediret. Quam sanè rem doctè mihi videtur Caietanus expediuisse, vbi scribit, Apostolos reliquos, quatenus Apostolos, fuisse quidem Diuo Petro pares: tamen, qua ratione erant oues Christi, fuisse Petro subiectos.

Porrò, Hanc Petri præeminentiam inter reliquos Apostolos minimè negauerunt veteres Patres. Quin imò ex loco Matthæi hactenus à nobis exposito, & ex alijs, quos deinceps adducemus, luculentissimè eam asseruerunt: etiam illi ipsi, qui pares alioqui in Apostolatus dignitate omnes fuisse affirmarunt. Etenim Diuus Cyprianus in eo ipso loco, vbi dixit, [pari consortio præditos reliquos Apostolos fuisse, & honoris, & potestatis: [mox subiungit: [Sed exordium ab vnitate proficiscitur, Petro primatus datur, vt vna Christi Ecclesia, & vna cathedra monstretur.] An non in pari consortio Apostolatus primatum Petri agnoscit? Legat, cui otium est, locum illum integrum Cypriani, & satis impudentiam Sectariorum mirari non poterit, quod ex ea Cypriani disputatione probare velint: ita fuisse Apostolatus dignitate pares Apostolos, vt Petrus illis præpositus à Christo non fuerit. Dicit: [compendio veritatis facilè fidem probari posse, si caput teneatur, ac illud consideretur, quod Dominus loquitur ad Petrum: Tu es Petrus, &c.] Dicit: [Super vnum Petrum Ecclesiam esse fundatam.] Dicit rursus: [Quamuis, & alij Apostoli Pastores constituti sint; tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram Christum constituisse, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuisse.] Dicit rursus: [super cathedram Petri Ecclesiam esse constitutam.] Et illud item quod antè recitatum est: [Primatus Petro datur, vt vna cathedra monstretur.] Denique causam, quam ob rem hæretici [perfidiam sub prætextu fidei, & Antichristum sub vocabulo Christi mentiantur, esse, quia ad veritatis illam, & vnitatis originem] de qua dictum est, non reditur, nec caput, inquit, quæritur. Quid hæc omnia, si nullum habuit Petrus principatum auctoritatis, sibi volunt?

Nec minus profectò clarè Hieronymus; [Super Petrum, inquit, fundatur Ecclesia. Et licet idipsum in alio loco super Apostolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo] quod attinet quidem ad prærogatiuam Apostolatus, [super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.] An verò ab Hieronymo, vel amplius aliquid ad æqualitatem in Apostolatu declarandam, vel clarius ad Petri nihilominus præeminentiam in auctoritate regiminis tuendam dici potuit? Quid Diuus Leo? [Inter beatissimos, inquit, Apostolos in pari honoris consortio fuit quędam discretio potestatis. Et cùm omnium par esset electio, nempè ad Apostolatum, vni tamen datum est, vt cæteris emineret.]

Et Anacletus, vbi pari etiam consortio honorem, & potestatem Apostolicam reliquos accepisse dicit; perspicuè nihilominus asseuerat [à Petro post Christum in nouo Testamento sacerdotalem Ordinem cœpisse, & ipsum Apostolos reliquos habuisse pro principe.] Mitto, quòd auctor alioqui eruditissimus Ioannes à Turrecremata contendit, in hoc etiam Apostolos cæteros D. Petro fuisse inferiores, quòd à Christo acceperint Apostolici muneris auctoritatem non nisi per ipsum Petrum. Id quod etiam probat ex Anacleto, qui affirmat, Iacobum fratrem Domini fuisse ordinatum Episcopum Hierosolymitanum à Petro, & Ioanne, & altero Iacobo. Sed hæc quidem sententia minus communis est, neque etiam ad Petri primatum asserendum necessaria. Nam etsi demus, à Christo proximè omnes Apostolos auctoritatem Apostolicam, vt antè docuimus, accepisse; satis nihilominus defensum iam est, quod ad auctoritatem quidem regiminis attinet, fuisse illos ipso Petro inferiores. Ex qua re fiebat, vt in modo certè exercendi munus illud Apostolicum à Petro dirigi cum auctoritate possent. Quod verò de ordinatione Iacobi dicit Anacletus: id ad designationem quandam loci referri potest.

Denique quod tertiò aduersùs probationem nostram, ex illo Matthæi loco sumptam, obijciunt Sectarij, claues regni cœlorum, nec promissas, nec datas Petro esse, nisi in persona Ecclesiæ: id verò magis ipsos redarguit. Ideò enim de Petro peculiariter Augustinus scripsit, eum in persona Ecclesiæ claues accepisse, quoniam non vt priuata persona, neque vt qualiscumque alius Ecclesiæ minister, sed vt Ecclesiæ totius præfectus, qui singulariter proindè totam Ecclesiam repræsentauerit, eatenusque in vtilitatem Ecclesiæ, eas accepit; vt supra quoque exposuimus, & diligenter etiam à Caietano, & Eckio notatum est. Sed satis, vt arbitror, de loco Matthæi 16. dictum est, ex quo certè est perspicuum, præcipuam illam in Ecclesia auctoritatem fuisse Petro promissam.

Secundus Euangelij locus, valde etiam illustris, quo auctores catholici principatum Petri probare consueuerunt, est apud Lucam. Vbi Christus, contentione exorta inter discipulos, [quis eorum videretur esse maior:] primùm ambitionem eam, atque superbiam, vtpotè sęcularium principum ambitioni similem, refutat, & sui exemplo proposito modum humilitatis præscribit ei, qui maior esset futurus, inquiens: [Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: Vos autem non sic. Sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.] Deindè conuersus ad Petrum, eique imperans vsum illius primariæ auctoritatis in confirmandis in fide fratribus; satis profectò indicauit, eum ipsum Petrum esse, cui antecedentibus verbis modum in supremo dignitatis gradu tenendum proposuerat. Ait enim è vestigio ad ipsum solum: [Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum; Ego autem oraui pro te, vt non deficiat fides

fides tua. Et tu aliquando conuersùs confirma fratres tuos.]

Hoc ego loco peto à Lectore, vt quatuor apud se diligenter expendat. Primò. Primum enim in illa discipulorum contentione minimè sanè Christus negauit, aliquem in Ecclesia superiorem reliquis fuisse futurum. Quin potius id planè affirmat: Qui maior, inquit, est, (quia videlicet iam erat Christo decretum, aliquem præficere, & caput cœterorum facere) in vobis. Itaque hunc monet, vt in maximo gradu dignitatis post constitutus, non mundanorum principum arrogantiam, sed suam moderationem, atque submissionem imitetur. [Ego enim, inquit, sum inter vos, sicut qui ministrat. Secundò, Quis autem ille maior futurus est? Nempè Petrus, pro cuius videlicet fide, vt ad communem aliorum vtilitatem sit firma, orat: quem iubet fratres aliquando, hoc est, accepta post lapsum, & resipiscentiam cura Pastorali, confirmare in fide. Quo sanè confirmandi vocabulo, auctoritatem in docendo significari, ex alijs Scripturæ locis intelligi potest. Tertiò, Atque Petrum maiorem reliquis significari hoc loco futurum, non propriè in vitæ sanctimonia, aut virtute, sed in muneris auctoritate; tum ex eo confirmandi præcepto, quod illi deindè tanquam Maiori datur, tum ex ipsa ratione huius Christi sermonis apparet. Monuit enim, vt is, qui maior futurus esset, fieret virtute humilitatis, & submissionis, sicut minor. Qua monitione non magnoperè iam eget, qui in maximo virtutis, atque sanctitatis est gradu, adeòque perfectionem humilitatis consecutus est. Sed is demum ita cum primis admonendus est, qui in alio aliquo genere excellit; nempè potestatis, quæ nimirum cum importunitatis, atque superbiæ vitio facilè coniungi solet, vt est videre in regibus gentium, quorum voluit Christus eum esse dissimillimum, qui maior inter Apostolos futurus erat. Quartò. Nec verò putare hoc in loco possumus, sermonem Christo fuisse de potestatis alicuius temporalis principatu, quem moderatè ab aliquo Apostolorum sustineri vellet. Perspicuum enim est de eiusmodi auctoritatis præstantia eum ibi agere, cuius maximè proprius sit vsus confirmare in fide fratres. Quæ auctoritas, spiritualis est. Quamquam, nec indignum est, [vt qui spiritualia seminant, temporalia etiam metant,] vnumquisque quantum opus habet, spectata temporum ratione, & sui cuiusque in Ecclesia gradus.

Sed ipsos etiam sanctos Patres audire operæprecium est, qui etiam ex hoc loco Petri in Ecclesia principatum rectissimè collegerunt. [Commune, inquit D. Leo, erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant; quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere. Et tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur. Tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratię ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Cùm itaque dilectissimi tantum nobis videamus præsidium diuinitus institutum; iustè in ducis nostri meritis, & dignitate lætamur, gratias agentes redemptori nostro, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ principem fecit.] Et Diuus Ambrosius: [Petrus, inquit, Ecclesię præponitur. Itaque antè significat Dominus quid sit illud, quod postea eum pastorem elegit Dominici gregis. Nam huic dixit: Tu autem conuersùs confirma fratres tuos.] Item Theophylactus: [Planus, inquit, huius loci intellectus hic est: Quia te habeo, vt principem discipulorum; postquam negato me fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cęteros. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra, & fundamentum es.] Tum D. Augustinus: [Quid ambigitur? inquit. Pro Petro rogabat, & pro Iacobo, & Ioanne non rogabat? vt cœteros taceam. Manifestum est, in Petro omnes contineri: Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in præposito populus, aut corripitur, aut laudatur.

Et tamen vsque adeò miserabilis cęcitas Sectariorum est, vt contra Petri potius principatum ex hoc ipso Lucæ loco, quo ille, vel maximè stabilitur, argumentum petant, Vrgent enim admodum inconsideratè illud: Vos autem non sic: ergo nemo, inquiunt, debet in Ecclesia cœteris omnibus imperare, id quod faciunt Reges gentium. Quantò rectius contrarium isti concluderent, hoc modo: Si non sic, idest, si non eo modo dominari, seù imperare aliquis Apostolorum debuit, sicut dominantur Reges gentium. Ergo debuit quidem aliquis ex Apostolis imperare (de quo inter eos fuit contentio quis esset) sed alio quodam modo. Quo tandem? [Qui, inquit, maior est in vobis, fiat sicut minor.] Non dicit: [Nullus erit in vobis maior: Nemo imperabit.] Nec: [Qui maior est, fiat, aut sit minor, aut omnino nòn imperet.] Quorsum enim esset maior? Sed: Fiat, inquit: Sicut minor, hoc est in mansuetudine, sine superbia; sine importunitate imperet. Non igitur summam auctoritatem hic Christus remouet, sed modum in auctoritate summa requirit, eumque longè diuersum ab eo, quem Reges gentium tenent.

Id ipsum confirmamus rursus hoc modo: Qui inter Apostolos maior sit, eum ita vult Christus erga reliquos se gerere, sicut ipse Christus se gessit erga Apostolos. Exemplum enim suum proponit eis, inquiens: [Ego aunt in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.] Atqui Christus ita fuit, sicut, qui ministrat, vt non ideò tamen potestate caruerit. Igitur, nec vult potestate carere eum, quem esse vult, vt minorem cùm sit maior, sed modum in vsu potestatis ei præscribit, vt dictum est. Quid multa? Ipse Apostolus Petrus, quò pertinuerit illud Christi magistri sui præceptum, disertè explicat, cum iisdem propè verbis id repetens, ac alios etiam Ecclesiæ Pastores de eo commonefaciens: [Pascite, inquit, qui in vobis est gregem; prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè. Neque vt Dominantes in cle-

cleris, sed forma facti gregis ex animo.]

Tertiùs locus est clarissimus apud Ioannem. Vbi Christus Dominus ascensurus in cęlum, [Vicarium amoris sui erga gregem (vt inquit Ambrosius) Diuum Petrum relinquens; omnibus eum Apostolis, antetulit,] eique summam tandem auctoritatem Ecclesiam suam regendi, toties antea promissam, attribuit. [Erant, inquit Euangelista, Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilęę, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo, &c. Et dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine: tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis dilis me? Ait illi, etiam Domine: tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò: amas me? Et dicit ei: Domine tu omnia scis, & scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oues meas.] Hìc etiam petimus à Lectore, vt hunc in modum ex hoc tam illustri loco, pro Petri principatu in Ecclesia, ratiocinetur. Si Petro singularis aliqua regendi vniuersam Ecclesiam auctoritas à Christo tributa est, qualem cæteri Apostoli non habuerunt; certè Petrus habuit regiminis in Ecclesia principatum. Nam quæ maior in Ecclesia regendi auctoritas sit, quàm ea, quæ antecelluit auctoritati alioqui Apostolicæ? At singularis Ecclesiam vniuersam regendi auctoritas, qualem cæteri Apostoli non habuerunt, Petro est à Christo tributa. Habuit hìc igitur regiminis in Ecclesia principatum.

Id probatur perspicuè ex circumstantijs eius loci apud Ioannē. Primò. [Simon, inquit, Ioannis diligis me plus his?] Cur de pręstantiori charitate eum, præ cæteris tum præsentibus, interrogasset, nisi maioris etiam, atque præstantioris muneris auctoritatem ipsi atttribuere voluisset? Secundò. [Pasce agnos meos.] Vel vt est Græcè, [Rege oues meas.] Et denique: [Pasce oues meas.] Nempè commisit ei curam omnium Ecclesiæ ordinum; vt regeret non modò vulgares, atque imperfectiores fideles, qui quasi agni sunt, & velut paruuli lacte pascendi: sed etiam perfectos, adeòque Pastores ipsos Ecclesiarum, qui velut oues, ac matres sunt cæterorum. Sic enim Diuus Ambrosius hanc Christi sermonis varietatem in hoc loco interpretatur. [Tertiò, inquit, Dominus interrogauit: Et iam non agnos lacte pascendos, vt primò, neque ouiculas, vt secundò, sed oues pascere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret. Tertiò. Neque inter has, aut illas oues distinxit: Sed absolutè: [Pasce, inquit, oues meas.] Quo ipso apertè significauit, alienum esse à suo ouili quicunque Petrum pastorem non agnosceret; vt scitè, atque eleganter concludit Diuus Bernardus. Quamobrem nec Apostolos quidem à Petri cura exemit. Nisi fortè non etiam illi Christi oues fuerunt. Quartò. Denique vis verbi, pasce, consideranda est. Quod vsum auctoritatis salutarem in subditos, in regendo & docendo; secundum Scripturæ sacræ consuetudinem, significare, dubium nullum est: quidquid Caluinus contra obganniuerit. Quare Ioannes in recitanda ea Christi sententia, tali verbo Greco (*poimainein*) vsus est, quod & pascere, & regere significat, vt à sanctissimo Roffensi, & ab alijs ex Scriptura etiam sacra passim est notatum. Nec aliter Augustinus, & Chrysostomus, & alij Patres eius verbi significationem hoc in loco intellexerunt.

Sed quemadmodum hìc Christus auctoritatem in Ecclesia primariam Petro attribuerit, quam antea tot modis eidem erat pollicitus, præstat vt Lector ex ipsis verbis sanctorum Patrum, quàm ex nostris intelligat. Chrysostomus: [Cęteris, inquit, omissis solum Petrum alloquitur, curam ei committens fratrum suorum. Et rursus: Interrogat, inquit, discipulum magister, num ab eo ametur? Non quò id ipse edoceatur; verùm vt nos doceat, quantæ curæ sibi sit gregis huius præfectura. Item ibidem paulò post: Illum, inquit, auctoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longè præcellere. Petre enim, ait, Amas me plus quàm hi omnes? Ac rursus: Ecclesiæ, inquit, primatus gubernatioq; per vniuersum mundum ei à Christo concreditus est. Ambrosius: Interrogabat; inquit, Dominus, non vt disceret, sed vt doceret, quem eleuandus in cęlum amoris sui velut vicarium nobis relinquebat. Sic enim habes: Simon Ioannis diligis me, &c. Petrus testificatur affectum, & ideò quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur. Et paulò post: Oues pascere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret. Cyprianus, Petro, inquit, post resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas, super illum vnum ædificat Ecclesiam suam (en, sententia Cypriani, quando Christus impleuerit illam promissionem: Super hanc petram, &c.) & illi pascendas mandat oues suas. Et Origenes: Cum Petro, inquit, summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum, velut terram, fundaretur Ecclesia (en etiam quando impleta promissio?) nullius confessio virtutis alterius, nisi charitatis ab eo exigitur. Theophylactus: Petro, inquit, non alij præfecturam ouium per vniuersum mundum tribuit. Gregorius: Totius, inquit, Ecclesiæ curam Petro dominica voce commissam esse, cunctis legentibus Euangelium liquet. Item Arnobius, Petrum Episcopum Episcoporum esse inde ostendit, quòd nullus, inquit, Apostolorum nomen pastoris accepit (intellige, ita singulariter & ab ipso Christo) solus enim Dominus dicebat: Ego sum Pastor bonus. Hoc nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit, & ter negatus negatori suo hanc, quam solus habuit, tribuit potestatem.] Nec multò aliter hoc idem expressit Diuus Augustinus, vbi ita eleganter scripsit: [Sit amoris officium pascere dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare Pastorem.] Quibus verbis quis maximè sit sensus illius loci literalis, quòd toties tamque accuratè de singulari amore Petrus examinatus fuerit, Augustinus significauit. Nempe vt intelligeretur, quantopere charitas in subditos, & eorum Dominum, in Præposito necessaria sit. Quod Chrysostomus voluit, vbi suprà, cùm dixit: [Dominum interrogasse, vt nos doceret,

quan-

quantæ curę sibi sit gregis huius prępfectura.] Et alio loco:] Ter, inquit, interrogat, & semper idem præcipit, inquiens: Pasce, vt demonstret quanti ouium suatum curā faciat.] Neque idcircò tamen id improbamus, quod Augustinus etiam de hoc loco ita commentatus est: [Redditur, inquit, negationi trinæ trina confessio, ne minus amori linguæ seruiat, quàm timori; & plus vocis elicuisse videatur mors imminens quàm vita pręsens.] Quod ipsum & Cyrillus notat in eundem locum; simul ibi Petrum appellans, & principem, & caput cæterorem Apostolorum. Neque eiusmodi Augustini interpretatio impedit, quo minus maximè etiam propter præfecturam gregis Petro committendam, ita illum Christus interrogauerit, vt Chrysostomus, & alij Patres exponunt.

Sed aliud, inquit Caluinus, est; pasce oues meas, quàm habet auctoritatem in eas omnes. Accedit, quòd non dicit, omnes. Et ipse Petrus alijs Episcopis inquit: [Pascite qui in vobis est gregem;] Tanquam habeant omnes ex æquo curam Dominici gregis sibi commissam. Atque hæc ferè sunt, quæ aduersus pondus tanti, tamque illustris testimonij, quo Petri principatum confirmant Catholici, leuissimè obijciunt Sectarij.

Quibus respondemus, & vsum alioqui sacræ scripturæ; & huius loci circumstantias; & collationem eius cum locis alijs, in quibus antè summa auctoritas Petro promissa est; &, quod magni momenti apud nos esse debet, consentientem interpretationem sanctorum Patrum, satis superque comprobare, pascendi vocabulo, in eo loco, metaphoricè significari etiam regendi auctoritatem. Significat enim ea vox officium eiusmodi erga oues Christi, quod bene, atque conuenienter illæ, & in spirituali vita sustentari, & omnino ad illa vsque pascua vberrima vitæ sempiternæ dirigi, atque deduci possint. Hoc autem, si spectemus hominum naturæ conditionem, sufficienter præstari nequit, sine auctoritate etiam, atque vi præcipiendi, adeòque obligandi ipsas oues ad eum doctrinæ, & religionis quasi pastum sumendum, qui iudicetur salutaris à pastore. Quare, in quo Ecclesiæ Præposito Christus significauit esse auctoritatem pascendi, in eodem auctoritatem quoque spiritualiter regendi esse intelligere debemus, vt auctoritate Scripturæ, & sanctorum Patrum, & ipsa illius loci ratione satis hactenus demonstratum est.

Nec nobis illud quicquam obstat, quod Aduersarij obijciunt, Christum non dixisse: [Oues omnes.] Etenim loci circūstantiæ iam commemoratę, & sentētia communis Patrum cogit, nisi velimus esse impudentes, intelligere omnes. Obsecro enim, quænā, & quot, & quales oues intelligendæ ibi sunt, si non oporteat omnes intelligi? Certè Christus non distinxit inter has & illas; sed absolutè: [Pasce, inquit, oues meas. Vnde sic sanè, præter ea, quæ prius à nobis allata sunt, licet ratiocinari: Dubium nullum est, quin Christus, ita diligenter commendans Petro oues suas, voluerit ab eo satis intelligi, de quibus ouibus loqueretur. At nisi de omnibus, quæcunque essent suæ, sit loquutus; non satis potuit Petrus, de quibusnam diceret, intelligere. Confitendum est igitur, illum de ouibus suis omnibus in eo loco loquutum esse. Non enim de ijs, aut illis determinatè, locutus est; nec verò de nullis; nec, si indeterminatè & confusè de aliquibus locutus esset, satis illæ à Petro potuissent distinctè cognosci. Quod rectè etiam ante nos doctissimus Caietanus in eruditissimo illo suo tractatu de Romani Pontificis institutione conclusit.

Iam verò Petrus Episcopos item alios, vt gregem pascerent, admonuit; non quia par illis esset commissa cura totius Christi gregis in vniuerso orbe pascendi: sed quia illi etiam certè, sub Petro, pascere oues Christi debuerunt, & hodie debent: vnusquisque in assignato sibi loco. Itaque nec dicit Petrus absolutè: Pascite gregem; sicut ipsi à Christo generatim, atque absolutè dictum est; [Pascite oues meas. Sed: Pascite, inquit, qui in vobis est, gregem;] id est, vnusquisque illum, quem fidei, atque curæ suę habet commendatum. Vt si Rex ad consules diceret: Regite prudenter commissas vobis ciuitates: nunquid propterea significaret, auctoritate regendi consules esse sibi ipsi pares?

IV. Atque hæc quidem testimonia, quæ pro Petri primatu hactenus ex Euangelio proposuimus, potissima sunt: quibus etiam SS. Patres ad eam rem maximè sunt vsi. Sed illis tamen ita positis, atque confirmatis, non minimi ponderis ad eam assertionem stabiliendam alia quædam Euangelij testimonia videri debent, quæ solent huc etiam auctores Catholici non immeritò referre. Huius generis est, quod Christus Dominus soli Petro nominatim iussit, vt pro se, & pro illo ijs, qui tributum exigebant solueret staterem, id est, duo didrachma, vt exponit eo loco Diuus Hieronymus. Qua re primatum Petri significari Christum voluisse, Patres non absurdè intellexerunt. Genus enim illud tribuiti, quidam erat census capitis, id est, vel patrisfamilias, vel certè primogeniti, ac præcipui in familia post ipsum, vt D. Chrysostomus interpretatur. Qui & propterea ita inquit: [Cùm primogenitus esset Christus; Petrus quoque discipulorum primus esse videretur, ipsum adeunt, &c.] Ac post aliqua: [Hunc locum, inquit, Marcus, qui discipulus Petri fuit, ideò non scripsisse videtur; quoniam ingens hinc honor magistro deferebatur.] Item paulò post: [In illa hora, inquit, Petrum omnibus discipulis prætulit.] Item Augustinus: [Saluator, cùm pro se & Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur. Quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici.] Hinc factum est, vt occasione huius honoris Petri, [in illa ipsa hora, sicut Euangelista narrat, discipuli adierint Iesum, dicentes; quis putas maior est in Regno cœlorum? Quia viderant, inquit Hieronymus, pro Petro, & Domino idem tributum redditum; arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse Prælatum. Item Chrysostomus: Veriti, inquit, turbationem profiteri suam, non apertè quare Petrum ipsis præponeret, sed confusè: Quis ergo maior est, interrogarunt? Et rursus: Cum ad vnum, inquit,

inquit, delatus honor est; tunc nimirum doluerunt. Quanquam non ex hac re solùm, sed ex alijs multis inflammati fuerunt. Tum, quia dixit illi: Dabo tibi claues Regni cœlorum. Tum quia: Beatus es tu Simon, &c. Tum etiam hic; Da illis pro me, & pro te. Eodem ferè modo loquitur in illum locum Origenes.

Huc addunt etiam Doctores Catholici, quòd Matthæus, cùm Apostolorum nomina recensere constitueret: [Nomina, inquit, Apostolorum hæc sunt. Primus Simon, &c. Vbi apparet, illum ad ordinem dignitatis respexisse, non ad ordinem temporis, quo essent Apostoli à Christo vocati. Ita enim Andream primum dicere debuisset: nempe quem primò vocatum esse constat. Quare Ambrosius: [Prior, inquit, secutus est Andreas Saluatorem, quàm Petrus: & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus.] Et animaduertatur contra Sectariorum cauillationes, Doctores Catholicos non inde argumentari, quòd Matthæus primò nominauerit Petrum, sed quòd disertè dixerit: Primus Simon, &c.

Nec obscurè idem Petri primatus significatur etiam illius generis locis, quibus perhibetur ipse nomine omnium Apostolorum vel interrogasse Christum, vel eidem respondisse, vel ab eo, de necessaria doctrina pro omnibus, peculiariter fuisse instructus. [Per vnum, inquit D. Cyrillus, qui præerat, omnes respondent. Sanctam profectò disciplinam optimè conseruantes, & posterioribus prudentię, atque modestię relinquentes exempla. Decet enim non omnes confusè prosilire, sed credere ijs, qui & consilio, & ordine præpositi sunt. Hæc Cyrillus in eum locum vbi Christo interroganti: Nunquid, & vos vultis abire? Petrus respondit: Domine, quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes.] Accedit quòd vbi mentio in historia sacra collegij Apostolici facienda fuit, passim videas solum Petrum, cæteris non nominatim expressis, planè tanquam ipsorum caput nominari, [Prosecutus est eum, inquit Marcus, Petrus, & qui cum eo erant. Item Lucas: Dixit Petrus, & qui cum illo erant. Et rursus: Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, &c.] Nonne modus ipse narrationis indicat, ex omnibus Petrum fuisse pręcipuum, cui reliqui tanquam præposito suo adhærerent? Hoc ipsum, & ea re significatum est, quòd ad illum primò Christus lauaturus omnium pedes accedit; quòd illi nominatim suam resurrectionem nunciari voluit, &c. Atque inter cætera eiusdem generis indicia, quæ ex Euangelio pro primatu Petri, diligenter etiam à Ioanne Turrecremata collecta sunt: illud mihi videtur à D. Bernardo pulchrè notatum esse, quod apud Ioannem legimus, Petrum se mari commisisse, vt ad Christum in littore consistentem perueniret, cæteris discipulis nauigio venientibus. [Quid istud est, ait Bernardus: Nempe signum singularis Pontificij in Petro, per quem non vnam Ecclesiam, vt cæteri quique suam, sed sæculum ipsum gubernandum susceperat. Mare enim sæculum est; naues Ecclesiæ. Hinc est, inquit, quod altera vice, instar Domini, gradiens super aquas, vnicum se Christi vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidem aquæ multæ, populi sunt multi.]

V. Præterea colligunt Orthodoxi primatum Petri ex rebus ab eo gestis, quæ in actis præsertim Apostolicis commemorantur. Ille enim post Christi resurrectionem publicè ad multitudinem ex omni natione congregatam primus concionem habuit, adeoque in nationibus, inquit Ambrosius, fidei fundamenta posuit. Ille omnium primus in curatione claudi mirabiliter fidem confirmat. [Si enim Petrus petra est, inquit Ambrosius, super quam ædificatur Ecclesia; rectè primus pedes sanat, vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Ille exurgens in medio fratrum, statuit aliquem in locum Iudæ fuisse eligendum. Qua de re Chrysostomus: Vide, inquit, feruorem. Quàm agnoscit sibi creditum à Christo gregem? Quàm in hoc choro princeps est, & vbique primus omnium incipit loqui? Ad hunc enim, inquit Christus: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Ille præ cæteris in Anania, & Saphira condemandis auctoritate vsus est. Ille Simonem Magum, hæreticorum primum, ex Ecclesia eiecit, deinde Romæ palam reuicit, vt plerique veteres testes sunt. Ille mota controuersia de obseruatione legalium, primus in Apostolico Concilio loquitur, remque definit tanquam princeps decreti, vt affirmat Hieronymus. [Vos enim scitis, inquit in eodem Concilio Petrus, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis per os meum (nempe singulari cum auctoritate) elegit audire gentes verbum Euangelij, & credere.] Vnde & ipsi omnium primo visione cœlesti monstratum est, gentes etiam in Ecclesiam Christi debere recipi. [In summa vbique, inquit Chrysostomus, Petrus primus inuenitur. Quando eligendus Apostolus, hic primus: Quando loquendum Iudæis, non esse Apostolos ebrios; quando curandus claudus; quando concionandum; quando agendum contra principes; quando contra Ananiam, quando ab vmbra sanationes fiebant, hic erat. Et vbi quidem erat periculum, hic; & vbi moderatio. Vbi autem tranquillitate res erant plenæ; communiter omnes. Sic non exigit honorem maiorem.] Atque vt hic Chrysostomus Petrum à facilitate, & submissione commendat, quòd vbi opus auctoritate non fuit, cæteris Apostolis minimè se antetulit: ita vicissim Apostolis reliquis laudi dat, quòd sine controuersia Petrum, post Christi resurrectionem superiorem suum, in omnibus illis actis, de quibus iam dictum est, agnouerunt. [Considera, inquit, quo pacto concedunt ei solium (cùm de successore Iudæ eligendo ageret) nec amplius ambigunt disceptantes inter sese, quis futurus esset eorum maior. Et clarissimè in alio loco: Nondum, inquit, gratia Spiritus sancti corroborati, facilè mouebantur, gratia verò accepta non tales nempe fuerunt, sed vbique primatum Petro præbent, & in concionibus eum anteponunt, quamuis cæteris rudior videretur.] Tractat hoc argumentum à Petri rebus gestis eruditè inter cæteros Roffensis, articulo 25. aduersùs Lutherum.

Verùm hic Lutherus & Caluinus, & Sectarij

ctarij reliqui clarissimæ luci tenebras offundere nituntur, contenduntque impudenter, Petrum nequaquam exercuisse aliquando eiusmodi in Ecclesia primatum. 1. Non enim constat, inquiunt, eum in reliquos Apostolos auctoritate esse vsum. 2. Quinimò ipse cum Ioanne missus est ab illis in Samariam. 3. Deinde cùm electio Matthiæ, & septem Diaconorum facienda fuit, non à Petro est facta, sed ab omnibus æquè Apostolis iactæ sunt sortes. 4. Nec solus etiam controuersiam de religione definiuit, sed in concilio res decernitur. Vbi & Iacobus quidem cum auctoritate dicit: [Ego iudico &c. 5. Sed & D. Paulus disertè ait: Mihi autem, qui videbantur esse aliquid (loquitur de Petro, Iacobo, & Ioanne) nihil contulerunt. Sed contra, cùm cognouissent, quòd creditum est mihi Euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est, & mihi inter gentes) & cùm cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis: vt nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem. 6. Accedit quod Paulus etiam in faciem Petrum reprehendit.

Hæc ita ordine expediuntur. 1. Aliud est; Petrum non habuisse auctoritatem in reliquos Apostolos: Aliud; propter eam modestiam, atque submissionem, quæ ipsi à Christo Lucæ 22. commendata fuit, eiusmodi auctoritate in illos non fuisse vsum. Illud primum omnino falsum est: Hoc vltimum absque incommodo dari potest. Atque id tantum ea fere probare possunt, quæ sunt obiecta. Nam cùm reliqui Apostoli ipsi per se, quàm decentissimè omnia facerent, quid opus habuerunt Petri imperio? Rectissimè enim D. Gregorius: [Si qua, inquit, culpa in Episcopis reperitur; nescio quis Episcopus sedi Apostolicæ subiectus non sit. Cùm verò culpa non exigit: omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt.] Huius igitur moderationis seruandæ exemplum suis Petrus successoribus præbuit.

2. Quod verò ab alijs Apostolis, vt Samaritanis manus imponeret, cum Ioanne missus fuerit; id verò nihil obstat. Sæpe enim, qui præcipui sunt de collegio, mittuntur. Nam & filij Israel miserunt ad filios Ruben Phinees, filium Eleazari sacerdotis, [& decem principes cum eo. Fuit autem Phinees Dux eorum coram Domino,] vt historia sacra testatur. Ac sanè si mittendi vocabulum nimis hoc loco premere velint Sectarij; non modò Petrum superiorem cæteris non fuisse, concludere debebunt, sed ne parem quidem: quod illi tamen non contendunt. Etenim vulgò, & communiter, vt inferior non mittit superiorem, ita neque æqualis æqualem. Peculiari autem modo missionis, videlicet rogatu potius, & conuentione, quàm imperio; constat & pares, & superiores etiam quandoque solere mitti, præsertim à toto aliquo collegio, sicut tunc Petrus, & Ioannes missi fuerunt.

3. Quod autem ad electionem Matthiæ, & Diaconorum attinet, respondet pro nobis luculenter D. Chrysostomus: [Quid? inquit. An non licebat ipsi Petro eligere? Licebat ei quidem maximè. Verùm id non facit, ne cui videretur gratificari.] Non igitur, quia non potuit, sed quia expedire non putauit, ipse non elegit. Et tamen in eo ipso genere satis ea re primatum suum ostendit, quod de electione facienda reliquos ipse cum auctoritate admonuit: vt Chrysostomum etiam annotauisse suprà intelleximus. [Oportet enim, inquit, ex his viris, qui nobiscum sunt vnum eligere, &c.]

4. Idem de congregato Concilio Apostolico, ob controuersiam de obseruatione Legalium, sentiendum est. Quid enim auctoritati suæ Petrus derogauit, quòd ex aliorum etiam consensu rem decerni voluerit? Nec verò in ea ipsa re auctoritas Petri non eminuit. Ipse enim primus sententiam pronunciauit, [quo etiam loquente, tacuit omnis multitudo,] cæterique deinde illius sententiam sunt sequuti. Nam quod Iacobus dixit; Ego iudico; quid obstat? Nempe iudicauit idem, quod caput cæterorum Petrus. Et expediebat, vt de Iacobi sententia, iudicioque constaret; quia Hierosolymis quæstio mota fuit, [vbi ille, inquit Chrysostomus, Episcopus erat, & vt in ore duorum, vel trium testium staret omne verbum.]

5. Iam verò D. Paulus significat quidem Apostolatus dignitate parem se Petro, & reliquis Apostolis fuisse. Quod minimè sanè impedit, quo minus, vt ipse etiam ouis Christi erat, Petro inferior fuerit: quemadmodum hoc idem communiter de cæteris Apostolis ex Patrum sententia superiùs à nobis expositum, atque defensum est. Itaque Diuus Gregorius Paulum cum Petro comparans, minorem fratrem eum appellat: Itemque Diuus Augustinus, posteriorem Petro. Quin & Paulus ipse hunc primatus honorem D. Petro non obscurè detulit. Quorsum enim [post annos tres prædicationis suæ, vt in eadem epistola ad Galatas legimus, venit Hierosolymam videre Petrum? Nempe, inquit Chrysostomus, quia os Apostolorum Petrus erat, princeps, & vertex ipsius cœtus: propterea Paulus ascendit eum videre præ alijs. Et Ambrosius; vel quisquis fuit ille vetus auctor: [Dignum, inquit, erat vt vellet videre Petrum, cui delegauerat Dominus curam Ecclesiarum. Et D. Hieronymus: Iuit, inquit, non discendi studio, sed honoris priori Apostolo deferendi. Item Tertullianus: Ascendit, inquit, Hierosolymam Petri cognoscendi causa ex officio, & iure scilicet eiusdem fidei, & prædicationis. Et Theodoretus: Principi, inquit, Apostolorum quem par erat, honorem tribuit.]

Iam quod nihil sibi à Petro, & ab alijs collatum esse dicit: significat quidem, nihil se ab illis didicisse, quod pertineret ad fidem: vt qui erat ab ipso Christo satis in eo genere eruditus, quemadmodum ipse initio etiam eiusdem epistolæ declarat. Quanquam approbationem quidem Euangelij sui à Petro, vt à principe, & ab alijs, [qui videbantur, vt inquit, aliquid esse,] hoc est, ab Ecclesiæ auctoritate, cui Petrus præsidebat; petijt. Adeò vt neget apertè D. Augustinus, fideles fuisse ei Euangelio, quod Paulus prædicauit, credituros, nisi cum illis Apostolis illud contulisset. Quod idem affirmant D. Hieron. & Tur-

& Tertullianus. Atque id clarissimè significat illa eiusdem Apostoli verba: [Contuli, inquit, cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem ijs, qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.] Iam verò, quod dexteram societatis ei dederunt aliud nihil, quàm equalitatem in Apostolatu significat: quæ non pugnat cum D. Petri principatu, quatenus illius curæ singulariter ipsa fidei fundamenta, vt inquit Nazianzenus, commissa sunt, hoc est, ipsi etiam Apostoli; vt auctoritate Scripturę, & Patrum suprà confirmatum est.

Nec quod ait illic Paulus. [sibi in Gentibus, Petro autem in circumcisione Euangelium commendatum fuisse,] ita intelligi debet, quasi nec Petro licuerit Gentibus, nec Paulo Iudæis prædicare Euangelium. Contrarium enim constat ex Actis, capite decimo. Vbi legimus, viso linteo cœlitus monstrato; in quo essent omnia reptilia, & quadrupedia terræ. Petrum cognouisse ad se pertinere, vt Gentes etiam ad Ecclesiam aggregaret. Quare, & postea quoque disertis verbis pronunciat, [Deum elegisse se, vt ad eius prædicationem gentes crederent Euangelio. Ac de D. Paulo vicissim scriptum est; quod ingressus in Synagogas prædicabat Iesum, affirmans quoniam hic est Christus, & confundebat Iudæos.] Est igitur illa distributio præputij, & circumcisionis inter Petrum, & Paulum facta per accommodationem tantùm quamdam: vt illo videlicet tempore (quoniam ita expedire videretur) Paulus gentibus, Petrus Iudæis singulari cura nunciaret Euangelium, quemadmodum rectè Ioannes à Turrecremata exponit. Neque verò qualiscumque hæc distrubutio præputij, & circumcisionis quidquam obstitit, quo minus, & in præputio, & in circumcisione, hoc est, in Iudæis, & gentibus singulari Petrus auctoritate eminuerit, vt suprà probatum est.

6. Denique, quod Paulus Petrum reprehendit (si maximè illud ab eo non simulatè, vt Hieronymus contendit, sed ex animo, vt vult Augustinus, sit factum) argumento esse non debet, vel parem, vel superiorem auctoritate ipsum Petro fuisse. Quando enim ita res (præsertim publica) postulat, licet etiam inferioribus superiorum peccata debito cum modo redarguere, vt à D. Gregorio luculenter est explicatum.

VI. Et hactenus sanè illustria testimonia pro Petri primatu à nobis allata, & confirmata, & ab Aduersariorum cauillationibus defensa sunt. Sed vt clarius adhuc ipsorum pertinacia, quòd tanta mole testimoniorum non moueantur, ante omnium oculos constituatur; Probemus rursus eam assertionem ijsdem ex testimonijs hoc modo: Si posteaquam Christus, & Petro, & reliquis omnibus Apostolis auctoritatem Apostolici muneris communiter attribuit, inquiens; [Ite, ego mitto vos: quorum remiseritis peccata, &c. Et: Prædicate Euangelium, &c. nihilominus singulariter Petro eum ita dixisse legeremus: Petre, non ędificabo super te Ecclesiam meam: Non tibi dabo claues regni cœlorum: Non quodcumque tu solueris, aut ligaueris super terram, erit solutum, aut ligatum in cœlis: Non confirmes tu in fide fratres tuos: Non pascas tu oues meas. Item: Petrus non est primus Apostolorum, &c.] Si, inquam, hæc in Euangelij historia sic legeremus: obsecro, quis ex Sectarijs dubitaret, quin in eiusmodi enunciationibus negatiuis, [ædificatio Ecclesiæ super Petrum; claues regni cœlorum; cura singularis pascendi oues; auctoritas fratres in fide confirmandi; primatus,] & similia vocabula potestatem in Ecclesia post Christum summam significarent; An clariora (dicerent) testimonia contra Petri primatum requirimus? En, verbum habemus ipsius Christi manifestum. [Non ædificabo, ò Petre, super te Ecclesiam meam. Non tibi claues regni cœlorum dabo. Non pascas tu oues meas. Non confirmes tu in fide tuos fratres, &c.] Quid vos Papistæ? An non videtis hic à Christo disertis verbis negari primatum? Quid enim aliud claues regni cœlorum? Quid Ecclesiæ fundamentum? Quid cura singularis oues pascendi, & confirmandi fratres, nisi primatum in Ecclesia significat? Et tamen hæc omnia (dicerent) Christus negat Petro, &c. Equidem minimè dubito, quin pluribus etiam verbis, si quæ talia testimonia ex Euangelio recitari possent, nobis isti insultarent, vt qui nec iam verentur, nullis, ne probabilibus quidem, testimonis aut argumentis freti iactare, eius primatus assertionem, & commentitiam, & cum Euangelio pugnantem esse. Nunc igitur ita concludo. Quod in enunciationibus illis negatiuis: [Non super te, ò Petre, ædificabo Ecclesiam meam. Non tibi dabo claues regni cœlorum. Non es tu primus Apostolorum, &c. vocabula illa: Fundamentum ædificationis Ecclesiæ; claues regni cœlorum; munus pascendi, & confirmandi; primatus, &c.] significarent; hoc idem significant in contradicentibus enunciationibus affirmatiuis, quæ iam exstant in hostoria Euangelij: Nempe in his: [Super te ædificabo Ecclesiam meam: Tibi dabo claues regni cœlorum: Confirma fratres tuos: Pasce oues meas: Primus Apostolorum Petrus, &c.] (Eadem enim ipsa vocabula in his affirmatiuis enunciationibus vsurpantur) Sed in illis enunciationibus negatiuis ea vocabula significarent primariam aliquam, ac summam in Ecclesia auctoritatem post Christum, quæ Petro negaretur (vt iam ex ipsa etiam mente, & sensu tacito Aduersariorum ostensum est) Igitur hanc eamdem primariam auctoritatem, quæ Petro sit tributa, significant illa vocabula in ijs enunciationibus affirmatiuis, quas in Euangelio iam legimus: & vi consequentis efficitur, optimè primatum Petri testimonijs illis ex Euangelio productis confirmari.

Hic nisi, vel conscientia reclamante, vel præcipitante inscitia, & incogitantia, nihil ab Aduersarijs responderi posse, certissimus sanè sum. Nam quid dicant? An non idem illa vocabula in enunciationibus affirmatiuis significare, quod significarent in negatiuis? At cùm propositiones contradicentes, hoc est, affirmatiuæ, & negatiuæ, ex ijsdem alioqui terminis constantes, formantur: quis tam omnis artis, atque etiam rationis expers est, vt non intelligat, eosdem terminos siue vocabula eamdem significationem vtrobique retinere? Quid igitur? Num contendent, in negatiuis illis: [Non ædificabo super te, ò Petre,

tre, Ecclesiam meam, &c.] vocabulis illis fuisse Christum significaturum non propriè aliquem auctoritatis principatum, sed ipsam omnino auctoritatem Apostolici muneris, quam solam proinde etiam in affirmatiuis nunc significarit? At excludit prorsus hanc responsionem nostri argumenti hypothesis; quæ cùm nihil contineat repugnans; & explicationis tantùm gratia à nobis sumatur; reijci certè, nec debet, nec potest. Posuimus enim, Christum, posteaquam, & Petro, & reliquis Apostolis communiter auctoritatem Apostolici muneris alijs verbis concessisset; nihilominus singulariter Petro dicere. [Non super te, ò Petre, ædificabo Ecclesiam meam: Non tu confirmes fratres tuos, &c.] Ita principatum propriè aliquem auctoritatis Apostolicæ eiusmodi verbis Christus significasset, Petroque negauisset: Non autem communem Apostolatus auctoritatem, quam aliàs concessisset eidem, vt ponimus. Quandoquidem igitur ijsdem illis vocabulis in affirmatiuis enunciationibus contradicentibus, quæ in Euangelio exstant, vtitur; profectò eumdem à Christo auctoritatis principatum inibi significari, Petroque attribui confitendum est.

VII. Suppetit etiam Catholicis ad eamdem confirmandam assertionem præter testimonia ratio, quæ partim ex Scriptura, partim ex ipsa natura Ecclesiæ, & diuina prouidentia erga illam duci potest hoc modo: Si Christus voluit Ecclesiæ regimen esse monarchicum, quod ab vno videlicet, in quo principatus auctoritatis post Christum esset, penderet; necesse est fateri, Diuum Petrum esse, quem huic rei præfecerit. Nam quem, obsecro, potius existimare possumus? cùm tantùm non expressis verbis legamus in Euangelio Christum dicentem; [Volo, vt Petrus summa post me auctoritate in Ecclesia polleat,] vt ex allatis suprà testimonijs apparet. Atqui Christus Ecclesiæ suæ regimen monarchicum esse voluit. Petrum igitur illi præfecit. Id confirmamus. Nam constat Christum conuenientissimo, atque optimo modo voluisse prouidere, vt Ecclesia, quæ varia, atque multiplici conditione hominum continetur, vna esset vnitate doctrinæ, caritatis, pacis, &c. vt suprà demonstratum est, cum de eiusmodi Ecclesiæ proprietate, quæ est vnitas, inter cætera ageremus. Nec enim fuisset alioqui Christus Dominus vtilitatum Ecclesiæ sponsæ suæ satis prouidus: Siquidem experientia cognitum est, perniciem, ac pestem communitatum omnium esse dissidia: contra verò optimum illarum esse statum, cùm est omnium partium consensio stabilis, atque firma pax. Est autem eius vnitatis in Ecclesia conseruandæ modus sanè optimus, si omnes ex vnius auctoritate in terris post Christum suprema pendeant.

Quod dupliciter probamus. Primum ab ipsa profectò ratione vnitatis. Nam, quod potest accommodatius esse quasi principium, & causa vnitatis, quàm vnitas? Etenim contrà videmus, omnia dissidia, & quascumque controuersias in communitatibus non nisi ex aliqua tamdem diuersitate proficisci, vel opiniorum, vel voluntatum. Deinde id ipsum intelligi debet ex ijs omnibus rebus, quas videmus, ab auctore ipso mundi Deo, quàm optimè factas, atque constitutas esse. Quæcumque est enim in omni genere multitudo, sic est ab eo condita, institutaque, vt quoad eius fieri potest, ex vnitate pendeat, abeaque contineatur. Satis, vt appareat benè esse multitudini eo modo prouisum. Hoc in corpore animaduertere humano licet; cuius omnes partes ab vna quadam præcipua, nempe à capite, vel corde; in quo sit viræ quasi principatus, vim suam percipiunt. Hoc in arboribus, quarum omnes ramusculi per ramos, & omnes rami per truncum ad vnam radicem pertinent, ex qua succum attrahunt. Idem in bestijs etiam minimis, quæ quidem congregari soleant, cernere possumus. Vt in gruibus, vt in apibus, quæ ducem vnum, & tamquam regem suum sequuntur. Denique ne singula persequar, id in ipsa cernitur vniuersitate rerum, quæ quidem res, quoniam (vt ait in duodecimo libro primæ Philosophiæ Aristoteles) nolunt malè disponi, sed bene, hoc est, quia rectissima quadam inclinatione omnes in optimum sui statum propendent, non plura principia, sed vnicum habent à quo velut à principe vno reguntur, vt concludit etiam in illo loco Philosophus.

Ac sanè Respublicas, quàm optimè constitui monarchico ordine, idem Philosophus libro octauo Ethicorum, & tertio Politicorum euincit. Itaque, & in veteri lege vnus sacerdos summus præficiebatur, cuius auctoritate finirentur omnes controuersiæ: quamdiu Synagoga quidem finem nondum fuit habitura, sicut habuit temporibus Christi. Quin & Sectarius quidam, non infimi inter Lutheranos nominis, palam aliquando affirmauisse fertur, nisi vnus aliquis, tamquam Archisectarius, reliquis omnibus Sectarijs in causa religionis præsit, Synagogam ipsorum neutiquam posse consistere. Nempe quia, & isti experiuntur, nullam aliquam disciplinam religionis facilè conseruari posse, nisi contineatur vnius auctoritate. Ac multa præterea, quæ illustrant, confirmantque hoc argumentum, tractata sunt inter cæteros à D. Thoma lib. 4. contra Gentes, cap. 76. & à Turrecremata lib. 2. de Ecclesia, cap. 2. & 4. & plura non ita pridem à Nicolao Sandero in accurato illo suo opere de visibili Ecclesiæ monarchia in quinque libris prioribus. Nos breuiter tantùm voluimus ostendere nequaquam defuisse rationem, quamobrem Christus regimen Ecclesiæ voluerit esse monarchicum, cui Petrum præfecerit, vt inprimis constat ex propositis antea Euangelij testimonijs; si maximè nulla nobis eius institutionis ratio perspecta esset.

Verum hoc etiam loco nobis obstrepit Caluinus. Arbitratur enim ille nequaquam expedire, vt vnus Ecclesiæ toti præficiatur; vt nec expedit, inquit, vnum orbi toti in temporalibus dominari. Quin, & exempla nostra aduersùs nos retorquet. Nam quod ad apes attinet, singuli, inquit, Reges suis aluearibus contenti sunt. Cur non igitur sit contentus Romanus Pontifex Romana sua diœcesi? Præterea, vt maximè oporteat Ecclesiæ totius esse vnum caput, illud certè est Christus, non alius.

Respondeo. Primùm assertio nostra non

illa

illa ratione præcipuè nititur, sed Christi instituto, quod constat ex Euangelij perspicuis testimonijs. Deinde, & illam quoque rationem congruentem esse defendimus. Nec enim, si non expediret, vnum præesse vniuerso mundo in temporalibus, illico sequeretur, neque in spiritualibus vnum præponi omnibus debere. Gubernatio enim temporalis plus multò habet negotij, ac proinde non æquè commodè potest per vnum administrari. Præterea longè difficilius est, pœna temporali, quàm spirituali eos coercere, qui longissimè distant. Animaduersio enim spiritualis, vt excommunicatio, &c. nullo locorum interuallo, quo minus efficax esse possit, impeditur. Denique reliqua omnia, quæ ad gubernationem spiritualem pertinent, facilè ab vno Pontifice administrantur, modò Episcopis & alijs ministris inferioribus tantam pro ratione locorum, & rerum, & aliarum circumstantiarum impertiat auctoritatem, quanta satis sit ad commodam omnium expeditionem. Neque enim, qui vniuersæ Ecclesiæ Præfectus est, debet omnia per se ipse conficere.

Quod autem Caluinus deinde nobis objicit, singulos quosque apium reges contentos esse suis aluearibus: id sanè rationem nostram confirmat. Cogitare namque Caluinus debuit, non modò vnamquamque Ecclesiam, aut diœcesim particularem, sed Ecclesiam etiam vniuersam tanquam vnum esse alueare. Itaque vt quælibet aluearia suum habent regem; sic tota Ecclesia, quæ vna item est vnitate totius, vnum etiam, quasi regem, idest, vniuersalem Pastorem habeat oportet: non minus, quàm vt quælibet Ecclesia particularis habeat etiam particularem Præpositum suum. Caluini verò cauillatio procederet, si particulares dumtaxat Ecclesias voluisset Christus vnitatem retinere, & non etiam statuisset, vt vniuersa quoque Ecclesia, quæ ex particularibus, tanquam ex partibus, constat, vnica esset. Nunc verò, quia Ecclesia etiam tota, instituto, atque voluntate Christi, est vnica, necesse Caluinus habet, huic quoque magno alueari suum quasi regem concedere.

Quamuis autem Christus sit nunc etiam omnis Ecclesiæ caput: tamen vt fidelium congregatio visibilis est, sic oportet, vt, quò suauiter gubernetur, caput etiam in terris visibile, idest, vnum Pastorem habeat: licèt is ipse quidem ab illo pastore primario Christo pendeat, vt supra satis ex sententia Patrum explicatum est. Nec ideò, vt Aduersarij nugantur, Ecclesiam monstrosum corpus facimus: Sed ratio metaphoræ animaduerti debet. Christus regit Ecclesiam primò, & principaliter. Vicarius eius etiam id facit in terris summa secundum ipsum auctoritate. [Omnes enim hic propriè regit, inquit Diuus Leo, quos principaliter regit, & Christus.] Hoc solùm, quod ad rem ipsam attinet, significare volumus, cùm & Christum, & eius Vicarium caput Ecclesiæ appellamus. Quemadmodum etiam, & Petrus petra fundamentalis Ecclesiæ est à Christo appellatus, cùm ipse Christus maximè sit petra, & fundamentum. Communicat enim Christus alijs sua nomina, & potestatem, & habens dat, vt supra ex sanctis Patribus audiuimus.

VIII. Quæ cum ita sint, meritò sanctissimi Ecclesiæ Patres (quorum sententias magna ex parte hactenus recitauimus) Euangelij testimonijs supra citatis adducti sunt, vt Petro primatum in Ecclesia fuisse à Christo tributum assererent. Ambrosius affirmat, D. Petrum [à Christo omnibus prælatum fuisse, & tanquam Vicarium in terris relictum.] Hieronymus, [fuisse caput omnium Apostolorum.] Augustinus, [Primatum in discipulis habuisse.] Gregorius: [Cunctis Euangelium legentibus liquere, voce Dominica Petro Apostolornm principi totius Ecclesiæ curam commissam esse.] Idem quod ij quatuor Ecclesiæ Doctores, asseuerant, æquè luculentis verbis cæteri Patres Latini. Hilarius, Cyprianus, Optatus, Prosper, Maximus, Arnobius, Beda, Bernardus &c. Nec minus clarè Doctores Ecclesiæ Græcæ vetustiores, à quibus recentes Schismatici degenerarunt. Dionysius vocat summum, & verticalem. Basilius ait: [Omnibus discipulis fuisse prælatum.] Gregorius Nazianzenus: [Vnum ex omnibus discipulis fuisse electum, & eius curæ fundamenta ipsa fidei,] hoc est, reliquos Apostolos, fuisse commissa. Chrysostomus: [Pastorem, & caput fuisse, & vniuerso terrarum orbi à Christo præpositum.] Cyrillus Alexandrinus: [Principem caputque cœterorum.] Cyrillus Hierosolymitanus: [Principem discipulorum, & regni cęlorum clauigerum.] Epiphanius: [Ducem discipulorum.] Eusebius: [Christianorum Pontificem primum.] Idem Origenes, Theophylactus, Euthymius, Oecumenicus, vt reliquam vtriusque Ecclesiæ Doctorum turbam iam omittam, quam dinumerare nemo potest, inquit appositè Caietanus in tractatu de institutione Romani Pontificis cap. vltimo.

Neque tamen antiqui Pontifices sanctissimi, ijdemque maiore ex parte insignes Christi Martyres, qui & ipsi Petri primatum ex Euangelio confirmauerunt, quasi testimonium in propria causa perperam dicerent, vti calumniantur impudentissimè Sectarij, parui pendi in hac quæstione debent. Nam prętерquam, quòd eos, & sanctitatis, & doctrinæ singularis existimatio, & martyrij gloria, iure, ac merito apud prudentes omnes ea suspicione liberat, obsecro, qui fieri potuit, vt ad vnum omnes tam multi, tamque, & natione, & ætate varij ad causam propriam iniquè tuendam conspirauissent? Igitur ex eo numero Summorum Pontificum non tanquam priuatam causam, sed tanquam Ecclesiæ Christi communem, plerique viri, & zelo religionis, & studio veritatis, vsque ad vitæ profusionem, magna ex parte, insignes Diui Petri primatum asseruerunt; præsertim Clemens, Anacletus, Euaristus, Alexander, Pius primus, Victor, Cepherinus, Marcellus, Eusebius, Melchiades, Iulius Primus, Felix Secundus, Damasus, Innocentius Primus, Leo Primus, Gelasius, Anastasius, Vigilius, Pelagius Primus, Gregorius, & reliqui omnes his posteriores. Quibus adde grauissima sanctissimaque iudicia Patrum in Oecumenicis Concilijs, Nicæno primo, & Chalcedonensi. Item in quinta, & sexta, & septima, & octaua Synodo, & in Romana sub Symacho,

macho, & in alia sub Nicolao, & in alia Lateranensi, sub Innocentio Tertio, & in Florentina, vbi Græci tandem in ea sententia cum Latinis conuenerunt. De prouincialibus autem Concilijs longum esset dicere. Quare habentes tantam nubem testium, tamque firma ad hanc rem Scripturæ sanctæ testimonia, iure, ac merito hunc in modum cum Diuo Leone concludimus. [Quisquis Petro, inquit, principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit.]

Primariam illam in Ecclesia auctoritatem successoribus etiam Diui Petri à Christo conferri.

HÆc vis, atque sententia huius propositionis est, voluisse Christum, vt Petro vita defuncto aliquis perpetua serie successionis in locum Petri ab Ecclesia reciperetur, cui Christus ipse auctoritatem supremam, sicut Petro conferret de fidei, & alijs rebus ea constituendi, quæ ad salutem fidelium pertineant. Hanc autem catholicam assertionem Ioannes Wiclephus hæreticus negauit, cuius error vigesimus septimus (vnà cum alijs in Concilio Constantiensi damnatus) fuit talis: Non est, inquit, scintilla apparentiæ, quòd oporteat in spiritualibus esse vnum caput regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia militante conuersetur, & conseruetur. Quem errorem Lutherus, & Caluinus, & reliqui Sectarij recentiores secuti sunt.

Probatio Prima.

COntra hos omnes probatur assertio nostra; Primùm ex consensu Conciliorum, & Patrum supra citatorum, atque adeò totius Ecclesiæ catholicæ, quæ verba illa: [Tu es Petrus, idest, solidus in fide; & super hanc petram &c.] Itemque illa: [Confirma fratres tuos, & : Pasce oues meas;] ad Petri etiam successores pertinere intellexit. Quod vnum aduersùs omnes hæreticorum corruptelas, & vanas interpretationes satis esse nobis deberet. Nam quod sæpè dicendum est, ille est certissimus Scripturæ sensus, quem Ecclesia esse intelligit. Peculiariter autem ad eius rei confirmationem valent ea sanctorum Patrum testimonia, quæ etiam nominatim confirmant, Romanos ipsos Pontifices, illos Petri successores esse, ad quos item ea Christi verba, Diuo Petro dicta, pertinuerint. De quibus testimonijs postea etiam suo loco dicemus.

Probatio Secunda.

DEindè eadem assertio probatur tum ex ipsis Christi verbis ad D. Petrum, tum etiam ex eo fine, cuius causa Petrum vniuersæ Ecclesiæ præfecerat. Ex verbis quidem. Nam dum ait absolutè: [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:] procul dubiò de Ecclesia illa loquitur, quæ iuxta certissimas promissiones ad finem. vsque mundi duratura est: hæc enim est omnino illa Ecclesia ipsius. Hanc autem Ecclesiam ita perpetuò duraturam ędificare supra Petrum ipsum solum non potuit. Intellexit igitur ibi Petrum, & successores eius, vt optimè Diuus Thomas libro aduersùs gentes, tertiò est argumentatus. Item ex eo quod Christus dicit: [Pasce oues meas,] dupliciter eadem veritas colligitur; vt eruditè à Caietano in tractatu de institutione Romani Pontificis notatum est. Primùm, quoniam officium ibi pastoris ordinarium instituit: vt vel ex ipso pastoris nomine (quod ordinarium qoddam officium significat) intelligi potest. Necesse autem est, vt pastoris officium ordinarium tamdiù duret, quamdiù ipsum ouile duraturum est. Fuit autem Christi ouile in finem, vsque mundi duraturum; neque illud solus Petrus sine successoribus perpetuò pascere potuit: Est igitur auctoritas eius officij non Petro tantùm, sed etiam eius successoribus à Christo commissa. Deindè, quia oues meas itidem absque exceptione dicit: proindè oues omnes intelligit, quæ vsque ad consummationem sęculi efficient vnum ouile serie perpetua. Has autem omnes solus Petrus, vt iam dictum est, pascere non potuit. Quare tradita est etiam successoribus auctoritas illas pascendi.

Probatio Tertia.

IAm ex ipso etiam fine, cuius causa Petrus eiusmodi auctoritatem, accepit, idem probatur. Is enim finis fuit, vt vno pastore, [atque capite constituto, schismatis tolleretur occasio, inquit Hieronymus, & vt vna Ecclesia, & vna cathedra esse monstretur, inquit Cyprianus, & vt in illa vna cathedra vnitas ab omnibus seruaretur,] inquit Optatus, & in summa, vt Ecclesiæ ipsi toti, quàm rectissimè Christus ipsius sponsus consuleret, sicut supra ostensum est. Atqui non minus voluit Christus Ecclesiæ suæ consultum esse defuncto Petro, quàm eo viuente, siquidem eam perpetua charitate diligit. Voluit igitur vnum aliquem Petri successorem, illo defuncto, perpetua serie in Ecclesia præesse.

Probatio Quarta.

ACcedit quod non minus Ecclesiam suam modo Dei filius diligit, quam olim Synagogam, de qua per Isaiam dixit: [Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?] Sed illi pastorem vnum prouidit (omni tempore, quo stare certè illa debuit) vt illius auctoritate controuersiæ omnes exortæ definirentur. Igitur & iam Ecclesiæ suæ Petrum pastorem præficiens, perpetuò eum in successoribus suis præesse illi voluit. Nam quod Sectarij quidam comminiscuntur, vnum illum sacerdotem in veteri Synagoga tantummodo debuisse iudicare de controuersijs politicis; nonne ex ipsis Scipturæ verbis manifestissimè redarguitur? Etenim cùm absolutè dixisset Moyses: [Venies ad sacerdotes, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore &c. & facies quodcumque dixerint, qui pręsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te;] quia nimirum consilio etiam illi sacerdoti erat vtendum aliorum, [iuxta legem eius, sequerisque sen-

sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram:] continuò subiungit: [Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo, ex decreto iudicis morietur homo ille.] In omnibus igitur omnino, atque adeò multò maximè in materia religionis, dicto audientes sacerdoti esse oportebat.

At, inquit Caluinus, dispar ratio est. Nam Synagoga, atque etiam Ecclesia, quo tempore viuebat Petrus, angustis terminis continebatur: postea per vniuersum orbem diffusa est. Ita si maximè expediuisset, tunc temporis illi præficere pastorem vnum: tamen non etiam expediret, vt postea quoque vnus ei pastor præsit. Quemadmodum, nec si commodè possit alicui colono vnius, vel alterius agri cura committi, illico sequitur, proinde expedire, vt agrorum totius orbis cultura vni committatur. Non vidit hìc Caluinus, illa, quam obijcit, rationis disparitate, nostro argumento vim addi, non minui. Etenim quò maiore ouium varietate, & numero existente, maius est periculum dissidiorum, quibus Ecclesia scindatur; eò maior nunc necessitas est vnius pastoris, cuius auctoritate, & officio controuersiæ componi possint. Cuius rei, vel ipsæ dissensiones Sectariorum, irreconciliabiles, eò quòd extra ouile Christi oberrantes pastorem vnum minimè agnoscunt, argumento esse possunt.

Neque verò Caluini exemplum nobis obstat. Pontifici enim vniuersalis quædam cura, eademque spiritualis incumbit, quam ille attributa ministris inferioribus tanta potestate quanta satis sit, haud difficulter sustinere potest, vt suprà à nobis explicatum est. Muneris agrorum colendorum alia est ratio. Ex qua si libeat Caluino argumentum ad propositum petere, longius quàm ipse etiam volet, progrediatur necesse est. Nempè vt similiter probet, ne vnius quidem diœcesis paulò amplioris curam vni Episcopo rectè committi posse. Nam nec vnus potest colonus omnes vnius prouinciæ agros conuenienter colere.

Atque eiusdem farinæ sunt reliquæ cauillationes, quibus Sectarij conantur perperam efficere, Euangelij locos, qui sunt de Petri auctoritate, ad aliquos eius successores minimè pertinere. Sed ad omnes id genus cauillatiunculas refutandas hæc quasi regula adhibenda est. Quæ Diuo Petro à Christo Domino dicta esse Euangelium commemorat, ea duplicis sunt generis. Quædam ad ordinarium Pastoris officium spectant. Vt illud: [Tu es Petrus, & super hanc petram; &c. Et: Confirma fratres tuos. Et: Pasce oues meas, &c.] Alia ad Petri priuatam personam pertinuerunt. Vt illud: [Vade post me Sathana. Et: Alius cinget te, & ducet quò non vis.] Et illud etiam: Tu aliquando conuersus, id est, postquam à peccato resipueris per pœnitentiam. Nec enim necesse est, omnes, qui officio summi pastoris in Ecclesia functuri sunt, prius quàm fratres cum auctoritate confirment, in peccatum illud Petri, aut aliud incidere, à quo resipiscant. Iam verò quæ sententiæ sunt prioris generis, ea ad successores etiam Petri rectè censet Ecclesia referri debere. Posterioris generis non item. Qua de re plura Lector, si necesse esse putat, videre potest apud Turrecrematam, & Thomam Waldensem, Caietanum, & Melchiorem Canum. Ego, quæ à me sunt iam breuiter explicata, satis esse iudicio, vt intelligatur, rectissimè à D. Leone de auctoritate successorum D. Petri illud scriptum esse, quod in huius puncti conclusione oportunè poni potest: [Soliditas, inquit, illus fidei, quæ in Apostolorum principe est laudata, perpetua est. Et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit; ita permanet, quod in Petro Christus instituit. Manet ergo dispositio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseuerans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit.

Romanum Pontificem pro tempore existentem Diui Petri successorem esse.

HOc vt probemus, inprimis demonstrandum est, quid propriè sit, aliquem esse Diui Petri successorem in Ecclesiæ principatu. Quamuis enim is, qui Diuo Petro succedit, à Christo ipso certissimè accipiat illam in Ecclesia auctoritatem, quam habuit Diuus Petrus: tamen si rationes ipsas vocabulorum, atque adeò rerum etiam significatarum propriè consideremus, non idem significamus, cùm dicimus, hunc esse Diui Petri successorem; & hunc à Christo recipere eandem auctoritatem, quam habuit Petrus. Patet: Nam hoc secundum ex priori rectè concluditur, tanquam ex eo quod est clarius. Itaque suprà, vt efficeremus, Romanum Pontificem habere in Ecclesia primariam à Christo potestatem, quam habuit Petrus; sine vllo vitio argumentationis assumpsimus, cum esse Petri successorem; vt inde demum eius in Ecclesia principatum euinceremus. Quemadmodum igitur in ciuilibus aliud est propriè, Ioannem, verbi gratia, esse successorem Petri; & aliud, Ioannem legitimè possidere patrimonium à Petro relictum, nam ex illo probari hoc solet, ita in proposito aliud propriè est, aliquem esse Diui Petri successorem; & aliud, eum à Christo habere illam potestatem, quam habuit Diuus Petrus. Meritò itaque propria huius successionis ratio explicanda est, vt eam demum ostendamus in Romanum Pontificem pro tempore existentem competere: vnde tãdem efficitur id quod suprà conclusimus: Romanum Pontificem Petri principatum, quasi patrimonium quoddam à Christo constitutum, in Ecclesia obtinere.

Sanè aliquem esse Diui Petri successorem, nihil aliud est, quàm eum ab Ecclesia in locum Diui Petri legitimo modo recipi, ac veluti Christo offerri, vt is illi supremam auctoritatem, quam Petrus habuit, conferat: hoc est, vt certa lege statuat, peculiari quadam assistentia cum eo concurrere ad ea in doctrina, & moribus constituenda, quæ ad bonum Ecclesiæ statum pertineant. Hoc enim est aliquem habere supremam illam in Ecclesia potestatem, atque principatum, quem Petrus habuit. Porro modus legitimus recipiendi aliquem in locum Petri, omnino is est, quem Ecclesia ipsa pro ratione cuius-

que

que temporis, & aliarum omnium circumstantiarum præscribit, atque adhibet.

Quod vt melius intelligamus expendendenda diligenter est vis illarum promissionum: [Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Et: Vt maneat vobiscum in æternum,&c.] Ex his enim & similibus intelligitur, curam & charitatem Christi erga sponsam suam Ecclesiam perpetuò eam esse, quæ ad Ecclesiæ statum suauiter, & conuenienter hominum naturæ conseruandum accommodatissima sit. Dubitari autem minimè potest, quin hominum natura, atque conditione considerata expediat, vt qui Ecclesiam vniuersam, accepta à Christo auctoritate, gubernaturus sit, is ab eadem Ecclesia ad id muneris recipiatur approbeturque. Proinde volens Christus Dominus, in Ecclesia perpetuò esse, vt superiùs est probatum, Petri successores, quibus ille supremam in terris auctoritatem, quam Petro contulerat, attribueret; necesse fuit, Ecclesię suæ hoc dare, vt eum ipsa deligeret in talem Pastorem, quem pro ratione temporis, & circumstantiarum iudicaret esse ad id muneris aptissimum. Quod ipsum perpetua Ecclesiæ consuetudo in successione sedis tum Petri, tum aliorum Episcoporum confirmat. Is enim habitus est semper Episcopi alicuius successor legitimus, quem in eius locum Ecclesia recepit ea forma, & modo, qui pro ratione circumstantiarum in vnoquoque loco maximè conuenire existimatus est.

Iam cùm hoc ita sit, facilè intelligitur, qua ratione probari oporteat, Romanum Pontificem, pro tempore existentem, D.Petri successorem esse. Nempe non hîc aliquibus argumentis à ratione ductis opus est; vt cùm de rebus agitur, quæ non sunt in facto positæ; sed satis superque id testimonijs omnium ætatum locupletissimis probamus, quibus sanè constat, Pontifices Romanos continua serie successionis in Diui Petri locum, absque vlla potestatis restrictione, fuisse ab Ecclesia receptos, atque ad eos, tanquam ad Petri in eadem potestate successores, per omnes Ecclesiæ ętates fuisse relatas maiores Ecclesiæ causas, vt persequitur diligenter Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 36. 37. & 38. & Caietanus de institutione Romani Pontificis cap.13. & Canus lib.6. de locis,cap.4.5.& 6.& admodum copiosè, ac luculenter Nicolaus Sanderus, in suo opere de visibili Ecclesiæ Monarchia, lib.7. vt alios iam omittam.

Qua de re hæc in specie testimonia antiquitatis notentur, Irenæus, Epiphanius, Augustinus, Optatus, sui temporis Romanos Pontifices, quorum & posteriores Pontifices constat successores fuisse, ad Petrum ipsum continua serie successionis ordine deducunt. Innocentius primus, Eulogius, Petrus Chrysologus, Leo, & alij, [Petrum in sua adhuc Cathedra] Romanorum Pontificum ipsius successorum ministerio, præsidere asseuerant. Tertullianus, Augustinus,Hieronymus Gregorius, Eusebius, & alij infiniti eosdem Romanos Pontifices, successores esse Diui Petri apertè asserunt. Anacletus, Marcellus, Sozomenus, Theodoretus,Cyprianus, Augustinus, & alij Patres, idcircò etiam Sedem Romanam, Petri locum, & Cathedram, seu Apostolicam Sedem vocant. Itaque Romano Pontifici, non nisi tanquam Petri legitimo successori, principatum actoritatis in Ecclesia tribuit omnis antiquitas, Concilia, Patriarchæ, Patres vniuersi.

In Concilio Nicæno primo, Iulius I. testatur, decretum fuisse, ne Concilia præter sententiam Romani Pontificis celebrarentur, itemque vt ad eum liceret Episcopis alijs ex toto orbe appellare, confirmatque solemni iuramento eos Canones in sacro Sedis Apostolicæ scrinio asseruatos fuisse. Quod itidem in eo Concilio Nicæno fuisse sic statutum,testatur. Diuus Athanasius, & alij Episcopi Thebaidis, & Lybiæ, qui ipsi Concilio Nicęno interfuerunt. Fuerunt autem huius Iulij epistolæ receptæ in Concilio Ephesino; vt Vincentius Lyrinēsis ante annos mille testatus est. Item illius primam epistolam recitat in Apologia sua secunda D. Athanasius.Nec sanè obstat,quod Africani Episc. in epist.ad Pontificem Cælestinum negant,eiusmodi Canonem de appellationibus ad Romanum Pōtificem inter Concilij Nicæni Canones, quos à Patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, & Antiocheno petierant, reperiri. Certum enim est, longè plures Concilij Niceni Canones fuisse quàm illos viginti & vnū, quos illi Patriarchæ ad Africanos miserunt, vt luculentissimis veterum testimonijs à nonnullis demonstratum est. Itaque ex illis Canonibus Concilij Nicæni, qui desiderantur, quique hæreticorum fraude, vt conqueritur etiam Felix Secundus, interierunt, proculdubiò illi etiam fuerunt, quos ab Iulio I. & ab Athanasio commemorari diximus. Ac licet patres illi Africani apud eundem Potificem Cęlestinum egerint, ne appellationes vllas ab Africanis ad Sedem Apostolicam factas admitteret, aut de causis eiusmodi ipse, vel per se, vel per Legatos suos constitueret, sed iudicium omne prouincialibus Episcopis permitteret, vt rectiùs cognita causa in eo ipso loco vbi criminis delatio instituta esset, ipsi litem finirent: tamen nihil minùs illi Patres ea re agebant, quàm vt supremam alioqui in Ecclesia potestatem, adeòque auctoritatem in iudicio etiam quarumcunque causarum Ecclesiasticarū,Romanæ Sedi competere negarent: Sed putabant certè non expedire, vt eiusmodi auctoritatem Pontifex Romanus in litigiosis controuersijs, quæ in transmarinis illis prouincijs inciderent, vti vellet, cùm melius existimarent eiusmodi causas personarum, & criminum in proprio loco posse cognosci, & definiri.

Alioqui, quàm illi Patres Africani Romanæ Sedis primatum agnouerint, suspexerintque, vel ex vna epistola Mileuitani Concilij ad Innocentium primum, cui Concilio plerique ex illis ipsis Patribus Africani Concilij paulò antè interfuerant, clarissimè licet intelligere. [Quia te inquiunt, Dominus, gratiæ suæ pręcipuę munere, in Sede Apostolica collocauit, talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quàm ea tu possis, vel fastidiosè, vel negligenter accipere; magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligen-

ligentiam quæsumus adhibere digneris. Noua enim hæresis, Pelagianorum, surgere cœpit, &c. Et post aliqua: Hæc insinuantes Apostolico pectori tuo, non opus habemus tantam impietatem verbis exaggerare, cùm proculdubiò te ita permoueant, vt ab eis corrigendis ne latiùs serpant, multosque contaminent, vel potius interimant, omnino dissimulare non possis. Et sub finem epistolæ. Hęc ad sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginensis prouincię Coepiscopos nostros, quos ad Sedem Apostolicam, quam benignus illustras, de hac causa scripsisse comperimus.] Certè luce clariùs ostendit hic locus, Romanum Pontificem ab Africanis Episcopis, & pastorem Ecclesię summum, cui aliarum etiã Ecclesiarum pręter Romanam cura pastoralis, sollicitudoque incumbat, & iudicem causarum religionis, ac fide agnitum fuisse. Carthaginensis autem prouincię Episcopi, quorum in ea epistola mentio facta est, hunc in modum ad eundem Innocentium in ea causa scripserant: [Hoc gestum charitati tuę intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicę Sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum, & quorundam peruersitate etiam corrigenda. Et infrà: Error ipse, & impietas quę tam multos assertores habet etiam auctoritate Sedis Apostolicę anathematizanda est. Consideret ergo sanctitas tua, & pastoralibus nobis compatiatur visceribus, &c.] Et certè ex epistolis quibusdam D. Cypriani ad Pontificem Cornelium licet intelligere, antiquam etiam fuisse Aphricanorum consuetudinem ad Apostolicam Sedem appellandi: vt mirum sit hoc ab illis Patribus Aphricanis cogitatum non fuisse: sicut etiam in antiqua Synodo Sardicensi eiusmodi appellationes ex omni loco ad Sedem Apostolicam disertissimis verbis & concessæ, & probatæ fuerant, vt paulò post dicemus.

Sic etiam, neque testimonio illi Concilij Nicæni, quod pro Romanæ Sedis primatu, ex Iulio I. & Athanasio commemorauimus, auctoritatem detrahunt vllo modo Sectarij, cùm ex Canone 6. eiusdem Concilij hæc verba, sicut ea quidem Ruffinus refert, nobis objiciunt: [Apud Alexandriam, & in vrbe Roma vetusta consuetudo seruetur, vt ille Episcopus Alexandrinus, Ægypti, hic, Episcopus Romanus, suburbicariarum solicitudinem Ecclesiarum gerat.] Primùm enim Canon hic sextus in exemplo à tribus Patriarchis, sicut antè commemoraui, ad Episcopos Africanos misso non omnino ita habet, vti refert Ruffinus; sed quædam verba ibi adduntur, ex quibus clarius apparet nihil ibi minus, quàm supremam in omnes auctoritatem Romani Pontificis negari. Sic enim dicitur: [Antiquiores, Episcopi, obtineant; id est, honore præcedant, qui apud Ægyptum sunt, & Lybiam, & Pentapolim: ita tamen, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat solicitudinem; quia & vrbis Romæ Episcopo similis mos est. Similiter autem & circa Antiochiam, & in cæteris prouincijs priuilegia propria seruentur Metropolitanis Ecclesijs.] Non igitur negat hic Canon Romano Pontifici primatus auctoritatem, quam habet is alioqui tanquam successor D. Petri in omnes Ecclesias, sed significat certè, habere eum quoque specialem quandam Metropolitani auctoritatem in adiacentes diœcesi Romanæ Ecclesias; quam quidem auctoritatem similiter, & alijs Archiepiscopis Metropolitanis, vnicuique in sua prouincia, Concilium Nicænum voluit constare. Accedit deinde, quod in Concilio Chalcedonensi Canon hic sextus Nicænæ Synodi, recitante Paschasino, & nemine prorsus contradicente, sic incipit: [Ecclesia Romana semper habuit primatum, &c.] Ac tunc subiunguntur reliqua de auctoritate Metropolitanorum, quæ ex illo Canone iam à nobis exposita sunt. Denique in eadem actione Concilij Chalcedonensis, post recitatum illum Nicænum Canonem, & omnium sententias auditas, Iudices ita dixerunt: [Ex his quæ gesta sunt, vel ab vnoquoque deposita, perpendimus, omnem quidem primatum, & honorem præcipuum secundùm Canones (nempe secundum illum etiam Nicænum) antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari. Ac tunc Patres ipsi Concilij dixerunt: Hæc iusta sententia, hæc omnes dicimus, &c.] Sed de Canone Nicæni Concilij satis.

Item in Sardicensi Concilio, quod generale etiam fuisse graues auctores testantur, appellationes ex toto orbe factæ ad Romanum Pontificem approbantur, & Iulio Pontifici ius competiuisse euocandi cum auctoritate alios Episcopos non obscurè agnoscitur. In Constantinopolitano primo, generali secundo, post Romanum Episcopum primatus honor tribuitur Patriarchæ Constantinopolitano. Atque etiam eius Concilij Patres testantur, se Damasi Romani Pontificis literis monitos conuenisse Constantinopoli: Vicissimque Damasus reuerentiam ab illis in ea re exhibitam Sedi Apostolicæ collaudat. In Ephesino, generali tertio, Cyrillus locum Cęlestini Romani Pontificis tenens eius mandato dicit, se (vnà cum alijs Patribus) compulsum fuisse, vt Nestorium damnaret. Itemque Patres eiusdem Concilij ad eundem Cœlestinum hoc modo scribunt: Ioannis Antiocheni temeritatem, quòd Cyrillum deposuerat, reseruauimus tuæ pietatis iudicio. In Chalcedonensi porro Concilio, generali quarto, itidem probatur iudicium illud Synodi Constantinopolitanæ, quòd Constantinopolitano Patriarchæ secundæ concedantur post Romanum Pontificem. Et rursus ibi, Marciano Imperatore præsente, sine vlla controuersia, caput omnium Ecclesiarum Romana Ecclesia appellata est. Atque etiam ipse Imperator Marcianus ibidem Leonem, tum Pontificem Romanum, [Apostolicum thronum gubernare,] dicit. Itemque Concilij Patres eundem Pontificem his modis compellant: [Tu, sicut caput membris, præeras. Dioscorus contra te, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam. Tuis decretis nostrum honora iudicium: & firmitas tua filijs, quod deest adimpleat.] Itaque in eo Concilio Paschasinus cum Lucentio, & Bonifacio, loco Leonis sic præfuit, vt inter cætera, quæ cum auctoritate ibi gessit, etiam prohibuerit, ne Dioscorus cum reliquis Episcopis Orthodoxis sederet. In Concilio secundo

Con-

Constantinopolitano, generali quinto, Patres profitentur, se per omnia sequi velle sententiam summi Pontificis Agapeti in causa Anthimi hæretici, quem idem Agapetus ex sede Constantinopolitana, & à communione fidelium eiecerat. Cuius etiam sententiæ vi Synodus eundem quoque eiecit ex sede Trapezuntina. In Constantinopolitano tertio, generali sexto, dicitur, per Agathonem Romanum Pontificem loquutus esse Petrus princeps Apostolorum, cuius nimirum ille, & imitator fuisset, & successor. In Constantinopolitano quarto, generali octauo, Patriarchas omnes honorandos, præcipuè verò sanctissimum Papam senioris Romæ. In Nicæno secundo, quod fuit septimum generale, Romanam sedem primatum per orbem totum obtinere, omnium Christi Ecclesiarum caput existere,&c.] Similia in Lateranensi sub Alexandro III. & Lateranensi item, sub Innocentio III. Lugdunensi secundo, Viennensi, Constantiensi,Lateranensi sub Iulio II. & LeoneX. Tridentino. Quibus adde prouincialia, Arelatense, Aurelianense quartum, Toletanum primum, Africanum, Mileuitanum, &c.

Nec minus perspicuè Patriarchæ quatuor. Certè Athanasius Patriarcha Alexandrinus, ad Iulium I. Romanum Pontificem in sua causa contra Arianos appellauit. Itemque ad Felicem II. Papam ita scribit: [Vos, præcessoresque vestros Apostolicos videlicet præsules in summitatis arce Deus constituit: omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit. Item: Romanus, inquit, Episcopus Iulius Synodum iussit fieri, vt tutò, & crimina obijcerent, & inuicem sibi oblata refutarent.] Item D. Cyrillus, & ipse Alexandrinus Patriarcha, ad Cœlestinum Romanum Pontificem in causa Nestorij scribens: [Ab illius, inquit, communione cum fiducia nos non eximimus, donec ista pietati tuæ communicaremus. Quapropter quid videatur, exprimere dignare, an aliquando illi communicare debeamus.] Item Antiochenus Patriarcha Calandio, Ioanni Talaiæ Patriarchæ Alexandrino suasit, vt contra Petrum Moggum, quem Achatius intruserat, ad Simplicium Romanum Pontificem appellaret. Item Flauianus eiusdem sedis Patriarcha à Romano Pontifice, vt causam diceret euocatur, pro eoque apud Damasum intercedunt Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus, & Theophilus Patriarcha Alexandrinus. Item Petrus Patriarcha Hierosolymitanus affirmat, Agapetum Papam diuinitus fecisse, quòd Anthimum, Constantinopolitanum aliquando Patriarcham, de se deiecisset. Denique D. Chrysostomus, Constantinopolitanus Patriarcha, ad Romanum Pontificem appellauit. Macedonius, eiusdem sedis Patriarcha, Anastasio Imperatori vehementer vrgenti, & mandanti, vt Episcopos sibi subiectos ad Synodum conuocaret, nihil omnino se in ea re facturum respondit, [absque vniuersali Synodo, cui magnæ Romæ Episcopus præsideret.] Menas Seuero,Petro, & Zoaræ vitio vertit, quod contempserint Ecclesiam Romanam, [quæ Apostolis, inquit, succedens, contra ipsos sententiam protulit.]

Longum verò est aliorum Patrum sententias referre. Irenæus ad [Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse esse affirmat omnem aliam Ecclesiam conuenire. Cyprianus eandem esse, Ecclesiam matricem. Ambrosius, Siricium Papam Christi ouile custodire, dignumque esse, cui oues Domini audiant. Hieronymus,Damasum piscatoris, id est, D. Petri, successorem esse in eadem fidei Cathedra, super quam sit ædificata Ecclesia. Augustinus,in Romana Ecclesia Apostolicæ Cathedræ semper viguisse principatum. Idem obsecrat Innocentium I. vt pastoralem diligentiam adhibeat magnis periculis infirmorum in Africa propter hæresim Pelagianam imminentibus. Quod eius studium laudat idem Innocentius. quòd antiquæ regulæ formam secutus opem implorarit ab ea sede; cui maneat solicitudo omnium Ecclesiarum. Gregorius, Romanam Ecclesiam Deo auctore cunctis Ecclesijs esse prælatam. Isidorus, nullam se Synodum reperisse nisi, vel congregatam, vel fultam Romanæ sedis auctoritate. Prosper, Romam pastorali honore factam esse caput mundi. Vincentius Lyrinensis, Romanum Pontificem esse caput orbis. Beda, Gregorium in toto orbe Pontificatum gerere. Origenes, libellos pœnitentiæ de suis erroribus offert Fabiano Papæ. Basilius, ad Romanum Pontificem referendum iudicat, vt iudicij sui decretum interponat. Chrysostomus postulat ab Innocentio, vt decreta Theophili rescindantur, & vt pœnis Ecclesiasticis, qui iniquè agerent, coercerentur. Theodoretus, ad Romanam sedem appellat, & illius dicit se expectare sententiam. Socrates, Romanam Ecclesiam priuilegium præ cæteris obtinere.] Et quid omnes seu Latinos, seu Græcos commemorem?

Iam verò Pontifices ipsi Romani,sanctissimi; & antiquissimi, successores se esse D.Petri in cura vniuersalis Ecclesiæ, iisdem in locis palam protestati sunt, quos pro ipsius D. Petri primatu superiùs magno numero allegauimus. Quorum testimonia quamobrem in hac quæstione, & causa minimè suspecta esse debeant, suprà causas exposui. Clarissima verò, grauissimaque sunt in hoc genere illa verba Iulij I. de causa Athanasij: [Semper inquit,maiores Ecclesię causæ ad sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt: Ipsa namque omnibus prælata est Ecclesijs, quæ non solùm canonum, & Sanctorum Patrum decretis, sed Domini voce singularem obtinuit principatum, cùm inquit: Tu es Petrus, &c. Atque illa quoque Innocentij I. ad Patres Concilij Mileuitani: [Per omnes, inquit, prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanant. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris auctorem referre debere; velut nunc retulit vestra dilectio; quòd per totum mundum possit omnibus Ecclesijs in commune prodesse. Item: Diligenter ergo, & congruè Apostolico consulitis honori, honori, inquam, illius, quem solicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxijs rebus, quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicet regulæ formam sequuti, quam toto semper ab orbe me-

mecum nostis esse seruatam. Et Leo ad Anastasium Thesalonicensem Episcopum; Sicut præcessores mei, inquit, præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ vices mei moderaminis delegaui, vt curam, quam vniuersis Ecclesijs principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuuares.]

Sed exstant multa testimonia similia Pontificum in locis suprà citatis. Quorum sanè in Ecclesia, tamquam successorum Petri, primatum agnouerunt, non Patres tantùm, sed etiam ipsi Imperatores Maximi, & disertissimis verbis protestati sunt. Valentinianus affirmat, [Romano Pontifici principatum sacerdotij collatum.] Marcianus, principatum in Episcopatu fidei obtinere. Iustinianus, [primum omnium esse Sacerdotem secundum quatuor Synodorum definitionem.] Quibus Imperatoribus posterior fuit Phocas, à quo tamen Romanum Pontificem primatum accepisse Caluinus ineptissimè nugatus est. Carolus Magnus, Romanum Pontificem, vniuersalem Papam compellat. Sed & hæretici aliquando cùm principatum Romani Pontificis à nemine ignorari probè intelligerent, se idem cum illo de rebus fidei sentire, vt faciliùs laterent, subdolè simulauerunt. Cælestinus Pelagianus cum Innocentio. Meletius, & Vitalis cum Damaso, &c.

His accedit, quod Romanus Pontifex perpetuò in Ecclesia earum, quæ essent fidei controuersiarum iudex agnitus est: quòd ipse hæreses condemnauit: quòd leges cum auctoritate sanciuit: quòd Concilijs generalibus præfuit, eademque confirmauit: quòd ad eum vndique in grauissimis causis Ecclesiasticis appellatum est: quòd alios Episcopos auctoritate sua in varias mundi partes misit; vicarios suos constituit, creauit, confirmauit, pallio inuestiuit, deposuit, restituit. Quem vsum auctoritatis tam varium, tamque latè patentem, eumdemque Romano Pontifici per omnes rectè sentientes in Ecclesia semper integrum, atque liberum, quis non videat indicem, atque testem locupletissimum esse, quòd D. Petro in cura Ecclesiæ vniuersali, ad constituendum de ijs rebus, quæ ad fidem, & salutem spectent, Romàni Pontifices succedant? Quoniam igitur, & primariam in Ecclesia potestatem, atque adeò infallibilem auctoritatem, de rebus fidei omnibus controuersis iudicandi, D. Petro datam esse; nec illi solùm, sed etiam illius successoribus esse datam; & eius in eo genere successorem Romanum Pontificem pro tempore existentem esse, probatum est: verè ac rectè initiò conclusimus, atque posuimus Romanum Pontificem esse eum, in quo auctoritas illa primaria, de quæstionibus fidei omnibus infallibiliter statuendi, resideat.

Sed cùm Romanum Pontificem D. Petri successorem in vniuersali Ecclesiæ cura esse dicimus, forsitan aliquis sciscitabitur, ecquonam iure successor talis Diui Petri is sit, qui Pontifex est Romanus? Vtrum scilicet diuino? ita vt Christus Dominus non modò voluerit in Ecclesia esse perpetuò eiusmodi successorem Petri, cui ipse supremam auctoritatem, quam habuit D. Petrus, conferret; sed etiam statuerit, vt hic successor esset perpetuò Romanus Episcopus? An verò id obtinuerit in Ecclesia solum iure humano, hoc est, ipsius Ecclesiæ instituto, quæ non nisi Romanos Episcopos in D. Petri locum, quod ad vniuersalem Ecclesiæ curam attinet, recipiendos esse putarit.

Refert autem non parum hoc scire. Nam si solùm ex iure Ecclesiastico ratio hæc successionis cum Romanæ diœcesis Episcopatu coniuncta est; posset fieri eiusdem Ecclesiæ, atque adeò ipsius etiam Pontificis auctoritate, vt aliquando is, qui vniuersalis Ecclesiæ pastor est, non idem sit Romanæ diœcesis Episcopus, sed vel alterius diœcesis; vt cùm Petrus Antiochiæ sedebat, erat Episcopus non Romanus, sed Antiochenus; vel etiam nullius particularis determinatè; sicut eo tempore quo nondum D. Petrus Antiochiæ sedebat, cùm tamen nihilominus esset tunc pastor vniuersalis Ecclesiæ, à Christo constitutus. Sin autem diuino iure constitutum est, vt non alius, præterquàm Romanus Pontifex, sit Petri successor, non erit in Ecclesiæ potestate id institutum mutare. Item etiam ex hac quæstione pendet, vt postea patebit, quomodo illud Ecclesiæ Romanæ priuilegium intelligendum sit, cùm ab ea dici solet recta, atque Apostolica fides non posse deficere: sicut iam defecit exempli causa ab Ecclesia Constantinopolitana.

Ego verò hac de re varias reperio sententias Doctorum. Nam Canus, & Driedo, & Turrecremata, & alij communiter, sine dubitatione affirmant, ex Christi Domini institutione Romanum Episcopum fuisse, & futurum esse semper Diui Petri successorem in cura vniuersalis Ecclesiæ. Fundamentum istorum præcipuum est in modo loquendi Patrum, ac Conciliorum, cùm passim asseuerant, Romanum Pontificem ab ipso Christo Domino potestatem obtinere. Item Romanam sedem à Christo Domino priuilegium habere, vt sit peculiariter Apostolica, à qua fides recta nequeat deficere. Deinde ex Romana sede definitionem certam in controuersijs fidei petendam esse, atque illos Catholicos esse, qui illius sequuntur doctrinam: illos è contra hæreticos, qui reijciunt. Ex quibus, & id genus alijs Ecclesiæ Romanæ elogijs, quæ magno numero superiùs recitauimus, colligi videtur, institutionem Christi esse, vt qui successor Petri futurus est, sit Romanus Episcopus. Accedit, quod Diuus Ambrosius, & Egesippus referunt, Christum Dominum Petro ex vrbe decedenti occurrisse, ac interroganti quò pergeret, respondisse: [Eo Romam iterum crucifigi.] Ex qua historia conijci potest, Petrum ex voluntate, atque præcepto Christi Romam reuersum esse, ibique morientem reliquisse Romanum Episcopum successorem.

Alia sententia est Dominici de Soto, qui contrà existimat, Apostolicam sedem, hoc est, dictæ successionis rationem iure Ecclesiastico tantùm annexam esse Episcopatui Romano: ac proinde fieri posse auctoritate Ecclesiæ, vt Petri successor, Romanus Episcopus non sit, sed vel alterius diœcesis, vel nul-

lius determinatæ; sed dumtaxat Pastor vniuersalis. Fundamentum eius auctoris est, quod Christus Dominus instituens Petrum vniuersalem pastorem, nulli Ecclesiæ particulari addixit; neque aliunde institutio Christi circa hoc satis constat; quare videtur potius totum hoc reliquisse Christus dispositioni Ecclesiæ, vt scilicet illa pro ratione circumstantiarum, ac temporum variè statuere posset de conditione personæ eligendæ, quod expedire maximè videretur: sicut constat, vt postea videbimus, mutasse illam quandoque circumstantias electorum summi Pontificis, & modi eumdem eligendi.

Hanc verò opinionem, vt Sotus defenderet, sanè oportuit eum inprimis dicere, Concilia, & Patres neutram partem huius quæstionis apertè satis determinauisse. Quod enim dicunt, Romanum Pontificem habere potestatem à Christo, eiusque institutione primatum obtinere; id verò non nisi ex quadam hypothesi ab illis dictum esse, nimirum vt id intelligatur, quamdiu Romanus Episcopus est ille, quem Ecclesia ipsa successorem Petri constituit, siue hoc illa faciat propria auctoritate, siue institutione Christi. Nihil verò, vel patres determinare circa hanc hypothesim, verum scilicet illa sit ex institutione Christi, vel tantùm ex Ecclesiastica traditione. Quidquid enim horum dicatur, manere ex fide certum id, quod ipsi asserunt, Romanum Pontificem, quamdiu in Petri successorem (sicut fit) eligitur, ab ipso Christo accipere auctoritatem vniuersalis Pastoris. Quod verò attinet ad illam historiam ex Egesippo; licet Christus Dominus præceperit tunc Petro, vt Romæ maneret vsque ad mortem, inde tamen non necessariò sequi, præcepisse etiam eum, vt successor illius in cura Ecclesiæ vniuersalis esset perpetuò Romanus Pontifex; sed benè inde consequi, institutionem ipsius Petri, & Ecclesiæ, qua cautum est, vt Romanus Pontifex sit Petri successor, habuisse fundamentum in Christi voluntate statuente, vt Petrus Romæ permaneret, & suo martyrio Ecclesiam illam decoraret. Quod nisi accidisset, non fuisset dispositum, vt Romanus Episcopus Diuo Petro in vniuersali cura Ecclesiæ succederet. Quod ipsum etiam Caietanus tantummodo voluisse videri potest, cùm ait, causam ob quam Romanus Pontifex sit is, qui Petro succedat, fuisse (vt ille inquit) appropriationem Romanæ Ecclesiæ ad Petri vniuersalem Pontificatum firmatam Christi auctoritate volentis, vt Petrus Romæ maneret, ac ibi moreretur: non Euangelicam institutionem.

Cæterùm vtcumque ista subtiliter pro Soti opinione disputari possint: mihi certè videtur ea opinio in re tam graui nimium esse singularis, nec verò satis tuta. Quæ enim testimonia Patrum, & Conciliorum pro contraria sententia Driedonis, Cani, & Turrecrematæ allegari possunt, maius omnino pondus habent, quàm vt tam subtilibus distinctionibus eludi possint. Quin prorsus arbitror, cùm Patres tot modis asseuerant, Romanam sedem à Christo obtinere auctoritatis in Ecclesia primatum, non aliam institutionem, nisi ipsius Christi, à qua totum id priuilegium sedis Romanæ pendeat, cogitauisse. Penderet autem id priuilegium etiam ex Ecclesiæ ipsius humana institutione, si posito tantùm, quòd Ecclesia auctoritate sua velit in Petri successorem eligi Romanum Pontificem, Romana sedes diceretur habere à Christo primatum. Atqui Patres hoc minimè putauerunt: sed absolutè, Romanam Ecclesiam, Deo auctore, cunctis Ecclesijs esse prælatam, inquit Diuus Gregorius: item illi ex diuina institutione curam incumbere aliarum omnium Ecclesiarum, affirmat Diuus Leo: item ad Ecclesiam Romanam, cuius fides sit ab Apostolo Paulo laudata, non posse perfidiam habere accessum, ait D. Cyprianus ad Cornelium: Item ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem oportere omnes alias Ecclesias conuenire, censet Irenæus: [Quæ semper (inquit Hieronymus aduersùs Ruffinum) immaculata permansit, & Domino prouidente, ac beato Apostolo ferente opem, in futuro manebit.] Et clarissimè sanctus Anacletus: [Hæc sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, &c.] Et Iulius huius nominis primus: [Sanctam, inquit, Romanam Ecclesiam ipse Dominus allocutus est, inquiens: Tu es Petrus, &c.] Atque vt alia eiusmodi antiquitatis testimonia (quæ sunt magno numero collecta etiam à Cano) prætercam, in magno certè Lateranensi Concilio, ex certissima Ecclesiæ sententia, disertis verbis Ecclesia Romana dicitur, [Deo ipso disponente, mater esse, & magistra omnium Ecclesiarum.]

Itaque vetus patrum traditio indicare videtur, Christi etiam institutionem esse, vt qui Petro successurus est, atque adeò, qui est à Christo accepturus primatum, is alius non, sit, nisi Episcopus Romanus, vt copiosè etiam ac diligenter disputat auctor eruditissimus Ioannes Driedo. Qua sanè ex re sequitur, numquam omnino futurum, vt ij à recta fide desciscant, qui fidem sequentur eius, qui legitimus erit, atque permanebit Episcopus diœcesis Romanæ, siue is in illius diœcesis loco morabitur, siue alibi. Nam idem ex institutione Christi erit successor Petri in cura Ecclesiæ vniuersalis, ac proinde in fidei doctrina proponenda errare minimè poterit, vt postea etiam sumus probaturi. Nunc satis fuerit ita breuiter explicauisse, quod est à nobis tertio loco probatum. Nempe Romanum Pontificem D. Petro in cura Ecclesiæ vniuersalis succedere. Videamus modò quid contra id soleant, aut possint etiam hæretici obijcere.

Argumentum Primum.

PRincipio, Petrum Romæ fuisse nedum Romæ mortuum esse Velenus quidam, & Sebastianus Francus, & alij eiusdem farinæ hæretici negant: Quin etiam dubitat ea de re Caluinus. Falsum igitur aut certè minùs ex-

exploratum eſt ; quod Romanus Pontifex ſuccedat Petro defuncto.

Reſpondeo, quòd hoc iſti negent, vel in dubium vocent facere eos ſtultiſſimè, atque pueriliter, cùm ſit res omnium hiſtoriarum, & Patrum teſtimonio, & ipſis Petri in vrbe veſtigijs confirmata. Qua de re quoniam non niſi leuiſſimas ratiunculas pro ſuis ſomnijs Sectarij illi afferunt, quæ nemini prudenti perſuadent, non opus eſſe iudico iam à me repeti, quæ ſunt ab alijs ſufficienter, vel potiùs dicam, penè ſuperuacaneè (quis enim ſanus de hoc dubitet?) tractata. Huc accedit, quod ſi maximè dubitari poſſet, vtrum Diuus Petrus Romæ fuiſſet, (quæ tamen ipſa dubitatio nihil profectò differret ab inſania) adhuc tamen non id haberent Sectarij, quod volunt. Nam inde ſolum ſequeretur, non eſſe Romanum Pontificem ſucceſſorem Diui Petri, etiam in cura diœceſis Romanæ (ſicut iam ex omnium traditione eſſe conſtat) poſſe tamen adhuc ille Diuo Petro ſuccedere in cura vniuerſalis Eccleſiæ, quam potuiſſet Petrus annectere Romanę Sedi, tametſi ille fuiſſet alibi Epiſcopus, aut etiam nullius fuiſſet particularis Eccleſiæ Epiſcopus. Quemadmodum etiam manens Romæ potuiſſet alterius diœceſis Epiſcopo vniuerſalem curam Eccleſiæ demandare, ſi coniunctio illa quidem Romanæ Sedis cum ſucceſſione D. Petri in vniuerſalis Eccleſiæ cura non eſſet de iure diuino.

Argumentum Secundum.

SEcundum Argumentum eſt, quod Concilia, & Patres veteres, quorum auctoritate vtimur, non de huius temporis Pontificibus loquuntur, cùm affirmant illos eſſe Petri ſucceſſores legitimos, ac proindè in Eccleſia tenere primatum, ſed de illis qui priſcis temporibus Eccleſię Romanę præfuerunt; Nihil ergo eorum Patrum auctoritas Pontifici Romano præſenti, & alijs pro tempore futuris ſuffragari videtur.

Reſpondeo, veterum Patrum, & Conciliorum teſtimonia omninò, etiam ad hunc præſentem Pontificem Romanum, & alios, qui pro tempore, taquam Petri ſucceſſores, ab Eccleſia recipientur, pertinere. Nam ratio, ob quam Patres illi ſuorum temporum Pontifices Romanos, Petri ſucceſſores eſſe agnoſcebant, alia propriè non erat, niſi quia illi legitimo modo ab Eccleſia Catholica in locum Petri recipiebantur, in qua re, vt ſuprà diximus, conſiſtit hæc ratio ſucceſſionis. Sed hic etiam pontifex qui nunc eſt, legitimè item ab eadem Eccleſia in locum D. Petri receptus eſt, & alij quoque qui ſuccedent, ſimiliter, vt pono, recipientur. Ergo huic item pontifici, & futuris, veteres illi patres teſtimonium ſucceſſionis legitimè perhibuerunt. Quemadmodum ſimili quoque ratione ſuprà concluſimus, teſtimonia veterum patrum, qui congregationem Romanis pontificibus ſuis illis temporibus adhærentem legitimam eſſe Eccleſiam aſſeruerunt, ad hanc quoque numero congregationem pertinere, quæ Gregorio XIII. pontifici maximo hodie obtemperat.

Argumentum Tertium.

TErtium Argumentum eſt propriè contra hoc ipſum, quod nunc ponebamus, eos Pontifices Romanos, qui anteceſſerunt, vſque ad præſentem, eſſe legitimè receptos ab Eccleſia. Etenim à tempore Vrbani Sexti, qui Gregorio vndecimo demortuo, anno 1378. electus fuit in menſe Aprili, vſque ad pręſentem pontificem, nullus videtur legitimè ſucceſſiſſe. Nam, vt videre eſt apud Diuum Antoninum, & in initio Concilij Conſtātienſis, eodem anno 1378. in menſe Iulio ex Cardinalibus quidam, quòd pontificis electi mores difficiles non ferrent, Roma diſceſſerunt, & in ſequenti menſe Septembri elegerunt alium pontificem, qui nominatus eſt Clemens Septimus. Porrò, Vrbanus Romæ manebat; Clemens Auennioni. Et vterque ſuos aſſeclas habebat. Quod ſchiſma vſque ad annum 1417. quo, vndecimo die menſis Nouembris, Martinus Quintus electus eſt, ita continua ſucceſſione vtriuſque pontificis, & Cardinalium ab ipſis Creatorum, continuatum eſt, vt non poſſet ſatis dignoſci vter illorum eſſet verus pontifex. Imò & alius etiam tertius pontifex anno 1408. acceſſit, dictus Ioannes XXIII. quem aliqui Cardinales ex vtraq; factione ad eam rem deſignati crearunt, vt refert Turrecremata. Tandem Martinus V. à Cardinalibus multis ex illis dubijs, & ſchiſmaticis, anno, vt dictum eſt, 1417. creatus eſt in Concilio Conſtantienſi. Itaque nec præcedentes pontifices, nec ipſe Martinus V. & conſequenter, neque alij pontifices poſteriores, qui Martino deinceps ſucceſſerunt, legitimo modo videntur ab Eccleſia recepti. Accedit etiam, quòd poſt Martinum Quintum, tempore Eugenij Quarti, fuit aliud ſchiſma. Amadeus enim quidam in Concilio Baſilienſi, à quibuſdam electus eſt, & vocatus Felix; Is poſtea Nicolao Quinto ceſſit, à quo & Cardinalis creatus eſt. Neque tamen videtur ſatis compertum, vter iſtorum habuerit maius ius ad pontificatum, atque ita propter hoc etiam ſchiſma pontifices illi omnes, qui Nicolao vſque ad pontificem pręſentem ſucceſſerunt, videntur dubij.

Reſpondeo, Tempore illo, quod ab Vrbano Sexto, vſque ad Martinum Quintum interceſſit, illos ſanè pontifices cenſeri poſſe legitimè fuiſſe receptos, qui in huius Vrbani locum ſucceſſionis ſerie recepti ſunt; alios verò fuiſſe Schiſmaticos. Nam de electione ipſius Vrbani non videtur dubitandum, quin fuerit legitima. Qui proinde de modo, rationeque eligendi ſuos ſucceſſores, poterat id ſtatuere, quod in illa ſchiſmatum difficultate magis expedire iudicabat, donec aliquid aliud, ipſo defuncto, Eccleſia ea de re decernendum putaret. Sed ſiue hi, ſiue illi, durante eo ſchiſmate, fuerint legitimi pontifices, ſiue nullus eorum, qui in ſchiſmate electi ſunt, ſed tunc ſedes quaſi vacuerit; nihil hoc quidem intereſt: modò conſtet certè ipſum tandem Martinum Quintum in Concilio poſtea Conſtantienſi legitimo modo receptum fuiſſe in locum illius Vrbani, & anteceſſorum, atque adeò etiam in locum ipſius D. Petri.

Id autem ita esse, hoc modo probamus. Nam, vt suprà dictum est, modus legitimus recipiendi aliquem in Petri successorem ille prorsus est, quem Ecclesia pro ratione temporis, & aliarum circunstantiarum præscribit, rectumque esse iudicat; siue is modus præscribatur ab ipsomet pontifice, in quo tanquam in capite residet primaria auctorieas Ecclesiæ, atque adeò ius etiam constituendi modum in electione pontificis, siue præscribatur ab Ecclesia in Concilio, vel aliter decernente; quando Sedes quidem Apostolica vacaret, aut illius posseffio non esset admodum certa, & graues aliquæ circunstantiæ postularent eligendi modum aliquem extraordinarium;sicut intelligi potest ex his, quæ eruditè Turrecremata scripsit de decem vijs sedandi schismata in electione pontificis. Nunquam enim deest Christus ecclesiæ suæ, quin in omni casu possit illa ex schismatum difficultatibus emergere, indubitatum, & certum pontificem pacificè,& absque scandalis recipiendo in D. Petri locum. Nunc certum est, Martinum quintum electum in Concilio Constantiensi fuisse eo modo, qui omnibus circunstantijs illorum temporum consideratis,iudicatus est ab Ecclesia in Concilio tunc congregata optimus. Nam Gregorio Duodecimo, qui tum erat Vrbani successor, suo iuri, propter Ecclesiæ pacem, atque bonum, cedente, & alijs duobus Antipapis, scilicet Benedicto Decimotertio, & Ioanne Vigesimotertio depositis; omnibus Cardinalibus, qui Concilio quidem interfuerunt, siue illi veri essent, siue falsi, & sex præterea ex qualibet natione,qui Concilio interessent, dilectis, ius suffragij actiui, & passiui datum est, quorum demum suffragijs Martinus Quintus est electus. Qua quidem ratione nihil prudentius tunc temporis, ad tantas schismatum difficultates, & scandala sedanda, constitui potuit.Itaque perspicuum certè est, Martinum Quintum, legitimum fuisse Petri successorem, & consequenter etiam alios pontifices sequentes, quia omnes recepti sunt eo modo, quem habita temporis ratione Ecclesia legitimè præscripsit: quamus pro ratione temporis modus ille quidem, quo Martinus electus est, fuerit à solito diuersus. Ordinariè autem iam ea ratio seruatur, vt qui à duabus partibus Cardinalium eligitur, ille pontifex legitimus habeatur.

Ex quibus intelligitur, quàm turpiter Wiclephus, quem & alij Sectarij sequuntur, errauerit, cùm propositione nona damnata in Concilio Constantiensi asseruit, à tempore Vrbani Sexti nullum esse recipiendum tanquam pontificem, sed more Græcorum proprijs legibus esse viuendum. Errant isti turpissimè: quoniam via ac ratio fuit,ac erit semper in Christi Ecclesia, vt schismate sedato, vnicus, verus, & indubitatus pontifex ab omnibus agnoscatur. Neque enim illud schisma, primum fuit in Ecclesia, sed schismata omnino viginti illud præcesserunt, vt Turrecremata etiam commemorat. Nec ideo tamen nullus ante Vrbanum Sextum fuit verus in Ecclesia pontifex.

Iam verò ad illud, quod in confirmationem eius argumenti de schismate Amadei addebatur, facilis est responsio. Nihil enim huiusmodi casu successio pontificum dubia redditur, cum constet Amadeum illum cum suis electoribus apertè schismaticum fuisse, maxima Ecclesię parte Eugenium Quartum, legitimum sine controuersia successorem Martini Quinti, & successorem Eugenij, Nicolaum Quintum, pro legitimis pontificibus cognoscente.

Argumentum Quartum.

QVartum Argumentum, fieri porro potest contra hoc, quod nunc dictum est, eum esse legitimum Petri successorem, quem Ecclesia recipit modo, quem iudicat conuenientissimum. Qui legitimus Petri successor est, is à Christo Domino certò, & infallibiliter accipit supremam in terris potestatem, qualem habuit Petrus, vt suprà probatum est. At non semper, qui ab Ecclesia legitimo modo in locum Petri recipitur, eam potestatem à Christo Domino accepit. Ergo non illico legitimus Petri successor is est, qui ab Ecclesia recipitur modo legitimo. Id patet in casu, quo per errorem eligeretur mulier, quod saltem posse accidere non admodum dubitare videntur quidam, etsi falsa,atque commentitia omnino sit alioqui historia illa de Ioanne fœmina,vt Onuphrius demonstrauit. Item idem patet, si errore eligeretur infidelis quispiam non baptizatus. Talis enim aliqua persona non reciperet verè à Christo primariam potestatem, neque verè esset pontifex, vt ex communi Orthodoxorum sententia ponit Turrecremata.

Respondeo. Quod dictum est, illum esse legitimum Diui Petri successorem,atque adeò primariam auctoritatem à Christo accipere, quem Ecclesia modo legitimo recipit in locum Diui Petri; id non aliter intelligendum est, nisi posito, quòd Ecclesia legitimo modo eum eligat, ac recipiat, qui sit alioqui capax pontificatus, Mulier autem & infidelis Pontificatus minimè sunt capaces. Quare argumentum hoc non euertit ea, quæ sunt dicta.

Sed hinc rursus nascitur alia difficultas, de qua non inutiliter tractari solet ab ipsis Catholicis Theologis in Scholis. Nam si casus isti, in quibus incapaces pontificatus eligantur, possibiles sunt; sequitur, non posse nos penitus esse certos; vtrùm hic vel ille electus, sit verus pontifex? Nam licet simus omnino certi, Ecclesiam veram modo conuenienti, tum ex parte electorum, tum ex parte modi in eligendo, hunc aut illum legitime recepisse: at dubitare poterimus, vtrum ille baptizatus sit, atque adeò num sit capax pontificatus. Ita nec poterimus esse certi, omnino de ijs, quæ ille tanquam de fide definierit; Eodemque res recidet, atque si liceret dubitare, vtrum Deus voluerit esse aliquem omnino successorem Petri in Ecclesia perpetuò, qui sit regula fidei & morum, infallibilis. Illud enim idem incommodum, quod ex hac dubitatione sequeretur; videlicet incertitudo eorum, quæ Romanus pontifex decerneret: perinde sequeretur ex illa

etiam dubitatione, vtrum videlicet hic sit verus succesor Petri nec ne.

Ad hanc expediendam difficultatem, libenter illud solum responderem, quod multi docti, ac pij viri meritò credunt, atque ipse mihi persuadeo: nempe nunquam futurum, vt incapax eligatur; Deo, ad auertendum ab Ecclesia sua periculum, facilè (vt potest) id prohibente. Sed quia graues etiam Doctores eiusmodi casum, tanquam possibilem admittunt; consequenter sanè concedendum est ab illis, non ex hoc ipso tantùm, quòd aliquis ab Ecclesia in D. Petri locum electus est, penitus esse certum, quòd is sit verus Pontifex; quandoquidem incapax eius muneris eligi posset, vt admittunt. Cæterùm non inde sequitur illud incommodum, quod obijciebatur, nempe vt necesse sit de certitudine definitionum, siue decretorum electi Pontificis dubitare. Hoc, inquam, incommodum dico non sequi, idque ostendimus duplici ratione.

Prima, quia certa fide compertum est, firmum esse, ac ratum quicquid circa vniuersam Ecclesiam statuit is, qui existimatur ab omnibus fidelibus Pastor Ecclesiæ vniuersalis; nam illud Ecclesia tota, quæ decipi nequit, tenetur recipere, vt paulò post probabitur. Atqui Pastor vniuersalis ab omnibus fidelibus is existimatur, qui ab Ecclesia in locum Diui Petri legitimè est receptus. Igitur si is aliquid erga vniuersam Ecclesiam decernat, à nemine dubitari potest, quin illud sit ratum, & firmum: siue id quidem infallibiliter decernat tanquam verus Pontifex, cuius videlicet ministerio Deus, ex certa, & ordinaria lege in Ecclesia gubernanda, tanquam instrumento, vtatur; siue Deo tantummodo in particulari casu non permittente vt erret, in erroremque adeò inducat vniuersam Ecclesiam, cui se Deus nunquam defuturum promisit. Procedit enim perinde hæc prima ratio, siue concedamus fieri etiam posse, vt falsus Pontifex statuat aliquid circa vniuersam Ecclesiam, siue id non concedamus, vt concedi reuera non debet, sicut iam iam videbimus.

Secunda ratio, quare non sequatur illud incommodum, quod obijciebatur, est, quia cum primùm is, qui est electus Pontifex, statuit aliquid in fide, aut moribus, quod ad vniuersam Ecclesiam pertineat, eo ipso est nobis certum de fide, quòd ille sit Pontifex legitimus, qui à Deo videlicet acceperit potestatem illam iurisdictionis primariam. Quæres autem vnde hæc fidei certitudo tunc eliciatur? Respondeo: ex duabus propositionibus de fide, hoc modo: Quem Christus Dominus in ijs, quæ vel ad fidem, vel ad mores, pertinent, ab vniuersa Ecclesia audiri vult; is verus, ac legitimus est Pastor Ecclesiæ vniuersæ. Sed Pontificem ab Ecclesia legitimo modo electum, cùm is aliquid ad vniuersam Ecclesiam pertinens in fide, aut moribus statuit, audiri vult Christus Dominus ab vniuersa Ecclesia. Ergo verus ille Pastor est vniuersæ Ecclesiæ.

Prior propositio patet ex illis Scripturæ testimonijs, quibus superiùs probauimus, Christum Dominum super Petrum determinatè, & eius successores (quorum vnusquisque, communione quidem eiusdem auctoritatis, esset in Ecclesia futurus quasi alter Petrus) voluisse vt exurgeret totum ædificium Ecclesiæ. Nam: [Super te, inquit, ædificabo Ecclesiam meam. Et: Pasce (tu Petre) oues meas. Et: Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Quarum certè sententiarum ea vis est, vt per neminem alium hominem singularem, nisi qui communione eiusdem auctoritatis reuera sit, tanquam ipse Petrus, quique præceptum illud pascendi oues Christi vniuersas habeat, Ecclesiam regi, hoc est, obligari eam ad recipiendum fidei, & morum instituta, quibus illius ædificium continetur, intelligere debeamus. Ideò enim cæteris Apostolis præteritis solum Petrum ex nomine toties tamque singulariter Christus, dum eam illi auctoritatem vel promitteret, vel tribueret compellauit, vt ea re clarè significaret, per neminem alium hominem singularem, velle se spiritu suo sancto ita instruere Ecclesiam, sicut per Petrum, & eos, qui in eadem auctoritate, tanquam ipse Petrus, futuri essent, vt suprà disputatum est.

Iam probatur illa altera propositio posterior: nempe velle Christum, vt is in rebus fidei, atque morum ab vniuersa Ecclesia audiatur, qui ab Ecclesia est legitimè in Pontificem electus. Nam cùm in Scriptura datur præceptum subditis, vt Præpositos suos audiat; de ijs Præpositis omnino sermo est, quos subditi suos esse præpositos agnoscunt, & pro talibus habent; alioqui frustra prorsus id præciperetur. Quare certum ex fide est, velle Christum, vt quem Ecclesia vniuersa pastorem suum esse agnoscit, eum de rebus fidei, & morum docentem audiat. Agnoscit autem omnino eum esse suum Pastorem, quem ipsa legitimè elegit, ac recepit. Hunc igitur ex Christi voluntate tenetur audire. Certa igitur ex fide est quoque posterior illa propositio. Atque ita patet, conclusionem etiam, quam ex vtraque propositione deduximus, certam ex fide esse: videlicet, electum legitimè in Pontificem, posteaque aliquid erga vniuersam Ecclesiam definientem, verum esse Pontificem: ac proinde minimè de certitudine illius decretorum esse dubitandum.

Ex quibus rebus consequitur, si quis fortè in pontificem, huius auctoritatis incapax (quod minimè vereor futurum) eligeretur, nunquam tamen fore, vt is aliquid erga vniuersam Ecclesiam decerneret, sed vel discederet è vita, priusquam ad id ventum esset, vel illius certè vitium, & incapacitas Deo prouidente detegeretur. Neque verò hoc foret aliquod miraculum, sed quiddam omnino consequens ex ordinaria illa Christi lege, qua is voluit Ecclesiam suam vniuersam non per ministerium alicuius alterius hominis singularis, præterquam legitimi pastoris, gubernare.

Erga particularem verò Ecclesiam aliquam, aut aliquas etiam personas, non esset vsque adeò incommodum concedere, posse aliquid statuere eum, qui verus non esset Pontifex. Quo casu Deus per se (sicut in similibus casibus piè credi posse, notat ex sententia D. Thomæ, & aliorum Theologorum Turrecremata) suppleret, ad aliorum videlicet

cet necessarias vtilitates, ministerium pastoris veri. Vt confirmando per se, exempli causa, eos Episcopos, quos ille pontifex confirmasse verè putaretur.

Sed quæret hic aliquis: cuiusmodi debeat esse illud, ad vniuersalem Ecclesiam pertinens, quod cùm pontifex statuit, intelligitur sine vlla dubitatione esse verus pontifex. Nam si opus est, vt aliquid circa fidem definiat; cùm eiusmodi definitiones à paucis pontificibus, & rarò fiant; rarò etiam ex fide constabit, aliquem esse pontificem verum.

Respondeo primò, quàmdiu pontifex quidem nihil erga vniuersam Ecclesiam statuit, nihil vel parum admodum imminere periculi, si diu aut etiam omnino non constaret ex fide, illum esse verum pontificem, sed certitudine tantùm morali. Plus enim quiddam est, sedem Apostolicam omnino vacare; quàm non prorsus ex fide constare, num is, qui in ea præsidet, legitimè, ac verè præsideat. Et tamen vacat quandoque sine magno Ecclesiæ incommodo sedes Apostolica aliquamdiu. Minus igitur incommodum erit, si is qui in ea præsidet, morali tantùm certitudine existimetur ritè præsidere, non autem indubitata fide.

Deinde dicimus, non modò ex definitione fidei, sed etiam ex aliqua institutione circa mores, ad vniuersam Ecclesiam pertinente, quales sæpè fiunt à pontificibus, colligi posse de fide, quòd aliquis sit verus pontifex. Imò etiam ex dispensatione Thesauri Ecclesiæ per generalem indulgentiam, siue iubilæum. Nec enim his etiam modis Christus Ecclesiæ suæ prospicit, alterius ministerio præterquam veri pastoris. Quare non ita rarò accidit, vt per fidem constet de vero pontifice.

Postremò à nobis illud breuiter refellendum est, quod vaniloqui hæretici obijciunt, aliquos Romanos pontifices à nonnullis principibus, aut etiam ab alijs grauibus viris vehementiùs quandoque reprehensos fuisse, atque etiam eo loco habitos, quasi non Petri successores, & Christi Vicarij, sed Antichristi essent. Quo in calumniæ genere eò etiam nostri Aduersarij processerunt impudentiæ, vt eam communem fuisse Ecclesiæ existimationem de pontificibus Romanis suadere quidam vanissimè, & mendacissimè conentur. Sed cum hanc de Antichristo contumeliam varij Theologi, nec ita pridem, doctissimè refutarint; & quo loco Romanus pontifex in Ecclesia semper sit habitus ex allatis suprà testimonijs aduersùs istorum vanitatem, satis superque iam constet; breuiter iam pro instituto nostro respondemus: Si qui ex Orthodoxis acrius aliquando in Romanum pontificem inuecti sunt, ij non ad locum, & auctoritatem, sed ad priuata vitia personæ, seu conficta, seu vera, respexerunt. Quod nobis nihil sanè obstat. Nec enim, vt illi sedi auctoritas sua constet, defendi necesse est, omnes & singulos, qui in ea sederunt, fuisse innocentissimos.

Quin imò Schismaticis istis Romanorum pontificum obtrectatoribus, qui mendacijs ferè [diaboli voce confictis aduersùs sacerdotes Dei (vt de suis temporis hæreticis grauissimis verbis scripsit Cyprianus) Catholicæ vnitatis concordiam rumpere conantur,] fidenter idem respondemus, quod ad similes criminationes (sunt enim omnes hæretici, quod ad odium Sedis Apostolicæ attinet, similes) olim respondit D. Augustinus Donatistis hæreticis. [Cathedra, inquit, tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ? in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius, dicamus nos, Gregorius, sedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & à qua vos nefario furore separastis. Quare appellas Cathedram pestilentiæ, Cathedram Apostolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere; numquid Dominus Iesus Christus propter Pharisæos, de quibus dixit: Dicunt enim, & non faciunt; Cathedræ, in qua sedebant, vllam iniuriam fecit? Nonne illam Cathedram Moysi commendauit, & illos tamen, seruato Cathedræ honore, redarguit? Ait enim: Super Cathedram Moysi sedent, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt. Hæc si cogitaretis (nonne Sectarios hodie etiam alloqui videtur?) non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis Cathedram Apostolicam, cui non communicatis. Tum etiam idem Augustinus: Cùm tales (Pharisæi) sederint super Cathedram Moysi, cui Dominus honorem seruauit: quare vos propter eos, quos istis siue iustè, siue iniustè comparatis, Cathedram Apostolicam blasphematis?] Hæc Augustinus. Quæ à nobis hoc tempore similiter, aduersùs Sectariorum maledicta in Romanos pontifices, iure optimo vsurpantur.

Ex quo etiam intelligi potest, qua ratione, & illud accipi debeat, quod D. Gregorium scripsisse legimus: [Antichristi præcursorem eum esse, quisquis se, contemptis reliquis, Episcopum vniuersalem appellare audet.] Non enim locum ipsum, & dignitatem vniuersalis Episcopi Gregorius exagitat, sed superbiam, & arrogantiam in eo nomine temerè vsurpando. Quod vitium iure optimo in illo Ioanne Constantinopolitano, schismaticè primatum affectante, aduersùs quem Gregorius eo loco scribebat, reprehendere potuit. Ac sanè maximam esse Sectariorum vanitatem, quòd illud etiam Gregorij dictum aduersùs Pontificis Romani primatum obijcere soleant, ex ea re perspicuum est, quòd in eo ipso loco, vbi Gregorius vocabulum illud exagitat, simul etiam Petri primatum, cuius ipse successorem se profitetur, agnoscit, ac luculenter asserit. [Cunctis, inquit, Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica, sancto, & omnium Apostolorum principi Petro, totius Ecclesiæ cura commissa est, &c.] Et infrà vocabulum etiam ipsum vniuersalis Episcopi Romano Pontifici à Chalcedonensi Synodo delatum esse memorat; quamuis illud Pontifex modestè detrectauerit. [Certè, inquit, pro Beati Petri Apostolorum principis honore, per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano pontifici oblatum est (nomen vniuersalis.) Idem alibi scribens ad illum ipsum Ioannem: Nunquid non, sicut vestra sanctitas nouit, per venerandum Chalcedo-

cedonenſe Concilium huius Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, cui, Deo diſponente, deſeruio, vniuerſales, oblato honore, vocati ſunt.

Tria igitur à nobis hactenus probata, atque defenſa ſunt, ex quibus certiſſimè concludimus, Romanum Pontificem ſuprema in Eccleſia auctoritate ad conſtituendum infallibiliter de rebus fidei, & morum præditum eſſe. Primò, auctoritatem eiuſmodi Diuo Petro à Chriſto tributam eſſe. Secundò, non Petro ſolùm, ſed eius etiam, vſque in ſæculi finem legitimis ſucceſſoribus eam à Chriſto auctoritatem tribui. Tertiò, Romanos omnino pontifices eſſe in eo genere legitimos Diui Petri ſucceſſores. Quare manet profectò Romanum pontificem pro tempore exiſtentem eum eſſe, cui tanquam ſucceſſori Diui Petri, vniuerſalis Eccleſiæ cura, quod ad fidem moreſque ſpectat, commiſſa ſit, & in quo proinde de quæſtionibus omnibus fidei decernendi auctoritas reſideat.



PARS



PARS OCTAVA.

Quotiescumque Romanus Pontifex, in fidei quæstionibus definiendis, illa qua est præditus auctoritate vtitur; ab omnibus fidelibus, tanquam doctrina fidei recipi diuino præcepto debet ea sententia, quam ille decernit esse sententiam fidei. Toties autem ea ipsum auctoritate, vti credendum est, quoties in controuersia fidei sic alterutram sententiam determinat, vt ad eam recipiendam obligare velit vniuersam Ecclesiam.



Rior huius assertionis pars facilè probatur ex his, quæ hactenus sunt constituta. Nam si D.Petro, tanquam vniuersali Ecclesiæ Pastori, Christus auctoritatem tribuit, infallibiliter constituendi de quæstionibus fidei: & hæc eadem auctoritas Romanis Pontificibus Diui Petri successoribus diuinitus confertur (quæ duo hactenus à nobis confirmata sunt) dubitari non potest, quin etiam Christi oues teneantur, tunc salutarem pastum doctrinæ fidei acceptare, cum vsu illius auctoritatis à Romanis Pontificibus ipsis ostenditur. Omnes enim in primis hanc obedientiam suo Pastori, atque præposito debent, vt si quid ille in quæstionibus fidei infallibiliter verum tradiderit, id sibi verissimum esse persuadeant, nec possint assentiri contrario.

Ac nisi eiusmodi auctoritatem docendi Christus Diuo Petro (atque adeò etiam successoribus eius) attribuisset, sanè quidem, nec absolutam curam pascendi Dominicum gregem Petrus suscepisset (cùm pascatur ille inprimis veritate doctrinæ) neque omnino claues regni cœlorum accepisset, cùm aperiantur inprimis cæli vera doctrina fidei,[sine qua impossibile est placere Deo.]

Huc apertissimè quoque spectat illud Christi: [Ego, inquit, rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu, aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Quod rectè inprimis ad officium docendi sancti Patres referunt. Hoc & ipse Petrus etiam illis verbis testatus est: [Viri fratres, inquit, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus elegit Deus per os meum audire gentes Euangelium, & credere.] Atque eam etiam D. Petri auctoritatem D. Ambrosius pulchrè colligit, ea re à Christo significatam esse, quod alijs Apostolis præsentibus soli tamen Petro dixit: [Duc in altum, idest, in profundum disputationum.] De quo multa etiam superius à nobis dicta sunt, & multa quoque disputantur eruditè tum ab alijs scriptoribus, tum præcipuè à Ioanne Turrecremata.

Cùm igitur constet, id ab omnibus in materia fidei recipi debere, quod Romanus pontifex D.Petri successor vtens ea docendi auctoritate, qua est præditus, infallibiliter tradit; altera nunc pars assertionis à nobis confirmanda est, nempè toties Romanum pontificem illa docendi auctoritate vti, hoc est, infallibiliter Spiritu sancto assistente docere, quoties de rebus fidei controuersis alterutram sententiam ita determinat, vt ad eam recipiendam obligare velit vniuersam Ecclesiam. Nisi enim etiam de hoc constet, dubitare liceret, num ob eam rem fortassis pontificis definitio in fidei quæstionibus falsa sit, quòd non sit in definiendo vsus illa infallibili auctoritate docendi, qua est præditus.

Id autem, vt probemus, distinguendi modi sunt, quibus potest contingere, pontificem aliquid asserere. Primò enim potest, sibi persuadere, aut asserere aliquid, vt priuata persona quædam, vel Doctor alius quispiam. Vt, si nollet Ecclesiam vniuersam ad recipiendam suam assertionem obligare, sed tantùm sententiam ipse suam reputaret veram. Hoc modo Innocentius Tertius, & nonnulli alij pontifices opuscula varia ediderunt. Ac illa quidem, quæ sic pontifex asseuerat, communis sententia omnium Theologorum est, non oportere esse omnia vera, & infallibilia, quasi à pontificia auctoritate profecta. Quinimò à plerisque auctoribus conceditur, fieri posse, vt pontifex tanquam quædam priuata persona in hæresim labatur.

Quod

Quod & quandoque eueniſſe, ex ſexta, & ſeptima Synodo generali, itemque ex nonnullis pontificum epiſtolis nonnulli colligunt, in quibus commemoratur, Honorium Pontificem, defunctum, condemnatum eſſe, tanquam fuerit errore Entychetis, de vna voluntate, & operatione Chriſti, infectus. Et quanquam Albertus Pyghius Campenſis, & ante eum Ioannes à Turrecremata, piè conentur hunc pontificem; ſicut & nonnullos alios, de quibus minor difficultas eſt) à nota hæreſis vendicare, defendantque eum, aut omnino damnatum ab Eccleſia non fuiſſe, aut non niſi ſecundum falsò allegata, & probata fuiſſe damnatum: tamen (quidquid de ea quæſtione, particularis facti, ſtatuatur) videtur ſaltem in illis Concilijs, & epiſtolis pontificum, atque etiam in Concilio Quinto Romano, admitti tamquam poſſibilis eiuſmodi caſus, quo ſcilicet Romanus Pontifex in hæreſim priuatim labatur.

Secundò, modo poteſt pontifex aliquid aſſerere obligando vniuerſam Eccleſiam, vt illud recipiat, nec quiſpiam audeat, ſibi perſuadere contrarium. Et quæcumque pontifex in aliqua de religione controuerſia ſic aſſerit, certa fide credendum eſt, illum infallibiliter, ac proindè ex auctoritate pontificia, hoc eſt, ex diuina aſſiſtentia, id aſſerere.

Atque hoc ipſum eſt, quod ponimus in ſecunda parte illius noſtræ aſſertionis. Quæ ſic probatur: Quidquid eo modo pontifex determinat, id ſine cõtradictione Eccleſia vniuerſa tenetur recipere. Sed quidquid Eccleſia vniuerſa tenetur recipere vno aliquo homine docente, tenetur recipere, id eſt veritas infallibilis, quam Spiritus ſanctus miniſterio legitimi paſtoris illi ſuggerit. Ergo quidquid eo modo pontifex determinat, id ſuggerente Spiritu ſancto, tanquam legitimus paſtor, ac proindè ex pontificia auctoritate infallibiliter determinat. Maior propoſitio probatur. Nam cùm Chriſtus dedit Petro, & ſucceſſoribus (vt ſuperiùs probatum eſt) auctoritatem regendi totum Eccleſiæ ouile, atque adeò illud paſcendi verbo doctrinæ; dubium non eſt, quin etiam oues vniuerſas obligarit, ad ſui paſtoris, atque præpoſiti vocem audiendam: idque tunc præcipuè cum paſtoris cura, & ducatus maximè illis neceſſarius eſt, videlicet in rebus de fide, ac religione controuerſis. Quinimò, Diuum Petrum habuiſſe & ſucceſſores eius Romanos pontifices, nunc habere poteſtatem à Chriſto cum auctoritate docendi vniuerſam Eccleſiam (quod abundè ſuperiore aſſertione probatum eſt) hoc ipſum ſanè eſt, ita docendi munus illis commiſſum à Chriſto eſſe, vt eorum vocem audire vniuerſi fideles teneantur. Quod præclarè intelligens D. Cyprianus, veriſſimè illud ſcriptum reliquit: [Non aliundè hæreſes oriri, quàm quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur.] Vt iam cætera teſtimonia veterum duabus præcedentibus aſſertionibus pro Diui Petri, & ſucceſſorum auctoritate citata, non repetam. Certa eſt igitur illa propoſitio maior. Minor autem eiuſdem argumenti propoſitio patet certè ex promiſſionibus diuinis, quas habet Eccleſia de doctrinæ veritate certiſſimas, ne vnquam tota in errorem induci poſſit, ſicut ſupra in loco de vera Eccleſia vidimus; itemque ex Scripturæ teſtimonijs ſupra in præcedente aſſertione allatis, quibus ſanè conſtat, lege ordinaria Spiritum ſanctum, non per aliquem alium hominem ſingularem, veritatem ſuggerere vniuerſæ Eccleſiæ (cum obligatione acceptandi) niſi per legitimum paſtorem, cui nimirum traditæ ſunt oues Chriſti paſcendæ; & ſuper quem eſt ædificata ipſa Eccleſia. Ac ſanè inſtar petræ firmiſſimas, maximeque infallibiles eiuſmodi pontificum Romanorum definitiones eſſe, paſſim eſt à ſanctis Patribus, & Concilijs conſtitutum, vt videre eſt in pleriſque teſtimonijs ex ijs, quę ſupra non paruo numero pro primatu Petri, & ſucceſſorum citauimus. Prorsùs vt iure, ac meritò Leo Decimus, articulum etiam Lutheri vigeſimum octauum damnauerit, qui continebat non obſtante determinatione pontificis poſſe quempiam contra eam ſentire.

Obiectio Prima.

CÆterùm, vt magis etiam huiuſmodi aſſertio confirmetur, nonnullæ iam expediendæ ſunt hoc in loco difficultates. Quod faciam breuiter ad ea ipſa reſpondendo, quæ, contra conſtituta hactenus de pontificis auctoritate infallibili, opponi poſſunt. Poteſt autem opponi primò, quod non ſatis compertum eſſe videatur, vtrùm pontifex in canonizatione Sanctorum errare nequeat. Cùm enim ille teſtimonijs hominum, & probatione neceſſariò in ea re nitatur; vt hoc teſtimonium fallibile eſt, ſic videtur pontifex falsò poſſe pronunciare, aliquem reuera eſſe ſanctum. Item in approbandis religionibus ſimiliter errare poſſe videtur. Nam ex iure Canonico conſtat, aliquas Religiones prius approbatas, poſtmodum improbatas, & exploſas eſſe, vt patet in libro ſexto decretalium, Titulo de religioſis domibus, capite vnico, & in extrauaganti Sancta Romana, quæ eſt Ioannis 22. Non igitur ea, quæ pontifex determinat, omnia ſunt infallibilia.

Reſpondeo. Non eſt negandum, quin quod dictum eſt de infallibili certitudine definitionum pontificis, inprimis locum habeat in ijs, quæ pontifex ad doctrinæ controuerſias finiendas errorefque exterminandos, fidelibus proponit, tanquam à Deo reuelata, & credenda ex fide. Cœterùm quoniam paſtorem ſuum ſemper audire tenetur Eccleſia, quam diuina Scriptura abſolutè prædicat, [Columnam eſſe, & firmamentum veritatis,] ideòque nunquam errare tota poteſt, dubium eſſe non debet, quin in alijs quoque rebus omnibus aſſerendis, quæ ad pietatem ſpectent, & Eccleſiam totam concernant, infallibilis ſit pontificis auctoritas. Neque ſanè arbitror, hoc abſque errore negari poſſe. Vt enim alijs omnibus Eccleſiæ Miniſtris, ita etiam inprimis ſummo Eccleſiæ paſtori poteſtas, auctoritaſque ſui muneris ad ea, quæ pertineant ad Eccleſiæ ædificationem, attributa eſt. Talia autem cùm ſint quæcumque ſpectant ad pietatem, dubitari non debet, quin in ijs conſtituendis pontifex officio ſuo fungatur. Cumque in vſu ſui

sui muneris ille, si quid pro Ecclesia vniuersa statuit, errare, vt antea probatum est, non possit: fit vt in omnibus, quæ ad pietatem, religionemque spectent, illius auctoritas, quemadmodum dixi, sit infallibilis.

Itaque quod ad canonizationem Sanctorum attinet, omnino nego id, quod communiter Doctores catholici iure optimo negant, videlicet posse pontificem hac in parte errare. Quamuis enim testimonia, quæ pro alicuius hominis sanctitate afferuntur, sint humana, ideòque natura sua fallibilia: tamen posito, quòd pontifex illis inducatur tandem ad pronunciandum quempiam sanctum, atque beatum iam esse, certa fide credendum est, testimonia illa) quatenus in genere saltem probant piè, atque sanctè quemquam ex hac vita excessisse) vera esse, & hominem eiusmodi ex eorum esse numero, quos reuelationibus Scripturæ generalibus in communi constat, diuinæ gratiæ beneficio consequi æternæ vitæ beatitudinem.

Quæ sanè certitudo ijsdem illis Dei promissionibus nititur, ex quibus compertum habemus, numquam esse futurum, vt vniuersa Ecclesia in rebus religionis fallatur. Falleretur autem grauiter in negotio religionis, si Sanctum reputaret, ac pro tali veneraretur eum, qui Sanctus non est. Hìc autem illud, quod aliàs ab Orthodoxis probatum, atque defensum est, tanquam ex fide certum pono, nempè rem esse omnino, quæ ad Ecclesiæ ædificationem, adeòque ad officium pontificis pertineat, vt Sancti quidam aliquando canonizentur: ac proindè vniuersam Ecclesiam debere, vt Sanctum venerari illum, quem Summus Pontifex numero Sanctorum adscribit; sicut etiam vsus ipse perpetuus, atque traditio Ecclesiæ confirmat. Qua de re videri plura possunt apud Thomam Waldensem, & Alphonsum à Castro, itemque apud Diuum Thomam.

Ad aliud quod de Religionum approbatione in argumento obijciebatur, ita respondeo. Cùm pontifex religionem aliquam, hoc est, certum aliquod vitæ institutum approbat, duo in eiusmodi facto pontificis considerari debent. Vnum est in ipsa definitione pontificis, atque iudicio positum: nimirum quòd is asseuerat, institutum illud vitæ malum non esse, sed Euangelicæ potius perfectioni omnino consentaneum. Alterum verò spectat ad quamdam pontificis prudentiam in gubernando: nempè quòd tali vitæ instituto suum quemdam in Ecclesia concedit locum.

Iam in primò illo quidem nullo modo pontifex errare potest. Deciperetur enim, tunc Ecclesia tota non parum, si is illi hominum ordo, eaque Religio à pontifice commendaretur, vt sancta, quæ non esset sancta, sed profana potius, ac perperam instituta. Quocirca in Concilio Constantiensi damnatur vltimo loco error quidam Wicleffi impudentissimè asserentis, omnes Religiones indifferenter esse introductas à diabolo. Neque ob aliam certè rationem hic error damnatur, nisi quia multæ sunt Religiones per Sedem Apostolicam approbatæ. Quare prorsus errare censendus est is, qui hanc, vel illam religionem, à Sede Apostolica approbatam, diceret esse, aut malam, aut pugnantem cum doctrina Euangelij.

Quod verò attinet ad pontificis prudentiam in admittenda hac, vel illa religione, quibusdam sanè visum est, errari posse à pontifice, sic vt religionem aliquam admittat, quam circumstantijs omnibus spectatis oportuisset reijcere. Sed ea tamen opinio iure, ac meritò reprehenditur. Neque enim debet vllo modo concedi, posse pontificem vniuersam Ecclesiam ad rem aliquam obligare, quæ ipsa tamen non ad ædificationem, sed ad destructionem (quacumque tandem ratione) pertineat Ecclesiæ, vt satis superque iam ex dictis intelligi potest. At cùm pontifex locum concedit in Ecclesia alicui Religioni; certè vniuersam Ecclesiam eatenus etiam ea re obstringit, & obligat, vt nequeat illa obsistere, quo minus talis Ordinis Religiosi inter fideles ipsos versari possint. Hoc igitur si incommodum ipsi Ecclesiæ esse posset, iam illam pontifex, ad rem obligaret, quæ non ad fidelium ædificationem spectaret, sed ad destructionem potius. Et tamen quoniam, & rerum, & temporum, & personarum circumstantiæ sæpè mutantur, concedendum nihilominùs est euenire posse, vt quæ Religio prius bene, ac prudenter approbata, atque recepta fuit, postea item benè, ac prudenter reijciatur.

Quod igitur in argumento obijciebatur, Religiones quasdam antea probatas, postea explosas esse, id non ita factum est, quasi aliquando fuerit probata Religio, quæ esset malè, ac imprudenter instituta: sed quòd postea progressu temporis visum fuerit, magis ad ædificationem Ecclesiæ conuenire, vt ex Religionibus antè probatis quædam exploderentur. Cauenda autem in hoc genere præsumptio, atque temeritas est in arrogando, sibi iudicio, quòd pontifex in hac, aut illa Religione prius admittenda, vel post retinenda, & fouenda minus faciat conuenienter. Non enim ad quoscumque pertinet hoc iudicium, sed ad pontificem tantùm, vel ad eos, quorum ille opera vtitur in ijs rebus instituendis, quæ ad commune Ecclesiæ bonum spectant. Qua sanè in re dicendi libertas auctoris cuiusdam, & catholici alioqui, & benè eruditi, meritò ab alijs est notata, atque reprehensa.

Sed dicet modò aliquis: Si certum infallibiliter est, hominem illum in cœlis esse, quem pontifex canonizat: Item illud Religionis institutum Euangelio consentaneum esse, quod ipse approbat: erit igitur fidei assensus ille, quo nobis Sanctum aliquem in cœlis esse, & Religionem aliquam esse benè institutam, persuademus. Quòd si ita est, primùm oportebit reuelationem aliquam assignare diuinam, qua eiusmodi veritas contineatur, id quod videtur difficilè. Deindè falsum erit, quod Theologi tradunt, numquam aliquid per pontificis definitionem fieri nobis ex fide certum, quod sit omnino nouum, hoc est, quod fuerit Apostolis, ac veteribus Patribus incognitum. Quid enim Apostoli de Diui Francisci verbi gratia, & Ordinis ab ipso instituti sanctitate nouissent? Postremò ex ea re sequetur, hæreticum esse eum, qui neget D. Franciscum, verbi gratia esse

esse in cœlo; at talis à Doctoribus hæreticus non putatur apertè, vt videre est nominatim apud Melchiorem Canum.

Hæc paucis expediri possunt. Quod enim ad reuelationem attinet, dico satis esse in proposito generalem illam, qua constat, quidquid pontifex determinat ad vniuersam Ecclesiam pertinens: id esse verissimum. Item ad Sanctos canonizatos illæ etiam, vt supra attigi, reuelationes Scripturæ pertinent, quibus generatim ijs, qui piè viuunt, beatitudo cœlestis promittitur. Per determinationem enim pontificis cognoscimus, Sanctum canonizatum in eiusmodi propositionibus Scripturæ vniuersalibus contineri: atque ita possumus sanè propter illas, fidei assensum elicere, quo nobis persuadeamus eiusmodi sanctum æternam beatitudinem adeptum esse.

Iam quod de nouitate assensus fidei obijciebatur, id nec incommodum habet vllum, neque doctrinæ Theologorum repugnat. Etenim cùm illi aiunt, nullam fidei veritatem nouam in Ecclesia definiri; id intelligunt de veritate dogmatum, quæ controuerti possint circa nostræ Religionis capita: vt circa Deum, circa Sacramenta, & similia. Nihil autem obstat, quo minus de particularibus, & contingentibus materijs, quales sunt illæ in nostro proposito, aliquid per definitionem pontificis innotescere nobis de nouo possit. Quod sanè potest confirmari hoc exemplo. Communiter enim dici solet, eum qui debita cum intentione infantem baptizat, credere ex fide debere (propter reuelationem scripturæ ea de re vniuersalem) talem infantem esse in gratia. Quod ipsum tamen ab Apostolis certè non fuit ita determinatè de eiusmodi infante creditum.

Ad illud autem, quod obijciebatur postremò, negari debet illa consequentia. Non enim est hæreticus, quicumque negat aliquid, quod reuera pugnat cum sententia fidei, sed is, qui negat, quod scit, vel debet scire esse contra sententiam ab Ecclesia, tanquam de fide, sine vlla apud Orthodoxos controuersia, traditam. Non est autem ita prorsus ab Ecclesia tradita hæc doctrina, qua ponimus, pontificem non posse etiam errare in canonizatione Sanctorum, & proindè ex fide credi Sanctum canonizatum esse in cœlo: Sed cùm Theologi nonnulli sentiant, certum quidem esse, non posse in eo genere pontificem errare; non esse id autem certum ex fide: opinamur nos sanè, id etiam verè esse certum de fide propter promissiones factas Ecclesiæ de omni veritate, quæ ad illius ædificationem spectet. Et consequenter etiam putamus, vel hoc ipso ab Ecclesia id esse nobis propositum, quòd proponit nobis Scripturas, in quibus sunt tales promissiones. Id quod nobis quidem satis est, vt conemur ipsi elicere assensum fidei circa eiusmodi veritatem, atque adeò etiam eum omnino eliciamus, si nostra sententia, quemadmodum existimamus est vera.

Alij autem, cùm non teneantur quidem sibi persuadere, veritatem eiusmodi ex fide esse certam; non illico sunt hæretici, si eam negent; quamdiù Ecclesia quidem non apertè declarat, certam illam ex fide esse. Sed essent tamen illi sine controuersia temerarij, & scandalosi, atque adeò digni, qui ab Ecclesia puniantur, vt rectè notat Melchior Canus. Atque hactenus de ijs, quæ primo loco aduersùs certitudinem definitionum Summi Pontificis opponebantur.

Obiectio Secunda.

Secundò, opponi potest, quòd aliquotum Patrum scripta ab Ecclesia sunt approbata, vt Cypriani, Chrysostomi, Gregorij Nazianzeni, Basilij, & Ambrosij, quæ approbantur à Gelasio Papa, neque tamen omnes istorum Patrum sententiæ, infallibiles existimantur. Non igitur quidquid pontifex decernit verum esse, id infallibiliter verum est.

Respondeo breuiter, pontificem eiusmodi approbatione non vtique decernere verum esse, quicquid illi Patres scripserunt; solùm affirmat, illos benè, atque vtiliter, addo etiam sanè de Religione scripsisse; sed vt homines tamen, qui non ita fuerint Spiritu Dei prædíti, sicut fuerunt scriptores canonici, quique proindè in illis rebus, quæ suo tempore non erant adeò expressè de fide, errare interdum potuerunt. Qua de re eruditè mihi scripsisse videtur Canus.

Obiectio Tertia.

Tertiò, mouere fortè potest, quod nonnulli scriptores catholici negauerunt, oportere verum esse infallibiliter, quicquid pontifex determinat. Non ergo vsque adeò, id est certum, quod de infallibilitate pontificiæ auctoritatis statuimus.

Respondeo. Quid eiusmodi auctores voluerint, non satis illi perspicuè, vt mihi videtur, declarauerunt, atque ita non est mirum, si non satis etiam constet, illos contra fidem apertè errauisse. Nam, si tantummodo voluerunt, pontificem, vt priuatam personam, errare posse, aut etiam priuatum aliquem suum errorem in fide manifestum peruersè velle Ecclesiæ ipsi, aduersùs exploratam alioqui in eadem Ecclesia fidem, obtrudere; rem illi opinantur non penitus improbabilem. Nam pontificem posse priuatim in hæresim incidere, multi, vt suprà vidimus, concedunt: & posse eum præterea frustra velle priuatam suam hæresim manifestam alijs etiam obtrudere, auctores etiam graues admittunt. Neque esset id sanè coniunctum cum Ecclesiæ periculo: vtpotè, quæ iam agnoscens, per hæresim manifestam pontificem eiusmodi de auctoritate sua decidisse, & contra compertam in Ecclesia fidem docere, minimè tunc eum tanquam pastorem audire, sed tanquam lupum manifestum fugere teneretur. Sin autem auctores illi volunt, pontificem in rebus alioqui omnino controuersis, hoc est, non satis expressè in Ecclesia compertis, ac determinatis, definire posse, vt personam publicam errorem re ipsa contra fidem; errant ipsi in fide grauissimè. Posset enim, imò teneretur tunc Ecclesia vniuersa pontificem de re controuersa docentem, ac nondum hæresi manifesta notatum, pro pastore suo agnoscere, atque adeò ipsum omnino audire. Ita fieret, vt si nunc ille errare posset; Ecclesia etiam vniuersa pos-

posset, immò teneretur errare, quæ est hæresis intolerabilis, vt suprà satis disputatum est.

Atque hinc intelligi debet, multum interesse, cuiusmodi sit ea quæstio fidei, quam Pontifex determinat. Aut enim est, vel esse potest controuersa omnino, etiam inter ipsos Otthodoxos: aut tantùm est cum hæreticis certè controuersa, ipsis autem Orthodoxis explorata. Si quæstio apud omnes, etiam Orthodoxos, sit aut possit esse controuersa; fieri nullo casu potest, vt alterutram talis quæstionis partem Pontifex recipi velit ab vniuersa Ecclesia, & tamen in ea re erret. Quoniam consequenter etiam errare tunc posset, immò errare teneretur vniuersa Ecclesia: cùm nullo alioqui posset niti certo præiudicio, quo minus propositam à suo alioqui pastore in tali quæstione doctrinam ipsa reciperet. Si autem quæstio tantùm cum hæreticis, sit controuersa, & alias iam definita in Ecclesia; porro distinguendum est. Nam, vel controuersia peculiaris ab hæreticis rursus de illa mouetur, ita vt peculiare scandalum oriatur in Ecclesia, cui per clariorem Pontificis definitionem occurri ad confirmandos in fide fideles, expediat: vel nulla denuò peculiaris controuersia de eiusmodi quæstione mouetur. Si nulla controuersia talis rursus mota sit; tunc quidem illud posset habere locum, quod non improbabiliter quidam (vt antè diximus) admittunt, nempe fieri posse, vt Pontifex tamquam priuata persona in hæresim ante ab Ecclesia damnatam lapsus, eam etiam frustra vellet Ecclesiæ obtrudere: quæ res cum nullo esset coniuncta ipsius Ecclesiæ periculo, vt paulò antè expositum est. Sin autem de eiusmodi quæstione fidei, rursus controuersia moueretur; nulla tunc ratione fieri posset, vt Pontifex sententiam hæreticam de ea quæstione vellet recipi ab Ecclesia vniuersa: quin immò simpliciter, & absolutè eam quoque fidei controuersiam infallibiliter determinaret, nec posset nisi sententiam veram, in Ecclesia prius definitam, fidelibus credendam proponere. Omnino enim earum promissionum, quas, vel D. Petro, & successoribus, vel ipsi etiam Ecclesiæ Christus fecit, ea etiam vis, atque ratio est, vt motis controuersijs numquam non infallibiliter summus Ecclesiæ pastor confirmaturus sit fideles in veritate etiamsi antè in Ecclesia haberetur eiusmodi veritas manifestè præiudicata.

Porrò, & illud hinc etiam intelligi debet, cùm à Pontifice Romano, vel per se, vel vnà cum Concilio, definitiones eiusmodi quæstionum fidei instituuntur, quæ apud Otthodoxos quidem sunt alioqui exploratæ, & cum hæreticis tantùm (vt ferè fit) controuersæ, non idcirco institui, vt quasi de re per se dubia, & ancipiti disceptetur, sed vt re alioqui certa rursus diligenter discussa, & argumentis contrarijs, quæcumque possiunt opponi, confutatis, illustriori quadam cum auctoritate, & veritas ipsa fidei commendetur fidelibus, & damnetur, atque proscribatur hæresis contraria. Quo sanè fit, vt minimè mirum videri debeat, si per eiusmodi Ecclesiæ definitiones raró, vel numquam ij hæretici, aduersùs quorum pertinaciam illæ institui solent, in viam reuocentur. Cùm enim id genus definitiones à præiudicata Ecclesiæ sententia, qua tales alioqui hæretici damnati etiam sunt, minimè discrepent; æquè demum pertinaciter solent ab illis contemni, atque ipsa Ecclesiæ sententia præiudicata. Et de tertia quidem obiectione satis.

Obiectione quarta.

QVuartò, posset item aliquem fortasse perturbare, quod Doctores aliqui etiam Catholici, cùm concedunt, Pontificem in rebus controuersis infallibiliter definire: addere tamen solent; si res illæ ad salutem sint necessariæ. Quasi aliquæ controuersiæ sint, de quibus Pontifex, non semper verè constituat. Quæ si sunt, non igitur est vniuersim verum, quod hactenus docuimus.

Respondeo. Si Pontificis auctoritas infallibilis esse dicatur in ijs tantùm rebus, quæ per se ad pietatem, & religionem (& eatenus quidem ad salutem) spectare possunt, non autem in alijs, cuiusmodi sunt res (v. gr.) Mathematicæ, aut Physicæ: rectè id dicitur. Non enim ad scientiarum cognitionem, sed ad Ecclesiæ ædificationem, quæ in pietate est, & ad salutem animarum, omnis auctoritas Pontifici attributa, spectat. Si autem prætetea in earum rerum genere, quæ ad religionem pertinent, dicat aliquis, Pontificem tum demum infallibiliter definire, si res illæ ad salutem sint necessariæ; videri certè potest loquendi modus non satis expeditus. Nam si necessaria ad salutem hoc loco intelligantur ea esse, quæ à fidelibus cunctis explicitè sunt credenda: immeritò infallibilis auctoritas Pontificis ad hæc tantùm coarctabitur. In alijs enim ferè rebus definiẽdis illa exercetur, quas videlicet non omnes fideles explicitè scire tenentur; vt, quòd essentia diuina non generat (v. gr.) quòd sumus iusti per inhærentem iustitiam, & id genus alia. Sin verò necessaria ad salutem in proposito appellentur illa, quæ nemini certè absque salutis periculo negare licet; tunc quidem omnia simpliciter, quæ Pontifex in rebus de Religione controuersis, tamquam persona publica, determinat, necessaria hoc modo ad salutem efficit hoc ipso, quòd vniuersam Ecclesiam obligat ad illarum determinationem recipiendam; si non explicitè credendo, necessitate, vt vocant, quoad actus exercitium, certè non ea negando cùm fuerint proposita, atque adeò credendo ea necessariò, quoad actus, vt dicitur, specificationem. Ita absque vlla restrictione dicendum est, quicquid Pontifex in rebus controuersis ad pietatem spectantibus determinat, infallibiliter illum determinare, quando, vt expositum est, vniuersam Ecclesiam obligat.

Obiectio quinta.

QVinto obijci posset, quod sicut potest Pontifex (multorum quidem sententia) errorem aliquem in fide manifestum sibi, vt priuata persona persuadere, ita etiam errorem contra fidem quidem, sed non manifestum. Rursus sicut liberè potest (vt quidam admittunt) velle quantum in se est obtrudere Ecclesiæ priuatum errorem suum manifestum:

ita etiam videtur poſſe eadem libertate velle ipſi obtrudere errorem aliquem non manifeſtum. Fieri igitur poteſt aliquo caſu, vt de re alioqui controuerſa, nec ſatis apud Catholicos explorata, errorem definiat. Atque id rurſus ea re confirmatur. Nam poteſt accidere, vt quo tempore Pontifex errore non manifeſto imbutus eſſet, eodem tempore neceſſe eſſet in Eccleſia determinari controuerſiam circa materiam illius erroris. Quo caſu, vt apparet, Pontifex erroneam ſententiam ſuam definiret.

Reſpondeo ad hoc argumentum, fidelitatem Dei, qua is ex promiſſione tenetur communem Eccleſiæ errorem impedire, tunc obſtare, quo minus Pontifex errore non manifeſto imbutus, vellet Eccleſiam ad illum recipiendum obligare. Teneretur enim illa tunc errorem eiuſmodi recipere, ſi res eſſet planè controuerſa; atque ita teneretur errare, quod eſt abſurdiſſimum. Hæc verò Dei fidelitas non perinde obſtat, quo minus poſſit Pontifex iam apertè hæreticus, atque adeò non amplius, aut re ipſa, aut etiam fidelium exiſtimatione Pontifex, velle fruſtra errorem manifeſtum Eccleſiæ obtrudere. Nam, vt ſuprà diximus, ex tali conatu Pontificis nullum periculum errandi toti Eccleſiæ immineret; vt quæ ſtatim agnoſceret, non iam eum eſſe reuera Pontificem, atque paſtorem ſuum, quem obaudire oporteat, ſed lupum manifeſtum ab ouili arcendum.

Ad confirmationem autem illius argumenti reſpondeo, ſimiliter ad fidelitatem Dei erga Eccleſiam ſpectare, vt impediret in eo caſu, quo minus per Pontificem illum controuerſia falsò definiretur. Id quod facere Deus poſſet, aut Pontificem de medio tollendo, ne ipſe, ſed ſucceſſor potius rem decerneret: aut interna mentis illuſtratione, vel alio aliquo modo Pontificem ab errore reuocando. Neque verò huiuſmodi prouidentia Dei in ſimilibus caſibus miraculoſa eſſet cenſenda, ſed eſſet potius quidam effectus eius legis ordinariæ, qua Deus per promiſſiones de veritate factas, ſeſe obſtrinxit Eccleſiæ.

Ac ſanè huius rei exemplum illud proferri poteſt, quòd cùm Ioannes XXII. exiſtimaret, Sanctorum animas ante diem Iudicij diuinam eſſentiam non videre (idque eo tempore, quo in Eccleſia, ſicut Canus etiam notauit, nondum erat ſatis explicata hæc controuerſia) & ad rem definiendam ſeſe compararet; priuſquam id faceret, è vita exceſſit. Quod, & illius ſucceſſor Benedictus vndecimus refert. Qui tandem (Deo Eccleſiæ ſuæ proſpiciente) contrariam ſententiam definiuit: nimirum, Sanctorum animas ante diem extremi iudicij Deum videre.

Obiectio Sexta.

SExto obijci poteſt, quod, vt poſtea dicturi ſumus, vt Pontifex in definiendo auctoritate ſua rectè vtatur, ſtudio, & diligentia in inquirenda veritate opus habet. Nihil autem obſtare videtur, quo minus poſſit interdum ille eiuſmodi diligentia prætermiſſa, controuerſiam definire. Poterit igitur tunc ſaltem errare.

Reſpondeo. Siue Pontifex in definiendo ſtudium adhibeat, ſiue non adhibeat: modò tamen controuerſiam definiat; infallibiliter certè definiet, atque adeò re ipſa vtetur auctoritate ſibi à Chriſto conceſſa. Quod ex promiſſionibus diuinis de veritate per magiſterium vnius paſtoris Eccleſiæ factis certiſſimè colligimus, vt ſæpius argumentati ſumus. Itaque ſtudium, ac diligentia Pontifici neceſſaria eſt, non vt omnino definiat, atque infallibili auctoritate ſua vtatur, ſed vt conuenienter, ac rectè (hoc eſt ſine peccato) ea vtatur: ſicut patebit etiam ex ijs, quæ poſt dicemus.

Huc accedit, quod ſi maximè diligentia Pontifici neceſſaria eſſet, vt omnino definiat tamen eadem fide credere deberemus, illum quando rem controuerſiam definit, ſufficientem adhibuiſſe diligentiã; qua ſuprà demonſtratum eſt, debere nos credere, quòd tunc ille infallibiliter, ac verè definiat. Ratio eſt, quoniam eo ipſo, quòd Chriſtus promiſit Eccleſiæ, numquam futurum, vt ipſa fallatur, atque adeò neque, vt Pontifex controuerſiam falsò definiat, etiam promiſiſſe cenſendus eſſet, numquam futurum, vt is prætermiſſa debita diligentia definiat; ſi eiuſmodi quidem diligentia neceſſaria omnino Pontifici eſſet ad definiendum. Quemadmodum, ſi Deus nobis promitteret, futuram anno ſequenti magnam frugum copiam; promittere hoc ipſo quoque cenſeretur aeris temperiem, quæ ad eum effectum neceſſaria eſſet, vt appoſitè ad hanc rem inquit Melchior Canus. Cæterùm non eſt ratio vlla firma, quam ob rem exiſtimare debeamus ſtudij diligentiam Pontifici neceſſariam eſſe non modò, vt conuenienter, ac ſine culpa auctoritate ſua infallibili vtatur, verùm etiam, vt omnino illa vtatur. Quare quod à nobis antè reſponſum eſt, abundè ſufficit ad id explicandum, quod obijciebatur.

Obiectio vltima.

POſtremò ad probandum fieri poſſe, vt Pontifex erret, opponi hoc loco nonnulli caſus ſolent, quibus Pontifices aliqui ipſo facto videntur errauiſſe. Summa autem rei eſt. Qui Pontificum tamquam errores obijciuntur, eos vel errores non eſſe; vel falsò Pontificibus imponi; vel certè Pontifices non ita definiuiſſe; ſed ſenſiſſe tantùm, vt priuatas perſonas, aut aliquid aliud agendo, aut etiam obiter inter probandum id quod ex inſtituto determinare voluerunt. Neque enim omnia, quæ Pontifices ad rem confirmandam aſſerunt, volunt illi definire, hoc eſt, obligare ad ea etiam recipienda vniuerſam Eccleſiam, ſed illa tantùm, quæ ex inſtituto determinant. Quæ autem ſint huiuſmodi, colligi poteſt, aut ex erroribus contrarijs, aduersùs quos Pontifices aliquid definiunt, aut ex aſſeuerandi modo, atque forma; vt ſi aliquid ſub anathemate ſtatuant, aut ſi ex fide certum eſſe affirment, &c. id quod rectè notauit Canus, & Caietanus etiam ante illum attigerat.

I. Vt igitur caſus illos, qui ſolent obijci, breuiter percurramus: minimè Cœleſtinus Tertius definiuiſſe exiſtimandus eſt, matri-

trimonium dissolui, si alter coniugum in hæresim labatur. Innocentius enim Tertius significat quidem illum ita visum esse sentire; sed non dicit tamen ipsum ita determinasse. Et certè in eo loco vbi Cælestinus perhibetur illud dixisse, nequaquam ea de quæstione, sed de alia diuersa interrogabatur: satis vt appareat, si quid ille tale ibi dixit (non enim eiusmodi Cęlestini sententia amplius iam reperitur) id non nisi obiter ex priuata sua opinione interseruisse, cùm res adhuc nondum esset satis explicata in Ecclesia.

II. Item, cùm Alexander Tertius definit, matrimonium ratum non irritari per secundum matrimonium consummatum, additque id ita tenendum esse, quamuis aliqui sui pręcessores aliter iudicauerint: minimè asserit absolutè, tales aliquos fuisse pontifices, qui contrarium iudicauerint; de nullis enim omnino id constat. Imò expresè Innocentius Tertius in capitulo vltimo eiusdem tituli contrariam sententiam ita definit, vt planè significet, eam fuisse perpetuam sentiam Sedis Apostolicæ. Sed loquitur Alexander per exaggerationem, significatque, vsque adeò certam esse illam suam definitionem, vt quãuis contrarium pręcessores etiam sui iudicassent, tamen ita tenendum sit. Quo sanè modo loquendi Apostolum ille imitatus est, cùm dicit: [Licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.] Atque est Alexander ita loquutus, quoniam, vt conijcere licet, contraria illi consuetudo diuturna, atque adeò velut à pontificibus aliquibus approbata, objiciebatur.

III. Item cùm idem Alexander Tertius ait; à sanctorum Patrum institutis, & ab Ecclesiæ consuetudine generali, & à diuina lege esse alienum, vt in testamentis plures quàm duo, vel tres testes requirantur (cùm in ore duorum, vel trium stet omne verbum) iubetque vt rata habeantur si sint adhibiti duo, vel tres testes coram Parocho: cùm hoc, inquam, dicit, nihil ille sanè errat in ipso decreto siue definitione. Primùm, quoniam quicquid illud sit tandem quod significat cùm dicit, illum morem esse à diuina lege alienum: id tamen non dicit, nisi in ratione, quam affert pro decreto. Non autem à pontifice definiri putandum est, quod ab eo pro ratione affertur, vt antea notatum est. Deinde, quia non significat, id institutum legum ciuilium esse diuinæ legi contrarium, sed non satis illi certè, aut etiam consuetudini Ecclesiæ in alijs causarum generibus, consentaneum. Nec id institutum abrogat, nisi in testamentis, vt vocant, pijs, sicut rectè Doctore colligunt ex eiusdem Alexandri decreto, quod in eodem titulo proximè sequitur.

IV. Item, cùm Innocentius primus, qui viduas acceperunt vxores, Sacerdotes fieri non debere, preceptum vocat diuina lege Mosaica subnixum: minimè ille quidem vult, legem Mosaicam nunc etiam vim obligandi habere, sed significat, legem Ecclesiasticam, quę bigamis Sacerdotio interdicit, exemplum, & quasi fundamentum in lege illa antiqua habere.

V. Atque eodem modo Innocentius tertius intelligi debet, cùm controuersias in Ecclesia per Summum Pontificem definiri oportere, ea re confirmat, quoniam in Deuteronomio præceptum fuit, vt obediretur sacerdotis imperio: Et cum Deuteronomium, inquit, secunda lex ex vi vocabuli sit, inde comprobatur, vt quod ibi decernitur, in nouo Testamento debeat obseruari. Quod minimè sanè eruditissimus alioqui Pontifex ita intelligi voluit, quasi illa ipse per se, quæ in Deuteronomio præcipiebantur, nunc sint necessariò facienda, sed quia illa certè figura fuerunt eius, quod nunc ex nouæ legis præscripto fieri debet. Quod proinde cùm sit, illa lex Deuteronomij quasi seruatur quodãmodo in suo prototypo: vt ipsemet Innocentius pluribus verbis in loco declarat.

VI. Præterea nec in definitione errauit Nicolaus, cùm ad consulta Bulgarorum respondit, baptizatum à quodam Iudæo, etiam in nomine tantùm Christi, rebaptizandum non fuisse. Hæc enim vis definitionis est, non fuisse illum rebaptizandum propterea, quòd baptizatus esset à quodam Iudæo; de quo propriè Pontifex interrogabatur. Valere autem Baptismun in nomine tantùm Christi, obiter ipse ex opinione sua (quæ etiam fuit aliquorum) adiunxit.

VII. Item Ioannes Vigesimussecundus, quamuis vt fertur opinatus sit, animas iustorum ante extremum Iudicij diem non videre Deum (qui sanè error non fuit semper in Ecclesia manifestus) tamen nunquam id definiuit, vt illius successor Benedictus Vndecimus disertis verbis testatur.

VIII. Item Nicolaus Tertius, cùm inquit Christum abdicationem proprietatis rerum, tum in communi, tum in particulari, exemplo etiam suo docuisse; minimè sanè vult, illum omnino nunquam habuisse proprium in particulari, vel in communi (quod asserere esse hæreticum, vt Ioannes postea vigesimus secundus definiuit,) sed significat certè, quandoque etiam Christum abdicando se in communi, & in particulari à proprietate aliquarum rerum, vitę etiam perfectionis exemplum præbuisse: vt suam ipse Nicolaus sententiam satis declarat, & repetit quoque ex eius mente Ioannes Vigesimussecundus.

IX. Item neque errarunt Gregorius primus, & tertius, cùm definierunt, si mulier ob infirmitatem debitum reddere non possit, licere viro alteram ducere. Loquuutur enim illi planè in casu, quo eiusmodi aliqua infirmitate ante matrimonium initum mulier correpta fuerit, vt minime proindè fuerit matrimonium validum.

X. Item Pontifex Gelasius minimè sensit (vt Sectarij objiciunt) substantiam panis manere post consecrationem in Eucharistia. Non enim huius Gęlasij Pontificis est fragmentum illud libri, quod Gelasij nomine, de duabus naturis contra Eutychetem, circumfertur, vt aliàs diximus, & à Melchiore etiam Cano, ac ab alijs bene animaduersum, atque probatum est. Quanquam nec prorsus asserit ille liber, substantiam ipsam panis remanere, vt in alio loco exposuimus.

Denique quod Honorius, & nonnulli alij Pontifices in errorem lapsi fuisse dicuntur (quanquam de nullo prorsus satis compertum est, pertinaciter certè errauisse) id quidem

dem vtcunque res habeat, non nisi ad priuatum attinet personarum vitium: atque adeò nihil nobis obstare potest, vt qui non ipsas personas, sed auctoritatem illam Apostolicæ Sedis in definiendo defendimus, sicut suprà Augustini etiam exemplo, respondebamus.

De modo quo Pontificem oportet auctoritate sua vti.

SEd cum hactenus expositum, atque defensum sit, toties Pontificem auctoritate sua vti, atque adeò Spiritu sancto assistente infallibiliter decernere, quoties in rebus controuersis alteram partem definit, & ad eam recipiendam obligare vult vniuersam Ecclesiam: meritò quæri hoc loco potest, quidnam illud sit, quod Pontificem præstare oporteat, vt illa auctoritate non modò vtatur, sed etiam rectè, hoc est, sine culpa vtatatur. Nec enim existimandum est, nullum modum in eius auctoritatis vsu Pontificem seruare debere.

Ac principio quidem illud extra omnem controuersiam est, Pontificem in vnaquaque re decernenda ijs argumentis, vel testimonijs niti oportere, ex quibus veritas quam determinaturus est, pro ratione materiæ, possit colligi quàm certissimè. Hoc primum patet ex ipsius Pontificis officio, quod est, vt patet ex Orthodoxa doctrina, quam passim etiam Vincentius Lyrinensis in libro aduersùs hæreses inculcat, non noua fidei dogmata constituere, sed eruere vetera. Quam ad rem inquisitione aliqua pro rei subiectæ natura, opus est. Patet id etiàm ex perpetuo Pontificum vsu, iam vsque ab Apostolo Petro, qui sanè controuersiam de cessatione legalium non nisi facta priùs magna conquisitione in Concilio Hierosolymitano constituit. Denique ob eam rem etiam hæc Pontificis diligentia necessaria est, vt quæ ille, tanquam regula doctrinę quędam nobis notior, constituit, ea faciliùs nobis persuadeamus vera esse, si adhibita etiam studij diligentia sint constituta.

Diximus verò debere Pontificem ea argumenta conquirere, quæ ad veritatem, pro ratione vniuscuiusque materiæ, quæ possunt in controuersiam venire, sic etiam argumenta, quæ Pontifici consulenda sunt, latè patent. Verbi gratia, si de Sancto Canonizando, aut de Religione approbanda agitur; humana informatione, & historia vtatur, necesse est. Si verò determinaturus est dogma aliquod, vt diuinitus relatum; illa consulat oportet, quibus diuina reuelatio pura, atque integra custoditur. Cuius generis est primò Scriptura sacra, vt quæ tota est reuelatio diuina. Secundò, traditio Apostolica, quæ & ipsa, vt dicemus, diuina quædam reuelatio est, tametsi non consignata literis. Tertiò, Definitio priorum Pontificum, & Conciliorum. Quartò, concors sententia Patrum, atque Doctorum omnium. Quintò, quadam etiam ratione, consensus fidelium. De quibus rebus consentaneum erit hoc in loco quędam generatim, cum delectu, & nonnulla explicatione, breuiter annotare, vt quis sit in Pontificum definitionibus istorum locorum vsus, & quàm rectè ipsis inniti illæ soleant, plenius intelligatur, & pleniùs etiam à nobis absoluatur communis principiorum fidei Analysis.

De quibusdam quasi definiendi regulis, quæ in determinandis fidei controuersijs consuli debent, & primum de sacra Scriptura.

VT igitur à sacra Scriptura exordiamur, quinque potissimùm, quò rem omnem fusissimè ab alijs tractatam paucissimis complectamur, de ea sunt annotanda. I. Quid sit. II. Quibusnam libris contineatur. III. Quantam habeat auctoritatem. IV. Vtrum ij etiam numero Bibliorum libri, quos hodie habemus, suppeditare omnino possint argumentum infallibile ad concludendum aliquid siue definiendum tanquam certum ex fide: in quo est sanè huius loci præcipua quædam difficultas. V. Postremò, quibus rationibus vti oporteat, vt vera sententia ex Scripturæ locis elici possit.

Scriptura sacra ratio quæ sit.

I. QVod ad primum attinet, constat inter omnes, Scripturam, diuinam esse doctrinam, quam Spiritu sancto inspirante, atque dictante auctores sacri literis mandauerunt. Itaque & Apostolus eam nominauit doctrinam diuinitus inspiratam, & idcircò etiam Dei verbum literis expressum dicitur. Etenim cognitio illa sacris expressa literis, quam Deus Canonicis scriptoribus indidit, quamque per illos voluit cæteris scripto patefieri, velut sonorum quoddam verbum Dei est, quo is videlicet conceptum ęternę mentis suæ, notitiamque verissimam, hominibus eloquitur, atque manifestat.

Cæterùm cùm doctrinam hanc Spiritu sancto dictante esse à sacris auctoribus exceptam, literisque mandatam dicimus, non vtcunque significare volumus, Spiritu sancto dirigente sacros auctores illam infallibiliter scripsisse. Nam & Pontifices summi certam quandam Spiritus sancti assistentiam habent, cùm definiunt controuersias fidei, vt antè ostensum est; neque tamen illorum definitiones, quantumuis ab ipsis conscriptæ, Scriptura sacra sunt, aut esse dicuntur, sicut nunc quidem loquimur de Scriptura sacra. Auctores igitur Canonicos scribere Spiritu sancto dictante, ob eam rem propriè dicimus, quoniam in doctrina scripto tradenda sic illorum opera Spiritus sanctus vtitur, vt in eo quidem negotio, non tam illi agant, quàm agantur à Spiritu sancto; planè instar calami, cùm vsurpatur à scriptore. Quò & illud Dauidis spectat: [Lingua, inquit, mea, calamus Scribæ velociter scribentis.] Nec enim alium hoc loco Scribam significat præterquam ipsum Deum: quem & alibi ait: [Emittere eloquium suum terræ, & velociter currere sermonem eius.]

Porrò sacrum Scriptorem agi potius à Spiritu sancto, quàm agere, asserimus, primùm propter facilitatem, qua is sine vllo suo labore, Spiritu sancto docente, ac dirigente, cognoscit, ac scribit omnia etiam minutissima verissimè; cùm tamen Pontifex, vt rectè, hoc est, sine culpa definiat, & studio ac dili-

gen-

gentia, opus habeat, nec etiam omnia sint certa ac infallibilia, quæ obiter ille inter definiendum asserit, vt suprà notauimus. Hanc autem auctoris sacri facilitatem in cognoscendo, atque scribendo certissimè, velocitas illa significat, quam Dauid locis proximè citatis diuino tribuit eloquio. Itaque cùm Baruch à Principibus Israel interrogatus esset, qua ratione Ieremias ipsi librum dictauisset: [Loquebatur, inquit, ex ore suo, quasi legens omnes sermones istos.] Quo loco significat, perinde fuisse facilè Ieremiæ, Spiritu sancto suggerente, illa omnia pronunciare, atque est omnino, aliquam scripturam simpliciter legere.

Deinde ob eam causam quoque Scriptorem sacrum agi potius à Spiritu sancto asserimus, quia etsi sponte quidem scribat, at scribit tamen omnino necessariò, ita vt (Spiritu sancto sic efficaciter volente) minimè in ipsius arbitrio sit positum, aut non scribere, aut alio modo, alio tempore, alijs verbis scribere; cùm tamen summus Pontifex, quod ad eas quidem attinet definitionis circumstantias, arbitrio suo in definiendo vtatur. Atque hoc ipsum propriè est, auctorem sacrum esse quasi Spiritus sancti calamum, in cuius videlicet potestate non est, vt eo scriptor vtatur, vel alio modo vtatur. Ex quibus non modò Scripturarum sacrarum ratio, sed etiam discrimen inter illas, & alias Scripturas humanas, perspicuum est. Qua sanè de re, & de Scripturarum nomine, argumento, antiquitate, &c. eruditè inter cæteros tractat Ioannes Driedo.

Qui libri sint Canonici.

II. DE secundo autem puncto breuiter statuendum est, Scripturam sacram illis omnibus, ac solis contineri libris, qui communiter nunc exstant in Biblijs sacris, excepto tertio, & quarto libro Esdræ. Quæ assertio ex fide est certissima. Nam libros hos Ecclesiæ Canon ex veteri traditione probauit. Est enim Ecclesiæ officium ea, quæ sunt diuinitus reuelata, fidelibus credenda proponere, ac proinde etiam quinam sint libri sacri in primis determinare. Id quod etiam D. Augustinus, & passim alij Patres confirmant: vt non immeritò idem sit in Concilio etiam Tridentino definitum.

Porrò libri iam dicti tanquam sacri, & Canonici non modò in Concilio Florentino sub Eugenio IV. & in Tridentino numerantur, sed ijdem etiam probati olim fuerunt à Concilio Carthaginensi tertio, à Leone IV. Pont. confirmato, & ab Innocentio I. Et eosdem tanquam Canonicos numerauit Innocentius I. & Augustinus, qui Concilio illi Carthaginensi interfuit. Quanquam fatendum est, ante Concilium Florentinum non fuisse in locis citatis factam libri Baruch expressam mentionem. Sed vt à pluribus rectè notatum est, causa cur hic liber in Catalogo olim præteriretur, non fuit, quòd pro Canonico non haberetur; (est enim illius etiam prophetia planè diuina, vt iam olim Eusebius Cæsariensis, & Clemens Alexandrinus disertè testati sunt) sed quòd Baruch scriptor fuerit Ieremiæ. Itaque librum illius ad Ieremiæ librum veteres Patres retulerunt.

Atque auctoritas quidem eorum etiam librorum nominatim, quos huius tempestatis Sectarij pro Canonicis non habent, præterquam quòd hi etiam libri inter Canonicos ab Ecclesia locis citatis numerati sunt, passim quoque ab antiquis Patribus asseritur, atque vt sacrosancta vsurpatur. Libri quidem Tobiæ, à Clemente I. ab Anacleto, ab Alexandro I. à Marcello I. à Gelasio. Libri Iudith ab ijsdem Patribus; itemque teste D. Hieronymo, à Nicæna Synodo. Libri Sapientiæ, & Ecclesiastici, ab Euaristo, à Fabiano I. à Sixto I. ab Augustino: quin etiam in ipsa Scriptura noui Testamenti ex eiusmodi libris, sicut ex alijs Canonicis, testimonia citantur. Librorum Maccabæorum ab Origene, ab Augustino, ab Isidoro (sicut & libri omnes iam commemorati) & ab alijs. Epistolæ ad Hebræos, à Concilio Nicæno teste D. Thoma, item à Concilio Ephesino, & grauissimis sanè verbis ab Athanasio, ab Origene, à Theodoreto, ab Augustino, ab Hieronymo, Posterioris epistolæ Diui Petri ab Hieronymo, ab Augustino, ab Isidoro, à Damasceno. Secundæ, & tertiæ epistolæ Ioannis ab ijsdem Patribus, itemque à D. Dionysio. Epistolæ Iacobi à Concilio Laodiceno, à Clemente Romano, ab Anacleto, ab Alexandro I. ab Vrbano I. ab Hieronymo, ab Augustino, ab Isidoro, à Damasceno. Epistolæ Iudæ ab Anacleto, à D. Dionysio, ab Hieronymo, ab Isidoro, à Damasceno, & passim alijs. Apocalypsis denique D. Ioannis, à Concilio Ancyrano, à Toletano quarto, à Tertulliano, Origene, Epiphanio, Chrysostomo, Hieronymo, Damasceno, passimque ab omnibus alijs.

Nec verò Sectarij, vt hos libros Canonicos esse negent, iustè ea ratione mouentur, quòd à nonnullis olim fuerit de horum auctoritate librorum addubitatum. Quid tum? An non etiam pleraque fidei Decreta, motis præsertim controuersijs, tandem clarè definita in Ecclesia, atque ad credendum sine vlla dubitatione fidelibus proposita sunt, de quibus antea tamen obscurata nonnihil fidei veritate, vt hominum interdum conditione innataque caligine fit, dubitari potuit? Nonne & ipsi etiam veteres, eos libros, de quibus aliquando dubitatum fuisset, tandem vsu, atque Decreto Ecclesiæ certam auctoritatem obtinuisse agnouerunt? Sed Ecclesiæ, inquit Kemnitius, quæ nunc est, & post Apostolorum tempora fuit, auctoritatem asserenti aliquorum librorum tùm demum credendum est, si possit proferre certa testimonia eorum, qui acceperant, & nouerant testificationem primæ Ecclesiæ de Germanis scriptis.] Agnoscunt, atque fatentur isti igitur, posteriorem Ecclesiam in eo ipso quidem, quod de primæ Ecclesiæ testificatione documenta quædam, atque testimonia proferat, non posse nos fallere. Nam si illa ipsa testimonia, atque documenta potest comminisci, non esset illi tum certè credendum. Quid igitur? An in proferendis antiquæ, primæque Ecclesiæ testimonijs de libro aliquo sacro fallere Ecclesia non potest, & in ipsa assertione auctoritatis libri sacri, potest fallere? Quid autem, si veterum documenta de alicuius libri sacri antiqua testificatione interirent? Ideò ne dubiam opor-

oporteret esse semper in posterum auctoritatem eiusmodi libri, nec posset aliquid de illa certi, Spiritu sancto suggerente, Ecclesia statuere? Accedit, quòd ex allatis testimonijs veterum pro auctoritate illorum librorum apparet ita tandem fuisse pro maiori, & potiori parte in Ecclesia eos olim pro Canonicis habitos, vt si qui contra illorum auctoritatem reiecerunt, ferè enim in genere tantum perhibetur, à quibusdam illos non fuisse receptos, vel de illis fuisse dubitatum, &c. fidem non mereantur: meritoque habeantur ab Ecclesia testimonia contraria pro certis. Et nihilominus tamen rectè monuit Augustinus, ex mente etiam aliorum veterum, in ipsis Scripturis Canonicis illas primo loco habendas esse, quæ vel auctoritate communi, vel certè plurium Ecclesiarum, sint olim receptę: non quòd aliquas ex ijs, quas Augustinus in Canone numerauit, putarit ipse non esse infallibiles, vocat enim absolutè eas omnes Scripturas diuinas, sed quoniam illæ certè, quæ vel à nullis, vel à paucioribus in dubium reuocatæ fuerunt, quodammodo, ex parte quidem ipsorum hominum, sunt certiores, magisque adeò idoneæ ad auctoritatem dogmatum in controuersis quæstionibus confirmandam. Quod est diligenter aduersùs Kemnitij, & aliorum Sectariorum cauillationes in hac quæstione notandum. Itaque licet alicubi memoret D. Augustinus, sapientiæ librum à quibusdam receptum non fuisse; tamen disertis verbis eodem loco confirmat, eum esse diuinum: [Non debuit, inquit, repudiari sententia libri sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi, de gradu Lectorum Ecclesiæ Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis vsque ad extremos Laicos fideles, pœnitentes, catechumenos; cum veneratione Diuinæ auctoritatis audiri. Et infrà: Qui sententijs, inquit, tractatorum instrui volunt, oportet vt istum librum sapientiæ omnibus tractatoribus anteponant, quoniam sibi eum anteposuerunt, etiam temporibus proximi Apostolorum, egregij tractatores, qui testem istum adhibentes, nihil se adhibere, nisi diuinum testimonium crediderunt.] Et tamen tam perfrictæ frontis fuit Kemnitius, vt dissimulatis, fraude qua solet, his omnibus Augustini verbis, scribere non erubuerit, non defendi, vtor istius verbis, ab Augustino in eo loco, librum sapientiæ esse verè Canonicum: quia scilicet ibi Augustinus dicit, sententiam illam; [Raptus est ne malitia mutaret intellectum] quam ex eo libro citarat, etiam sine libri huius attestatione per se esse alioqui certam. Atqui D. Augustinus non ideò hoc dixit, quòd ipse putaret hunc librum non esse Canonicum, sed vt ijs, qui auctoritatem eius libri in dubium reuocabant, aliunde quoque sententiam illam comprobaret. Sed neque institutum meum postulat, nec patitur breuitas mihi proposita, vt argumentum hoc à pluribus aliàs copiosè tractatum, prolixius hìc ego persequar; quod ipsum tamen satis mihi videtur hac explicatione, & illis, quæ commemoraui, Ecclesiæ, antiquitatisque testimonijs, esse firmatum.

Illud fortasse dicet nunc aliquis: Scriptura quædam quasi regula est, vt in hac disputatione ponimus, qua debet Ecclesia, adeòque summus Ecclesię Pastor, niti in fidei controuersijs determinandis. Non igitur ad Ecclesiam spectat constituere, quænam sit Canonica Scriptura. Nam si ad eam id spectat, primùm Ecclesia regula potius iam erit Scripturæ, non è contrario. Deinde, perinde nobis erit, si Ecclesia ex Scriptura tanquam ex regula definiat, atque si absque vlla regula definiret: siquidem ipsa Ecclesia sibi auctoritate propria constituit ad definiendum regulam. Ita definitiones illius non esse debebunt apud nos magni ponderis.

Ego verò ad hoc breuiter ita respondeo. Si Ecclesia in determinandis libris Canonicis humano spiritu duceretur, omnino incommodum esset, quòd ad Ecclesiam pertineret determinatio Scripturæ Canonicæ, ex qua sunt ab ipsa Ecclesia definiendæ fidei quęstiones. Modo verò, cùm à Spiritu sancto in ea determinatione, sicut & in alijs omnibus, vt suprà demonstratum est, Ecclesia dirigatur; nullum omnino est incommodum, quòd ipsa etiam Ecclesia regulam illam infallibiliter dijudicet, ex qua oporteat fidei controuersiam certò determinare. Habet enim Ecclesia de vtroque certam à Deo promissionem, videlicet, & quòd controuersiam fidei certò definiet, & quòd infallibiliter adeò cognoscet, quænam sit Scriptura diuinitùs reuelata, cui oporteat esse consentaneam illam fidei definitionem.

Hoc ex ea potissimùm Christi promissione colligitur, quæ extat in Euangelio Ioannis: [Ille, inquit, vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero, seu dixi, vobis.] Hoc enim vel maximè propriè est, Spiritum sanctum Ecclesiæ suggerere, quę Christus dixit; docere nimirum illam, quænam sit cœlestis doctrina, quam Christus per Apostolos suos vel scripto, vel viua voce loquutus est. Itaque si hanc Ecclesiæ auctoritatem tribuimus; nullum inde incommodum consequitur ex ijs, quæ obijciebantur. Primum enim non ideò concedendum est, Ecclesiam esse regulam ipsius per se Scripturæ, vt Sectarij nos existimare, vel malitiosè, vel ignoranter cauillantur, sed nobis ipsis potius auctoritatem Ecclesiæ pro certa regula propositam esse, vt quænam sit diuina doctrina sine errore cognoscamus. Deinde cum Spiritu sancto docente, atque adeò infallibiliter, Ecclesia etiam determinet quænam sit Scriptura diuina; nihilo minoris ponderis apud nos esse debent Ecclesiæ definitiones consentaneæ huic Scripturarum regulæ, quàm si non ipsius Ecclesiæ auctoritate, sed aliunde quænam sit diuina Scriptura certò nobis constaret. Quid enim omnino certius eo esse potest, quod Spiritu sancto suggerente ab Ecclesia decernitur?

Quanta Scripturæ sacræ sit auctoritas.

III. QVibus rebus ita explicatis, nihil ferè difficultatis superest in puncto tertio suprà posito: nempe quanta sit Scripturæ auctoritas, Est enim diuina prorsus, ac proinde omnino infallibilis. Quod ipsum quidem ex fide nobis constat, tum ob reuelationem diuinam in eadem Scriptura contentam, tanquam ob rationem, in quam propriè ipsa fides

fides respicit: tùm etiam ob Ecclesiæ propositionem, tanquam ob conditionem quandam, vt id ipsi Christiana fide credamus, requisitam: tùm postremo ob communia fidei motiua, tanquam propter argumenta, videlicet, quibus animum inducimus credere non modò, quæ in Scripturis continentur esse omnia verissima, sed in primis etiam Scripturas esse diuinas. De quibus rebus cùm in huius libri initio satis à nobis dictum sit, nihil est hoc loco repetendum.

Tantum ad quæstionem illam, quam nonnulli, nescio an satis vtiliter, hìc mouerunt, vtra videlicet sit maior auctoritas, Scripturæ ne, an Ecclesiæ? Breuiter mihi videtur tribus pronunciatis responderi posse. Primò, auctoritatem Ecclesiæ latiùs quidem patere, atque ita extensiuè quidem, sicut in scholis loquimur, posse dici maiorem. Secundò, reipsa sanè neutram per se, seu intensiuè esse altera maiorem absolutè, parique adeò per se veneratione vtramque esse dignam. Tertiò, si ad vtriusque auctoritatis quemdam quasi modum, maioris cuiusdam esse dignitatis auctoritatem Scripturæ, hoc est, meritò à nobis eam tanquam diuinius aliquid suscipi.

Primum probo. Quoniam Ecclesia sanè auctoritatem habet infallibilem, & asseuerandi directò ipsam veritatem fidei, in quo cum Scriptura, quoad infallibilitatem quidem conuenit, etsi non quoad modum asseuerandi, & præterea proponendi fidelibus ad credendum tùm ipsam Scripturam, tùm etiam clarè, & expresè quamcunque fidei veritatem in omnibus omnino controuersijs, quæ oriri possunt, id quod non perinde Scriptura præstare potest, vt satis suprà docuimus.

Secundum autem pronunciatum ea ratione probo, quòd tam Ecclesia, quàm Scriptor Canonicus eodem Dei Spiritu suggerente prouunciant. Itaque, quod attinet quidem ad asserendi infallibilitatem, & certitudinem, paris sunt per se auctoritatis. Tertium denique probo ex diuerso modo, quo, vt suprà docuimus, aliter, atque aliter Ecclesia, & scriptor Canonicus, Spiritus sancti instinctu pronunciant. Habet enim modus ille scriptoris Canonici nescio quid maioris dignitatis propterea, quòd non tam ipse scriptor agit in ea re, quàm agitur, nec videtur proinde nisi Deus ipsemet per Scripturam loqui. Accedit quòd Ecclesia ipsa etiam nititur in suis definitionibus Scripturæ auctoritate, tanquam fidei quodam fundamento ob diuinam reuelationem, quæ sacris ipsis literis continetur. Quæ omnia sanè efficiunt, vt secundum nos quidem, & secundum modum vtriusque auctoritatis, maior quædam in Scriptura, quàm in Ecclesia dignitas esse videatur. Qua explicatione adhibita, non erit difficile auctorum hac de re varias sententias in concordiam redigere. Et certè oportet conueniat reipsa inter Orthodoxos de hac quæstione, modò rectè illius ambiguitas distinguatur.

Vtrùm hi libri sacri, qui nunc extant, sint infallibiles.

IV. QVartum, quod de Scriptura explicandum proposueramus, difficultatem propterea non exiguam habet, quòd vt ex ijs numero libris sacris, qui circumferuntur, argumentum infallibile ducatur, necesse est constet, illos ipsos prorsus esse sacros, qui veritatem videlicet infallibilem contineant. At hoc non satis constare posse videtur.

Argumentum Primum.

PRimò, quoniam non sunt Latini isti libri illi ipsi, qui Spiritu sancto dictante à Canonicis auctoribus partim Hebraicè, partim Græcè excepti sunt, sed alij certè vel interpretum, vel impressorum opera descripti: qui quidem errare potuerunt negligenter ex alio idiomate vertendo, aut imprimendo typis. Cuius rei argumento etiam esse videtur impressionum, atque versionum tanta varietas.

Argumentum Secundum.

SEcundò, quoniam si maximè constaret, hos libros nullo modo, quod ad sententiam attinet, ab originalibus discrepare, ac proinde esse diuinos; at non satis constare videtur, omne illud esse infallibile, quod diuinitus est dictatum. Cur enim non posset Deus, potentia saltem sua absoluta, per se, aut per hominis ministerium generare in hominum mentibus conceptum falsum? Et accedit ad huius rei confirmationem, quòd non semel videtur Deus iam falsum per se, aut per alium dixisse. Quod probari posset ex nonnullis Scripturæ locis. Primus est Genesis quarto, vbi Dominus Cain verenti ne occideretur dixit: Nequaquam ita fiet, & tamen ita postea factum est. Nam aliqui Doctores putant, eum interfectum à Lamech. Secundus est Genesis 22. vbi Abraham conscensurus montem, vt immolaret Isaac, dixit ad pueros: [Expectate hìc: ego & puer illuc, vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.] Quo loco primum instinctu diuino Abraham est locutus, vt ait D. Ambrosius; & tamen, vt apparet, est mentitus: siquidem putabat se immolaturum Isaac. Tertius est Genesis 27. vbi Iacob fraudulenter egit cum Isaac patre suo, & omnino mentitus fuisse videtur, inquiens: Ego sum primogenitus tuus Esau, quæ tamen, vt ait Innocentius Pontifex, Spiritu Dei instinctus ille ita dixit. Quartus est Esaiæ 38. (de quo etiam 4. Reg. 20.) vbi Dominus per Esaiam Ezechiæ nunciauit mortem eius instare, quod tamen falsum fuit, cùm quindecim annis vltra vixerit. Et extant multæ tales prophetiæ, quæ videntur similiter fuisse falsæ. Quintus, est 3. Regum 22. vbi cùm Dominus diceret: Quis decipiet Regem Achab, &c? prodijt Spiritus, (nequam videlicet) qui suscepit se decepturum & illum, & omnes eius Prophetas. Quod Dominus vt faceret iussit: inquiens: Egredere, & fac ita. Vnde Propheta Michæas ibidem: [Ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum.] Adde quod multis alijs Scripturæ locis apertè dici videtur, Deum solitum esse decipere, & tradere in reprobum sensum. Ex quibus apparet Deum reipsa decipere, nedum posse id facere de potentia ordinaria, aut absoluta.

soluta. Quod rursus confirmatur etiam auctoritate Augustini, qui negat quidem Deum decipere per spiritum bonum: concedit tamen eum posse decipere per spiritum malum. Item alibi fusè docet, solere Deum mouere etiam hominis mentem ad falsum.

Argumentum Tertium.

Tertiò, dato quòd hoc ipsum satis constaret, videlicet verum esse id omne, quod Spiritu sancto dictante scriptum est, at non videtur satis item constare, id omne quod in his libris continetur Spiritu sancto dictante esse scriptum: imò quædam videntur Scriptores Canonici de suo spiritu interseruisse, præsertim quæ sunt minoris momenti; quale videtur illud, quod Apostolus scribit: [Lucas mecum est. Et: Penulam, quam reliquit Troade apud Carpum, veniens affer tecum;] & alia horum similia. Ita cùm non possit facilè discerni, quo loco Scriptor Canonicus infallibiliter loquatur suggerente Spiritu diuino; ex nullo Scripturæ loco argumentum infallibile duci posse videtur.

Argumentum Quartum.

Quartò, dato quòd etiam constaret, sententias omnes horum librorum profectas esse ex Spiritu diuino; at sensus illarum verus admodum obscurus est, nec satis in controuersis materijs exploratus. Quapropter cùm ex sensu Scripturæ, (quæ vt inquit Diuus Hieronymus, Non in verbis, sed in sensu est) argumentandum sit; argumenta, quæ ex dubio, & incerto sensu ducentur, non poterunt esse ad controuersias determinandas penitus certa, atque infallibilia. His igitur rationibus probari videtur, non posse hosce libros, quos habemus, infallibile argumentum suppeditare ad definiendum.

Cæterum hæc quidem nullo modo, vel possunt, vel debent mouere eos, qui grauissimis illis nostræ fidei motiuis, à nobis initio huius libri expositis, prudentissimè ac necessariò adducti iam (Dei beneficio) sunt, vt doctrinam Christianam, atque adeò Scripturam sacram, quæ nunc videlicet in Ecclesia habetur, verissimam esse sibi persuadeant. Quo fundamento iacto, facilè fuerit aduersùs obiectas rationes defendere, infallibile prorsus argumentum ad definiendum peti posse ex his ipsis Bibliorum libris, quos Ecclesia hodie vsurpat: Id quod sanè certissimum est ex fide.

Nam primum ex ipsa Scriptura sacra, quam veram esse euincunt illa fidei motiua, de quibus dixi, constat, Christum Dominum sufficienter prouidere Ecclesiæ suæ, ne tota erret. Errare autem posset, si libri illi numero, quibus vt sacris vtitur, non essent sacri. Certum igitur ex fide est, libros huiusmodi veram, & infallibilem veritatem continere, sacrosque esse.

Deinde hoc idem confirmatur auctoritate ipsius Ecclesiæ, quæ hos ipsos libros tanquam Canonicos recipit. Vt enim suprà dictum est, ipsi Ecclesiæ commissa est custodia librorum sacrorum. Vnde non minus debemus ei credere proponenti nobis hos libros, quàm si ipsos originales seruaret. Nam nec tunc quidem aliunde compertum haberemus, tales, esse libros Canonicos, nisi ex Ecclesiæ testimonio, vt benè, ac prudenter hoc loco à Ioanne Driedone notatum est.

Ad primum igitur argumentum contrarium, respondetur, potuisse quidem vnum, aut alterum interpretem, vel impressorem errare, aut etiam aliquos, sed vt omnes omnino errarent, fieri nequaquam potuisse; diuina nimirum prouidentia, propter Ecclesiæ bonum, id prohibente. Quam ob rem omnes illi codices (quocunque idiomate conscripti fuerint) quibus Ecclesia Catholica, tanquam autheuticis in materia fidei, aliquando vsa est, certi & indubitati fuerunt, quod attinet ad illa omnia, in quibus eiusmodi libri concordarunt. Nam de locis quidem aliquibus minutioribus non pertinentibus ad ipsa dogmata fidei, aliqua potuit esse controuersia, quamdiù Ecclesia nullam editionem Bibliorum speciali definitione approbauit.

Iam verò, post Cocilium Tridentinum dubitare non licet, quin editio vulgata vetus, quæ inprimis à Diuo Hieronymo partim conscripta, partim emendata est, diuinam doctrinam contineat, sitque per omnia in sensu quidem concors illi Scripturæ, quæ primò ab actoribus sacris spiritu sancto dictante est excepta. Etenim eiusdem Ecclesiæ auctoritate (nempe Romanæ, quæ sola vera, & Catholica est, vt suprà conuicimus) qua omnino etiam aliquam esse Scripturam Canonicam constat, in eo Concilio definitum est, editionem hanc authenticam esse, grauiterque præceptum, vt pro authentica in concionibus, lectionibus, disputationibus, & expositionibus, habeatur, nec vllus eam reijcere quouis prætextu audeat, vel præsumat. Esse autem versionem aliquam authenticam, nihil hoc loco aliud est, quàm esse eam omnino in sententia conformem Scripturæ orginali, ac proinde doctrinam diuinam continere, ex qua certò possint controuersiæ fidei determinari.

Quod autem Concilium addit: ne vllus illam quouis prętextu audeat reijcere, id profectò euidenti argumento est, in omnibus omnino locis, & quod attinet ad omnes Scripturæ sententias, esse hanc editionem, vt authenticam à Concilio approbatam. Secus enim, prætextus aliquis superesset, quo, non obstante hac definitione Concilij, posset aliquando ea editio in disputationibus reijci: nempe si diceretur, in hoc certè, aut in illo loco non esse huius editionis auctorem Spiritus sancti mentem assecutum. At, ne vllo vnquam prętextu hęc editio reijceretur, omnino voluit Concilium prohibere. In omnibus igitur locis eam haberi voluit pro authentica.

Neque tamen contendimus, errores etiam Typographorum, vt Kemnitius, & alij Sectarij calumniantur, si qui in aliqua exemplaria irrepserunt, à Concilio Tridentino probari: Vt quod obijciunt isti, capite vndecimo Iudicum, pro, Altera matre, lectum fuisse, Adultera matre, & similes quasdam nugas. Sed probauit Concilium veterem eam editionem benè; atque correctè typis im-

impressam. Hanc nimirum definiuit habendam esse pro authentica. Et certè quod ad rem ipsam attinet nihil aduersùs hanc editionem obijciunt Sectarij, quod alicuius sit ponderis. Nam quod illam ab Hebraicis, aut Græcis exemplaribus discrepare dicunt, id vel falsum est, si correctiora exemplaria inspiciantur, vel certè quod ad ipsam sententiam attinet nihil interest. Vt quod obijciunt, Genesis tertio, dici: Ipsa conteret caput tuum; cùm dicendum esset iuxta vim verbi Hebraici: Ipse. Eodem enim res redit. Nam si Filius Virginis Christus Iesus contriuit caput serpentis; ipsa Virgo quoque suo modo contriuit, quatenus genuit nimirum Iesum Saluatorem. Quare non malè etiam interpres, propter contextus Latini commoditatem, Ipsa, vertit, vt sequentia cum antecedentibus melius Latinè cohærerent. Item, quod obijciunt, Matthæi nono, iuxta Græcam dictionem, dici debere: non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, eamque postremam voculam in vulgata editione esse omissam; obsecro quid interest? An non enim satis per se intelligitur, peccatores à Christo cùm vocabantur, ad pœnitentiam vocatos fuisse? Sed nolo reliqua omnia persequi, quæ perinde facilè expediri possunt.

Porro ex dictis intelligitur, nullo modo auctores illos audiendos esse, qui adhuc post Concilium Tridentinum contendunt, posse etiam nunc editionem vulgatam per Hebraicos, & Græcos codices, tanquam per fontes, vt aiunt, in locis aliquibus, quod ad ipsam sententiam attinet, emendari. Non licet hoc facere. Quin potiùs Græci, & Hebraici codices, sicubi à nostra editione dissideant, per nostram corrigendi, & emendandi sunt. Nam hanc Ecclesiam peculiari definitione per omnia probanit, non illos: quanquam nec illos reiecit, nisi vbi huic nostræ editioni fortè contradicerent.

Neque verò possunt illi codices potiori iure fontes iam appellari, quàm editio hæc nostra. Primò, quia neque illi, originales ipsi libri sunt, sed variorum Typographorum opera excusi. Deinde, quoniam magna est etiam horum voluminum varietas, magna etiam eorum interpretum inconstantia, qui illos Latinè ad veritatem fontium, vt ipsi dicunt, verrere conantur: prorsus vt, quemadmodum Melchior Canus argutè ait; non tam fontes vertere, quàm ipsi circa fontes verti videantur. Tertiò, quoniam, & Rabinorum, & aliorum Ecclesiæ Catholicæ hostium, fraude, sæpe potuerunt deprauari. Itaque minimè illi in sua origine purè tanquam fontes scaturiunt: sed per varia loca, hoc est, per hominum operas, à quibus infici potuerunt, ad nos deriuati sunt.

Quo circa satius multò est huic vulgatæ editioni per Ecclesiam approbatæ fidem adhibere. Quemadmodum etiam quandoque melius est ex nitido fontis riuulo, quàm ex turbido ipso fonte aquam ad bibendum haurire. Qua de re eruditè; & diligentissimè scripsit inter alios Canus. Qui nihilominùs benè docet, varium, ac multiplicem esse linguarum vsum ad Scripturam diuinam, & ad hanc ipsam vulgatam editionem intelligendam: non quidem vt illa quoad sensum emendetur, sed vt proprietas originalium, quàm ipsa, ob idiomatis diuersitatem, obscurius interdum exprimit, meliùs percipiatur. Verùm de primo argumento hactenus.

Ad secundum respondeo, ne per potentiam quidem suam absolutam posse omnino Deum, qui prima, atque summa veritas est, fallere, vel per se, vel per alium: vt nec potest ipse, cùm summa, atque infinita sit bonitas, vel peccare, vel ad peccandum impellere. Quod adeò verum est, vt minimè Diuus Augustinus, ac Diuus Anselmus scribere dubitauerint, non magis Deum mentiri posse, quàm Deum esse desinere. Mentiretur autem certè si quenquam ipse falleret. Nam cùm omnia ipse sciat; si falsum aliquid significaret; minimè id quidem præter mentem suam, sed planè contra eam significaret; quod ipsum mentiri est.

Ac sanè postquam grauissimis nostræ fidei motiuis necessariò, vt initio libri vidimus, demonstratur, Christianam doctrinam, atque adeò Scripturam sacram, dignissimam esse assensione prudentum; non est admodum difficile, tanqua ab effectu, & consequenti quodam, euincere, per nullam potentiam Deum, vel per se, vel per alium, quenquam fallere posse. Etenim si Deus vllo modo posset fallere, neque deberemus sanè, neque possemus eniti, vt per fidem supernaturalem, absque omni formidine, simus penitùs certi de veritate doctrinæ Christianæ. At id & possumus, & debemus; (vt illis fidei motiuis efficitur, & alioqui etiam illi ipsi auctores concedunt, qui temerè existimarunt, Deum fallere per potentiam absolutam posse.) Non potest igitur Deus vllo modo fallere. Hæc enim humanæ mentis natura est, vt nisi nobis persuadeamus, aliquid certo, atque infallibili fundamento niti, de eo penitus certi esse non possimus. Si autem Deus potentia absoluta posset fallere, nulla tunc nobis ratio suppeteret, qua nobis persuaderemus, doctrinam fidei aliquo infallibili fundamento niti. Nam quonam obsecro? An fundamento claræ, & euidentis demonstrationis? Minimè. Est enim doctrina fidei de rebus, vt Apostolus inquit, non apparentibus, id est, non manifestè notis. Qualinam igitur, aut quo infallibili fundamento doctrinam fidei niti, persuadere nobis tunc possemus? Num veræ reuelationis? nec enim aliud restat. At si Deus natura sua falsum absolutè affirmare posset, vnde persuaderemus nobis, eam ipsam reuelationem diuinam doctrinæ fidei, veram ac certam esse? Non certè ex natura Dei, si is quidem ponitur natura sua posse falsum absolutè docere. Nec rursum ex ordinaria lege, ac promissione Dei, qua ille statuerit, se non nisi verum vnquam reuelaturum. Cùm enim hanc etiam ipsam lege, siue promissionem Dei non possimus cognoscere, nisi ex reuelatione diuina, qua ille nimirum significauerit id se promisisse, ac statuisse: si Deus natura sua absolutè potest dicere falsum, de ea ipsa etiam reuelatione poterimus meritò dubitare; num videlicet tunc Deus, vel

vel maximè potestate mentiendi vsus sit, cùm nobis significauit numquam se mentiturum. Ita minimè viam haberemus, vt ex aliqua lege Dei ordinaria ipsum semper esse veracem cognosceremus. Vt enim dictum est, viam, ad id cognoscendum oporteret esse reuelationem, per quam solam ipsa lex Dei ordinaria in hoc genere innotescere potest; de qua tamen reuelatione, si Deus sua natura fallere potest, inprimis dubitaremus.

Cuius sanè argumenti vis hoc exemplo elucescit. Si quem hominem numquam mentiri, alia ratione cognoscere non possemus, nisi quia ipse dicit statuisse se numquam mentiri: non vtique penitus esse certi possemus, quòd numquam ille mentiatur. Cùm enim natura sua mentiri possit; vereri possemus ne tunc, vel maximè, cùm se diceret nolle mentiri, mentiretur. Ita igitur, si Deus natura sua fallere posset, numquam ex ipsius Dei lege, atque promissione per reuelationem ab ipso patefacta, certò nobis persuaderemus illum numquam fallere. Vereremur enim ne vel illa maximè reuelatione legis, atque promissionis suæ nos falleret.

Huc accedit auctoritas etiam ipsius Scripturæ, quam quidem, vt alioqui ea nobis per communia illa fidei motiua probata est, non perperam ad hoc ipsum confirmandum, nempe Deum natura sua omnino fallere non posse, vsurpabimus. [Est, inquit Scriptura, Deus verax, omnis autem homo mendax. Item: Non est Deus quasi homo, vt mentiatur.] Quid his in locis,& quantum dignitatis existimabimus tribui Deo? An illud tantum,quòd actu quidem ipse non mentiatur, cùm homines ferè mentiri soleant? Atqui nonnullos etiam homines reperire liceat, qui prorsus à mendacio abstineant.Non igitur de actu ipso, sed de conditione, atque discrimine naturæ vtriusque videlicet Dei, & hominis, sermo ibi est. Nempe, vt intelligamus, Deum omnino esse eiusmodi, vt natura sua mentiri, & fallere non possit; hominem verò contrà ea natura præditum esse, vt id possit. Vt, cùm simul Scriptura dicit; [Neque esse Deum, vt filium hominis, vt mutetur;] non tantùm certè significat ipsum actu non mutari, sed omnino natura sua mutari nullo modo posse.

Ac sunt præterea duo Scripturæ loci,qui maximè valent ad hanc ipsam rem confirmandam. Alter est in epistola ad Hebræos. Vbi Apostolus, cùm firmitatem promissionis, qua Deus Abrahæ, & semini eius, benedictionem gratiæ suæ pollicitus est, commendare vellet, ita inquit: [Volens Deus abundantius ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui,interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles (scilicet per promissionem, & iuramentum) quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium haberemus.] Hic sanè cùm D. Paulus negat, potuisse Deum, vel in promissione, vel in iuramento mentiri, procul dubio secundum potentiam Dei etiam absolutam loquitur. Nam si solùm negat,potuisse Deum mentiri posita ipsius promissione, atque lege ordinaria;minimè fortissimum illud solatium haberemus, quod tamen nobis Paulus pollicetur. Vereremur enim, ne illa ipsa reuelatione, qua legem eiusmodi, & promissionem diuinam cognosceremus, Deus nos fefellisset, vt ex eo argumento patet, quod paulò antè fecimus.

Alter locus est in posteriori epistola ad Timotheum. Vbi cùm similiter idem Apostolus homines certissimos reddere conaretur de diuina promissione qua præmium æternum pijs operibus decretum est, ita inquit: [Ille (videlicet Deus) fidelis manenet: Negare seipsum non potest.] Quo etiam loco sine dubio negat Deum vlla ratione fallere posse. Alioqui penitus certi de diuina promissione (vt vult Apostolus) esse non possemus,quemadmodum antè ostendimus.

Ad Scripturæ autem locos, qui ad confirmandam posse Deum fallere,obijciebantur, non est difficile respondere. Nam,quod ad primum locum attinet, possumus inprimis negare, Cain fuisse hominem illum, quem Lamech interfecit. Neque enim id ex Scripturis constat, quin immò à pluribus putatur commentium. Secundò, dato quòd fuerit, non ideò erit in Dei oratione mendacium. Etenim cùm is ad Cain dixit: [Nequaquam ita fiet:] sensus fuit: nequaquam impunè à quoquam interficieris, sicut verebaris. Quæ expositio satis congruit cum ipso textu.

Ad secundum locum, quod attinet, sunt qui concedant Abraham dissimulandi causa fuisse mentitum. Ita Adrianus, quem Canus sequitur. Consequenter ij dicunt, quòd Abraham mentitus sit,hoc illum ex instinctu Dei non fecisse; quod verò nesciens prophetauerit verum, hoc esse Deo adscribendum. Atque ita interpretantur sententiam Diui Ambrosij. Mihi sententia Diui Augustini magis placet, qui negat, Abraham tunc mentitum esse. Etsi enim persuaderet sibi fore, vt immolaret filium, sperabat tamen etiam futurum, vt confestim ille ad vitam diuinitus reuocaretur, quo possent impleri promissiones. Ita verè potuit dicere: [Expectate hic, ego & puer illuc properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.] Sententiam hanc Augustini sequitur Gabriel, & Carthusianus in illum locum. Neque obscurè illam insinuauisse videtur Apostolus, cùm dixit: [Fide Abraham obtulit Isaac Deo, cùm tentaretur, qui susceperat repromissiones(ad quem dictum est, quia in Isaac vocabitur tibi semen) arbitrans, quòd, & à mortuis suscitare potens est Deus, &c.]

Affert Carthusianus, & aliam expositionem; vt nimirum quod solus Abraham erat suo iudicio præstiturus, nempe vt rediret,id iuxta vsitatam aliàs Scripturæ phrasim, se & filium facturos fuisse affirmaret. Ad quem modum intelligitur illud: [Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes, vt quid perditio hæc?] Quod tamen vnus Iudas dixit. Item illud: [Et qui cum eo crucifixi erant, conuiciabantur ei.]

Ad tertium locum, quod attinet, plerique concedunt, Iacob minimè Spiritus sancti afflatu loquutum fuisse, sed ex se fuisse mentitum, cùm diceret: [Ego sum primogenitus tuus Esau:] neque verò Innocentium aliquid contrà de ea re definiuisse, sed exposuisse tantùm priuatam suam opinionem,cùm asseruit, Iacob, diuinitus inspiratum, ita fuisse

fuisse loquutum. Cæterùm communior sententia Doctorum, ac Patrum est contraria, vt videre est etiam apud Melchiorem Canum, loco citato. Quamuis enim Iacob natura non esset primogenitus: at iure erat ex diuina voluntate, quam vel priuata reuelatione cognouit, vel ex instructione Rebeccæ matris, quam constat diuinitus edoctam fuisse, fore, vt maior seruiret minori, &c. Potuit ergo Iacob absque mendacio dicere: [Ego sum primogenitus tuus: intelligens, iure, non natura. Ad eum modum, quo populus gentilium, per eumdem ipsum Iacob significatus Rebeccæ, postquam per fidem, Abrahæ successit, potuit verè dicere, se iure, & voluntate diuina semen esse verum, & hæredem Abrahæ, quod ad diuinas promissiones attinet: vti perspicuè Diuus Paulus verbis illis ostendit; [Non omnes, qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij eius, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.]

Ad quartum locum respondetur, primò, sententiam illam fuisse comminatoriam, quæ, vt rectè inter cæteros explananit Canus, iuxta communem loquendi vsum, accipienda est tacita quadam conditione intellecta: Si nimirum is, ad quem dirigitur comminatio, non resipiscat. Resipuit autem Ezechias. Itaque nulla fuit in oratione Isaiæ falsitas, siquidem defuit conditio. Secundò ad eam responsionem, & hoc addendum est: Deum per Prophetas solitum esse prænunciare, non modò id, quod omnibus consideratis futurum est; sed etiam id, quod attendendo ad aliquas inferiores causas; vt ad merita hominum, &c. verè iudicari potest esse futurum, tametsi ex voluntate diuina, & spectatis omnibus causis, secus futurum sit. Atque hoc modo Isaias eo loco verè prædixit mortem Ezechiæ, videlicet spectata quidem causa particulari, hoc est, solum respiciendo ad merita ipsius in præsentia. Ita similes quoque prophetias interpretatur rectissimè Diuus Thomas.

Ad quintum Scripturæ locum respondeo, non illo significari propriè Dei præceptum, quasi is positiuè (vt claritatis causa in Scholis loquimur) impulerit spiritum nequam ad decipiendum, sed significatur diuina permissio, quæ in Scripturis plerumque eodem genere sermonis designatur, quo præceptum, & positiua voluntas Dei. Ita intelligitur illud Christi, ad proditorem Iudam: Quod facis, fac citius, sicut Canus etiam rectè annotauit. Atque eodem modo ad omnes alios Scripturæ locos, qui sunt eiusdem generis, respondemus: neque aliter etiam intelligi debet Diuus Augustinus. Quod enim is ait, per spiritum malum Deum solitum esse decipere, non per bonum, ideò dicit, quòd spiritus malus sit, qui permittente Deo decipere solet; quod ille non solet permittere, vt fiat per spiritum bonum. Ac est etiam illud hoc loco diligenter notandum: quamuis Deus ipse per se neminem (vt dictum est) in errorem, aut etiam in peccatum impellat, tamen suo quodam iusto iudicio ad res quasdam per se alioqui non malas quandoque homines impellere, quibus rebus ipse præuidet eos ad errorem, peccatumque abusuros; idque ipsum, vt fiat, certo quodam consilio statuit permittere. Atque hæc videlicet ratio est, quam ob rem in quibusdam præsertim Scripturæ locis ita significetur eiusmodi Dei permissio, quasi ipse per se traderet homines in reprobum sensum, ad peccandumque impelleret. Nimirum ita Scriptura loquitur, quoniam eius rei certe, ex qua sumit aliquis occasionem erroris peccatique, Deus (& quidem peculiari quandoque consilio, & prouidentia) est causa. Quæ explicatio disputationes quoque Diui Augustini de hoc genere tum aliàs, tum maximè in libro de gratia, & libero arbitrio, non parum illustrare potest. Nam, quòd non nisi permittendo alioqui Deus tradat in reprobum sensum, ipse etiam Augustinus ad extremum satis declarat in illo eodem libro. Sed de secundo argumento nimium multa fortassis.

Argumentum Tertium.

Ad tertium respondetur. Nihil omnino in Scripturis esse, quod peculiari Spiritus sancti instinctu scriptum non sit. Quod patet profectò ex communi etiam consensu fidelium, manifestèque probatur ex eo, quòd si aliquid humano spiritu auctores sacri scribere potuerunt, magna ex parte Scripturarum labefacteretur auctoritas. Poterit enim quiuis dubitare, vbinam spiritu proprio, vbi diuino auctor loqueretur. Neque facilè esset discernere in hoc genere, quæ lenioris, quæ grauioris essent momenti: vt optimè Canus disserit ad coarguendum tum Erasmi, tum aliorum quorumdam veterum errorem, quos Hieronymus sensisse commemorat, Scriptores Canonicos in rebus maioris momenti Spiritu sancto afflatos scripsisse, in leuioribus autem potuisse hallucinari. Certè D. Paulus, [Omnem Scripturam diuinitus inspiratam, vtilem esse pronunciat.] Itaque nihil est in ea, quod vel per se, vel ad alia relatum, non sit magni momenti. Petrus quoque absolutè sine omni exceptione ait: [Spiritu Dei inspiratos, locutos esse sanctos Dei homines.] Quare dubium esse non debet, quin omnes, & singulæ Scripturarum particulæ sint Spiritu sancto dictante exaratæ. Id quòd meritò etiam in Concilio Tridentino sub anathemate definitur.

Argumentum Quartum.

Ad quartum argumentum quid respondendum sit, facilè patet ex dictis. Vtcumque enim Scriptura difficilis ad intelligendum sit, tamen ille sine omni dubitatione verus, atque genuinus Scripturæ est sensus, quem Ecclesia Spiritu sancto suggerente asserit. Atque ita non deest modus ex Scriptura depromendi infallibilia argumenta ad definiendas controuersias. Fatendum tamen est, multos esse locos Scripturæ, ex quibus, quoniam eorum sententia, neque euidenter per se patet, neque auctoritate Ecclesiæ satis declarata est; non potest argumentum firmum duci ad faciendam fidem. Sed, & nonnullæ quoque controuersiæ sunt, quæ per Scripturam solam definiri satis, ac determinari nequeunt, vt suprà demonstrauimus, atque

etiam paulò post necessariò repetetur.

V. Ad postremum caput quod attinet, latissimè de ratione interpretandarum scripturarum scripsit inter cœteros Driedo libro tertio de dogmatibus scripturæ, & Caterinus de clauibus scripturæ, & Michael Medina. Nos breuiter præcipua quædam documenta ad eam rem trademus (quæ partim supra etiam attigimus, cùm de scripturæ obscuritate ageremus) ex doctrina Diui Augustini potissimùm collecta in libris quatuor de doctrina christiana, quos ille hac de re doctissimè scripsit.

Primum documentum est, vt quis benè perspectos habere studeat libros omnes scripturæ sacræ, in eorumque lectione, quantumuis multa non intelligat, assiduè versetur. [Erit enim, inquit Augustinus, diuinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primò totas legerit notasque habuerit, si nondum intellectu, iam tamen lectione.] Et infra: [Prima, inquit, huius laboris obseruatio est, nosse istos libros, etsi nondum ad intellectum, legendo tamen, vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere.] Ac ratio huius documenti est, quoniam multorum locorum obscuri sensus disertis verbis sunt alijs quibusdam in locis explicati, quos idcircò minimè ignorare is poterit, qui scripturam totam assidua lectione reddiderit, sibi familiarem. Sicut illud Psal. [Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem;] sanctus Petrus ad Christi corpus in sepulchro positum pertinere est interpretatus, vt iam similia exempla multa prætercam. Accedit, quòd etsi sensus vnius loci obscurus in nullo alio loco disertè explanetur; tamen ex diligenti locorum collatione sæpè colligi poterit: quod sanè videmus passim, & magno cum fructu veteres Patres in scripturis interpretandis factitasse.

Secundum documentum est, vt quis similiter multum in lectione Patrum, Conciliorum, & Decretorum pontificum versetur. Cuius documenti ratio ferè eadem est. Passim enim à Concilijs, à pontificibus, ab alijsque Patribus Scripturæ sacrę loci obscuriores declarantur.

Tertium est, vt quis etiam probè teneat eam linguam, qua sacræ literæ, vel traditæ, vel expositæ sunt; itemque figuras, seù tropos loquendi in illa vsitatos: quorum est sanè in sacra Scriptura frequentissimus, idemque multiplex, ac varius vsus. Hinc enim quod de Christo dicitur, plerumque de eius membris intelligi oportet, & quod de vna ciuitate; de tota prouincia &c. Et si autem ob hanc causam vtile sit Græcas etiam, & Hebraicas literas, ob earum etiam proprios quosdam modos, callere: tamen vt rectè etiam notat Ioannes Driedo, & possumus quoque colligere ex Diuo Augustino, non est id iam prorsus necessarium, posteaquam tam multi sunt, qui latinè, beneque doctè explicuerunt difficultates omnes, quæ ex earum linguarum proprietate oriuntur.

Quartum documentum est, vt quis artium liberalium cognitione, & scientia naturalium rerum, quoad eius fieri possit, instructus ad sacrarum literarum studium accedat. Ita enim earum rerum proprietates cognoscet, quarum nominibus diuina mysteria sæpè in Scriptura sacra metaphoricè declarantur: atque adeò faciliùs etiam intelliget, quid Spiritus sanctus eiusmodi rerum similitudine significare voluerit. Inprimis autem D. Augustinus docet, vtilem esse Dialecticam ad discernendum in Scripturarum expositione, quæ sint fidem consequentia, & quæ contrà veræ fidei repugnent. Itemque in vniuersum affirmat, nos omnino vti debere scientijs Philosophorum; repudiatis tamen eorum erroribus. Veritates enim (quas iniustè, & indignè Philosophi possidebant) quasi thesaurum quemdam erutum ex fodinis diuinæ prouidentiæ vbique diffusæ, debere nos nostro iure ad Scripturas intelligendas vsurpare. Sicut filij Israel relictis ægyptiorum idolis, cum ex ægypto discederent, vasa aurea. & argentea illis surripuerunt.

Quintum documentum, idque latissimè patens, est, vt si quis locus est ambiguus; vel propter obscuritatem dictionis, quia dubium est, quomodo sit distinguenda, vel pronunciauda, num seriò, an ironicè, absolutè, an per interrogationem &c. vel etiam ob significatarum rerum obscuritatem; consulat quis alia dogmata fidei clariora, antecedentiaque, & consequentia perpendat. His enim diligenter consideratis, quamcumque sententiam aliquis ex eiusmodi Scripturæ loco eliciendam putet, modo fidei consentanea illa sit, & charitatem Dei, & proximi, quæ finis est sacrarum literarum, promouere possit; Non falletur perniciosè: inquit sanctus Augustinus, etiamsi non assequatur id ipsum, quòd Scriptor Canonicus intendit.

Sextum documentum est, vt consulatur etiam ratio naturalis. Nam etsi multa supra rationem naturalem doceat Scriptura, tamen nihil omnino contra illam docet. Vt cùm dicitur: [Si oculus tuus scandalizat te, erue illum, & proijce abs te;] Ipsa certè ratio admonere nos debet; ne huiusmodi locum intelligamus propriè: sicut verba ipsa sonant. Atque huius quidem documenti, quò quisque doctior, & in animaduertenda vi rationis naturalis perspicacior fuerit, eò quoque maiorem vsum habere poterit. Denique intelligentia Scripturarum inprimis à Deo cum vera animi submissione petenda est, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Et hæc quidem de Scripturis sacris summatim exposuisse sufficiat.

De traditionibus Apostolicis.

DE traditionibus Apostolicis, nunc dicendum. Primò. Quæ sit ipsarum ratio, & differentia. Secundò. Quanta auctoritas, quamque certum sit illas exstare. Tertiò. Quomodo sint internoscendæ.

I. Traditiones in proposito dicuntur doctrinæ quædam dogmata, aut etiam morum instituta, quæ Apostoli, vel ex ipsius Christi ore, vel ex Spiritus sancti suggestione, accepta, viua voce tradiderunt Ecclesiæ, quæque illi, aut omnino non scripserunt, aut certè non nisi obscurè scripto insinuarunt. Ita duplex, in vniuersum loquendo, Apostolicarum traditionum genus est. Quædam ad doctrinam tantùm pertinent. Vt, quòd mater

Dei

Dei fuerit perpetuò virgo: quòd veteris, & noui Testamenti libri omnes, & singuli sint Spiritu sancto dictante scripti: quòd distinctio diuinarum personarum sit per relationes: quòd Christus Dominus in cœna eleuatis oculis in cœlum benedixerit, & fregerit panem: quòd etiam illa verba in consecratione calicis dixerit, Mysterium fidei. Et alia id genus, quæ colligit Innocentius III. Aliæ verò traditiones sunt practicæ, quæ proindè ad mores, siuè ad vsum propriè pertinent. Quamquam vix quidem vlla est traditio ad praxim pertinens, quæ non etiam veritatem aliquam ex fide credendam contineat: nempè rectum id esse omnino, quod circa vsum à traditione instituitur. Cuius generis passim in materia Sacramentorum traditiones multæ occurrunt: vt paruulos esse baptizandos; Illam esse materiam, & formam Ordinis, confirmationis, Extremæ vnctionis à Christo institutam, qua Ecclesia vtitur; Sacramenta quædam iteranda non esse. Huius generis est etiam Sanctorum, & Imaginum veneratio, vt habetur in Synodo septima: Item templorum vsus, luminarium, & aliarum similium rerum, quæ ad cultum, & cæremonias Ecclesiasticas pertinent.

Ac est præterea in hoc genere practicarum traditionum, quatenus practicæ sunt, discrimen aliud obseruandum. Nam quædam ciusmodi instituta Apostoli tradiderunt ad certum dumtaxat tempus duratura. Tale fuit decretum illud de sanguine, & suffocato, quod commemorat Diuus Lucas in actis: Item etiam institutum illud baptismi in nomine Christi. De quo etiam legimus in eadem historia. Si tamen solius Christi, vt multorum sententia est, mentio in eo baptismo fiebat, & non etiam exprimebatur Trinitas. Alia verò absque vlla limitatione temporis tradiderunt Apostoli.

Inter quæ rursum est differentia, quòd quædam huiusmodi sunt, vt ne ab ipsis quidem Apostolis ex officio, & auctoritate sua propria, atque adeò nec ab Ecclesia vnquam mutari posse credantur, seclusa extraordinaria aliqua, & peculiari reuelatione Christi. Huiusmodi sunt ea, quæ Apostoli ex ore ipsius Christi Domini acceperunt: vt illa, quæ pertinent ad substantiam Sacramentorum. Itaque si aliquando Apostoli baptismum in solius Christi nomine contulerunt, id Diuus Thomas, & alij Theologi aiunt fecisse eos ex peculiari Christi Domini reuelatione pro eo tempore, quo nomen ipsius celebrari, quàm maximè oportebat. Alia fuerunt ab Apostolis tradita, absque certa quidem temporis determinatione, sed quæ illi tamen ex auctoritate, & officio proprio, Spiritu sancto suggerente, ad vtilitatem Ecclesiæ, circumstantijs temporum, ac rerum omnibus consideratis, instituerunt. Et quæ huiusmodi sunt, quemadmodum Apostolica auctoritate, sic requirentibus temporum circumstantijs, constitui potuerunt, ita etiam postmodum ab eo, qui Apostolica auctoritate fungitur, hoc est, à Romano Pontifice, mutari, & aboleri, sicut & alia quoque de nouo institui possunt. Vt enim circumstantię rerum progressu temporis variantur, sic etiam oportet rationem Ecclesiasticæ gubernationis esse in quibusdam rebus alio, atque alio tempore variam.

Atque ad hoc sanè genus multi ritus Ecclesiæ veteris pertinuerunt, qui modò non sunt in vsu. Vt communio laicorum sub vtraque specie, & aliquando quidem omnium quicumque sacrificio Missę interessent, & alia id genus, quæ in varijs materijs Theologicis commemorantur. Hæc igitur traditionum Apostolicarum varietas est. De quibus tamen hoc loco præcipuè tractamus, non quatenus ad praxim pleræque illarum pertinent: sed quatenus, vt supra diximus, omnes illæ ad fidei veritatem quadam etiam ratione spectant; nempè vt credi certè debet eas omnes esse rectas. Qua quidem ratione immutabiles omnes sunt. Nam quod semel verè per fidem credimus, ita esse, aut non esse, sic rectè fieri, aut non fieri, ad tempus, siue perpetuò &c. id semper manet de fide verum. Non enim, vt gubernationis, sic etiam veritatis ratio cum tempore, & rerum circumstantijs mutatur. De primo igitur puncto hæc sint satis, quæ fusius Melchior Canus, & alij multi Theologi persequuntur.

II. Quod ad secundum attinet, non dubitatur, quin si quæ sint dogmata ab Apostolis, Spiritu sancto suggerente, vel Christo auctore, tradita viua voce, perindè illa infallibilem auctoritatem habeant, ac si scripta fuissent. Neque hoc propriè vlli hæretici negauerunt. Intelligunt enim, doctrinam sacram infallibilem esse, non quia literis, & atramento expressa est, sed hoc ipso quod est diuina, siuè literis, siuè viua voce declaretur. Sed controuersia omnis est, vtrùm aliqua eiusmodi dogmata Apostoli viua voce tradiderint sine scripto, quæ nunc etiam in Ecclesia suppeditent ad fidei controuersias finiendas argumentum infallibile. Ac negant hæretici non modò recentiores nostri, sed etiam veteres penè omnes. Omnibus enim hæreticis hoc ferè in more fuit positum, vt ad Scripturas solas prouocarent, nec vllum pręterea fidei principium admitterent. Sic Arrius, Nestorius, Eutyches, Dioscorus, fecerunt, vt Basilius Ancyranus Episcopus, refert, in confessione, quam exhibuit septimæ Synodo. Sic etiam Iconomachi, vt ex eadem Synodo patet. Sic Æriani, vt auctor est Epiphanius. Sic Marcion, & Valentinus, vt videre est apud Tertullianum. Sic Wicleffus apud Waldensem. Sic denique Lutherani, Caluinianique omnes. Fundamenta verò illorum eiusmodi sanè sunt, vt etiam ex illis ipsis, aduersùs eos optimo iure retortis, catholicam traditionum assertionem, quemadmodum videbimus, facilè simus probaturi.

Argumentum Primum.

PRimum autem est tale: Traditiones esse aliquas Apostolicas, quæ non etiam scriptæ sint, tum demùm concedi oporteret, si non omnis doctrina diuinitus reuelata mandata est sacris literis. At omnis prorsus eiusmodi doctrina sacris literis consignata est. Perperam igitur tales asseruntur traditiones. Id confirmant ex Apostolo, qui scripturam affirmat [vtilem esse, vt perfectus sit homo

homo Dei ad omne opus bonum instructus.] Quo loco peculiariter Kemnitius vrget, quòd pluribus etiam verbis Apostolus eam Scripturæ vim, atque vsum declarauit. Ait enim, [vtilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum; ad erudiendum in iustitia.] Vndè concludit Kemnitius sufficere ipsam posse etiam Euangelij ministro, vt omnes partes sui muneris explere possit. Et accedit huc sanè quod in Deuteronomio non iubebantur fideles credere, nisi quæ sacerdos docuisset iuxta legem Domini, hoc est, secundum ipsum Dei verbum; tanquam hoc videlicet ad omnia dijudicanda sufficeret. Quod cùm ita sit, sine causa, inquiunt, recipi doctrinas alias, & mandata hominum. Id quod Pharisæis Dominus in Euangelio Matthæi exprobrauit. Quin etiam contra præceptum illud ea re committi: [Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.]

Argumentum Secundum.

SEcundò, ostium ea ratione peruersis, ac phanaticis erroribus aperitur. Facilè enim cuiuis est, cùm scripturarum testimonijs destitutus fuerit, traditionem comminisci Apostolicam. Sic Papias errorem illum suum de mille annis regni Christi in terris post resurrectionem futuri, commentitia traditione Apostolica tueri conabatur. Quinimò Kemnitius contendit (vt postea videbimus) traditionum prætextu errores aliquos, qui vnquam in populo Dei fuerunt, sparsos fuisse, eoque consilio, & vetus, & nouum testamentum diuinitus fuisse mandatum literis, vt commentitijs traditionibus scripto occurreretur. Adde quòd hæreticorum quidem morem, & institutum traditiones illæ redolent auriculares, & clanculariæ. Cùm contrà Christus palam mundo locutus sit: Et, si quid in tenebris dixit Apostolis, certè iussit, vt in lumine id dicerent; itemque vt quod in aure audierunt supra tecta prædicarent. Non igitur sapiunt hæ traditiones Christi doctrinam.

Argumentum Tertium.

TErtiò, doctrinæ, inquiunt, cœlestis capita eo modo Apostoli Ecclesiæ tradiderunt, qui conuenientissimus esset, vt illa perpetuò pura, atque integra in Ecclesia conseruarentur. Sed talis modus non est, vt viua voce tantùm sine scripto illa tradiderint. Ergo credendum non est, illos sic aliqua fidei capita tradidisse. Id confirmant. Quia vel impossibile, vel difficile admodum est, vt quod auditione tantum accipitur, integrum retineatur, & conseruetur. Aut enim, qui audit non satis assequitur, aut certè postmodum obliuiscitur, aut alijs minus deindè fideliter tradit. Quo facilè fit, vt paulatim ea ratione immutetur, & corrumpatur tandem doctrina. Itaque, quod maximè Kemnitius inculcat, & Apostoli idcircò scripserunt, vt cęlestis doctrina memoria retineri à fidelibus posset.

Argumentum Quartum.

QVartò, auctoritatem Patrum obijciunt. Nam Augustinus inter cętera ait: [Etsi multa Christi verba, & gesta scripta non sint; illa tamen scripta esse, quæ credentium saluti sufficerent.] Et rursus: [Vbi de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus claris Scripturæ testimonijs, cohibere se debet humana præsumptio.] Et Hieronymus: [Sine Scripturarum, inquit, auctoritate garrulitas non haberet fidem.] Et aliàs quoque ea dogmata damnat, quæ absque Scripturarum auctoritate, & traditione Apostolica proferuntur. Itaque traditionem veteris cuiusdam historiæ, quòd Zacharias Ioannis Baptistæ pater, fuerit is, quem Iudæi inter templum, & altare occiderunt, idcircò etiam idem Hieronymus reijcit, [quia de Scripturis non habet auctoritatem.] Origenes item ait: [Sine Scripturæ testimonijs sensus nostros non habere fidem.] Item Constantinus in Concilio Nicęno, vt Theodoretus refert: [In disputationibus, inquit, rerum diuinarum habetur Spiritus sancti doctrina præscripta. Euangelici enim, & Apostolici libri, cum Prophetarum antiquorum oraculis, planè nobis ostendunt sensum numinis, proinde sumamus ex dictis diuini spiritus explicationes quæstionum.]

Verùm his nihil obstantibus contrariam nos omnino veritatem ex ijs ipsis principijs, quæ ad suum hæretici errorem peruersè accommodant, ostendemus, eademque opera, & sententiam catholicam confirmabimus, & eas quas addúximus argumentationes hæreticorum refellemus.

Probatio Prima.

ATque vt eodem ordine ea nos principia aduersùs hęreticos pro veritate vsurpemus, quo sunt ab ipsis pro mendacio perperam assumpta, sit hæc prima probatio. Apostolicæ traditiones non scriptæ, omnino concedendæ sunt, si doctrina diuinitus reuelata non omnis est consignata sacris literis. At planè non est. Igitur traditiones eiusmodi prorsus concedi debent. Etenim multa, tanquam à Deo reuelata, ex fide credenda sunt, quæ in scriptura, aut omnino non sunt, aut non ita sunt, vt ex illa tantùm persuaderi queant, non dicam, contentiosis, sed ne moderatis quidem hominibus. Id autem suprà Diui Augustini aliorumque Patrum auctoritate probaui, nuncque etiam confirmo exemplis paulò antè adductis, cùm de traditionum differentia, & ratione dicerem. Credimus enim, & credidit semper Ecclesia, libros noui, ac veteris Testamenti sacros esse; quod tamen ex scripturis discere non possumus, sed ex Ecclesiæ Romanæ traditione, à qua, vel ipsi etiam Lutherani, alijque hęretici libros sacros acceperunt. Vt (quemadmodum suprà ex Diui Augustini sententia istis obijciebamus) mirum sit eos fidem Ecclesiæ Romanæ in re tanti momenti adhibuisse, & eidem in cęteris negauisse tam facile.

Quòd si respondeant, diuina prouidentia factum esse, vt libri sacri apud Romanam Eccle-

Ecclesiam seruarentur incorrupti, ac proindè non potuisse illam suppositirios, ac falsos obtrudere: Accipio sanè quod dicunt. Neque enim aliquid auctoritatis Ecclesiæ tribuendum est, exclusa Spiritus sancti cura, & prouidentia. Sed cùm id ita sit, cur non etiam in dogmatibus alijs, quæ Ecclesia eadem Romana tradit, regi illam, ac protegi à Spiritu sancto concedunt, ac proindè non posse errare? Sed inquit Kemnitius, ostendant prius Ecclesiam Romanam esse verè Apostolicam, vt credamus ei. Optimè verò. Iam enim euidentissimè supra id ostendimus.

At dicent istorum aliqui fortassis, nec se, nec maiores suos (Lutherum, videlicet Caluinum, & similes hæresiarchas) ob Ecclesiæ Romanæ traditionem, & testimonium Scripturam sacram pro diuina recepisse. Vndè nam igitur illam habent? An in ipsamet Scriptura vsquam legerunt, hos libros ad numerum esse omnes sacros? Aut id habent ex reuelatione diuina sine vllo, vel Scripturę, vel Ecclesiæ præsentis testimonio, cuius ex auditu fides de istorum auctoritate librorum concipiatur? At suprà conuicimus, Deum sine ministerio auctoritatis humanæ nequaquam de rebus fidei docere. Sed neque dicere possunt, Scripturam recepisse se propter solum testimonium antiquioris Ecclesiæ, quæ longè antè prætcrijt. Nón enim eius Ecclesię testimonium auditu ipsi percipere potuerunt. Fides autem (de tali præsertim articulo, qui quasi caput est omnium) necesse est, vt ex auditu, hoc est, ex ministerio legitimo veræ Ecclesiæ, omni tempore, iuxta Christi promissiones, perdurantis, concipiatur: maximè cùm ne testificationem quidem Ecclesiæ antiquioris, nisi ab Ecclesia præsenti habere possimus. A quanam igitur Ecclesia præsente Sectarij Scripturam, tanquam certam, & infallibilem acceperunt, si non eam acceperunt ab Ecclesia Romana? An ab Ecclesia illa sua inuisibili, à qua, cùm inuisibilis esset, nihil accipi potuit?

Sed quamdam cauillationem potissimùm inculcat Kemnitius, vt persuadeat; non illico reliqua dogmata ab Ecclesia Romana accipienda esse, si ab ea Scripturas ipsas oportuit accipere. Quid enim? An ideò Synagogæ traditiones, contra mandata Dei, vel olim à Iudæis fidelibus, vel etiam ab ipsis christianis recipiendæ fuerunt, quoniam ipsas quoque Scripturas veteris Testamenti ab eadem illi Synagoga acceperunt? Ego verò ad cauillationem istam hunc in modum respondeo. Primùm, quod ad christianos attinet, certissimum est, eos nec debuisse vnquam, neque debere iam ob traditionem aliquam, ac decretum Synagogæ recipere libros veteris testamenti velut Canonicos, ac infallibiles. Nulla enim nos illius Synagogæ sanctione, legeuè tenemur; quinimò ne testimonio quidem ipsius opus habemus, vt libros illos Testamenti veteris sacros esse nobis persuadeamus, cùm abundè nobis ad eam rem sufficiat ipsum per se testimonium Christi, & Apostolorum, quo eorum est auctoritas librorum commendata. Itàque hos quidem libros non propter Synagogæ traditionem nos christiani, nam Sectarij, ipsi viderint, vtrùm Iudæi esse malint, recipimus, sed quia de illorum vsu, atque auctoritate, vt etiam disputat D. Augustinus, à Christo ipso, & Apostolis, atque à Christi Ecclesia sumus eruditi. Id autem cùm ita sit, nondum nobis quidem monstrant Sectarij aliquam eiusmodi auctoritatem, à qua libros sacros, & non etiam alia dogmata similiter, recipere ipsi debeamus.

Quod autem attinet ad fideles ipsos, qui fuerunt ex illo populo Iudaico, itidem planè affirmo, qua ratione illi ex auctoritate Synagogæ debuerunt recipere libros sacros, consequenter etiam debuisse ex eadem auctoritate recipere eas quidem traditiones, quæ similiter, atque libri sacri à Synagoga commendarentur. Hoc autem ita declaro, ac probo. Libri illi sacri ea ratione ritè tradebantur à Synagoga, quia & communi planè consensu fidelium omnium, atque adeò totius illius Ecclesiæ, & legitimo iudicio sacerdotis, qui pro tempore in cathedra Mosis præsidebat, commendabantur. Et voco legitimum iudicium sacerdotis illud, quod neque ex præiudicata planè sententia illius Ecclesiæ, & sacerdotum antecessorum, neque ex euidenti vitio electionis personæ, neque etiam ex diuina planè prædicatione Prophetarum, aut Christi, & Apostolorum, quæ manifestè erat fide, & assensione digna, clarè deprehendi posset, non iam à Pastore reuera ex auctoritate ipsi diuinitus attributa decernendi de causis etiam religionis, sed à lupo, mactante, & dispergente oues, proficisci. Quodcunque etiam sacerdotis iudicium tale esse manifestè aliquo modo ex dictis deprehendi non potuit, ei omnes fideles illius Ecclesiæ tanquam sententiæ Superioris sui, & Præpositi ex Mosaica Cathedra profectæ, acquiescere, atque obtemperare oportuit, iuxta præceptum Domini: & consequenter iudicium fuit legitimum Pastoris veri, cuius videlicet opera, & auctoritate Ecclesiam quoque illam Deus regi voluit.

Iam igitur, si quæ etiam traditiones communi illius Ecclesię consensu, & legitimo Mosaicæ cathedræ iudicio, similiter, atque libri illi sacri commendabantur, eas etiam consequenter fuisse à fidelibus item recipiendas affirmo: quales profectò fuerunt quædam bonæ, ac sanctæ traditiones illius populi, quæ vel ad interpretationem ipsius scriptæ legis, vel etiam ad quemdam quoque cultum, vt in confutatione secundi argumenti hæreticorum, videbimus, spectabant. Etenim vt tota illa Ecclesia erraret, sententiamque sequens ex Moysis Cathedra prolatam, quam ipsa amplecti deberet, in re nimirum dubia, aut non aliter diuinitus, ac manifestè præiudicata, falleretur, diuina promissio obstabat. Quamobrem, & Christus ipse, quæcumque dicerent Pharisæi, & Scribæ ex sententia illius Cathedræ, fieri imperabat. [Nam de malis etiam Præpositis, inquit D. Augustinus, plebem securam faciebat, ne propter illos doctrinæ salutaris cathedra desereretur, in qua] cùm scilicet agitur de re dubia, nec aliter manifestè ab ipsa Ecclesia præiudicata, [coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt, quæ dicunt, sed Dei, qui in cathedra vnitatis doctrinam posuit veritatis.] Atque indè etiam est, quòd licet olim Prophetæ diuinitus missi, multa con-

contra vitia, & errores, quibus subindè obstringebantur in illo populo, cùm alij, tum etiam, vt apparet, ipsi quandoque sacerdotes, vt priuatæ personæ, qui proindè ex auctoritate illius sacerdotij, & Cathedræ Moysis ob infidelitatem decidebant, illiusque adeò titulum non nisi perperam, sibi ad defensionem erroris vendicabant: tamen numquam eiusmodi Prophetæ in gradum ipsum auctoritatis sacerdotum, certitudinemque per se Mosaicæ illius Cathedræ sunt inuecti, nec aliam ipsi cathedram, tanquam altare contra altare erexerunt: vt verissimè etiam Donatistis hæreticis ab Augustino, & alijs catholicis iam olim est responsum. Sic enim in breuiculo collationis Augustini, & aliorum catholicorum cum Donatistis, legimus: [De Prophetis etiam, quia dixerant Donatistæ non eos communicare illis, in quos mala tanta dixerunt: Responderunt catholici, quòd vnum templum fuerit, quo vniuersi vtebantur, nec quemquam Prophetarum, qui tanta dixerunt in malos, constituisse sibi (audiant Sectarij) aliud templum, sacrificia, aut Sacerdotes.]

Quæ autem dogmata, seu traditiones non erant probatæ communi consensu illius Ecclesiæ, nec iudicio Mosaicæ Cathedræ ita legitimo, vt antè explicaui; eæ quidem minimè idcircò debuerunt recipi ab Iudaico populo, quoniam libros sacros ab illa Ecclesia traditos, recipere is debuit: non enim illæ similiter, atque ipsi libri, neque eadem auctoritate, proponebantur. Ac tales omnino fuerunt traditiones illæ contra mandata Dei, quas Christus etiam ipse manifestè ostendit, nequaquam defendi posse tanquam ex Moysi Cathedra, quæq; proculdubiò etiam, vel manifestè ex præiudicata sententia Ecclesiæ erant damnatæ, vel ante ipsam certè testificationem Christi, legitimorum Sacerdotum iudicio, minimè receptæ, sed tantùm toleratæ; sicut multæ tales corruptelæ in illo populo, præsertim ad interitum Synagoga propius tendente, corrigi satis per Sacerdotum auctoritatem non potuerunt. Item etiam eius generis fuit maximè sententia Synagogę de Christi, & Apostolorum doctrina; siquidem propter testimonium Christi, & Apostolorum, manifestè diuinum, non eam sententiam ex Cathedra Moysis, proficisci, sed illi potius repugnare, & quasi euanidam esse (iuxta diuinas prædictiones) iam iam morientis Synagogæ vocem, omnes prudenter poterant, & debebant credere.

Quæ cùm ita sint, firma prorsus nostra argumentandi forma manet ab auctoritate videlicet Ecclesiæ Catholicæ in tradendis libris sacris ad certitudinem aliorum dogmatum, quæ eadem Ecclesia similiter tradit: Quin imò magis etiam id argumentum nostrum, Sectariorum illa cauillatione, quam ex traditione Synagogæ petunt, confirmatum iam est. Ostendimus enim, Iudaici etiam populi temporibus, firma quoque consequentia rationis probari potuisse, illa dogmata fuisse certa, quæ ex eadem auctoritate, & similiter, atque ipsi libri Canonici, tradebantur. Quantò igitur nunc magis ea consequentia, in quæstione de auctoritate traditionum Ecclesiæ Catholicæ valebit, quæ & illustriores longè quàm Synagoga, de veritate promissiones habet, nec est porro vnquam ipsa defectura, antiquandaue, sicut Synagoga, per aliquam aliam formam legitimæ religionis?

Verùm vt alia traditionum non scriptarum exempla (præter ipsam traditionem Scripturæ) de quibus suprà etiam dictum est, nunc prætercam, certè quædam ob diuinam reuelationem credi debere, quæ scripta non sint, vel Lutheranorum testimonio conuincere possumus. Nam, vt Ioannes quidam Gastius, & ipse Lutheranus, commemorat, cùm Basileæ à Lutheranis, & Anabaptistis aliquando fuisset instituta disputatio: ex maleque intellectis Scripturis Anabaptistæ colligerent, paruulos baptizandos non esse, & alia quædam id genus peruersa dogmata; non habuerunt tandem Lutherani, quod contrà obijcerent, nisi communem Patrum, atque adeò Ecclesiæ consensum, quæ illos Scripturę locos aliter intellexerit, atque Anabaptistæ interpretarentur. Et certè Diuus Augustinus sentit, consuetudinem baptizandi paruulos traditione non scripta niti.

At enim, possunt tandem (inquit Kemnitius) eius etiam generis dogmata, quod ad rem ipsam attinet, ex Scripturis confirmari, sicut etiam sunt confirmata à Patribus. Quanam obsecro ratione tandem? Nunquid clarè, & euidenter? Non certè: sed benè quidem, vt res quæ sint ipsi Scripturæ analogæ, & consentaneæ, & quarum ratio, atque vis, adhibita forma cuiusdam argumentationis, magis aut minùs propè (vt est conditio subiectæ materiæ) ex Scriptura ipsa deduci possit. Hoc autem modo, quænam obsecro traditio Ecclesię Catholicę per Scripturam, etiam confirmari non potest? At sunt etiam earum traditionum quædam à Scriptura abhorrentes, imò pugnantes cum Scriptura. Ita quidem Sectarij ipsi indicant. Sed Ecclesia ipsa Christi vera, & Catholica, cuius iudicio, qui repugnant, hæretici sunt, secus iudicat.

Accedit, quòd Scriptura ipsa non obscurè declarat, vebo tenus Apostolos multa tradidisse, quę certè omnia ipsos literis mandasse, nunquam poterunt probare Sectarij. [Quæ audisti (inquit Apostolus) à me per multos testes, hęc commenda fidelibus. Et rursus: O Timothee, depositum custodi,] hoc est, vt pluribus verbis persequitur vetus auctor Vincentius Lyrinensis, doctrinam quam à me audiuisti. De qua item doctrina iterum eum sic admonet: [Formam, inquit, habe sanorum verborum, quę à me audisti, bonum depositum custodi.] Atque etiam ad Thessalonicenses: [State, inquit, & tenete traditiones, quas accepistis, siue per epistolam, siue per sermonem.] Quo ex testimonio luculenter sanè Diuus Basilius, & Chrysostomus, & alij Patres, vt postea videbimus, auctoritatem traditionum non scriptarum confirmant. Item: [Laudo, inquit, vos quòd sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis, &c. Et ibidem: [Cætera, cùm venero, disponam.] Ex quo etiam loco Diuus Augustinus constare putat, quæ cęremoniæ in sanctæ Eucharistię celebratione passim, atque vbi-

vbique similiter, in Ecclesia adhiberi sint solitæ, eas à Diuo Paulo sine scripto traditas esse. Præterea Diuus Ioannes: [Plura, inquit, habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum: Spero enim me futurum apud vos, & ore ad eos loqui.] Nec dubium est, quin toto illo tempore, quo post resurrectionem Christus cum discipulis suis versatus est, & locutus de Regno Dei, vt Lucas refert, plurima Ecclesiæ salutaria eos docuerit, ex quibus pauca tamen illi literis prodiderunt. Neque verò tacuisse illos prorsus credendum est, sed viua voce, pleraque ex illis Ecclesiæ tradidisse. Ioannes rursus ait: [Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse, qui scribendi sunt, libros.] Sicut autem multa Christi facta scripta non sunt, ita proculdubiò multa verba, atque præcepta illius; quæ Apostoli minimè quidem negligenda putarint, sed ad vtilitatem Ecclesiæ viua voce tradiderint. Vnde etiam Diuus Paulus dictum illud Christi commemorat, ab Euangelistarum nemine scriptum: [Beatius est dare quàm accipere.] Neque verba hæc solùm, sed etiam ipsa sententia planè (quidquid Kemnitius, & alij Sectarij fingant) in Euangelica historia desideratur. Vbinam enim illa comparatio in Euangelijs perspicuè significata est, non modò bonum esse in alios esse munificum, sed etiam melius, quàm beneficium accipere?

Iam verò, quæ ad infirmandas has traditionum probationes ex Scriptura à Catholicis duci solitas, Sectarij disputant, nullius profectò sunt ponderis. Contendunt, singulos quosque Scriptores sacros, noui Testamenti, eo consilio, ac in eum vsum fidei dogmata mandasse literis, vt doctrina cœlestis custodita scriptis tutior esset à commentitiarum traditionum corruptelis. Nos verò, quin pleraque ab Apostolis (præsertim à Diuo Paulo) aduersùs adulterinas traditiones hominum, scripto disputata sint, minimè quidem negamus. Oportuit enim etiam absentes, vt & res postulabat, & occasio dabatur, ab ipsis Apostolis quandiù superstites fuerunt, doceri, & de erroribus, qui erant vitādi commonefieri, quò ita demum auctoritate Apostolica, partim scriptis, partim prædicatione Ecclesia Christi faciliùs coalesceret. Cęterùm id fuisse consiliū Apostolorum, vt quidquid esset fidei dogmatum, hoc totum scriptis mandarent, nec nisi traditione ab ipsis scripta in Ecclesia deinceps custodiretur, planè commentum est Sectariorum vanissimum, quod probare non possunt. Quis enim locus in Scriptura noui Testamenti est, vbi vel vnus vel aliquis Apostolorum, vel omnes illi omnia fuisse scribenda significauerint? Non certè vel omnes simul, vel aliqui eorum id asseuerarunt. Quisnam illorum igitur? Sanè discussit Kemnitius scripta omnia, & libros noui testamenti, vt tale aliquod testimonium de consilio eiusmodi Apostolorum inueniret, sed nihil omnino in eo genere indè proferre potuit, quo planè concludatur omnia prorsus dogmata fidei mandata literis fuisse, nisi quòd præstigijs quibusdam, & nescio qua prolixa verbositate Lectori fucum videtur facere. Etenim cogitur ipse tandem agnoscere nullum aliquem noui testamenti Scriptorem omnia fidei dogmata fuisse in aliquo libro complexum, ne ipsum quidem Diuum Paulum in epistola ad Romanos, quam tamen illi alioqui, propter doctrinæ copiam, appellare solent Christianæ fidei methodum. Hoc autem concesso (quod certè est euidentissimum) manifestè consequitur, nullum Apostolorum, vel Euangelistarum vnquam significauisse omnia omnino fidei dogmata fuisse scribenda. Quicunque enim illorum aliquid fuisse scribendum dixit, non nisi de ijs fidei dogmatibus, quæ ipse scripserat, aut instituebat scribere, id dixit: Sicut ex omnibus eiusmodi locis noui Testamenti, in quibus scriptionis fit mentio apparet. Ita fit, vt nullus omnino eorum Scriptorum significarit, aut dixerit, omnia dogmata fidei fuisse scribenda, sed quædam, nempe illa, quæ ipse instituit scribere. Quid igitur est, quòd ex Scriptura noui Testamenti conatur nobis persuadere Kemnitius omnia fuisse scribenda, si neque omnes, neque aliqui Scriptores noui Testamenti, neque vllus illorum id significauit, aut dixit?

At vrget Kemnitius. 1. Propterea scripsisse illos sacros auctores, ne habere locum possent commentitię traditiones. 2. Significare etiam, se illa eadem scribere, quæ antea voce tradiderant, 3. Id fecisse vt credentes salui esse possint. 4. Non satis esse putauisse, si aliquos mitterent, qui verbo doctrinam explicarent, sed adiunxisse etiam literas, vt absentes illi, quęnam esse doctrina Apostolica, certò cognoscere possent. 5. Voluisse ad eos scribere, qui ab ipsis quidem Apostolis viua voce coram non erudiebantur: quales nos etiam sumus, & reliqui omnes fideles, quibus videre & audire ipsos Apostolos non contigit. 6. Si ipso tempore Apostolorum, scriptis Apostolorum aduersùs fictitias traditiones opus fuit: multo magis postremis his temporibus. 7. Vocasse Apostolum Scripturam suam Canonem, & Regulam, quam qui sequerentur, pacem essent habituri. 8. Scripsisse illum ita, vt intelligi posset mysterium Christi, atque etiam illa, quæ extruenda essent super id fundamentum: pręter quæ nihil amplius est desiderandum, &c. Hæc enim præcipua capita probationis Kemnitianæ sunt, ad quæ reuocantur omnia, quæ prolixè & verbosè de hac ille re frustra inculcat, & repetit. Quibus nos breuiter, & ordine sic respondemus.

1. Quòd voluerint Apostoli scriptis etiā suis confutare commentitias priuatorum hominum traditiones; id sanè non idem est, atque voluisse, vt nullę exstarent communi Ecclesiæ auctoritate probatæ, atque custoditæ traditiones non scriptæ. Multum enim inter has, & illas traditiones differt: nec nos illas, sed has defendimus: nec Sectarij disputationem vllius Apostoli, aut Euangelistæ, aut Orthodoxi alicuius Patris proferre possunt, aduersùs communem aliquam ipsarum Ecclesiarum traditionem, institutam; sicut iam ipsi Sectarij contra receptas à cuncta Christi Ecclesia traditiones, ex insolentissima insania (vt postea ex Augustino audiemus) disputant. Quin imò, & ipse Diuus Paulus communem vsum, & traditionem

Eccle-

Ecclesiarum opponendam contentiosis hominibus existimauit.

2. Frustra verò isti laborant, vt ostendant illa eadem, quæ ante Apostoli viua voce tradiderant, postea etiam scripsisse. Quis enim hoc negat? Quòd autem omnia prorsus, quæ voce tradiderunt, mandarint etiam literis, id verò est. quod nusquam, vt antè ostendi, in Scriptura noui Testamenti Sectarij legunt. Itaque Diuus Irenæus, cùm antè dixisset, [Euangelium, quod prius Apostoli præconiauerunt, postea ipsos per Dei voluntatem nobis in Scripturis tradidisse fundamentum, & columnam fidei nostræ futurum:] tamen paulò post nihilominùs disertis verbis docet, solitos fuisse Orthodoxos ad traditionem Apostolicam preter Scripturam prouocare hæreticos, sicut suprà etiam illius verba recitauimus. Vnde perspicuè apparet non omnia omnino dogmata, quæ ad Euangelicam doctrinam pertinent, significasse ibi Irenęum fuisse mandata literis, vt perperam Kemnitius contendit, sed pręcipua quædam eius capita, qualia sunt de vita, & morte Christi, & redemptione generis humani per ipsum facta, & reliqua, quæ ipsi certè quatuor Euangelistæ literis consignauerunt. De horum enim Scriptura duntaxat se ibi loqui declarat Irenęus, quam etiam verissimè columnam nostrę fidei, atque fundamentum appellat, non autem de omni doctrina fidei, neque etiam de tota Scriptura noui Testaméti, vt Kemnitius comminiscitur, Irenæi sententiam suo more deprauans.

3. Ita, nec sequitur, illos libros continere omnia fidei dogmata, qui ideò scripti dicuntur, vt credentes salui fiant. Non enim vniuersa solùm fidei doctrina, sed quæcumque etiam eius pars ad eum finem traditur, atque adeò scribitur: nempe, vt credendo illam, & quatenus id quidem necesse sit) reliquas omnes partes doctrinæ, salutem consequi valeamus. Vt prætеream plerosque Scripturæ libros ferè continere pręcipuos illos articulos, quos absolutè quidem, & explicitè satis est fideles scire, & credere, vt salutem consequi possint. Sed patere tamen doctrinam fidei multò, quàm illos articulos, latiùs, suprà explicauimus.

4. Literas autem ad nuncios ideò Apostoli quandoque etiam addiderunt, quoniam, vel homines nimirum mittebant priuatæ auctoritatis, quam proinde Apostolico quasi sigillo communire oportuit, vt fidem certiorem mereretur; vel quia exemplum etiam Decreti, Apostolici Concilij, cum pluribus absentibus communicandum fuit, Actor. 15. At Ecclesiæ auctoritas, qua nobis Traditiones Apostolicæ quædam non scriptæ commendantur, non priuata, sed communis, & infallibilis auctoritas, tamquam columen firmum veritatis est, cui etiam sine sigillo, & literis Apostolicis fidem necesse est adhibere.

5. Iam antè diximus, in illis quidem Ecclesiæ initijs, superstitibus adhuc Apostolis, omnes oportuisse, ad maiorem conciliandam doctrinæ auctoritatem, Apostolico ministerio, vel voce in præsentia, vel scripto in absentia erudiri. Apostolis autem vita defunctis, ipsius etiam Ecclesiæ per illos plantatæ auctoritatem clarissimam satis fidelibus esse debuisse, vt crederent quoque viuæ vocis Traditiones Apostolicas ab Ecclesia propositas, atque commendatas. Itaque accipio sanè, quod profitetur Kemnitius, si tam certò constaret, eas, quæ nunc proponuntur Traditiones Apostolico titulo, doctrinam Apostolicam continere, quàm ipsam Scripturam, quæ pro Apostolica iam habetur, ab omnibus tales Traditiones æquè, atque Scripturam ipsam esse recipiendas. Accipio hoc, inquam, atque; ita deinde subsumo; Omnino æquè certò vtrumque constat: nempe eiusdem Ecclesiæ auctoritate, à qua sola similiter certò, & infallibiliter accepimus, libros illos, qui Apostolorum nomine sunt inscripti, esse planè Apostolicos. Consequitur igitur, vel ipsis Sectarijs iudicibus, Traditiones, quas Ecclesia Catholica, vt Apostolicas commendat, æquè ab omnibus recipiendas esse, atque Scripturas ipsas Apostolicas.

6. Verum quidem est, multò etiam nunc magis Scripturæ Apostolicæ aduersùs commentitias traditiones particularium seductorum, quæ cum vera traditione Apostolica scripta, & non scripta, pugnent, vsum esse posse. Sed, vt tempore ipso Apostolorum nullus vmquam Scripturæ Apostolicæ contra traditiones communi Ecclesiæ sententia, & auctoritate receptas vsus fuit, ita neque illis futuris temporibus esse, aut potuit, aut debuit: cùm eodem spiritu veritatis, omni tempore Ecclesia regatur.

7. Non modò Scriptura vniuersa, sed etiam illius pars rectè dicitur regula fidei, & Canon, modo suo sufficiens ad id quidem infallibiliter credendum, quod tradit. Cæterùm Apostolus nusquam dixit, vel suam aliquam, vel etiam totam Scripturam esse sufficientem fidei Regulam, seu Canonem in omnibus omnino quæst. Sed dogma quoddam certè, quod aduersùs Galatarum errorem confirmarat, rectè dixit esse fidei quamdam Regulam, & Canonem: nempe illud, quod his verbis expresserat: [In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.] Tum subiunxit: [Quicumque hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos, & misericordia.] Nempe quia, & eum etiam articulum de salute per solum Christum parta, vel maximè tenere necesse est, ad veram animi pacem, atque iustitiam beneficio diuinæ misericordiæ comparandam. Cùm igitur Kemnitius contendit, non posse regulam fidei id appellari, quod ad omnes omnino quæstiones fidei non sufficiat: nun tam contra nos contendit, quàm contra ipsum Apostolum Paulum, qui vnum quoddam fidei dogma (sicut iam dictum est) vocat etiam suo modo credendi regulam: quæ proinde, si materia quidem, de qua propriè est id dogma, spectetur, additamento non indiget, vt de amussi, & regula ratiocinatur Diuus Basilius, à Kemnitio non intellectus.

8. Sanè verò, si non ita & Diuus Paulus, & reliqui Apostoli scripsissent, vt intelligi tamdem posset, quid de Christi mysterio, & reliquis fidei dogmatibus, quæ scripto tractarunt, dicerent, frustra scripsissent. Sed qua tamdem ratione hinc sequitur, omnia pror-

prorsus dogmata, quæ quomodocumque pertinerent ad structuram fidei, Apostolos tractauisse? Certè nusquam hoc illi dicunt, vt antea demonstratum est. Neque verò, si quædam intelligibiliter satis Apostolus scripsit de ipso mysterio Christi, ideò omnia omnino, quæ in Scriptura sunt illius, & aliorum Apostolorum, putare debemus esse prorsus clara, & intellectu facilia. Quin immò quædam sunt, & in Diui Pauli epistolis, & in alijs libris sacris intellectu difficilia, quæ instabiles homines deprauant ad suam perditionem, vt superiùs ex Diui Petri sententia satis conuicimus. Est igitur planè commentitium, quod Sectarij dicunt, absoluto, atque perfecto iam vniuerso Scripturæ noui Testamenti Canone, nihil præterea de dogmatibus fidei superesse, quod illo non fuerit comprehensum, ideòque non licere iam ad traditionum probationem vsurpare, quod Diuus Paulus ad Thessalonicenses, de traditionibus per sermonem acceptis, scripsit, cùm nondum esset Scripturarum Canon completus. Defendimus enim hactenus, probari nulla ratione posse, quòd in ipsa etiam tota Scriptura comprehendantur omnia.

Quæ cùm ita sint, falsissimum illud est, quod hæretici putant, Dei verbum vniuersum sacris libris contineri. Rectius, ac verius multo de reuelata doctrina, siue de verbo Dei Orthodoxi docent, cùm aiunt: Dei verbum duplex esse, siue potius dupliciter illud existere; impressum, & expressum. Impressum dicitur, vt interna notitia Prophetæ, vel Apostoli, quem Spiritus sanctus inspiratione sua primò docuit, continetur. Expressum autem, vt idem per Prophetas, & Apostolos est hominibus alijs patefactum. Hoc rursus verbum expressum esse item duplex; Vnum quod dictante Spiritu sancto Apostoli, aut Prophetæ literis consignarunt. Alterum, quod viua voce tradiderunt. Proindè doctrinam reuelatam, siue Dei verbum latiùs multò patere, quàm Scripturam, neque illud esse ad mutas literas alligatum. Itaque, & ante legem scriptam per Moysen, in Ecclesia fuit procul dubio doctrina reuelata aliquarum Propositionum fidei, atque adeò Dei verbum, quod proinde viua vocis traditione custodiebatur. Sed & Ecclesia ipsa Christiana, Apostolorum & Euangelistarum scriptis est antiquior; neque tamen illa vnquam verbo Dei, siue doctrina reuelata caruit. Prius enim Apostoli Euangelium viua voce, quàm scriptis tradiderunt. Vt videre est apud Eusebium, & Hieronymum, itemque apud Diuum Chrysostomum. Quod ipsum D. Lucas initio Euangelij sui apertè indicat, cùm sic præfatur: [Quoniam multi, inquit, conati sunt, ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis; visum est mihi assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile.] Qua ratione igitur verbum Dei aliquando totum traditione consistebat, eadem nunc etiam quadam ex parte in Ecclesia (vt probaui) viuæ vocis traditione conseruatur: vt eo verius sit illud, quod de Ecclesia Dominus prædixerat per Isaiam: [Verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, amodò, & vsque in sempiternum.]

Responsio ad primum argumentum Sectariorum.

QVibus rebus explicatis, nullo iam negotio conuellitur primum illud hæreticorum fundamentum suprà positum. Nam quod ex Apostolo assumunt, Scripturam, doctrinam vtilem ad omnia continere, id non ita intelligi debet, quasi ipsa sola propriè, & per se omnia distinctè tradat, quæ vel credenda, vel facienda sunt, sed quoniam, quæ sunt credenda, & facienda, aut ipsamet tradit, aut certè regulam indicat, ex qua ea sint discenda, nempe Ecclesiæ, & traditionum auctoritatem, quam ipsa quoque Scriptura commendat. Hoc modo Apostolus vult, & Orthodoxi etiam docent, Scripturam continere, quæ sunt ad salutem necessaria; vt superiùs etiam explicauimus. Ita fit, vt suus etiam traditionibus sit locus: atque etiam, vt ea quidem ratione, ministro Euangelij (quod vrgebat Kemnitius) vtilis Scriptura sit ad munus suum absolutè explendum: siquidem cum ipsa admonet Ecclesiæ quoque, & traditionum auctoritate in functione muneris Ecclesiastici esse vtendum.

Quod verò in primo illo fundamento Sectariorum ex Deuteronomio addebatur, credendum esse sacerdoti iudicanti secundum legem, & non aliter, libenter id sanè damus Sectarijs. Sed duo tamen his eos meminisse oportet. Alterum, quod, vt paulò antè dicebamus, lex, siue Dei verbum latius multò, quàm lex, siue Dei verbum scriptum patet. Alterum, quod nemini subditorum tamen fas erat iudicium sibi de Iudicis sui, sacerdotisque definitione arrogare (cum res aliter manifestè præiudicata non erat) num diuinæ legi esset consentanea; quin simpliciter omnes iubebantur sacerdoti de rebus controuersis aliquid statuenti acquiescere. [Qui enim, inquit, superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, morietur homo ille.] Itaque cùm sine contradictione vlla obedire homines iussi sunt sacerdoti iudicanti secundum diuinam legem; persuadere sibi etiam diuinitus iussi sunt, illum cùm de rebus controuersis iudicabat, omnino iudicare secundum diuinam legem: Quod ipsum multò etiam maximè persuadere nobis de summo Ecclesię Pastore, cùm ex traditione Ecclesiastica controuersias religionis definit, nunc iubemur.

Neque verò (quod in eodem argumento addebatur) si traditiones Ecclesiasticas sequimur, ea hominum instituta sequimur, quæ Christus repudiari vult, nempe quæ pugnent cum lege diuina. Non enim eiusmodi nos traditiones tuemur, sed eas quæ rectissimæ sunt, & auctoritatem etiam habent diuinam. Quare neque in illud etiam præceptum: Non addetis, &c. ea ratione quicquam committimus. Non enim addere, & detrahere; hoc & similibus locis intelligitur, nisi is qui aliquid contra Dei legem, vel doctrinam, aut agit, aut agere prætermittit. Aliàs nec Prophetis post Moysen, nec Apostolis post Euangelistas scribere quicquam licuisset. Qua de re quoniam alijs etiam in locis multa contra

Secta-

Sectarios ad explicationem eius præcepti, de non addendo, disputauimus, non est operæpretium hic plura dicere.

Probatio Secunda.

SEcunda probatio. Si fidei, ac religionis negotium doctrina tantùm scripta contineretur, magnum hæreticis ad errores in Ecclesiam inuehendos pateret ostium. Sed, vt argumento suo secundo hæretici ipsi sumunt, credendum non est, Apostolos vsque adeò apertum ostium erroribus reliquisse. Ergo minimè existimandum est, eos tradidisse omnia scripto. Id confirmatur. Nam doctrina Scripturæ, cùm (vt suprà conuicimus) obscura sit, & mutis literis inclusa, quæ neque declarare palam seipsa, neque in controuersia tueri aduersùs nouatum interpretationum corruptelas potest; facillimè à contentiosis, callidisque ingenijs adulteratur. Contrà verò traditio successione continua viuit in animis fidelium semper, inprimisque Catholicorum Doctorum, qui à Maioribus illam acceperunt. Proindè ab hæreticis reijci quidem nequitèr traditio Ecclesiæ communis potest: adulterari autem, & corrumpi, sicut Scriptura, non potest.

Cuius rei argumentum clarissimum est, quod Egesippus, referente Eusebio, scribit, quo tempore superstitibus adhuc Apostolis viuæ vocis traditio magis vigebat, [eo virginem mundam, & immaculatam mansisse Ecclesiam; verbi Dei temeratoribus, aut nusquam omnino extantibus, aut certè delitescentibus. Vbi verò Apostolorum chorus, & omnis ætas illa, quæ à Domino susceperat viuæ vocis auditum, de hac luce decessit, tunc velut in vacuam domum, falsæ doctrinæ impium se immersisse errorem; & tanquam nullus iam diuini sensus defensor existeret, nudato, vt aiunt, capite corripientes verba mendacij oppugnare Apostolicam veritatem hæreticos cœpisse.]

Item huic rei argumento est omnium hæreticorum institutum, quibus nisi Ecclesiastica traditio tam esset contraria, tamque Scriptura facilis ad corrumpendum, non illi tantoperè omnem traditionem execrarentur & amplecterentur solam Scripturam. [Videas, inquit Vincentius Lyrinensis, illos volare per singula quæque sacræ legis volumina, per Moysis, per Regnorum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim apud suos, siue alienos, siue priuatim, siue publicè, siue in sermonibus, siue libris, siue conuiuijs, videtur de nostris in Germania Sectarijs loqui, siue in plateis nihil vnquam de suo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur. Et paulò post: Sciunt enim fœtores suos nulli ferè placituros, si nudè & simpliciter exhalentur. Atque idcirco illos cœlestis eloquij verbis velut quodam aromate aspergunt. Et post aliqua: Quonam modo igitur Catholici, in Scripturis sanctis veritatem à falsitate discernent? Diuinum, inquit, Canonem secundum vniuersalis Ecclesiæ traditiones, & iuxta Catholici dogmatis Regulas interpretentur.] In eandemque sententiam multa præclarè D. Hilarius, & Irenæus scripta reliquerunt. Quocirca meritò Tertullianus in libro de præscriptionibus hæreticorum monet, aduersùs illos traditione magis, quàm Scriptura agendum esse. Et Ignatius apud Eusebium ea ratione docet hæreticorum vitari posse contagia, si diligentius traditioni inhæreamus. Quod idem pluribus argumentis Vincentius Lyrinensis, in libro illo suo pulcherrimo sapienter admodum ostendit.

Responsio ad secundum argumentum hæreticorum.

EX quibus secundum illud hæreticorum argumentum facilè refutatur. Nam sine comparatione vlla plures hæretici sunt, atque fuerunt, qui Scriptura ad errorem abuterentur, quàm qui comminiscerentur falsas traditiones. Et nos non vanas, atque Apocryphas tuemur traditiones, sed illas tantùm, de quibus legitima via, rationèque (iudicio Ecclesiæ) constiterit.

Ac est planè vanissimum figmentum, quod Kemnitius contendit, errores eos, qui ante scriptam legem circa verum Dei cultum, religionemque irrepserunt, prætextu traditionum susceptos ab hominibus, atque defensos fuisse. Vbinam enim hoc iste legit? Certè in libro Sapientiæ origo idololatriæ, quæ temporibus illis longè latèque serpsit, non aliqua ementita traditio, tanquam à primis Patriarchis accepta, esse dicitur, sed aliæ causæ eius erroris fuisse narrantur. Quanquam si maximè homines illi traditionem etiam maiorum, ad erroris prætextum commenti sint, quid hoc, obsecro, nobis obstat? An indè statim consequitur, pari modo posse communi errore ab Ecclesia ipsa probari, & retineri commentitias traditiones?

Sic & illud etiam est Kemnitij figmentum, quòd ait, eo consilio à Moyse, & ab alijs deinceps doctrinam cœlestem diuinitus mandatam literis fuisse, vt Scriptura sola vnoquoque tempore esset fidei norma, neque vllus locus traditionibus relinqueretur, ex quo homines occasionem sumere possent commentitias traditiones fingendi: itemque vt non foret opus præter Scripturam ipsam peculiaribus porrò reuelationibus. Hæc dico à Kemnitio non probari, sed fingi. Primùm enim quòd post scriptam legem nullæ fuerint, communi iudicio illius Ecclesiæ veteris, bonæ ac probatæ traditiones, quæ vel ad cultum, vel ad sententiam, & interpretationem legis, de fide præsertim in Christum, pertinerent; prorsus falsum est. Suppetebat enim proculdubio remedium aliquod fœmininæ proli, etiam post scriptam legem, ad expiationem peccati originalis; neque vsquam tamen id remedium scriptum in veteri Testamento reperitur. Item commemorat, vt alia omittamus, & laudat Scriptura traditiones plures non scriptas Rechabitarum. Neque certè etiam dubitandum est, quin orandi institutum pro defunctis ex maiorum traditione Machabæi acceperint: cùm in lege quidem nihil ea de re sit scriptum. Deinde si libri veteris Testamenti eo consilio scripti fuerunt, vt præterea non esset opus reuelationibus; qui factum est, vt post scriptam etiam legem nunquam Prophetæ, & Prophetiæ defuerint?

Scri-

Scripturæ igitur veteris aliæ proculdubio causæ fuerunt. 1. Vt ea etiam ratione, per se quoque optima, hominum saluti consuleretur. 2. Vt ad plures cognitio cœlestis doctrinæ, propius imminente tempore gratiæ, facilius deriuari posset. 3. Vt quia latissimè patebat ratio eius legis, quam Deus per Moysen sancire, stabilireque voluit, descripta esset in promptu. 4. Vt, vel ipsis Iudæis inuitis, Christianus populus aliquando copiam eius doctrinæ haberet ad comprobandam illius etiam auctoritate, atque antiquitate rationem Christianæ doctrinæ tanquam ex suo quodam teste, & typo, &c.

Quod verò alij hæretici in illo secundo argumento addebant, traditiones nimirum Ecclesiasticas clancularia, ac proinde falsam doctrinam redolere; id vanissimè ab illis dicitur, Aliud enim est, celari omnino doctrinam (quod hæretici interdum faciunt, ne illorum errores à doctioribus redarguantur) aliud, non passim vulgari totam scripto, sed apud doctiores capita quædam conseruari, alijsque non nisi habita ratione personarum, & loci, & temporis patefieri: id quod iam iam probabimus; plurimum expedire.

Probatio Tertia.

Tertia probatio. Doctrina cœlestis co modo fuit ab Apostolis Ecclesiæ tradenda, quo pura conseruari commodissimè possit, vt ipsi etiam vrgent hæretici. Sed talis omnino modus erat, vt non omnia Apostoli scripta traderent, sed quædam tantummodo viua voce. Ergo confitendum est, sic ab Apostolis factum esse. Id verò, & exemplis, & ratione confirmamus. Exempla sanè quàm plurima refert Canus, ex quibus illud memorabile satis esse videtur, quòd toto tempore legis naturæ ante Moysen Ecclesia fidelium viuæ dumtaxat vocis traditionibus conseruata, & gubernata est. Quod profectò Dei consilium optima, & congruentissima ratione carere non potuit.

Sententia præterea non Hebræorum solùm, sed etiam D. Hilarij, & Origenis est; Moysen non modò legem à Domino in monte accepisse, verùm etiam arcana quædam mysteria, quæ ad legis interpretationem, & expositionem pertinerent; iussumque fuisse, vt legem quidem ipsam scriberet, illius autem interpretationem viua tantùm voce ministro suo Iosue secretò traderet, vt is deinceps cum sacerdotibus alijs similiter eam communicaret, perpetua vt traditione apud illos conseruaretur. Cui sententiæ consentaneum est, quod de Deo legimus in libro quarto Esdræ. [Enarraui, inquit, Moysi mirabilia multa, & præcepi ei dicens: Hæc in palam facies verba, & hæc abscondes.] Quod certè diuinum consilium (verum enim ab illis Patribus, atque etiam in eo libro Esdræ, licet non planè Canonico, narrari videtur) ratione similiter carere minimè potuit. Nec, si occasione diuini eius consilij Hebræi Thalmudici ad fingendum postea falsas traditiones quasdam abusi sunt, idcirco sua veris traditionibus, quæ essent communi iudicio populi Dei probatæ, perijt (illo tempore) auctoritas. Vt neque ideo Scriptura suam amittit auctoritatem, quoniam sine comparatione plures illius nomine; quàm traditionum titulo ad patrocinium erroris sunt abusi: magna profectò, vt sit impudentia Kemnitij, quòd similiter ad traditiones communi Ecclesiæ Catholicæ iudicio probatas pertinere illa velit, quæ in commentitijs quibusdam Thalmudicorum traditionibus meritò reprehendi possunt.

Sed omissis veteribus exemplis, ostendamus rationibus, quamobrem oportuerit, vt aliqua per Apostolos viua dumtaxat voce traderentur. Primum, maiori certè in pretio, ac veneratione habetur doctrina sacra, dum non omnia illius capita quibusuis de media plebe hominibus scripto euulgantur, sed aliqua apud doctiores, velut thesauri quidam reconditi custodiuntur, vt ea, quæ scripta sunt, facilius illi, vbi, & quando, & quibus opus est, exponere possint. Qua sanè ratione D. Basilius, atque etiam Origenes auctoritatem traditionum Apostolicarum non scriptarum probant, eandemque exemplo Mosis confirmant, qui nec omnibus omnino loca omnia templi patere olim voluerit, [probè gnarus, inquit Basilius, ei quod conculcatum est, & per se apprehendi potest, imminere contemptum: quod verò remotum est ac rarum; ei naturaliter quodammodo esse coniunctam admirationem.] Sic etiam D. Paulus delectum non mediocrem habebat earum personarum, quibus essent exponenda diuina mysteria, ne omnia promiscuè omnibus euulgarentur. [Non iudicaui, inquit, me scire aliquid inter vos, nisi Christum, & hunc crucifixum: Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Quam etiam in docendo discretionem Timotheo commendat: [Formam, inquit, habe sanorum verborum, & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt,] & alios docere. Atque id ipsum diligenter monet D. Dionysius. Neque tamen idcircò volumus, vt doctrinæ cœlestis traditiones perpetuò vulgaribus hominibus ignotæ sint: sed ne, si omnis doctrinæ ratio exposita scripto, atque in promptu passim sit omnibus, contemptui pateat. Alioqui, vt postea dicemus, neminem sanè, cùm id est opportunum, celat Ecclesia traditionum mysteria.

Huc accedit, quòd Scripturam, sicut superiùs demonstrauimus, obscuram esse voluit Spiritus sanctus, nec id sine magna ratione: nec verò expediebat, vt ijdem sacri auctores in suos ipsi libros scriberent commentarios clariores. Oportuit igitur, vt Scripturæ sensus genuinos, & proprios Apostoli saltem viua voce traderent, vt de aure in aurem ad posteros quosque fideles deriuarentur. Denique & hac ratione ordo Ecclesiasticæ Hierarchiæ longè melius conseruatur, si quod ad doctrinam adeòque religionem attinet, inferiores à maiorum, & doctiorum traditione pendeant. Quæ mihi satis esse videntur ad congruentiam quidem traditionum ostendendam.

Responsio ad tertium Argumentum hæreticorum.

EX quibus etiam facilè tertium hæreticorum fundamentum refellitur. Nam quod aiebant, vix fieri posse, vt traditione non immutetur, atque corrumpatur tandem doctrina, id profectò friuolum est. Non enim humana tantùm industria, & cura conseruatum iri in Ecclesia traditiones Apostolicas putandum est, sed eadem in primis Spiritus sancti prouidentia singulari, qua regitur Ecclesia. Quocirca minimè timendum est, ne traditionum doctrina intereat: non magis certè, quàm ne Scripturam aliquando amittat Ecclesia. Quæ tamen ipsa, si humanam prouidentiam tantùm cogitaremus, facilè etiam ita posset interire, quomodo pleraque veterum tum Philosophorum, tum Ecclesiasticorum etiam auctorum monimenta interierunt.

Ergo Deus, qui traditionem fidei toto tempore legis naturæ absque vllis Scripturis conseruauit, nunc etiam & Scripturam, & traditionem haud difficilius conseruabit in Ecclesia perpetuò. Vt interim taceam, eas traditiones fidei, quas habemus non omninò nullis in Scripturis modo conseruari. Extant enim sparsim certè in veterum libris, & Conciliorum voluminibus, definitionibusque Pontificum, vt postea dicemus. Sed tamen dicuntur viuæ vocis dumtaxat traditiones, quia ab Apostolis certè ita scriptæ non fuerunt, vt cæteri libri Canonici, sed solùm viua voce pronunciatæ. Quod autem Kemnitius inculcat, memoriæ etiam causa scripsisse Apostolos: id verò nihil planè Sectariorum causam contra traditiones iuuat. Quid enim obstat, quò minus, & ad vsum memoriæ certiorem quædam Apostoli scripserint, & quædam etiam propter alias causas (de quibus dictum est) viua tantùm voce tradiderint?

Probatio Quarta.

QVarto loco Patrum, pro asserendis traditionibus, auctoritas hæreticis opponenda est, vt illorum etiam fundamentum postremum, quod ex Patribus malè intellectis constituebant, ex iisdem Patribus refellamus. D. Dionysius Areopagita initio libri de Ecclesiastica Hierarchia expositurum se, quæ ad Hierarchicum Ecclesiæ ordinem spectant, præfatur, [secundum sacratissima eloquia, & traditiones.] Ex quo quidem genere pleraque de ritu, & administratione Sacramentorum in illo deinceps libro docet, quæ nusquam sunt in sacris Biblijs scripta. Clemens Romanus literas ad Corinthios scripsit: [Annuncians, quam in recenti ab Apostolis acceperat traditionem, vt de illo Diuus Irenæus disertis verbis testatur. Ignatius: [Facilius, existimauit, posse confutari hæreses, si diligentius, ac tenacius inhæreatur traditionibus Apostolicis, teste Eusebio. Quas traditiones, inquit de Ignatio idem Eusebius, cautionis gratia, etiam scriptas se asserit reliquisse.] Et tamen vsque adeò Kemnitius traditionum odio obcæcatus fuit, vt negauerit, Ignatium eo ipso sensisse aliquas Apostolorum traditiones præter Scripturam necessarias esse ad perfectionem Christianæ religionis. Quomodo autem id non sensisse Ignatium probat? Cùm enim, inquit, sub titulo traditionum non scriptarum multa peregrina, & falsa obtruderentur Ecclesijs, Ignatius iudicauit, necessariam esse scriptam demonstrationem, quæ traditiones verè essent Apostolicæ.] Hactenus tantùm de eo testimonio Ignatij Kemnitius. Qui an non euidentissimè potius sese ipse redarguit, & testimonium confirmat à nobis adductum pro traditionibus? Si enim illæ traditiones ab ipsis Apostolis iam scriptæ extabant: quorsum Ignatius iudicauit necessarium esse, vt cautionis gratia, etiam scriberentur? Porro sæpè quoque idem Ignatius à traditionibus est argumentatus. Tertullianus similiter affirmat potius traditione, quàm Scripturis contra hæreticos agi oportere, ipseque multas in alio loco traditiones Apostolicas (præsertim de Baptismo, & Eucharistia) non scriptas asserit, & enumerat. Irenæus: [Traditionem, inquit, Apostolorum in toto mundo manifestatam in Ecclesia licet perspicere omnibus, qui vera velint audire.] Loquitur autem de traditione, quam paulò antè dixerat obijciendam quoque præter Scripturam hæreticis esse, vt suprà etiam notauimus, Item inquit: [Quid autem si neque Scripturas quidem Apostoli reliquissent nobis? Nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Ecclesias?] Quo certè loco de traditione tantùm illa, quæ est in ipsa Scriptura sacra minimè loquitur, Irenæus: Siquidem apud quoscumque hæreticos etiam reperire licet ipsam Scripturam, atque adeò traditionem, vt in Scriptura continetur. At veritatis traditionem, quam Irenæus hìc dicit esse in Ecclesia; in ea tantummodo, quasi in quodam depositorio deuiti, vt antea ibi dicit, ab Apostolis relictam esse censet. Ac est contra Kemnitij, aliorumque Sectariorum cauillationes hoc loco obseruandum, ad traditionum auctoritatem testimonio Irenæi, Tertulliani, & aliorum Patrum confirmandam, omninò nihil interesse, in quibus quæstionibus hi Patres putarint traditiones Apostolicas hæreticis opponi debere: postquam certè constat, eos à traditione argumentan dum esse censuisse, non modò, vt illa in ipsis Scripturis continetur, sed maximè etiam, vt conseruatur testificatione communi Ecclesiarum, & ministrorum Ecclesiasticorum, qui legitima serie in Apostolorum locum succedunt. Inde enim euidentissimè consequitur, sententia Irenæi, Tertulliani, & aliorum Patrum, ea omnia dogmata necessariò recipienda esse, quæ communi illa testificatione ministrorum, & Ecclesiarum, tanquam ab Apostolis accepta traduntur, siue illa quidem aliòqui demonstrari etiam possint ex Scripturis, siue non possint. Nam si testificatio eiusmodi communis Ecclesiæ, iudicio Patrum, per se quoque ipsa est infallibilis, idoneaque, vt inprimis præter Scripturam hæreticis opponatur: necesse est profectò, vt eorundem Patrum iudicio, certa sint, atque infallibilia quæcùmque dogmata ab illa eadem communi Ecclesiæ testificatione tradantur. Qua re diligenter animad-

maduersa, cauillationes Sectariorum, quibus se in hac quæstione à quibusdam Patrum testimonijs expedire conantur, facilè omnes refutari possunt. Porrò Cyprianus aquam miscendam vino esse in calice ex Christi institutione probat: quæ tamen institutio nusquam scripta reperitur: licet Kemnitius, fortè somnians, affirmet, mixtionis huius traditionem scriptam extare. Origenes: [Eucharistiæ, inquit, percipiendæ, vel eo ritu, quo geritur, explicandæ, & eorum quæ geruntur in Baptismo, verborum, gestorumque, & ordinum, atque interrogationum, & responsionum, quis facilè explicet rationem? Et tamen hæc omnia, inquit, implemus & exequimur, vt à magno Pontifice, Christo, & eius filijs, Apostolis, tradita, & commendata suscepimus. Ac rursus in alio loco: Quoties hæretici, inquit, Canonicas proferunt Scripturas, videntur dicere: Ecce in domibus est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima, & Ecclesiastica traditione, neque aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis. Item D. Basilius: Apostolicum, inquit, arbitror esse, etiam in non scriptis traditionibus perseuerare. Laudo enim, inquit Apostolus, vos, quòd omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi, vobis traditiones continetis, & obtinetis traditiones, quas accepistis siue per sermonem, siue per epistolam. Nec minus sanè vel luculenta, vel grauis in eundem locum Apostoli D. Chrysostomi oratio est. Hinc patet, inquit, quòd non omnia per epistolam Apostoli tradiderint, sed multa etiam sine literis. Eadem verò fide digna sunt tam illa, quàm ista. Itaque traditionem Ecclesiæ, fide dignam, putamus. Traditio est: nihil quæras amplius. Hactenus Chrysostomus. Item Augustinus: Multa, inquit, non inueniuntur in literis Apostolorum, & tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.] Quod & sæpissimè Augustinus aliàs repetit. Hieronymus passim contra Vigilantium traditione non scripta nititur. Itemque contra Luciferianos: vbi inter cætera hæreticos non esse rebaptizandos ait: [Quoniam ita, inquit, nostri tradidere maiores. Ibi etiam Aduersario concedit, multa in Ecclesia per traditionem, quæ scripta non sunt, auctoritatem sibi præscriptæ legis vsurpare posse.] Ambrosius quoque idem omninò agnoscit. Et Orthodoxa est planè, ne omnes recenseam, illi D. Ioannis Damasceni sententia: [Multa, inquit, sine scripto nobis Apostoli tradiderunt.] Huc & Conciliorum auctoritas accedit, quorum quidem definitiones magna ex parte Ecclesiastica traditione nituntur: vt præsertim videre est in septima Synodo generali. Cuius in actione septima traditiones Ecclesiasticæ probantur. Itaque non immeritò huiusmodi etiam traditionum assertio in Concilio Tridentino sub anathemate confirmata est.

Responsio ad testimonia Patrum, quibus abutuntur hæretici contra traditiones.

Nunc breuiter ad auctoritates Patrum, quas pro hæreticis quarto loco posuimus, respondendum est, quod facilè à nobis iam fieri poterit, quandoquidem eorundem ipsorum Patrum, quos perperam nobis obijciunt Sectarij, testimonia pro traditionum auctoritate clarissima protulimus. Igitur quod ad priorem locum Augustini attinet, de his ille rebus ibi loquitur, quæ ad personam Christi, & gesta pertinebant, non de omnibus omninò Christianæ doctrinæ capitibus. In posteriori autem loco non est intelligendus excludere traditiones, quas aliàs passim commendat, sed sensus Augustini verborum est, in rebus fidei controuersis argumentandum esse ex Scripturis, vel ex ijs principijs certè, quæ eandem cum Scripturis, hoc est, quæ diuinam habent auctoritatem, non ex alijs vanis, aut rationibus, aut coniecturis. Atque eadem Diui Hieronymi mens est. Nam si is traditiones alias, præter vanas, quæ cum veritate Scripturarum, & doctrinæ Ecclesiasticę pugnant, reijcere voluisset, nunquam Ecclesiastica traditione aduersùm Luciferianos, & Vigilantianos passim, vt fecit, egisset. Tantumdem de Origene dictum sit. Non enim is de earum traditionum fide dubitat, quas Scriptura commendat, hoc est, quas Ecclesia legitimè recipit, sed de alijs argumentis, quæ diuina non nituntur auctoritate. Atque, vt superiùs etiam notabam, quemadmodum Theologi dicere solent, cùm in Scriptura vni tantùm diuinæ personæ attribuitur aliqua absoluta perfectio, non excludi ab ea perfectione personas alias eiusdem naturæ, sed tantummodo creaturas: ita Patres, si quando solius Scripturæ auctoritatem idoneam esse ad fidem faciendam pronunciant: traditiones ab Ecclesia receptas, quæ eiusdem sunt cum Scriptura auctoritatis, nempè diuinæ, minimè excludi volunt, sed alia humana, priuatæquè auctoritatis vel testimonia, vel argumenta. In quam planè sententiam Augustinus inquit: Non audiamus: Hoc dico, hæc dicis. Sed audiamus: Hæc dicit Dominus. Atque eo sanè modo, & Constantini testimonium, quod in illo quarto hæreticorum fundamento referebamus, & à Caluino in primis vrgetur, accipi debet. Vbi tamen, textus Theodoreti non habet planè sicut Caluinus recitat, sed planè, *saphos*. Et verò, vt rectè Melchior Canus notat, licet Constantinus aliquid illa oratione asseruisset falsum, tamen non propterea debuisset illico à Concilij Patribus interpellari. Dissimulant enim illi prudenter aliqua, quæ non sunt definitionibus fidei factura, aut detractura fidem.

Opponit præterea Kemnitius alia nonnulla veterum testimonia; sed eiusmodi tamen, quę aut solùm continent simplicem Scripturæ commendationem; aut illam quidem sufficere significant in quibusdam historicis narrationibus, certisque quæstionibus, ac in aliquibus fidei articulis, qui ab omnibus explicitè sciri, atque credi debent; aut erroribus tantùm à Scriptura ipsa alienis, vel proprijs opinio-

nio-

nionibus, quæ non modò Scripturæ, sed etiam Ecclesiæ, & Doctorum auctoritate destituantur, fidem detrahunt, non autem probatis Ecclesiæ traditionibus: sicut ex ipsa sententia Patrum iam explicatum est. Neque tamen quædam eius generis testimonia Kemnitius rectè citat. Verbi gratia, Dixit (secundum veram, & vulgatam iam pridem interpretationem) Diuus Athanasius, [Sufficere Scripturas ad veritatis indicationem: [in articulis nimirum illis de vno Deo, & de Incarnatione Verbi, quos aduersùs errores Ethnicorum Macario confirmare instituebat. Kemnitius autem, nunc citat, Diuum Athanasium ibi dixisse, [Sufficere Scripturas ad omnem instructionem veritatis.] Item recitat hæc verba ex Diuo Augustino: [Ciuitas Dei credit Scripturis sanctis, veteribus, & nouis, quas Canonicas appellamus, vndè fides ipsa concepta est, ex qua iustus viuit, per quam sine dubitatione ambulamus, quamdiù peregrinamur à Domino.] Dissimulat autem quod in eadem periodo continenter D. Augustinus ita subiungit: [Qua fide, salua, atque certa, de quibusdam rebus, quas neque sensu, neque ratione percipimus, neque nobis per Scripturam Canonicam claruerunt, nec per testes, quibus non credere absurdum est, in nostram notitiam peruenerunt, sine iusta reprehensione dubitamus.] Ex quibus verbis, an non clarissimum est, ita D. Augustinum Scripturæ sacræ suam auctoritatem tribuere, vt tamen etiam censuerit, communi Ecclesiæ traditioni credendum, cuius testimonio non credere non modò absurdum, sed etiam (vt idem aliàs affirmat) insolentissima insania est. Item citat Hieronymum, quasi ita dixerit: [Quidquid de Scripturis sacris auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.] Hieronymus autem non dicit generatim, Quod, aut quidquid, quasi etiam illud, quod habeat Ecclesiæ quidem, non autem Scripturæ auctoritatem, reijciendum sit. Sed nominatim disputans contra eorum opinionem, qui ex quibusdam, inquit, Apocryphorum somnijs Zachariam illum, inter templum, & altare occisum, patrem ipsum Ioannis Baptistæ esse contemnerunt; ita subiungit: [Hoc, quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur:] Nempè, quia Apocryphum alioqui commentum, idest, quod neque Ecclesiæ, neque adeò Scripturæ vllo modo habet auctoritatem. Item redarguens idem Hieronymus hæreticorum in vsurpanda Scriptura impudentiam, idcircò eius testimonijs illos vti solitos esse dicit: quia sine auctoritate, inquit, Scripturarum garrulitas (nempè eorundem hæreticorum) non haberet fidem: Nempè quoniam alioqui auctoritate etiam Ecclesiæ, quam Scriptura commendat, tales seductores inprimis destituuntur. Kemnitius autem absolutè, & precisè citat Hieronymum ita dixisse: [Sine auctoritate Scripturarum garrulitas non habet fidem.] Ex qua sententia, ita precisè posita, facilè quispiam posset colligere Hieronymum sensisse, illud omne, quod sine Scripturæ testimonio profertur, quantumcumque alioqui Ecclesię auctoritate confirmatum sit, esse velut garrulitatem quandam inanem reijciendum, nec in materia religionis fidem vllam mereri. Item citat illa verba Epiphanij: [Nos vniuscuiusque quæstionis inuentionem non ex proprijs ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia.] Et tamen idem ipse Kemnitius adeò agnoscit Epiphanij mentem, eo loco non esse excludere Traditiones Apostolicas non scriptas, quę à Scriptura ipsa commendantur, vt etiam Epiphanium sugillet quòd plus nimio eiusmodi Traditionibus delectatus, hoc enim iste vocabulo vtitur, fuerit. Exstat enim de auctoritate Traditionum non scriptarum luculentissimum hoc Epiphanij testimonium: [Oportet, & Traditione vti. Non enim omnia à diuina Scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione, sancti Apostoli tradiderunt.] Quod igitur ait, ex Scripturarum consequentia quæstionum explicationem esse petendam, non sic accipi vult, quasi non liceat ex legitima Traditione, quæ parem etiam cum ipsa Scriptura auctoritatem habet, argumentari, sed quia non sunt certè ex proprio ingenio determinandæ fidei quęstiones. Item Diuus Basilius inquit: [Omne quod extra diuinitùs inspiratam Scripturam non ex fide est, peccatum est.] Intelligit autem quod ita est extra Scripturam, vt non sit ei consentaneum, sed potius repugnans, quodque adeò non est ex fide, sed potius peccatum contra fidem, dignum illo anathemate, de quo Apostolus inquit: [Si nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquàmquod euangelizauimus, anathema sit:] quem locum idem D. Basilius ad hoc ipsum propositum antea vsurpauerat. Kemnitius autem hunc D. Basilij locum sic recitauit: [Omne quod extra Scripturam diuinitùs inspiratam, quia non ex fide est, peccatum est.] Affuit autem ipse de suo illud, quia, vt verisimilius Lector decipi posset, quasi Basilius significauisset, hoc ipso aliquid non esse ex fide, quia non contineatur in Scriptura. Basilius autem non hoc voluit: sed dicit simpliciter, illud, quod extra Scripturam non est ex fide (cùm scilicet, & à Scriptura, & à Traditione etiam quæ in Scriptura commendatur, cuique assentiri, secundum eundem Basilium, vt suprà vidimus, Apostolicum est) peccatum esse. Græcè Basilius eodem modo habet: *caí oyc ec pisteos on*. Sed quis vbique enumerare facilè possit Kemnitij corruptelas, & imposturas omnes aduersùs doctrinam Catholicorum?

Traditio verè Apostolica, quo modo dignoscenda: quam ad rem 4. assignantur Regulæ.

III. Restat nunc, vt breuiter expediamus postremũ illud caput de Traditionibus propositum, qua videlicet ratione certò dignosci queat Apostolica Traditio. Quam ad rem quatuor quasi viæ, certissimęque Regulæ communiter tradi solent. Prima est in Ecclesię auctoritate sita. Nam si quid illa tanquam Apostolicam Traditionem recipit; idque fidelibus omnibus, vt credatur proponit, sine vlla dubitatione pro Apostolica Traditione recipiendum est. Sic Patres in septima Synodo imaginum venera tionem, vt ab Apo-

stolis traditam probauerunt. Quod si verò obijcias: Ecclesiam ex Apostolica Traditione iudicare debere, tanquam ex vna quadam definiendi Regula; ac proinde illius munus non esse, quę sit Apostolica Traditio determinare: facillimè id quidem expeditur. Sicut enim Ecclesia ex Scriptura iudicat, nec tamen ideò, vt suprà declarauimus, incommodum est, illam ipsam quoque, quæ sit Scriptura sacra, determinare; ita etiam nullum incommodum censeri debet, quod eadem Traditiones Apostolicas iudicet, ex quibus fidei controuersias determinet. Vtrumq; enim Spiritu sancto suggerente certissimè facit.

Secunda Regula sumitur ex Patrum sententia concordi, idque dupliciter. Vno modo, si illi omnes recipiant dogma aliquod, tanquam de fide, contrariumque damnent vt hęreticum. Altero modo, si expresse etiam asserant, sententiam aliquam, seu institutum, esse Apostolicam Traditionem. Quod enim alterutro modo, aut vtroque illi asseuerant, nec in Scripturis alioqui est expressum; credendum est, ex Traditione manare Apostolica. Non enim possunt omnes errare, vti paulò pòst ostendetur. Ac priori quidem modo sententia Patrum per traditionem constat perpetua virginitas sanctissimæ Dei Matris Mariæ. Posteriori autem veneratio imaginum, Apostolicum Symbolum, & id genus alia.

Tertia Regula est, communis consensus fidelium, si quid illo approbari constat, quod alioqui Scriptura non tradit; prǽsertim si maius quiddam, & excellentius, id est, quàm vt humana auctoritate constitui potuerit. Quę enim eiusmodi sunt credendum est, Apostolos diuinitùs inspiratos Ecclesiæ tradidisse. Quo sanè pacto per Traditionem probari potest auctoritas, quam habet Ecclesia dispensandi in votis, & relaxandi iuramenta. Itemque diremptio matrimonij rati per votum solemne religionis. &c.

Quarta eaque latissimè patens Regula est, quam Diuus Augustinus, magno Orthodoxorum omnium consensu, tradit: [Quod vniuersa, inquit, tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi ab Apostolica auctoritate traditum, rectissimè creditur.] Ac ratio est manifesta. Quia si ante quemcunque, vel Patrem, vel Concilium mentio alicuius, vel dogmatis, vel instituti facta in Ecclesia est, initium sine dubio habuerit opportet ab Apostolis. Huius generis sunt ordines minores, Ieiunium quadragesimæ, & similia, de quibus rebus rectè mihi inter cęteros Melchior Canus scripsisse videtur.

Illud tantummodo hoc loco addam: cum dicimus, quatuor has esse Regulas cognoscendarum Traditionum, non hoc ita intelligendum esse, quasi velimus aliquas esse traditiones, quæ tantùm ex vna, vel ex altera eiusmodi Regularum constent (constant enim ferè omnes ex illis omnibus) tantùm volumus, quamlibet earum Regularum esse ad traditionem Apostolicam cognoscendam per se sufficientem. Quò fit, vt eò certiores sint Ecclesiæ traditiones, quòd ex illis Regulis ferè omnibus sint compertæ. Atque hæc quidem de traditionibus nunc sufficiant.

De Concilijs.

Deinde dicendum est de Concilijs, primùm, quę illorum sit ratio, & varietas, tum quanta auctoritas in definitione fidei.

Conciliorum ratio, & varietas.

I. Synodi, vel Concilij nomine intelligimus generatim loquendo Episcopos, vel Sacerdotes in vnum locum conuenientes ad constituendum de negotijs Ecclesiasticis, quæ ad religionem pertinent, hoc est, de fide, aut cultu, aut moribus. Porrò Conciliorum triplex genus est. Alia sunt Oecumenica, siue vniuersalia. Alia prouincialia. Alia Episcopalia.

Vniuersalia Concilia dicuntur ea, quæ coguntur Summi Pontificis auctoritate, præcipuos Ecclesiæ Prǽlatos, hoc est, Episcopos, & ijs superiores Antistites conuocantis. Nec verò est opus, vt omnes omninò euocet; multòque minus, vt omnes veniant. Satis fuerit magnam partem illorum euocari, atque congregari, vt rectè Canus, & Ioannes à Turrecremata declarant. Potest autem, ac solet Pontifex alias graues personas Ecclesiasticas (cuiusmodi sunt Generales religionum) vt in Concilio sententiam dicant, accersere, tametsi Episcopi non sint. Itemque adhibentur alij docti viri Ecclesiastici, tantùm, vt de rebus tractandis differant. De quibus, & alijs id genus rebus, quæ ad formam, ac modum Concilij vniuersalis pertinent, copiosè sanè, ac diligenter scriptum est à Turrecremata. Quod autem volunt Sectarij Laicos etiam homines sacrarum literarum peritos in Concilio vniuersali adhibendos esse, id quidem prolixa refutatione non indiget.

Quid enim à ratione magis alienum sit, quàm si vbi agitur de discernendis doctrinæ pascuis salutaribus ab noxijs, iudicium ea de re ipsis ouibus committatur? Pastorum hoc certè proprium munus est. Quamobrem Diuus Paulus officium Pastoris, & Doctoris coniunxit: [Alios dedit, inquit, Pastores, & Doctores.] Et ipse Dominus per Ieremiam: [Dabo, inquit, Pastores, & pascent vos scientia, & doctrina.] Itemque in Deuteronomio: [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes (ad Sacerdotes inquit) Leuitici generis, &c.] Deniquè perpetua quoque fuit in Ecclesia Christiana consuetudo, vt Prǽlati tantùm maiores ad Concilium euocarentur, quemadmodum eruditè ostendit Turrecremata. Iam Concilia Prouincialia sunt, quæ congregantur auctoritate Metropolitani, vel Primatis euocantis Episcopos vnius prouinciæ, aut Regni. Episcopalia verò, quæ auctoritate Episcopi conuocantis Sacerdotes suæ diœcesis.

Conciliorum quanta auctoritas sit.

II. His ita breuitèr positis, quæstio huius loci propria, ac prǽcipua est, qualem,

lem, & quantam auctoritatem habeant Concilia in ijs rebus, quæ ad fidem spectant, determinandis? Cui quæstioni breuiter duabus assertionibus responderi potest. Prima. Nullum Concilium infallibilem auctoritatem definiendi per se haber seclusa Romani Pontificis approbatione. Secunda. Accedente Romani Pontificis confirmatione Concilium quoduis est infallibile.

Probatio Prima.

PRimam assertionem ea ratione manifestè probamus, quòd aliqua Concilia etiam vniuersalia per Pontificem non confirmata quandòque errauerunt. Vt Ephesinum secundum cum Dioscoro, à Leone quidem indictum, sed non confirmatum. Item Basiliense sub Eugenio Quarto, vt infra videbimus. Item Ariminense, sexcentorum Episcoporum cum Arrio; & Constantinopolitanum sub Leone Imperatore, trecentorum Episcoporum. Quanquam neque hæc duo postrema, Romani Pontificis auctoritate congregata sunt; vt neque quoddam aliud Pisanum, quod à Schismaticis quibusdam Cardinalibus congregatum fuit anno Domini 408. Atque ita ex ea etiam parte facilius eiusmodi Concilia errare potuerunt. Concilium enim vniuersale, quod à Pontifice, vniuersalis Ecclesiæ Pastore, non iudicitur, ne Concilij quidem nomine dignum est, sed Conciliabulum potiùs est appellandum, vt ait Pelagius Pontifex. Etenim ab omni ratione alienissimum est, vt de ijs rebus, quæ ad vniuersam Ecclesiam pertinent, cum auctoritate agatur, nisi ex eius præscripto, qui preest Ecclesię vniuersę.

Probatio Secunda.

AC extant pręterea pro eadem illa assertione plurima testimonia non modò veterum Pontificum, sed etiam ipsorum Conciliorum, ac aliorum Patrum, quorum plerasque sententias suprà in confirmatione Primatus Romani Pontificis allegauimus. Peculiariter id asserunt, Alexander Primus. Sixtus Primus, Anicetus, Zepherinus, Calixtus, Marcellus, Melchiades, Iulius Primus, Damasus, & alij eiusmodi antiqui Pontificis, vel gloria martyrij, vel sanctitatis, atque doctrinæ laude ita clari, vt illorum hac de re testimonium, quasi ambitiosè, atque falsò, & temerè propriam tantùm causam egerint, à nemine sine summa leuitate reijci possit: maximè cum illis id palàm docentibus nullus illis temporibus Scriptor Catholicus, tanquam falsam sibi dignitatem arrogarent, contradixerit.. Idemque asseritur in septima, & octaua Synodo generali, & in Synodo Romana sub Symmacho, itemque in alia Romana sub Damaso, & in Concilio Florentino, &c. Et verò Concilium Nicęnum à Siluestro Pontifice: Constantinopolitanum primum à Damaso: Ephesinum à Cęlestino: Chalcedonense à Leone: Omnia denique quęcunque in Ecclesia habuerunt auctoritatem, à Romano Pontifice confirmata sunt, vt superiùs etiam commemorauimus. Quod etiam testatur Paschalis Papa: Omnia, inquit, Concilia per Romanæ Ecclesię auctoritatem, & facta sunt, & robur acceperunt.] Et Symmachus de prouincialibus Concilijs à Pontifice non confirmatis ait: [Quòd quia non habent præsentiam,] id est, auctoritatem, Pontificis, valetudinem perdiderunt. Qua de re multa sanè, eaque luculentissima testimonia congessit in sua summa de Ecclesia Ioannes à Turrecremata.

Probatio Tertia.

POstremo eadem assertio facilè probatur ex his, quæ suprà de Romani Pontificis primatu constituimus: ex quibus ita formo rationem. Eius tantùm est controuersias fidei cum auctoritate infallibili determinare, cuius est in Ecclesia suprema post Christum potestas spiritualis. Sed suprema hęc potestas, Romani duntaxat Pontificis est, non autem vllius Concilij, etiam vniuersalis secluso Pontifice. Ergo solius Pontificis siue per se, siue conuocato ad id etiam Concilio, est infallibiliter determinare controuersias fidei, non autem vllius Concilij per se, secluso Pontifice.

Maiorem huius rationis propositionem confirmo primò. Nam Christi promissiones, quibus ille pollicitus Ecclesię est cognitionem omnem veritatis, satis, superquè adimplebuntur, si per supremam in Ecclesia potestatem, controuersię omnes fidei cum actoritate infallibili definiri possint. Frustra igitur, ac sine fundamento in alio, vel alijs, qui potestatem eiusmodi in omnes fideles supremam nō habeant, infallibilis ea auctoritas assereretur. Deus enim, vt nō deficit in necessarijs rebus, ita nec illius prouidentia superuacaneè abundat. Secūdò probatur eadem propositio. Quoniam infallibilis definitio fidei vniuersam obligat Ecclesiam, hoc est, omnes omninò fideles. Ergo munus infallibiliter definiendi solius potestatis in Ecclesia supremæ est. Tertiò. Quia definitionem fidei infallibilem etiam ille debet recipere, qui supremam in Ecclesia potestatem habuerit; ergò non potest illa fieri per aliquem, vel per aliquos inferiores, qui scilicet potestatem eiusmodi supremam non habeant. Perabsurdum est enim, vt superior teneatur id decretum acceptare, quod nec ipsemet, nec aliquis se superior faciat, sed is potiùs, qui illo inferior sit, & de cuius proindè facto iudicandi auctoritatem ipse habeat.

Iam confirmo similiter propositionem alteram minorem, videlicet solum Pontificum Romanum prædirum esse suprema post Christum potestate in omnes fideles. Nam quod ipse certè Romanus Pontifex supremam potestatem habeat, suprà probatum est, cùm & Euangelij, & omnis antiquitatis testimonijs ostendimus, præfecisse Christum Petrum, eiusque successores vniuersæ Ecclesię. At non sunt, nec esse possunt in Ecclesia duę supremæ potestates tales; hoc est, nequeunt esse quasi magistratus duo, quorum quilibet per se supremam in omnes omninò fideles potestatem habeat. Solùm igitur Romanum Pontificem habere eiusmodi potestatem supremam, confitendum est. Etenim, si duæ tales essent potestates supremæ; quælibet illa-

rum,

rum, & neutra illarum esset suprema: quod ne intelligi quidem potest. Quælibet: quoniam itaut certè poneres. Neutra: quoniam vnaquæque haberet alteram se superiorem, siquidem altera etiam esset simpliciter suprema, hoc est, super omnes omninò oues pertinentes ad Christi ouile, qualem certè potestatem superiùs probatum est Petrum, & eius successores habere.

Atque hinc profectò illorum auctorum sententia manifestè reuincitur, qui Concilium vniuersale Pontifice superius faciunt. Pugnaut enim illi reuera (licèt non aduertentes) cum certissima fide de Diui Petri, ac Romani Pontificis in Ecclesia primatu. Refellunt autem eam opinionem copiosiùs Ioannes Turrecremata, & Franciscus Turrianus, & Caietanus, qui mihi quidem his de rebus admodum eruditè scripsisse videtur.

Nunc prima assertione probata, facilè ex eodem fundamento confirmari poterit secunda, videlicet quodlibet Concilium, accedente approbatione Pontificis, esse infallibilis auctoritatis. Nam auctoritas Pontificis ad definiendum, infallibilis est, vt supra copiosè ostendimus. Sed Concilium, quod Pontificis auctoritate confirmatum est, Pontificis auctoritatem habere censetur; siuè illud Generale, siuè Prouinciale, siuè Episcopale sit. Ergò quoduis Concilium à Pontifice confirmatum infallibile est, siuè infallibilem auctoritatem habet. Atque hoc ipsum ostendit perpetua Ecclesiæ traditio, & vsus. Etenim illi semper in Ecclesia hæretici sunt habiti, qui Concilijs à Pontifice confirmatis (cuiuscumque generis ea fuerint) damnati sunt.

Porrò ex hac assertione sequitur, verum omninò esse illud, quod supra de Ecclesia circa septimam eius proprietatem diximus, & animaduertit etiam rectè Melchior Canus: videlicet, eandem prorsus auctoritatem infallibilem ad definiendum esse illam, quæ Summo Pontifici, & quæ Ecclesiæ Catholicæ, & quæ Concilijs tribuitur. Neque enim putandum est, auctoritatem vnam infallibilem habere Pontificem, alteram Ecclesiam, alteram Concilium. Id non ita est. Quinimò illa ipsa auctoritas, quæ in vno Pontifice residet; auctoritas etiam dicitur esse Ecclesiæ; quippè cùm Ecclesia nimirùm quoddam quasi corpus sit, cuius caput est Pontifex, vt proindè in ea quòque esse, meritò censeatur illa auctoritas, quæ in ipsius est capite. Atquè eadem item Pontificis auctoritas, Conciliorum auctoritas esse dicitur, quatenus eorum acta, & determinationes ille confirmauit. Itaquè Conciliorum auctoritas, vt est quidem infallibilis, non alia quædam auctoritas est per se distincta ab auctoritate Pontificis, sed eadem planè, vno quodam modo vsurpata ex multis, quibus, vt infrà docebimus, potest Pontifex suam infallibiliter definiendi auctoritatem exercere.

Quæret autem hìc aliquis, Ecquæ sint Concilia per Pontifices confirmata? Respondeo, ex vniuersalibus quidem illa confirmata sunt, quæ in tomis ipsis Conciliorum referuntur, Basiliensi excepto. Cuius vitia, & defectus à Turrecremata, & à Caietano demonstrati sunt. Prætereà pleraque Concilia Romana sunt Romæ per Pontifices ipsos celebrata, quæ proindè Pontificis quoque auctoritatem habent. Quin etiam licèt non conuenerint in eiusmodi aliquibus Romanis Concilijs Episcopi variarum prouinciarum, tamen ratione Pontificiæ auctoritatis, quæ vniuersalis est, vniuersalia quodammodo dici possunt; vt notauit Turrecremata. Quod verò attinet ad alia prouincialia Concilia Episcoporum, primùm quædam ex illis sunt expressè per Pontifices confirmata. Vt Concilia Carthaginensia, & Ancyritanum, Neocæsariense, Gangrense, Sardicense, Africanum, à Leone Quarto. Sicut etiam Trullana quoque Synodus, quæ aliàs quinisexta dicitur, quædam Concilia prouincialia probauit. Deindè reliqua Concilia prouincialia antiqua, quæ ad communem quidem Ecclesiæ notitiam peruenerunt, neque reprobata sunt, sed potius in vsu, ac veneratione apud omnes habentur; tacitè hoc ipso ab Ecclesia approbata censeri possunt, vt rectè Canus notat. Iam verò ex Episcopalibus Concilijs vnum illud fertur per Sedem Apostolicam expressè confirmatum esse, nimirùm Complutense sub Alphunso Carillo Archiepiscopo Toletano, in quo errores damnari sunt cuiusdam Petri Oxomensis, qui de clauibus, & de pœnitentiæ Sacramento falsò docebat. Fuit autem Synodus hæc per Sixtum Quartum confirmata. His ita explicatis, argumenta quædam diluenda sunt, quæ contra primam assertionem probare videntur, Concilium saltem vniuersale per se infallibiliter posse sine Pontificis auctoritate definire.

Primum argumentum. Concilium vniuersale Ecclesiam totam repręsentat, vt definiuit Martinus V. in fine Concilij Constantiensis, hoc est, tenet veluti vicem totius Ecclesiæ, quæ non potest videlicèt alio modo congregari, nisi quatenus Prælati conueniunt vice, atque loco fidelium omnium. Sed vniuersalis Ecclesia errare non potest. Ergo neque vniuersale Concilium, quod virtute nimirum est quasi tota Ecclesia. Atque id rursus confirmatur. Nam saltem quando Concilio intersunt Legati Pontificis, nihil videtur deesse, quò minus Concilium habeat tanquam totius Ecclesiæ auctoritatem. Tunc igitur certè confirmatio Pontificis necessaria non erit.

Respondendum est, secluso Pontifice Cōcilium *acephalum* non repręsentare perfectè totam Ecclesiam, ac proindè errare illud posse. Deindè, si maximè concederemus Concilium *acephalum* Ecclesiam simpliciter repræsentare, tamen ex ea re solum consequetur, omnes Patres Concilij ad vnum, vsque errare non posse, sicut nec errare possunt simul omnes fideles. At posset tamen nihilominùs errare maior illorum pars, atque adeò ipsum etiam Concilium, quippe cùm ex sententia maioris partis congregatorum decreta Concilij confici soleant. Ita sanè respondet ad hoc argumentum Melchior Canus. Sed prior mihi responsio magis placet, quæ est doctissimi Caietani.

Ad confirmationem verò eius argumenti cum distinctione respondendum est. Nam si legati sequuntur instructionem, & quasi conceptam iam ante definitionem Pontificis,

quam

quam ab ipso prius acceperint; tunc sanè eo ipso, quod Concilium habeat auctoritatem legatorum, habet etiam ipsius Pontificis, ac proindè errare nequit: Si autem talem à Pontifice instructionem nondum illi acceperunt, aut eam non sequuntur, errare Concilium ipsis etiam consentientibus, potest. Quia vt Turrecremata, & Canus rectè docent, potestas ipsa Pontificis ad infallibiliter definiendnm delegari alijs nequit. Quare ante Pontificis confirmationem minimè constat esse rata Concilij decreta.

Secundum argumentum. Si infallibilitas omnis Conciliorum à Pontifice pendet; frustra igitur illa coguntur; siquidem æquè certò ab ipso Pontifice solo posset res definiri.

Respondetur, nequaquam propterea frustra institui Concilia. Quò enim maior in illis inquisitio firmamentorum veritatis fit, ex pluriumque sententia decernitur, eò in ijs rebus, quas cum Concilio definit Pontifex, plus est momenti, ac ponderis, vt ipsi certè homines, sibi persuadere possint, verùm, atque ratum id esse, quod tanto studio, atque diligentia adhibita, tantoque consensu definitur. Quare omninò est saluberrima in Ecclesia, vt præclarè D. Augustinus inquit, Conciliorum auctoritas, sapienterque facit Pontifex, si cùm ita, vel hæreticorum pertinacia, vel alia grauis causa postulare videtur, non nisi conuocato Concilio rem esse definiendam existimat.

Tertium argumentum. Christus ait: [Vbi fuerint duo, aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.] Ergò multò magis, vbi tam multi congregantur.

Verùm hoc facillimè expeditur. Non enim ad infallibilem certitudinem alicuius sententiæ, in quam plures in nomine Christi consentiant, locus hic Euangelij propriè accommodari debet, sed ad efficaciam consensionis plurium ad id impetrandum, quod vnanimiter in Christi nomine petunt, si id quidem ad eorum salutem expediat. Secùs enim, non modò ex illo loco probabitur, infallibilem esse sine Pontificis assensu definitionem Concilij vniuersalis, sed etiam prouincialis, imò & Episcopalis, imò & aliorum quorumcumque duorum, aut trium in nomine Christi conuenientium ad aliquid statuendum. Quòd si ad Concilij etiam congregationem, quæ maximè fit in Christi nomine, eum Euangelij locum accommodare velimus; dicam equidem, eatenus Concilij Patribus Christum sua prouidentia adesse, vt eorum doctrina, atque definitio per Pontificem confirmetur, si vera fuerit, sin autem falsa, per eundem corrigatur.

Quartum argumentum. Patres Concilij vniuersalis pronunciant de rebus fidei tanquam iudices: Nempè cùm dicunt: [Ita statuit sancta Synodus. Qui aliud dixerit, anathema sit &c.] Infallibiliter igitur pronunciant. Quod ea ratione confirmari potest; quia Ecclesia certè vniuersa tenetur eos audire, si vt iudices in vniuersali Concilio, quod iam ostensum est, pronunciant; ac proindè, si non illi infallibiliter pronunciarent, tota Ecclesia ipsos audiendo posset, imò teneretur errare. Quod absurdissimum est. Item, quia si vt Iudices pronunciant de fide; ergo ex auctoritate diuina pronunciant. Humana enim auctoritas non videtur per se tantum valere, vt fidei materiam determinare ipsa possit. Quòd si auctoritate diuina Concilij vniuersalis Patres pronunciant; consequitur certè, infallibiliter eos pronunciare: Siquidem non potest ab auctoritate diuina prodire vlla falsitas. Accedit, quòd si Patres per se non definiunt infallibiliter, minimè ipsi, Iudices esse controuersiarum fidei, censeri debebunt, sed quasi quidam tantùm Pontificis Consiliarij, quorum munus videlicet sit Pontifici proponere quidnam esse definiendum videatur. At sunt omninò Iudices, vt antè probatum est. Infallibiliter igitur ipsi definiunt.

Respondeo. Quod Patres statuant in Concilio, vt Iudices, non est sanè negandum. Hinc tamen non illicò sequitur, ipsos infallibiliter per se definire. Nam quod primò ad eius rei confirmationem obijciebatur, Ecclesiam vniuersam debere eos audire, id verò non ita est, donec per confirmationem Pontificis innotescat, eos verè definiuisse. Ea verò Pontificis confirmatio cùm accesserit, iam tum vniuersa Ecclesia debebit Concilij decreta recipere, non modò quatenus Pontificis decreta sunt, sed etiam quatenus Concilij quòque Patrum auctoritatem habent. Porrò auctoritas hæc Patrum, per quam scilicet de fide pronunciant, non est (vt deindè obijciebatur) propriè diuina, quæ scilicet in assistentia peculiari Spiritus sancti ad definiendum, quam ipsi per se Patres habeant, consistat: Sed est humana Ecclesiastica, deriuata quidem à diuina, & concessa illis à Pontifice, vt ipsi nimirum soli possint ritè, atque ex ordine ad totius bonum Ecclesię iudicare de rebus fidei, atque adeò ita demum ad credendum Ecclesiam vniuersam obligare, si iudicium suum fuerit Pontificis approbatione confirmatum. Vt verò ita dependenter à sententia summi Pontificis, definiant illi res fidei, satis ipsis est auctoritas illa Ecclesiastica, nec per se opus habent infallibili assistentia diuina.

Quòd si propterea, quòd Pontifex huiusmodi Patrum opere, atque iudicio in determinanda fidei sententia vtitur, idcircò quis putet Pontificis quasi Consiliarios eos appellari posse, non est de vocabulo magnoperè laborandum. Nam neque eiusmodi certè appellatio fundamento prorsus careret: siquidem sæpè dicitur Pontifex hoc, aut illud statuere sancto approbante Concilio. Quæ cùm ita sint, facilè conciliari hoc in loco possunt opiniones duæ, quas Canus tamquam dissidentes commemorat. Vna est, Concilij Patres esse Pontificis Consiliarios in fidei negotio. Altera, eosdem esse sanè Iudices. Vtrumque enim verum est diuersa ratione, vt ex dictis intelligi potest.

Quintum argumentum. Concilij Patres asserunt se in Spiritu sancto legitimè congregari: itemque statuunt sub anathemate, &c. At nisi infallibiliter per se definiunt, arroganter id quidem ab illis, vel dici, vel fieri videri posset. Aut sunt igitur arrogantes, quod putandum non est, aut infallibiliter profectò definiunt.

Re-

Respondeo. In Spiritu sancto legitimè congregari Concilium non aliud est, quàm omninò placere Deo, vt ex præscripto Pontificis conueniant Patres ad decernendum, eisque proindè Spiritum sanctum assistere, vt per Pontificem postea, vel confirmantem, vel emendantem eorum decreta, infallibilitèr de veritate doceantur, Quod verò statuunt sub anathemate, faciunt quidem hoc illi, vt quantum est in se astringant hac ratione magis obligationem eam, quam sperant per Pontificis futuram confirmationem, robur habituram. Et verò Concilia olim, nisi priùs accepissent sedis Apostolicæ decretum, controuersias fidei non definiebant, vt ostendit Turrecremata. Quod ipsum magno argumento est, verissimum id esse, quod docemus, Concilij vniuersalis decreta ante Pontificis confirmationem non habere certitudinem infallibilem.

Sextum argumentum. Suprema potestas clauium non Pontifici, sed Ecclesiæ ipsi propriè collata à Christo est. Ergo Concilium vniuersale, quod est vice Ecclesiæ, infallibilitèr potest definire, sine Pontifice. Id autem multis sanè modis probatur. Primò, auctoritate Diui Augustini, qui sæpè affirmat Ecclesiæ datas illas claues esse, cùm datæ sunt Diuo Petro. Secundò. Quia in Euangelio Matthæi Apostolis, qui repræsentabant Ecclesiam, sine exceptione dicit Christus: Quodcumque ligaueritis, &c. Quare videtur Ecclesia etiam in Pontificem ipsum habere ligandi, & soluendi potestatem. Tertiò, quia ibidem quoque Christus omnem illum, qui frater censeri potest, subiecit Ecclesiæ, atque adeò etiam ipsum Diuum Petrum cùm dixit: [Si peccauerit in te frater tuus, &c] Et tandem: [Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.] Quartò, quia ipsum etiam Petrum remittit ibi ad Ecclesiam, cùm non minùs illi, quàm discipulis alijs præcipit: Dic Ecclesiæ. Itaque ipse postmodum interrogat: [Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei.] Quintò, quia Ecclesia potest Concilium congregare sine Pontifice. Vt si quando Pontifex aliquis non sine controuersia pro Pontifice haberetur. Quemadmodum euenit tempore Concilij Constantiensis: vel si fortè esset hæreticus. Quo casu posset ille etiam ab Ecclesia deponi. Sextò, quia cùm Pontifex sit vnus quidam homo, qui proindè videretur errare posse; consentaneum sanè erat, vt Ecclesiæ in illum auctoritas daretur, vt siquid fortè peccaret, ab ea corrigeretur. Septimò, quia id etiam est definitum in Concilio Constantiensi, sessione quinta, cuius Concilij Decreta ad fidem pertinentia confirmauit Martinus quintus: Itemque posteà in Basiliensi. Octauò, quia non sanè obstat, quod Pontifex à Christo acceperit in Ecclesia primatum. Habet enim illum certè respectu singularum personarum, aut etiam respectu quarumcumque prouinciarum, non tamen respectu totius Ecclesiæ, vt est vnum quoddam corpus ex omnibus suis partibus simul coniunctum: atque adeò, nec respectu vniuersalis Concilij, quod est vice Ecclesiæ totius. Nonò, quia non benè aliàs Christus Ecclesiæ suæ prouidisset, si cogeretur illa nimirum ferre Pontificem quantumuis impium; nec haberet in eum aliquam potestatem.

Atque hæc ferè sunt, quæ quosdam mouerunt, vt & Concilia esse per se infallibilia, & in ipsum etiam Pontificem auctoritatem habere disputarent. Sed ea tamen omnia mouere similiter nos minimè debent, vt à verissima sententia superiùs probata desistamus. Quare respondendum ad argumentum est, omninò falsum id esse, quod in illo assumebatur, nempè non ipsi Pontifici propriè, sed Ecclesiæ toti claues à Christo datas esse. Pugnat enim hoc prorsus cum certissima fide, de primatu Diui Petri, quæ suprà multis, & testimonijs, & argumentis confirmata est.

Ad primam verò eius assumpti probationem respondetur, sententiam Diui Augustini non esse, nisi quod accepit Petrus singulariter claues in persona Ecclesię tamquam illius præpositus in eiusdemque vtilitatem, vt suprà satis à nobis explicatum est.

Ad secundam respondet optimè Caietanus, potestatem illam à Christo datam esse Apostolis, vt eam quidem exercerent in quibuscumque sibi subiectis: Papa autem non est subiectus vlli alteri potestati, cùm ipse habeat potestatem supremam, vt suprà probatum est. Quamuis ipsemet etiam lege diuina teneatur id credere, quod in materia fidei determinat, sicut etiam illius successores.

Ad tertiam probationem similiter respondetur, agi nimirum ibi de fratribus subiectis. Quæ profectò expositio, vel ea ratione apertè confirmatur, quòd ibi nomine Ecclesiæ intelligitur etiam quicumque Prælatus, qui peccantem possit excommunicare, & quem possimus statim adire: vt auctoritate sanctorum Patrum confirmat Caietanus. Certum autem est, Prælatum non habere potestatem, nisi in sibi subiectos. Quare non nisi de subiectis fratribus ille locus intelligi debet; ac proindè, si quis est nulli omninò potestati in Ecclesia subiectus (vt Pontificem non esse suprà ostendimus) is ab eo loco prorsus excipiendus necessariò est.

Ad quartam probationem respondeo, Christum ibi non cum persona Petri, vt erat futurus summus Ecclesiæ Pastor, loquutum esse; sed doctrinam tradidit in communi pro fidelibus omnibus, qui Ecclesiæ Prælati vmquam futuri essent, quique ab illo collegio discipulorum, cum quibus Christus agebat, repræsentabantur.

Ad quintam probationem respondeo, posse quidem in illis dumtaxat casibus Ecclesiam id facere non ex auctoritate, quam habeat supremam, & ordinariam ad omnia, quæ sint eius generis, facienda, sicut habet Pontifex, sed ex quadam imperfecta auctoritate, quam habet tantùm in illis duobus casibus, ad personam videlicet Pontificis, vel eligendam peculiari modo, vel deponendam, seu potiùs ad declarandum, quòd sit iam à Christo deposita. Hanc auctoritatem Ecclesiæ in his casibus appellat Caietanus ministerialem. Et potest sanè ita appellari, qua ratione in aliquo eiusmodi casu Ecclesia Pontificem eligit. Vt enim superiùs expositum est, non ipsa Ecclesia propriè constituit Pontificem, sed determinat dumtaxat personam,

nam, & quasi offert illam Christo, vt ab eo demum accipiat supremam regendi potestatem. Si quando autem Ecclesia congregaretur ad mouendum loco Pontificem hæreticum, non propriè illa diceretur per auctoritatem ministerialem eum deponere, quasi tunc primùm Christus per Ecclesiæ ministerium eiusmodi Pontificem deponeret. Hoc enim ipso, quod Pontifex in hæresim, siue occultam, siue manifestam laberetur, Pontificia auctoritate per se caderet, vt asserit certior, atque communior Theologorum sententia. Quare Ecclesia in eo casu, ne ministerialiter quidem talem Pontificem deponeret, sed efficaciter ipsa per se declararet, ipsum iam esse à Christo depositum.

Ad sextam probationem respondetur, Pontificem in fidei quidem iudicio non posse errare, vt suprà ostensum est. Nec verò minus potest Christus assistere ipsi per se Pontifici, quàm toti Ecclesiæ, ne aberret. Immò toti Ecclesiæ ille assistit, quatenus assistit semper Vicario suo ne in regendo erret. Itaque minimè profectò decuit, vt Vicarij sui curam alteri alicui potestati Christus committeret; sicut, nec decet, vt princeps aliquis quempiam alium præficiat Vicario suo, cui ille præsens adest.

Ad septimam probationem respondetur, decreta illius quidem sessionis Concilij Constantiensis non habere certam auctoritatem. Nam ea tantùm Martinus quintus probauit, quæ essent circa fidem determinata (vt inquit) conciliariter, hoc est, adhibita prius disputatione; & sententiarum collatione rectè, atque sedatè, sicut fieri in Concilijs assolet, instituta. Illa verò sessio quinta Concilij Constantiensis edita fuit importunitate tantùm quorumdam Schismaticorum non nisi admodum tumultuariè, vt ex actis Concilij constat, & benè à Caietano, & ab alijs animaduersum est. Porrò Concilium Basiliense numquam fuit confirmatum: etsi ante apertum sanè schisma fuerit habitum pro legitimo, quod ad inchoationem quidem, & prosecutionem eius Concilij attinebat, vt rectè quoque notauit Caietanus.

Ad octauam probationem respondetur, primatum Petri, vel maximè etiam esse erga Ecclesiam totam collectiuè (sicut in Scholis loquimur) consideratam. Hoc inde patet, quod Ecclesiæ nomen, collectiuum (vt vocant) est, sicut etiam nomen ouile. Quare loca Euangelij, quibus Christus tradidit Petro, & successoribus potestatem supremam in Ecclesiam suam, suumque ouile, inprimis de tota Ecclesia collectiuè intelligi debent, quomodò etiam intellexerunt semper Concilia, & Patres magno numero suprà citati. Ac discrimen diligenter perpendi debet, quod est inter potestatem Ecclesiasticam Christi Vicarij, & potestatem cuiuspiam alterius monarchæ, seu principis sæcularis. Princeps enim sæcularis, potestatem ab ipsa communitate, cui præest, obtinuit. Vnde fit, vt quibuslibet partibus communitatis superior sit; non perindè autem tota ipsa communitate coniunctim spectata, saltem in omnibus casibus. At verò Christi Vicarius supremam potestatem accepit propriè ab ipso Christo, non ab Ecclesiæ communitate; qua proindè non solùm diuisim, sed etiam coniunctim spectata in omni casu superior est, quamdiù quidem verus Pontifex manet. Itaque, quod Deus per Esaiam promisit Eliachim, filio Helchiæ, futuro veteris Synagogæ Pontifici, inquiens: [Et dabo illi clauem domus Dauid supra humerum eius (quod est Symbolum supremę potestatis) & aperiet, & nemo claudet: claudet, & nemo aperiet, &c.] hoc certè Diuus Petrus, eiusque successor Romanus Pontifex à Christo accipere existimandus est, cui longè etiam luculentius claues regiminis Ecclesiastici promissæ sunt; nempè, vt quod auctoritate eiusmodi clauium ipse Pontifex in Ecclesia aperuerit, vel clauserit, nulla alia potestas in terris, contra claudere, vel aperire possit, quemadmodum eruditè persequitur Franciscus Turrianus, de qua re etiam suprà à nobis copiosè disputatum est.

Ad nonam probationem respondetur, alia superesse remedia in eiusmodi casu, etiamsi non habeat Ecclesia auctoritatem coercendi Pontificem. Primùm enim, qualiscumque ipse Pontifex, quod ad suam personam attinet, sit, numquam tamen Deus permittet, vt aliquid efficiat, quod cum Ecclesiæ pernicie sit coniunctum. Deinde varijs rationibus admoneri officij sui posset. Itemque assiduè esset orandus Deus, qui Ecclesiæ suæ, præsertim afflictæ, numquam non est adfuturus. De quibus, & alijs id genus remedijs copiosè à Turrecremata est scriptum.

Vnum ad extremum in hoc loco argumentum superest, quo non iam solùm videatur probari, Concilium, sine auctoritate summi Pontificis errare posse (vt hactenus à nobis concessum, atque defensum est) sed etiã si maximè fuerit à Pontifice summo confirmatum, putari posse fallibile, quod in assertione altera negauimus. Scriptura enim affirmat (inquit superbissimus quidam Sectarius) esse quædam Concilia malignantium, quædam vanitatis, quædam impiorum. Habemus autem seuerissimum mandatum: [Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.] Rectè igitur, & necessariò is facit, qui non statim, atque aliquid à Concilio quantumuis Pontificia auctoritate munito definitum est, id putat esse infallibile, sed illius decreta potius ad normam sacræ Scripturæ exigit.]

Ego verò non Concilium vllum improborum tam esse vanitatis, impietatisque puto, quàm est ista ratiocinatio vanitatis, impietatis, atque superbiæ plenissima. Quando enim est aliquis controuersiarum exitus futurus, si etiam tum, cùm illæ ab Ecclesia, Ecclesiæque Pastore Christi Vicario in Concilio Oecomenico constitutæ sunt, priuato cuiuis liceat ad Scripturæ normam, hoc est, ad propria somnia de Scriptura, Concilij decreta reuocare? Cæterùm, ne rursus repetam, quæ sunt suprà satis abundè pro auctoritate Pontificis, siue per se, siue vnà cum Concilio definientis disputata, ad id nunc propriè, quod est obiectum respondeo; cùm à legitimo Ecclesię Pastore Concilium aliquod confirmatur, satis hoc ipso nobis probari, non illud esse vanitatis, aut impietatis Concilium, sed Ecclesię Christi legitimæ, quæ columna, & firmamentum est veritatis. Nec enim cùm Deus omnes

nes iubet probare spiritus, atque doctrinam vtrum ex Deo sit, tam ex ratione ipsa per se doctrinæ, quàm ex conditione, auctoritateque Doctorum, eius rei iudicium vult fieri. Pertinet enim id præceptum ad omnes: Ex ratione autem ipsa per se doctrinæ dijudicare num ea sit à Deo, quàm paucissimi possunt: Ex vocatione verò, ex auctoritate, atque conditione Doctoris omninò omnes possunt. Itaque modum Christus ostendens de doctrina iudicandi ad Doctores ipsos attendi vult: [Attendite, inquit, à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos) vltrò scilicet, sine ordinatione, vocationeq; diuina) in vestimentis ouium, &c.]

Tum igitur doctrinæ spiritum ex Deo esse satis (vt dixi) intelligimus, cùm à legitimo Ecclesiæ Pastore, præsertim Concilio inferiorum etiam Antistitum assentiente, proponi eam animaduertimus. Hic quisquis non acquiescit, sed vlterius iudicium sibi in suos Iudices arrogare vult, in disputationemque reuocare verane sint, quæ ab Ecclesiæ præpositis, per quos nos Spiritus sanctus doceri voluit, definita sunt, non vtique exequitur, sed transgreditur superbè, ac contumaciter modum probandi Spiritus à diuina lege præscriptum, planèque conuincitur esse hæreticus, nisi omninò negandum sit, vllos vmquam in mundo exstitisse hæreticos. Quis enim aliquando hæreticorum fuit, qui non hoc ipso prætextu, & modo, nempè ad Scripturę normam (vt isti dicunt) ea exigendo, quæ ab Ecclesię Prępositis essent fidelibus ad credendum proposita?

At illi veteres hæretici (inquiunt nunc isti noui) falsò, ac perperam id examen doctrinæ instituebant. Cuiusnam obsecro id iudicio? Certè non nisi eorumdem Ecclesiæ præpositorum, aliorumque Orthodoxorum, quibus contradicebant. Ipsi enim hæretici, quicumque olim exstiterunt, non minus profectò pertinaciter, quàm hodie Sectarij, in sententia persistebant, perpetuòque contendebant, se id ipsum docere planè, quod in Scriptura contineretur. Cùm igitur hodie etiam Sectarij iudicio similiter Ecclesiæ præpositorum, aliorumque omnium, quibus contradicunt, perperam etiam iam examen instituant eorum, quæ in Oecumenico Concilio definita sunt, profectò consequitur, illos eodem ipso modo, atque ratione esse hæreticos, qua fuerunt vmquam ij hæretici, qui sine controuersia olim hæretici fuerunt.

Nam quod rursus ex desperatione quadam dicunt, non esse legitimam Ecclesiam illam, cuius à præpositis ipsi condemnantur; Similiter hic interrogandi sunt, quorumnam illa iudicio Ecclesia legitima non sit? Certè non nisi ipsorum Sectariorum. Atqui similiter etiam Ecclesia illa vetus, cuius à præpositis hæretici veteres condemnabantur, iudicio quidem ipsorum hæreticorum, legitima Ecclesia non erat. Et tamen quoniam ab illa Ecclesia damnabantur, quæ ante ipsos in orbe pro legitima Ecclesia habita fuerat, & adhuc à cæteris omnibus præter ipsos habebatur, verissimè illi fuerunt hæretici. Cum igitur similiter hodie Sectarij ab eius Ecclesiæ præpositis in Concilio damnati sint, quæ ante ipsos in orbe pro legitima Ecclesia habebatur, & etiamnum ab omnibus præter ipsos habetur; profectò consequitur, eos si Concilio repugnare pergant, illo eodem modo ex omni parte esse hæreticos, quo hæretici olim veteres, hæretici fuerunt. Tantummodò enim iudicio suo proprio hæretici non sunt; quo quidem pacto, nec vlli vmquam in mundo hęretici fuerunt; nec tamen propterea satis illi ab hæresis nota absoluti sunt, sed multo etiam magis iudicio suo proprio (hoc est, ob eam pertinaciam) sicut inquit Apostolus condemnati.

Quæ sanè omnia sapienter admodum considerata olim esse apparet, tum à religiosissimo Imperatore Martiano, tum etiam ab ijs, qui suasores ei fuerunt; vt seuerissima lege, quæ, & hodie exstat, caueret: [Ne quis, inquit, in Synodo semel iudicata, & rectè disposita, disputando reuoluat, tumultus, aut perfidiæ occasionem inde quærens.] Cuius Imperatoris, & illa etiam in actis Concilij Chalcedonensis referuntur hac de re verba: [Cesset iam, inquit, prophana contentio: Nam verè impius, & sacrilegus est, qui post sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippè dementiæ est, in medio, & pespicuo die commentitium lumen inquirere: Quisquis enim post veritatem repertam aliquid vlterius discutit (examen Kemnitij) mendacium quærit.]

At religiosissimus Imperator, inquit examinator ille, quæ rectè disposita sunt, non esse in disputationem reuocanda dicit. Item ait: Post veritatem repertam. Inter nos verò, inquit iste, ardua illa quæstio controuertitur, an ea, quæ in Synodo Tridentina iudicata sunt, rectè sint disposita? An de controuersijs horum temporum veritas sit ibi reperta? Et his, inquit, disputationibus non quærimus tumultus, & perfidiæ occasionem, quod Imperator Martianus rectè prohibet.]

Sed quæro ego nunc ab egregio isto examinatore, vel si illum respondere pudebit, ab ijs, qui examen illud ipsius passim in Germania legunt, quæro inquam, vtrùm post repertam in Synodo veritatem, iudicio ipsius Synodi, an non nisi post repertam, iudicio etiam quorumuis aliorum, Martianus ibi prohibuerit, præterea de rebus definitis disputationem institui? Certè nisi velimus ridiculum planè Martiani decretum facere, confiteri oportet, eum post repertam veritatem, iudicio quidem ipsius Synodi, disputationes eiusmodi prohibuisse. Eas enim procul dubiò disputationes prohibere voluit, quas solent nimirum hæretici contra iudicium Synodi præterea instituere, dum ipsi quidem non iudicant veritatem in Synodo repertam esse, aut omnia ibi esse rectè disposita. Ac propterea Martianus addidit, quod falsariè Kemnitius suo more, in recitatione illius decreti prætermisit, [Impium, & sacrilegum esse, qui post tot Sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit.] Item: [Extremam dementiam esse in medio die,] hoc est, in luce doctrinæ per Synodum monstrata, commentitium lumen, per vlteriùs videlicet examen inquirere. Quòd si tantummodò Martianus prohibuisset,

ſet, ne quis, poſtquam ipſe etiam iudicet, veritatem in Synodo repertam eſſe, de rebus ibi definitis diſputaret, nemo non videt, quàm fuiſſet Martiani decretum non modò ridiculum, vt antè dixi, ſed planè etiam nullum. Quotus enim quiſque hæreticorum, quorum ibi Martianus coercere voluit audaciam, eſt, qui iudicans ipſe verum id eſſe, quod in Concilio definitum ſit, de eo præterea contentioſè diſputet? Cùm igitur examinator Concilij Kemnitius negare non poſſit, quin contra ea diſputet, quæ iudicio quidem eius Synodi, quam oppugnat, vera ſunt, rectèque diſpoſita; fateri etiam prorſus, & ipſe, & quotquot habet ſibi aſſentientes coguntur, contra legem ſe planè religioſiſſimi, vt appellat, Martiani Imperatoris committere, eiuſque adeò, aliorumque Patrum veterum iudicio, tam verè ſe hæreticos eſſe, quàm fuerunt illi, quorum pertinaciſſimam contumaciam ſeueritate illius legis coercendam eſſe antiquitas exiſtimauit.

Atque eadem omninò ratione euidentiſſimè demonſtramus, non niſi mendacium iſtos, occaſionemque perfidiæ, vt Martianus etiam inquit, poſt definitionem Concilij diſputando quærere. Hoc enim quærunt, qui contra veritatem, ſententia quidem Synodi, repertam, diſputant, vt oſtenſum eſt: id quod iſti nunc pertinaciſſimè faciunt. Cuius certè rei conſideratio, vel ſola ſufficere prudentibus hominibus deberet, vt tandem euigilarent aliquando, apertiſque oculis clariſſimè hæreſum laqueos intuerentur, quibus Sectariorum prædicantium fraude, atque perfidia implicati tenentur. Sed ſatis hactenus, vt arbitror, pro inſtituto noſtro, de Concilijs dictum eſt.

De conſenſu Doctorum.

IN definiendis controuerſijs fidei concordis etiam ſententiæ Patrum, ſiuè Doctorum omnium idcircò haberi ratio debet, quia quod illi vnanimi conſenſu circa religionem tradunt, infallibiliter verum eſt. Sunt namque illi diuinitus Eccleſiæ dati, [vt non circumferatur omni vento doctrinæ:] Sicut Apoſtolus docet. Ex quo loco formare poſſumus hanc rationem. Quod vniuerſi Doctores vnanimi conſenſu tradunt, id ſibi vniuerſa poteſt, ac debet perſuadere Eccleſia; vt colligitur ex eo loco Apoſtoli. Sed quod vniuerſa Eccleſia poteſt, ac debet credere, id infallibiliter verùm eſt, vt ſupra ſæpè probatum eſt. Ergo quidquid vniuerſi Doctores tradunt, id eſt infallibile. Accedit quod id ſunt, propter doctrinæ lumen, Doctores in Eccleſia, quod ſunt oculi in corpore humano. Sed quod oculus videt, aut non videt, id corpus ipſum videre, aut non videre meritò cenſetur. Ergo ſimiliter quod vniuerſi Eccleſiæ Doctores ſentiunt, id Eccleſia ipſa ſentire cenſenda eſt. Nihil autem Eccleſia vniuerſa ſentire poteſt, niſi verum, cùm habeat illa perpetuò veritatis ſpiritum, ſibi aſſiſtentem. Nihil igitur, niſi verum vniuerſi Eccleſiæ Doctores docent.

Sed quæret hìc aliquis: Quinam in propoſito dicantur Eccleſiæ Doctores? Reſpondeo, primùm illi, quos iam indè à tempore Apoſtolorum varijs ætatibus Eccleſia, tanquam Patres venerata eſt, ac fidei magiſtrorum loco habuit, quorum exſtant illuſtria doctrinæ monimenta. Deindè etiam illi, quos habet quauis ætate præſentes. Ac priorum quidem illorum ſententiam concordem à Spiritu ſancto eſſe profectam, atque adeò eſſe infallibilem, eò certiùs apud nos eſſe debet, quò minus videtur fieri humanitus potuiſſe, vt tot, taleſque viri doctiſſimi, & ſanctiſſimi, qui tam varijs locis, ac temporibus vixerunt, in eandem ſententiam conuenirent, quemadmodum rectè expendit D. Auguſtinus. Ac de his quidem loquitur D. Hieronymus, cùm ſuper illa verba Apoſtoli ad Philemonem: [Audiens fidem, quam habes in Domino Ieſu, & in omnes Sanctos;] ſic inquit: [Non eſt in Deum perfecta fides illa, quæ infidelitate erga ipſius miniſtros extenuatur.] Ad illos quoque idem Hieronymus accommodat illud ex libro Eccleſiaſtes: [Verba ſapientum, ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſtore vno: ijs, fili mi, ne amplius requiras.] Itaque meritò in Pontificum, & Conciliorum deliberationibus, cùm aliquid fuit definiendum, concors Patrum ſententia, veriſſima, atque infallibilis ſemper eſt habita. Qua de re plurima teſtimonia diligenter ſanè collegerunt Thomas Waldenſis, & Melchior Canus. Et exſtat demùm hac de re poſt aliorum Conciliorum decreta, Concilij quoque Tridentini definitio, quæ iure ideò vetat Scripturam exponere contra vnanimem conſenſum Patrum, vt qui ſit prorſus infallibilis.

Addidi verò, cùm dicimus, concordem ſententiam omnium Doctorum eſſe infallibilem; intelligendos etiam in propoſito eſſe Doctores omnes catholicos, quos vnoquoque tempore præſentes habet Eccleſia. Quòd ita ſanè probo: Eccleſia quoniam omninò tempore, quaſi corpus quoddam perfectum, atque abſolutum eſt, quod ſuos proindè oculos omni tempore habet, ſuumque ſpiritum veritatis, inſtar animæ, perpetuò ſecum manentem, membraque ipſius, pro conditione cuiuſque illorum vegetantem. Sed, vt probatum eſt, Eccleſiæ quaſi oculi ſunt Doctores, quorum conditio ea eſt, vt nunquam omnes circa religionem errare poſſint. Ergo quouis tempore in Eccleſia Doctores eſſe exiſtimandum eſt, qui à Spiritu ſancto eum quaſi vitæ influxum percipiant, vt nunquam omnes à ſuperiorum Patrum, & Doctorum concordi ſententia, atque adeò, nec à vera doctrina fidei, vel ipſi aberreut, vel alios auertant.

Quamquam fatendum eſt tamen, rarò accidere poſſe, vt quę ſit Doctorum omnium, vno tempore viuentium, de religione ſententia, ſatis cognoſcatur. Sunt enim catholici Doctores in Eccleſia vbique diffuſa plurimi, qui proindè omnes, nec facilè congregari, nec interrogari poſſunt, quid ſentiant. Illud ſolùm aſſero, vbi contingeret, notam eſſe Doctorum huiuſmodi omnium de re aliqua controuerſa concordem ſententiam, poſſe, ac debere Pontificem in fidei definitione illa niti.

Fit autem frequentius, vt in definiendo nitatur Pontifex sententia concordi eorum Doctorum, qui varijs ætatibus religionem suis scriptis illustrauerunt: eo quòd hi, & celebriores, nec ita multi sunt. In quorum sanè numero scholasticos Doctores omninò ponendos indico, quod attinet ad propositum. Nam & hi quoque fuerunt catholici, ac celebres, & idem quod Patres alij, tametsi diuersa ratione, de religione tradiderunt. Solùm est in eo discrimen, quòd si quid vniuersi Patres de religione tradunt concorditer, id statim, tanquam dogma commune Doctorum omnium, qui varijs ætatibus vixerunt, recipitur, quoniam illud etiam scholastici Doctores, saltem pro maiori parte, recipiunt, vt qui in materia fidei, atque religionis sanctos Patres duces sequuntur. At non viciffim quicquid scholastici Doctores concorditer tradunt, id existimandum est Ecclesiæ alios Doctores omnes, qui varijs ætatibus vixerunt, tradidisse. Multa enim Scholastici ad doctrinam Patrum explicatius addiderunt. Atque hæc causa est, cur sanctorum Patrum omnium dogma illico censetur esse infallibile; dogma verò omnium Scholasticorum non item, nisi quoque omnium Patrum fuerit. Etsi negare quidem commune placitum Doctorum scholasticorum valdè sit temerarium.

Sed restat præterea exponendum, quinam in proposito existimandi sint omnes omninò Doctores; cùm illorum etiam concordi sententia Pontificem niti posse asserimus. Nam qui sint Doctores hoc loco intelligendi iam diximus. Quinam igitur omnes esse censeri debent? Quod sanè perindè quæri potest, siuè de ijs sermo sit, qui varijs ætatibus de religione scripserunt, siuè de ijs, qui vnoquoque tempore in Ecclesia viuunt. Respondeo, Doctores omnes in proposito dici, non omnes mathematicè tantùm loquendo, idest, nullo planè excepto, sed etiam moraliter. Quo quidem pacto omnes esse censentur ij, quorum auctoritatis pondus tantum est, circumstantijs omnibus consideratis, eruditionis, pietatis, multitudinis &c. vt à prudentibus certè eorum solummodò ratio haberi debeat, cæteris neglectis, quasi nihil sint, si cum illis conferantur. Atquè hoc rectè mihi videtur Vincentius Lyrinensis attigisse, cùm in libro aduersùs hæreses inquit: [Confessionem verò Doctorum sequemur, si in ipsa vetustate, sacerdotum omnium, aut penè omnium, & magistrorum iudicium, atque sententiam sectemur.] Ita via nobis patebit vrgendi errantem Doctorem vnum, aut alterum, aut etiam plures auctoritate reliquorum. Quòd si per sententiam Doctorum aliqua fidei controuersia non satis commodè componi posset (eò quòd de illorum consensu non apertè constaret) sua tunc constat auctoritas Pontifici, vt consultis alijs ad definiendum regulis, de quibus antè est dictum, Ecclesiæ proponat quid sit sentiendum. Quod munus ad nullum alium præterquam ad legitimum Ecclesię Pastorem spectat, vti suprà ostensum est.

Obijciunt autem hæretici: Patres homines fuisse, qui interdum etiam errauerunt, sæpè inter se pugnarunt &c. Quare auctoritatem illorum magnifaciendam non esse. Quasi vero, quòd Patres, atque Doctores Catholici homines sint, obstare debeat, quò minus à Spiritu sancto, ita dirigantur, vt errare omnes quidem non possint in materia religionis. Quid enim Prophetæ, & Euangelistæ? An non homines fuerunt? Cur igitur illorum sententia habetur infallibilis? Nempè quia etsi homines essent, tamen cùm Spiritu sancto dictante scriberent, errare minimè potuerunt. At est inter Scriptores sacros, & alios Ecclesiæ Doctores discrimen. Fateor. Attamen id discrimen ad rem, de qua nunc quidem agimus, prorsus nihil pertinet. Solùm enim volumus, sicut Scriptores Canonici, tametsi homines essent, Spiritu veritatis dirigi suo modo potuerunt, ne vnquam videlicet erraret illorum aliquis: ita etiam ab eodem spiritu dirigi Doctores modo quodam suo, ne videlicet illi omnes errent. Quod verò addunt hæretici, Patres interdum errauisse, ac inter se pugnare, id nihil nobis obstat. Non enim singulorum auctoritatem, vt infallibilem asserimus, sed omnium. Ac quantum etiam singulorum, aut plurium auctoritati tribui debeat, in alio loco aduersùs Sectariorum in hoc genere arrogantiam, atque temeritatem diligenter explicuimus. Maneat nunc igitur, in his regulis, quas Pontifex, vt infallibiliter definiat, consulere debet, Doctorum etiam sententiam concordem esse numerandam.

De consensu fidelium.

Est etiam in definitionibus fidei, sicut suprà diximus, habenda ratio, quoad fieri potest, consensus fidelium, quoniam, & ij sanè, quatenus ex ipsis constat Ecclesia, sic Spiritu sancto assistente diuinas reuelationes integrè, ac purè conseruant, vt omnes illi quidem aberrare non possint, sicut patet ex superiùs dictis circa septimam Ecclesiæ proprietatem. Neque tamen idcircò volo, debere Pontificem, de quauis controuersia, fidelium omnium sententiam inquirere. Hoc enim neque fieri potest, neque si posset, expediret. Ferè enim eiusmodi sunt, quæ in controuersiam fidei adducuntur, vt captum vulgarium fidelium longè superent. Illud solùm contendo: Si quando de re aliqua in materia religionis controuersa constaret, fidelium omnium concordem esse sententiam (solet autem id constare, vel ex ipsa praxi, alicuius cultus communiter apud Christianos populos recepta, vel ex scandalo, & offensione communi, quæ ex opinione aliqua oritur, &c.) meritò posse, ac debere Pontificem illa niti, vt quæ esset Ecclesiæ sententia infallibilis. Atque hoc mihi tantum voluisse Thomas Waldensis videtur, cùm ait, Ecclesiam, cuius est determinare doctrinam fidei, testimonium communium fidelium non excludere, sed includere, tametsi non soleant, inquit, interrogari, quòd minus commodè valeant sententiam explicare suam. Quare minimè debuit Canus hanc Waldensis sententiam reprehendere.

Quem

Quem modum debeat tenere Pontifex in definiendo secundum prædictas regulas.

SEd existit hic ad extremum quæstio, quę ex dictis oritur. Nam si regulæ infallibiles ad controuersiam fidei constituendam, tam multæ sunt, tamque latè patent, dubium esse potest, vtrùm Pontifex determinatè debeat illas omnes consulere, vel certè aliquam, aut aliquas? Item vtrùm determinatè debeat in eiusmodi inquisitione, & studio, aliorum quoque vti opera; vt Episcoporum, vel Cardinalium &c. an verò omnia ista sint planè in illius arbitrio posita: nimirùm, vt in adhibenda diligentia eum ipse modum teneat, quem expedire magis putauerit?

Respondeo. Primùm, vt alios etiam, qui in diuinis literis, rebusque Theologicis exercitati sint, consulat, eorumque opera vtatur, omnino est consentaneum. Hoc enim, & ipsa rei conditio postulat, quæ sanè est grauissima, & perpetuus etiam Pontificum vsus declarat, quandocunque illis fuit aliquid in materia fidei constituendum. Cætera verò, quæ ad diligentiæ modum in definiendo adhibendum attinent, planè pendent ex libero Pontificis arbitrio: nempe vt opera horum, vel illorum Doctorum potius vtatur siue Cardinales illi, siue Episcopi, siue alij sint: Item vt hanc vel illam, vel illas regulas consulat, quatenus requiret ratio subiectæ materiæ. Satis enim ad rectè definiendum fuerit, si eam ille diligentiam adhibeat, quæ ad ipsam rem, qua de re agitur, iudicari possit sufficiens. Vt enim in alijs negotijs, ita etiam in hoc necessaria, & sufficiens diligentia multùm latè patet. Id quod etiam ex Pontificum more in definiendis controuersijs confirmare possumus. Multæ enim, ac varię illorum definitiones extant in Ecclesia, quæ omnes habentur infallibiles; neque tamen illi semper ratione eadem ad definiendum processerunt. Aliquando enim ad id connocarunt Episcoporum Concilium (Nam & Concilij definitionis auctoritas non ex multitudine, sed ex Pontificis auctoritate potissimùm pendet, sicut suprà confirmatum est) aliquando sine Concilio ipsi definierunt. Quare sicut in hoc, arbitrio suo sunt vsi, sic etiam in alijs, quæ ad modum diligentiæ spectant, illo citra culpam aliquam vti posse videntur.

Ex quo nouitia cuiusdam auctoris, eaque minimè tolerabilis, opinio reuincitur. Qui Pontifici in vtenda sua auctoritate, vsque adeò angustos limites præscribit, vt censeat, illum infallibiliter non definire, nisi de consensu Cardinalium definiat. Itaque distinguit hoc loco inter Romanam Ecclesiam, seu Apostolicam Sedem, & ipsum Romanum Pontificem. Apostolicam Sedem ait non Pontificem modò, sed etiam collegium Cardinalium continere. Hanc proinde dicit errare in definiendo non posse. Pontificem verò, si absque consensu, & approbatione Cardinalium definiat, errare posse. Hæc sententia meritò viris doctissimis valde displicet. In alterutrum enim incommodum incurrit, quorum vtrumque maximum, neque vllo modo ferendum est; videlicet, aut auctoritatem infallibiliter confirmandi fratres in fide non Petro tantùm, & illius successoribus à Christo Domino collatam fuisse, sed etiam Cardinalibus; qui est error in fide manifestus: aut certè auctoritatem hanc Pontificis, quod attinet ad eius vsum infallibilem, esse Cardinalium sententiæ quasi alligatam, hoc est, si Pontifex sine illorum consensu aliquid in fidei controuersia definiat, non obligari Ecclesiam ad ipsum audiendum iure diuino, siquidem ita errare possit. Quod etiam planè commentitium, atque absurdum est, cùm semper teneatur Ecclesia Pastori suo assentiri, quem solum fidei magistrum infallibilem ab ipso Christo accepit, vt ex suprà dictis patet.

Neque verò nego, quin Pontifices conuenientissimè faciant, quòd Cardinalium de controuersijs fidei iudicia consulunt, in definiendo. Solum assero non esse hoc ita necessarium, vt nisi fiat, errare Pontifex possit, aut etiam contra officium suum sit peccaturus in definiendo. Quin imò dicimus, posse illum pro negotij conditione aliorum duntaxat Doctorum opera ad eam rem vti: sicut sine controuersia posset, quando Cardinales ipsi inter se minimè consentirent, & oporteret quæstionem à Pontifice definiri. Quare rectissimè Melchior Canus notat, in iudicio fidei non esse inter Apostolicam Sedem, seu Romanam Ecclesiam, & Romanum Pontificem ita distinguendum, quasi iudicium sedis, siue Ecclesiæ Romanæ sit infallibile, iudicium verò Romani Pontificis non item: quin potius esse hæc reipsa vnum, & idem. Propterea enim Sedes Apostolica, seu Romana Ecclesia infallibilis dicitur, quia is, qui præest illi, auctoritatem habet per se infallibilem.


Ostendimus igitur in hac postrema parte nostræ tractationis, Pontificis sententiam, cùm in rebus definiendis auctoritate sua vtitur, ab omnibus fidelibus recipi debere. Itemque toties ea illum auctoritate vti, quoties in quæstionibus fidei controuersis, sic alteram sententiam determinat, vt ad eam recipiendam obligare velit vniuersam Ecclesiam: & quas denique velut definiendi regulas, & qua ratione consulere ipsum oporteat, vt auctoritate illa sua legitimè etiam, hoc est, sine culpa, vtatur.

Quæ Pontificis auctoritas, in iudicando de causis religionis, cùm alijs argumentis omnis generis, (quæ in superioribus adducta sunt) tum illo quod sumitur ex ipsa Ecclesiæ praxi perpetua (de qua multa quoque parte præcedenti commemorauimus) clarissimè confirmatur. Si enim iam vsque ab exordio Ecclesiæ memoriam temporis ordine repetamus, constat profectò controuersias omnes de religione motas, ex Diui Petri Cathedra fuisse iudicatas, eosque tandem, & solos, communi Ecclesiæ iudicio, hæreticos esse habitos, qui repugnarint definitioni eius Cathedræ. Etenim ortam quæstionem de obseruatione legalium inprimis ipse Diuus Petrus in Apostolico Concilio terminauit. Deinde qui volebant Pascha non nisi decimaquarta luna, etiamsi Dominicus dies tunc non esset, celebrari debere, tandem obtineri-

tinente sententia; atque definitione Romani Pontificis Victoris, hæretici sunt habiti, & à propria secta, vt fit, nominati Quartadecimani. Cornelius in Concilio Romano Nouatianorum damnauit errorem. Item damnauit idem Cornelius, atque etiam Stephanus errorem rebaptizantium hæreticos. Item Arriani in Concilio Nicæno, Syluestri Legatis, Vito, & Vincentio, & Hosio, in eo præsidentibus, & eodem postea Syluestro, ad Patrum petitionem, Concilium id confirmante, damnati sunt. Item Macedoniani in Concilio primo Constantinopolitano, quod Damasus Pontifex ad eum finem suis literis mandauit congregari. Item Nestoriani Concilio Ephesino, Cęlestini Pontificis vices gerente Diuo Cyrillo. Item Eutychiani in Concilio Chalcedonensi, Paschasino, & Lucentio, locum Leonis tenentibus. Item Pelagiani ab Innocentio, & Zozimo. Item Monothelitæ in Synodo sexta, & Iconomachi in septima, similiter præsidentibus Romani Pontificis Legatis. Item error Berengarij à Leone Nono, & Nicolao Secundo: & Petri Abailardi ab Innocentio Secundo: & Gilberti Porretani ab Eugenio Tertio: & Abbatis Ioachim ab Innocentio Tertio: & Begardorum, ac Beguinarum à Clemente V. & Ioannis Wiclephi, & Ioannis Huss à Martino V. & Græcorum ab Eugenio Quarto: Vt dubitare iam nemo possit, quin sententiæ quoque nostri temporis Sectariorum, similiter à diuersis hoc nostro sęculo Pontificibus condemnatæ, hæreticæ sint.

Quibus rebus explicatis, non mihi iam aliquid ex ijs, quæ initiò proposui superest, quod præterea dicam, sed est tamen, quod prudentem Lectorem ad extremum obsecrem, vt vel ipsa serie, atque ratione huius Analysis fidei repetita, quantoperè à vera fide, atque religione, qui sunt hodie Sectis addicti, aberrent, velit secum perpendere. Nam, si Christianæ doctrinę assensum præbere necesse est: Si prorsus nihil in vlla quæstione de ea doctrina, quantumuis per se difficili, quod à verissima sententia abhorreat, absque iactura salutis, sentire licet: Si auctoritas extat aliqua, cuius magisterio commodè possint omnis conditionis homines, quantumuis rudes, atque imperiti, discere, atque intelligere, quid in omni controuersia cauendum, quid sequendum sit: Si auctoritatem huiusmodi, humanam etiam (diuina virtute suffultam) vt cum hominibus ipsis palàm loqui possit, esse oportet: Si ad eundem etiam finem perpetuò ea auctoritas in vera Ecclesia fidelium præsens vt vigeat, necesse est: Si eiusmodi fidelium Ecclesia, aut omninò nulla est, quod cogitare impium est, aut illa est, quæ Romano Pontifici tanquam pastori suo grex, adunata, vt Cyprianus inquit, adhæret: Si in ea ipsa vera Ecclesia fidelium ille idem Romanus Pontifex, vt successor Diui Petri, is est, super quem, tanquam super fundamentum firmum, & immobile, ædificium Ecclesiæ totum spirituale consistit, atque adeò docendi auctoritas constituta est: vt & Christus ipse & omnis antiquitas ijs verbis asseuerauit, quibus si negasset, nihil præterea ad perspicuam, & palam determinationem eius quæstionis, vt suprà notauimus, desiderarent Sectarij: Si hęc, inquam, omnia ita se habent; quod hactenus certè in hoc libro, si omninò quicquam in causa religionis probari, atque defendi potest, probatum à nobis, atque defensum est: quomodo non illi omnes in errore maximo religionis versentur, qui errantes extra vnum istud Ecclesiæ Catholicæ ouile sub vno Pastore constitutum, ad vocem Christi verissimam in suo Vicario loquentis absurdescunt? Etenim, quod sibi per se sibi videntur, & loquentem in Scripturis Christum audire (cùm tamen eam ille vocem suam non nisi ex ore Ecclesiæ percipi velit) & lumen in ijsdem Scripturis videre; (cùm tamen in tenebris proprij, & exigui indicij sui Scripturæ lucernam, tanquā sub modio posuerint) id verò blandiente, inquit verissimè D. Cyprianus, aduersario, atque fallente fit, qui, secundum Apostoli vocem, transfigurat se velut Angelum lucis, & ministros subornat suos, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, disperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi: vt dum verisimilia mentiuntur, veritatem frustrentur.] Vbi è vestigio, illa ipsa ferè, qua nos, Analysi fidei, eodemque compendio, ad eiusmodi Pseudochristianorum errorem conuincendum, vtens Diuus Cyprianus: [Hoc, inquit, ideò fit, fratres dilectissimi, quia ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina seruatur. Quæ, si quis consideret, & examinet, tractatu longo, atque argumentis opus non est. Probatio est enim ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & super illam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portę inferorum non vincent eam, &c.] En sententia Cypriani, quod sit compendium probandæ veritatis? nempè, vt ad eam auctoritatem, quam Diuo Petro, & successoribus Christus attribuit, tanquam ad regulam certam, atque amussim veritatis, doctrina exigatur. [Quomodo enim, inquit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?] Te, Christe, precor, vt & nobis, qui summo gratiæ tuæ beneficio sanctissimam religionem ex hac Cathedra discimus, eidem etiam in posterum perpetua communione consociari, & ijs, qui nefario errore illi resistunt, ad eam aliquando tandem redire, quę tua est benignitas, atque clementia, contingat.

GA-



GASPARIS CONTARENI CARDINALIS.

AD PAVLVM III. PONT. MAX.

DE POTESTATE PONTIFICIS In vsu Clauium, & compositionibus, duæ Epistolæ.

Gaspar Contarenus clarissimus genere, natus est Matre, quæ natos plurimos peperat, sed breuis vitæ, vnde huic vel simplicitate, vel Diuino disponente numine, vt diù viueret, nomen primi ex tribus magis imposuit. Mercaturæ in rebus publicis, non modo turpi, sed etiam honestæ, Pater eum à primis annis destinauerat, sed vbi vidit naturam, ingeniumque pueri altius spectare, consilium illud funditus abiecit. Patauium ergo profectus puer Petro Pompanatio Magno, nobilique Philosopho Mantuano se in disciplinam dedit. Tribus tantum horis quotidie studio vacabat, cæteras in amicorum collocutione impendebat, quæ de literis erant, ne cum vacare quidem videretur à studio cessaret. Duodeuiginti annos natus erat Gaspar, cùm mortem Aloysius Pater obijt relinquens septem filios, quatuor filias, prætereà magna cum multis contracta, implicitaque negotia. Inuitus & mærens discessit Patauio, & fratribus partim in Apuliam, partim Alexandriam, vbi Pater multas societates habuerat, distributis, partim in patria relictis benè domi constitutis rebus, Patauium reuersus est, studiumque cupidè renouauit. In ea vrbe aliquot annis commoratus hoc assecutus est, vt nil esset tam abstrusum, ac absconditum, quin ex tempore solueret. Cum Florentiæ esset iter habiturus ad Cæsarem Petrus Victorius, & Franciscus Medices ad eum aduentabant, sermonemque de physicis miscebant, audiebantque ipsum facilitate summa difficilima explicantem. Doctus etiam Græcis literis Homerum, Lucretium, cæterosque poetas eruditionis captandæ gratia legerat. Ex vitijs etiam hominum virtutes excipiebat, habebatque eos etiam loco fratrum, causamque quærentibus? cur mundus immundis misceretur, respondebat. Nunquamnè absunthio, aut scamoneæ radice curari nos patimur? nunquamnè sorberemus sapores teterrimos, vt succo epoto illius vi salutari iuuemur? Accedit autem eo tempore, vt omnis pænè terrarum orbis eo tempore contra Venetos conspiraret, teterrimumque ei bellum indiceret, afflictis Venetorum opibus Patauio ipso obsesso, nec multò post amisso, maturiùs omninò, quàm in animo habebat inuitus nondum discendi siti expleta, domum sese recipere coactus est. Erat eius ætas nondum firmata, vt reipublicæ operam nauare posset, itaque in ijs sese studijs aliquot annos continuit, cùm eius domus, vt gymnasium quoddam frequentaretur. Verumtamen ad rempublicam vbi primùm accessit, eius

inge-

ingenium, quod de Hortensio est memoriæ proditum, tanquam Phidiæ signum, simul aspectum, ac probatum est. Itaque cùm tres, ac triginta tùm haberet annos à ciuitate ad Carolum V. in Germaniam orator est missus. Gerebat illis temporibus in Italia bellum Cæsar cum Rege, atque cum eo se Leo X. coniunxerat; cum Rege Veneti conspirauerant, atque omnis impetus belli ad Mediolanum consederat, nam eam vrbem Gallis, Venetisque defendentibus, Cæsaris, ac Leonis copiæ oppugnabant. Ad hostem igitur Contarenus ire se intelligebat, apud quem exploratoris, non legati locum obtinere necesse erat, & res ipsa cogebat, & Cæsar ipse amarior esse solebat in eos, qui Gallorum partes tuerentur. Ast fama eius ingenuitatis, & doctrinæ apud hostes ipsos animos conciliauit, & in primo congressu hilariter fuit à Cæsare exceptus, eo semper propitio deindè, & familiari vsus. Itaque cum certior factus esset Gallorum, Venetorumque copias in Insubribus fusas, Gallos ex oppido esse expulsos cæde, & fuga suorum, dicitur misisse Contareno, qui eam rem nunciarent, atque ijs præcepisse, vt de Venetorum incommodo sileret, neque illorum copias in eo prælio dicerent interfuisse. In Hispaniam Cæsar constituerat reuerti, neque per Gallorum fines, qua proximum erat iter, quod exercitum non habebat, ire poterat. Itaque per Belgas profectus, ad Oceanum perrexit, atque ibi nauibus conscensis, in Britanniam appulit, paucisque intermissis diebus, rursum naues soluit, atque in Hispaniam contendit. Toto hoc itinere eum Contarenus prosecutus est, cumque in Hispaniam peruenissent, biennium apud eum est commoratus, atque in ea legatione omninò quinquennio consumpto, Venetias redijt. In ea legatione multa obtinuit suo nomine, & multa Reipublicæ mandata perfecit, quamuis omni eo temporis spatio Cæsar, & Veneti inimico essent inter se animo, & rerum tractandarum miram dexteritatem acquireret. Itaque probata ea diligenti, & prudentia suæ ciuitati, absens & sine precibus lectus est in Senatum, dictum Rogatorum Concilium, quod olim exiguis ciuitatis rebus rogarentur, vt relicta domesticarum rerum cura ij incumberent, nunc amplissima potestate summa contentione expetitur. Magnæ præterea auctoritatis est in ea ciuitate Magistratus, quem Sapientes terræ firmæ vocant, quibus demandata est procuratio ærarij, ac vectigalium existentium in continentis, & hanc potestatem Contarenus, statim renunciata legatione omnibus suffragijs est adeptus. Eodem tempore Brixiæ Præfectus renunciatus est, quem Magistratum Veneti appellant Capitaneum, quò cum proficisci cogitaret, repentè horribilis nuntius affertur Romam à Cæsaris militibus captam, Pontificem Maximum in arcem compulsum, vrbem ipsam diripi, ac vastari, quibus rebus Venetis nuntiatis magnus & dolor, & terror inuasit; vndè mutato Consilio Contarenus cum vereretur Brixiam, alijs armis egere, quam consilij, eum Magistratum recusauit, & otium à Republica nactus, suis sese studijs totum deuouit. Commoti ea fœditate Christianorum Principes, plerique omnes inter se de Pontifice Maximo è custodia educendo conspirauerunt, & eius rei causa Concilium Ferrariæ indictum est sub Alphonso Estensi, quò Galliæ, Britanniæque Reges Legatos miserunt cum mandatis homines nobilissimos, & Mediolanensis Dux Franciscus Sfortia, eòdemque Veneti Contarenum mittunt, maximè curantes Pontificem confœderatum liberari. Et Concilio peracto, atq; haud ita multò post Pontifice liberato, ad eum Contarenus suæ ciuitatis iussu Legatus profectus est. Magna erat tunc rerum perturbatio, Pontifice irato in Cæsarem, in Florentinos, qui Hyppolitum, atque Alexandrum Pontificis fratrum Filios è ciuitate eiecerant, Gallorum Rege ob eamdem causam irato. Venetis volentibus Sfortiam in regnum restitui. Interim Clemens cum Cæsare in gratiam redierat, amicitiamque conciliauerat, vt acerbiùs in Patriam exardesceret, quàm per Duces Cæsaris oppugnaturus, vt proprior esset, Bononiam petijt, quò etiam ex Hispania se contulit Cæsar, imperij insignia ab eodem Summo Pontifice, vt moris est, accepturus. Ei aduentanti Bononiam, obuiam iuit Contarenus extra vrbem, quem Cæsar subitò à longè vultu agnouit, serenitatem ipsi ostendens, & per ipsum Patriæ. Nam præter omnium opinionem in tanta tempestate pax subitò orta est, recessum ab armis, & inter omnes malatia nata est. Quæ res peperit tantam auctoritatem Contareni, vt ipsi dictum fuerit, quòd Archimedi parua machina maximam nauim trahenti credatur certò habiturum effectum, quod Archimedes, quod Contarenus suscipit exequendum. Postquam Roma redijt Contarenus, confestim ad summos honores acclamatus est, nam & maturiùs quàm ciuitatis consuetudo ferebat Sapiens Magnus factus

est,

est, & Consiliarius, qui duo Magistratus apud Venetos summi sunt. Neque dubium erat, quin si quis ex D. Marci Procuratorum Collegio mortuus esset, eius Contarenus in locum substitueretur, id vnum ad honorum perfunctionem Contareno defuit, ille vnus Magistratus in patria perpetuus, quem non habuit forsan, ne eum aliorum morti deberet. Extat Venetijs quoddam Comitium ab illis magnum Concilium appellatum, ad quod omnes statutæ ætatis conuenire licet consuetis diebus. Ibi cùm Contarenus fortè esset Consiliarius, custosque positus sortibus, quibus Veneti in petendis Magistratibus vtuntur, nam quorum sors exijt, ij pronunciant aptiorem gerendis Magistratibus. Itaque mirifico casu accidit, vt ibi in omnium oculis publicè allatæ sint literæ Roma, quibus à Paulo in amplissimum Cardinalium Collegium cooptabatur. Natus ingens susurrus, & plausus, ipsum recusantem ad curiæ vestibulum ab vniuerso Concilio comitatum deducunt, & domum reducere pararant, sed suaui pertinacia ipsos deuicit. Inter tot plausus non deerant, qui Pontificem arguerent, quod vno optimo ciue Rempublicam priuasset. Consilio dimisso vniuersa ciuitas Contareni domum confluit, ipsumque se excusantem renitentem, quà precibus, quà rationibus mouit vt acceptaret. Diaconum S. Mariæ in Aquiro à Paulo initio constitutum constat ex Monumentis Vaticanis die 30. Maij, ex Diaconatu gradum fecit ad Episcopatum. Felix Contelorius Presbyterum S. Balbinæ primò, deinde Sancti Apollinaris, ac S. Vitalis. Demum S. Praxedis dixit. Paulus III. in literis indictionis Concilij Tridentini Cardinalem S. Praxedis nominauit. Vndè non benè Cabrera titulum S. Praxedis ij primùm datum affirmat. Anno eodem, seù sequenti, vt alij volunt, Episcopatum Bellunensem obtinuit. Quamuis Vghellius dicat Bergomensem. Sed in hoc fallitur, nam tomo 4. egerat de Episcopis Bergomensibus, nec tamen ibi fecerat mentionem de Gaspare, nam ab anno 1484. vsque ad annum 1542. quo è vita migrauit Gaspar, Ecclesiæ illi præfuerunt Laurentius Gabriel ab anno 1484 vsque ad annum 1512. huic successit Nicolaus Lippomanus, qui anno 1516. Episcopatu illo se abdicauit, post Nicolaum Ecclesiam eamdem suscepit regendam Petrus Lippomanus Nicolai nepos, quam non dimisit nisi ann. 1544. quo vt iam diximus Gaspar è vita excesserat. Ab hoc tempore aliud Contarenus tanquam vitæ exordium, & origo nascitur; & vice crescendi, superbia decreuit. Frequentissimè omnes audiebat, vndè admonitus est à suis eum gradum non ità facilè omnibus horis quemlibet admittere, sed esse statutas; quibus ille respondit se non putare illum honorem sibi soli datum esse, sed eius partem amicos, & egentes iure sibi optimo vindicare; & cum è domesticis vnus iussisset inopem altera die redire, mox verbo asperiori castigatum iussit mox reuocare. Pontifici Maximo loquebatur pro iustitia confidentèr, & nulla nota adulationis, vndè cum agitaretur quæstio de Camerino in feudum tradendo vni ex nepotibus. Pontificis, ipse respondit primùm examinanda Varanorum iura. Accidit autem, & alia splendidissima Legatio ad Cæsarem, ad quam sine vlla dubitatione selectus est Contarenus. Cùm enim Cæsar maximè indigeret Germanis vtpotè robustis in bello, nec posset habere subsidium ob dissensiones de Religione grauissimas, & pugnas bellicosissimas, considerauit an posset illas gentes componere, cum Pontifice agitauit de Concilio, quod illi quærebant, maximè cum nollent, sed eo concordato noluerunt, electi doctissimi, & disputatum est, sed nullo exitu fęlici. Tandem conuentum Ratisbonæ indicit, eòque proficiscitur, vt maiore Auctoritate eos sistat, & à Paulo Legatum tantæ rei idoneum petit, obtinetque Contarenum magnæ apud Germanos opinioni. Ipsum Germaniæ Principes omnes, & ipse Romanorum Rex honoris causa domum venit. Illud autem negotium pacis, dùm optima haberet initia, ruptum est occasione bellorum ob incursum Turcarum in Pannoniam. Cum ergo muneri, quod sustinebat, non sine animi sui molestia finem impositum videret, vnà cum Cæsare reuersus est. Posteaquam venit Tridentum rogauit Imperatorem, vt se dimitteret Ecclesiæ suæ ibi proximæ. Venerunt tamen eo tempore à P. Maximo literæ, quæ iubebant ipsum in persona Legati apud Imperatorem esse, Mediolanumque cum eo proficisci, vbi Imperator semper lateri suo voluit hærere. Lucam deindè contendit, quo Pontifex hilarissimè eum excepit. Multa tamen sparsa fuerant contra eum, quæ Imperator vnà cum Pontifice reprobarunt; qui gratis actis dedit ei potestatem redeundi Romam, & post duos menses Legatum Bononiæ fecit. In ea vrbe omnium lætitia exceptus tota die causis audiendis, & controuersijs finiendis operam dabat. Cum repentè Roma venerunt literæ desti-

destinantes ipsum Legatum pacis inter Carolum V. & Franciscum I. & eum misit ad Carolum. Hoc accepto nuntio cum nullis vnquam pepercisset laboribus, nec huic parcere volebat. Interim tamen ex calore summo, & aura leni, qua propè Bononiam fruebatur æger septimo die mortuus est. Sepultus in templo Sancti Petronij 1. Septembris 1542. meridie. Paulus III. ægerrimè tulit, & cum ipsum non posset, domum illius liberalitèr adiuuit. Innumeri eum laudant; Petrus Maffeus vocat Senatorem, & ingenio, & doctrina ijs temporibus facilè principem, Aubertus Mæræus Virum doctissimum, & Doctorum Mæcenatum, Beza ipse Caluinista assignauit in sua Porticu Iconem Virorum Illustrium. Scripsit de elementis libros 5. lib. 4. de Philosophia, 2. libros de officio Episcopi, duos de potestate Romani Pontificis, de Immortalitate animæ contra Magistrum suum. De ritibus cœremonijs libros 4. Institutionem hominis Christiani, super epistolas Pauli, de æstu Maris, de 4. figura Galeni, de Homocentricis. De ratione anni, contra articulos Lutheri, & alia multa. Innumerus esset cathalogus Auctorum eum laudantium, qui vult fusè eius vitam, legat Ioannem de Casa, & Ciacconium sub Paulo III.

AD PAVLVM III. PONT. MAX.

DE POTESTATE PONTIFICIS In vsu Clauium, & compositionibus, duæ Epistolæ.



Beatissime Pater equidem tot curis, & grauissimis occupationibus, cum videam Sanctitatem tuam distineri: & non queat omnibus per se satisfacere; hominum nostri ordinis officium esse duco, quoniam in partem huius solicitudinis publicæ vocati sumus, vt quisque nostrum pro virili, eam, quam potest, opem, ferat Beatitudini tuæ; præsertim his temporibus, quibus multò magis, quàm per multa sæcula retro nauicula Petri fluctuat, ac vndiquè oppugnatur. Innumera ferè tibi sunt negotia obeunda; verùm horum maximum, non iniuria quiuis censuerit, hoc, quod aggressus es reformationis negotium. Super quo, cum hesterna die, multa vltrò, citròque dicta fuerint in conuentu Reuerendissimorum Cardinalium, & prudentèr, & doctè; attamen, quoniam nonnulla incidit dubitatio, de his, quæ in principio statim illorum capitulorum, quæ iussu Sanctitatis tuæ confecimus, dicta fuere; an liceat Romano Pontifici Christi Vicario; vel cuiuis alteri, qui est particeps potestatis clauium, aliquid sibi ex vsu illius potestatis comparare; meas partes esse duxi, non ex riuulis, sed ex fontibus Theologorum, ac Philosophorum (nam eorum, quæ ad hanc rem pertinent, multa vtrisque communia sunt) paucis, totius huius rei principia, super ea re, scriptis mandare, ac tibi legenda tradere: ex quibus perspicuè intelliges, quibus fundamentis nitamur; & quidnam dicamus. Omnia tamen subijcio examinanda, & corrigenda Sanctitati tuæ, omnibusque melius sentientibus.

Verùm; vt ad rem deueniam, illud primò Beatissime Pater, est animadnertendum, quod dicit Dionysius in libro de Diuinis Nominibus. Quòd bonum constat ex vna, integraque causa, quæ omnia complectitur illa, quæ ad rem bonam eam requiruntur. Malum verò contingit ex singulis defectibus. Sicuti pulchritudo fit ex proportione membrorum omnium conuenienti, simulque decentia coloris, & reliquorum omnium, quæ corporis sunt, adiectis. Deformitas verò contingit ex singulis defectibus.

Huic illud est adiungendum. In actione quauis humana, seu morali esse, & naturam, siuè essentiam appellare maluerimus, actionis illius: & circumstantias, quæ sunt veluti accidentia quædam, quæ circumstant actionem. Natura actionis sumitur ex obiecto, circa quod est actio.

Circumstantiæ verò multæ sunt, inter quas est finis agentis, idest, id cuius gratia agens agit. Qui non inest actioni illi ex sui natura; sed quoniam agens, eam actionem dirigit in eum finem. Quamobrem eiusdem naturæ, & speciei actionis, possunt esse diuersi fines, ad quos, scilicet, agentes causæ eam actionem direxerint.

Ex his sequitur. Quòd si actio bona futura sit, necesse, vt & natura sui, sit bona, & etiam vt circumstantiæ conueniant ei. Quòd si fuerit defectus in horum quopiam, actio illa, & si fuerit suaptè natura bona, mala efficitur. Vt exempli causa. Si quis eleemosynam daret, vt facilius adulterium perpetraret, aut vt aliquem deciperet: actio hæc, est bona per suam naturam: efficitur tamen mala propter circumstantias; quia fit gratia finis mali. Si verò actio quæpiam sua natura fuerit mala, & deformitatem contineat naturalem, nullis circumstantijs quantumuis perfectis, & excellentibus, potest fieri bona. Nam bonum contingit ex omnibus conuenientibus. Malum ex singulis defectibus.

His

HIs discussis facilis erit quæstionis huiusce solutio. Nam cum vsus potestatis à Christo traditæ, sit vsus spiritualis potestatis, cuius ipse est dominus, nos autem ministri, vtique gratis dari debet. Quòd si gratis non datur, sed ob lucrum: vtique ea actio suaptè natura est mala. Est etenim circa materiam, & obiectum minimè ei conueniens. Quòd rationibus euidentissimis, sumptis è Scriptura sacra probatur.

Nam dono Spiritus sancti, & rei spiritualis nullum quantumuis maximum temporale bonum comparari potest. Nos verò æquiperamus bonum illud spirituale pecuniæ; pro qua id damus.

Præterea: Dispensator non potest vendere id, quod non suum est, sed Domini. Neque etiam potest transgredi in dispensatione mandatum Domini. At Pontifex, & quilibet Episcopus est dispensator mysteriorum Dei, vt inquit Paulus expressè. Sic existimet nos homo vt ministros, & dispensatores mysteriorum Dei.

Item expressè Christus in Euangelio præcepit. Gratis accepistis, gratis date. Qui ergo ob lucrum dat, facit se Dominum bonorum Dei, cum tamen sit seruus, & dispensator. Item transgreditur præceptum Domini, qui mandauit nobis, vt gratis daremus, sicuti gratis accepimus.

Hæc ergo actio, cum ex vsu clauium, & potestatis à Christo traditæ, lucrum nobis comparamus, nec gratis ea vtimur, cum ex obiecto tot deformitates contineat, sua natura est mala. Nunquam igitur bona fieri potest, ad quemcunque finem, quantumuis bonum ab agente dirigatur. Siue ad sustinendum bellum contra Turcas, siue ad redimendos captiuos, vel quiduis aliud pium, illud lucrum, quod sibi adsciuit vtens ea potestate, dirigat. Quare Paulus dixit. Non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Hoc Aristoteles, omnesque Philosophi, & Theologi dicunt.

Vt autem intelligatur, quid sit, non gratis dare, paucis explicabo. Illud proculdubio non datur gratis, si pecunia enumeretur; si verò pecunia non enumeraretur, non datur. Quis dicere ausit dari quippiam gratis quod datur, si adsit pecunia: non datur, si pecunia desit. Vbi tamen imponitur mulcta pro satisfactione peccati, potest imponi mulcta pecuniaria, in pios vsus expendenda, si res, & personæ conditio videbitur id exigere. Sic etiam in ingressu monasterij pauperis. Nam cum ingrediens monasterium indigeat victum, & vestitum à monasterio sibi præstari, posset monasterium quippiam accipere ob grauamen illud. Sed quòd Episcopus quispiam, aut quiuis alius possit, si quis ab eo petierit (verbi gratia) dispensationem quampiam, & ob causam legitimam petat, quam noscat Episcopus, dicere; Si dederis pecuniam, do dispensationem, si non dederis, non do. Vtique puto Beatissime Pater hanc conclusionem esse impiam, & alienam ab auribus Christianis. Nam is proculdubio non gratis dat (quis enim secus dicere ausit, nisi qui sensu communi careat?) Christus dicit in Euangelio. Gratis date, & erit quispiam tam audax, & tam impius, vt audeat dicere; Licet tibi non gratis dare? absit Beatissime Pater, ab hac sanctissima Ecclesia Romana, quæ fuit, & est magistra aliarum Ecclesiarum tam impia doctrina.

Nescio quid nam fiat in compositionibus. Sed si ita sit, vt suprà diximus, corrigendum est. Vel si non corrigitur, saltem non est fœdanda huius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Doctrina huiusmodi positionibus obliquis. Si mores sunt quopiam pacto obliqui, doctrina tamen perseueret recta. Neque velimus veritatem Dei nostris moribus, & consuetudinibus accommodare.

Pater Sanctissime ingressus es viam Christi, audactèr age. Neque magno isto tuo animo vllo pacto verearis, si ob correctionem huius rei desint tibi ob distractionem bonorum Ecclesiæ factam à tuis prædecessoribus viginti, aut triginta millia nummorum aureorum ad sustinendam vitam Pontificis. Quin facillimè multis modis resarcire hæc possis cum immortali tua, tuorumque omnium laude, ac sempiterna memoria. Vniuersa Christiana Respubl. summum gaudium capiet, te venerabitur, vt Deum alterum: Nullumque Pontificum post Beatissimum Petrum, tibi præferendum ducent, & nostræ ætatis homines, & vniuersa posteritas. Hoc castigato, quod ad te pertinet, cætera omnia erunt facillima. Deus omnipotens diriget gressus tuos, & tuorum omnium. Familiæ tuæ Protector erit, & super omnia bona sua, constituet te, vt ipse in Euangelio pollicetur seruo fideli, quem constituit super familiam suam. Dominus diù nobis seruet Sanctitatem tuam incolumem.



EIVSDEM AVCTORIS.

AD PAVLVM III. PONTIF. MAX.

De Poteſtate Pontificis in compoſitionibus epiſtola.



BEatiſſime Pater, in pleriſque rebus ita vſu euenire ſolere ſæpenumero animaduerti, vt nimio quodam animi affectu, & ſtudio, dum cupimus eis conſulere, & earum amplificationi ſtudemus, multum plerumque eis detrahamus, & auctoritatis, & dignitatis; ac interdum nimio hoc ſtudio noſtro potiùs perniciem, & interitum imprudentes illis procuremus, quàm vllam opem, aut vllam maieſtatem. Præclariſſimus Philoſophorum omnium, itemquè ſapientiſſimus non tantum naturæ rerum, ſed etiam humanæ vitæ perſcrutator Ariſtoteles in Politicis præceptum nobis reliquit, admonuitque prudentiſſimè. Multas earum legum, quæ populares videntur ſolere deſtruere popularem ſtatum: itemque plures conſtitutiones, quæ paucorum potentiæ fauere videantur, ſolere perniciem adferre paucorum illorum dominationi. Idem mihi propemodum feciſſe videntur iuriſperiti quidam: Qui dum præ omnibus operam dant, vt auctoritatem, & poteſtatem Pontificis amplificent, eò deuenerunt, vt dùm vana quædam, quid dicam vana? immò falſa; & quæ iudicio Doctorum, & Proborum hominum, potiùs ſapiunt idololatriam, quàm pietatem vllam, adſtruere conantur, aduerſarijs huius ſanctiſſimæ ſedis occaſionem dederunt, vt queant facilè populo Chriſtiano illudere, eique perſuadere nullam eſſe Romani Pontificis auctoritatem: eumque æquent quibuſcumque epiſcopis. Quodque ſi humano quodam iure hanc obtinuerit Romanus Pontifex huiuſque auctoritatem, poſſe etiam in tot abuſibus, ea auctoritate priuari. Hoc facilè multis populis perſuaſerunt, occaſionem nacti ab argumentis vanis illis, quibus nimio quodam affectu, dicti quidam iuriſperiti ſtudent hanc Pontificis auctoritatem amplificare. Adeò, vt eorum quidam non vereantur dicere voluntatem Pontificis regulam quamdam eſſe; qua eius actiones dirigantur. Neque in iure poſitiuo conſtituendo, aut abrogando, aut etiam diſpenſando regulam quampiam Pontifici conſtitutam eſſe, præter eius voluntatem. Adeò, vt omne huiuſmodi ius, arbitrarium eſſe, perſuadere nobis voluerint. Idcirco Pater Sanctiſſime, cum ſim vocatus in partem ſolicitudinis publicæ, debeamque pro virili Maieſtatem huius Sanctiſſimæ ſedis tueri, decreui paucis complecti ea, quæ mihi videntur facere ad horum errorem manifeſtandum.

Iam enim cum eſſem Laicus, incidiſſemque in locum, vbi oportebat Maieſtatem, & auctoritatem huius Sanctiſſimæ ſedis tueri, non tantùm verbis, & oratione id præſtiti, verùm etiam amico cuidam meo, viro grauiſſimo, opuſculum quoddam conſcripſi: quo, quantum pro temporis anguſtia, & per negocia, quæ mihi obeunda tunc erant, licuit, ſatis perſpicue, ni fallor, oſtendi ſummam hanc Pontificis auctoritatem nullo humano iure conſtitutam fuiſſe, ſed à Deo optimo, vnicoque eius filio, collatam fuiſſe Sanctiſſimo Petro, eiuſque ſucceſſoribus. Tu verò Beatiſſime pater, pro tua ſapientia, & in Deum pietate imitaberis Maiores noſtros ſanctiſſimos homines, qui in ſcripturis canonicis approbandis, quamuis multa opera extarent, ex quibus facilius Chriſtiana religio adſtrui poſſe videbatur; & quæ pro confirmanda, & augenda populi fide mirificè faciebant, nihilominus omnia ea, quæ non certiſſimis auctoribus conſtarent fuiſſe conſcripta, vt Apocrypha reiecerunt. Hæc etenim, vt inquit Auguſtinus, eſt rerum, quas oportet veriſſimas eſſe natura; vt ſi in quibuſdam, vel minimis falſum quippiam ineſſe deprehendatur, confeſtim omnem amittant auctoritatem, & maieſtatem. Sic tu in hac parte, in hac diuina auctoritate, quæ tibi eſt tradita, à qua vniuerſa pendet Chriſtiani populi vita, & gubernatio, dabis operam, ſcio, vt nihil falſi, nihil, quod non pietati Chriſtianæ conueniat, deprehendi queat. Hac etenim ratione, cum maximè conſules Chriſtiani populi gubernationi, tum præcipuè auctoritatem huius Sanctiſſimæ ſedis tuebere. Memini me legiſſe apud Thomam Sanctiſſimum, & Doctiſſimum hominem, vbi eam quæſtionem tractat, quæ maxima ſemper fuit inter Philoſophos Peripateticos, & Chriſtianos, ſeu potius trium harum, quæ extant Religionum, cultores, de mundi, ſcilicet, Æternitate, ſeu Nouitate, in qua quidam doctiſſimi etiam homines, non contenti ſoluiſſe rationes, & argumenta illa apparentia: quibus mundi Æternitas probari videtur ab Ariſtotele, voluc-

fuerunt ipsi rationes inuenire, quibus è contra, aduersùs Philosophus probaretur Mundi Nouitas. Quas cum admodùm friuolas esse, vir hic Doctissimus comperisset, nos omnes admonet, vt abstineamus ab hac prouincia. Effici namque, vt dum credimus prodesse rei, & Dogmatibus Christianis, multum eis detrimenti adferamus. Verùm, cum pluribus sapientissimo Pontifici, conatus fuerim ostendere id, quod ipse optimè omnium intelligit, ad rem deueniam. Vtarque dicendi genere, quod sit illustre, quod rem explicet, nullo adhibito orationis fuco.

Illud primùm omnium constituere oportet, si huius rei inuestigatio rectè sit processura, omnem cuiusque rationis, & ordinis Gubernationem, seu Regimen maximè pertinere ad rationem: esseque rationis opus. Hinc videmus ita natura comparatum esse, vt quæque ratione pollent, natura etiam magis imperare, & regere. Vndè hominum genus omnibus alijs animantibus imperat, quæ rationis capaces minimè existunt. Inter homines verò Senes regunt, ac gubernant iuniores. Sic viri Fœminas. Sic in vnoquoque, qui seruat ordinem à natura institutum. Ratio sensui: & Anima corpori imperat. Relinquo nunc differentiam eam, quæ est inter illud imperium, quo Dominus Seruo imperat, & illud, quo Pater Filius, & Bonus Princeps hominibus liberis, ne longius digrediar ab inuestigatione quæstionis propositæ, & quoniam omnibus puto compertissimum esse, regimen Pontificis esse maximè liberorum hominum Regimen, ad eorumque vtilitatem, & bonum maximè spectare; cum Dominus docuerit nos in Euangelio, bonum Pastorem ponere etiam animam suam pro ouibus suis. Cum igitur constet Regimen esse opus rationis, vtique exploratissimum etiam illud esse oportet potestatem omnem, seu potentiam appellare malueris, esse potentiam naturalem, seu rationis, idest, qua vtimur cum ratione. Quæ nimirùm Ratio practica est, seu Actiua. Quæque constituto fine certo, conuenientibus fini medijs, & instrumentis, conatur eos, qui rectioni illi subduntur, ad præstitutum finem, seu bonum perducere.

His hactenus discussis, nulli potest esse dubium, quin auctoritas, & potestas hæc Pontificis, sit rationalis, seu rationis potentia, à Deo optimo beatissimo Petro, eiusque successoribus collata. Qua tamquam Christi Vicarius, & eius ouium Pastor, regat sibi commissum gregem, ac dirigat ad æternam felicitatem, diuinamque vitam. Quam nobis Christus meruit sanguine fuso. Quo lauit nos à peccatis nostris, & in filios, per regenerationem baptismatis in mortem suam adoptauit. Hæc potestas est omnium maxima in terris. Qua etiam inter homines nulla superior.

Verùm superius dictis, illud addendum est, quod Aristoteles dicit in nono libro Metaphysices, vbi loquitur de potentia actiua. Quòd potentia actiua naturalis differt à potentia rationis, seu rationali. Quoniam naturalis potentia est determinata ad vnum. Potentia verò rationalis est indeterminata. Immò eadem potentia est contrariorum. Nam caliditate, ignis non potest frigefacere, nisi per accidens, sed calefacit tantùm. Sic graue, grauitate descendit. Et leue, ascendit leuitate. Et medicus arte medicinæ, quæ rationalis est potentia, potest & pharmacum, & venenum miscere. Sic nauis gubernator potest arte, quam habet peritia, scilicet, qua vtitur cum ratione, & in portum nauem dirigere, & in scopulum impellere. Quamobrem, cum contraria simul effici non valeant, potentia rationalis non prodit in actum, scilicet, vt agat quippiam, nisi fuerit determinata ad vnum quippiam per electionem. Electio igitur potestatem omnem rationalem determinat ad vnam, quod piam, quod efficit. Electio verò omnis est voluntatis. Quæ ob sui imperfectionem est vertibilis in malum; ideòque, & benè eligit, & male. Bonam electionem facit virtus, & perfectio. Malam verò electionem facit vitium, & imperfectio. Neque hoc, quòd male possit eligere voluntas, pertinet ad eius potentiam, sed ad impotentiam. Quemadmodum non est potentiæ corporis, quòd queat ægrotare, sed impotentię, & imbecillitatis. Sic etiam non est potentiæ cruris, quòd possit claudicare. Quamobrem in prędiçamentis Aristoteles appellauit huiusmodi qualitates naturales non potentias, sed impotentias. Igitur est impotens voluntas, quatenus malum eligit. Atque potest id eligere. At quamuis voce dicamus voluntatem posse malum eligere, re tamen, id potest ob impotentiam, non ob potentiam.

Hanc voluntatis Impotentiam Philosophi cognoscentes, quærentesque quo nam pacto ea tolli posset, inuenerunt virtutes morales. Quæ assuetudine bonorum operum comparantur. Quibus veluti quibusdam perfectionibus, naturæ vi, superadditis, si non tolli, saltem minui voluerunt hanc voluntatis Impotentiam. Qua de re Aristoteles inquit, virtutis proprium esse, ac Studiosi hominis, vt sciens, bonum eligat, & honesti gratia insuper, vt immobiliter id faciat. Ecce quam vim habeat virtus Moralis apud Philosophos, vt scilicet, firmet, & stabilem voluntatem faciat, ne vertatur ad eligendum malum. Neque tamen propterea virtus moralis repugnat libertati arbitrij. Non enim pertinet ad libertatem volũtatis, vt deficere queat, sed, vt proprio nixu: non alieno impulsu, quippiam agat; simulque, vt ad præstitutum bonum finem eligat ex multis vijs, ac ductibus, instrumentisuè, quod voluerit. Et quòd à fine deuiet, & erret, neque ad libertatem, neque ad potentiam referri debet voluntatis, quin potiùs ad impotentiam, & seruitutem.

Christiana verò Doctrina, beatissime Pater (cui quantopere conueniat Philosophia moralis, ex his, quæ dicemus, facilè quiuis iudicare poterit, nec mirùm, cum & lumen naturale inditum animis nostris, & Christianum lumen ab eodem sunt Auctore, à Patre, scilicet, Luminum; Signatum, namque est, vt ait Propheta, super nos lumen vultus tui domine) nos docuit hoc, quod Philosophi viderunt, ablationem, scilicet, huius impotentiæ voluntatis, fieri non posse virtutibus moralibus, assuetudine bonorum operum nobis comparatis, id, quod experientia etiam vnumquemque, qui se ipsum decipere nolit, mirificè docuerit, sed tantum per gratiam

Dei,

Dei, qua sanamur ab hac ægretudine animi, impotentia illa, inquam, contracta per peccatum originale, à primo parente in nos deriuatum.

Nos item docuit hanc ægritudinem, & impotentiam, seruitutem esse. Qua seruimus peccato. A qua seruitute liberamur, & in libertatem asserimur per gratiam Dei ex fide in Sanguine Iesu Christi, Sine qua non possumus diutiùs perseuerare, quin ruamus in peccatum, cui seruimus. Non tamen donec hanc mortalem vitam ducimus, sumus ita ab hac ægritudine, atque impotentia liberati, vt nos etiam nolentes non stimulet, consistereque interdùm faciat, ne toto animi impetu feramur in Deum, bonorum omnium fontem. Hoc etenim, quamuis Christus nobis etiam meruit, nondùm tamen id adepti sumus. Sed in patria cœlesti erimus penitùs liberi, ab hac seruitute, ac plenè liberi. Peccare non poterimus. Hæc est maxima libertas, maxima omnium potestas.

His addendum, vt tota hæc res, de qua est à nobis disputatio instituta, illustrior fiat, quòd voluntas, cuius est electio hæc bona, per gratiam Dei, charitatem, cœterasque virtutes, ideò, benè eligit, quia non deficit à regula rationis. Quæ pendet, & ab his, quæ lumine naturali, nobis sunt comperta, à Patre luminum, animis hominum inserta; & à Diuina lege in sacris Scripturis nobis tradita, & ab ijs, quæ nos docet vnctio, vt ait Apostolus, in qua vncti sumus, Charitas, scilicet, Dei, & proximi diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hæ sunt regulæ, quibus bona voluntas dirigitur. Et à quibus non posse dimoueri, summa est libertas, summa potentia.

His hactenus discussis, quæ sunt luce meridiana clariora, veniamus ad Pontificis potestatem. Suprà diximus illam potestatem, cum regiminis sit, immò, Summi regiminis, esse potestatem rationis. Quæ cum non prodeat in actum, idest, non agat, nisi electione fuerit determinata, electio verò bona queat esse, & mala ob impotentiam, seu imperfectionem voluntatis hominum, vtique hac potestate, poterit benè, & malè vti. Benè si sequatur regulas illas, paulò suprà enumeratas. Malè si ab illis recesserit. Quæ Pontificis potestas, sicut optima est, & Christiani populi Salus, si Pontifex benè ea fuerit vsus, ita pessima efficitur, si Pontifex ea malè vtatur: Non quia tunc non habeat potestatem illam, immò, quoniam habet, Aristoteles in politicis inquit. Hominem esse optimum animalium, si fuerit rectè institutus. Item esse pessimum omnium, si fuerit malis moribus præditus. Adfert huius rei rationem. Sæua namque est iniustitia, ferens arma, homo autem fert arma per innatam prudentiam. Ecce, quàm clarè nobis rem nostram explicat. Homo cum malè vtitur prudentia, & pessimum est animalium. Caret nè tunc potentia illa naturali prudentiæ; quinimò habet, idcircò est pessimum. Sic Papa cum malè vtitur potestate, an tunc caret? minimè. immò habet. Et ob eam rem est Christiano populo perniciosus. Sæua est etenim Iniustitia ferens arma: Pontifex autem fert arma per potestatem ipsi traditam. Res hæc tota hactenùs est clarissima. Nunc videamus, quo nàm pacto, ex ignorantia eorum, quæ diximus, in diuersos quosdam errores Nonnulli, qui periti dici, & haberi volunt, inciderunt. Nam cum non satis discernerent inter intellectum, & voluntatem, putarunt hanc Pontificis auctoritatem, ad voluntatem eius pertinere; ideòque in contrarios errores inciderunt. Nam horum nonnulli putarunt: cum potestate sua Pontifex quippiam mali agit; vt exempli causa, si excommunicat quempiam iniustè, quòd excommunicatio illa, nullius sit ponderis, neque vllo pacto seruanda. Rationem in promptu habent. Inquiunt enim. Cum hæc potestas diuinitùs sit data Pontifici, Deus verò non cooperetur malo, ea excommunicatio iniusta non prouenit à potestate diuinitùs Pontifici data; ideò nihili facienda. Vndè sicuti virtute nulla malè vtì potest, quoniam virtus est voluntatis perfectio, quæ vtitur viribus alijs animæ, præsertim rationi subiectis, ideò nullus potest virtute malè vtì. Quemadmodum nullus potest perspicacia visus hallucinari; & obaudire subtilitati auditus. Ita etiam existimauere hi Pontificem, malè vtì non posse potestate sibi à Deo collata, ac si potestas illa esset perfectio quædam voluntatis, sicuti charitas, qua nemo potest malè vtì.

Alij è contrà, eodem fundamento nixi, quòd, scilicet, hæc potestas sit voluntatis, arbitrati sunt hanc potestatem esse volsitariam, ita quòd in constituendo iure positiuo, & lege, in eo abrogando, id dispensando, etiam nullam aliam habeat regulam Pontifex, nisi voluntatem propriam. Sic iurisperiti quidam voluerunt id licere Pontifici, quod vult; quoniam nullam habeat regulam præter voluntatem sui ipsius. Hæc etenim censueuerunt esse Pontificiæ huius summæ potestatis.

Hæc positio adeò est falsa, adeò repugnans sensui communi, adeò est contraria Doctrinæ Christianæ, adeò deprauat vniuersi Christiani populi gubernationem, vt nihil perniciosius inueniri potuerit.

Nam per Deum Immortalem, nonnè Hæc Positio idololatriam sapit? Cui nanque Creaturæ hoc attribui potest, quòd actionum suarum voluntas eius sit Regula? An non, hoc proprium est solius Dei, primi omnium rerum principij, à quo pendet vniuersa omnium natura. Angeli in cœlo, Cherubin, Seraphin, Anima Gloriosissimæ Virginis, Anima Christi habet ne hoc? quòd ipsorum voluntas sit Regula actionum suarum. Minimè omnium. Confirmati vtique sunt, ne deficere valeant à Dei voluntate, quæ est omnium Regula. At quòd sibijpsi sint Regula, absit. Isti vero ob imperitiam huius potestatis, qualis nam sit, & ad quam animi virium pertinet, & vt adulentur Pontificibus, adeò absurdam positionem, non veriti sunt in publicum prodere.

Ampliùs, Quis sanæ mentis diceret bonam quampiam gubernationem posse constitui, in qua voluntas vnius hominis sit regula illius regiminis? Quæ sua natura, prona est ad malum. Quæ innumeris animi affectibus hùc, illùc ducitur. O præclaram Aristotelis summi Philosophi sententiam in Politicis. Qui facit, inquit, hominem principem

pem non legem, facit principem hominem, & feram, ob ferinas appetitiones, atque affectus hominum animis coniunctos.

Amplius. Quid magis contra legem Christi, quæ est lex libertatis, excogitari potest? quam Christianos subiectos esse, parereque debere Pontifici, cui tributum sit à Christo, vt pro arbitrio leges constituat, leges abroget, dispenset in legibus, habeat in his omnibus voluntatem suam pro regula? Conuenit ne huiusmodi Imperium, non dico Christianis hominibus, qui adsciti sunt in legem libertatis, ac propterea, vt inquit Augustinus scribens Ianuario de Ritibus Ecclesiæ, quàm paucissimis exterioribus legibus adstringendi sunt; non dicam etiam liberis hominibus, & cuipiam gubernationi hominum liberorum, quales sunt recta populorum, atque approbata imperia, sed cuinam Dominio in seruos, quibus Domini imperant, ad sui ipsorum vtilitatem, quibusque vtuntur, vt organis animatis, conuenit hoc imperium, atque Dominium, vt pro voluntate eis imperet? Facessat Deum Immortalem precor à Christianis hominibus hæc impia doctrina. Non igitur pro arbitrio constituat leges Pontifex. Non pro arbitrio abroget. Non pro arbitrio dispenset. Sed sequatur regulam rationis naturalis; regulam diuinorum præceptorum; regulam charitatis. Quæ in Deum omnia dirigit, & ad bonum commune, quod est maximè diuinum; ad bonum tandem proximi cuiusque secundum Deum.

Nec putent hi Iurisperiti Ius positiuum esse Ius arbitrarium, sed dependere à iure naturali. Nihilque aliud esse ius positiuum, quàm determinationem quandam iuris naturalis, seù diuinorum præceptorum ad tempora, ad locos, ad personas, statumque rerum: quæ prudentèr considerata efficiunt, vt & constitui lex debeat. Et in diuersis prouincijs leges etiam sint constituendæ diuersæ. Itemque pro mutatione temporis, & rerum status, leges debeant abrogari, & immutari.

Similitèr in dispensatione, in legibus voluntas non debet esse regula, sed qualitas illius personæ, Occasio, immutatio rerum, & temporum; quibus prudentèr consideratis ratione illa naturali, Dei gratia, charitate: quæ maxima esse debent in animo Pontificis, Pontifex rectè dispensat in lege scripta. Sic Aristoteles inquit in Ethicis. Quòd æquum naturale est melius iusto legitimo. Et quòd vt in paucioribus facit contra iustum legitimum: illudque corrigit, hoc est ius positiuum. Hæc est eius natura, non autem est ius voluntarium, vt perhibent hi iurisperiti, qui ita sentiunt. Quoniam radices veræ Doctrinæ, & Christianæ, & Philosophiæ ignorant.

Pater Beatissime, Tu, qui doctrina excellis, & rerum experientia, naturalique prudentia plurimum vales, perpende, an ex hac doctrina, temere Luterani ansam sumpserint componendi libros illos suos de captiuitate Babylonica. Nam per Deum immortalem, quæ maior captiuitas. & seruitus induci potuisset Christiano Populo? quàm hæc, quam profitetur horum Iurisperitorum doctrina; de qua agimus? Nulla equidem. Paulò longiùs Sanctitas tua dirigat aciem præclarissimi ingenij sui. Si quispiam Infidelibus hanc doctrinam prædicaret, secundum religionem à Christo nobis traditam, ita Christianum Populum gubernari vnius Pontificis gubernatione, vt non tantùm, non habeat superiorem potestatem in terris (hoc enim rationi consonum esse, non esset difficilè probare) sed nec tenetur vlli regulæ, præterquam ipsius voluntati, nonnè confestim riderent; putarentque hoc regimen Christiani populi esse omnium pessimum?

Nolimus ergo excusare auaritiam nostram, nostram ambitionem, cœterasque prauas actiones nostras prodendo falsam doctrinam. Quæ sit accommodata appetitionibus nostris. Prohibet Propheta, excusationes in peccatis. Quæ faciunt ne ingenue fateamur peccata nostra. Deum quæ precatur dicens. Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Et nos volumus non tantùm verbis excusare peccata nostra, sed doctrinam in medium adferre, qua tecti, dicamus iure malum bonum, & bonum malum, non veriti Prophetam Esaiam, imo Dominum per Prophetam dicentem. Veh his qui dicunt bonum malum, & malum bonum.

Vt paucis ergo totam hanc rem claudamus. Habes Beatissime Pater summam à Christo potestatem in guberuando Christiano Populo. Hæc potentia rationis est. Det operam Sanctitas tua, vt habeat summam illam, quantum fieri potest, potentiam, & libertatem voluntatis, vt scilicet, per diuinam gratiam, tuumque nixum, non recedas à regula, vt suprà diximus. Neque te vertas ad impotentiam voluntatis; quæ malum eligit; & ad seruitutem, quæ seruit peccato. Hæc etenim libertas, hæc potentia voluntatis, cum coniuncta fuerit potestati Pontificiæ à Christo tibi traditæ, tunc eris potentissimus, tunc maximè liber, & totius Reipublicæ Christianæ vita. Et sic moderante, & gubernante cœleste quoddam in terris viuendi genus exprimet.

EIVS-



EIVSDEM AVCTORIS.

DE POTESTATE PONTIFICIS, Quòd diuinitùs sit tradita.

Ad Nicolaum Teupolum Commentariolus.



CVm hoc vesperi tecum in eum sermonem incidissem, an auctoritas illa, & potestas, qua Pontifex Maximus fungitur, sit ei consensu quodam hominis tributa, an potiùs diuinitùs tradita, qua de re hisce temporibus maximos tumultus excitatos esse perspicimus, nec etiam veriti sint viri in omni disciplinarum genere celebres, ac in Christianæ Thologiæ studijs illustres, in magno hominum conuentu asserere se, hoc ius Pontificis humanum esse: dixi confestim me ab horum hominum sententia maximè dissentire, ac propè compertum habere, diuinitùs concessum esse Pontifici ius illud, eamque potestatem, qua regit, ac moderatur Christianum gregem, in qua sententia cùm te quoque esse constantissimè asseuerares, neque commodè tamen posses per tuas occupationes familiares, quibus adeò te implicitum esse noui, vt vix habeas liberam spirandi facultatem, nunc memoria repetere rationes illas, quibus iampridem inductus in hanc sententiam deuenisses, rogasti me hominem minùs occupatum, vt breui commentariolo eas colligerem rationes, quibus mihi persuasum est à Deo Optimo potestatem hanc datam esse Romano Pontifici, neque à consensu hominum vllorum pendere. Respondi paratum me esse morem tibi gerere in quacunque re opera mea vti velles, posseque te amicitiæ nostræ iure, mihi quod volueris munus iniungere, neque diffiteri me minùs occupatum, quàm te esse, longe tamen magis inertem. Quamobrem ea me tibi conditione hanc operam præstiturum, vt mihi necesse non sit vllum auctorem videre, neque ab aliorum pendere commentis, sed ea tantum in medium afferre, quæ mihi videantur: tuum verò fore, vt omnia acerrimo illo ingenio tuo discutias, ac dijudices, quæ rectè, item quæ perperam dicta tibi videbuntur: nam cùm doctissimus sit, pariterque mihi amicissimus, nimirum neque te aliquid præteribit, quòd minus rectè prolatum sit, atque pro amicitiæ nostræ iure, illud ipsum quidquid erit mihi ingenuè significabis, verùm ne te ampliùs morer de veniam ad discutiendam quæstionem propositam. Dico ex Euangelij dictis perspicuè colligi, à Christo Dei Filio tributam fuisse Petro, eiusque successoribus hanc potestatem, ex epistolis Pauli colligi etiam potestatem hanc eandem diuinitus ei datam fuisse: item assero ratione euidentissima hoc idem probari, adeo vt si quis negare non audeat diuinam prouidentiam gubenationi Ecclesiæ non defuisse, nec deesse, à ratione nostra dissentire non valeat. Docebo postremo, sed paucis, rerum euentu comprobari clarissimè id, quod auctoritates sacræ paginæ, & ratio astruunt. Potestas omnis, quam non tantum Romanus Pontifex Petri successor, verùm etiam Episcopi, Sacerdotesque omnes habent, non ea, inquam, qua sacramenta conficiant, sed qua vtantur in Populo Christiano ad beatitudinem perducendo, & in Christiana vita erudiendo, cui veluti Architectonicæ, & Principi. Ciuilis quæcunque potestas inseruit, cum inferiores quosdam fines habeat, qui omnes ad supremum illum referri debent, colligitur quantum memoria repetere possum ex his Euangelij locis. Apud Ioannem, c. 20. postquam Christus à mortuis surrexisset, discipulisque apparuisset, insufflauit eos, & dixit Accipite Spiritum sanctum, quorumcunque remiseritis peccata, remissa sunt: & quorumcunque retinueritis peccata retenta sunt: item apud Matthæum cap. 8. inquit. Quæcunque ligaueris super terram, ligata sunt, &c. Item apud Matthæum cap. 16. post Petri confessionem, quòd Christus sit Filius Dei, inquit Christus. [Quia tu es Petrus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam: tibique dabo claues Regni Cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, sit ligatum, & in cœlis, & quodcunq; solueris super terram, sit solutum, & in cœlis:] item alibi dicitur in Euangelio apud Lucam, cap. 22. Petre, Sathanas expetiuit, vt cribraret vos, ego autem pro te oraui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersùs confirma fratres tuos: item alibi in Euangelio Ioannis cap. 21. dicitur. Petre amas me, cui Petrus Domine, tu scis, quia amo te, & rursùs Christus: pasce oues meas, iterumque interrogat. Petre amas me plus his? cui Petrus. Domine tu scis, quia amo te;

te: Pasce, inquit, agnos meos; sicque tertiò Petro iniunxit, vt pasceret oues suas. Ex his Euangelij locis, vt reor, quadruplex quædam potestas perspicuè colligitur tributa à Christo discipulis omnibus; vna planè: item altera non tamen omninò, neque planè. Petro verò soli posterior hæc, quàm diximus alijs etiam tributam, sed non plenè, plenissimè, vt ita dixerim, tributa est, itemque duæ aliæ. Omnibus tributa est potestas remittendi peccata per insufflationem, & largitionem Spiritus sancti. Hac potestate quilibet sacerdos in confessionis sacramento vtitur, soluitque à peccatis confitentem curę ipsius subiectum; hæcque potestas sequitur ordinem, & characterem sacerdotalis ordinis, & à Spiritu sancto dependet; sicuti etiam operatio baptismatis, confirmationis, aliorumque huiusmodi sacramentorum, quorum ministri sunt sacerdotes. Diuina verò virtus agens est, sicuti enim solus Christus baptizat, ita solus Christus, qui & Deus est, solus peccata dimittit, & gratiam confert, hoc certissimis argumentis, & Sacræ paginæ locis comprobatur à Theologis christianis, quæ te non latere probè intelligo, sed præter alia hoc, quod adduximus ex Euangelio Ioannis cap. 20. euidenter id adstruit, inquit enim Christus. Accipite Spiritum sanctum, quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, quasi expresè dixerit. Potestas hæc remittendi peccata, ex Spiritu sancto est, quem vobis trado, licèt ergo collatio ordinis fiat à Pontifice, seù ab Episcopo, potestas ea tamen sequitur characterem, & participationem Spiritus sancti, non autem est participatio quædam potestatis, quam primò, & perfectè habeant Pontifex, Episcopus ve, sicuti quamuis baptismus conferatur à sacerdote, sanctificatio tamen, & character non est à sacerdote, neque participatio aliqua sanctitatis sacerdotis, sed à Deo tantum est, hæc prima potestas omnibus data, & nulli præ alijs, nullibi namque in vniuersa sacra pagina comperies alicui præcipuè, ac præ alijs tributam fuisse hanc potestatem. Altera potestas omnibus, item Episcopis tributa est, sed præcipuè, ac præ alijs Petro potestas, hæc ligandi, ac soluendi, quam reor ego non esse priorem illam, de qua fecimus mentionem, qua scilicet, remittuntur peccata, sed esse potestatem infligendi Ecclesiasticas mulctas, & ab eis soluendi (an verò comprehendatur sub hac potestate solutio à purgatorij ignis pœnis, nolo vt in præsentia discutiamus, ea namque, quæ pertinent ad vitam aliam, omnia mihi nunc omittenda esse duxi) opus est proculdubiò, vt quicumque gubernationi aliquorum præest, aliquam potestatem habeat coercendi contumaces, tum vt facilius metu pœnæ corrigantur, tum ne eorum ægritudo, si liberè, & impunè negari possent, alios, gregemque totum inficiat, idcircò vocis illius diuinæ oraculo data est hæc potestas præcipuè, & cum prærogatiua quadam soli Petro, deindè discipulis omnibus. Hac ergo ratione præcipuè adducor, vt credam, potestatem hanc ligandi, & soluendi non præcipuè pertinere ad peccatorum absolutionem, sed ad mulctas, quas infligit Pontifex contumacibus, & peccantibus, vt alias omittam, quoniam sicuti prior illa potestas primùm respicit peccatorum remissionem, per accidens verò, & obliquè retentionem, ita è contra potestas hæc coercendi, primùm respicit pœnarum inflictionem, deindè solutionem, item prior illa sequitur characterem ordinis, & à Spiritu sancto est per sacerdotem ministrum, ita hæc posterior iurisdictionis cuiusdam est, non ordinis, aut characteris; ideò in danda priori illa, inquit, Christus, Accipite Spiritum sanctum, deindè, quorumcumque remiseritis peccata, remissa sunt eis, addit postremò, quorum retinueritis, retenta sunt, in hac verò posteriori, non facta mentione de datione Spiritus sancti, confestim, & primùm tradit potestatem ligandi, cui subdit potestatem soluendi, idem & illustrius ostenditur ex eo Matthæi loco, in Euangelio cap. 18. vbi omnibus discipulis, inquit, quæcumque ligaueritis in terris, erunt ligata in cœlis, & quæcumque solueritis, erunt soluta; nam posteaquam præcepit fratrem corrigendum esse si peccauerit primùm solum, deindè adhibitis testibus: postremò dicit, quòd si in peccato perseuerauerit, sit tibi sicuti Ethnicus, & Publicanus, hoc verò nihil est aliud, quàm eum ablegare à cœtu fidelium, sicuti Ethnici, idest, Gentiles separati sunt, quòd vim obtinet excommunicationis, confestim subdit, amen dico vobis, quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata, & in cœlis, & quæcumque solueritis, erunt soluta, ac si diceret, erunt verè hi si vti Ethnici, nam vobis hanc potestatem trado ligandi, & soluendi, idque, quod agetis ratum habebo; Ecce quàm luculenter apparet ex hoc loco, potestatem hanc pertinere ad pœnas Ecclesiasticas infligendas, hęc ergo potestas, quamuis discipulis omnibus tributa sit, nihilominùs si quis non conniuentibus oculis legerit Euangelium, luce clarius perspiciet, præcipuè, ac præ omnibus alijs; tributam fuisse Petro: per quem, scilicet, ad alios deuentura esset, nam si nihil magis auctoritatis in hac ligandi, & soluendi potestate voluisse Christus Dei filius à quo nihil temerè, nihil inconsideratè actum vnquam fuit (quo namque pacto à Diuina sapientia quippiam temerè?) Petro concedere, quàm alijs omnibus, cur ergo magna ea verborum mole vsus, ad Petrum; inquit. Simon bariona, amen dico tibi, quoniam caro, & sanguis non reuelauit tibi, scilicet, quòd sim Dei filius, sed Pater meus, qui est in cœlis: & quoniam tu es Petrus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, sed tibi dabo claues regni cælorum, vt quodcumque ligaueris super terram, sit ligatum, & in cælis, & quodcunque solueris, sit solutum, videat vnusquisque tam magnam præfationem, consideret datas claues Petro soli, alijs nequaquam. Potestas verò clauium, vt omnes Theologi dicunt in quarto sententiarum, est potestas iudicandi, & hæc est vna clauis: altera potestas ligandi, & soluendi, cum ergo hæ sint claues, nullaque mentio fiat eas alijs datas fuisse, sed soli Petro: quis sanæ mentis negare audeat, in hac ligandi, & soluendi potestate principem esse Petrum, cui plenè, & perfectè sit data; alijs verò per participatio-

tionem quandam huiusce potestatis, quæ tota est in Petro, ac ideò posterius datam. Hoc verò magis corroboratur ex his, quæ infra dicturi sumus. Duæ aliæ sunt potestates; de quibus non fit mentio in Euangelijs, quòd datæ sint alij vlli, præterquam Petro, prior est pascendi Christianum gregem, altera discutiendi, & confirmandi dogmata ea, quæ pertinent ad christianam fidem. Quantum ad priorem soli Petro dictum est à Christo non semel, sed ter, qui numerus maximè perfectionem ostendit, magnaque continet sacramenta, quemadmodum etiam Philosophi testantur, vt prætercam tot, & tam magnos christianos auctores, obtestatur ergo Christus Petrum per eum amorem, quo præ alijs omnibus ab illo amabatur, vt pasceret oues suas, vt pasceret agnos suos. Potestas hæc pascendi oues Domini, nulli data præterquam Petro, volue totum Euangeliorum codicem, neque verbum comperies. Sed fortasse quispiam ridebit, huiusmodique potestatem nihil esse existimabit, ideò erit operæ pretium, si paululum in hac re morabimur, & perscrutabimur, quæ nam, & qualis sit hæc potestas. Potestatem dedit Christus pascendi oues suas, igitur absque dubio Petrus constitutus est Pastor Christiani gregis. Nam quis nam alius officium habet oues pascendi præterquam Pastor, proportio igitur Petri, eiusque successorum ad populum christianum, est proportio Pastoris ad oues. Non reor posse quempiam in hac re ambigere, adeò perspicua est, ex hoc duo sequuntur, priùs quòd Petrus sit Christi Vicarius, seù Christi vicem gerat in terris, alterum quòd quemadmodum omnia, quæ pertinent ad sanitatem, ad curationem, ad directionem ouium, seù intra septa detinendæ esse videantur, seù ducendæ, vel curandæ, necnon acie ferri vlcus quarumdam rescindendum sit, seù potius à grege reliquo relegandæ non nullæ fuerint Pastoris muneris sunt: ita etiam quæcumque pertinent ad institutionem christiani gregis in vita christiana, quæcumque ad gubernationem, ad curationem, cęteraque huiusmodi, spectant ad Petrum, & successores Petri, ex quo elicitur, quòd etiam potestas ligandi, & soluendi præcipuè, & præ alijs data sit Petro. Quòd prius sequatur Vicarium, scilicet, Christi esse Petrum, compertum omnibus esse potest, qui locum illum annotauerint Euangelij Ioannis cap. 10. vbi inquit Christus, Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas; aliasque oues habeo, quæ non sunt de hoc ouili, si Christus Pastor suarum ouium constituit Petrum, item, Pastorem ouium non Petri, sed suarum (non enim, inquit, pasce oues tuas, sed pasce oues meas, item pasce agnos meos) cui non exploratum fuerit, Christum Pastorem esse, & dominum ouium, Petrum Pastorem, tamen non Dominum, à Domino tamen constitutum, vicem ergo gerit Petrus Christi Domini ouium, alterum quoque absque dubio euidenter sequitur; nam cuicumque aliquod munus iniunctum fuerit, vtique omnia etiam, quæ pertinent ad id munus iniuncta illi fuisse videri debent. Si ergo munus Pastoris datum est Petro, quæcumque pertinent ad Pastorem, omnisque potestas illa tradita sunt Petro; quamobrem cum coercere, mulctasque imponere pręcipuè spectet ad eum, cui commissa est gubernatio, præ alijs ergo data est Petro ligandi, & soluendi potestas, cui rationi adstipulatur locus ille Euangelij, de quo à nobis superius est facta mentio, & per Petrum alijs Episcopis participatione quadam, sicuti, & ouium regimen, & potestas coercendi, puniendi vè eos, qui contumaces fuerint, præter has potestates, alia item potestas data est Petro tantùm declarandi, scilicet, & discutiendi ea, quæ pertinent ad fidei christianæ Dogmata, ciusque sententiæ parere cœteri debent. Nolo nunc adducere in hac parte innumeras sanctorum auctoritates, satis nobis sint Christi verba, inquit, ipse apud Luc. cap. 22. Sathanas expetiuit, vt cribraret vos, si aliqua videlicet posset ratione vos remouere à vera fide, ego verò oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, nititur ergo fides Petri Christi oratione; quæ inefficax nulla ratione esse potest, subdit deindè, & tu conuersus confirma fratres tuos, ecce quod cura confirmandi alios, non omnes, non pusillos, sed fratres suos, tradicta est Dei oraculo tantum Petro non alijs, luce meridiana illustrius ostensum puto ex diuinę sapientiæ vocibus ius hoc Romani Pontificis nullo hominum consensu, sed diuinitùs ei tributum esse, de industria præteriui locum illum in Euangelio Matthæi cap. 18. qui à plerisque notatur, ad astruendam nostram hanc sentẽtiam, vbi scilicet, Petrus Dominum rogauit, quoties dimittendum esset à se peccatum fratri, an vsque ad septies? quoniam mihi videtur potius eò spectare ille locus, vt semper sit danda venia peccanti in se fratri, semperque acceptas iniurias obliuiscendas, quam ad vllam potestatem Petro concessam. Hanc item potestatem concessam fuisse diuinitus Paulo, ex plerisque locis epistolarum eius, colligi certissimè potest, & primò ex Epistola prima ad Corin. c. 5. Nam tradere hominem Sathanæ ad interitum carnis, vt lucrifaceret spiritum, potestatis fuit, venire etiam in virga, vt ex eadem Epist. c. 11. est potestatis, item in Epistola secunda ad Cor. c. 10. inquit, iuxta potestatem, quæ data est mihi in ædificationem. Episcopos instituere, vt instituit Paulus Timotheum, & Titum, & per eos item alios, potestatis fuit, hos locos notasse tantùm, & innuisse sit satis, tutè per te alios quoque in memoriam tibi rediges, vereor ego ne noster hic libellus modum excedat: iam satis auctoritatibus probatum est diuinitùs non hominum consensu Pontifici Romano Petri successori hanc fuisse auctoritatem attributam: nunc paucis explicemus an idem etiam ratio nobis persuadeat; multitudinem omnem, quæ vna sit, nequaquam posse vnam esse perseuerare, nisi contineatur ab vno, & Philosophi omnes prodidere, & voce ipsius rerum naturæ docemur: nam suaptè natura multitudo omnis in plura dilabitur: aliundè verò vna est, & vna esse perseuerat, id verò à quo est vna, & in vnione continetur, necesse est vt sit vnum, alioqui ipsum quoque aliena opera indigebit, vt vnum sit; vnde illud Homericum ab Aristotele, vt notissimum prolatum in duodecimo libro primæ Philosophiæ. Multitudo principatus

patus mala; vtpotè, quæ inepta ſit ad conti-nendam vnitatem multitudinis ſubditorum hominum; cùm ergo Eccleſia Chriſtiana vna ſit (ſicuti enim vna fides eſt, vnum baptiſma, vna vocatio, ita vna Eccleſia, quin potius omnes vnum corpus ſumus, inuicemque mem-bra, vt perhibet Apoſtolus Paulus, ſed cur amplius moror? ſymbolo ab omnibus Chri-ſtianis prædicatur, ſe credere vnam eſſe ſan-ctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam) indiget ergo vno principe, à quo contineatur; ſi ſecus ſit confeſtim diſſipari vnitatem neceſ-ſe fuerit; vni ergo eius gubernationem de-mandandam fuiſſe oportuit; nec vllo pacto ſatis eſſe poteſt id, quod Lutherani dicunt, vt hanc rationem vitent, Chriſtum vnum eſſe, à quo contineatur Eccleſia; nam & ſi Eccleſia primò contineatur à Chriſto Deo optimo, quemadmodum etiam vniuerſa rerum natura, eſt tamen à ſumma illa bonitate inſtitutum, vt cuique rei pro eius natura prouideatur; cum ergo hominum genus à ſenſu maximè pendeat, à ſenſibilibuſque hauriat, & diſci-plinam, & inſtitutionem omnem, indiget ergo homine, quem ſentiat, gubernatore, & principe; quin quòd maius videri poteſt, ſa-cramenta, quibus gratia nobis Diuina con-fertur, in rebus ſenſibilibus conſtituta ſunt, ſic enim natura humana eſt, à Deo facta; vni ergo homini hanc gubernationem demandari oportuit, quòd partim pertinet, vt dixi, ad hominis imperfectionem, qui à ſenſu pendet, partim etiam ad eius perfectionem, & præ-ſtantiam; nam hoc pacto ipſe ſibi quodam-modo felicitatis ſuæ eſt auctor, pro naturæ ſuæ imbecillitate; vnus ergo homo vni Eccle-ſiæ præerit, vt ratio à natura nobis indita vni-cuique facilè ſuadet; is verò hanc poteſtatem habere non poteſt à quouis hominum con-ſenſu, ſeù cœtu, ſed diuinitùs habet neceſſe eſt: nam conſtituere Vicarium Domini, non pertinet ad quempiam alium niſi ad Domi-num. Eccleſia verò Chriſtum habet, cuius ſunt omnia, tum quia empti ſumus magno pretio, eius, ſcilicet, ſanguine, vt ait Apo-ſtolus 1. Cor. cap. 3. ad ipſum ergo pertinet inſtituere Vicarium ſibi, ad nos minimè; niſi ergo velimus fateri defuiſſe, deeſſe ve Diui-nam prouidentiam gubernationi, ac vnitati Eccleſiæ, cuius ratio perſuaſerit diuinitùs Pontifici Petri ſucceſſori hanc poteſtatem collatam fuiſſe; quo fit: vt ſi nullus eſſet ſacræ paginæ locus, ex quo id aſtruere poſſemus, pium tamen eſſet credere diuinitùs datam fuiſſe Petro hanc poteſtatem: ſicque per ma-nus, non per præſcriptionem ad nos deueniſ-ſe; ſed cum tam euidentia ſint Chriſti oracu-la, quæ ſuprà tetigimus, quis amplius in du-bium verterit rem tam claram, & omnibus obuiam? at dixerit quiſpiam fortaſſe rerum euentus, quæ res tertio loco à nobis propoſi-ta fuerat, huic ſententiæ non adſtipulatur; quin potius nihil magis: nam confeſtim poſt Chriſti Aſcenſionem cum adhuc Petrus Hie-roſolymis eſſet, cuius Vrbis Epiſcopus erat Iacobus, inquit Paulus in epiſt. ad Gal. c. 2. qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt mihi inter gen-tes. Iacobus erat Hieroſolymitanæ vrbis Epiſcopus, Petrus tamen erat à Deo Apoſto-lus circumciſionis, id eſt, Iudæorum, quibus tunc præerat, nondum enim Romam venerat; ecce à Deo traditam Petro poteſtatem quan-dam, qua Epiſcopum ſuperabat; nonne illis temporibus, tum Petrus, tum Paulus Epiſco-pos inſtituebant; de Paulo diximus. Petrus nonne Proſdocimum creauit Epiſcopum Pa-tauinum, cùm Romam veniſſet? dicerem etiam alios, ſi per inertiam meam poſſem li-bros euoluere, in quibus eorum temporum Hiſtoria continetur; vterque poſtea Romam venit, ibique ſub Nerone Imperatore in Vrbe vniuerſi orbis principe martyrio coronati ſunt; quibus ſuffectus Linus, deindè Clemens, cæterique ſanctiſſimi viri, à quibus plurimos Epiſcopos creatos fuiſſe comperies, ſi eorum vitas perlegeris; itaque ſemper à probis om-nibus Chriſtianis Romanæ ſedi, ſedi, inquam Petri, ſumma veneratio, ſumma auctoritas eſt delata. Iactata fuit magnis procellis cum Imperatorum Conſtantinopolis arro-gantia, interdùm eius Vrbis Antiſtitum, tum Gothis, ac Longobardis res Italiæ, ac præ-ſertim Romanæ vrbis turbantibus, qui etiam Arrianam hæreſim ſectati ſunt, tamen ſemper eminuit, ac priſtinam dignitatem paulò poſt recuperauit; nec obſtat his, quæ diximus, quòd Conſtantinopolis Imperatores Pontifi-ces Romanos confirmabant, quaſi ab Impe-ratoribus poteſtatem haberent, non à Deo: nam nullus ſanæ mentis putauerit, poteſtatem Pontificis, qua gerit vicem Chriſti, ab Impe-ratore pendere; ſed quoniam Pontifices ab Imperatoribus habuerant vrbis Romæ Impe-rium, quo res Italiæ maximè nitebantur, ideò præter clerum Romanum, & populum requi-rebatur etiam Imperatoris ſuffragium ad Pontificem eligendum: eius tamen auctoritas, quatenus Pontifex eſt, non princeps Roma-nus à Deo eſt, non ab homine aliquo. Cùm ergo Hiſtoria, ratio, & euidentiſſima Chriſti oracula nobis oſtendant à Chriſto Dei filio datam eſſe Romano Pontifici auctoritatem, & poteſtatem hanc, qua vicem Chriſti gerit, nullus niſi pertinax, & qui partes, quas te-mere ſuſcepit, tueri velit, inficias ierit. Chri-ſtiani hominis eſt fateri, & credere Pontificis poteſtatem non ab hominum conſenſu pende-re, ſed diuinitùs prodijſse: longius quàm putaram proceſſit Commentariolus hic, quem vnico ſpiritu conſtripſi: tuum erit corrigere, ac ſummam manum ei imponere. Mihi ſatis ſit hucuſque laboraſse. Vale.



GENNADIJ SCHOLARIJ

Patriarchæ Constantinopolitani.

DE PRIMATV PAPÆ.

Quinti Capitis in Sancta Oecumenica Florentina Synodi Decreto contenti

RESPONSIO.

Gennadius Scholarius nobili progenie Constantinopolitanus, ibidem & Rethoricæ studio, & sacro floruit, primosque gradus occupatus tum Laicos, tum Ecclesiasticos, primùm eius Vrbis Senator, deinde Patriarcha. Eius tempore durante adhuc Concilio Basileensi Eugenius Quartus Summus Pontifex conuocauit Concilium Generale Ferrariæ, vt tractaretur de Vnione Ecclesiæ Orientalis cum Ecclesia Latina, & Græcos inuitauit, tamdemque traxit, reluctantibus quamuis Basileensibus; quod tamen opus inchoatum non potuit absolui propter ingruentem pestem, & translatum est ab eodem Eugenio Florentiam, vbi & absolutum est. Ioannes Palæologus Constantinopolitanus Imperator, Ferrariam euocatus pro Ecclesiæ concordia ex sua etiam parte componenda, eduxit secum viros Ecclesiasticos, Laicosque omni virtutum genere insignes. Inter cæteros ex Clericis Nicænum Bessarionem, & Isidorum Ruthenorum Patriarcham, ex Laicis Georgium Scholarium Senatorem, & alios quosdam, quos non est necesse commemorare, cum in Concilij Florentini actis affatim legantur; cæterum disputationes de fide inter Ecclesiasticos intercesserunt, Laicis, vt mos est, seclusis, Scholarius igitur etsi dignitate multis esset inferior, doctrina tamen nulli erat secundus, vt ex hoc commentario patet, in quo decreta Concilij tuetur. Sed & in eodem Concilio duos libros edidit suæ fidei confessionem in ijs exponendo, quos Imperatori, alijsque in Synodo legendos tradidit, & deindè Parisijs latini facti sunt, atque editi. Præterea ibi etiam tres Orationes composuit, vbi Græcos suos ad vnionem cùm Latinis hortatur locupletissimas; nam eloquentiæ palmam huic tribuere tunc Græci videbantur; idcircò ex iussu Imperatoris volumini Concilij actorum insertæ sunt. Celebratum est Concilium prædictum per viginti, & quinque sessiones, quarum sexdecim celebratæ sunt Ferrariæ reliquæ verò Florentiæ. In quibus omnibus disputatum est inter Latinos, & Græcos. Primùm de Processione Spiritus Sancti à Filio, & an ritè facta fuerit à Latinis ea additio, Filioque. Secundò de igne Purgatorio. Tertiò de Papæ Principatu. Quartò de Azymo, & fermentato Papæ. Quintò de panis in Eucharistia transmutatione. Quæ tamen disputationes solam contentionem inter Græcos, & Latinos pepererunt, vndè coacti sunt cessare à disputatione, & res citrà vllam controuersiam tractare, & sic vnio facta est earum Ecclesiarum. Ea vnione facta, Imperator cũ suis Constantinopolim est reuersus, pius profectò, & Catholicus Princeps. Verùm eo paulò post vita defuncto, in regno successit Constantinus eius frater cognomento Dragases, non eadem, qua frater erga Romanam Ecclesiam pietate. Opera igitur & suasu Marci Ephesini Episcopi omnia perturbata sunt,

quo-


quoniam nec Græci (vt est eorum leuitas, & vt est in prouerbio Græca fides) conuentus stare voluerunt. Nam Marcus scriptis aduersùs Latinos editis à Catholica fide suos abalienauit. Huius temeritatem cum Scholarius ferre non posset; monito Gregorij Protosungeli Patriarchæ omnibus eius capitibus respondit, qui liber impressus non est, & paucis cognitus. Defuncto Gregorio suffectus est in eius locum Scholarius anno Domini 1452. vt patet ex Chronico Ecclesiastico Onofrij Panuini, factusque est è Georgio Gennadius Græcorum more, qui cùm ad Patriarchalem apicem erecti sunt, nomen assumunt, quod ab eadem litera incipiat, quà proprium paulò diuersius, quàm Romani Pontifices consueuere. At ne ijs contentus, scripsit in Patriarchatu librum commentarijs quinque distinctum secundum quinque articulos in Florentino Concilio firmatos, in quibus copiosè eius decreta asserit, Marcique impudentiam simul, & temeritatem retundit, qui lapis & petra scandali dici potest veluti præcipuus inter Græcos Schismatis Auctor. In tractandis quæstionibus secutus est ordinem in Concilio habitum Gennadius, quæ quinque extiterunt; In qua re oblata est ei occasio omnem eloquentiæ suæ copiam effundendi, non vt in alijs capitibus euenit, quæ acrimoniam tantùm postulant disputandi, quamquam vbique eius explendescat oratio. Is hunc librum in Vrbe Constantinopolitana videtur conscripsisse paulò post direptionem eius sub Mahometo Turcarum Imperatore, quam rem adeò tragicè in quinto deplorat, vt cuivis lachrymas excutere posset. Angelus etiam Iustinianus homo Græcus (maximè enim florebat in Græcia hæc familia præcipuè in Insula Chio) Gebennensis Episcopus aiebat se legisse Monodiam Gennadij eiusdem argumenti, in qua copiosè explicat, & lamentatur suæ ciuitatis, & gentis interitum, vel magis excidium. Retulit etiam se habere Opusculum D. Thomæ Aquinatis de ente, & essentia ab eodem Auctore in Græcum conuersum, & commentarijs ab eo illustratum, quod apertè indicat eum vel latina calluisse, cum multa ex Latinis Auctoribus in hoc libro adducat. In tractatu de Papæ Primatu citat quędam ex Gratiani Decreto, ex quibus deprehenditur ea sermonis scientia esse vera; quamuis hoc non sit argumentum demonstratiuum, cum Diplobarazius Latinus Iurisconsultus, quamuis Græcus natione, scribit se vidisse Venetijs Gratiani decretum Græcè conscriptum eò allatum à quodam Legato Regis Cypris; nam satis notum est iuniores Græcos complures ex Latinis Scriptoribus in suos vsus verrisse, qui hodie leguntur in Vaticano, & alibi. Robertus Constantinus Gallus in sua Bibliotheca testatur Gennadium hunc scripsisse libros de fide, de Dei cultu, & contra Iudæos, & responsiones pro Christianis, & in Bibliotheca Regia Manuscriptos Parisijs asseruari. Loronico Chalcondyles Atheniensis libro 6. historiæ Turcicæ meminit huius tamquam primas apud Græcos sapientiæ partes obtinentis. Quanti fecerit hunc celeberrimo, ille Bessarion Cardinalis Nicænus ostendit in Epistola quadam ad Græcos de Petri Primatu, in qua eadem ferè leguntur, quæ apud Gennadium conscripta sunt, interdùmque ijsdem verbis, vnde quamuis in Bibliotheca nostra adhuc sub litera B, non extat Bessarion, iam extat in Gennadio. Nec dici potest primùm scripsisse Bessarionem, cùm eius epistola data sit anno 1463, & Gennadius obierit 1460. secundum Panvvini Chronicon, vt liquidò pateat, & tunc apud omnes eius virtutem claram, & celebrem apud prima Græcorum capita extitisse. Vixit ergo Gennadius, obijtque Catholicæ fidei semper propugnator, & vindex. Versus est autem in latinum sermonem à Fabio Beneuolentio Senensi ex quatuor Codicibus M. S., quorum primus est aduectus è Creta Georgij cuiusdam Corinthij viri in Græcis literis non mediocriter eruditi, secundus Marcelli secundi Papæ emptus à Cardinali Pisleto centum aureis, tertius ex Vaticano, quartus vetustior delatus ab Insula Naxo vna ex Cycladibus ad Cardinalem Farnesium communicauit ergo Latinus, & dedicauit Gregorio XIII. Est autem optimus hic liber ad confundendos Græcos obstinatiores in negatione Petri, & Romani Pontificis primatu (vt expertus est Antonius Caucus Archiepiscopus Corcyrensis Cameræ Apostolicæ Clericus, obiens Episcopi munus apud Orientales Græcos) Luthero, & Caluino, quoniam huic objjcere non possunt, vt alijs quibusdam eum esse Latinorum asseclam, & in eorum gratiam scribere, cum fuerit Costantinopolitanus Patriarcha, & ab ijs electus, nec quòd Romæ versatus sit, vt sæpè mussitant, cum is occasione Florentini Concilij tantùm sit in Italia commoratus, vbi semper Ecclesiæ Romanæ fauit, vt in actis Synodi, & eius orationibus patet. Frustrà autem congeruntur Auctorum lau-

des

des pro commendatione Gennadij, cum vnum sit pro omnibus, quod doctissimus non à priuato quopiam laudatore, sed ab Vniuerso Concilio nominari meruerit. Leo Allatius de eo Diatribam scripsit. Labbæus dicens cessisse Patriarchatui, & factum Monachum non habet certum mertuum 460. Præter Orationes in Bibliotheca PP. excusas extat Confessio, seu Sermocinatio habita cum Sultano Mahomete II. traducta in lingua Arabica ab Achmete Berrheæ Prætore tom.4. Bibl. Libellus de articulis fidei ad eumdem col.956. Græcè, & Latinè in hæresiologia Gregorio. Hermonymo Spartano Interprete Basileæ 1556. & Helmstadii 1611. de Prædestinatione Tractatus ad Iosephum Monachum Thessalonicensem Græcè editus Augustæ Vvindelitorum. Orationes in vnum in natura, & trinum in Personis tom. 4. Bibliothecæ col. 1056. Græcè, & Latinè Venetiis apud Aldum. Expositio literarum in sepulchro Magni Constantini excusarum. Sixtus Senensis in sua Bibliotheca habet, quod in lectione antiquorum ita fuit expertus, vt Danielem ex integro exponeret. In defensione quinque Capitum Florentinæ Synodi Romæ typis propagandæ fidei extat tractatus Græcè, & Synodo Florentiæ. Vixit eodem tempore, & alter Georgius Sholarius, qui factus Monachus Gennadii quoque nomen assumpsit hostis Latinorum infensissimus; de quo idem Allatius plura aduersùs Cariophilum, & Arcudium aliosque, qui cum Gennadio Patriarchæ confundunt. Eius nomine extat à Londinensibus, vt par est credere libellus in lucem editus aduersùs Synodum Florentinam petulanter, & inconditè scriptus, indignus qui legatur à cordatis viris. Tanta autem extitit rabies hæreticorum pro libro hoc Defensienis, vt Andreas Riuetus de Cyrillo Alexandrino verba faciens nostrum Gennadium Florentinæ Synodi Defensorem egregium, ac Primatus Romani vindicem personatum Patriarcham, eaque quæ sub eius nomine scripta sunt à Græcis transfusis à Pontifice conductis scripta esse maior ex parte desumpta à D.Thomæ Opusculis aduersùs Græcos. Sed nil aliud expectandum erat ab homine vsque ad insaniam, ac rabiem adactum contra Romanum Pontificem, & Ecclesiam Catholicam, à qua vt putridum membrum eiectus fuit. Videatur Allatius.

SECTIO PRIMA.

Quod iustè, vereque dictum sit, Papam caput esse totius Ecclesiæ Caput.



Cce nunc quintum, & vltimum decreti caput accedit, vt suam responsionem accipiat, quemadmodum & præcedentia. Ergo quia laborem explicandi, quæ mihi de quatuor primis capitibus viderentur, non defugi, nequaquam decet hoc, aut silentio inuoluere, aut debita responsione fraudare, æquum est igitur omni adhibitio studio, & de hoc capite, quæ dici possunt afferre, ne & ipsum debita sibi careat portione: immò & alijs adiungatur sacrorum patrum, & doctorum diuinis, & theologicis testimonijs communitum, vt cumulatè quod polliciti sumus præstemus. Quidnam verò hoc est? Ecclesiæ caput, Papæ primatus, quemadmodum sacræ synodi decretum apertè clamat. Prætereà decernimus Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum Orbem primatum obtinere, eumdemque esse beati Petri principis Apostolorum successorem, & ipsius Christi in terris Vicarium patrem, & magistrum omnium Christianorum. Hoc profectò nescio quomodò quis inficiari possit: cùm apertissimè Christus, & omnes doctores manifestiùs, quam si vel tonitruum personaret, hoc ipsum vociferentur. Christus ergo ante suæ passionis tempus ad Philippi Cæsaream pergens, interrogauit Discipulos suos dicens; Matth.16. [Quem me dicunt homines esse filium hominis?] animaduerte exquisitum theologici sermonis sensum. Nam quando de communibus hominum sententijs percontatur, Apostoli occupant responsionem dicentes per singulos: [Quidam Ioannem Baptistam, alij dicunt Heliam, alij Hieremiam, alij vnum ex Prophetis.] Quando verò de illorum sententia explicanda interrogat; & quam existimationem de eo haberent, cùm diceret: [Vos autem quem me esse dicitis;] tunc nemo Apostolorum locutus est, quia ipsi aliorum præsides erant; Petrus autem ijs, & toti Orbi terrarum præsidebat. Et ij quidem tamquàm præsides aliorum, aliorum sententiam explicabant: At cùm Petrus Apostolorum præses esset, pro illis affert responsionem. Illi enim primatum velut eiusdem scholæ socij detulerunt: vnde, & audacter Christo respondet: [Magister interrogas quem te dicimus esse, tu es Christus filius Dei viui;] considera magnificam Petri confessionem. Ideò & Saluator ad eum: [Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, non humana sapientia hoc te docuit, neque ab hominibus didicisti, sed Pater meus qui in Cœlis est;] hanc tibi admirabilem theologiam reuelauit. [Pater igitur meus te docuit; ego autem tibi dico, quod tu es Petrus,

erus; & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebnnt aduersùs eam;] neque hic substitit, immò progrediens dicit; [& dabo tibi claues regni cælorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata, & in cælis. & quecumque solueris super terram, erunt soluta, & in cælis. Quis ergo se christianum professus hæc abnegabit. nisi fortè christianissimum exuere velit.

SECTIO II.

SEd quid huic objiciunt, qui id oppugnant ad omnes, hoc dixit Christus vbi dicit; Io.20.[Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittentur eis, quorũ retinueritis, retenta sunt.] Et alibi; Luc. 10. [Ecce dedi vobis potestatem calcandi suprà serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.] Et rursùs, Mar. 16. [Euntes in Mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturę.] Et alibi, Matt. 16. Quæcumque ligaueritis super terram erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terram erunt soluta, & in cælis.] Hæc & nos confitemur; dicimusque quod in commune hos constituit Magistros Orbis terrarum, & omnibus gratiam tribuit peccata dimittendi, quoniam vsque ad Orbis terminos ipsos destinauit, necesse enim erat, eos habere potestatem baptizandi, docendi, prædicandi, & omnibus gentibus dicendi quæ opus esset. Cæterum erat vtile, vel potiùs necessarium hos caput habere, vt inter eos esset ordo & caput, ne sine capite aberrarent, vnde confusio magis oriretur quàm vnio, ex quo dissolutio, & ordinis perturbatio esset consecuta, quia vbi non est ordo, ibi dissolutio; nam ordinis perturbatio dissolutionis principium. Gregorius cognomento Theologus id confirmat, nam mundanos principatus videmus perturbari, discindi: atque aboleri quando inter se iuncti non sunt, quoniam si duo de primatu regna decertent: vtrumque extinguitur, hoc & Saluator dixit, Luc. 11. [Omne, inquit, Regnum in se ipsum diuisum desolabitur.] Igitur in commune ad omnes hoc Christus dixit (nemo negabit hoc) sed seorsum Petro. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & reliqua, ne oriretur inter eos diuisio, vt diximus, ac perturbatio. Si ergo ea vera sunt, quod mundanæ potestates quando disiunctæ sunt, intereunt, & dilabuntur, quomodo Christus debuit Ecclesiã suam omittere sine Capite? vt confusio sequeretur, & ex confusione destrueretur. Sed vti supra omnem ordinem positus, & vti existens is, qui ordinem constituit, voluit, & ordine suam societatem, videlicet Ecclesiasticam contineri. Et vt ipse in terris erat caput; Dominus: & magister discipulorum; & Pater, & Pastor, sic cùm decreuisset ad paternum thronum ascendere, Petrum prefectum ipsis constituit patrem, & magistrum, vt vno verbo dicam suum Vicarium, ac successorem. Ostendit autem, & alibi ante suam passionem, se principatum, primatum, & Petro tradidisse, vbi dicit, Luc. 22. Petre sæpiùs expetiuit Satanas vos cribare, sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando cõuersus confirma fratres tuos. Audis hoc, ego rogaui pro te, & illud. Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, quid tibi videtur scilicet confirmare fratres? nisi eum esse illorum Principem, & eos confirmare. Et alibi, Matth. 16. [Idem ostendit dicens Simon vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperiens os eius, inuenies staterem, illum sumens da pro me & te, ex eo cognouerunt dispuli Petrum ipsis principem præfecisse. Hæc Christus ipse antequam pateretur, enunciauit, vt dictum est. Post resurrectionem autem (vt Ioanni tonitrui filio videtur, qui scripsit Euangelium) Petrus intuens in iucundissimũ Domini vultum, inquit. Domine quid placet tibi vt ego faciam? Iesus interrogauit hunc tèr, Petre amas me, & in vnaquaq; interrogatione Pastorẽ illis designauit, dicẽs: [Pasce agnos meos, Pasce oues meas qui terna interrogatione contristatus,] ait, vbertim flens, Domine tu scis omnia, tu scis quia amo te, cuius Dominus triplici interrogatione, voluit triplici abnegationi mederi. Postea terræ constituit ipsum pastorem & magistrum. Idque multis ostendemus rationibus, & testibus, præcipuè verò Ioannes Damasci oculus in vita Barlaam, & Iosaphat Indorum testatur ita dicens. Aufugit hostidiabolus ob Petri pœnitentiam pudore suffusus, at ille rursus Princeps electus erat, veluti terræ magister, Id & sapiens Leo Imperator in exapostilarijs dicit, partim quidem post diuinam resurrectionem ter, [Petre amas me;] interrogans Dominus suarum ouium constituit pastorem. Partim verò Simoni oues tradidit ad pascendum, vt charitatem mutuam rependeret, requirens ab eo curam pascendi, & ideò dixit. Petre si amas me, pasce agnos meos.] Petrus verò intelligens, quod magnum est primatus: & multæ virtutis egens, videnque Ioannem, quem valdè Christus diligebat: qui sequebatur, ait, Hic autem quid? quasi verò dicens me Domine, & magister designas caput discipulorum, hunc autem à te dilectum, quid inbes esse? qui & petijt ab eo sedere à dextris suis, & antequam peteret, curauit à matre id fieri, vt vel à dextris? vel à sinistris collocaret ipsum in gloria Saluatoris, ex quibus apertè colligitur hic cathedræ primatus, Quòd si de cælesti cathedra, doctores hoc intellexerunt, tamen, & hoc pacto possumus interpretari. Sed ne cui occasio præberetur exponendi, quod de omnibus dixit discipulis, quæcumque solueritis. & quæcumque ligaueritis, respondet Dominus velut eum increpans. Petre sic eum volo manere, donec rursus veniam, quid ad te? tu sequere me. Nam sequere, nil aliud ostendit, nisi sequere me hoc baculo pastorali, ac veluti quando ego vobiscum eram, custodiebam vos, cùm pater essem vester, caput & magister, sic, & tu sis pro me, & sequere me in hoc principatu, docens, & confirmans fratres tuos, te enim in terra esse volo pro me. Ideòque manet vsque ad hanc diem & manebit Petrus Christum sequendo per successores suos, vt in orationis progressu declarabitur, ex his

Sal-

Saluator suam mentem ostendit, vt dictum est, antequam pateretur, & post resurrectionem.

SECTIO III.

CEterum sancti patres, & acta oecumenicorum conciliorum manifestissimè idem comprobant, quid igitur iure aduersùs hæc potestis afferre? nisi fortè id quod à multis audio prædicari, quod hi vitam Petri non viuunt, nam ille pauper, hi verò sunt diuites, & aliud vitæ genus nunc Papa ducit, quàm Petrus, quomodò est ergo successor eius? duo animaduerto hic reprehendi, quæ omitti non possunt. Primùm, quod ille pauper erat: hic diues. Secundùm, aliud genus vitæ viuebat ille, aliud hic. Ad primùm quidem illis sic respondendum est, scilicet quod opes, & ea quæ possidet, non ipse sibi comparauit, neque per vim ab aliquo extorsit, sed ante multas ætates, & annos, non tantum ante schisma, & diuisionem Ecclesiarum, sed paulò post Christi assumptionem in cælum, & ante sanctam magnam, & primam synodum, magnus Constantinus Imperator inuictus, Siluestro sanctissimo, summoque Pontifici largitus est, quemadmodum in edicto continetur. & in sacris canonum libris inuenitur. At & nos id ad verbum apponemus, ne aliud videamur afferre, quam ptopria eius verba sonant.

Decretum inuicti Imperatoris, & Magni Constantini ad Sanctissimum Siluestrum Romanum Papam.

AEquum esse iudicamus vna cum omnibus satrapis nostris, & vniuerso senatu, optimatibus & cuncto populo Imperio Romanæ gloriæ subiacenti, vt sicut sanctus Petrus Vicarius ex persona filij Dei est constitutus in terris, ita & Episcopi successores Principis Apostolorum, ampliorem principatus potestatem, quam regnum gloriæ nostræ habeat; obtineant. Hoc & à nobis & à nostro concessum est Imperio. Et volumus ipsum principem Apostolorum, & successores ipsius ex eius persona, primos apud Deum esse patres, & defensores. Et sicut nostra Jmperialis potestas in terris colitur. & honoratur, ita eius sanctam Romanam Ecclesiam veneranter honorari decernimus, & ampliùs quàm nostrum imperium, terrenumque thronum. Sedem sacratissimam B. Petri gloriosè exaltari. Sancimus etiam, vt principatum teneat tam super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanum, Constantinopolitanam, quàm etiam super omnes in vniuerso Orbe terrarum Ecclesias Dei. Et Pontifex, qui per tempora ipsius Sãctæ Ecclesiæ extiterit, celsior, & princeps cunctis Sacerdotibus totius mundi existat. Et eius iudicio, quæ ad cultum Dei, vel fidem christianorum; vel stabilitatem procuranda fuerint. disponantur [Æquum est enim, vt ibi diuina lex obtineat apicem, & primatum vbi sanctus legislator Christus *Iesus* Saluator noster misso Beato Petro iussit cathedram tenere, & vbi crucis patibulum passus est, & beatæ mortis calicem bibit, vestigijs inhærendo sui, nostrique magistri, & ibi gentes capita inclinare propter confessionem nominis Christi, vbi eorum magistet beatus Paulus protensa ceruice propter Christum, coronam martyrij suscepit, & vt vsque ad mundi consummationem ibi quærant magistrum, vbi sanctorum suorum reliquię conquiescunt, & ibi proni. & in terram procidentes cælestis regis Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi ministerijs inseruiamus, vbi seruiuimus illi superbo regi] Tradimus igitur ipsis sanctis Apostolis beatis Petro, & Paulo & post hos beato Siluestro, & omnibus successoribus eius, qui vsque ad consummationem mundi ascensuri sunt ad sedem beati Petri ab hoc die palatium imperij nostri Lateranense, quod omnibus mundi palatij præfertur; & supereminet, deindè diadema siuè coronam capitis nostri, simulque, & lorum, necnon, & superhumerale quod imperiale assolet circumdare collum, verum etiam clamidem purpuream, atque tunicam coccineã, imperialia indumenta, seù etiam dignitatem imperialem pręsidentium equitum, conferentes ei etiam imperialia sceptra, simulque cuncta signa, & banda; & reliqua ornamenta imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ. Viris etiam diuersi ordinis Reuerendiss. Clericis sanctæ Romanæ Ecclesiæ seruientibus, illud culmen singularis potentiæ, & præcellentiæ habere sancimus: cuius amplissimus noster Senatus videtur gloria adornari, idest patricios, & consules effici, necnon, & cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari. Et sicut imperialis est decorata militia, ita Clerum sanctæ Romanæ Ecclesiæ adornari decernimus, & quemadmodum imperialis potentia diuersis officijs cubiculariorum, necnon & hostiariorum atque omnium excubitorum, ita & sanctam Romanam Ecclesiam decorari volumus. Et vt amplissimè pontificale decus præfulgeat, decernimus, vt clericis eiusdem Romanæ Ecclesiæ linteaminibus, id est candidissimo colore decoratos equos equitent, & sicut noster senatus calceamentis vtitur; siue scandalijs albo ex linteamine, ita & cælestia sicut terrena ad laudem Dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuimus; & concedimus Beato Siluestro Episcopo Papæ Romanæ Vrbis, & successoribus eius Beatis Episcopis ad honorem, & gloriam Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, & magnæ Apostolicæ Ecclesiæ, vt si quis senator proprio consilio clericare voluerit, & in religiosorum numero clericorum connumerari in magna, & Apostolica Ecclesia, nullus ex omnibus præsumat impedire. Prætereà decernimus, vt ipse religiosissimus pater Siluester magnus Episcopus, & eius successores omnes Episcopi ferant diadema, siuè coronam; quam ex capite nostro ipsi tradidimus ex auro purissimo, & preciosis margaritis, vt ipsi ad ornatum capitis vtantur ad laudem Dei, & honorem sanctorum Apostolorum. Ipse verò Beatus Papa Siluester sub corona, siuè papalithria, quam habebat ad gloriam Dei, & sancti Petri, noluit

luit ferre coronam ex auro, & margaritis, & ideò quia ipse noluit ex auro coronam, nos splendidiss. lorum: quod significat sanctam resurrectionem capiti sancto eius, nostris manibus imposuimus, & tenentes frænum equi ipsius pro reuerentia Beati Petri, stratoris officium illi exhibuimus, statuentes eodem loro, omnes eius successores singulariter vti in processionibus ad imitationem imperij nostri. Vnde vt pontificalis apex non vilescat, sed magis, quàm terreni imperij dignitatis, gloria & potentia decoretur: ecce tam palatium nostrum, vt prædiximus, quàm Romanam Vrbem, & omnes Italiæ, siue occidentalium regionum prouincias, loca, ciuitates, castra Beatissimo Pontifici, & patri nostro, & vniuersali Papæ Siluestro tradidimus, atque reliquimus ipsi, & successoribus eius potestatem. & robur firmum imperialis iussionis. Et per hoc diuinum iussum, & pragmaticum constitutum sanctis Patribus Romanæ Ecclesiæ in perpetuũ decernimus permanenda. Vnde congruum perspeximus nostrum imperium, & regni potestatem ad Orientales transferri regiones, & in Byzantię Prouinciæ optimo loco nomini nostro ciuitatem ædificari, & nostrum illic imperium constitui, quoniam vbi principatus Sacerdotum, & Christianæ religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum est, iustum non est vt illic Imperetor terrenus habeat potestatem: Hujus verò imperialis decreti paginam proprijs manibus roborantes, super venerandas reliquias sancti Apostoli, & Principis Petri posuimus, & ibi iurauimus hæc omnia inconcussa seruare; & successores nostros Imperatores in archiuijs nostris hæc custodire, tradidimus, patri nostro sancto, & vniuersali Episcopo, & Papæ, & per eum omnibus successoribus eius Episcopis, Domino, & Saluatore nostro Iesu Christo annuente, iubemus omnia, quæ supra scripta sunt firmiter in secula obseruari.

SECTIO IV.

Vides quo pacto inuictus Imperator, magnus dico Constantinus is fuit, qui largitus est: quæ nunc ab Ecclesia possidentur; quodque neque per vim accepit, neque alicuius extorsit; & quod cuncta ad honorem, & gloriam Cœlestis Regis terrenus consecrauit? quodque omni reuerentia, & pietate, adhibita liberalissimè Ecclesiæ donauit? ea accepit Siluester duas potissimum ob causas; vnam quidem propter fidei feruorem, & Imperatoris propositum, ne eius animi pietatem scandalizaret si munus reiecisset: alteram, vt Ecclesiæ reuerentiam apud omnes excitaret, quæ egestate pręmebatur, & persecutionem patiebatur, & contemnebatur ab impijs tyrannis, & Imperatoribus, qui Constantinum præcesserant, ad hæc vt terrena potestate frueretur, quoniam complures habebat aduersarios, & tunc, & in præsentia habet, spirituales, & mundanos, qui mentem habet intelligat. Nam in egestate constituta, denuò fuisset exagitata, vt sub Constantino euenit; & fæuior consecuta esset persecutio, quam tunc sub quibusdam, qui palàm quidem Christianismum profitebantur; clam verò Græcam religionem amplectebantur: negantes penitus Christi in carne præsentiam, sæpiusque tentantes eam imminuere, & ad nihilum redigere. Tertiam quoque responsionem meritò adiungemus: quòd primi admirabiles Summi Pontifices multò ante prouiderunt; & omnium primus beatus Siluester, scilicet quòd in extremis diebus apud homines fides imminuenda foret; nec eundem feruorem, & reuerentiam habitura, quam iam inde à principio obtinebat inops, & egens Christi Ecclesia; quodque habentes præualituri forent, non habentes autem pro nihilo futuros propterea decreuerunt, vt aliquid haberet ad sumptus faciendos Ecclesia, ne ab vllo contemneretur. Quicumque enim Romanam Ecclesiam conspexerint, vt ipse conspexi; qualemque reuerentiam terræ Reges, & Princeps eo se conferentes ipsi exibent, ij profectò mecum testabuntur me vera dicere; nam si inops esset, in nullo prorsùs honore haberetur apud eos, qui inani gloria tantùm permouentur, & per vim coli volunt. Quid ergo? ideò non est Ecclesia, & hac de causa nõ debemus obedientiam, & honorem ei præstare, quod opulenta est, & & potestatem magnam habet? absit tanta absurditas. Nam, & Christummet insimulabimus, qui mendicus natus est, & mendicitatẽ exercuit, & inopiam prædicauit. Posteà, docuit se esse terræ Regem sempiternum. Et rursus Matth. 28. [Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra.] Et iterum, Matth. 13. [Quando veniet filius hominis in potestate sua.] Num dices hæc vera non esse? minimè profectò, minimè. Itaque Ecclesiæ contigit, vt sponso eius Christo, scilicet inopem esse genitam ex infructuosa Iudæorum synagoga; paulatim verò effectam diuitem ex aqua videlicet, & spiritu; nunc autem opulentam, magnamque potentiam consecutam. Ad secundùm quod Summi Pontifices in præsentia, Petri vitam non viuunt, respondendum, quamquam asperum alicui dictu videbitur; si præsidem, fratres, Romanę Sedis incusatis; cur non, & incusatis orientis Pontifices; qui veterum Pontificum, & Apostolorum vitam non viuunt? Hoc est Alexandrinum, qui non viuit sicuti Marcus; Antiochenum, sicut Ignatius cognomine Deifer; Hierosolymitanum sicut Iacobus, qui fuit Domini frater; Constantinopolitanum sicut Andreas Protocletus; sed Romanum tantùm reprehendere vultis. Quanam id de causa? quia Latinus, & barbam radit, atque quarta feria, & Parasceue oleum, ac pisces comedit. Hæc igitur sunt quæ carpere scitis, auaritiam, ebrietatem, inscitiam nescitis carpere. Si peccatores, vt vos arbitramini, sunt Romani Pontifices, quid ad vos? non nostro est disquirere, & damnare nostros Principes. Propheta apertè clamante: [Principi populi tui non maledices.] Sed nec insurgere aduersus pastorem ouibus licet, audimus enim dicentem Dominum: [Super cathedram Moysis sederunt scribæ, & Pharisæi: omnia quęcumque dixerint vobis facere, facite; secundùm verò opera eorum nolite facere.] Quoniam poterant, & illi Domino respondere; non tenemur Pontificibus obedire, quamuis in Moysis cathedra sedeant, quia sunt peccatores.

res. At id non dixerunt, ſciebant enim quod in cathedra Moyſis ſedeant, oſtendit eos poteſtatem Moyſis habere, quamquam eſſent peccatores, & Moyſis vitam non viuerent; quod Prophetæ, & ſancti non erant ſicuti Moyſes, ita & hi beati Petri Sedem regunt, poteſtatemque illius habent; ac veluti principatum gerentes, & domini iubent, nos verò ſubijcimur. Sin autem vitam Petri non viunnt, in villicationis die, rationem verbo reddent: at nos pro illis non reddemus, quod enim eis nos debemus, agimus, & obedientiã pro virili exhibemus. Beatum Gregorium audite dicentem orat. 7. [Oues paſtores nolite paſcere, neque vltra fines veſtros inſurgere: ſatis eſt vobis ſi benè paſcamini.]

SECTIO V.

SEd vt penitus os vobis obſtruam, oſtendere vobis ex teſtimonio ſanctorum Doctorum Eccleſiæ incipiamus, quòd Romana Eccleſia alias antecellat, & Monarchiam obtinet, tamquam inter cæteras potior, atque excelſior. Inquit Anacletus: [Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino, & Saluatore noſtro Primatum obtinuit, ſicut Beato Petro Apoſtolo dixit: [Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam;] quam Beatiſſimi Apoſtoli Petrus, & Paulus ſuo martyrio conſecrarunt.] Diuus Marcellus ita ſcribit: [Rogamus vos vt non aliud doceatis, & ſentiatis, quàm quod à Beato Petro, & reliquis Apoſtolis, & Patribus accepiſtis. Ipſe enim eſt caput totius Eccleſiæ: cui ait Dominus, [tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam;] eius enim ſedes primitus apud vos fuit, quæ poſteà iubente Domino Romam tranſlata eſt: cui adminiculante gratia diuina hodierna præſidemus die.] Item Leo Papa ait: [Cùm Beatiſſimus Petrus Apoſtolus à Domino acceperit principatum, & Romana Eccleſia in eius remaneat inſtitutis; nefas eſt credere, quòd Sanctus Epiſcopus diſcipulus illius Marcus, qui Alexandrinam primus gubernauit Eccleſiam, alijs regulis, & traditionibus ſua decreta firmauerit: cùm ſine dubio de eodem fonte gratiæ vnus ſpiritus diſcipuli fuerit, & Magiſtri: nec aliud ordinatus tradere potius, quàm quod ab ordinatore ſuſcepit. Præterea hoc decreto Conſtantini confirmatur, quod in Canonicis conſtitutionibus legitur, in quo præter alia multa, & hoc habetur: [Decernentes ſancimus, vt ſacroſancta Romana Eccleſia principatum teneat tam ſuper quatuor ſedes Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanã, Conſtantinopolitanam, quàm etiam ſuper omnes in vniuerſo orbe terrarum Eccleſias Dei: ex quo colligere poſſumus cum Romanam Eccleſiam veluti principem omnibus preponere, cui non ſolùm Antiochiæ Eccleſia, verum etiam Conſtantinopolitana, & reliquæ commendantur. Gregorius dialogus ita dicit: [Conſtantinopolitana Eccleſia Sedi Apoſtolicæ ſubiecta eſt.] Item ex Synodo Conſtantinopolit. [Conſtantinopolitanæ, inquit, ciuitatis Epiſcopum habere oportet primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum. Ad hæc Anacletus dicit: [Romana Sedes primatu, Dei gratia exornatur, quæ à Domino, non ab alio eum cepit, & ſicut cardine oſtium regitur, ſic huius Apoſtolicæ ſanctæ Sedis auctoritate omnes Eccleſiæ Domino diſponente reguntur.] Item Calliſtus dicit: [Non decet à capite membra diſcedere, ſed iuxta Scripturæ teſtimonium, omnia membra, caput ſequantur, nulli verò dubium eſt, quòd Apoſtolica Sedes mater ſit omnium Eccleſiarum, à cuius regulis nullatenus nos conuenit deuiare.] Item Gregorius diſt. 19. & Nulli apertè dicit; [Nulli fas eſt vel velle, vel poſſe tranſgredi Apoſtolicæ Sedis præcepta, nec noſtræ diſpoſitionis miniſterium. Sit ergo ruina ſuæ dolore proſtratus, quiſquis Apoſtolicis voluerit contraire decretis; nec totum deinceps inter Sacerdotes habeat, ſed exors fiat à ſancto myſterio.] Item Cyprianus ſanctiſſimus dicit: [Quicumque Petri Cathedram, in qua Eccleſia fundatur, dereliquerit, in ea vlterius eſſe non audeat.] Item Nicolaus Summus Pontifex ita ſcribit: [Romanam Eccleſiam ſolus Chriſtus fundauit, & ſupra petram fidei mox naſcentis erexit; qui beato Petro æternæ vitę Claugero, terreni ſimul, & cœleſtis imperij iura commiſit.] Non ergo quælibet terrena ſapientia, ſed illud Verbum, quo conſtitutum eſt cœlum, & terra, per quod denique omnia condita ſunt elementa, Romanam fundauit Eccleſiam. Illius certè priuilegio fungitur, cuius auctoritate fulcitur: vnde non dubium eſt, quia quiſquis cuilibet Eccleſiæ ius ſuum detrahit, iniuſtitiam facit: qui autem Romanæ Eccleſiæ priuilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum, auferre conatur, hic procul dubio in hæreſim labitur: & cùm ille vocetur iniuſtus, hic eſt dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui aduerſus eam agit, quæ eſt mater fidei. Item Pelagius addit: turpiſſimum eſſe ſchiſma, quodque homines eodem modo ab alienigenis poteſtatibus conterentur, & canonicæ ſcripturæ auctoritas, & antiquorum canonum veritas docet. Qui igitur ab Eccleſiaſtica Sede ſcinditur, in ſchiſmate ipſum eſſe nemo ambigit; quodque aduersùs Romanam, & Oecumenicã Eccleſiam conatur menſam erigere, & vt ſchiſmaticum eſt Romanam Eccleſiam pro capite non habere, ſic & hæreticum iura eius auferre. Apertum eſt enim, quod quicumque ab vnitate fidei, vel ſocietate Petri Apoſtoli quodlibet modo ſemetipſos ſeparauerint, tales nec vinculis peccatorum abſolui, nec iamiam poſſunt Regni Cœleſtis ingredi. Et hæc quidem Occidentales Patres Doctores ſine tergiuerſatione ſic vti vides, & apertè prounnciant. Secundum hos, horientales Doctores in teſtes adducemus; eoſque inter ſe conſentire maniſeſtiſſimè comprobabimus.

SECTIO VI.

ET primus Damaſci præclarum lumen accedat, hic enim in oratione in Domini transfigurationem à ſe conſcripta, cuius principium eſt: [Eia feſtum diem celebramus, ò Deo cara ſocietas; poſt alia multa ſic de propoſita quæſtione diſſerit. Vt homo quidem

inter-

interrogationem proponit: vt verò Deus latenter ostendit, qui proximè secuturus est, quem sua præcognitione prædestinauit dignum Ecclesiæ præsidem, hunc tamquam Deus inspirat, & per eum loquitur. Qualis autem est interrogatio? quem me dicitis esse? at Petrus ardenti incensus zelo, & sancto actus Spiritu; respondit: [Tu es Christus filius Dei viui.] O beatum os, ò labia felicissima. Et paulò post: Hæc est fides recta, & inconcussa super quam, vt super petram Ecclesia est firmata, ex qua dignè cognomen accepisti, hanc portæ inferi hæreticorum ora dæmonum machinamenta incursionibus vexabunt, at non præualebunt: armis oppugnabunt, at non vastabunt, tela infantium sunt, & erunt eorum vulnera, languescent illorum linguæ, & in ipsos conuertentur, sibi ipsi perniciem struit, qui se opponit veritati, hanc ipse suo redemit sanguine; tibi verò vt fidissimo seruo in manus tradit, hanc inconcussam, & mergi nesciam tuis precibus serua; quia numquam subuertetur, numquam vastabitur; secura fiducia Christus dixit à quo Cęlum firmatum est, terra fundata, & manet inconcussa; nam verbo Cęli firmati sunt. Et paulò post Christum deprecare, qui te Regni clauigerum prædicauit, qui peccata ligare, & soluere est elargitus, & post alia quædam rursùs dicit, sed cur Petrum, Ioannem, & Iacobum assumpsit? Petrum, vt verè ostenderet testimonium à Patre testificatum, verbaque à se dicta comprobaret, quemadmodum Pater cęlestis ei reuelauit; & vt eum, qui princeps futurus erat, & totius Ecclesiæ clauum suscepturus. Animaduertis quod Petri, vt præsidi, & totius Ecclesiæ principatum obtinenti clauum tradidit? profectò surdo aspidi, & aures obstruenti sunt similes; qui neque audire volunt, nec videre. Nimirùm inquiunt, at Petro tantùm hoc datum est, sed non eius successoribus, hoc vt à fatuis prolatum verbum, omnisque sensus expertibus, silentio præterire oportebat; quoniam nulla planè indiget responsione. Sed in gratiam eorum, qui volunt eos strenuè propellere, id ipsum vt omnis inscitiæ refertum refellamus; alioquin si id concesserimus, Catholicam Fidem subuertemus, & Christum falsum prædicasse dicemus, & alia infinita absurda indè sequentur: si Christi fides vsque ad Petrum, & cæteros Apostolos perdurauit; postea verò non; si Petro tantùm, & Apostolis tradita est, at non eius successoribus. O stultitiam nimis apertam, ò mentem peruersam; quomodo Synodi sunt constitutæ in Ecclesię subsidium? quomodo Canones Synodales instituti sunt, si potestatem non habuerunt? quomodo Magnus Constantinus obedientiam Siluestro exhibuit in omnibus tamquam Petro? vt antea ex eius decreto scriptum est: quomodo Romanorum Imperator Alexandro Papæ inclinata ceruice collum eius pedi submisit, cùm diceret: [Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem;] at ille respondit: [Non tibi, sed Petro obedientiam exhibeo.] Et Pontifex, [& mihi, & Petro.] Quomodo igitur non erubesciris hęc pronunciando? quomodo Hęretici à Summo Pontifice fuissent expulsi, à sacrisque Concilijs, si vsque ad Apostolos Ecclesia valuisset; postea verò non? quomodo hæc non dixerunt, qui per temporum vices hostes, & inimici Ecclesiæ Dei extiterunt, Hæretici nimirum: illi enim ab œcumenica Ecclesia pulsi, & exagitati, hoc dicere non audebant; vos verò hæc asserentes illorum defensionem suscipere videmini. Oportet igitur Arium, Macedonium, Nestorium, Dioscorum, Seuerum, cæterosque impij illius cœtus hæreticos refugere, gratiasque vobis reddere, & obnoxios esse, quia quod illis ne in mentem vnquam venit, vos eorum suscepta defensione assertis. Sed quod multæ, & infinitæ absurditates hinc orientur, & cæcis est manifestum, ideòque satis de his.

SECTIO VII.

Afferemus etiam alia testimonia, & sententias sanctorum Doctorum Ecclesiæ, apertè comprobantium propositam à nobis quæstionem, quod Pontifex Romanus totius Ecclesiæ caput est, & magister, & ipsi tantum datum est iudicare, & de fide inquirere, & ordinare totum Orbem terrarum, atque Hæreticos sedibus pellere, & orthodoxos restituere. Ac primum vobis sententiam latam contra sacrum Chrysostomum in hoc testem adducemus: qua iniustè damnatus est ab ijs, qui Constantinopolitanas res gerebant, & exilio mulctatus: cuius rei Innocentius Papa certior factus, Imperatorem cum vxore, cæterisque Sacerdotibus, & Pastoribus excommunicationi subiecit; ea cōditione nisi Chrysostomum in suam sedem reuocaret; nam de Chrysostomo lata sententia, & in gratiam Eudoxiæ damnato in Cucussum Armeniæ oppidum, acerbo exilio ablegarunt, quam rem is ad Innocentium sanctissimum Romanum Pontificem detulit; non enim habebant aliò quò confugerent Orientales Pontifices, nisi ad Romanum Pontificem, cum iniurijs afficerentur: dictum Domini ad Petrum in memoriam reuocantes: [Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Quam ob rem Diuus Innocentius sacra Ioannis acceptis literis, Constantinopolim scribit, vt Ioannem in suam sedem restituant; quibus dicto non parentibus, ac Ioanne vita functo, iterum ad Arcadium & Eudoxiam Imperatores literas scribit huius exempli.

Epistola Innocentij Papæ.

Vox sanguinis Ioannis fratris mei ad Deum clamat aduersum te ò Imperator, vt olim iusti Abel, contra fratricidam Cain, sed omni ratione vindicabitur, neque id commisisti tantùm, verùm etiam pacis tempore persecutionem magnam, in Ecclesiam Dei, & Sanctos eius instituisti, magnum terræ Doctorem è sua sede idemnatum pellendo: Christum etiam vnà cum eo insectatus, neque verò vicem eius doleo, quia is hæreditatem accepit cum sanctis Apostolis in Dei Salnatoris nostri Iesu Christi regno; quanquam non ferenda est ea iactura: Sed animo angor, primùm reputans salutem animarum vestrarum, posteà ob eos, qui illo destituuntur; & esuriunt

riunt suæ sapientissimæ doctrinæ præceptis, ac monitis imbui, neque solum Constantinopolitana ciuitas detrimentum sensit eius mellifluæ linguæ, sed & omnis occidentalis plaga est viduata, eo amisso diuino viro; vnius mulierculæ suasu, quæ hanc voluit excitari tragœdiam. Veruntamen huius mundi vltionem ea non effugiet; & æternam posteà paucis diebus interiectis sentiet, decedendo. quamuis enim beatus Ioannes hanc vitam reliquerit fidem tuendo, & fluctuantes confirmando, in sempiterna tamen secula inexhaustam gloriam, atque immortalem est consecutus. At hæc noua Dalida Eudoxia sensim erroris nouacula te abradens, aduersùs semet maledictionem comparauit ex ore multorum, vinciendo onus peccatorum graue, atque intollerandum; hoc præterea adiuncto proximè perpretatis facinoribus. Ideo ego peccator, & minimus, vt cui Sedes est credita magni Petri Apostoli interdico tibi, & illi participatione intemeratorum mysteriorum Christi Dei nostri. Prætereà qualemcumque Episcopum, vel Clericum in ordinibus constitutum sanctæ Dei Ecclesiæ, qui ausus fuerit auxilium præbere, & communicare vobiscum, ex quo tempore legeritis præsens vinculum, deponi iubeo. Quod si vos vt potestatem habentes, alicui vim inferetis, & transgressi fueritis canones vobis traditos à Saluatore per sanctos Apostolos: Scitote quod non ad paruum vobis, imputabitur peccatum in tremenda die iudicij, quando non poterit vlla dignitas mundana prodesse, & quæ latent in omnium conspectum, auspicienda fundentur. Arsacium verò, quem vos in Sedem Episcopalem pro magno Ioanne induxistis, post mortem etiam deponimus cum omnibus eiusdem sectæ Episcopis, atque socijs. Indignus enim est tamquam adulter Episcopatus: nam omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus Cælestis, eradicabitur, nec nomen illius in sacris voluminibus inscribatur. Theophili depositioni addimus excommunicationem, anathematizationem, & plenam à Christianismo separationem. Animaduertis ex hoc loco auctoritatem illius diuinæ sedis? quod non solùm viuentem deposuit Arsacium, verùm etiam defunctum. Arsacium dicit, quem in sedem Ioannis induxistis, & defunctum deponimus, quod idem est, ac si dixisset, nolumus eum Pontificum in libro inscribi in futuro iudicio; nam in eo facilè iubemus Ioannem aureum Constantinopolitanum Pontificem esse nunc, & in futurum; Arsacium nullo pacto. At Theophili Alexandrini depositione (eo quod in Synodo Thessalonicæ coacta, in Eudoxiæ gratiam curauit vt damnaretur, & in exilium pelleretur Chrysostomus) non fuit contentus diuinus hic Summus Pontifex, quamquam Synodalis erat ea depositio, coramque Legatis; adiecit excommunicationem (ò malum) & pœnam à Christianismo separationem: ò rem admirabilem: eum qui semel baptizatus est in nomine sanctæ Trinitatis, & in Christianorum albo inscriptus, hic de libro delet, & exuit Christianismo. Hoc liquido ostendit potestatem, quam habet ea diuina sedes. Si ergo, vt vos creditis Petro tantùm tradita est, non eius successoribus, quonàm pacto Theophilus, Arsacius, Arcadius, Eudoxia, & cæteri à Romano Pontifice depositi, & damnati non responderunt; tuas reprehensiones non æstimamus; quod Petro tantùm non tibi datum est id, at id quidem non potuerunt, nec dicere ausi sunt; immò veniam erratorum ab eo petierunt. Sed hoc planè sufficit, vt arbitror ad comprobandum Petri, & reliquorum Apostolorum successores eamdem potestatem obtinere, neque minorem horum successores.

SECTIO VIII.

NVnc ad alias probationes, & indubitata testimonia accedemus, quod is, & non alius caput est plenitudinis Ecclesiæ ex epist. Imperatoris ad Epiphanium Constantinopolis Patriarcham in sancta Synodo Truli ab ipso coacta, cuius principium, Imperator Iustinianus Augustus. [Cum recta, & inculpata religio, quam profitetur, & prædicat sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia nullo modo innouationē admittat, nos doctrinam sanctorum Apostolorum, & eorum, qui post illos in sanctis Dei Ecclesijs versati sunt, sequentes, æquum esse existimauimus notam, & testatam omnibus spem, quæ in nobis est relinquere, & cætera eiusdem epistolæ, in qua apertè perspicitur fides, & confessio ipsius erga Catholicā Ecclesiā.] Postea in sequenti alia epistola, cuius principium, Idem Imperator Epiphanio sanctissimo, & beatissimo Archiepiscopo huius Regiæ Vrbis, & Oecumenico Patriarchæ hæc scribit: [Cū tuam sanctitatem scire velimus, omnia, quæ ad Ecclesiasticum statum pertinent, necessarium esse duximùs hac epistola eidem significare; & per eam eidem aperire, quæ innouata sunt, quæ, & eandem scire confidimus.] Nam cum hic quosdam alienos à sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia inuenerimus, sectantes errorem impiorum Nestorij, & Eutychetis, & eorum blaspemijs vti, diuinum promulgauimus edictum, quod, & tua sanctitas nouit, quo hæreticorum insaniam confutauimus, cùm nihil penitus immutauerimus, vel mutemus, vel trangrediamur Ecclesiastici status, qui hucusque Deo fauente perdurat, vt tuæ notum est beatitudini: sed per omnia seruamus statum vnionis sanctissimarum Ecclesiarum, quæ cum sanctissimo Papa, & Patriarcha veteris Romæ transacta est; ad quem his consentanea conscripsimus, numquam enim feremus, quin omnia ad statum Ecclesiasticum pertinentia, ad illius beatitudinem, vti ad caput sanctissimorum Dei Sacerdotum deferantur. Et quia quoties in his partibus hæretici exorti sunt, sententia, & iudicio illius venerandæ Sedis, sunt repressi; licet, & nobis dicere sic, & concludere, quod omnes, qui volunt, & habent ipsum pro capite sancti sunt, & veri Dei Sacerdotes, & serui fideles; qui verò nolunt neque habent eum pro capite, non sunt Dei Sacerdotes. Ita enim sacra illa Synodus decreuit, cùm dicit, [vt capiti omnium sanctissimorum Sacerdotum Dei.] Quod verò iudicium omne Ecclesiæ Dei in eo situm sit, audi, quòd quoties in his partibus orientabalibus scilicet, hæretici exorti sunt, iudicio, & sententia eius

eius sunt repressi. Quare, qui eum non sequutur, schismatici sunt, & in hæresim delabuntur. Ideo cuncta quæ agunt adulterina sunt, & inutilia. Huius rei testis est S. Synodus Carthaginensis in epistola, quam sancta Synodus Carthaginensis, & magnus Cyprianus ad Iouianum dedit, cuius est principium: [Cùm in vnum conuenissemus dilecti fratres, inquit, cùm sit vnum baptisma, vnus Spiritus sanctus, vna Ecclesia, vniune fundata super Petrum Apostolum iam inde à principio, vt Christus Dominus noster dixit; propterea omnia, quæ ab ipsis scilicet schismaticis, & hæreticis arguntur. falsa, stulta, inania, & adulterina sunt.] Audis quod adulterina, & inania vocat, quæ præter iussionem eius sunt gesta? sic cum ab omni parte fides exagitaretur, inde præsidium parabatur. Anastasius sancti Maximi discipulus inquit: [Cùm fides concordissimè ab omnibus exagitaretur, nisi speciali gratia opem tulerit, qui semper succurrit, semine religionis apud veterem Romam nobis relicto, ad confirmandam promissionem mentiri nesciam, quæ facta est Principi Apostolorum.] Quænam est promissio, quæ facta est Principi si nosti, illud est: [ego oraui pro te, vt non deficiat fides tua, & illud, confirma fratres tuos, & illud; portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Ex disputatione sancti Maximi cum Theodosio quodã Cæsareæ Episcopo. Theodosius. Excipe vocem, neque scruteris illius sensum. [Maximus nouas profectò, & ab Ecclesia alienas de vocibus inducitis leges, si secundum vos non opus est scripturarum, & patrum voces scrutari; totam scripturam, abijcimus veterem, & nouam.] Audiui enim Dauid Psal. 118. dicentem: [Beati qui scrutantur testimonia eius; in toto corde exquirent eum,] & iterùm Psal. 129. [mirabilia testimonia tua; ideò scrutata est ea anima mea.] & Dominus in Euangelijs Ioan. 5. [Scrutamini inquit, scripturas. Certior ergo fiat Dominus meus, quia non feram excipere vocem sine sensu, qui in ea latet, ne fiam manifestè Iudæus. Theodosius: [Si quid dixerint patres dico, & id scriptura facio, duas naturas, duas voluntates, duas operationes: ingredere nobiscum adiungere, & vnio fiet.] Maximus: [Domine non audeo hac de re à vobis capere assensionem, cùm sim simplex monachus. Sed quoniam pupugit vos Deus, exciperetis sanctorũ Patrum voces, vt Canon docet, Romam de hac re scribite, vel Imperator, vel Patriarcha, vel Synodus, quæ ibi est.] Et post alia; neque vitabit Imperator, vel Patriarcha imitari Dei humilitatem, inter seseque concorditer constituere, synodali petitione ad Romanum Pontificem transmissa, omninò si reperiatur ratio Ecclesiastica, quæ id concedat ob rectam fidei confesionem, conuenite super hoc inter vos.

SECTIO IX.

Vides tu non vis Petri successores eandem cum Petro potestatem habere, quomodo non alius ex Patriarchis potest de fide disquirere, & ordinare tantùm nisi Romanus Papa? quod pacto hæc audetis dicere, impudéter blasphemare? Nam hęc vobis solùm audire exhorresco, ne dum asserere scilicet, quod Christi fides vsque ad Petrum permansit. Post Petrum, & vsque ad hanc diem non permansit. Vos verò qua ratione id dicatis, quod totum est blasphemia, mirum est; quoniam si hoc concesserimus, tota fides dilabitur, & perit. O tuam patientiam Christe Rex; quomodo tuam fidem, & Ecclesiam tuam permisisti Petro tantùm, at non eius successoribus? Quomodo hucusque administrata est; quomodo sumus beptizati, quomodo Synodi constitutæ, quomodo hæretici eiecti, quomodo Ecclesia illustrata est, capite sublato? Quomodo Ecclesia hucusque perdurasset, (dicam fortasse audacius) nisi omninò caput habuisset, & potestatem, & vnum Pastorem, & Regem secundùm Euangelicam vocem: Ioan. 16. [vnum ouile eius, & vnus Pastor. multis capitibus res non eget, vbi Pastores vni non subijciuntur, destruunt magis, quàm construunt: & subuertunt propè potius, quàm dirigunt.] Quomodo Saluator ait; Math. 28. [Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad seculi consumationem.] Non enim vsque ad seculi consumationem in hac vita Petrus mansurus erat. Quare per hoc verbũ manere, hic in præsenti seculo declaratur Christum manere vnà cum successoribus Petri, cæterisque Apostolis. Legite, & scitote, & attentè audite, quod qui hoc dicunt, Catholicam fidem, & Oecumenicas Synodos euertunt, omniaque, quæ sancti tradiderunt, & docuerunt, inania, & stulta efficiunt. Legite acta synodalia, & percipite ex ijs Ecclesiæ caput, ac Petri monarchiam; quoniam, in eius successoribus manet. An nescitis Ephesinam Synodum latronis more à Dioscoro Patriarcha Alexandrino conuocatam, & à Iuuenali Hierosolymitano, & ab alijs eiusdem sectæ Episcopis, contra veram fidem Flauiani Constantinopolitani Patriarchæ, sanctissimum Leonem Papam illum diuinum solum eam disijcisse, & anathemati supposuisse? epistolamque misisse ad Chalcedonen. S. Synodum perferendam; qua accepta illam S. Synodum orthodoxæ fidei columnam eam vocasse? & secundùm eam de proposita quæstione iudicasse, Episcoposque acclamasse, æterna Leonis memoria, vt Leo credit, ita nos credimus: vt Leo docet, ita nos prædicamus. Ac dum Synodus celebraretur Eutychianistas monachos à Marciano Imperatore petijsse, vt Synodus disijceretur, & symbolum Nicænum sufficeret: nihilque prætereà quæreretur; ab eisque sanctam Synodum postulasse, vt epistolæ sanctissimi Leonis subscriberent, ac non obtemperantes, vt hæreticos condemnasse? Vides, & audis quod Oecumenica sancta Synodus sexcentorum triginta patrum, nil egit aliud, quàm quod sanctissimus Leo Papa docuit solus? Quodque hæretici disijcere Synodum conati, synodus postolauit, vt vel Leonis epistolæ subscriberent, vel anathemate ferirentur: cui non parentes anathematizati sunt. quomodo igitur vsque ad Petrum mansit? postea non. Nam Leo quingentos propè annos à Petro vixit. Quomodo Athanasius ad Iulium, Chrysostomus ad Innocentium, Ignatius III. ad Nicolaum, Theodoretus ad Leonem, Maximus ad Mar-

Martinum,& cæteris, orientis Sacerdotes eiecti, ac suis sedibus pulsi, vel ipsi venientes confugerut, vel literas dantes significauerũt; vnde literis acceptis suas sedes receperunt; nisi ij Summum Pontificem, ac Petri successorem agnouissent; vt qui poterat eis esse præsidio? quomodo Reges, & Principes inspectis Papæ litelis tacuissent, ac illis permisissent suas recipere sedes, quibus expulsi sunt, si Petri tantùm potestas fuisset, non eius successorum? Satis igitur, vt arbitror, ostensum est, quod non solùm ad Petrum tantùm, verum etiam ad eius successores eadem potestas extenditur, vsque ad huius seculi consumationem.

SECTIO X.

Ostendetur prætereà quod sine illius assensu, non potest Oecumenica Synodus, vel omninò vocari Synodus, vel auctoritatem habere; quod in multis quidem alijs licet intueri, vt in præcedentibus exposuimus, & in sequentibus exponemus: præcipuè verò in vita sancti Stephani iunioris, de quo Metaphrastes diligenter scribit vigesima tertia die Nouembris, vbi Diuus Stephanus ab hæreticis accusatus, quod eorum se non subijceret Synodo, quam antea condiderunt contra venerandas, & sanctas Imagines, cùm eum subscribere decreto cogerent ab ipsis promulgato: legite mihi, inquit, vestrum decretum, cœperuntque dicere, decretum sanctæ, & Oecumenicæ sextæ Synodi: ne progrediaris vlterius, sacer Stephanus magna voce clamauit: Quomodo sanctam vocare audetis vestram Synodum, quæ sancta prophanauit? Ipsa enim in suis actis constituit non vocare Apostolos, & martyres Sanctos. Sed quo pergis? ad Ædem Apostolorum, ad templum Diui Georgij martyris; vnde venis? ab æde quadraginta martyrum. Proptereà dicit diuinus vir, quomodo vestram Synagogam sanctam vocare audetis, cùm ea sancta violarit: neque vult Sanctos vocare Sanctos? ò magnam inscitiam. Apostolos Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi non vultis vocare sanctos, & vestrum satellitium aduersùs Ecclesiam coactum vocatis sanctum; quo pacto Oecumenica appellabitur vnquam, in qua Romanus Præses non præfuit? sine cuius assensu non possumus res ecclesiasticas ordinare. Intelligis Oecumenicam Synodum non posse vocari, nisi Romanus Pontifex eam constituat: ac sine eo impossibile esse res Ecclesiasticas ordinari? quomodo ergo vos hæc non percipitis? quoniam peritos videre, atque audire non vultis. Et ideò quia semel cor vestrum falsa credulitate imbutum est, non potestis audire veritatem, vel cernere. Maximus prætereà ab hæreticis exagitatus veterem Romam se contulit, vbi Martinum sanctissimum Papam nactus est, quem die decima tertia Martij, & nostra Ecclesia pro sancto colit: quanam de causa? quia illum Ecclesiæ Caput esse agnoscebat, eò confugit, ex eo loco epistolam conscribit ad Marinum Cypri presbyterum, cuius principium, diuina lege secundùm Deum locupletatus Pater venerande; subdit paulò post, ex synodalibus actis Martini sanctissimi Papæ nostri, de quo numquam scripsisset, vt de sanctissimo Papa, nisi Dominum totius Ecclesiæ cognouisset, eaque de causa rogauit, vt synodum suorum Episcoporum cogeret, & impij dogmatis auctores anathematizaret, qui vnam tantùm voluntatem in Christo esse conuiciabantur; hoc in Synaxario apud sanctum Maximum scriptum est, legat quilibet die decimatertia Augusti. Si ergo vt vos arbitramini, is non est, qui possit ordinare, inquirere, confirmare, dirigere, administrare Ecclesiam Dei, vt gubernator dirigit nauim quomodo hæc gesta sunt? & alia multa his similia, quæ propter sermonis prolixitatem omittimus; nam si de ijs voluerimus dicere, in illis exponendis tempus nobis deerit. Quomodo cùm ipsos excommunicationi subiecisset, qui ab eo anathematizati sunt, non contradixerunt, quamquam essent Episcopi, Patriarchæ, Archiepiscopi; sed tanquam patri obtemperantes paruerunt? nunc verò & qui neque ante pedes posita cernunt, contradicunt: quos ego Ecclesiæ aduersarios, hostes & inimicos esse iudico, & conspiratores aduersùs Apostolicos, & synodales Canones, qui rectè docuerunt nos Ecclesiæ subijci oportere. Nam statim à principio 133. Iustiniani nouella: Sancimus, inquit, secundùm Sanctorum decreta sanctissimum veteris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum. Constantinopolitanum verò secundùm locum obtinere post Apostolicam Sedem. Prætereà quintus Canon Sardicensis Synodi eodem modo eadem scribit: etiam Anastasius sancti Maximi discipulus, post historiam sancti Maximi, post quædam alia, inquit: Ad hæc & Martini Papæ sanctissimi & Capitis Apostolici, & martyris totius Ecclesiæ Occidentalis Principis. Item magnus Gregorius Theologus in Epitaphio in magnum Basilium, inquit, quod eius ætatis Papa duos Episcopos misit Luciferum,& Eusebium ad Ecclesiam Cæsareæ Cappadociæ pacificandam; quomodo in Orientem misisset ad Ecclesias componendas nisi Princeps, & Gubernator fuisset totius Orbis terrarum? Prætereà Anatolius Constantinopolitanus Patriarcha à Dioscoro hæretico est electus. Sanctissimus verò Leo Papa in epistola ad Marcianum Imperatorem post alia multa ait: Electionem Anatolij Patriarchæ nulla habita quæstione omisimus, eò quod orthodoxæ fidei se adiunxit. Ecce ex hoc deprehenditur, quod si Anatolius Dioscori hæresim sequutus esset, ab eo vtique fuisset iudicatus: nec valetis contradicere: nam is erat Constantinopolitanus Patriarcha,& si huius Iudex, ergo & cæterorum, Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani; itaque omnium Iudex: Agapetus Papa prætereà ipsemet Constantinopolim est profectus, vbi Anthimum Trapezuntium, qui erat Constantinopolitanus Patriarcha, sed hæreticus, sede deiecit, in locumque eius sanctissimum Menam suffecit. Vnde hoc? nisi quod in omnes obtinet imperium,& quia iam inde ab initio id Apostolo Petro à Deo tributum est, & successoribus eius. Proculus prætereà de Romani Pontificis assensu in Sedem Patriarchalem euectus est, secundùm Zonaram. Ecce ostensum est Romanum Pontificem de Anthimo Constantinopolitano iudi-

dicasse: Leo sanctissimus Dioscorum Alexandrinum, & Iuuenalem Hierosolymitanum condemnauit, & vt de hæreticis iudicium tulit. Felix sanctissimus, Petrum Antiochenum deposuit, & anathemati subiecit. Quamobrem cùm Romanus, sit Summus Pontifex in omnes Patriarchales Sedes obtinet Principatum: quomodo ergo tunc, nunc verò non? nemo dicere hoc audebit. Sed tunc, & nunc, & vsque ad seculi consummationem habebit imperium. Et vt planè intelligatis nos vera dicere, & quam habeat potestatem ea diuina Sedes, ad verbum Felicis epistolam adiungemus, quæ sic habet.

SECTIO XI.

Gloriosissimo, & serenissimo filio Zenoni Augusto Fœlix Episcopus in Domino salutem.

TVæ humanitati ea significari oportet, quæ rerum ordo postulat, quod & significari par est in vtilitatem serenitatis imperij tui, ac veluti adessem rogo, vt meas preces admittas apud amicas, & rectas aures tuas, tamquam Christianissimus Imperator, nulloque pacto pietas tua existimet nos alium magis beneuolentia, quàm te prosequi, eo tamen excepto, qui te cupit cum Deo pacem habere. Quoniam tu fideli corde permotus de temporalis Sedis potestate non ambigis, atque æternæ vitæ retributionem ex superna voluntate pendere arbitraris, à mea paruitate suscipere digneris venerabilem, & diuinam Beatissimi Petri Principis Apostolorum confessionem; cui cùm regni claues creditæ sint, Christianissimo imperio tuo præparabit in Cælis cum Angelis mansionem: qui cùm primus incommutabilem, & inculpatam in Dominum nostrum Iesum Christum fidem declarasset, ab ipso Saluatore beatificatus est; nam cùm dixisset ad Dominum, Tu es Christus filius Dei viui, responsum ab eo tulit, Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est; & super hanc confessionem tuam ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam; vt ex ea tolleret, vnde suum cognomen accepit, quod est Christus Iesus & Deus, omnipotentis filius. Petrus primogenitus diaboli filius, cùm indignè se in Antiochenam sanctam Dei Ecclesiam insinuauerit, & Pontificiam Sedem Ignatij martyris coinquinauerit, qui Petri dextra Pontificatum accepit, & Eustachij Confessoris, & Præsidis 318. sanctorum Patrum, qui apud Nicæam coacti sunt: ausus est dicere non oportere Christum vocare filium Dei secundùm diuinam Saluatoris sanctionem, diuinarumque Scripturarum traditionem, & Patrum expositionem; sed vnum ex Trinitate passionem pro nobis sustinuisse secundùm diuinitatis essentiam, veluti Arius, Apollinaris, & Eunomius tradiderunt: his verbis adnixus salutiferam humanitatem conuellere, secundùm quam Christus passionem sustinuit. Fertur etiam, & vnus ex nostris tamquam de semine Abraham progenitus multiplicitatem Deorum inuexisse: nam sensus verborum tres Deos inducit, mortuum, vnum, duosque viuos, abolet autem, & consubstantialem, sanctasque Synodos reddit irritas, Nicænam, Constantinopolitanam, & Chalcedonensem. Quin & Mariæ Virginitatem non recipere reperietur. Si enim verbum ex ea incarnatum non suscepit humanitatem, quid Virgine opus est? Luc. 1. [Cur Gabriel dixit ad illam, quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, & dabit ei Dominus Sedem Dauid Patris eius.] Præter hæc impia, & contumeliosa facinora cùm adulteraret trisagium conatus sit addendo crucifixus propter nos, & infinitas absurditates rem adduxit. Ac quamuis sæpiùs à nobis, & à tua in Christo fraternitate sit monitus, & Orientalibus, & ab Acacio Archiepiscopo vestræ Regiæ Vrbis, & Christi amice conuertere se numquam voluit. Propterea nunc sancta Dei Ecclesia ex materno affectu non cessat tamquam ad præcipuum eius filium verba faciens dicere. O Christi amice Imperator, cultus nostri vinculum, quo vinciuntur fideles, dissolui ne patiaris, Christi Domini, & vnigeniti Filij tui cognomen ne permittas violari; sanctissimam hymnodiam, quæ & vrbem vestram seruauit periclitantem, tamquam ab Angelis traditam inuiolatam conserua. Petrum Arianæ superstitionis sectatorem ab Antiochena Ecclesia deturba. Ioan. 19. [Quamobrem Petrus mea fide abrogata scindit Mundi consensum? quanam de causa Petrus scindit tunicam meam desuper contextam? Deus Pater Principi Apostolorum præcepit, quomodo vocari suum Filium oporteret.] ad Cor. 1. 2. [Vnigenitus in Petri confessione fundauit me. Spiritus sanctus quotidiè testatur mihi dicens: ne quid iudices scire, nisi Iesum Christum, eumque crucifixum.] Inimici inobedientes, dolosi, extra vineam positi vnigenitum Dei filium mactantes, & lapidantes, & ligno Crucis affligentes, eius vestem non diuiserunt, & Petrus vestem meam discindet? Portæ inferi non præualebunt aduersùs me, & Petrus conatur meum parietem demoliri? Ego religiosissime Imperator te regno pulsum reduxi: improbos, & meis dogmatibus non parentes pro tuo funere tradidi, & potentiæ tibi viam reseraui; inimicos vnà cum eorum impio dogmate deieci, antiquum tibi imperium à Deo impetraui, qui in Cælis regnat, à quo imperium accepisti. Respice ad tuum prædecessorem Imperatorem Marcianum, eiusque fidem libens amplectere: hæreticam Petri tyrannidem radicitus quamprimum euelle. Valentini, Eutychetisque discipulum ab arce deijce; & ab Ecclesiastica administratione, simulque, & à Sacerdotali dignitate præcipitari decernite. Reputa tecum ò Maxime legitime fili, & inuicte Imperator, quàm certa vltione Chalcedonensis Synodus sit vindicata, & quæ pœna de tuo hoste sumpta; libera populos ab hæretica Petri doctrina; hac tecum legatione fungitur sancta Dei Catholica, Apostolica Ecclesia: & ab ea ob iam expositas causas depositum in posterum in communionem ne recipiatis, vestrisque diuinis literis, vt paries inter eum, & Antiochenam Ecclesiam, intercedat, efficite. In locum verò illius virum suffi-

sufficite, qui operibus Sacerdotium exornet: atque sit custos Chalcedonensis sanctæ Synodi, suorumque decretorum. Omnipotens Deus imperium vestrum semper in pace custodiat.

SECTIO XII.

Vides potestatem, quam obtinet ea diuina Sedes? audis quo pacto induit non solùm Petri personam, verùm etiam ipsius Iesu Christi? cùm dicit Petrus fidei meæ tunicam scindit. Inspicite igitur, & videte sedulo totam epistolam, & agnoscite auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, adiungamini illi & vos, nec veritati aduersamini, quamuis enim ex persona Ecclesiæ loquatur, i: est tamen, qui Ecclesiam dirigit, ac gubernat. Addimus etiam præter hæc Orientalium Doctorum testimonia. Cyrillus Beatus Alexandriæ Archiepiscopus in thesauris ita scribit: Quod oportet nos tamquam membra Caput sequi, idest, Romanum Pontificem, & Apostolicam Sedem, à qua debemus petere quid credere, & sentire debemus, ac tenere: quia ipsius tantùm est confutare, dirigere, redarguere, confirmare, ordinare; soluere, & ligare. Audis tu, qui Cyrillo contradicis? nostri officij esse, vt membra corpus, ita & nos Apostolicam Sedem sequi: quodque ad eam solùm pertinet dirigere, & gubernare Catholicam Dei Ecclesiam. Si ergo ita scribit, vt sentit scribit. Si sic sentiebat, ita & agebat. Si is obedientiam, & reuerentiam tunc Romano Pontifici exhibebat, quis contradicit, nisi indoctus fortasse, vel stultus. Hæc igitur mecum reputanti subit mihi vehementer ridere, seu deflere potiùs, ac vicem eorum dolere, qui sponte oculos compriment aduersùs lucem; nec veritatem sustinent audire. Quis est, qui neget confessionem sublimi voce ab Ecclesia decantatam, siue fidei Symbolum? in quo apertè confitemur vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam in omneis terræ parteis disseminatam? hanc nemo vnquam dixerit vnam, nisi cæteræ omnes tamquam membra coagmentatę secundùm Beatum Paulum, eam veluti Caput sequantur, quæ omnia simul iuncta vnum conficiunt corpus: & vt secundùm eumdem Apostolum, ad Cor. 12. [Non potest pes, vel manus, vel aliud corporis membrum capiti dicere, non opus habeo te; ita nec cæteræ Ecclesiæ, Romanæ possunt Ecclesiæ dicere, non indigemus te.] Omnes ab illa auctoritatem capiunt, & omnes ab illa confirmantur: testabuntur id omnes Doctorum Scripturæ. Illa namque vt Caput omnia mebra recognoscens, & de omnibus æquè sollicita, vt quod in suprema situm sit parte, mœret si membrum aliquod languear; curamque illius gerit, & ad sanitatem perducit, vt dictum est. Inquit enim, & apertè clamat, ad Cor. 12. [Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Si verò membrum aliquod abscindatur, marcescit & malè olet: sed caput (quod alioqui nec laboribus; nec cruciatibus cedit) minimè lædit.] Oportet autem qui Symbolum confitentur, & vnam Ecclesiam prædicant, nosse qualisnam ea sit, vna sancta, & Apostolica Ecclesia, ea est aut Occidentalis, aut Orientalis, quod idem est, ac si dicas Latina, vel Græca; alia namque præter has non reperietur: aliæ enim præter has superstitiones sunt, falsæ synagogæ, & hæresibus refertæ. Enumera diligenter & vide, quod si Græcorum arbitraris Ecclesiam esse hanc, quam Symbolum designat, in nihilum Petri confessionem concludis; aduersùs quam portas inferi non præualituras professus est Christus; nam omnis Græcorum Ecclesia, immò verò totus Oriens à Mahomete absorptus est: nonne videmus omnes Patriarchas, atque Episcopos, ac Sacerdotes in potestatem venisse Mahomethis? & ab eo petere Sacerdotij facultatem? & pedibus eius aduoluuntur, & pro eo etiam inuiti deprecantur? in quo loco collocabis, Portæ inferi, id est hæretiorum ora aduersùs Christi Ecclesiam non præualebunt? eo loco, vbi non solum ora hæreticorum dominantur illi; sed etiam impij, & alienigenæ imperium tenent? eo loco vbi nec sacrificare tuto possis, nec nola, vel tintinnabulum nec crucis signum apparet? eo loco vbi nemo libere potest dulce Christi nomen proferre? Si verò protulerit, in duas partes discinditur? eo loco, vbi si Sacerdotes sacrificantes inuenti fuerint, Christi hostes ingrediuntur, atque subsannant? proterunt altaria, & profanant; & sancta proijciunt, & plagas Sacerdotibus infligunt, & protrudunt, & derident Christianorum religionem? nequaquam. Sed ibi oportet esse, vbi Christi signum refulget, & Ecclesiæ exornantur, nola, imagines, & altaria omnia magno cum cultu conspiciuntur, & adorantur; & Sacerdotibus eminùs reuerenter assurgunt populi. Ibi vbi palam Christi fides prædicatur. ibi vbi terræ reges, & Principes venientes ad sacra loca inspicienda, & Apostolorum capita adoranda, vnà cum illis, & præsidem eorum Pontificem adorant, & eius pedibus aduoluuntur. Marc. 16. ibi vbi festi dies, psalmodiæ preces sine metu celebrantur. Vbi nemo reformidat sibi quemquam aduersari. Ibi vbi summus pontifex, doctores & prædicatores in omnem terram dimittit ad prædicandum, & annunciandum verbum Dei; Christi imitatione immò Saluatoris nostri vices in terris gerens. Nam sicut is Apostolis dixit, ecce mitto vos, euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni craturæ, ita, & hic in vniuersum orbem magistros mittit magna cum cura, qui non solùm ad Christianos proficiscuntur; sed etiam ad omnes gentes, vel ex Sancti Francisci ordine, vel Dominici, vel ex alia regula. Ergo ibi Ecclesiam confitebimur, vbi non est hæresis, nec iniquitas, neque infidelitas: immò verò firma fides, & inconcussa. At non ita apud Orientales, Vbi abundat iniquitas, & infidelitas. Nec meus sermo est hic, sed Theodorus Studites prodeat, & dicat hoc testimonium, quod nemo poterit inficiari in decima quinta catechesi, quam legitis quidem, at non intelligitis, quia non vultis. Videtur enim Doctor hic aduersus oppugnatores imaginum pugnare, quando dicit. Audio autem quod Romæ, Principis Apostolor. Petri claues proponuntur ad adorandum, atque in honore haberi; quamquam non claues sensibiles Dominus ei tradidit: sed intellectuales ad ligandum,

gandum, & soluendum, at illi argenteas populo proponunt ad adorandum. Tanta igitur apud eos est fides, & ibi solida Petra fidei, secundùm Dei verbum fundata. Hic verò vt videtur, abundat infidelitas, ac improbitas. Vides quòd, & beatus hic, ibi confitetur solidam esse fidem. nec in Petro tantùm, sed & in eius successoribus. Hæc quidem cùm audiatis, & videatis, nec possitis contra respicere, velut aduersùs refulgens, & coruscans lumen veritatis, ad ea confugitis, quæ nefas est dicere; scilicet peccatorem esse Romanum Pontificem, & carnalibus voluptatibus inseruientem, & ideò nolle vos honorem, & reuerentiam debitam exhibere.

SECTIO XIII.

AC tametsi his, in præcedentibus responderimus, exactiùs rursùs vobis dicimus, quòd apertè mendaces estis. Nam non quia peccator est refugitis ei obedire: sed quia Latinus est, & barbam tondet. Si enim illum vitaretis propter peccatum, vosmetipsos vitaretis, quia estis peccatores. Quomodo ergo nostis eum iudicare, vestros verò non iudicatis? omnes ne Orientis Sacerdotes sancti sunt? vos hoc non potestis demonstrare. Non ergo illum tanquam peccatorem deuitatis, quia nec vos sine peccato estis. Sed quia Latinus, & ab opinionibus vestris euariat. Vos namque Latinos tanquam à fide alienos existimatis, & ab eis refugere tanquam à facie serpentum simpliciores edocetis: idque liquido patet. Ac quis ex Latinis videtur sanctus, vos hunc salutare non vultis: immò verò maledicta ingeritis. Græcos quamuis flagitiosissimos, & stultissimos, si solùm aduersùs Latinos dicant, omnium sanctissimos arbitramini. Inter alios quidem multos, quemdam qui vocatur Palamas, & Ephesi Marcum, hominem, nec satis mentis compotem, sed tumidum sapientiæ ostentatorem; nulla virtute, vel sanctitate subnixos, quia loquuntur solùm, & scribunt contra Latinos extollitis, & celebratis, eorumque imagines exornatis; festumque agentes diem colitis, ac veluti sanctos adoratis. Latinos verò quamuis iam pridem Ecclesia pro sanctis colendos duxerit, vos incessanter blasphematis. Ita & de summo Pontifice facitis: nam illum omninò Christianum esse non existimatis, quia Latinus. Id enim sub dentibus stridetis maledictis incessentes; & eorum, qui rerum potiuntur, metum reueriti, ad aliud quasi aranei vmbram confugitis, eum peccatorem appellantes, ac cætera conuicia effundentes. Ioann. 8. [Cauete ne id audiatis: Qui vestrum est sine peccato, primus lapidem tollat; id est, qui peccatum non commisit, incipiat iudicare de peccato: & non iudicate, vt non iudicemini. Ne captetis occasionem fratres, in peccatis.] Matth. 8. [non est officij vestri de peccatis principum vestrorum inquirere; doctoribus omnibus apertè clamantibus, & Ioanne lingua aurea in multis quidem orationibus, & in oratione, cuius est titulus, quod oportet colere suos magistros spirituales, non maledicere illis. Principium orationis,] Nulla res ad loquendi licentiam magis allicit, paulò post inquit: Si qui patri vel matri maledicunt parentibus secundùm carnem, ex lege morte moriuntur, quali nam dignus erit pœna, qui virum spiritualem magis, quàm multi parentes necessarium, audet maledictis incessere? non reformidans ne terra dehiscens, ipsum de medio tollat; vel fulmen cælo demissum maledicam linguam adurat. Audistis quid Mosis sorori contigerit, cum fratrem suum accusasset, & principem, quomodo impura facta est, & in lepram incidit, maximamque infamiam subijt? fratreque de ea sollicito, Deumque deprecante veniam non impetrauit? & paulò post; & Deum placare non potuit, sed magnam pœnam perpessa est: vt intelligamus quàm magnum crimen sit principes redarguere, & de aliorum vita iudicare. Et post pauca: Si in carnalibus parentibus ita, quantò magis in spiritualibus parentibus hanc seruare legem oportet, & vnumquemque in vita laborare, & sollicitum esse, ne in illa die audiamus, [Matth. 7.] hypocrita, cur festucam vides in oculo fratris tui, trabem verò in oculo tuo non vides? & statim posteà, cùm Principes à subditis coluntur, id ipsis obijcitur, vt Heli dixit Deus: cœpi te ex domo patris tui. [Regum 1. 20.] Si verò contumelia afficiantur, vt in Samuele, non te abiecerunt, inquit, sed me, qui Sacerdotem honorat, Deum honorat, [Regum 1 c. 8.] qui didicit Sacerdotem contemnere in via progressus, & aduersùs Deum erit contumeliosus, qui vos recipit, inquit, me recipit, [Matth. 10.] & honorifica, inquit, Sacerdotes tuos. [Eccles. 7.] Indè Iudæi didicerunt Deum contemnere, quia Moysem contemserunt, eumque lapidibus impetiuerunt. [Exod. 17.] Ac si quis Sacerdotibus debitam exhibuerit reuerentiam, multò magis id erga Deum egerit: & quamuis improbus sit Sacerdos, videns Deus, quod eius causa etiam indignum honoras, ipse retributionem reddet tibi. Et rursùs post pauca: An nescitis, quod Sacerdos nuncius Dei est? non enim ex se dicit, quæ dicit. Si contemnis Sacerdotem, non eum contemnis, sed Deum, qui ipsum elegit; & vnde dignoscitur, inquit, Deum ipsũ elegisse? Ergo si hac ès in opinione, spes tua inanis est reddita. Si enim per eũ Dominus nihil operatur, neque lauacrum habes, neque mysteriorum es particeps; & benedictionibus non frueris, non igitur Christianus es. Quid ergo inquit, omnes eligit Deus? [Num. 22.] per omnes ipse operatur quamquam indigni sunt, quia populus saluatur, nam si per asinam, & Balam schelestum hominem operatus est, multò magis per Sacerdotem. Si per Iudam operatus est, & per falsos Prophetas prophetantes, quibus dicit, nescio vos, discedite à me, qui operamini iniquitates, multò magis per Sacerdotes operabitur, nam si nos Principum vitam scrutari oporteret, oportet & nos magistrum eligere, & quæ supra sunt, infra fient: supra pedes, infra caput, si fratrem tuum tibi iudicare non concedit, multò magis neque tuum Doctorem: post pauca, tu ouis es, ne sis anxiè curiosus aduersùs Pastorem, ne de his, quæ tu arguis illum, plectaris. Et quid pacto

pacto me admones, ipse non faciens? non ipse tibi dicit, si ei credis, mercedem non accipies, Christus hæc docet; nè iudicemus nos mutuò. sed sua vnusquisque. Et paulò post, ne maledicamus rogo magistris. Si quis patrem habuerit multis criminibus obnoxium, nonne ea obtegit? ne exultes, inquit, in dedecore patris tui, multò magis de spiritualibus patribus hoc dicendum, exhibe reuerentiam, quia quotidie ministrat tibi, curat vt propter te legantur Scripturæ, sacram domum exornat propter te, vigilat propter te, orat pro te, cultus eius erga Deum omnis propter te, hæc reuerere, hæc tecum cogita, & omni præstita obseruantia, ad eum accedito. Et paulò post, audi quid dicat de Principibus Iudæorum Deus. Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite: secundùm verò opera illorum nolite facere; quænam deterior eorum vita reperietur? eos tamen nec dignitate deiecit, neque vt à subditis despicerentur, curauit, & rectè. Si enim hanc sibi arrogarint subditi potestatem, omnes statim abrogabuntur, & de tribunali deijcientur. Propterea & Paulus cùm in Pontificem Iudæorum contumelias effudisset, ac dixisset, percutiat te Deus paries dealbate, & tu sedens iudicas me? sed monitus à quibusdam, vt reticeret, dicentibus, Dei Pontifici maledicis? ostendere volens quanto honore, & reuerentia Principes prosequi tenemur, inquit, nesciebam eum esse Dei Pontificem. Ideò & alibi dicit: Obedite præpositis vestris, & subiacete illis, ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. [Ad Hebr. 13.] Ideò, & huius cultus fructu potiri eos æquum est. Et post pauca: Cogita quid dicat Deus de Iudæis, super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcumque dixerint vobis facere, facite; ac nunc non possumus dicere, super Cathedram Moysis sederunt, sed super Christi, propterea inquit Paulus pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. [Ad Cor. 2. 5.] Audisti ab hoc Doctore, quo pacto colendi sunt Sacerdotes. Si ergo de Sacerdotibus hoc dicit: Multò magis de Principibus Sacerdotum, & Patriarchis, & Doctoribus Ecclesiæ, quia à vobis in præsentia non solùm non coluntur, verùm etiam impudentissimè lacerantur, quas pœnas quæso subituri estis? magnas vt arbitror, imò verò non secundùm meam sententiam, sed secundùm aureæ linguæ, & admirandum Ioannem, cùm dicit: Qui Sacerdotes iniuria afficit, Christum iniuria afficit. Qui verò Christum iniuria afficit, quid respondebit illa tremenda die? Sic itaque concludit Chrysostomus: Si cognita sunt vobis, quæ ex mellifluis eius orationibus exposuimus, præsertim quo honore Principes sunt colendi, quia super Cathedra Iesu, & Dei sedent. Subiecti igitur estote illis vt & nos subijcimur, non vt Sanctis ex virtute; sed vt Principibus; siquidem neque nos, vt sanctum ex virtute Romanum Pontificem colimus, sed ex primatu, & Sacerdotio; nam si sanctus est, me sanctum non facit, si peccator fuero; si verò peccator est, mihi non obest si iustus fuero. An existimatis quia Papa est, eum hæredem fore regni cœlorum? minimè gentium: sed ob eius virtutes, si quas habet; nam Papæ multi hæredes erunt sempiternæ damnationis: non quod Latini, & Summi Pontifices Romani: sed propter peccata eorum. Multi etiam Constantinopolitani Patriarchæ, Græci videlicèt, & Alexandriæ, & Antiochiæ, & Hierosolymorum hæredes erunt perennis ignis, non quia Græci sint, vel Patriarchæ, sed propter eorum scelera, & contrà; non est enim acceptio personarum apud Deum, vt terrenæ huius vitæ Principes protinùs, & futuræ conspiciantur hæredes? verùm omninò qui probi sunt. At non auditis sapientiam dicentem: Tunc stabit iustus in magna constantia, aduersùs eos, qui se angustiauerunt. Ij verò videntes suspirabunt, & dicent: hic est is, quem aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij? stulti: nunc verò comparatus est in filium Dei, & inter Sanctos sors eius est, ergo aberrauimus à via veritatis: quare non debemus de cuiusuis vita iudicare, vel nimis esse curiosi: nam vniuscuiusque opus in eo publico conuentu manifestabitur. Igitur fratres resipiscite; & pro salute vestra certate, hoc pro certo scientes; quod qui Romano Pontifici non subijcitur, Christo non subijcitur; qui Petro dixit: Tu es Petrus, &c. ac numquam salutem consequetur; nam cùm dicitis vos illi subijci nolle, quia peccator est, id stultorum est hominum, & omnis prorsus sensus expertium, cur iudicas Ecclesiæ Pontificem, quem nescis qualisnam sit? nemo enim, dicit Scriptura, nouit facta aliena, quo pacto vos iudicatis, quem omninò, vt peccatorem non nostis? Omnes quæso, qui Cathedram Petri adepti sunt, improbi sunt, & peccatores; num data opera cæteri Ecclesiæ Pontifices, atque Proceres, Papam eligunt peccatorem; nonne erubescitis Ecclesiæ electionem prosequi contumelijs? an nescitis quòd & Constantinopoli eum creabant Patriarcham, qui præcipuè erat honore perspicuus, & virtute? nam & apud hostem virtus est honorabilis, ita & hic eum, qui supra cæteros honore, & virtute antecellit, constituunt suum Sacerdotem, & Regem. Si verò peccator est, quid ad nos? is pro se rationem reddet, quemadmodum & nos nostri: nemo namque pro alio iudicabitur.

SECTIO XIV.

AT tu vltra modum Papam deificas, nos verò scimus eum hominem esse, & peccato, & probris posse demergi. Propterea in ijs, quæ ad fidem pertinent, nolumus ei inhærere. Sed à nobis iam antea dictum est, hoc nihil esse; quoniam necesse est nos aliquem sequi Pastorem: ille namque vt homo peccat quotidie. Si enim vna tantùm hora esset vita nostra, nec ita sine sordibus esse possemus, sed de proprijs peccatis vnusquisque pro sese rationem redditurus est, vt sæpè iam diximus. Satis est nobis si benè pascamur, secundùm magnum Theologiæ Doctorem Gregorium. At seditionis, & contentionis studiosus inquit, peccatorem caput esse non probo; ad quos respondendum, quod benè cogitata vestra percipimus, quæ posteà infe-

rius retegemus, & si vos ob ignauiam obumbrare conamini. Nunc autem ijs respondebimus, quæ palàm dicitis, quia ex animi vitio hoc dicitis, non enim vobis cognitum est eum esse peccatorem, neque vobis eius vitæ ratio satis est comperta: sed impudenter calumniamini, & conuinciamini illi, qui Petri successor est, & Iesu Christi figuram in terris gerit, nam qui eum peccatorem appellant, ijs, quæ Iudæi afferebant, similia afferunt, quoniam illi à natiuitate cæcum cernentes videre, inuidia torti, eum interrogant, dicentes: Quis aperuit oculos tuos? respondit, homo qui vocatur Christus: is mihi dixit, lauare in Siloam, & lotus recepi lucem, at illi ira accensi dicunt, da gloriam Deo, quia hic homo peccator est, [Ioan. 9.] quibus ille qui nuper cæcus fuerat, respondit, si peccator est, nescio, vnum scio, quòd cæcus cùm essem, modò video, in hoc enim mirabile est, quòd peccator cùm esset, aperuit oculos meos, qui cæcus eram, a seculo non est auditum, quia quis oculos aperuerit cæci nati, nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam. Possumus igitur hæc ad successorem Dei traducere, qui est sanctus Papa, [Nicolaus I. vide epist. eius ad Michaelem Imper. & apud Nicephor. Ioan. 9. Innocen. I. de quo supra Constantinus Dragases successit in Imper. Ioan. Paleologo fratri qui interfuit Florentino Concilio. Et epist. Nicolai V. ad Imp. Constantinum.] Si peccator est, quomodò maledixit vobis? & Græcos excommunicauit Nicolaus I. temporibus Photij, & excommunicationi illi non defuit iota vnum; sed facti sunt captiui, vt is in excommunicatione dixit, in omnes gentes, tamquam Iudæi, scriptum est enim, peccatores non audit Deus. Si peccator est, quomodò fuit exauditus? at hic quidem sic. Innocentius ante hunc, Eudoxiam ob Chrysostomi exilium excommunicauit, & intremuit eius sepulchrum, donec reuocato eo, excommunicationem remisit. Et statim constitit illius tremor sepulchri, sed quid euenit nostra memoria nunc sub Nicolao V. Pontifice Maximo? cùm legati à Constantino Imperatore, qui vocabatur Dragases, ad eum missi adhuc superfint, quibus literas dedit plenas timoris, & horroris, vbi apertè cum execratione prophetizat excidium, & internecionem extremam infelicium Græcorum, in quibus post alia multa (cùm conuicia, & probra resciffet, quæ à Græcis quotidiè impudentissimè iactabantur) mirè, & hoc dicit. Omnes gentes decretũ, quod sancitũ, est, receperunt: Græci neq; receperunt, neq; spes est eos vnquã esse recepturos; quę super concordia, & vnione decreta sũt, procrastinationes enim procrastinationibus ab eis semper prętexũtur, excusationes, & responsiones in singulis. Neq; verò Gręci arbitrentur Romanum Pontificem ita esse mente destitutum, omnemque occidentalem Ecclesiam, vt non intelligat, quæ in singulis dilationibus respondendo nugantur, optimè cuncta nouimus: sed toleramus in Iesum respicientes sempiternum Sacerdotem, & Dominum: qui sterilem illam ficum vsque ad annum tertium iussit asseruari, agricola iam ad excidendam arborem se accingente, quia nullum fructum ferebat. O magnam calamitatem, anno 1451. hanc conscripsit epistolam: & 1453. capta est Constantinopolis, num potestis dicere hæc vera non esse? minimè gentium, cùm id sit manifestum, & res ipsa apertè loquatur, tres inquit annos expectabimus, si vos fortè à schismate, & separatione conuerteritis, & vos verè decreto adiunxeritis, secundùm Saluatoris de ficu præceptum. Si verò non excindemini, ne terram otiosam, & inutilem reddatis, hoc miraculorum miraculum maximum: quod (vt in epistola ipsa scribit Nicolaus Papa) Græcorum gens illa magna, & formidabilis, sapiens, clara, fortis, terrarum domina ob Diuinam vltionem, in barbarorum seruitutem abducta sit. Hæc enarranti mihi subit lamentari, & deplorare excidium gentis nostræ quamquam vos non intuemini.

SECTIO XV.

In primis ergo (vt indè initium sumam) in memoriam reuocate fratres, & patres, qualisnam, & quanta extiterit nostra natio. Fuit enim quondam Sapiens, clara, generosa, prudens, fortis, & quæ omnem terram suo subiecerit imperio. Prætereà virtutis studio, & sanctitate omnes gentes est supergressa, ieiunijs, vigilijs, orationibus, eleemosynis, & (vt vno verbo dicam) veluti spongia hausit omnem virtutem, Deo semper accepta. At in præsentia (proh dolor) omnia intercederunt. Constantinopolis capta est; cuius rei solùm recordatione cogor prorumpere in verba cum clamore, & eiulatu, & vltimum effundere spiritum. Qua Vrbe expugnata, Aræ sunt prophanatæ, Templum conculcatum, magna sanguinis effusio secuta, pollutæ Moniales, virgines corruptæ, caput infantibus abscissum, impiorum manibus Principes occiderunt: Monachi sacri, Sacerdotes, Præpositi, viri, fœminæ, Connubia sunt diuulsa, sacra vasa confracta, Imagines ornatissimæ conculcatæ sunt, ac sputis conspurcatæ. O me miserum, atque infelicem, quis poterit vmquam tantam cladem deplorare, & verbis acerbum casum exprimere? heu vbi regius apparatus, & comitatus? vbi ordo Palatij, & disciplina? vbi tot Principum examen? vbi scholę sapientiæ? veh mihi misero, vbi Patriarchalis administratio? vbi ornatus Ecclesiæ? vbi tantus, & talis sacrorum Monachorum, ac non sacrorum ordo chorus, & numerus? vbi Monachorum, & Monialium ordines? Ecce nonne cuncta sunt à Mahomete absorpta? Nec tantùm in ipsa Vrbium Regina ea mala obuenere, verùm etiam in subiectis regionibus plura, ac deteriora; perque singulos dies hæc apertis oculis intuemur, & intelligimus. Quamobrem ergo hæc? vel vos mihi dicite per Dominum. Si dixeritis, vt dicere consuestis, ob nostra delicta hæc euenisse, non ità se res habet ego dicam. Quoniam non magis nos, quàm cæteræ Christianorum gentes, nostris criminibus Deum irritamus. Sunt enim & aliæ nationes magis sceleribus, & peccatis obnoxiæ. Quomodò non affliguntur vt nostra infelicissima, & miseranda natio? Veh mihi misero, alius ex alio subinde fio, cùm ad hæc animum conuerto, & cor meum con-

conturbatur, & spiritus meus æstuat; quia Iudæorum gens, quæ duo crimina commisit. secundùm Prophetam dedit pœnas duo enim mala fecit; inquit primogenitus meus filius Israel: me dereliquit fontem aquæ viuæ, & effodit sibi cisternam dissipatam. Et Ecclesia, me in ligno crucifixerunt, Barrabam verò postulauerunt, & liberarunt. Primùm igitur cùm Idolis inseruiisset, in captiuitatem abductus est in Mediam, & Babylonem. Secundò cùm crucifixent Dominum nostrũ, & Deum, profecti sunt captiui in omnes gentes. Nostra verò natio (proh infortunium, proh dolor) neque Idolis seruiuit vnquam, neque Dei Filium crucifixit. Qua de causa tam acerbè vexatur? Sed non solùm eadem, verùm etiam multò peiora, quàm impij Iudæi perpetitur. Ij namque in seruitutem abducti, omnium gentium facti sunt serui, vt omnibus inuisi, & Dei hostes. Hi verò non solùm gentium facti sunt serui; sed & Iudæis ipsis, qui sunt serui omnium gentium. O meam calamitatem. Nonne reliquum est plorare, & lamentari, ac disquirere causam, & videre propter quæ patimur. Hæc ego verò aliam non possum inuenire (neque enim virtute, nostra natio cæteris gentibus peior est; immò verò melior, nam dictum est, verèque dictum, nationem nostram omnes nationes virtute, & moribus antecellere) nisi schisma, & quod se subtraxerit ab obedientia, & subiectione Romanæ Ecclesiæ, eam, & solam discerno esse causam interitus nostræ gentis? quia postquã ab ea diuisi sumus, maledictionem accepimus, & patimur, quæ nos patimur, nec ideò pœnitet nos; sed deteriores euadimus, & maledictis impetimus ipsam Ecclesiam; dicenda, & tacenda aduersùs eam impudenter euomimus. Quamobrem fratres mei per Christum, desperationem omittamus. Accedamus verè Christianorum vnioni; agnoscamus peccata nostra, ne peiores Iudæis euadamus, neve falsa suasione, malitia, & præsumptione ità aures obstruamus, vt nec audiamus, nec intelligamus. Audiamus Christum clamantem Apost. Luc. 10. [Qui vos audit, audit me; & qui vos spernit, me spernit; qui verò me spernit, spernit eum, qui misit me.] Verè ergo licet dicere, qui Papam audit, Dominum audit; qui verò Papam non audit, Dominum non audit; qui verò Dominum non audit, audit captiuos, & gladijs comminutos. Vidi, & rectè memini, cùm interfuerim disputationibus cuiusdam Monachi Barlaam, quæ habitæ sunt Constantinopoli cum quodam Legato Apostolico de primatu Papæ, vbi concludens Legatus dicit: [Ego quidem possum cunctas obiectiones vestras diluere (non enim Christi Ecclesia, & Præses illius Summus Pontifex misit hominem, qui nesciat vestris dubitationibus respondere) sed vos semper in nugacibus verborum argutijs versamini. Quare mihi libet dicere tibi breue, ac verum verbum; quod & alijs Græcis, mihi iniunctum est dicere. Hæc dicit Papa: [Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis, secundùm Prophetam. Si verò nolueritis, neque audieritis me, gladius vos deuorabit.] Nùm Pontificis os locutum est hæc? Nùm habes huic quid contradicas? Lege, & expende, an euenirit sicut ipse dixit: [Si ergo euenit, debetis, immò verò potiùs necesse est illum audire: secundùm verò opera illius non facere, si mala fuerint.] Ita & nobis præcepit Dominus: Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia quæcumque dixerint vobis facere: facite, secundùm verò opera illorum nolite facere. Quando ergo & hic super cathedra Petri sedet; debemus ipsum tamquam Petrum audire, & imitari sermones eius: opera verò non imitari, si praua sint. Ita vos Sancti docent, ita leges, & Canones clamant, vt antea demonstrauimus, & paulò post etiam demonstrabimus. Nunc detegere volumus, quod vos intus aduersùs Papam, ac Latinos iniustè continetis. Dicitur enim, quod propter peccatum illum vitatis. At hoc verum non est, sed causas quæritis fratres parum veras. Maledixit enim vobis, & vos inuenit excommunicatio; deleti que funditus estis. Sed alius est morbus, ex quo ægrotat intus anima vestra, vt antea exposuimus. Non audentes palàm dicere, ne fortè cunctis Hæreticis peiores vocemini, & sitis cogniti apud omnes; magisque vultis mandere sub dentibus. Sed aliud quid est, quod labijs præmitis. Quidam tamen adeò stolidi sunt, qui apertè Latinos hæreticos esse dicunt: & Papam, præter cæteros omnes. Ideòque vnionem refugitis, neque Papæ memoriam audire, neque qui vnionem ex vestris Sacerdotibus amplectuntur, videre sustinetis, neque qui cum ipsis cõmunicant, omninò pro Christianis habetis; & si fortè contingit, vt in aliquod incurratis, quod vos Papæ commonefaciat, panem oblationis non accipitis. Sed furijs agitamini, ac dentibus aduersùs ipsos Sacerdotes sæuissimè infrenditis, & Iudæis deteriores esse putatis. Hæc igitur proferre reformidantes, vt iram quorumdam declinetis, ad apertum integumentum strenuè confugitis, & aduersùs veritatem pugnatis de asini vmbra (vt fertur) decertantes.

SECTIO XVI.

At nos in præcedentibus, quos anteà edidimus quatuor libris multa de ijs eisdem tractauimus, veritatem pro viribus apertè prædicantes. Latinosque in dogmatibus orthodoxos esse liquido ostendimus, & falsis eos præmi calumnijs egregiè demonstrauimus, & in hoc quinto profecto non pauca attulimus, scilicet Pontificem esse Petri successorem, & Vicarium Saluatoris nostri Iesu Christi comprobando, eumque solùm obtinere potestatem, omnem Ecclesiam absolutè dirigendi, & gubernandi, ligandi, & soluendi, redarguendi, benedicendi, maledicendi, corrigendi, ac medendi; solùmque illum habere facultatem de fide, & Sacerdotio exquirendi. Nàm statim magnus Theodorus Studites in epistola ad Paschalem Papam hæc inquit: [Audi Apostolicum caput à Deo electè Pastor ouium, Christi, Clauiger Regni Cælorum: petra fidei, per quam ædificata est Catholica Ecclesia. Nàm [Tu es Petrus] Petri Sedem exornans, & gubernans; & post quædam Psal. 43. [Huc ades, ab occidente exurge, & ne repellas in finem.] Tibi

Tibi namque dixit Christus Deus noster: [Et tu quandoque conuersus confirma fratres tuos.] Audis quomodo appellat Pontificem magnus hic Pater Petrum, & Clauigerum Vitæ æternæ, & Pastorem, & Apostolicum caput? rogatque, vt Constantinopoli subsidium ferat, propter eorum hæreses, qui Imagines oppugnabant. Vnde nam hoc? non ob aliud aliquid, nisi quia is habebat potestatem cæteras Ecclesias confirmandi, tamquam qui omnibus hæresibus superior esset; longéque positus esset ab omni procella Hæreticorum. Huius rei ipsemet testis est in epistola ad Paschalem, dicens: [Vos igitur verè illimis fons, ac sincerus iam inde à principio veræ fidei: vos ab omni Hæreticorum procella longè positi: securus totius Ecclesiæ portus: vos à Deo electa Ciuitas ad salutis refugium.] Intelligis quo pacto securum portum appellat totius Ecclesiæ Romanum Pontificem? ad quem vt nauigia ab vndis in medio Maris agitata in portum perfugiunt, ne foris relicta à fluctibus, atque æstu mergantur: sic & omnes Ecclesiæ ab Hæreticis tamquam à fluctibus vexatæ ad Romanum Pontificem, veluti ad portum salutis confugiunt, vbi tranquillitatem, & quietem omnem nanciscantur. Nam eo loci fidei claues Christus apud Petrum Apostolum deposuit, vt Ecclesiam totam pasceret, atque gubernaret. Nec apud illum tantùm, sed etiam apud eius successores, ipsi dicens: [& tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos;] quæ quidem non soli Petro contigerunt, sed & eius successoribus. Nàm Siluester Magnus Papa Romanus post Baptismum Constantini Arij hæresim aboleuit, & in eadem Vrbe Liberius, ac Iulius Athanasium confirmarunt, & Alexandriam remiserunt, cum ab Arianis persecutionem pateretur. Damasus Papa Eunomij heresim Constantinopolitani Patriarchæ funditus sustulit. Diuus Celestinus impij Nestorij etiam Constantinopolitani Patriarchæ hæresim per Cyrillum Theegorum deleuit. Leo sanctissimus sacrilegam Eutychis,& Dioscori hæresim damnauit. Martinus, & Agathon Monothelitarum scelestam hæresim verbo, & operibus sustulerunt. Gregorius Magnus Dialogus impietatem eorum, qui Imagines oppugnabant, anathemati subiecit. Deinde post inobedientiam, & schisma, Nicolaus primus ipsemet Constantinopolim profectus est Photij tempore, vt tolleret schisma: quem cum non recepissent, excommunicationi ab eo suppositi sunt post hunc Summi Pontifices per temporum vices non destiterunt scribere, & hortari Græcos ad Ecclesiæ conuersionem, & obedientiam, quousque coacta est Synodus apud Lugdunum, quàm Græci octauam vocant; cuius auctor extitit Gregorius Papa Decimus, & vnio est subsecuta. Sed iterum defecerunt, & iterum Legatos Ecclesiæ receperunt. Cogitur Synodus Constantinopolitana cùm Papæ Legatis Ioannis Becci temporibus Constantinopolitani Patriarchæ, & vnionem amplexi sunt; ad breue tempus, obedientiam ostendentes, & pacem. Sed postea rursus ad suum, & primum vomitum reuerterunt. Sed nec rursus defatigati sunt Ecclesiæ Catholicæ Præsides, eos ad obedientiam, & pacem excitare. At illi cùm semel obsurduissent, non paruerunt. Protracta est igitur res vsque ad nos, aspeximusque nostris oculis, quod multi antè nos Patriarchæ, & Reges videre exoptarunt, nec viderunt. Nos verò vidimus beatissimum Eugenium IV. Romanæ Ecclesiæ Pontificem Summum quanto studio in hoc sanctum opus incubuerit, triremibus missis, & sumptibus, vt hoc magnum vulnus sanaretur; celebrataque est Synodus ingens, atque admirabilis Ferrariæ, & Florentiæ insignibus Italiæ Vrbibus, magna Doctorum, & sapientum Virorum frequentia, & Theologiæ scientia, ac virtute illustrium. Tandem decretum sancitum est omni sapientia, & veritate conspicuum; quòd vbique est promulgatum, & ab omnibus gentibus receptum. Græci verò, & ex ijs, qui peioris sunt conditionis vulgares quidam, & homines indocti huic contradicunt. Ac si quis rationis particeps decreto contradicit. Id non à doctrina proficiscitur, sed ab animi prauitate falsa, & stulta præsumptione, & gloria inani, quàm ex vulgi imperitia aucupantur. Quod quidem decretum, & nos in manus sumentes perlegimus omni studio; idque toto ex animo verum esse credentes. Adorauimus, atque amplexati sumus. Vnde sumministrata est nobis materia respondendi quinque articulis, qui in eo continentur; quorum extremus hic est de Papæ Primatu; quem nemo mentis compos poterit pernegare.

SECTIO XVII.

AT non rectè sentit: inquiunt, quia præter communes Patrum, & Doctorum sententias ea præscripsit. Si ergo illa Diuina Sedes non rectè sentit, mentitur Christus cùm dicit: [Cælum, & terra transibunt, verba autem mea numquam transibunt.] Is enim Ecclesiæ pollicitus est se cum ea fore, & portas inferi non præualituras aduersùs eam. Ideò ne Christum mendacem efficiamus, (quod si vel cogitetur solùm est blasphemia) inerrantē Dei Ecclesiam esse dicimus. Quam rem testificabitur rursùs ipse Theodorus Studites ad Michaelem Imperatorem scribens ex persona omnium Præpositorum hoc pacto: [Cùm nos in vnum conuenissemus venerabilis Imperij vestri iussu, minimi Episcopi, & Præpositi, post pauca dicit: nos diluimus omnes dubitationes vestras. Si verò aliquid dubitare, vel non credere videtur vestra Diuina magnificentia, eius rei explicatio à Pontifice piè est postulanda. Magna & à Deo firmata manus vestras, vt publicè cupida vtilitatis, iubeat à veteri Roma capere declarationem; vt à principio à Patribus nostris est traditum: ea ò Christi imitator Imperator inter omnes Ecclesias Dei summum, & supremum obtinet locum, cuius Petrus tenuit primam sedem, ad quem dicit Dominus: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersum eam.] Et iterum idem in alia epistola ad Naucratium, cuius principium est, non implebitur auris mea à vocibus auditionis, inquit, testor nunc coram Deo, & hominibus, diuisi sunt à corpore Christi, & à suprema Sede, apud quàm Christus deposuit

posuit claues fidei; aduersùs quàm portæ inferi à seculo non præualuerunt, nec præualebunt vsque ad consummationem eius, Hæreticorum videlicet effrænata ora, secundùm promissionem veracis Domini. Audis, quo pacto ea est caput Ecclesiæ Christi, cuius Petrus est primus Præses; & quod numquam præualuerunt, neque præualebunt vsque ad consummationem seculi Hæreticorum effrænata ora, secundùm promissionem veracis Saluatoris? Si ergo numquam præualuerunt Hæretici aduersùs Christi Ecclesiam,quomodò audetis dicere eam errare?, quæ inerrans à Doctoribus prædicatur. Id etiam ostenditur in tertia sancta Synodo, in qua allatis ab Apostolica Sede literis. Arcadius Episcopus cùm surrexisset ad Synodum dixit: [Iubeat vestra Beatitudo Reuerendissimi Patres allatas ad vos literas sancti, & cum adoratione vocati Celestiui Papæ Apostolicæ Sedis Episcopi, legi: ex quibus percipere poterit vestra Beatitudo, quanto studio prosequitur omnes Ecclesias.] Eadem, & horum similia proiectus Episcopus protulit. Et paulò post Cyrillus Alexandriæ, dixit: [Literæ acceptæ à Sanctissimo Apostolicæ Sedis Episcopo Romano Celestino cum decenti honore legantur.] Audis Arcadium, & proiectum, quòd omnium Ecclesiarum curam gerit Romanus Pontifex? ob quidnam aliud, nisi quia caput est omnium. Quod verò Cyrillus dicit, cum decenti honore legi, quæ scripta sunt à Celestino, comprobauerunt Patres aperiendo capita sua, & reuerenter audiendo, quæ dicta sunt.] In quarta verò sancta Synodo, vt in titulo Diuinæ Scripturæ apparet, talia dicta sunt: [Vt Beatissimus Episcopus Romanę Vrbis, cuius Sacerdotium super omnes antiquitas esse voluit, potestatem, & facultatem habet de fide, & Sacerdotibus determinandi. Ergo quia de fide, & Sacerdotibus determinandi facultatem habet, meritò Caput, & Magistra omnium Christi Ecclesiarum in decreto scribitur, & à nobis colitur, & adoratur; atque omnis obedientia, & obseruantia ei à nobis exhibetur, & exhibebitur, donec in hac vita permanebimus; recordati illius, qui dicit, [obedite Præpositis vestris, & subditi estote. Ipsi enim vigilant pro animabus vestris, vt rationem reddituri.] Et meminisse eius numquam cessabimus in sacris Missarum precibus secundùm Sanctorum nostrorum traditiones; ne impiorum erroribus obsecundantes, à firmitate Orthodoxæ fidei excidamus, pro comperto habentes, quòd qui ipsi non subijcitur, numquam saluabitur. Simili modo, & qui eius non meminit, neque Sacerdos est, neque Sacerdotis meretur habere potestatem, vt 13. Canon primæ,& secundæ Synodi apertè testatur. Habet enim ad verbum sic: Hæreticarum zizaniarum semina in Christi Ecclesiam spargens aduersarius, & videns has gladio spiritus radicitus euelli, alia via aggressus est; assumpta secum schismaticorum insania, Christi corpus diuidere. Sed & has insidias sancta Synodus anticipans, vndecumque decreuit imposterum, vt si quis presbyter, vel diaconus tamquam ob aliquod delictum suum despiciens Episcopum, ante synodalem cognitionem, & causæ disquisitionem ab eius communione deficere ausus fuerit, & nominis eius in sacris Missarum precibus secundùm Ecclesię traditionem non meminerit, hunc depositioni subijci, & Sacerdotali omni honore priuari; qui enim in presbyteri ordine est constitutus, & Metropolitanorum præuenit iudicium, & ante iudicium (quantum in se est) condemnat suum patrem, & Episcopum; hic neque presbyteri dignus est honore, nec nomine; & qui hos sequuntur si qui fuerint ex constitutis in sacris ordinibus, & ipsi suis dignitatibus excidant. Monachi verò, vel laici expellantur penitùs ab Ecclesia, donec relicta cum schismaticis coniunctione, ad suum Episcopum reuertantur. Non ne ex hoc loco deprehendis, quod Sacerdotes sacerdotio abdicat, neque Sacerdotis nomen vult obtinere, qui mentionem non faciunt primatus eorum; eorumque Sectatores, & si qui sacris sunt ordinibus insigniti, prophanos iubet esse? qui in sacris non sunt, cuiuscumque sint conditionis, excommunicat. Resipiscite tandem fratres per Deum,resipiscite: nec ampliùs tam apertè veritati obsistatis, nec aduersùs pastores animarum vestrarum decertetis. Durum est enim, immò verò fatui, & dementis, nudis pedibus aduersùs stimulum calcitrari. Marci 21. 21. [Nam quemadmodum oua lapidibus, sic & capita vestra, Ecclesia confringuntur: lapis namque, & petra scandali est Ecclesia.] Et Christus ipse illi se similem facit,beatus Paulus ad Corint.1.10. ita scribit: [Bibebant enim de spirituali consequenti eos petra: petra autem erat Christus, hic est lapis de monte virginali abscissus.] Dan.11. Christus verò ad Petrum: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam,] & reliqua, vt sæpiùs dictum est. Ecce igitur ostensum est quod petra, & lapis Christi est Ecclesia, qui igitur in eam impingit, lux in eo non est: sed qui seruat præcepta eius, non impingit, vera luce,quæ in ipso est illuminante, Ioann. 1. [Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.] Lux enim veritas est, & cognitio: ac illuminantur ab ea qui volunt, & manent in ea. Sed qui nolunt obtemperare, insipientiæ tenebræ eorum oculos obtegunt, & impingunt, & conteruntur, ac tandem exterminantur; & responsum ferent, quod præcepit Dominus, Ioann. 10. [Quod oues meæ, meam vocem audiunt, quæ verò meæ non sunt, vocem meam non audiunt: & lupus rapit, & dispergit eas.] ita eueniet, & rationalibus ouibus, quæ vocem pastoris non audiunt, impingent enim, & labentur in hæreses, absurditates, & schismata.

SECTIO XVIII.

QVod verò non possit decipi, vel errare, vel confringi, vel perire Ecclesia: imò verò id euenire ijs qui eam oppugnant; ostensum est antea multis egregijs argumentationibus. Nunc efficacius quodammodo per sanctum Chrysostomum aureæ tubæ diuinum Ioannem audiamus ex oratione in pentecosten. cuius principium Cœlum hodie nobis facta est terra. Dicit enim ibi post alia multa sic; magno studio incumbit Deus in Ecclesiam,

ſiam, non parietibus fulctam, ſed gratia cuſtoditam, propter Eccleſiam conſtitutum eſt Cœlum; terra firmata eſt, & mare effuſum, & aer repletus, paradiſus eſt plantatus, lex tradita, miſſi prophetæ, miracula facta ſunt. Mare diuidebatur, & reſarciebatur: petræ ſcindebantur, & rurſùs iungebantur, manna de Cœlo deſcendebant, & ex tempore menſa diſponebatur. Propter Eccleſiam Prophetæ, propter Eccleſiam Apoſtoli. At cur tam multa? propter Eccleſiam vnigenitus Dei filius, filius hominis factus eſt, vt Paulus ait, qui proprio filio non pepercit, vt Eccleſiæ parceret, filij ſui ſanguinem effudit propter Eccleſiam. Hic ſanguis irrigat illam. Per eum non poſſunt illius plantæ tabeſcere, neque folia decidere. Non eſt obnoxia temporum neceſſarijs vicibus, neque tempori inſeruit. Æſtate quidem folijs vernat, hyeme verò non nudatur. Non enim temporum neceſſitates, ſed gratia ſpiritus eam colit. Propterea non euellitur; neque mirum eſt eam non euelli. Quot iam inde à principio aduerſùs Eccleſiam bellum geſſerunt, cum erat planta recens. Arma aduerſùs eam ſunt expedita. At nunc Dei gratia, & ſancti Spiritus robore, & Imperator eſt pius, & milites & omnis terra fide eſt repleta. At in origine eius, in exordio, Reges Impij, milites irreligioſi ob iuſſa Principum. Aræ ardebant: vndique fumus, & nidor. Aer inquinabatur dæmones bacchabantur, diabolus ſaltabat, pater filium abdicabat, filius Patrem non colebat. Natura ſcindebatur, & religio. Vbi igitur qui auſi ſunt aduerſùs Eccleſiam in acie ſtare? Cum erat planta recens, non tamen iniuriam paſſa eſt; cum Cœlum attingit ſperas illam poſſe debellare? quando vndecim erant Apoſtoli, à nemine ſuperati ſunt: immò verò vndecim, tot millia Eccleſiarum, ſunt expiſcati. Nunc cum terra, & mare culta, & inhabitabilis, regio & vrbs, & omnes fines religione referti ſunt, tunc ſperas ei dominari? at tu non potes. Chriſtus dixit, quod portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam. facilius eſt Cœlum deleri, & terram exterminari, quam Eccleſiam extingui. Quis hæc dicit? ipſe Chriſtus. Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem mea numquam tranſibunt, & rectè, nam Dei verbum ipſo Cœlo eſt potentius, quia Cœlum eſt opus verbi. Dixit Deus, fiat Cœlum, & verbum fuit opus. Excurrebat natura nemine impediente, quoniam ipſe Dominus eſt naturæ, & eam immutandi. Ego eam ſubſtruxi, qui Cœlum conſtitui, ſed pro Cœlo ſanguinem non effudi. Pro Cœlo cruci non fui affixus. Pro Cœlo cæleſte corpus non aſſumpſi. Sed quid dico de Cœlo? Angelorum corpus non aſſumpſi: vt intelligas me Eccleſiam magis æſtimare, quàm Cœlum, & terram, & omnem creaturam, & ideo Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem mea nunquã tranſibunt. Faciliùs eſt Cęlũ aboleri, & terram extingui, quam mea verba intercidere. Qualia ſint verba eius in medium deducamus. Videamus an interciderint. Non reuoco ego in dubium, ſed hæreticis os obſtruo. Qualia ſunt verba? Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem mea numquam tranſibunt. Quale verbum? [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam. Super hanc petram,] dixit, [non in Petro.] Non enim ſuper hominem, ſed ſuper fidem Petri Eccleſiam ſuam fundauit. Quid autem erat fides? [Tu es Chriſtus filius Dei viui.] Petram vocauit Eccleſiam vndas excipientem, ſed non concuſſam: Eccleſia namque ſuſcipit tentationes; at non ſuperatur. Quid ergo eſt ſuper petram? id eſt ſuper confeſſionem Petri non ſuper opes. Non lapides iacis? non ligna? non ſpicula? nequaquam dicit. Non enim eſt ſenſibilis ſtructura. Hæc qualiacumque ſint tempore dilabuntur. Confeſſionem verò neque dæmones poſſunt ſuperare. Teſtantur martyres. Qui latus perfoſſi, fidem non amiſerunt. O rem admirabilem murus foditur, & theſaurus non diripitur, caro abſumitur, & fides non conſumitur. Ea eſt martyrum vis. [Super petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam.] Attendite ſedulo, eos vocat portas inferi, qui mortem pariunt. Quid igitur? in infernum intrabit, ſi in diſcrimen venerit? vtique. Nam vt portæ Vrbis ſunt ingreſſus in Vrbem, ſic portæ inferni, ingreſſus ad mortem. Cur, inquit tentationes non prohibes? nequaquam. Vt oſtendam vires meas, ſi nemo eam oppugnarit, poſſunt reſpondere: nam ſi fuiſſet oppugnata, fuiſſet vtique & expugnata. Propterea eam permitto oppugnari, ne propugnatorum ſolitudini, victoriæ titulus inſcribatur, & portæ inferi non dixit non aggredientur eam. Quid ergo? oppugnabitur quidem, ſed non ſuperabitur. Fluctuat Eccleſia, ſed non mergitur, ſed non petit profundum. Excipit tela, ſed non admittit vulnera. Excipit machinas, ſed turris non quaſſatur. Sed quid dico Eccleſiam? vnum verbum, piſcator locutus eſt, & turris ſtetit inconcuſſa. Quot tyranni conati ſunt hoc verbum abolere, nec potuerunt, ſuper petram enim fundata eſt. Cogita quot Reges diademate redimiti, enſes acuti, ferarum dentes, mortes imminentes, ſartagines, fornaces, & pharetram ſuam exhauſit diabolus, & Eccleſiæ non obfuit. Qua nam de cauſa? quia portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam. Ipſa res teſtimonium perhibet. Teſtatur euentus experientia. Quot bellum geſſerunt, num euicerunt? ſed qui bellum geſſerunt, ſilentio tranſiguntur, & obliuioni mandantur, Eccleſia verò floret. Vbi Claudius? vbi Auguſtus? vbi Tiberius? nuda ſunt nomina; eorum meminit nemo. Nam poſtquam Eccleſiam oppugnarunt, memoria eorum deleta eſt; & Eccleſia ſuper ſolem refulget. Audiſti verba Doctoris aurei animo & corpore? audiſtis à Deo afflatum, theologum Patrem hunc? ſcilicet quod Eccleſiæ oppugnatores abolentur & obliuioni mandantur: Eccleſia verò floret; & contorquent quidem tela pugnatores, at ipſi vulnerantur. Cur nam hęc? quia Chriſtus ipſam ſuo redemit ſanguine. Per quem Cœlum firmatum eſt, terra fundata. Domini enim verbo, dicit Dauid, Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Igitur verbo quo firmauit Cœlum, firmauit Eccleſiam ſuam dicens: [Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.] Quam petram, ſolidam fidei confeſſionem Petri piſcatoris; quæ firmata, manet inconcuſſa, &

immo-

immota & inexpugnabilis: quemadmodum & Cœlum stat, & permanet vi verbi. Ideò in cœlo & in terra Ecclesia Dei honorabilis, & sancta est. Immò verò secundùm aureorum verborum, & sermonum Patrem hunc, Cœlo & angelis & omni creatura præstantior est. Ideò & subijcit Christus dicens, Cœlum & terra transibit, verba autem mea numquam transibunt. Id est facilius est Cœlum, & terram, & omnia concuti, quam Ecclesiam meam. Incursiones hæretici facient, at non præualebunt. In petram impinget capita sua, & dispergentur, quia super petram fundata Ecclesia est. Propterea Ecclesia tamquam petra manebit inconcussa, secura fiducia Christus dixit. Nam qui à principio suæ prędicationis eam oppugnauerunt. Deleti sunt & memoria eorum cum sonitu perijt: Ecclesia vero vernat, & refulget super solęm. Vbi Reges qua in eam deseruierunt? vbi Principes, vbi hæretici? vbi Arius, & Eunomius? vbi Nestorius, & Dioscorus? vbi Seuerus, & Eutyches? vbi qui præcesserunt, & qui postea subsecuti sunt omnes? nonne perierunt? nonne extincti sunt? sed Ecclesia tunc, & nunc, & semper est, vsque ad seculi consummationem & finem.

SECTIO XIX.


TOt igitur, & egregijs rebus expositis ex mellifluis sacri Doctoris sermonibus: æquum est, quod illi, dum oraret, euenit cum omni reuerentia commemorare. Sic enim inuenimus scriptum in eius vita, quam Metaphrastes enarrat, cuius initium, & omnium qui secundum Deum in hac vita versati sunt, post multa ait: Cùm is noctu in oratione perstaret, se obtulit quædam diuina res, & sublimior, quam vt oculis cerni posset, & quemadmodum rem in medium proponere lingua vix audeat, ita & audire nouum videatur. Itaque nouum quiddam, & horrore plenum audisse. Cæterum animaduertendum quod huic narrationi, æque mista sunt timor & lætitia. Duo quidam viri alba amicti veste aspectu horrifico visi sunt ei de Cœlo descendere, huicque præclaro viro dum oraret in conspectum venisse. Quorum alter volumen, alter claues manibus continere videbatur. Cumque Ioannes hanc nouam speciem miraretur timore esse correptum; hos vero manibus apprehensum erexisse, & metum abstersisse, bonoque animo eum esse iussisse. Percontanti quinam essent ij viri tanta præditi gloria, qui accedere ad se dignati essent; ne timeas, eos dixisse; nos venimus à Christo missi. Alterum postea manu protensa volumen tradidisse, dicentem sume librum. Nam ego sum Ioannes, cui sapientia Dei pectus tradidit, in quod & recumbere voluit. Quæ quidem te, & per nos ad scripturas pernoscendas idoneum reddet, & te quasi manu ducet ad eius cognitionem. Alterum vero manu extensa, sume dixisse, has claueis. Meque Petrum esse scito, cui Deus claues in manus tradidit. Quem nunc per me crede te eadem gratia, qua me participem facere. Quare quæcumque ligaueris, vel solueris super terram, erunt ea ligata, vel soluta & in Cœlis. Nonne deprehendis ex his, alterum vna cum munere scripturas facilè interpretandi, & harum intelligentiam à datore sapientiæ adiunxisse? alterum verò vna cum facultate soluendi, & ligandi, & intelligendi; iniunxisse, & pie in Iesum Christum Dei Filium per eum credendi? Credite in posterum quod sine obedientia erga Petrum, saluari non potestis, & iure quidem, nam is est porta salutis. Qui per eum in cognitionem fidei non ingreditur, idest vt eum agnoscat esse Christi Vicarium, non poterit vmquam salutem consequi. Nam vt Christus inquit. Ego sum ostium, qui non intrat per ostium, sed aliundè ascensum parat: fur est & latro. Ita & Petrus eius successor dicit. Ioann.10. qui non credit per me filium inuisibilis Dei, & Patris in carne genitum, qui passus est & resurrexit, & cætera dispensationis mysteria, hic hæreticus est; & saluari nullo vmquam tempore poterit. Hæc igitur, & talia tenentes, quorum refertæ sunt omnes Doctorum scripturæ, Ecclesiæ subijcimur. In eaque permanemus, & in obedientia eius persistere in omnia secula deprecamur vt propitium Deum nanciscamur in tremenda die retributionis, Fiat fiat.

SECTIO XX.

IAm quoad eius fieri potuit præstitimus, quod polliciti sumus allata ad quinque articulos, responsione qui in decreto Florentinæ Synodi continentur. Conscripsimus verò hæc à communibus Patribus, ac Doctoribus desumpta materia: quos Ecclesia sanctos esse decernit, illorum vestigijs insistendo, & qui hæc literis theologicis mandauerunt, & tradiderunt, vt veraces suscipiendo, quibus Ephesius Marcus non valens in Synodo contradicere, & sui incertus certamen detrectauit. Perfecimus autem hoc opus multo labore, ac studio, propterea omnes qui hæc perlegerint, oro ne dolosè: & cum pręsumptione, aut proprio affectu inducti, percurrant, sed sincera dispositione adhibita, suam conscientiam iudicem dictis præficiant. Arbitror enim eum qui hac conditione ad legendum accesserit, à morbo se vindicaturum; magnamque gratiam habiturum ei, qui hæc edidit, & laborauit, cum hanc commentationem ex multis locis collegerim, & coagmentarim. Exantlauimus verò hunc laborē vt Dominus scit, qui occulta cognoscit, non gloriam aucupando temporariam, neque opum comparandarum gratia, sed pura, & pia mente pro virili veritati patrocinari exoptantes. Quæ quidem ijs, qui apertè sanctis contradicere nolunt, liquido est demonstrata, & ea præterea de causa hoc opus aggressi sumus, vt qui horum studiorum sunt ignari, & tamen de hoc dogmate ambigunt, nequaquam amplius excusatioem afferre possint se sententias, & dicta sanctorum planè ignorare. Ideò æquum mihi visum est volumen hoc rerum contexere, & resipiscere aliquando volentibus, veluti sumptuosum quoddam conuiuium apponere Cantic.4. Ecclesia verò sponsa immaculata nullas sordes, vel rugas admittens, sole lucidior denuò apparebit, vt fuit, & est, & erit; quamquam disrumpantur, qui contra sentiunt. Nam sem-

semper extitit extra errorem, neque diuersas opiniones prędicauit: sed easdem illas, quas à diuino ore Saluatoris accepit. Rogo vos iterum ò carissimi, vt hæc cum charitate Legatis, & spiritu fidei: ac si vera & iusta visa fuerint, ijs assentiamini. Si verò contra confutetis, & scriptis editis rationes afferatis: vt & nos ijs perpensis, sententiam nostram cum charitate dicamus, retractantes nostra, vel delentes. Spero igitur Deo fisus, qui pacis est Pater, vos his rationibus suasos veritati cessuros, animi candorem, & obedientiam Deo prestando, mutuoque accipiendo paracleti gratiam, & prudentiam; nam eo concedente, nulla mutatio, vel imminutio pij, & Patrij Spiritus consequeter: neque ortodoxa veritas imminuitur. Absit: malò enim millies mori, quam suadere vos vt tantillum quidem à vera fide declinetis. Resipiscite rogo fratres resipiscite. Quamdiù vos in hac falsa suasione perdurabitis? quandiù si non vtroque, altero tamen pede claudicabitis? excitemini segnes, qui humi repitis, exurgatis, ne dum vos malum somnum stertitis, facilè inimicus disseminet discordiæ zizaniam. Tollatur paries, qui dirimit sepem, fiamus vnum corpus sub eodem capite; est autem caput ipse Christus. Quem vt magistrum: ac vitæ datorem pie, & pura conscientia sequendo, cognoscemus Deum, & Patrem eius: à quo ab æterno sine tempore, sine defluxu, & sine passione est genitus, sanctissimumque, & viuificantem eius Spiritum à Patre; tamquam productore ab æterno, & à principio productum, & procedentem; & per eum emanantem, & scaturientem essentialiter, & subsistenter, & prodeuntem, & editum, vnam increatam potentiam, & sine fine Regnum, immortalem vitam, & beatitudinem, quam vtinam omnes consequamur, ne de via declinantes in montes: solitudines, & foueas delabamur: & in loca, quæ non aspicit lux vultus Domini nostri, & Saluatoris nostri Iesu Christi, cui gloria, & victoria in secula seculorum. Amen.





HENRICI
REGIS ANGLIÆ
Huius Nominis Octaui.

DE PRIMATV ROMANI PONTIFICIS, & de Indulgentijs aduersùs Lutherum.

Henricus Octauus verè Angliæ Salomon Primùm Sapiens, deindè Apostata iuxta Prouerbium dicentis, experientia confirmatum, Virum & mulieres faciunt Apostatare Sapientem; innumera Ecclesiæ vtilia gessit antequam in eam phrenesim incideret, & de ea valet illud Origenis, vbi benè, nemo melius. vbi malè nemo peius. Propositum in præsenti nobis est ea tantùm exponere, quæ sanus gessit; & dicere de ipso, vt de Saul, duobus annis tantùm regnauit, idest ijs tantùm, in quibus verè regnauit. Anno 1511. Studet conciliare pacem inter Pontificem, & Gallorum, & Germanorum Reges, vt arma contra Turcas vertantur Ludouico Gallorum Regi æquas pacis cùm Pontifice leges proponit: & aduersùs cum iniquè pacem æquam respuentem, se Pontifici; & Hispanis coniungit. Adiungit se Concilio Lateranensi, arma sumit contra Gallos schismasticos pro Pontifice; eaque illius rogato deponit. Decernitur maritimi belli dux eum Emmanuele Rege Lusitaniæ aduersus Turcas, Audita sententia Papæ contra Lutherum, eā mandari operi iubet eiusq: pestiferos libros exuri. Audita Clementis Septimi captiuitate, quæritur de Carolo Quintó; & agit cum Francisco I. de eo liberando, & arma cum Gallis Heluetijs, Venetisque iungit. Hæc & innumera alia pro Sedis Apostolicæ munimine egit. Vt autem etiam calamo, ne dum gladio Romanum Pontificem defenderet. edit librum aduersùs Lutherum pro Sacramentis Ecclesiæ de Primatu Romani Pontificis, vbi affert vnicum, quòd omnibus combustis alijs, vult Lutherus ab omnibus teneri, nempè Papatum romanum esse robustam Venationem Nembroth, & illud argumento insigni destruit, Primatumque confirmat. Missæ Sacrificium egregiè propugnat aduersùs Nouatores; & confessionem auricularem, traditiones, & audiendum Paraclitum qui per Ecclesiam loquitur, non Lutherum, ex Christi imperio fugiendum potiùs, quam audiendum, defendit Sacerdotis dignitatem, demonstrat eadem ratione Christianos esse Reges, qua Sacerdotes, defendit Sacramentum extremæ vnctionis, deridet Lutherum Immortalitatem suis spondentem; ostendit plures illum trucidasse, neminem sanasse. Oratoris opera porrigit librum Pontifici, sua scripta Pontificiæ Auctoritati subijcit. Iste liber aduersùs Lutherum versus in Germanicum sermonem, Catholicos confirmat; & quamuis à Luthero proscinderetur omni scurrilitatum genere, à Leone Decimo ornatur innumeris elogijs; & nobilissimo Defensoris fidei titulo decoratur, occasio ergo huius libri fuit Martinus à Lauther, seu Luther; qui anno 1517. incepit disputare de indulgentijs, & peccatorum condonationibus. Accidit eo tempore vt Leo Decimo nouas indulgentias per orbem diuulgaret, elegit autē Pontifex Archiepiscopum Moguntinum; & Magdeburgensem S. R. E. Cardinalem, & Germaniæ Primatem;

tem; qui elegit adhoc exequendum Ioannem Telzel virum insignem Ordinis Prædicatorum; qua ex re ira commotus Lutherus, ex inuidia, & auaritia scripsit ad Ioannem Starpitium Vicarium Generalem Augustinianorum in Germania epistolam; & in publicum euulgauit 95. propositiones, quibus impugnabat communem opinionem, & Ecclesiæ sententiam de Indulgentijs, & earum abusu, Telzelius Commissarius Apostolicus 106. edidit propositiones, quibus contrariam explicabat sententiam. Hinc lites & disputationes. Commissa fuit Caietano, tunc temporis in Germania Legato à Latere, ibique comparuit; sed nil dedit, nisi verba. Commissa deindè est pugna inter Ioannem Echium; & Carolstadio, qui cùm parum laudis reportaret, habuit socium Lutherum, nec rogatum, nec prouocatum per 11. dies. Sed factus; è iacturis suis obstinatior, scripsit contrà Romanam Ecclesiam, indulgentias, & Sacramenta, & collegit in vnum omnes hæreticorum errorem. Cùm igitur Lutherus, complicesque sui præ se contemnerent omne iudicium Ecclesiasticum, rebelles non modo ordinarijs iudicibus, sed & Principibus, Papæ; & Concilio ipsi Generali; misertus, condolensque Germaniæ Nationi Henricus, calamum non erubuit tractare è trono, decertaturus contrà maledicum & Apostatam. Scripsit itaque assertionem 7. Sacramentorum aduersùs captiuitatem Babylonicam Lutheri ad Leonem Decimũ; adeò sanè disertè, eruditè, vt eo labore promeruerit ipsius Papæ, omniumq; Cardinalium iudicio perpetuæ laudis titulum, vt publicæ fidei defensor nuncuparetur. Quod, & inuitus tamen testatur Sleidanus lib. 3. Postea quam autem sensit Lutherus, hoc libro regio per Hieronymum Empserum in linguam Germanicam translato, multùm existimationis apud Germanos detrahi, Euangelio suo longè atrocissimè contra omnem pudorem humanum inuectus est in Regem Angliæ, & quidquid ei in buccam venit; sine aliquo rubore euomuit, ius gentium; quo Regiæ Maiestati defertur, ac fas omne furiosè, contemnens. Vocat eum sordem; & Labem hominum. Quis, est dicens, iste Henricus nouus Thomista? Item rectè coniungitur simul Papa, & Henricus de Anglia, ille Papatum suum tam bona habet conscientia, quàm hic suum possidet regnum. Dum tamen sic furebat Lutherus piam, et eruditam Regis Angliæ assertionem cœperunt à Lutheranis calumnijs, asserere, et mendacia in os; et calamum Lutheri retorquere D. Ioannes Echius Latinè, et Thomas Minruerus Theutonicè; et inter cæteros Ioannes Dientembergius pius; et eximiùs Theologus, in duabus duntaxat confutationibus, de votis; et de confessione, quas in Lutherum scripsit, plusquam octingenta mendacia in Luthero detexit. Cæterùm ex Anglia quoquè viri duo Regem suum à Lutheri obiectionibus, et calumnijs defenderunt; nempè Roffensis, et Gulielmus Rosseus Quibus nec Lutherus, nec Lutheranorum quispiam vnquam respondere attentauit Henricus autem, vbi intellexit Lutheri in maiestatem suam furorem veriùs; quàm librum, non contra Lutherum iratus rescripsit leuitèr, aut contentiosè, sed grauitèr cum summa et pietate, et prudentia per literas admonuit periculi Saxoniæ Duces, quas literas attulit eis Nuncius Regius, qui à Principibus illis honorificè susceptus; liberalitèr habitus, literis, & muneribus datis, dimissus, ad Regem suum redijt. Sed iam videmus quid obijciant aliqui, cur huius Regis monimenta emittamus, quem à Catholica tandem Ecclesia defecisse, omnibus compertum est, & præcipuè in eo, quod se ipsum supremum Caput Ecclesiæ Anglicanæ constituerit. Maximè ergo dolendum est; quod ceciderit ista cedrus Libani, & non respexerit retrò tam diuersus à se ipso. Cæterùm Salomon omni gratia & sapientia donatus à Domino, ad idololatriam à mulieribus inducitur, prouerbia tamen, & reliqua; quæ conscripsit, non ideò ab Ecclesia sunt reiecta, sed nihilominùs, in Canone Ecclesiastico recepta. Sic in hoc Rege ira accenso; maximè instigante illa noua Iezabele, quæ odio in Pontificem flagrabat, tam impias nuptias approbare renuentem, quæ tandem iusto Dei iudicio debitas perfidiæ pœnas luit, ab ipso Rege, vt adulteram, capite damnatam. De hoc autem libello scribit Erasmus in epistola ad Georgium Ducem Saxoniæ anno 1522. Vocat libellum elaboratum & ingenium Principis mirè felix, ac versatile, & dicit eumdem scripsisse disputationem Theologicam, an laicus obligaretur ad orationem vocalem, & gaudet versari in libris scholasticorum Theologorum; & in conuiuijs disserere de re Theologica. Roffensis in assertionis Lutheranæ confutatione, ait; calamo totius Ecclesiæ fidem tutatum esse, idquè tam splendidè, tamque copiosè fecisse, vt nescias quod primum in eo mireris ingenium, eruditionem, an facundiam, vt de cæteris sileam; ne captare gratiam

eius videar. Albertus Pius Carpirum Comes in responsione ad epistolam primam Erasmi laudat summoperè, nō quod potentissimus Angliæ Rex fuerit, quod plerisque contigit; sed quod tatatus fuerit Ecclesiam Catholicam; & armis & lingua, & asserit monimentum illud perpetuum testari eum referendum inter Heroes, & esse præferendum cæteris triumphis, quantò gloriosior est triumphus de inimico Christi; quam de priuato, de ingenijs, et sapientia; quam de corporibus, et de Regno cœlesti, quam terreno propagando cogitare. Ea impressa Lugduni 1561. pauca de Primatu Romani Pontificis ponimus.

Sanctiss. Domino Nostro Domino Leoni X. Pont. Maximo

Henricus Dei gratia Rex Angliæ, ac Dominus Hiberniæ perpetuam felicitatem.



CVm partim bellicis, partim alijs, lōgè diuersis studijs Reipublicæ causa adolescentiam nostram insueuerimus, miraturū te beatissimè Pater non dubitamus, quòd eius nunc hominis partes nobis sumpserimus, qui omnem potiùs ætatem consumpsisset in literis, vt grauem scilicet, hæresim pullulantem comprimamus. Sed desinet (opinor) tua sanctitudo mirari, postquam causas expenderit, quæ nos subegerunt, vt hoc scribendi onus (quāquam non ignari, quàm sumus impares) subierimus. Vidimus siquidem in messem domini iacta zizaniæ semina pullulare sectas, hæreses in fide succrescere, & tantam per Orbem totum Christianum seminatam discordiæ materiam, vt nemo, qui syncera mente Christianus sit, hæc tanta mala tam latè serpentia, ferre diutiùs possit, quin & studium cogatur, & vires qualescumque possit, opponere. Mirum igitur videri non debet, si nos quoque, tametsi potestate non maximi, fide tamen, ac voluntate nemini secundi in opus tam pium, tam vtile, tam necessarium, vt à nemine fermè possit absque piaculo prætermitti: & nostram erga tuam sanctitatem, obseruantiam, & erga religionem Christi studium, erga Dei cultum obsequium nostrum declarare constituimus: maximè fidentes, etsi eruditio nostra sit tam exigua, vt propemodùm nulla, gratiam tamen Dei sic cooperaturam nobiscum, vt quod doctrina nequiuimus, perficere, id ipse pro sua benignitate, summàque potentia pleniùs absoluat, ac nostram in literis imbecillitatem suo vigore suppleat. Quamquam in literis quoque, præsertim sacris, etsi certò sciamus nusquam non esse multos, qui hoc scribendi munus, & obire commodiùs, & præstare potuissent vberiùs, tamen non vsque adeò rudes sumus, vt in communi causa dedeceat nos quoque pro nostra virili, calamo quid possemus (quantulum id cumque fuerit) experiri. Postquàm enim in administranda Republica maximam semper vim, maximùmque momentum Religionem habere multò vsu aduertimus, vt primùm maturiores annos attigimus, cœpimus eius contemplationi non nihil studij impendere. Plurimum profectò (postquam cœpimus) in eo delectati consecuti tamen, non nos latet, quàm exiguum. Tantùm tamen (vt speramus) quantùm, adiuuantibus præsertim, vel potiùs instigantibus ijs, quæ vel admodùm rudem abundè reddere instructum possent, pietate scilicèt, & læsæ religionis dolore, ad Lutheranæ hæresis fraudes rationibus detegendas, sit satis. Itàque etiam hac fiducia rem tentauimus, & quæ in ea meditati sumus, sanctitati tuæ dedicauimus, & sub tuo nomine, qui Christi vicem in terris geris, publicum iudicium subeant. Sic enim nobis persuasimus, cum ea hæresis aliquandiù inter Christianos grassata grauissimæ, saluberrimæque, sententiæ tuæ vi, è manibus hominum sit excussa, siquid eius in pectoribus, vel captione aliqua deceptis, vel blandis pollicitationibus inescatis, adhuc resedit, id esse iustis rationibus eximendùm. Sic enim futurum, vt cum duci, quàm trahi se ingenia libentiùs patiantur, non desit his mitioris quoque remedij ratio, in qua promouerimus ne nos quicquam, an non, beatitudinis tuæ iudicium erit. Cuius etiam arbitrio, siquid est à nobis erratum, corrigendum offerimus.

AD LECTORES.

MOtus quidem fidelitate, ac pietate, quamquam mihi nec eloquentia sit, nec scientiæ copia: cogor tamen, ne ingratitudine maculer, matrem meam, Christi sponsam, vtinam tanta facultate, quanta cum voluntate defendere. Quod licèt alij præstare possint vberiùs, ac copiosiùs, mei tamen officij esse duxi, vt ipse quoque quamtumuis tenuiter eruditus, quibus rationibus possem, Ecclesiam tuerer: meque aduersùs venenata iacula hostis eam oppugnantis objicerem. Quod vt faciam, tempus ipsum, & præsens rerum status efflagitat: nam anteà cum nemo oppugnaret, nemini propugnare necesse erat. At cum iam hostis exortus sit, quo nullus potuit exoriri malignior, qui dæmonis instinctu charitatem prætexens, ira, atque odio stimulatus, & contra Ecclesiam, & contra Catholicam fidem vipereum virus euomuit, necesse est aduersùs hostem communem Christianæ fidei, omnis Christi seruus, omnis sexus, omnis ordo consurgat: vt qui viribus non valent, officium saltem alacri testentur affectu. Nunc itàque conuenit, vt duplici armatura muniamur, cœlesti scilicet, ac terrestri. Cœlesti, vt qui ficta charitate, & alios perdit, & perit ipse, vera charitate lucrifactus, alios lucrifaciat, & qui falsa doctrina depugnat, doctrina vera vincatur. Terrestri

verò

verò, vt si tam obstinatæ malitiæ sit, vt consilia sancta spernat, & correptionem piam contemnat, meritò coerceatur supplicio: vt qui benè facere non vult, desinat malè facere: & qui nocuit verbo malitiæ, supplicij prosit exemplo. Quæ pestis vmquam tam perniciosa inuasit gregem Christi? Quis serpens vmquam tam venenatus irrepsit, quàm is, qui de Babylonica captiuitate Ecclesiæ scripsit, qui scripturam sacram ex suo sensu contra Christi sacramenta detorquet, traditos ab antiquis patribus ecclesiasticos ritus eludit, sanctissimos viros, vetustissimos sacrarum literarum interpretes, nisi quatenus ipsius sensui conueniunt, & consentiunt, nihili pendit: sacrosanctam sedem Romanam Babylonem appellat, summum Pontificem vocat tyrannidem, totius Ecclesiæ decreta saluberrima captiuitatem censet, sanctissimi Pontificis nomen in Antichristum conuertit. O detestabilis arrogantiæ, contumeliæ, ac schismatis buccinator. Quantus inferorum lupus est iste, qui Christi gregem dispergere quærit? Quantum diaboli membrum, qui christianos Christi membra quærit à capite suo decerpere? Quàm putris huius animus, quàm execrabile propositum, qui & sepulta resuscitat schismata, & vetustis adijcit noua, & hæreses æternis abdendas tenebris, velut Cerberum ex inferis producit in lucem, dignumque ducit se, cuius vnius verbo (post habitis antiquis omnibus) vniuersa regatur, immò subuertatur Ecclesia? De cuius ego malitia quid dicam, nescio: quam tantam censeo, quantam neque lingua cuiusquam, neque calamus exprimere possit. Quam ob rem vos omnes Christi fideles hortor, oro, & per Christi nomen (quod professi sumus) obtestor, vt qui Lutheri opera (si modo is Babylonicæ captiuitatis sit auctor) omninò velint inspicere: cautè illud, & cum iudicio faciant, vt quemadmodùm Vergilius aurum se colligere dixit è stercore Ennij, sic è medijs malis colligant bona. Nec ita (siquid arridet ipsis) afficiantur, vt cum melle simul imbibant venenum. Multò enim satius fuerit vtroque carere, quàm vtrumque glutire. Quod ne accidat, vtinam auctor aliquandò resipiscat, vt conuertatur, & viuat: ac suos libros omni malitia refertos, exemplo Augustini (cuius regulam profitetur) retractet, erroresque reuocet. Quod si recuset Lutherus, breui certè fiet, si Christiani principes suum officium fecerint, vt errores eius, eumque ipsum (si in errore perstiterit) ignis exurat. Intereà nobis visum est in captiuitate Babylonica quædam loca commonstrare lectoribus, in quibus præcipuum latet venenum.

Ex quibus appertè satis constabit, quàm exulcerato animo aggressus sit opus, qui cum publicum bonum prætendat, nihil præter malitiam adscribendum afferat.

Vt hæc doceamus, quæ diximus, haud longè nobis petendæ probationes sunt: nam nequis ob eam rem sursum, deorsum cursitet, Lutherus vltrò se se atque animum suum primo statim principio prodit. Quis enim dubitet, quò tendat, quò se proripiat is, cuius vel hunc vnum versum legerit?

Indulgentiæ sunt adulatorum Romanorum nequitiæ.

QVemadmodùm animal omne potissimùm ex facie dignoscitur, ita ex hac quoque prima propositione clarescit, quàm suppuratum, ac putridum is habeat cor, cuius os amaritudine plenum, tali exundat sanie. Nam quæ de indulgentijs olim disseruit, ea plerisque multùm videbantur adimere non modo de potestate Pontificis, verùm etiam de bona spe, ac sancta consolatione fidelium: hominesque vehementer animare, vt in pœnitentiæ suæ confisi diuitijs, ecclesiæ thesaurum, & vltroneam Dei benignitatem contemnerent. Et tamen ea, quæ tum scripsit omnia, idcircò mitiùs accepta sunt, quia plæraque differebat dumtaxat, non asserebat. Subindè etiam petens doceri, seseque pollicens meliora docenti pariturum. Verùm istud quàm simplice scripsit animo, homo sanctulus, & omnia referens ad spiritum, qui fictum effugit: hinc facilè deprehenditur, quòd simul, atque à quoquam salubriter est admonitus: licèt pro benefacto regessit maledictum, conuicijs, & contumelijs insaniens: quibus operæprecium est videre, quo vesaniæ tamdem prouectus est. Ante fassus est indulgentias hactenùs saltem valere, vt præter culpam etiam à pœnis absoluerent, quascumque videlicèt, vel ecclesia statuerat, vel suus cuique sacerdos iniunxerat. Nunc verò non eruditione, vt ipse inquit, sed malitia tantùm profecit, vt sibi ipsi contrarius indulgentias in vniuersum condemnet. Ac nihil aliud eas dicat esse, quàm meras imposturas ad nihil omninò valere, præterquam ad perdendam hominum pecuniam, ac Dei fidem. Qua in re quàm non scelerate modo, verùm etiam furiosè bacchatur, nemo est qui non videt. Nam si nihil omninò valent indulgentiæ, sed meræ sunt, vt Luth. ait, imposturæ, tunc necesse est impostores fuerint, non hic tantùm Pontifex Leo Decimus (cuius innocens, & inculpata vita, moresque sanctissimi ab ineunte ætate per Orbem totum satis explorati sunt, quemadmodum in epistola quadam ad Pontificem Lutherus etiam ipse fatetur) verum etiam tot retro sæculis omnes Romani Pontifices, qui (quod Lutherus ipse commemorat) indulgere solebant, alius remissionem annuam, alius triennem, quidam aliquot condonare quadragesimas, nonnulli certam totius pœnitentiæ partem, tertiam puta, vel dimidiam: aliqui demum remissionem indulserunt, & pœnæ, & culpæ plenariam. Omnes ergo (si vera dicit Lutherus) fuerunt impostores. At quanta magis cum ratione creditur hunc vnum fraterculum morbidam esse ouem, quàm tot olim Pontifices perfidos fuisse pastores? Nam Lutherus, vt dixi, cuiusmodi vir sit, quàm nihil omninò charitatis habeat, euidentissimè declarat: cùm non vereatur tot summis, tot sanctis Pontificibus tantum crimen impingere. Si Deus in Leuitico 19. dicit omnibus; Non eris criminator, nec susurro in populis: quid de Luthero censendum est? qui tam immane crimen non in vnum aliquem hominem, sed in tam mul-

tos,

eos, tam venerandos spargit antistites, idemque non in vna quapiam Vrbe susurrat, sed per totum buccinat Orbem? Si maledictus in Deuteronomio 27. dicitur, qui clam percusserit proximum, quanta maledictione percutitur, qui palàm tantis opprobrijs insulat in Præpositos? Denique si homicida est (vt ait Euangelista) nec vitam habet æternam, qui odit fratrem, an non hic æterna dignus morte parricida est, qui odio prosequitur patrem? Qui cùm eòusque progreditur, vt neget indulgentias quicquam valere in terris, frustrà cum eo disputem, quantum valeant in Purgatorio. Prætereà quid profuerit cum illo loqui, quibus subsidijs liberemur à Purgatorio, qui totum fermè tollit Purgatorium? Vnde cùm pati non possit, vt Pontifex quemquam eximat, ipse sibi tantùm sumit, vt neminem ibi relinquat. Quid attinet cum eo pugnare, qui pugnat ipse secum? quid argumentis promoueam si cum eo agam, vt donet quod ante negauit, qui nunc id ipsum negat, quod ante donauerat? Verum quantumuis disputentur indulgentiæ Pontificis, necesse est inconcussa maneant verba Christi, quibus Petro claues commisit Ecclesiæ, cùm dixit: Matth. 16. [Quicquid ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo: & quicquid solueris super terram, erit solutum & in cœlo.] Io: 20. [Item quorum remiseritis peccata, remittentur: & quorum retinueritis peccata, retinebuntur.] Quibus verbis si satis constat sacerdotem quemlibet habere potestatem à mortalibus absoluendi criminibus, & æternitatem pœnæ tollendi, cui non videatur absurdum sacerdotum omnium Principem nihil habere iuris in pœnam temporariam? Verum aliquis fortasse dicet: Lutherus ista non admittet, sacerdotem vllum quicquam ligare, vel soluere, aut Pontificem summum plus habere potestatis, quàm alium quemuis Episcopum, immò quàm quemlibet sacerdotem. At quid id mea, quid admittat, aut quid non admittat is, qui quorum nihil admittat nunc, eorum pleraque paulò priùs admisit: quique omnia nunc reijcit solus, quæ tota tot seculis admisit Ecclesia? Nam (vt cætera taceam, quæ nouus iste Momus reprehendit) certè indulgentias, si Pontifices peccauere, qui concesseruut, immunis à peccato non erat tota congregatio Fidelium, qui eas tamdiù tanto consensu susceperunt: quorum ego iudicio, & obseruatæ Sanctorum consuetudini non dubito potiùs acquiescendum, quàm Luthero soli, qui totam Ecclesiam tam furiosè condemnat. Cuius non modo summum Pontificem conuicijs insanis incessit, verùm etiam proclamare non veretur: Pontificem ipsum inane prorsùs nomen esse, nec re quicquam aliud esse censendum, quam regnum Babylonis, & potentiam Nembroth robusti venatoris: eòque lectores orat; orat librarios, vt omnibus, quę priùs de Papatu scripsit exustis, hanc vnam propositionem teneant.


Papatus est Robusta Venatio Romani Pontificis.

Illud hercle non absurdum votum est, quod quæ ante scripsit, flammis optat absumi. Erant pleraque flammis digna: sed multò tamen ista propositio dignior, quam, exustis illis, iubet velut dignam æternitate substitui. Quanquam quis non hic quoque, nisi malitiam norit, miretur inconstantiam? Nam priùs papatum negauerat esse diuini iuris, sed humani iuris esse concesserat. Nunc verò secum dissidens neutrius iuris esse confirmat: sed Pontificem sibi mera vi sumpsisse, atque vsurpasse tyrannidem. Sentiebat ergo pridem humano saltem consensu, propter bonum publicum Romano Pontifici super Ecclebam catholicam, delatam esse potestatem. Idque, vsque adeò sentiebat, vt Boemorum quoque schisma detestaretur, quod se ab obedientia Romanæ sedis absciderent: pronuncians eos peccare damnabiliter, quicunque Papæ non obtemperarent. Hæc quum haud ita pridem scripserit, nunc idem quod tum detestabatur, incidit. Quin istud quoque similis est constantiæ: quòd cum in concione quadam ad populum excommunicationem doceat esse medicinam, & obedienter, patienterque ferendam, paulò post excommunicatus ipse, idque meritissimo iure: sententiam tamen tam impotenter tulit, vt rabie quadam furibundus in contumelias, conuicia, blasphemias, supra quàm vllæ possint aures ferre, proruperit sic, vt suo furore planè perspicuum fecerit eos, qui pelluntur gremio matris Ecclesiæ, statim furijs corripi, atque agitari dæmonibus. Sed istud rogo, qui illam tam nuper vidit, vnde nunc subdito videt, nihil se tunc vidisse? Quos nouos oculos induit? An acutiore cernit obtutu post quam ad superbiam solitam, ira quoque superuenit, & odium, & longius videlicet prospicit, vsus tam præclaris conspicilijs?

Non tam iniurius ero pontifici, vt anxiè, ac sollicitè de eius iure disceptem, tamqua res habetur pro dubia. Satis est ad præsens negotium, quòd inimicus, eius ita furore prouehitur, vt sibi fidem deroget ipse, ac dilucidè se ostendat præ malitia, neque constare secum, neque videre quid dicat. Nam negare non potest, quin omnis Ecclesia fidelium sacrosanctam sedem Romanam, velut matrem, primatemq; recognoscat, ac veneretur, quæcunque saltem neque locorum distantia, neque periculis interiacentibus prohibetur accessu. Quanquam, si vera dicunt, qui ex India quoque veniunt hùc: Indi etiam ipsi tot terrarum, tot marium, tot solitudinum plagis disiuncti, Romano tamen se Potinfici submittunt. Ergo si tantam, ac tam latè fusam potestatem, neque Dei iussu Pontifex, neque hominum voluntate consequutus est, sed sua sibi vi vendicauit, dicat velim Lutherus, quando in tantæ ditionis irrupit possessionem. Non potest obscurum initium esse tam immensæ, potentiæ præsertim, si intra memoriam hominum nata sit. Quòd si rem, dixerit vnam fortassis, aut duas ætates superare,

in

in memoriam nobis rem redigat ex historijs. Alioqui, si tam vetusta sit, vt rei etiam tantæ obliterata sit origo: legibus omnibus cautum esse cognoscit, vt cuius ius omnem hominum memoriam ita supergreditur: vt sciri non possit cuiusmodi habuerit initium, censeatur habuisse legitimum, vetitumque esse constat omnium consensu gentium, ne, quæ diù manserunt immota, moueantur. Certè si quis rerum gestarum monumenta reuoluat, inueniet iam olim protinus post peccatum orbem, plærasque omnes christiani orbis ecclesias obtemperasse Romanæ. Quin Græciam ipsam, quanquam ad ipsos commigrasset imperium, reperiemus tamen, quod ad Ecclesiæ primatum pertinebat, præterquam dum schismate laborabat, Ecclesiæ Romanæ cessisse. Beatus vero Hieronymus quantum Romanæ sedi censeat deferendum, vel inde luculenter ostendit, quòd cùm Romanus ipse non esset, tamen apertè fatetur sibi satis esse, si suam fidem, quibusuis improbantibus alijs, comprobaret Papa Romanus, cui cùm Lutherus tam impudenter pronunciet (idque contra suam pridem sententiam) nihil omninò iuris in Ecclesiam catholicam, ne humano quidem iure competere, sed Papam mera vi, meram occupasse tyrannidem, vehementer admiror, quòd aut tam faciles, aut tam stupidos speret esse lectores, vt sacerdotem credant inermem, solum, nullo spetum satellito (qualem fuisse eum necesse est, priùsquam eo poriretur, quod eum Lutherus ait inuasisse (vel in spem inuenire vnquam potuisse, vt nullo iure fultus, nullo fretus titulo, in tot vbique pares Episcopos, apud tam diuersas, tam procul dissectas gentes, tantum obtineret imperium. Nedum, vt credat quisquam, populos omnes, vrbes, regna, prouincias, suarum rerum, iuris, libertatis, fuisse tam prodigos, vt externo sacerdoti, cui nihil deberent, tantum in sese potestatis darent, quantum ipse vix esset ausus optare. Sed quid refert, quid in hac re Lutherus sentiat, qui præ ira, atq; inuidia non sentit ipse: quid sentiat, sed benè declarat offuscatam scientiam suã, & cor ipsius insipiens obscuratum, traditumque in reprobum sensum: vt faciat, ac dicat ea, quæ non conueniunt. Quam verum est illud Apo. Si habuero prophetiam, & nouerim omnia mysteria, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita, vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. A qua quàm longè abest iste, non illud tantùm ostendit, quod præ furore perit ipse, sed istud multò magis, quod vniuersos secum trahere conatur in perditionem, dum omnes ab obedientia summi Pontificis laborat auertere: cui ipse triplici vinculo tenetur astrictus, vtpotè Christianus, sacerdos & postremò fraterculus, tripliciter à deo vicissim puniendus. Neque meminit quicquam, quantò melior est obedientia, quàm victimæ. Neque consyderat, si in Deuteronom. cauetur, vt qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui pro tempore ministrat Domino Deo suo & decreto iudicis, moriatur: quàm atroci sit supplicio dignius is, qui sacerdoti omnium summo, eidemque supremo in terris iudici non paruerit. Nam, & cùm vocaretur ad Pontificem, oblatis expensis, & data fide, venire tamen fraterculus, nisi munitus præsidio contempsit, & iam, quoad potest, totam perturbat Ecclesiam, corpusque totum solicitat ad rebellandum capiti, cui quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere. Quamobrem cum Lutherus odio prouectus, se præcipiret in perniciem, & legi Dei recuset esse subiectus, suam nimirum quærens constituere: nos vicissim christicolæ caueamus, ne (quod Apostolus ait) per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti simus multi, sed illius iniquitatem perosi, domino cum propheta canamus: Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi.



HIERO-



HIERONYMI MVTIJ IVSTINOPOLITANI.

DE ROMANA ECCLESIA TRACTATVS.

Hieronymus Mutius Iustinopolitanus, seu vt sæpè citat se in operibus suis Mutius Iustinopolitanus relicto nomine, quod familiare est Scriptoribus Gallicis diuersis artibus operam nauauit, Morali, Rethoricæ, Militari, & Theologiæ. Patria eius fuit Iustinopolis dicta Egida à Plinio, Istriæ Vrbs primaria, Episcopalis sub Patriarcha Aquileiensi, distans inde ab ea Vrbe trigintaquinque mille passus in ora littorea, in Peninsula vulgò propterea Capo d' Istria vocata. A Iustino Imperatore illius Instauratore nomen habet, inter Tergestum ad Occasum, & Parentium in Ortum, subestque Dominio Serenissimæ Reipublicæ Venetorum. Non ante docuit, quàm disceret longo tempore, & veluti Pictor ille tardus pingebat Æternitati, & de se fatetur in vinea Domini otiosum ferè tota die fuisse, vix circa sextam, & nonam horam vocatum ad laborem, vtinam & ad æqualem cum alijs mercedem. In alieno solo Patriam inuenit, degens cum tota domo suo Pisauri, è qua Ciuitate sæpè veniebat Romam; In qua Vrbe familiaritate vtebatur cum Cardinali Alexandrino, & erat optimè cognitus à Summis Pontificibus, à quibus non mediocria priuilegia habuit pro se, suisque libris. Ab eodem Cardinali Romam degente, & amicis extrà Italiæ fines constitutis dabantur ei in manus hæreticorum libri, vt illis responderet, & tanta erat anxietas Catholicorum, vt si aliquo tempore tardasset extemplo à Catholicis damnaretur, indigeretque Apologia. Scripsit autem libros suos lingua materna, excepto illo de Ecclesia Romana scripto Latinè, qui mos apud Germanos est in vsu. Edidit ergo Venetijs apud Ioannem Andream Vvaluassorem dictum Guadagninum 1572. Siluam odoriferam, quasi ipse varias arbores plantauerit vllo fine ordine posteà eas in ordinem vnum collegerit, & Siluam conflauerit, inscribit eos Tractatus pro Dei vinea editos diuersis temporibus. Sub Paulo Tertio cæptum est loqui de Concilio Tridentino, an deberet nec ne congregari, & statim de hac materia scripsit librum, Vtrùm nec ne deberet Concilium conuocari. Exierat declaratio illa celeberrima nominata interim, & subitò scripsit de Communione sub vna, & altera specie, & de vxoribus Clericorum. Ad Principem Vrbinatem, deinde misit breuem institutionem circa Sanctam Catholicam Fidem, & eam inscripsit Antidotum Christianum. Post vidit pestilentem librum Brentij, in quo volebat suadere Principibus, vt vnusquisque sibi arrogaret Auctoritatem spiritualem Catholicæ Ecclesiæ opposuit doctrinam tamquam clypeum, & inscripsit Catholica disciplina Principum. Exijt deinde ex Saxonia infernalis spiritus, vt ipse vocat, qui Papam vocabat Antichristum, & ipsum Auctorem libri nominauit Hæreticum furibundum. Posteà Pius Quartus intentionem habuit denuò aperiendi Concilium Tridentinum, aliqua conscripsit considerationè digna, adiungens etiam discursum hortatorium vnionis Italiæ. Publicato verè Concilio promulgauit Bullingerus librum pessimum, vt destrueret Auctoritatem, & doctrinam Sacrorum Conciliorum, qui liber velut hydra nascens

scens subitò igne extinctus est. In Tridentina Synodo inter alias materias tractata est per diuersos Articulos ea Sanctissimi Sacramenti, & super tria capita posuit suas responsiones. Eodem tempore Concilij sub nomine Apologiæ exijt ex Anglia inuectiua contra Papam, & Ecclesiam Romanam, & subitò ipse responsum dedit contra Apologiam Anglicanam. Et cùm in dubium verteretur vtrùm Papa esset Episcopus vniuersalis scripsit librum de Romana Ecclesia distinctum in 12. Capitula, vbi demonstrat eam Matrem, Caput, & Principem totius Christianitatis. Ediderat interim hic Auctor responsionem cuidam Epistolæ Francisci Betti hæresibus plenæ, & in lucem editæ, vt vbique spargeretur. Ille librum edidit contra hanc Epistolam inscriptum Malitiæ Bettinæ in Italico, distinctum in quatuor partes. In prima demonstrat malitiosas allegationes, & interpretationes Sacrorum Doctorum factarum à Francisco Betti. In secunda demonstrantur eius malitiæ in allegando, & interpretando Sacra Concilia. In tertia ostenditur, quomodo malitiosè allegat, & interpretatur Sacram Scripturam. In quarta aufertur velum illius notabilibus mendacijs. Pisauri per hæredes Bartholomæi Cesani 1565. Cùm autem particularem seruitutem haberet erga Vrbinates Principes illis dedicauit librum Syluæ odoriferæ, & scripsit illius Historiam. Plura alia in lucem edidit, varia Opuscula Moralia omnia Italicè, librum inscriptum Tria testimonia, librum de Bellis Rimas, librum de Duello, & innumera alia volumina sed exigua, quæ passim inueniuntur, & ipse de semet fatetur; enumerans enim varios libros suos, concludit vltra millena alia, quæ in diuersis materijs necesse fuit scribere; quæ materiæ etiam indicantur, in Motu proprio Pij V. moralia enim sunt, militaria, & Catholica, Poetica, adde & Historica. De eo mentionem facit Matthæus Koningius in sua Bibliotheca mentionem faciens etiam de paruo libro in his non comprehenso, & apud Auctores passim citantur isti exigui Liberculi, & Opuscula, ex quibus vnum de Ecclesia excerpimus. Sub quibus autem Pontificibus, & quo tempore vixerit satis indicant quæstiones ab eo motæ desumpta semper à tempore occasione, & priuilegio Pij V. illi concesso.

AD S. VNIVERSALEM SYNODVM TRIDENTINAM

PRÆFATIO.



XPETIVIT Sathanas vt cribraret nos: & cùm homines sui similes inuenisset, per illos Ecclesiam Dei oppugnare aggressus est; quàm vt faciliùs possit euertere, illius Rectorem artibus suis impetere est adortus; fallacijs scilicet, & mendacijs, quorum ille Pater est, & quibus ipse armis contra veritatem innititur. Hinc illæ blasphemiæ, Romanum Pontificem cæteris Episcopis non esse superiorem: Non à Deo, sed à Phoca potestatem habuisse: Non esse illum Caput, non Episcopum vniuersalis Ecclesiæ. Quæ vulgò sparsa ita inualuerunt, vt in plenarium etiam Concilium irrepserint. Hæc itaque cùm ego non sine stomacho circumferri audirem, diutiùs me continere non potui, quin veritatis tela arriperem, meque (quantulæ sint vires meæ) eorum furori opponerem. Summatim igitur Decreta Patrum, & Conciliorum antiquorum excerpsi à Clemente Pontifice Primo vsque ad finem Chalcedonensis Concilij, vt quatuor sanctissimas generales Synodos comprehenderem. Quibus temporibus nemo sanæ mentis neget veram Catholicam Fidem, veramque Fidelium doctrinam claruisse: nosque secundùm eorum dogmata vitam debere instituere, ac populos docere. Hoc autem fidei meæ in hac parte testimonium vobis amplissimis, ac Reuerendissimis Patribus (qualecunque sit) reuerenter offerre statui, ac illius diuini spiritus iudicio subijcere, quem Ecclesiæ suæ sanctæ (quæ repræsentatur in vobis) pollicitus est Dominus, vt eo dictante per vestram definitionem, aut recipiatur, aut eijciatur.

CAPVT PRIMVM.

De B. Petri, & Successorum dignitate, & auctoritate.

Clemens Papa in Epistola prima.

SImon Petrus verè fidei merito, & integræ prædicationis obtentu fundamentum esse Ecclesiæ definitus est.

Si definitus est, disputatione opus non est: & si fundamentum est Ecclesiæ, nimirùm totam sustinet: & totam simul, & diuisam, & collectam.]

Petri verba ad Populum de successore in eadem epistola.

Et vos charissimi fratres conserui mei huic, qui præsidet vobis ad veritatem docendam, in omnibus obedite, scientes, quòd si quis hunc contristauerit, Christum, qui ei docendi dedit Cathedram, non recipit.

Attendant qui Pontifici non obediunt, sed ei potiùs detrahunt, se Christum non accipere.]

Petrus item de successore, ibidem.

Si inimicus est alicui pro actibus suis, vos nolite expectare vt ipse vobis dicat, cùm illo nolite amici esse: sed prudenter obseruare debetis, & voluntati eius absque commonitione obsecundare, & auertere vos ab eo, cui ipsum sentitis aduersùm; sed nec loqui ijs, quibus ipse non loquitur.

Videant quàm rectè Petro obediant ij, qui desertores Romanæ Ecclesiæ defendunt, ijsque in dogmatibus se coniungunt.]

Verùm quoniam veritatis oppugnatores hanc negant Epistolam esse Clementis, facilè mentiri probantur Anacleti, Alexandri Primi, & Marcelli Primi auctoritate, qui ex hac Epistola, sub Clementis nomine, adducunt testimonia; Anacletus bis in prima sua decretali Epistola, & semel in tertia; Alexander in prima; & Marcellus in secunda.]

Anacletus in tertia Epistola, cùm Petri, & Pauli mentionem fecisset, addit.

Ambo sanctam Romanam Ecclesiam consecrauerunt: alijsque omnibus Vrbibus in vniuerso Mundo præesse voluerunt.

Vniuerso Mundo dicit Anacletus. Sunt tamen nostra ætate qui id negent. Sed illis fortè maior adhibenda est fides, quippè qui antiquorum decretorum, & Apostolicorum statutorum maiorem notitiam habeant, quam ille qui à Petro presbyter fuit ordinatus, & Clementi in Pontificatu successit.]

Alexander in prima Epistola.

Nobis vobis loqui necessitas imperat dicente Propheta, vt tuba exalta vocem tuam: Et cui omnium Ecclesiarum commissa est cura, si dissimulem, audiam, Domino dicente: Reiecistis mandatum Dei.

Scribit hanc Epistolam Alexander omnibus Orthodoxis per diuersas Prouincias Christo Domino famulantibus; Agnoscitque auctoritatem suam omnes Ecclesias gubernandi: Ideòque illis decreta præscribit, dicens sibi omnium Ecclesiarum curam esse commissam.]

Verba hæc Alexandri sunt etiam in Prima Siricij ad vniuersos Orthodoxos.]

Sixtus Primus in secunda Epistola.

Si quis autem vestrum pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licenter hanc sanctam, & Apostolicam appellet Sedem, & ad eam quasi ad Caput effugium habeat.

Scripta est omnibus Episcopis. Ergò ad eum omnes confugere debent, non ei insidiari.]

Pius in prima.

Vos Apostolica auctoritate instituimus omnes eadem sentire debere, quia & nos eadem seruamus, nec debetis à capite quoquomodo diffidere.

Omnibus Ecclesijs scribit: omnes igitur simul instituit, & omnibus imperat.]

Marcellus in prima ad Antiochenses.

Sollicitudinem omnium Ecclesiarum, iuxtà Apostolum, circumferentes, diuinæ circa nos gratiæ memores esse debemus, qui nos per dignationis suæ misericordiam, ob hoc ad fastigium sacerdotale prouexit, vt mandatis suis inhærentes in quadam eius sacerdotum specula constituti prohibeamus illicita, & sequenda doceamus. Vndè directis per Bonifacium Diaconum nostrum literis admonemus, vt quæ malè pullulant abscindantur, & malè facta corrigantur: atque bona sectentur: & Patrum nostrorum statuta, & exempla imitentur. Rogamus ergo vos fratres, vt non aliud doceatis, neque sentiatis, quàm quod à beato Petro Apostolo, & ab reliquis Apostolis, & Patribus accepistis: Ab illo enim primo instructi estis. Ideò non oportet vos proprium derelinquere patrem, & alios sequi. Ipse enim Caput est totius Ecclesiæ, cui ait Dominus: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã, & reliqua.] Eius enim Sedes primitus apud vos fuit; quæ posteà iubente Domino Romam translata est. Cui (adminiculante gratia diuina) hodierna præsidemus die. Nec ab eius dispositione vos deuiare oportet, ad quam cuncta maiora ecclesiastica negotia (diuina disponente gratia) iussa sunt referri, vt ab ea regulariter disponantur, à qua sumpsere principia. Si vestra verò Antiochena, quæ olim prima erat, Romanæ cessit Sedi, nulla est, quæ non eius subiecta sit ditioni; ad quam omnes quasi ad Caput, iuxtà Apostolorum, eorumque successorum sanctiones, Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit suffugere, eamque appellare debent: vt indè accipiant tuitionem, ac liberationem, vndè acceperunt informationem, ac consecrationem.

Legitur in hoc textu in Romana Ecclesia esse fastigium sacerdotale, vt indè quasi de specula prohibeantur illicita, & facienda doceantur. Quod etiam Apostolicam Sedem omnes audire debent. Item Petrum Caput esse totius Ecclesiæ. Sedem iussu Domini de Antiochia Romam translatam; non à Phoca

cæ-

cæteris præpositam. Ad eam diuina gratia maiora negotia iussa referri, tamquam ad Caput: cùmque Antiochena Ecclesia cesserit, alias omnes multò magis oportere subiectas esse. Hæc benè examinanda sunt modernis Episcopis.]

Eusebius in tertia.

Benedictus Dominus Deus noster, qui per misericordiam suam Romanam Ecclesiam beati Petri Apostolorum Principis sacerdotio ditauit, nobisque viam monstrandam circa nos propter vniuersalem curam, quam nobis propter priuilegium eiusdem Ecclesiæ charitas indulsit.

Ad omnes Episcopos Campaniæ,& Thusciæ scripta est hæc epistola: & in ea vniuersalem curam habere dicitur Pontifex Romanus.]

Iulius in prima.

Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret.

Repetuntur etiam hæc verba à Leone I. in epist.62. cap.11.]

Item cùm Apostolorum, & eorum successorum mentionem fecisset Iulius subiunxit.]

Romanam Ecclesiam Primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt.

Liberius in prima.

Olim & ab initio tantam percepimus à beato Petro Apostolorum Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem pro vniuersali Ecclesia ad rectam defendendam fidem quatenus nulli liceat Statum Ecclesiæ commouere ad læsionem rectè credentium absque sui periculo honoris.

Damasus in quarta ad omnes Episcopos.

Cuncta, quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, quasi ad Caput, (vt semper fuit consuetudo) deferre non desinatis.

Nota Decretum: Nota Caput: & nota continuam consuetudinem.]

Siricius ad Himerium Tarraconensem.

Pro officij nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere liberum, quibus maior cunctis Christianæ Religionis zelus incumbit; portamus onera omnium, qui grauantur. Quinimmò hæc portat in nobis beatus Apostolus Petrus, qui nos in omnibus (vt confidimus) administrationis suæ protegit, & tuetur hæredes.

Si administrationis Petri sunt hæredes Rom. Pont. sequitur vt sint etiam auctoritatis, & potestatis.]

Innocentius in Epistola prima.

Quis enim nesciat, aut non aduertat id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari: nec super induci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliundè accipere videatur exemplum? Præsertim cùm sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Aphricam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt sacerdotes. Aut legant si in ijs Prouincijs alius Apostolus inuenitur, aut legitur docuisse.

Notent Episcopi omnes, & notent omnes exteræ nationes: & discant à quibus Christianam acceperint institutionem. Et ab eisdem discere non dedignentur.]

Cælestinus in prima.

Reprehendit Galliæ Episcopos, quòd presbyteri super eos habeant copiam disputandi.]

Leo Primus in 30.

Memor sum me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere,cuius à Domino Iesu Christo est glorificata confessio; & cuius fides omnes hæreses destruit.

In 82. eiusdem Leonis Epistola.

Apparet Thessalonicenses Episcopos per longinquas Regiones vicem Romanæ Sedis impleuisse, ibique scriptum est.]

Vices enim nostras ita tuæ credidimus auctoritati, vt in partem vocatus sis sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

In 87. scribit Leo.

Huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principalitèr collocaret: vt ab ipso, quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet:vt exortem se ministerij nouerit esse diuini,qui ausus fuisset à Petri soliditate discedere.

Audiant qui iam discesserunt: & qui de discessu meditantur, sequitur.]

Hunc enim in consortium diuinæ vnitatis assumptum.

In consortium diuinę vnitatis assumptus est Petrus.]

Hunc in consortium diuinæ vnitatis assumptum. Id quod ipse erat,voluit nominari, dicendo, [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] vt æterni ædificatio Templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, hanc Ecclesiam sua firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi præualerent. Verùm hanc petræ istius sacratissimam firmitatem Deo (vt diximus) ædificante constructam, nimis impia vult præsumptione violare quisquis eius potestatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus suis, & id quod acceperit non sequendo, cùm nulli se subditum legi, nullis institutionis Dominicę credit se legibus contineri.

Quantum hæc nostris temporibus conueniant ita est iam omnibus manifestum, vt de ijs superfluum sit verba facere.]

Sed Leonis plurimæ Epistolæ per omnia Apostolicam præseferunt auctoritatem;verùm non omnia nec illius, nec aliorum Pontificum dicta retuli, nec in posterum relaturus sum, quæ ad hanc rem faciunt: quin potiùs modum seruabo, ne maior sit labor, aut liber quàm necessitas postulat. Atque huic capiti

finem imponam, si duo addidero desumpta ex precedentibus Chalcedonense Concilium.]

In Epistola Petri Rauennatis Episcopi, ad Eutychem.

In omnibus autem hortamur te frater honorabilis vt ijs, quæ à beatissimo Papa Romanæ Ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas. Quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede & viuit, & presidet, præstat quærentibus fidei veritatem.

Dicit beatum Petrum viuere, & præsidere, vt ostendat eamdem semper in Romanæ Ecclesiæ successoribus esse auctoritatem.]

In Epistola Flauiani Constantinopolitani Episcopi ad Leonem.

Causa enim eget solùmmodo vestro solatio, atque defensione, qua debetis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere.

Constantinopolitanus Episcopus, qui iam in Oriente sibi celsiorem Sedem vsurpauerat, scribit de hæresi in Oriente orta, nec in Oriente magis, quàm Constantinopoli: & ab Romano Pontifice solatium, ac defensionem requirit. Cur non damnabat ipse Eutychem? Cur non conuocabat ipse Concilium? Cur non Imperator, qui tunc in Oriente Sedem fixerat? Cur non ipsi contra Dioscorum, sententiam pronunciabant? Aut quid erat Orienti opus solatio, & defensione Romani Pontificis, si non apud illum supra vniuersalem Ecclesiam erat ius, auctoritas, & potestas? Sed hinc videant quàm iniquè, quàm impudenter, quàm infideliter faciant ij, qui negant Romanum Pontificem alijs Episcopis esse superiorem.]

CAP. II.

Romanam Ecclesiam à Deo immediatè auctoritatem accepisse.

Anacletus in Epistola prima.

MAiores, & difficiliores quæstiones semper ad Sedem referantur Apostolicam, supra quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam.

In Tertia.

Hæc sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro Primatum obtinuit; & eminentiam potestatis super omnes Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est.

Item.

Hæc verò Apostolica Sedes Cardo, & Caput omnium Ecclesiarum à Domino, & non ab alijs est constituta. Et sicut cardine hostium regitur, sic huius sanctæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ Domino disponente reguntur.

Alexander in prima.

His, & alijs fulti quamplurimis Dominicis præceptis, vitantes hominum perditiones cum omnibus huius sanctæ Sedis, quam Dominus Caput totius Ecclesiæ constituit, membris, talia fieri prohibemus.

Pius in prima.

Christus hanc sanctam Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum Caput esse voluit.

Sother in secunda.

Diuinis præceptis, & Apostolicis monitis informantur, vt pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, vt si quid vsquam reprehensioni inuenitur obnoxium, celeri sollicitudine ab ignorantiæ imperitia, & præsumptionis vsurpatione reuocemus.

Diuinis præceptis de omnium Ecclesiarum cura dicit se informari.]

Eadem sententia est in secunda Zephirini.]

Iulius in Epistola prima facta mentione de Apostolica Sede subnectit.

Ipsa namque omnibus maior, & prælata est Ecclesijs: quæ non solùmmodo Canonum, & sanctorum Patrum Decretis, sed Domini Saluatoris nostri voce singularem obtinuit Principatum.

In eadem.

Sicut beatus Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia ipsius nomine consecrata Domino instituente prima, & Caput sit cæterarum; & ad eam quasi ad matrem, atque apicem omnes maiores causæ, & iudicia Episcoporum recurrant.

Felix Secundus in prima.

Salua in omnibus Apostolicæ Sedis dignitate, quæ ei ab ipso Domino est concessa, & à sanctis Patribus roborata.

Siritius in prima.

Præfatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ petræ (super quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam) soliditate diuelli.

Meminerimus etiam in primo capite dictum à Clemente, vel potiùs à beato Petro per Clementem, Romanis Pontificibus docendi Cathedram à Christo datam; Et à Marcello, iubente Domino Romam Sedem translatam; Ac diuina disponente gratia ad eam deferri iussa ecclesiastica negotia: Et à Leone, eam Domino ædificante constructam. Et ij quidem, & omnes quos supra nominauimus, per multos annos ante Phocam fuere. Quomodo ergo Phocas eis hanc præeminentiam detulit? Aut quomodo non pudet impios homines tam impudenter mentiri?]

CAP. III.

Sacerdotium esse à Romano Pontifice.

Anacletus in secunda Epistola.

IN nouo Testamento post Christum Dominum à Petro sacerdotalis cepit ordo, quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est.

Mar-

Marcellus in prima de Romana Ecclesia.

Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit suffugere, eamque appellare debent, vt inde accipiant tuitionem, vnde acceperunt informationem, ac consecrationem.

Iulius in prima.

Quam culpam nullo modo potuissetis incidere si vnde consecrationem honoris accepistis, inde legem totius obseruantiæ sumeretis; Et beati Petri Apostoli Sedes, quæ vobis sacerdotalis mater est, esset ecclesiasticæ magistra rationis.

Hæc verba repetit etiam Leo in epist. 4. cap. 1.

Siritius in quarta ad Episcopos per Aphricam, cap. primo.

Vt extrà conscientiam Sedis Apostolicę, hoc est Primatis, nemo audeat ordinare.

Innocentius in 25. ad Concilium Carthaginense:

Scientes quid Apostolicæ Sedi (cùm omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas huius nominis emersit.

Idem in 26. ad Concilium Mileuitanum.

Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum (idest sui nominis auctorem) referre debere, sicut nunc fecit vestra dilectio.

Ex Epistolis præcedentibus Concilium Chalced. In Epistola Gallæ Placidiæ ad Pulcheriam Augustam.

Primus Apostolorum beatus Petrus, claues Regni Cęlestis suscipiens, sacerdotij Primatum tenuit.

In Epist. Valentiniani, Placidiæ, & Eudoxiæ Augg. ad Theodosium.

Beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui Principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit.

In Epist. Gallæ Aug. ad Theodosium, de Sede Apostolica loquitur.

In qua primus ille, qui cælestes claues dignus fuit accipere, Principatum Episcopatus ordinauit.

Hæc etiam diligenter examinent, qui Decreta, & Canones formant de sacerdotio, & de Episcoporum auctoritate, dignitate, & institutione.

CAP. IV.

Episcoporum appellationes, & maiores causas ad Pontificem Romanum pertinere.

Anacletus in prima Epistola.

VNaquæque Prouincia tam iuxta Ecclesiæ quàm iuxta seculi leges suos debet iustos, atque non iniquos habere iudices; & non externos, nisi Apostolicæ Sedis huius decreuerit auctoritas; si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum, vel maiorum iudicia, aut maiores causæ fuerint, ad Sedem Apostolicam, si appellatum fuerit, referantur, quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione Saluatoris, vt maiores, & difficiliores quæstiones semper ad Sedem referantur Apostolicam, supra quàm Christus vniuersam construxit Ecclesiam.

Audimus quàm antiquum sit hoc Romanæ Ecclesiæ priuilegium de maioribus causis, cùm testatum reliquerit Anacletus, qui à Petro Presbiter fuit ordinatus, & Clementi in Petri Cathedra successit, id ab Apostolis iussu Domini statutum esse. Et tamen non verentur impudentes aduersarij passim scribere posteriores Romanos Episcopos hanc sibi auctoritatem vsurpasse. Viguit semper hæc iudiciorum consuetudo in Romana Sede; de quibus etiam decreta habentur per Pontificum Romanorum successiones, sicut in tertia eiusdem Anacleti, in secunda Euaristi, in prima Alexandri, in secunda Sixti, in prima Victoris, in prima Zephyrini, in secunda Cornelij, in Vnica Caij, in Vnica itidem Melchiadis: & per tempora successiuè, veluti in aliorum Pontificum est inuenire Decretis; quæ omnia recensere quemadmodùm longum esset, ita non est necessarium.]

Priuilegium hoc sanctæ Romanæ Ecclesiæ à Domino concessum in Concilio Nicæno sanctissimo fuit posteà roboratum. Verùm ab Hæreticis incensa fuerunt de Concilio illa plura Capitula (Scimus enim septuaginta canones in eo conditos fuisse, cum ne tertia quidem pars supersit.) vnde etiam in Concilio Aphricano quæsitum fuit de canone Nicæni Concilij super appellatioaibus Episcoporum. Et inde moderni hæretici ansam arripuerunt, accusandi Romanos Episcopos de mendacio, cum ipsi in hoc sicut in cæteris etiàm sint mendacissimi. Nam de hoc fidem faciunt patres, qui etiam illi Synodo interfuere. Sunt enim literæ Athanasij, & Concilij Alexandriæ congregati vniuersorum Episcoporum Ægyptiorum, Thebaicorum, & Lybiorum ad Felicem II. Pontificem Romanum, in quibus sic legitur.]

Scimus in Nicæna magna Synodo 318. Episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari, nec Episcopos damnari; licèt hæc, & alia quàm plura necessaria ab hæreticis, qui nos continuè infestant, & perdere nituntur, vt faciliùs nos capere possint, sint Synodica capitula incensa, nobisque sublata.

Ecce

Ecce igitur quàm apertè mentiantur blacterones aduersarij. Hinc legitur.]

In prima Iulij Epistola ad Orientales Episcopos.

Ipsi verò primæ Sedis Ecclesiæ conuocandarum Synodorum iura, & iudicia Episcoporum, singulari priuilegio Euangelicis, & Apostolicis, atque Canonicis concessa sunt institutis.

In eadem.

Quoniam,& prius à tempore sanctorum Apostolorum hæc huic sanctæ Sedi concessa sunt, & posteà in Nicæna Synodo propter prauorum hominum infestationes, & insidiantium molimina fratrum, sunt concorditèr ab omnibus corroborata.

Notandum in literis Athanasij,& Concilij, de quibus modo mentio facta est, scriptum esse ab omnibus concorditèr esse roboratum: & in epistola Iulij: Hæc in Nicæna Synodo concorditèr corroborata; vt intelligant omnes: Non à Nicæna Synodo priuilegia hæc fuisse primùm concessa, sed potiùs approbata: nam legimus etiam.]

In epistota prima Feliets II.

Salua in omnibus Apostolicæ Sedis dignitate, quæ ei ab ipso Domino est concessa, postea à sanctis Patribus corroborata.

In Concilio Sardicensi per quartum, quintum, & septimum canonem appellatio Episcoporum ad Romanum Pontificem approbata est.]

Hoc item priuilegium iudiciorum quemadmodum à Domino Ecclesiæ Romanæ datum est, & à Patribus est corroboratum, ita etiam est consuetudine confirmatum; vndè ita scribit.

Damasus in epistola quarta ad o mnes Episcopos.

Cunta qua possunt aliquam recipere dubitationem ad nos, quasi ad caput, (vt semper fuit consuetudo) deferre non desinatis.

Nec silentio prætereundum est quod Stephanus Archiepiscopus, Concilij Mauritaniæ, & vniuersi Episcopi de tribus Concilijs Aphricanæ Prouinciæ ad Damasum in hanc sententiam scripsere.]

Cum vestræ Sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum in honorem beatissimi Petri patrum Decreta omnium cunctam reseruauerint sententiam.

Diligentèr hæc verba perpendantur cum sequentibus.]

Patrum decreta omnium cunctam reseruauerint sententiam inquirendi reuerentia de Dei rebus,quas omni cura,& sollicitudine obseruare debemus. Maximè verò iustè debent ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta sollicitudo est tàm mala damnare,quàm releuare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quicquid horum, vel in longiquo positis ageretur Prouincijs, non priùs tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, vt eius auctoritate iuxta quod fuisset pronunciatum, firmaretur.

Huius sententiæ verba etiam priùs scripserant Episcopi Alexandriæ in Concilio cum Athanasio congregati, vt externorum etiam scripta cùm Romanorum Pontificum decretis appareant conuenire, dictante scilicet Spiritu sancto, & virtutem suam inspirante, & Pontificibus, & Concilijs.]

CAP. V.

De minis, & censuris Apostolis.

Anicetus in sua epistola ad Gallos.

Tractat de Metropolitanis se inordinatè gerentibus, & post admonitionem addit:

SI verò incorrigibilis, inobediensque apparuerit, ad Apostolicam hanc Sedem, (cui omnia iudicia terminare præcepta sunt) eius contumacia referatur; vt vindicta de eo fiat, cæterique timorem habeant.

Agnoscant hinc Galliæ Episcopi Apostolicam auctoritatem: videantque an ex ipsis aliqui à maiorum suorum tramite deerrauerint, atque etiam an & illis timendum sit.]

Victor in secunda.

Si hoc agere citò neglexeritis, & vicissim reconciliari non studueritis ab Apostolicæ Sedis, & totius Ecclesiæ communione vos pelli non dubitetis.

Ad vniuersos Episcopos Aphricæ missa est hæc epistola, in qua Romani Pontificis suprema auctoritas ostenditur.]

Sixtus II. in secunda.

Fratres verò, quos timore terreno iniustè damnastis, scitote à nobis iustè esse restitutos; quibus ex sancti Petri, & Apostolica auctoritate omnia, quæ eis ablata sunt, integerrimè reddi præcipimus, si non vultis vos, & Principes vestri à Collegio nostro, & membris Ecclesiæ separari.

Ad Episcopos Hispaniæ est hæc decretalis. Arrigant ergo aures illius nationis Episcopi; & se, Principesque suos censuris Romanæ Ecclesiæ nouerint esse subiectos, non minùs ac fuerint eorum maiores.

Iulius in prima ad Orientales Episcopos.

Et nos scitote hunc typum deinceps non esse passuros, vt ea, quæ ad hanc sanctam specialitèr pertinent Sedem, sicut iudicia Episcoporum, & maiores Ecclesiæ causas, vos patiamur nobis inconsultis inuadere absque vestri status periculo; sed si quis ab hodierna die, & deinceps, Episcopum, præter huius sanctæ Sedis sententiam damnare, aut propria pellere Sede præsumpserit, sciat se irrecuperabilitèr esse damnatum; & proprio carere perpetim honore.

Vide auctoritatem Pontificiam,quæ non vni, aut alteri Episcopo, sed pluribus, & longè positis Orientalibus legem præscribit, & damnationem statuit.]

Dama-

Damasus in epistola tertia ad Stephanum Archiepiscopum, & tria Concilia Aphrica.

A talibus deinceps omnes se abstineant Sacerdotes, qui noluerint ab Apostolicæ petræ, suprà quam Christus vniuersalem construxit Ecclesiam, &c. censura, & Sacerdotali honore secludi.

In quarta.

Omnia hæc decretalia, & cunctorum decessorum nostrorum constituta, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ita vobis, & omnibus Episcopis, ac cunctis generaliter Sacerdotibus custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit; veniam sibi deinceps nouerit denegari.

Vniuersale præceptum, & ab vniuersali auctoritate procedens.]

In sexta ad Episcopos Italiæ.

Relatum est ad Sedem Apostolicam vos accusationes fratrum per scripta suscipere absque legitimo accusatore, quod deinceps in omni Orbe terrarum fieri Apostolica auctoritate prohibemus.

Ad hanc vocem omnes Episcopi contremiscant, ne surdis auribus prætereant, ad omnem Orbem terrarum pertinere, vt Pontificis pareat præceptis.]

Sirytius in epistola prima cap. 2.

Hactenus erratum in hac parte sufficiat. Nunc præfatam regulam omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ petræ (super quam Christus vniuersalem construxit Ecclesiam) soliditate diuelli.

Innocentius in 22. ad Episcopos Macedoniæ.

Nos autem omnes, qui per Orientem, Occidentemque Ecclesias regimus, nouerit vestra dilectio hæc penitùs non admittere; nec ad vltimum Ecclesiastici ordinis locum assumere; & si reperti fuerint submouere.

Omnes per Orientem, & Occidentem Ecclesias regit Episcopus Romanus.]

Zosimus in prima.

Sciet quisquis hoc postposita Patrum, & Apostolicæ Sedis auctoritate neglexerit, nobis districtiùs vindicandum. Vt loci sui minimè dubitet sibi non constare rationem, si hoc putet, post tot prohibitiones, impunè posse tentari.

Celestinus in secunda ad Galliæ Episcopos.

Daniel, qui accusationes Pontificali honore subterfugere se credit posse; & ad fastigium tantùm, accusatores suos latendo, peruenit, à sanctitatis nostræ cœtu interim se nouerit segregatum. Qui se nostro iudicio debet obijcere, si conscientiæ suæ nouit fiduciam obtinere.

Et si Romani Pontifices per Orbem vniuersalem auctoritatem habent imperandi, deponendi, & excommunicandi, quis illorum iurisdictioni poterit terminos præscribere?]

CAP. VI.

Conciliorum testimonia de Romana Ecclesia.

In præfatione Nicænæ Synodi.

Sciendum est sanè ab omnibus Catholicis, quoniam sancta Ecclesia Romana nullis Synodicis decretis prælata est; sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri Primatum obtinuit.

Conuenit hic textus cum eo, quem notauimus Anacleti in cap. 2.

Huic Concilio præfuere Apostolici Legati; & à Pontifice petijt Concilium decretorum suorum confirmationem.]

Athanasius, & Aegyptiorum Episcopi ad Marcum Papam.

Optamus, vt à vestræ Sedis auctoritate, quæ est Mater, & Caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem, & recreationem Fidelium Orthodoxorum percipere per præsentes Legatos mereamur.

Audi Caput, audi Matrem, audi quòd pro Fidelibus etiam longinquarum partium correctionem, & recreationem petunt. Vt quid hæc si non summa est Rom. Pontif. auctoritas?]

Athanasius, & Aegyptiorum Episcopi vniuersi Alexandriæ in Concilio congregati ad Liberium Papam.

Huius rei gratia vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis.

Athanasius, & vniuersi Aegyptiarum, Thebaidorum, & Libiorum Episcopi in Synodo Alexandrina congregati ad Felicem II.

Ideò, Pater Beatissime, quia semper antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica sancta Sede hausimus, & nostri vos curam habere agnouimus, præfatam Apostolicam, & summam expetimus, iuxta canonum decreta, sedem, vt indè auxilium capiamus, vndè prædecessores nostri ordinationes, & dogmata, atque subleuationes cœperunt.

Item.

Deus ob id vos, prædecessoresque vestros Apostolicos viros Præsules in summitatis arce constituit: omniumque Ecclesiarum ijs curam habere præcepit, vt nobis succurratis.

De Apostolica item Sede loquentes ità dicunt:

Ipsa enim firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit. Quoniam ipsam formam vniuersorum titulorum lucidissimam Dominus Iesus Christus vestram Apostolicam constituit Sedem: Ipsa est enim sacer vertex, in quo omnes vertuntur, sustentantur, & releuantur.

Le-

Legant, & relegant hæc Episcopi nostri moderni, & ijs etiam, quæ sequuntur animum intendant.]

Et sicut in Christo Christiani, & in Petro (idest Christo) Petrus, Petri renouantur Ecclesiæ. Tu es enim (sicut Diuinum veraciter testatur eloquium) Petrus; & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, idest Episcopi, qui Ecclesiam sustinent, & proprijs humeris portare debent, tibi sunt confirmatæ.

At si fundamentum hoc destruimus, quemadmodum multi (Episcopos eos dicam an Antichristos) facere nituntur, vbi subsistent columnæ? sequuntur.]

Tibique claues Regni Cœlorum commisit, atque ligare, & soluere potestatiuè, quæ in terra, & quæ in Cœlis sunt, promulgauit. Tu prophanarum hæresum, & imperitorum, atque omnium infestantium depositor, vt Princeps, & Doctor, caputque omnium Orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei existis.

Audiant Principem, audiant Doctorem, audiant Caput omnium Orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei; & ad cor redeant, qui iamdiù insaniunt.

Plura sunt ibi in hanc sententiam scripta; quæ consultò breuitatis causa prætermitto.

Id addiderim.

Vestrum est enim nobis manum porrigere, quia vobis commissi sumus.

Romano Pontifici sanctissimi illi Episcopi se profitentur esse commissos. Interque eosque meminerimus fuisse sanctissimum Athanasium, Athanasium illum Catholicæ fidei acerrimum propugnatorem. Hæc igitur qui negant sese ab omni sanctitate; & fidei veritate fatentur esse alienos.]

Stephanus Archiepiscopus Concilij Mauritaniæ, & tria Concilia Aphricæ ad Damasum Papam.

Beatissimo Domino, & Apostolico culmine sublimato sancto Patri Patrum Damaso Papæ, & Summo omnium Præsulum Pontifici.

Aures porrigant huic salutationi, qui superiorem habere nolunt Romanum Pontificem, cùm sit à pluribus Concilijs appellatus Pater Patrum, & Summus omnium Præsulum Pontifex.

Episcopi per Aphricam acceptis à Seritio Decretalibus literis in rescripto inter cætera dicunt:

Sed quid plura apud Magistrum, atque Doctorem?

Magistrum, atque Doctorem appellant Romanum Pontificem Ægyptij, atque Aphri: nostri autem negant.]

In Concilio Vasensi secundo cap. 4.

Vt nomen Papæ Vrbis Romæ in nostris Ecclesijs recitetur.

Cur non aliorum Episcoporum? aut alterius Ciuitatis Episcopi? quoniam dignum, & iustum est in omnibus Ecclesijs illius nomen recitari, qui omnibus præest Ecclesijs.]

CAP. VII.

Pontificum Romanorum auctoritatem esse supra Concilia.

Concilium Constantinopolitanum primum, quod fuit secundum generale, petijt à Damaso, vt ipse Orientales damnaret Hæreticos; vnde in eius epistola ad Concilium sic rescriptum est.

CVr igitur à me quæritis rursùs damnationem Timothei, qui & hic iudicio Apostolicæ Sedis, præsente quoque Petro Alexandrinæ Ciuitatis Episcopo, cùm Apollinari suo Doctore damnatus est?

Colligitur ex ijs verbis & Concilium ab eo petijsse, & ipsum Pontificem, qui id sui iuris esse intelligebat, antequàm peteretur, fecisse.]

Ex Toletano primo.

Si quis in errore Priscilliani sectam sequitur, vel profitetur, vt aliud in salutari Batismo contra Sedem sancti Petri faciat, anathema sit.

Cùm Toletanum fuerit Concilium, quare dictum non est, contra sedem Toletanam? quia leges ex traditionibus Romanæ Ecclesiæ præscribendæ sunt; per quas traditiones, vbi eæ indicantur, omnes Hæreticos confundi, asserit Irenæus.

Concilium Carthaginense ab Innocentio I. petijt definitionem quæstionis de libero arbitrio: quemadmodum ex epistola eius 25. eam legentibus apparet.

Concilium Mileuitanum, in quo etiam fuit doctissimus pariter, ac sanctissimus Augustinus, eumdem Innocentium de eadem consuluit quæstione, sicuti etiam monstratur per epistolam eiusdem Concilij ad Pontificem, ac per ipsius Pontificis rescriptum, in quo sunt hæc verba:

Innocentius in epistola 26.

Diligenter ergò, & congruè Apostolici consulitis honoris arcana; honoris inquam illius, quem (præter illa, quæ sunt extrinsecùs) sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxijs rebus, quæ sit tenenda sententia. Antiquæ scilicet regulæ formam sequuti, quàm toto semper ab Orbe mecum nostis esse seruatam. Verùm hæc missa facio: non enim credo vestram hęc latere prudentiam, quia id etiam actione firmastis, scientes quæ per omnes Prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanant. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, idest sui nominis, & honoris auctorem referre debere, sicut nunc fecit vestra dilectio; quod per totum Mundum possit Ecclesijs omnibus in commune prodesse, &c.]

Gemino igitur bono charitas vestra fungetur; nàm & canonum potiemini gratia seruatorum, & beneficio vestro totus Orbis tutabitur.

In his verbis dicitur inter cætera ex antiquis

tiquis regulis seruatum, vt in quæstionibus dubijs Romana Ecclesia consolatur: quod etiam à Damaso dictum fuerat in epistola 4. ad omnes Episcopos in hæc verba:

Cuncta, quæ possunt aliquam recipere dubitationem ad nos, quasi ad caput, vt semper fuit consuetudo, deferre non desinatis.

Semper hæc fuit consuetudo.

Nec tantùm de litibus, & iudicijs hæc intelligenda sunt, verùm de ijs etiam in primis, quæ ad fidem spectant. Dicit enim Damasus: Cuncta, quæ possunt aliquam recipere dubitationem. Et Innocentius: Præsertim quoties fidei ratio ventilatur. Id etiam patet ex Pontificum rescriptis de fide ad Orientales, & Occidentales Episcopos, quorum referta sunt volumina. Atque hic seruatam videmus à Carthaginensi Concilio, & à Mileuitano.

Notauimus etiam in secundo generali Concilio, à Pontifice requisitum, vt Orientales damnaret Hæreticos. In Ephesino etiam tertio generali, Nestorius ex sententia Romani Pontificis damnatus est, sicuti verba ipsius Concilij testantur: sic enim ab eo ad Nestorium scriptum legimus.

Si hoc religio tua facere distulerit iuxtà dilationem literis præfinitam Sanctissimi, ac Reuerendissimi Consacerdotis nostri Romanæ Præsulis Ecclesiæ Celestini scias te nullam sortem habere nobiscum; nec locum cum Dei Sacerdotibus, aut Episcopis obtinere.

Sed & verba etiam sententiæ ipsius Concilij adnotemus.

Et quoniam impiè eum, & sentire, & docere deprehendimus necessitate nobis à canonibus, & sanctissimi Patris collegæque nostri Romanæ Ecclesiæ Episcopi epistola, imposita, Diù, multumque lachrymantes ad hanc peruenimus sententiam, & quæ sequuntur.

Romani Episcopi epistola Nestorium damnandi Concilio imposuit necessitatem, & quomodo si non super illud erat eius auctoritas?]

In Chalcedonensi etiam Concilio definitio de duabus naturis in Christo facta est per Leonis epistolam (vt est in actione secunda) Ea etenim lecta clamauerunt Patres.]

Hæc Patrum fides: hæc Apostolorum fides; omnes ita credimus; Anathema qui ita non credit: Petrus per Leonē ita loquutus est.

Vndè & Synodus ad Pulcheriam Augustam (vt est in tertia actione) ita scripsit.]

Christo intelligentiam propere dirigente, qui ostendit in Leone mirabilem veritatem, qui sicut sapiente Petro, ita & isto vtitur assertore.

Valentinianus etiam, & Martianus Imp. (vt est in eorum epistola in tertia actione) ita dicunt.]

Venerabilis Synodus dum fidem diligentèr inquirit, auctoritate beatissimi Leonis Episcopi æternæ Vrbis Romæ, & religionis fundamenta constituit sanctæ Ciuitati, & Flauiano palmam mortis tribuit gloriosæ.

Nec permittenda quæ Synodus ipsa ad Leonem scripsit in eadem actione.]

Repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Hanc tamquam propriam nobis prophetiam gratia coaptauit, à quibus pietatis est restitutio confirmata. Quid enim fide sublimius ad lætandum? Quid agnitione dominicæ festiuius ad coronas? quam nobis olim Saluator ipse tradidit ad salutem, inquiens, Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis. Quam velut auro textam seriem ex veste Christi, & præcepto legislatoris venientem vsque ad nos ipse seruasti, vocis beati Petri omnibus constitutus interpres, eius fidei beatificationem super omnes adducens.

Concilium fatetur Pontificem omnibus esse Magistrum, & rerum fidei interpretem. Dicitur, & in eadem epistola, quod Leo Concilio sicut membris caput præerat, quod superioritatem Pontificis ostendit etiam in collecta Ecclesia, & non tantùm diuisim, vt quidam volunt. Dicitur Vineæ custodiam illi ab Saluatore commissam esse. Insuper in fine sic legitur.]

Rogamus igitur, & tuis Decretis nostrum honora iudicium: & sicut nos capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic & summitas tua filijs, (quod decet) adimpleat.

Concilium agnoscit Pontificem caput, & Patrem, & caput omnia membra regit, & Pater Filijs imperat collectis etiam; & Filij Patri obediunt nisi sint rebelles. & contumaces. Non prætereundum silentio in hoc textu vbi nos scripsimus capiti, communitèr legi cupidi, sed corruptè; nam vera lectio, & germanus sensus esse capiti.]

Eam etiam, de qua diximus, Leonis epistolam, per Orbem delatam Scimus à Catholicis cum veneratione susceptam.]

Nam & Galliæ Episcopi ad Leonem scripserunt eius fidei assertioni se subscribentis: maximaque cum reuerentia Leonem, ac Romanam Apostolicam Sedem commendantes. Atque inter cætera hæc eorum sunt verba.]

Quod nos ante oculos semper habentes, non desinimus Deo, ac Domino nostro gratias agere, & pariter supplicare gratulantes, quod tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantæque Doctrinæ Apostolicæ Sedi, vndè religionis nostræ, propitio Christo, fons, & origo manauit, Antistitem dederit.

Videant ergo qui nunc viuunt Episcopi ne ab eius Sedis reuerentia discedant, vndè eorum manauit fons religionis. Nam hoc esset à capite membra diuelli.]

Respondit huic epistolę Leo per quinquagesimam suam, vt qui voluerit eam faciliùs inuenire valeat.]

Eidem etiam Leonis epistolę subscripsit Eusebius Mediolanensis cum pluribus alijs Episcopis Galliæ Cisalpinæ. Vt pateat Romanæ Sedi ab omnibus præstitam esse reuerentiam, atque obedientiam.]

Sed & in prima actione Chalcedonensis Concilij clamante Concilio contra Theodoretum vt eijceretur, dixerunt Iudices.]

Theodoretus Reuerendus Episcopus proprium recipiens locum à sanctissimo Episcopo Vrbis Romæ in locum accusatoris ingressus est: vndè patiamini ea, quæ incepta sunt finiri.

Et quamuis denuò reclamaret Concilium, tamen Theodoretus Apostolica auctoritate suffultus in Concilio locum tenuit. Denique in octaua actione acta causa Theodoreti, cum demonstratum esset ipsum à Pontifice restitutum, ita scriptum est.]

Omnes Reuerendissimi Episcopi clamauerunt Theodoretus dignus est Sede. Archiepiscopo Leoni multos annos. Post Deum Leo iudicauit.

Quin & in eodem Chalcedonensi Concilio, cum de causa Dioscori Episcopi Alexandriæ agereretur, per hæc verba Concilium Legatos est alloquutum.]

Petimus vestram sanctitatem, qui habes, magis autem, qui habetis locum sanctissimi Papæ Leonis, promulgare in eum, & regulis insitam contra eum proferre sententiam. Omnis enim, & tota vniuersalis Synodus concors efficitur vestræ sanctitatis sententiæ.

Ecce quanta cum reuerentia Legatos Apostolicos ipsum amplissimum, ac celeberrimum Concilium loquebatur, vt eorum se profiteantur sequuturos sententiam, quid ipsi Pontifici, si affuisset, putamus fuisse facturos?]

Et iuxta petitionem Concilij factum est. Nam Legati Dioscorum damnauerunt. In eaque sententia hæc sunt verba.]

Vndè sanctissimus, & ter beatissimus Archiepiscopus magnæ, ac senioris Romæ Leo per nos, & per præsentem sanctam Synodum vna cum ter beatissimo, & omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & ille, qui est rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam ab omni sacerdotali alienauit ministerio.

In his verbis non omittendum significari Romanum Pontificem Concilio vti quasi ministro, sicuti & ministri sunt eius Legati; Dicitur enim Leonem vna cum beato Petro damnare Dioscorum per Legatos, & per Synodum. Vndè Pontificia superioritas apertissimè demonstratur.]

Quod Legati Romanæ Sedis Concilijs generalibus præsideant, probatione non indiget.

Et quid præsidere significet non indiget interpretatione, & qua auctoritate præsideant & modò dictum est, & dicetur adhuc. Omitto, quòd primi nominentur; quòd ante omnes Patriarchas decretis se subscribāt. Sed audiamus quid ipsi dicant, & quid de eis dicatur; verba sunt Paschasini Legati in tertia actione ad Concilium, cum de Leone fecisset mentionem.]

Nostram paruitatem huic sancto Concilio pro se præsidere præcepit. Ideoque necessarium est hæc, quæ in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari. Propter hoc igitur porrectus libellus à religiosissimo Fratre nostro, & Coepiscopo Eusebio susceptus à religiosissimo Archidiacono, & Primocerio Notariorum recitetur. Et suscipiens Aetius Archidiaconus, & Primocerius notariorum recitauit.

Per interlocutionem Legatorum, quæ in medium proferuntur, sunt disceptanda, & non alijs interloquentibus. Nam & id necessarium dicit esse Legatus, & à Concilio est opere approbatum. Dictum esse etiam in octaua actione.]

Missi Apostolici semper in Synodis primi loqui soliti sunt.

Verum hæc de illa sanctissima Synodo collegisse satis sit ne in infinitum procedatur. Puto etiam nos quamplura eiusmodi inuenturos fuisse in antiquioribus tribus Synodis generalibus, si ea integra haberemus. Patet tamen ex Nicæna Patres illos religiosissimos 318. statutorum suorum à Syluestro petijsse confirmationem.]

Sicuti etiam de Chalcedonensi constat, nec dubitandum quin idem ab alijs seruatum sit.]

Non enim pro generali Concilio habetur, quod à Romana Apostolica Sede non est roboratum: quemadmodum in sequenti capite demonstrabitur.]

CAP. VIII.

Concilia à Romano Pontifice conuocanda.

Marcellus in prima epistola de Apostolis loquitur, & de Romana Sede.

INspirante Domino constituerunt vt nulla Synodus fieret præter eiusdem Sedis auctoritatem.

In secunda ad Maximinum.

Synodum absque huius Sedis auctoritate Episcoporum (quamquam quosdam Episcopos possitis congregare) non potestis regulariter facere.

Vndè igitur vaniloqui Schismatici iactant conuocandarum Synodorum auctoritatem esse penès Imperatorem? Ex antiquissimis Apostolorum decretis statutum fuerat, & de Concilijs, sicut, & de Episcoporum iudicijs; quæ postea per Concilia renouata, & approbata sunt. Non enim à Concilijs Romanæ Ecclesiæ concessa fuere illa priuilegia, sed potiùs renouata (vt diximus) & approbata ad notificationem antiquarum legum Apostolicarum, & ad resistentium confusionem: sicuti ex Iulij Papæ epistolis vnicuique patere potest.

Iulius in prima ad Orientales Episcopos.

Ipsi verò primæ Sedi Ecclesiæ conuocandarum generalium Synodorum iura, & iudicia Episcoporum, singulari priuilegio Euangelicis, & Apostolicis, atque Canonicis concessa sunt institutis.

Item.

Porrò dudùm à sanctis Apostolis, successoribusque eorum in antiquis decretum fuerat statutis (quæ hactenus sancta, & Apostolica tenet Ecclesia) non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrare.

Idem in epistola contra Orientales Episcopos.

Vellem enim vos magis ad iam dictam conuenire vocationem, vt coram vniuersali Con-

Concilio redderetis rationem cur Synodum ad statum Ecclesiarum, & Fratrum in Antiochia subuertendum, & Nicæni magni Concilij destructionem, fecistis: aut cur nobis inconsultis Episcopos in eam conuocastis? ad quam nec Maximus Hierosolymitanus venit, nec nostra interfuit Legatio, Canonibus quippè in Nicæna Synodo iubentibus non debere præter sententiam Romani Pontificis vllo modo Concilia celebrari, nec Episcopos damnari.

Item.

Miror vos tam audaces esse, tam impudentèr egisse, & terminos, ac iura beati Petri Apostolorum Principis inuasisse. Sui enim iuris erat vt absque huius sanctæ Sedis auctoritate, nullus deberet, aut Concilia celebrare, aut Episcopos ad Concilium conuocare, vel damnare.

Aduertant ergo qui de conuocandis Concilijs absque Pontificis auctoritate cogitant, se iura Petri inuadere, atque audaciæ, & impudentiæ notari. Additur in decreto eius 29.

Odio prędicti Athanasij hanc regulam protulistis: quæ nullas habet vires, nec habere poterit; quoniam nec ab orthodoxis Episcopis hoc Concilium actum est: nec Romanæ Ecclesiæ Legatio interfuit, Canonibus præcipientibus sine eius auctoritate Concilia fieri non debere; Nec vllum ratum est, aut erit vnquam Concilium, quod non fultum fuerit eius auctoritate.

In epistola Concilij Constantinopolitani ad Damasum.

Concurreramus Constantinopolim ad vestræ reuerentiæ literas post Concilium Aquileiense missas Theodosio, pietate summa Imperatori.

Hinc intelligitur Imperatores Concilia conuocasse ex Romanorum Pontificum auctoritate, ab eisque requesitos; quemadmodum etiam patet ex literis Valentiniani, & Marciani Imperatoris, ad Leonem Pontificem de Chalcedonensi Concilio, in quibus ita scriptum est.]

Vt & tale propositum, ac desiderium habeamus quatenùs omni impio errore sublato per celebrandam Synodum te auctore, maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat.

In epistola Pulcheriæ Augustæ, ad Leonem.

Tua reuerentia quocumque modo prospexerit significare dignetur, vt omnes etiam totius Orientis Episcopi Thraciæ, atque Illyrici (sicut etiam nostro Domino pijssimo Imperatori placuit) in vnam ciuitatem velocitèr ab Orientalibus partibus valeant conuenire, & illic facto Concilio, & de Catholica confessione, & de his Episcopis, qui ante hac segregati sunt (sicut fides, & Christiana pietas exigit) te auctore decernatur.

Exemplum capiant nostræ ætatis mulieres à sancta pulcheria Augusta, quæ Leonem auctorem Conciliorum, & Magistrum intelligebat, & venerebatur.]

In Chalcedonensi Concilio cum de Ephesino secundo facta esset mentio, scriptum est.

Cecropius Reuerendissimus Episcopus Sebastopolitanus dixit, illud Concilium dicere non debemus, quia nec Apostolica auctoritate coactum est, neque ritè peractum. Reuerendissimi Episcopi clamauerunt, omnes sic dicimus.

Non prætermittendum quod Valentinianus Imperator, cum de celebrando Concilio fuisset requisitus, responsum hoc Episcopis remisit.]

Mihi quidem, cum vnus de populo sim, fas non est talia perscrutari. Verum sacerdotes, quibus hæc cura est, apud se ipsos congregentur, vbi voluerint.

Verè Christiani Principis vox qui, & suum agnoscebat officium, nec vsurpare sibi volebat alienum.]

Si Romanis, & sanctissimis Pontificibus, si Imperatoribus, si Matronis Augustis, si denique Concilijs Prouincialibus, si nationalibus, si generalibus fidem volumus adhibere, nobis profitendum est Conciliorum conuocandorum auctoritatem à Romana Apostolica Sede pendere; atque ab ea petendam, & accipiendam esse.]

CAP. IX.

Nullius iudicio in terris subiacere Romanum Pontificem.

In Antheri Papæ epistola vnica.

FActa enim subditorum iudicantur à nobis; nostra verò iudicat Deus.

In Concilio Marcellini Papæ.

Synodus autem vniuersa hoc dixit cunctorum iudicio. Tu enim eris Iudex. Ex te enim damnaberis, & ex te iustificaberis, tamen in nostra præsentia. Illuc verò dum veneris ad iudicium tuum, ex te tunc damnaberis, & ex te iustificaberis.

Hi sunt, qui introierunt Episcopi audientes, non tamen iudicantes.

Presbyteros, & Diaconos damnant, qui Marcellinum Papam dimiserunt: ipsos verò damnauerunt, & iudicabant; non tamen iudicabant Pontificem: quia hoc ex vno ore erant corroborati, vt intra horum septuaginta duo testimonia ipse iudex, ipse reus, ipse semetipsum in præsentia eorum innocentem se seruaret, aut infidelem se damnaret.

Iam audi Pontifex, & iudica causam tuam; quoniam ex ore tuo iustificaberis; & ex ore tuo condemnaberis.

Non enim nostro ore iustificaberis, aut nostro ore condemnaberis.

In finu autem trecentorum Episcoporum caput cinere conuolutum habens Marcellinus Episcopus Vrbis Romæ, voce clara clamans dicebat: [Peccaui coram vobis; & non possum in ordine esse sacerdotum, quoniam auarus corrupit me auro. Subscripserunt igitur in eius damnationem, & damnauerunt eum extra Ciuitatem. Sacerdos nomine Helchiades Episcopus subscripsit pri-

mus in eius damnationem, non tantùm tempore, quod exigebat ordo, sed etiam in exemplum futuri temporis. Quoniam & ipse clara voce dicebat, iustè ore suo condemnatus est, & ore suo Anathema sumpsit. Maranatha. Quoniam ipse ore suo condemnatus est. Nemo enim vnquam iudicauit Pontificem, nec Præsul Sacerdotem suum: quoniam prima sedes non iudicatur à quoquam. Hoc autem facto Diocletianus, cum esset in bello Persarum, audiuit quod trecenti Episcopi, & triginta Presbyteri, & tres Diaconi in eandem condemnationem conuenissent: quòdque dum subscriberent omnes, ipse omnium primus Marcellinus manu sua propria concluserat in suum Anathema, Anathemati subscribens.

[Ecce quanta cum reuerentia contra Idololatram Pontificem antiqui illi boni Patres processerint, cum nemo contra eum ausus sit ferre sententiam, nisi ipse se priùs ore suo condemnasset, quare etiam illa vox reiteratur: Ore suo condemnatus est.]

In Concilio Romano sub Siluestro.

Nemo enim dijudicat primam sedem: quoniam omnes sedes à prima sede iustitiam desiderant temperari: Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur. Et subscripserunt 284. Episcopi, 45. Presbyteri, 5. Diaconis, & duo sequentes. Et Augustus Constantinus, & mater eius Helena.

[Si non ab omni Clero potest Pontifex iudicari, ergo neque à Concilio. At verò nostri Principes, nostri Episcopi, & nostra plebs de Pontifice iudicant.]

In Concilio contra Sixtum Tertium.

Non licet aduersùs Pontificem dare sententiam. Respondit Sixtus, & dixit, quamquam in meo arbitrio sit iudicer, an non iudicer, tamen meo iudicio non absconda-tur veritas.

[Romani Pontifices si errare comprehendantur, reuerentèr admonendi sunt; Ab eisque petendum vt ipsi se reforment, non vt se ab alijs reformari patiantur.]

CAP. X.

Non in Petro tantùm fuisse, sed in Successoribus eius, & in Romana Sede esse supremam Ecclesiæ auctoritatem.

Habemus in primo capite huius tractatus Clementis verba, in quibus de successore suo dicitur à Petro.

SI quis hunc contristauerit, Christum, qui ei docendi dedit Cathedram, non recipit.

[A Christo igitur, & Successoribus auctoritas data est.]

Et Marcelli.

Sollicitudinem omnium Ecclesiarum (iuxta Apostolum) circumferentes, diuinæ circa nos gratiæ memores esse debemus, qui nos per dignationis suæ misericordiam, ob hoc ad fastigium sacerdotale prouexit, vt mandatis suis inhærentes, in quadam eius sacerdotum specula constituti prohibeamus illicita, & sequenda doceamus.

[Eusebius etiam dicit se habere vniuersalem curam.]

Liberius in Prima.

Olim, & ab initio tantam percepimus à beato Petro Apostolorum Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem pro vniuersali Ecclesia ad rectam defendendam fidem, quatenus nulli liceat statum Ecclesiæ commutare ad læsionem rectè credentium absque sui periculo honoris.

Damasus.

Cuncta, quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput (vt semper fuit consuetudo) deferre non desinatis.

[Continuata consuetudo Romani Pontificis ostendit primatum.]

Leo.

Memor sum me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius à Domino Iesu Christo glorificata est confessio, &c.

Dicit se Ecclesiæ præsidere, non Romanæ simpliciter, sed Ecclesiæ, hoc est Christianæ Ecclesiæ.]

Item.

Hanc petræ istius sacratissimam firmitatem, Deo ædificante constructam, nimis impia vult præsumptione violare quisquis eius potestatem tentat infringere.

Et eius potestatem tentat infringere, qui in Pontifice Romano negat esse Petrum.]

Petrus Rauennas Episcopus, de Leone.

Petrus, qui in propria Sede, & viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.

In secundo autem Capitulo habemus dictum Sotheris.

Diuinis præceptis, & Apostolicis monitis informamur, vt pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu.

Iulij.

Sicut beatus Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia ipsius nomine consecrata, Deo instituente prima, & caput sit cæterarum.

In capite tertio ex rescripto Innocentij ad Concilium Mileuitanum.

Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis auctorem, referre debere, sicut nunc fecit vestra dilectio.

Seipsum Petrum appellat Innocentius, ad quem de fide quæstionem retulerat illud Concilium, vt in se ostendat vigere Petri auctoritatem.]

In

In quarto capite habetur ex Anacleto.

Quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione Saluatoris, vt maiores, & difficiliores quæstiones semper ad Sedem deferantur Apostolicam, suprà quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam.

Sedi Apostolicæ Romanæ data esse auctoritas, vt maneat Ecclesiæ firmitas, non duratura, si Petro tantùm data esset. Et semper ad Sedem deferantur Apostolicam dicit Anacletus.]

Ex Iulio.

Ipsi verò primæ Sedi Ecclesiæ conuocandarum Synodorum iura, & iudicia Episcoporum singulari priuilegio Euangelicis, & Apostolicis, atque Canonicis concessa sunt institutis.

Ex Felice Secundo.

Salua in omnibus Apostolicæ Sedis dignitate, quæ ei ab ipso Domino est concessa, & posteà à sanctis Patribus corroborata.

Audi Iulium, & Felicem testimonia reddentes Sedi Romanæ datam auctoritatem, non Petro tantùm, sed & quæ sequuntur, audiantur testimonia de Sede.]

Ex Epistola Stephani Archiepiscopi, & Conciliorum ad Damasum.

Cum vestræ Sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum, in honorem beatissimi Petri, Patrum decreta omnium cunctam reseruauerint sententiam.

Item.

Antiquis enim regulis sancitum est, vt quidquid horum, vel in longinquo positis ageretur Prouincijs, non priùs tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum.

In sexto capite.
Athanasius, & Ægyptiorum Episcopi ad Marcum Papam.

Optamus, vt à vestræ Sedis auctoritate, quæ est mater, & caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem, & recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præsentes Legatos mereamur.

Ægypti Pontifices ad Liberium Papam.

Deus ob id vos, prædecessoresque vestros Apostolicos viros Præsules in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum ijs curam habere præcepit, vt nobis succurratis.

Item.

Tibique claues regni cælorum commisit, atque ligare, & soluere potestatiuè, quæ in terra, & quæ in cælis sunt, promulgauit. Tu prophanarum hæresum, & imperitorum, atque omnium infestantium depositor, vt Princeps, & Doctor, caputque omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei existis.

Item.
Vestrum est nobis manum porrigere, quia vobis commissi sumus.

Verùm quid in hac parte pluribus moramur, Cum ostenderimus in eodem sexto capite dictum in præfatione Nicænæ Synodi Romanam Ecclesiam voce Domini primatum obtinere; & in septimo, Constantinopolianum Concilium à Damaso damnationem hæreticorum orientalium petijsse; Toletanam legem ex traditione Romanæ Ecclesiæ statuisse; Carthaginense, & Mileuitanum de fidei quæstionibus Pontificem Romanum consuluisse; Ephesinum de Romani Pontificis sententia Nestorium damnasse; Concilium item Chalcedonense definitionem fidei à Leone accepisse: Dioscorum Episcopatus dignitate, & omni Sacerdotali ministerio priuasse, & cætera egisse, quæ in eodem capite continentur; Impij nimirùm, & ab omni veritate alieni sunt, qui se Romanorum Pontificum auctoritati opponunt, & indigni quibus aue dixerimus.]

CAP. XI.

Romanum Pontificem esse Episcopum vniuersalis Ecclesiæ, nec distributiuè modò, verùm etiam collectiuè.

Obseruandum est in præcedentibus capitibus Romanum Pontificem sæpissimè caput Ecclesiæ vocari, quod si caput est, ab ipso (quemadmodùm in primo capite à Leone scriptum retulimus) Diuina dona in corpus omne diffunduntur; non in vnum, aut alterum membrum tantùm, sed in corpus, inquam, etiam vniuersum.

Doctor quoque, & Magister appellatur; neque, id est, singulorum solummodò, verùm etiam vniuersorum. Quod etiam manifestè apparet ex antiquorum Pontificum decretis, scriptis scilicet ad ciuitates, ad Prouincias, ad Nationes, ad Concilia, ad omnes Episcopos, & ad vniuersos Christi fideles.

Mater etiam omnium Ecclesiarum Romana Sedes appellatur. Et sicuti mater non singulis modò filijs, verùm omnibus etiam in vnum collectis iure imperat, vt iam diximus; ita sancta mater Romana Ecclesia, & diuisim, & coniunctìm omnibus Christi fidelibus præsidet; eosque sua doctrina pascit, ac gubernat.

Non incongruè igitur Romanus Præsul vniuersalis Ecclesiæ Episcopus appellatur. Sunt tamen qui id negent, ac mendacissimè quidem. Nuper etiam in quadam Apologia, (seu potiùs inuectina) Anglicana scriptum reperi, Numquam quemquam Romanum Episcopum, ante Phocam, se passum esse vniuersalis nomine salutari. Impudentissimè dictum.

Per quadringentos enim, & amplius annos ante Phocam, & successiuè deindè hoc nomine appellati sunt Romani Pontifices, vt statim elucescet.

Sixtus Primus in secunda Epistola sua.

Sixtus, vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus.

Victor in prima.

Victor Romanæ, ac vniuersalis Ecclesiæ Episcopus.

Et

Et deindè Romanam Sedem vocat Sedem vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ.]

Pontianus in secunda.

Pontianus, sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus.

Syluestri rescriptum ad Concilium Nicænum.

Syluester Episcopus Sedis Apostolicæ, & sanctæ Ecclesiæ Catholicæ.

Et quid est Catholicæ, nisi vniuersalis; sed etiam alia testimonia videamus.

Episcopi Ægypti ad Marcum Papam.

Domino sancto, & Apostolici culminis venerando Marco sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopo.

Marcus ei ita rescripsit.

Dominis venerabilibus fratribus Athanasio, & vniuersis Ægyptiorum Episcopis, Marcus sanctæ Romanæ, Apostolicæque Sedis, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus.

Athanasius, & Ægyptiorum Episcopi, in Synodo apud Alexandriam congregati ad Liberium.

Huius rei gratia vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis.

Felix Secundus in rescripto ad Episcopos Ægypti.

Reuerendissimis, atque dilectissimis fratribus, &c. Felix almæ Romanæ vrbis, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus.

In Concilio Chalcedonensi in actione tertia libellus Theodori Diaconi.

Sanctissimo, & Deo amantissimo, & vniuersali Archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni.

Libellus Ischironis Diaconi.

Sanctissimo, & beatissimo vniuersali Archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni.

Libellus Athanasij Præsbyteri.

Sanctissimo,& beatissimo vniuersali Patriarchæ magnæ Romæ.

Libellus Sophronij Christiani.

Sanctissimo, & beatissimo vniuersali Archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ vrbis Romæ.

Legati etiam Leonis in eo Concilio, in quarta actione illum appellant Apostolicum virum vniuersalis Ecclesiæ Papam. In octaua dicitur, sanctissimus, ac beatissimus vniuersalis Ecclesiæ Episcopus vrbis Romæ Leo.]

In Epistola Legatorum de damnatione Dioscori.

Sanctissimus, ac beatissimus Papa caput Ecclesiæ Leo.

Hæc in medium adduxisse libuit, vt appareat quàm apertè, quàm impiè mentiantur Anglicanæ illius Apologiæ auctores, qui se Theologos nominant. Nam Patres ij, quos modò nominaui, fuere ante Concilium Chalcedonense, vel cum ipso Concilio. Chalcedonense autem Concilibm fuit per annos centum quinquaginta ante Phocam. Hinc igitur potest quilibet de Apologia illa quales sint homines illi iudicare, quem mendacijs sit refertissima. Et crimine ab vno disceomnes.

Non desunt qui dicant: Vbi legitur vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, vniuersalis non esse secundi, sed primi casus. Vt si Episcopus vniuersalis, non Ecclesiæ vniuersalis. O bellos homines, & acutos interpretes. Ijs primùm responsum velim, me non magnificare, an sit dictio illa vniuersalis recti, vel obliqui casus, idem enim mihi significat. Nec id modo, verùm si dicatur Romanus Antistes Episcopus Ecclesiæ, simpliciter, absque additione loci, vel ciuitatis, vel Prouinciæ, illum intelligam vniuersalis Ecclesiæ Episcopum, cùm Ecclesiæ nomine Christianorum vniuersitas comprehendatur: cùmque vna sit Ecclesia, vnusque Ecclesiæ Episcopus, cæterique in partem laboris, ac sollicitudinis vocati.

Sed dicant mihi quæso Grammatici isti Theologi vbi à nobis recitatum est.]

Victor Romanæ, ac vniuersalis Ecclesiæ Episcopus.

Pontianus sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus.

Syluester Episcopus Sedis Apostolicæ, & sanctæ Ecclesiæ Catholicæ.

Marco sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopo.

Marcus sanctæ Romanæ, Apostolicæq; Sedis, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus.

Felix, almæ Romanæ vrbis, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus.

Dicant inquam his omnibus in locis: Vniuersalis cuius casus? Sed & respondeant etiã vbi dictum est: Ab Episcopis Ægyptijs.]

Vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia.

Cui substantiuo adhęreat adiectiua vox vniuersalis? Addo vbi scriptum est.]

Sanctissimus, ac beatissimus Papa caput vniuersalis Ecclesiæ Leo.

Caput cuius generis? Et cuius generis est vniuersalis? Ah pudeat graues viros ita cauillari. Pudeat Christianos tam iniquamente in Patrem Patrum, & Præsulum Antistitem verba iactare.

Nec magis probarim illorum doctrinam, qui dicunt Ecclesiam vniuersalem duplici modo capi, distributiuè, & collectiuè. Pontificemque Romanum rectorem esse Ecclesiæ vniuersalis primo modo, non autem secundo, id est, singulis separatim Ecclesijs præesse, non autem Ecclesiæ vniuersæ. Hanc definitionem velim ex antiquis sanctorum Patrum regulis mihi demonstrari, non ex recentiorum hominum sophismatibus. Ego enim ex antiquorum sanctissimis Decretis assero Romanum Pontificem, & singulis Ecclesijs & Prouinciarum Ecclesijs, & Nationum Ecclesijs, & totius Orbis Ecclesijs præsidere; earumque esse rectorem, ac gubernatorem. Id constat ex Decretalibus Pontificum Epistolis Clementis, Anacleti, Euaristi, Alexandri, Sixti I. II. & III. Thelesphori, Igini, Pij, Aniceti, Sotheris, Eleutherij, Victoris, Zephirini, Calisti, Vrbani, Pon-

Pontiani, Antheri, Fabiani, Cornelij, Lucij, Stephani, Dionysij, Felicis I. & II. Eutichiani, Caij, Marcellini, Marcelli, Eusebij, Melchiadis, Syluestri, Marci, Iulij, Liberij, Damasi, Siritij, Anastasij, Innocentij, Zosimi, Bonifacij, Cælestini, & Leonis; vt eorum taceam successores. Ex eorum decretalibus inquam literis id constat, scriptis scilicèt ad vnum, vel plures Episcopos, & ad clericos, aut laicos, ad Hierosolymitanum Episcopum, ad Antiochenum, ad Alexandrinum, ad Constantinopolitanum, ad Athenienses, ad Macedones, ad Episcopos Campaniæ, Italiæ, Siciliæ, ad Gallos, ad Hispanos, ad Gallos simul & Hispanos, ad Episcopos Bethicæ Prouinciæ, ad Bethicæ, & Toletanæ simul, ad Germanos, & Burgundos, ad Aphros, ad Ægyptios, ad Orientales, ad omnes per orbem Episcopos, ad Concilia, ad Cæsares, & ad omnes simul Christi fideles; quibus in omnibus Romani Pontifices eos docent, monent, instruunt, arguunt, minantur, & castigant. Et quid hoc est, nisi vniuersam Ecclesiam regere? At collectæ inquiunt non est rector. Id perindè est ac si quis dicat Regem Francorum Galliam vniuersam regere, ex eaque exercitum cogere posse, coacto autem non posse imperare. Ostendimus ad Romanum Pontificem Conciliorum conuocationem pertinere. Et quid aliud est Concilium, quàm exercitus fidelium, ad veritatis defensionem, & Ecclesię tuitionem congregatus, cuius Imperator est Romanus Pontifex? Iam suprà demonstratum est Concilia ad Romanos Pontifices quęstiones de fide retulisse, eorum definitiones recepisse: nec Concilia tantùm Prouincialia, verùm etiam generalia. Petijt Concilium Constantinopolitanum à Damaso Timothei damnationem: Damnatus est Nestorius à Concilio Ephesino iuxta præscriptionem Cælestini. Damnatus Dioscorus per Legatos, & per Concilium Chalcedonense, quasi per Ministros. Accepit idem Concilium à Leone fidei definitionem. Et cur præsident Legati Concilijs generalibus? Et cur Concilia confirmationem à Pontifice requirunt? Et qua auctoritate approbauit Leo de Chalcedonensi Concilio Canones 27. vigesimum autem octauum reiecit?


Vnum addam. Vidimus ex Decretis Pontificum, & aliorum testimonijs Romanos Episcopos vniuersam Ecclesiam regere. Concilia generalia sunt infrà vniuersam Ecclesiam, illam enim repræsentant, & maior est, quę repręsentatur, quàm quæ repręsentant, qui ergo maiorem regit, suprà minorem dici non debet non habere potestatem.

CAP. XII.

Dictorum in præcedentibus approbatio.

HÆc sunt, quæ de sanctorum Patrum antiquorum Scriptis, deque sacrosanctis Concilijs excerpsimus. Plura etiam omisimus breuitati consulentes. Verùm & hæc non ita pauca sunt, vt ad veritatis testimonium non sufficiant. Doctrinam nascentis (vt ita dicam) atque adultæ Ecclesiæ recitauimus: Et in ea Pontificum, & Synodorum Decreta, & consuetudines trecentorum, & sexaginta annorum demonstrauimus: In ijsque 34. Pontificum responsa attigimus; quorum etiam maior pars scripta sua per tormenta, & sanguinem approbarunt, & roborarunt. Adde Patres in Concilijs generalibus mille fermè, ac trecentos, præter Mileuitanum Concilium, Carthaginense, ac Vasense, aliaque Africæ, & Ægypti, quæ suprà nominauimus: Non paucos item Episcopos diuersarum regionum, Cæsaresque, & Augustas, quæ Pontificum Romanorum dogmata cum reuerentia receperunt. Hæc igitur sana; hæc vera; hæc Catholica doctrina à sanctissimis, doctissimis, ac reuerendissimis Patribus promulgata; quàm nostrates omnes Scholæ, Collegia, ac Vniuersitates, Canonistæ omnes, omnes Scholastici, omnes cuiuscumque Sectæ Theologi Christi nomen recipere profitentes debent, approbare, & venerari. Quod si fortè quis contra sentiat, eum de tot Patrum, & Conciliorum sententia arbitror contrà Ecclesiæ veritatem sentire, nisi sacrosanctum generale Concilium Tridenti congregatum, aut etiam Romana sancta Apostolica Sedes, quę illius caput est, aliter censuerit.]

IACOBI



IACOBI
LATOMI
CAMBERONENSIS,

Sacræ Theologiæ apud Louanienſes Profeſſoris celeberrimi Opera, quæ præcipuè aduersùs horum temporum hæreſes eruditiſſimè, ac ſingulari iudicio conſcripſit, ab innumeris vitijs, quibus ſcatebant, diligenter repurgata.

DE PRIMATV PONTIFICIS Aduersùs Lutherum.

Cùm adhuc exiguus eſſet hic Tomus addimus Auctorem vnum è litera I, qui eius tenuitatem ſuppleat.

Iacobus Latomus Senior Camberonenſis vulgò Cambrai Prouinciæ Hannoniæ doctiſſimus inter Louanienſes commendatur. In multa ſcientiarum eruditione perſpicuus, & notiſſimus. Maximam habuit notitiam literarum ſacrarum, didicit exactè Græcam linguam, quam penè pro materna habuit, & Hebraicam cum admiratione. Poſt ipſius ſtudia S. Petri Louanij Canonicus electus eſt, & cùm in Theologia maximoperè celebraretur, in ea celeberrima vniuerſitate profeſſus eſt maxima ſui nominis celebritate. Fuit alter Iacobus Latomus Iunior, qui Threnos, & pſalmes in carmine deſcripſit, & omnia opera huius Latomi Senioris in volumen vnum redegit Louanij Typis Bartholomæi Grauis anno 1550. in folio. Fuit autem capitaliſſimus Lutheri hoſtis, quem voce, & ſcripto acritèr inſectatus eſt, necnon aliorum omnium hæreticorum, quorum hæreſes ſuo tempore graſſantes, multis libris editis profligauit, vt ſcribitur in eius Epitaphio poſito poſt Altare maius Eccleſiæ S. Petri, in quo etiam nominatur vir multæ eruditionis, pietatis, & modeſtiæ. Sunt autem infraſcripta eius opera. De trium linguarum, & ſtudij Theologici ratione Dialogi duo. Apologia pro duobus Dialogis de trium linguarum, & ſtudij Theologici ratione. De Eccleſia. De primatu Pontificis aduersùs Lutherum. De varijs articulis in Eccleſia controuerſis. De Confeſſione Secreta, De legis humanæ obligandi ratione, De Fide, & operibus, De Matrimonio, De Monachorum inſtitutis, votis, & obligationibus. Diſputatio Quodlibetica. De Oratione pro Defunctis. De interceſ-

cessione Sanctorum. De cultu imaginum. De ciborum delectu, & ieiunio. Responsio ad Lutheri libellum. De articulis à Theologis Louaniensibus damnatis. Responsio ad Helleborum Ioannis Oecolompadij. Confutatio aduersùs Guilielmum Tindallum lib. 3. aduersùs librum Erasmi Roterodami de Sarcienda Ecclesiæ concordia. Quibus addi debent duæ epistolæ Antuerpiæ 1544. in 8. Excusæ vnà cum libello de Ecclesia Philippo Melancthoni inscriptum, alterum contra Orationem Factiosorum in Comitijs Ratisponensibus habitam. Mortuus est ipse Louanij vigesima nona die Maij anni 1544. & post altare maius digno sepulchro, & inscriptione tumulatus. De eo celeberrimam mentionem faciunt Valerius Andreas in sua Bibliotheca Belgica, & in fastis Academicis, & omnes aliæ ferè Bibliothecæ, vtpotè notissimo inter Louanienses. Omnium autem risu, & cachinnis excipienda est ea fabella, quam finxerunt de Iacobo Lathomo Seniore hoc M. Vvolff Krygerus in cathalogo suo Germanorum mille Virorum illustrium pag. 92. & Michael Dilcherus Theologus Norimbergensis est autem huiusmodi. Cùm Louanij Iacobus Latomus ad finem vitæ peruenisset, in lecto decumbens, mærens, & furioso similis, vocauit ad se Theologos omnes, & protestatus est amarissimo animo coram illius se peccasse in Spiritum sanctum, ideoque peccato in hac, & altera vita irremissibili, se innumeras animas ad barathrum duxisse; quæ alioquin ad puram Euangelij interpretationem properabant, & de puro Euangelij fonte bibebant, se innumera damna toti Ecclesiæ intulisse. Cum autem omnes illi Theologi vellent eum consolari, proponentes Dei misericordiam omni peccato, & peccatoris obstinatione maiorem, ipse dixit se infallibiliter damnatum, se iam pedem in inferno tenere, & iam sentire ardentissimas illas flammas in terra viuentem. Et his dictis sine vlla compunctionis, pœnitentiæ, & fiduciæ nota, mortuum desperato similem. Hæc & alia de Iacobo Latomo ipsorum capitalissimo hoste scribunt illi hæretici. Sed quid faciliùs ista resoluitur. Post eius mortem inter celeberrimos Theologos nedum eruditione, sed pietate reponitur, dicitur vixisse capitalissimus omnium hæreticorum hostis, viuit celeberrima apud Louanienses eius memoria, eius libri ipsum satis defendunt, nec in Spiritum sanctum, nec in fidem peccasse. Quid plura congerimus? Ipsæ accusationes eum expurgant, dicitur enim damnatus, & Spiritus sancti hostis, quia non ambulauit ad puram Euangelij interpretationem, quod æquiualentibus verbis sonat odisse illos, qui ad puram Euangelij doctrinam dicunt se properare, & innumeras animas retraxit ab ea doctrina, quod ex confessione ipsa Hæreticorum extortum testimonium maximum est Iacobi nostri Elogium.



DE PRIMATV PONTIFICIS *Aduersùs Lutherum.*



IRCA ea quæ Lutherus dicit de Primatu Romani Pontificis, sic procedam.

Primò, tractabo sex rationes, quibus ipse asserit Romani Pontificis primatum sic stabiliri posse, vt per ipsas possit etiam hæreticis, & schismaticis efficaciter resisti.

Secundò ostendam, quòd non benè respondeat testimonijs scripturæ, & sanctorum, per quæ probatur Ecclesiæ Romanæ primatus.

Tertiò, respondebo authoritatibus, rationibus, & historijs ab eo citatis. Ex quibus omnibus vtcumque apparebit quatenùs Romani Pontificis primatus diuini iuris sit.

CAPVT PRIMVM.

Ostendens sex rationes esse inefficaces, quas Lutherus adducit tanquam necessarias, quibus ostendi possit quod potestas Pontificis Romani profecta sit ex diuina institutione.



Rimò igitur argumentatur Martinus. Ex voluntate Dei beneplaciti: quam in ipso facto videmus. Neque enim, inquit, sine voluntate Dei, in hanc Monarchiam venire potuisset Romanus Pontifex.

Respondeo. Ista ratio nihil concludit aliud, quàm Dei voluntatem patienter esse ferendam: quando ipso facto innotescit quomodo ferendus est morbus, aut mors, vel damnum rerum: quantumuis iniustè à proximo illatum: non autem, quin tempore futuro, pro quo de diuina voluntate non constat, liceat ad euasionem conari: se videlicèt, à damno, morbo, vel morte, per media opportuna, liberando. Neque plus iuris, hoc medio, Romano Pontifici tribuitur in subiectos, quàm cuiuis tyranno, qui ciuitatis principatum contra ius, & æquitatem, inuasit. Vel quàm ipsi Pylato, aut Iudæis, aduersùs Christum. Nam in istis omnibus, voluntas Dei beneplaciti declaratur in facto: nec est potestas, nisi à Deo: quàm, & ipse Christus aduersùm se Pylato desuper datam, confitetur. Quòd autem, hac sola ratione glòriosissimus martyr Cyprianus, contra omnes Episcoporum, aduersarios glorietur: miror in quibus epistolis Martinus hoc legerit: quod videlicèt; sola voluntas Dei beneplaciti Christianos Papę, aut Episcopo subijciat. De Romanis enim principibus, qui Ecclesiam persequebantur id, opinior, dicit Cyprianus: ac Dei voluntatem amplectitur, qui tyrannorum persecutione quantumuis iniusta vtendo, suos punit, & probat. Nec valet quod adducit de Roboam, tertio Regum. Is enim se continuit propter Dei præceptum. Vndè cap. 12. dicit textus. Factus est autem sermo ad Semeian, virum Dei, dicens. Loquere ad Roboam, filium Salomonis. Et infrà. Hæc dicit Dominus. Non ascendetis, nec bellabitis contra fratres vestros, filios Israel, reuertatur vir in domum suam: à me enim factum est verbum hoc.

Secunda ratio eiusdem ponderis est quæ similiter nihil iuris Papæ tribuit: plusquam raptori competat, quando homo Christianus Christi consilium, aut præceptum secutus, aduersario non resistit, aut angarianti obsequitur.

Tertia ratio, quòd videlicèt forsitan Papa sit flagellum Dei, propter peccata nostra, eandem vim habet cum duabus prioribus. Nam ista tria fundamenta æque benè concluderent, de Antichristi primatu, sicut Papæ.

Quarta ratio, eodem deducit, quòd videlicèt Dei ordinationem ratam habere, & æquo animo ferre debeamus. Quamuis enim non sit potestas nisi à Deo: & in respectu ad Deum semper iusta sit, & ordinata: tamen frequenter ipsius potestatis vsus in homine, est facti solum, & non iuris. Cōcluderet enim æqualiter de Antichristo, imò, & diabolo, qui Beato Iob, vel alteri sancto nocere non potuit. nisi diuinitùs accepta potestate.

Quinta ratio probat eos peccare, qui se irrationabiliter subducunt obedientiæ magistratus humanitùs instituti: qualem supponit esse Papatum, quòd nihil est speciale de Papa, plusquàm de quocunque alio, multis aut paucis humanitùs prælato.

Sexta ratio, puta communis omnium fidelium, qui hodie Romano Pontifici subsunt, consensus, concludit æqualiter de Soldano: nam communis omnium fidelium, qui hodie Soldano subsunt, consensus talis est. Ac ipsius Soldani potestas, vel imperium, res indigna est, pro qua Ecclesiæ vnitas scindatur. Etiam Soldano, vel Turcæ subesse temporaliter, non est contra Christi præceptum.

Quid autem momenti habeat consensus iste communis subditorum, pro primatu

Papæ ſtabiliendo, conſiderandum eſt: ſi ipſi primatus ſit euangelica lege prohibitus, ſicut infrà Mart. probare nititur. Nam contra euangelicam legem, nullus hominum conſenſus, quiquam valet, ad rectificandum, quòd Euangelium reprobat. Itaque id efficiunt iſtæ ſex inſolubiles rationes, vt homini Chriſtino peccatum non ſit Papæ ſubeſſe, eidemq; parere, in his, quæ contra Dei mandata non ſunt. Et iſtarum rationum inefficaciam facto ſuo Martinus declarat: quem nihil mouerunt, neque impediuerunt, quò minùs ſe & alios, ſuis ſcriptis, & factis, Romani Pontificis imperio ſubduceret.

CAPVT II.

Confutans cauillationes quibus Lutherus verum Scripturæ ſenſum conatur ſubuertere, ex qua primatum Romani Pontificis Catholicus demonſtrat.

Conſequentèr oſtenſurus partis aduerſæ rationum inefficaciam.

Primùm tractat illud Matthæi 16. [Tu es Petrus, &c.] vbi cauillatur ex gloſſa in cap. Conſiderandum, 50. diſt. & ex Panorm. in cap. ſignificaſti de elect. quòd Chriſtus hoc verbo. Petro non dederit, ſed tantùm promiſerit claues, ſed cauillatio friuola eſt. Cùm enim non ſit in Chriſto, eſt, & non, ſecundæ ad Corinth. 1. tam firma eſt eius promiſſio, quàm certa eſt donatio. Et cùm valdè impium Chriſti promiſſionem in dubium reuocare: perindè efficax eſt argumentum, ſiuè illo verbo Petro dederit primatum, ſiuè promiſerit. Nec opus eſt in Euangelio aliud verbum quærere, vel inuenire, quo Chriſtus promiſſum impleuerit, ſed firmitèr credendum eſt promittenti. Canones igitur in hoc verbo fundati, idem robur obtinent, ſiuè illum primatum illis verbis dederit, ſiuè promiſerit, quid enim Martini adiuuat gloſſa, dicens Petrum, toti Eccleſiæ præpoſitum à Chriſto, illo verbo. [Paſce oues meas,] cùm ipſe textus apertè dicat eum, quem cunctæ Eccleſiæ præferre diſpoſuerat?

Deindè textum ipſum multis verbis petractat, eò tandem rem deducens, vt quæ in ea ſententia Chriſtus dicit, velit de Petro, aut alio quocunque ſingulari homine, non poſſe intelligi, quòd videlicet; certum, & infallibile non ſit, alicuius hominis fidem, & confeſſionem perſeueranter, & indeclinabilitèr eſſe manſuram, vſque in finem, ſed de ſola Eccleſia certitudo habeatur, intendens illi datas eſſe claues tantummodo, cuius fides, & confeſſio fidei, talis ſit. Contrà quod, primum facit, quòd hac ratione nulla particularis Eccleſia habeat, aut habuerit aliquando claues: contrà ipſummet Martin. cum nulla talis Eccleſia habeat infallibilem, & indeuiabilem, vſque in finem in fide confeſſionem: igitur hoc argumento non conuincitur Petro claues Eccleſiæ non eſſe datas, aut eadem, (vt dictum eſt) ratione nulliùs ciuitatis Eccleſia, quæ aliquando defecit, aut deficiet omninò à fide vnquam habuit claues, & ita Antioch. aut Alexandriæ ciuitas nunquam habuit claues, nec cuiquã earum potuit vſum dare, quas non habuit. Itaque hac Mart. ratione, ſola Eccleſia vniuerſalis claues accepit, quæ habet eas non in vniuerſali ſeparato à ſingularibus, nec in ſingulis ſeorſum, igitur in aliquo, vel in aliquibus, eas habet. Si enim omnis habens rectam fidem, Eccleſiæ claues habeat: Laicus vel mulier eas habet, quod falſum eſt, & antiquitùs ab Eccleſia reprobatum. Claues itaque Eccleſiæ datæ ſunt in Petro, & Apoſtolis, cùm Petro in Chriſto coniunctis, non toti collectioni multitudinis Eccleſiæ, nec ſingulis membris eius, rectam fidem, & confeſſionem eius habentibus: quod apparet diligentèr conſideranti textus circunſtantiam. Cùm enim dixiſſet, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, non addidit, & illi dabo claues, quod tamen videbatur eſſe dicendum: ſi eas, non Petro, ſed Eccleſiæ, id eſt credentium multitudini, daturus erat: ſed addidit, & tibi dabo claues. Et quodcumque ligaueris, &c.

Dicuntur igitur claues Eccleſiæ. Primò, propter vnionem membrorum, in vno corpore, ad Romanos 12. Multi vnum corpus ſumus in Chriſto. Ideò quæ membri data ſunt, rectè ipſi corpori data eſſe dicuntur. Tum, quia teſte Hieron. claues Eccleſiæ datę ſunt in Epiſcopis, & presbyteris, qui potiores partes Eccleſiæ ſunt. Tum tertiò: quia poteſtas, quæ in vno aut pluribus alicuius communitatis perpetuari non poteſt: ſed tantùm per ſucceſſionem, nominari ſolet poteſtas communitatis: quamuis non omnibus, nec ſingulis, ſed quibuſdam de communitate conueniat: ſicut eſt in priuilegio, dignitati alicuius Eccleſiæ conceſſo: vt rectè dicitur dignitas Regalis data populo Iudæorum, quamuis in ſola tribu Iuda, & in illa, ſolùm in domo Dauid. Quartò, quia ad bonum, & vtilitatem totius Eccleſiæ, Petro, & ſucceſſori eius, datæ ſunt claues: ſicut de ſua poteſtate loquitur Paulus, 2. ad Corinth. 13. dicens. Secundùm poteſtatem, quam Dominus dedit mihi, in ædificationem. Quintò, quia per eas clauditur, & aperitur Eccleſia. Sextò, quia in ipſis operatur fides Eccleſiæ.

Nec mirùm quòd claues Petro datæ, dicantur eſſe Eccleſiæ, cùm ipſius Pauli Apoſtolatus non ab homine, neque per hominem acceptus, ipſius Eccleſiæ eſſe dicatur, primæ ad Corinthios 3. Omnia veſtra ſunt, ſiuè Paulus, ſiuè Apollo, ſiue Cephas, omnia enim electorum ſunt, non quia ſinguli habeant omnia, ſed propter vnionem in vno corpore. Neque iſtas claues, vel earum vſum, alicui dare poteſt, quælibet fidelium multitudo, ſed dantur à Chriſto diuinitùs ipſi ordinato, per miniſterium Epiſcopi ordinantis: per quod, ſicut accipit ordinatus conſecrandi poteſtatem, ita & poteſtatem dimittendi, vel retinendi peccata. Non eo ipſo quo eligitur à populo: quod vel hinc manifeſtum eſt: quia contingere poteſt. Vt nullus eligentium ſit Sacerdos, vel epiſcopus: cùm negari non poſſit poteſtatem remittendi, vel retinendi peccata pertinere ad claues. Licèt igitur electione cleri, & populi, aut eorum, quorum intereſt, adminiſtrationem, & iuriſdictionem fori exterioris habeat canonicè ele-

electus in Episcopum Sedis Apostolicæ, siuè diuinitùs, siuè humanitùs (de quo inferiùs dicetur) tamen claues non accipit, vel earum vsum, quo ad forum conscientiæ, nisi diuinitùs per ministerium consecrantis.

Vndè constat, verum non esse, quòd cuiuslibet ciuitatis Ecclesia, vel fidelium multitudo, electo Episcopo det claues, vel earum vsum, quas ipse eidem Ecclesiæ relinquat, dum moritur, sicut Martinus putat euidenti ratione concludere, dicens. Quandò Papa eligitur, aut secum affert claues, aut non: si affert: ergo erat Papa antequam eligeretur, si non affert, à quo accipit? nunquid ab Angelo de Cœlo? Nonnè ab Ecclesia? Item, quandò, inquit, Papa moritur, cui relinquit claues? aufert eas secum? Si non aufert: cui relinquit, nisi Ecclesiæ à qua accepit?

Dicendum secundùm Hieronymum, secundo comentariorum in Matthæum, quia tu mihi dixisti. Tu es Christus filius Dei viui, & ego dico tibi, non sermone casso, & nullum ante opus: sed ego dico tibi, quia meum dixisse fecisse est. Quia tu es Petrus. Vbi etiam Chrysostomus inquit, quòd Christus hæc dicens, ea Petro promittit, quæ solius Dei est dare. Cùm igitur easdem claues Papa, Petri successor, hodie accipiat, quas Christus, Petro se daturum promisit: sequitur illas non ab Ecclesia, sed à Deo, Papæ dari. Vnde, illa quæ in hoc loco dicit Martinus de datione vel acceptione clauium, veniunt ex illa sententia, qua alibi expresse dicit, omnes Christianos esse Sacerdotes: & quòd ordinatus per ordinationem, nullam potestatem accipiat, quam antea non habuerit: sed solùm deputetur ad licitè vtendum potestate priùs habita, quæ sententia, olim est ab Ecclesia damnata. Aliud est enim constituere, vel facere Sacerdotem, vel Episcopum, aliud vero Sacerdoti, vel Episcopo dare materiam: cùm possit Episcopus esse, non habens populum. Qui enim talem, populo alicui præficit, quicunque sit ille, non dat ei claues, quas priùs non habebat: nec dat ei vsum clauium, sed dat materiam, circa quam claue vtatur.

Est ergo à Christo Petro credira Ecclesia, non hæc vel illa particularis: sed vnica catholica, cuius veluti centrum quoddam fuit locus Petri, dum in carne viueret, & hanc auctoritatem habebat vbicumque locorum esset, siuè Hierosolymis, siuè in Iudæa, vel Samaria, & posteà Anthiochiæ, & tamdem Romæ, vbi postremam sedem suam fixit. Et teste Hieronymo in lib. de viris illustribus, 25. annis cathedram sacerdotalem tenuit: & ita post eius dormitionem, transijt potestas ad successores, eamdem sedem regentes, quam Petrus suo martyrio decorasset: non illi loco necessariò alligata, secundùm quòd est hæc terrena particularis ciuitas: quin ex causa, transferri possit ad alium locum: vt fecerunt sibi succedentes Pontifices, annis circitèr septuaginta, in Auinione sedentes: qui licèt essent Romani Pontifices, non tamen Romæ residebant.

Vndè apparet quid habeat momenti, quod Martinus citat de Ecclesijs Christi, quę in Iudæa, & alijs orbis partibus, Romanam antecesserunt, Et similiter quantùm valeat argumentum à simili de promissione facta Abrahæ: vt hæres esset mundi, ad Romanos 4. Et ad Galatas 4. Non enim habet Romana Ecclesia, vt talis, hunc primatum: sed vt Petri sedes fixa, & postrema idem iuris habitura fuit Babylon, vel Alexandria, si diuino iussu Petrus illic sedem fixisset.

Deinde verbum, pasce oues meas, nihil suffragari primatui Romani Episcopi, nititur Mart. ostendere multis verbis, vel quòd non dixerit omnes oues meas, vel quòd oues suas Christus vocat Iudæos sicut Paulus ad Galathas, Petrum appellat Apostolum circumcisionis. Item, ex eo quòd pascere sit docere Euangelium, & Petrus non potuerit totius orbis oues docere, ergo nec pascere. Item quòd aliud est pascere, & præesse, vel primatum habere, & ita torquetur textus Euangelicus, cum pastoris nomen ad primatum trahitur.

Ad ista dicendum, quòd etiam Christus non dixit, Pasce quasdam oues meas. Ideò indefinitè dictum, rectè intelligi potest vniuersalitèr, vt cum dicitur diliges proximum tuum, non additur omnem, sed tamen rectè intelligitur.

Secundò cùm Christus dicat Ioannis 10. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & eas oportet me adducere, vt fiat vnum ouile, & vnus pastor, ostendit etiam gentiles contineri nomine suarum ouium, nec voluit eas colligi in duobus ouilibus, sed in vno: cui præficit Petrum, dicens, pasce oues meas. Quod igitur Paulus dicit ad Galatas 2. Petro creditum Apostolatum circumcisionis: accipiendum est, non cum exclusione Apostolatus in gentes, cum diuino iussu Petrus iuerit ad Cornelium, actuum 10. sed quòd priùs, & specialiùs missus sit ad conuertendos Iudæos: in hoc similis magistro suo, dicenti, se non esse missum nisi ad oues perditas Israel (propter quod Apostolus eum appellat ministrum circumcisionis, ad confirmandas promissiones factas patribus) qui tamen, iuxta Isaiam, datus est in lucem gentium: vt sit salus mea, inquit, vsque ad extremum terræ, & iuxtà Ioannem moriturus erat pro gente, & non solum pro gente, sed vt filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in vnum. Et iuxtà eumdem, in canonica. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Igitur Petrus, & Paulus administratione pares erant: vtrique à Christo credita est Ecclesia: & pares erant diuina electione, vt testis est Ambrosius, hinc dicit Paulus Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Vnde non debent separari Petrus, & Paulus, quibus simul commissa est vniuersalis Ecclesia: licèt in Petro magis emineat auctoritas, inest Paulo sapientia. Ex quibus duobus constat perfectus principatus. Nec tamen legitur Paulum alicubi sedisse: & sacerdotalem cathedram rexisse: quemadmodum Petrus Anthiochiæ primùm, deindè Romæ sedit: fortasse ne præiudicaretur vnitati, quam Dominus demonstrauit: (iuxta Cyprianum) dum Petro Ecclesiam commisit.

Tertiò dicendum, sicut Salomon templum ædificauit, non solùm per seipsum. Et Imperator, Ecclesiam tuetur armis: non sua

solius manu: sed per duces, Principes, & præfectos, vsque ad vltimum decurionem: ita similiter Petrus, vel eius successor, oues sibi creditas pascit, & docet per Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, vsque ad vltimum sacerdotem.

Quod autem Martinus addit, Romanos Episcopos nunc per seipsos non docere, vt detur hoc pertinere ad negligentiam, & abusum, non continuò inferri debet ipsius potestatis, vel auctoritatis abolitio, potestate enim contingit benè, & malè vti: vel etiam per otium non vti. Postremò, quia qui ouibus præficitur, & cui tamquam pastori, oues creduntur, eo ipso potestatem accipit educendi, & reducendi, sæparandi morbidas à sanis, lupos arcendi, & defendendi à furibus, & alia faciendi: quæ eleganter describit Ezechiel, sub pastoris, & ouium metaphora, principum & prælatorum officium explicans. Non malè igitur argumentantur, qui ex verbo, pasce oues meas, specialiter dicto Petro, concludunt potestatem quamdam, & primatum super oues, traditum. Nec hoc facientes, Euangelicum textum torquent, vel adulterant: sed vim significationis, quæ tacitè inest, explicant.

Tenendum est igitur: Christi ordinatione, vnum esse toti Ecclesiæ Prælatum. Hanc autem Christi ordinationem, sancti patres intellexerunt, ex verbo Christi.

Matthæi 16. Tu es Petrus, Et Lucæ 22. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Et Ioannis vltimo. Pasce oues meas. Nam in his locis, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius. Theophilactus, Chrysostomus, Leo, Gregorius, Bernardus, sanctimonia vitæ, & scripturarum eruditione insignes, & omni exceptione maiores, quorum verba, infrà ponemus: cum alijs, sine numero, tam veteribus, quàm recensioribus, statuunt cathedræ Petri primatum. Quem sensum explicant sacri canones, dist. 9. capit. Ita Dominus, quod est Leonis primi. Et dist. 20. cap. de libellis, quod est Leonis quarti. Et dist. 21. cap. Cleros, quod est Isidori. Et eadem dist. cap. In nouo, quod est Anacleti, & 22. dist. cap. Omnes, & alij quidam. Quod si illis nonnulli ad alium sensum, quàm sancti patres voluerint, abusi sunt, nulla culpa sacrorum canonum est: cum & sacro Euangelij textu abutantur hæretici, ad suorum peruersorum dogmatum confirmationem.

CAPVT III.

Continens responsiones ad diuersa argumenta probandæ conclusioni adducta, & iuxtà eorum diuersitatem diuiditur in sex partes.

Prima pars declarat allegata ex beato Hieronymo esse perperam ab Luthero intellecta.

NEque contrarium probant auctoritates sanctorum, rationes, & historiæ, quæ per Martinum allegantur: quod erit manifestius, singulis per ordinem respondendo. Et primò, ad ea quæ ex Hieronymo adducit, in epistola ad Euagrium. Hieronymi verba sunt. Legimus in Isaia, stultus fatua loquetur. Audio quempiam in tantam erupisse væcordiam, vt diaconos presbyteris, id est Episcopis, anteferret. Nam cùm Apostolus perspicuè doceat, eosdem esse presbyteros, quos Episcopos: quid patitur mensarum, & viduarum minister, vt supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces, Christi corpus, sanguisque conficitur. Queris auctoritatem? Audi testimonium, Paulus, & Timotheus serui Christi Iesu, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & diaconis. Vis, & aliud exemplum? In actibus Apostolorum ad vnius Ecclesiæ sacerdotes, ita Paulus loquitur. Attendite vobis, & cuncto gregi, in quo vos, spiritus sanctus posuit Episcopos, vt regeretis Ecclesiam Domini: quam acquisiuit sanguine suo. Ac ne quis contentiosè, in vna Ecclesia plures Episcopos fuisse, contendat, audi & aliud testimonium in quo manifestissimè comprobatur, eumdem esse Episcopum, atque presbyterum.

Propter hoc reliqui te in Creta, vt quæ deerant corrigeres: & constitueres presbyteros per ciuitates: sicut, & ego tibi mandaui. Si quis est sine crimine, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse, quasi Dei dispensatorem. Et ad Timotheum. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ tibi data est per prophetiam, per impositionem manuum presbyteri. Sed & Petrus in prima epistola. Presbyteros, inquit, in vobis præcor, conpresbyter, & testis passionum Christi: & futuræ gloriæ, quæ reuelanda est, particeps: regere gregem Christi, & inspicere, non ex necessitate, sed voluntariè iuxta Deum: quod quidem græcè significantius dicitur *epyscopoyndes*, id est super intendentes, vndè & nomen Episcopi tractum est. Parua tibi videntur tantorum virorum testimonia? Clangat tuba Euangelica, filius tonitrui, quem Iesus amauit plurimum, qui de pectore saluatoris doctrinarum fluenta potauit. Presbyter electæ dominæ, & filijs eius, quos ego diligo in veritate. Et in alia epistola, presbyter Caio charissimo, quem ego diligo in veritate. Quòd autem postea, vnus electus est, qui cæteris præponeretur: in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens, Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ, à Marco Euangelista, vsque ad Heraclam, & Dionysium, Episcopos, presbyteri, semper vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se, quem industrium nouerint, & archidiaconum vocent. Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat? Nec alia Romanę vrbis Ecclesia, alia totius orbis existimanda. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ nationes vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Si auctoritas quæritur? orbis maior est vrbe. Vbicumque fuerit Episco-

ſcopus, ſiuè Romæ, ſiuè Eugubij, ſiuè Conſtantinopoli, ſiuè Rhegij, ſiuè Alexandriæ, ſiuè Tanis, eiuſdem meriti, eiuſdem eſt, & ſacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum facit, Cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Ex his Hieronymi verbis non concludi. Nullum Epiſcopum iure diuino, alteri eſſe Prælatum, apparet conſideranti primùm intentionem Hieronymi Loquitur enim de poteſtate ordinis, non iuridictionis: volens ſacerdotem ordine maiorem eſſe diacono: id quod probat in fine allegatæ epiſtolæ: quia ex diacono, prouehitur ad ſacerdotium. Qui prouehitur, inquit, de minore, & maius prouehitur. Aut igitur ex presbytero ordinetur diaconus, vt presbyter minor diacono comprobetur, in quem creſcit ex paruo, aut ſi ex diacono ordinatur presbyter, nouerit ſe lucris minorem, ſacerdotio eſſe maiorem. Hæc ille.

Eodem enim argumento probatur Epiſcopus eſſe maior ſimplici ſacerdote: quia videlicet, ex ſacerdote, ordinatur Epiſcopus: & non è conuerſo. Nec ea ordinatio, poſt tempora Hieronymi nata eſt, ſed antea fuit. Quam, & Dionyſius in lib. Eccleſiaſticæ hierarchiæ deſcribit. Item quòd loquatur de poteſtate ſuper corpus Chriſti verum: in qua omnes ſacerdotes, & Epiſcopi ſimpliciter æquales ſunt: conſtat ex epiſtolæ principio: vbi dicit, quid patitur menſarum, & viduarum miniſter, vt ſuper eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces, Chriſti corpus, ſanguiſque conficitur? Quod autem addit, poſteà vnum electum, qui cæteris preponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſſe, nihil noui iuris inductum eſt, ſed Chriſti ordinatio, ex cauſa executioni demandata eſt. Nam teſte eodem Hieronymo lib. 1. aduersùs Iouinianum, Petrus à Chriſto, Apoſtolis caput conſtituitur, vt ſchiſmatis occaſio tolleretur, Hieronymi verba ſunt. At dicis ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licèt idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat. Et cuncti, claues regni cęlorum accipiant. Et ex æquo, ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim, vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. Sed cur non Ioannes electus eſt virgo? ætati delatum eſt: quia Petrus ſenior erat: ne adhuc adoleſcens, ac penè puer, progreſſæ ætatis hominibus, præferretur &c. Neque etiam in poteſtate ordinis æquales facit, presbyterum, & Epiſcopum, dum Epiſcopo, & non presbytero ordinationem concedit, dicens. Quid enim facit Epiſcopus, quod non presbyter excepta ordinatione? Et in dialogo, aduersùs Luciferianos: Eccleſiæ, inquit, ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet: cui, ſi non exors quædam, & ab omnibus emineus detur poteſtas: tot in Eccleſijs efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes.

Neque ex ſacris literis inducta teſtimonia aliud probant, niſi quod Epiſcopi nomen, in principio commune erat omnibus presbyteris. Et cùm omnis Epiſcopus ſit presbyter, quid mirùm ſi Petrus ſe conpresbyterum, vel conſacerdotem vocet? cùm ipſe Chriſtus, Apoſtolos fratres appellet? quem Paulus non metuit miniſtrum circumciſionis, id eſt Iudæorum, nominare. Hæc enim modeſtiæ, vel humilitatis cauſa, dicuntur: licèt verè, tamen citrà Prælationis præiudicium, quemadmodum Dominus diſcipulis loquitur. Vos vocatis me magiſter, & Domine, & benè dicitis: ſum etenim. Et quod Hieronymus addit. Si auctoritas quæritur, orbis maior eſt vrbe. Intendit conſuetudinem generalem magis eſſe ſequendam, quàm particularem. Loquitur enim de ea conſuetudine, quam Eccleſia Romana ſeruat, aut tolerat, non, alijs ſeruandam mandat. Ex iſtis apparet, quòd Mart. malè concludit, verbis Dei, primatum negari. Non enim quicquid ſcriptura non dicit, cenſendum eſt negare: niſi ſumas argumentum ab auctoritate, negatiuè, qui locus Martino ſatis familiaris eſt. Nunc verò etiam primatum ſcriptura aſſerit, vt oſtenſum eſt.

Et cùm dicit Hieronymus. Vbicumque fuerit Epiſcopus, eiuſdem meriti, eiuſdem eſt, & ſacerdotij, intendit quemlibet Epiſcopum in ſua ciuitate omnia poſſe facere: quæ pertinent ad ordinem Epiſcopalem, eo quòd ſit ſuæ ciuitatis ſupremus Hierarcha. Poteſt enim ſacerdotes, & clericos ordinare, virgines benedicere, Eccleſias conſecrare, confirmare, & ſi quæ ſunt alia propria ordinis epiſcopalis. Neque in hoc, aliquam differentiam facit magnitudo, vel paruitas ciuitatis, parochiæ, vel dyocœſis, diuitiæ, vel paupertas. Nec loquitur de poteſtate regiminis, adminiſtrationis, vel iuriſdictionis, quod patet ex probatione, quam adducit, dicens. Cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Apoſtolos enim vni ſubdidit, vt iam dictum eſt. Et ſimilitèr ſucceſſores Apoſtolorum ſucceſſoribus Petri in regimine vniuerſalis Eccleſiæ ſubdidit.

Per eadem, reſponſum eſt ad id quod allegatur ex commentarijs in epiſtolam ad Titum: excepto quòd ibi addit Hieronym. Sicut ergo presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubiectos, ita Epiſcopi nouerint ſe, magis conſuetudine, quàm diſpenſationis diuinæ veritate, presbyteris eſſe maiores, & in commune, debere Eccleſiam regere. Ex hoc verbo videtur haberi, quòd omnes presbyteri ordinatione diuina ſint, æquales, & quòd humano decreto factum ſit, aut conſuetudine (quæ in poſitiuis eandem vim obtinet) vt vnus alijs ſuperponeretur, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret.

Dicendum, ex hoc non ſequi, quòd vnus non ſit in Eccleſia alteri præpoſitus diuina ordinatione: vtraque enim ordinatio diuina eſt, & quòd in humilitate, manſuetudine, atque mutua charitate, ſibi mutuo inſeruiant chriſtiani, ſinguli in ſuo ordine, non quærentes, quod ſibi vtile eſt, ſed quod alijs: Et etiam, quòd quidam alijs præponerentur cum poteſtate coercendi malos, & tuendi bonos: Priorem vocat Hieronym. diſpenſationis diuinæ veritatem, & veluti legislatoris Chriſti principalem intentionem: iuxta id quod ipſe dixit. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & qui maior eſt veſtrum, fiat ſicut iunior, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.

Altera verò videtur eſſe ſecundaria legislatoris intentio, non per ſe bona, neque ex-

expetibilis, sed magis necessaria, ex præsuppositione mali, propter schisma tollendum, vel impediendum. Simile esse videtur. Diuino iure, omnia esse communia inter homines, videtur fuisse veritas diuinæ ordinationis: quæ illibata mansisset, durante statu innocentiæ, post peccatum autem, ab illa veritate recessum est: etiam diuina ordinatione, propter hominum malitiam, ex qua factum est, vt melius fuerit, & ad communem victum conducibilius, singulis sua esse propria, quàm omnibus omnia communia. Similiter in proposito. Stantè vinculo charitatis fraternæ, quod fuit inter Apostolos, non opus fuisset vnum alijs superponi, qui potestatem exerceret: non quin à principio sit data potestas, cùm (vt dicit Hieronymus) Dominus Petrum caput constitnerit, vt schismatum materia tolleretur, & Cyprianus de eodem Petro loquens, dicit, vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua anctoritate disposuit. Sed quòd omnibus perseuerantibus in bonitate, nullus fuisset illius potestatis vsus, saltem ad coercendum. Ita orabat Paulus: vt ipse nihil posset aduersùs Corinthios, dicens, vt vos probati sitis, nos autem, vt reprobi sumus. Optabat enim illorum bonitate fieri, vt ipse impotens videretur, nec vti posset potestate coercendi sibi in ædificationem data, & pro necessitate magis, atque ex præsupposita aliena malitia. Quoniam igitur ab initio sensim, & paulatim nascentibus diuisionibus, & peccatis multiplicatis, collecto iam magno Christianorum numero, cœpit fieri executio potentiæ, & superioritatis: dicit Hieronymus ex Ecclesiæ consuetudine, vnum alteri fuisse præpositum.

Si autem, vt quibusdam placet, Christus præcepisset, aut statuisset, omnes presbyteros, & Episcopos omnibus modis esse debere æquales; quis fuisset ausus contrarium statuere, sicut Hieronymus asserit, toto orbe fuisse decretum? Illud enim decretum si non à Christo, saltem ab ipsis Apostolis emanauit. Nam quis alius, tunc fuit tantæ auctoritatis, qui toti Orbi legem imponeret, prima facie libertati multitudinis contrariam, quam orbis vniuersus, sine contradictione reciperet?

Constat enim ex Dionysio, & Ignatio contemporaneis Apostolorum, quòd Episcopus illo tempore toti clero Ciuitatis præerat, vt sacerdotes Episcopo, sacerdotibus ministri, ministris populus subesset. Imò & ex Hieronym. scriptis de viris illustribus, patet idem. Describit enim primos Episcopos Alexandriæ, Antiochiæ, Hierosolymorum, & Romæ, Eusebium in chronica secutus, quibus concordat Augustinus in epistola ad Generosum, vbi describit ordinem Episcoporum Ecclesiæ catholicæ à Petro, vsque ad tempora sua.

Prætereà nulla consuetudo contrà ius diuinum præceptiuum valet, sed potius corruptela vocanda est cap. postrema, de consuetudine. Si ergo præceptum diuinum est, omnes presbyteros esse æquales: consuetudo cuius meminit Hieronymus corruptela dicẽda est. Cùm enim consuetudo sit ius quoddam, non scriptum: quod à nullo homine, vel hominum multitudine statui potest: nequit obtinere vim legis per consuetudinem. Vsus enim quantumuis diuturnus, vim iuris non habet, nisi ex tacito populi consensu, qui aduersùs Dei legem nihil valet, Matt. 15. Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram, & sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. Rectè dicit quidam gentilis auctor. Non omnis vsus viuendi, sed vsus viuendi bonorum consuetudo est, nec omnis vsus loquendi, sed vsus loquendi eruditorum, consuetudo loquendi, dicenda est.

Sed diligenter aduertendum est, quòd aliqua diuina ordinatio, est ius concedens, non imperans: vt liberum sit vti, vel non vti, vndè Apostolus primæ ad Corinth. 9. Dominus ordinauit eis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere: hæc Domini ordinatio præceptum non est: aliàs, vt rectè argumentatur August. contrà præceptum fecit Paulus prædicans Euangelium apud Corinthios: viuendo interim labore manuum, aut aliorum liberalitate. Sic intelligit Augustinus, quod Matth. 10. Marci 6. Lucæ 9. scribitur Dominus, Apostolis suis ad Euangelizandum destinatis, dixisse. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque virgam: dignus est enim operarius cibo suo. Ius dedit, & licentiam, vitæ necessaria non portandi: quod à populo quem docerent, capere liceret: qua potestate apud Corinthios, se non vsum fuisse, gloriatur Apostolus. Simile est in multis, ius præeminentiæ, & principatus, diuinitùs concessi, quo superior vti non tenetur omnibus modis, quibus potest erga subiectos: vt quamuis se iure possit defendere, inclinet in partem mitiorem, nisi quantum Dei honor, & subditorum vtilitas postulat. Eodem iure potest superior alteri vices suas committere: nec potestate concessa, in omnes semper vti tenetur.

Per hæc, multa Mart. argumenta soluuntur in hac materia, & alijs, in malo intellectu iuris diuini, fundata: vt illud. Si Petrus iure diuino fuit omnibus superior, ergo peccauit superioritatem, seù primatum, in omnes non exercendo. Vel ergo ipse, vel Papa, non posset vices suas alteri committere. Similiter ergo peccauerunt primitiuæ Ecclesiæ sancti, & martyres. Item illud: Si omnes Romano Pontifici subsunt, peccant christiani, qui sunt in India, aut sub turcis. Hæc enim omnia falsum supponunt, vt dictum est, & talibus sufficit, quòd voto subsint Vicario Christi, parati, quantùm in se est, ad obedientiam, secundùm legem Christi, & doctrinam Apostolicam, atque regulas Ecclesiasticas, totam Ecclesiam concernentes, salua vnicuique libertate, in alijs sequendi consuetudinem suæ patriæ, vel Ecclesiæ propriç, quæ varia esse potest, in his, quç subsunt humanæ ordinationi, apud varios, salua vnitate fidei, & Ecclesiæ. Quamuis enim ordinatione diuina, Romanus Pontifex legitimus Petrus successor sit, omnium summus, tamen aliter præest suæ diœcesi, aliter diœcesibus suorum suffraganeorum, quibus Sedes Romana est Metropolis. Aliter

alijs

alijs prouincijs Ecclesiæ Occidentalis, vt Aphricæ, Germaniæ, Galliarum, Hispaniarum, quarum est Patriarcha. Aliter cæteris Patriarchis, Hierosolymitano, Antiocheno, Alexandrino: Aliter generaliter toti Orbi Christiano. Nam suam diœcesim regit, sicut alij Episcopi suas regunt, iuxta diuinas, & Apostolicas leges, ac Patrum canones: tanquam Metropolitanus curat prouinciam, sicut alij Metropolitani, celebrando Concilia prouincialia, vel bina, vel singula annuè: non omnia absolutè regendo, vel ordinando; sed suffraganijs suis, sua iura seruanda. In Episcopatibus prouinciarum, in quibus Romanus Patriarcha est, aliquid plus curæ impendit, ac magis regulariter superioritatem exercebat, quàm in Episcopatibus, qui suberant alijs primatibus: non tamen sibi omnes eorum ordinationes vendicando, sed legatos mittendo, qui errata corrigerent, canones Ecclesiasticos seruari curarent: vnicuique quamdiù irreprehensibiliter administraret, sua iura seruando: aliter autem toti mundo in quantum, vt Christi Vicarius, & Petro successor: cui pro se, & successoribus, à Christo commissa est vniuersalis Ecclesia. Ex hoc enim iure, Patrum canones decreuerunt in Concilio Nyceno, vt vnicuique Episcopo grauato liberè liceat appellare ad Romanam Sedem. Item, vt Romano Episcopo inconsulto, non destituatur Episcopus: quodque Concilia generalia, aut etiam particularia, in materia fidei eo inconsulto conuocari nequeant: & quòd cùm fuerint conuocata, nihil aliud concludant, quàm id propter quod, conuocata sunt: aut saltem quòd concludi non possint, antequam Romanus Pontifex consulatur, aut saltem conclusio mittatur Sedi Apostolicæ approbanda, vel reprobanda, & eius auctoritate, per vniuersum orbem dirigenda. Id quod obseruatum videmus in Concilio Aphricano, contra Pelagium, & in Concilio Mileuitano, contra eumdem, vt ex epistolis August. ad Innocentium, & Innocentij ad Patres Concilij, constat. Item id obseruatum est in Concilio Chalcedonensi, sub Leone Primo: Imò & in Concilio Niceno, interfuerunt secretarij Sedis Apostolicæ: qui septuaginta duo capitula, Patrum manu signata, retulerunt seruanda in Archiuijs Sedis Apostolicę, vt patet ex epistola Iulij Papę ad Athanasium, & Marci Papæ, ad eumdem: atque Athanasij, & Ægyptiorum Episcoporum ad Iulium, & ad Marcum Pontifices. Vndè patet, quòd acta Conciliorum, ad Sedem Apostolicam illis temporibus mittebantur approbanda, & seruanda. Ex hoc iure, potuit Papa duos Episcopatus, in vnum vnire: vnum in duos diuidere: quemlibet Episcopum iudicare, & exigentibus meritis deponere: ad se vocare: pro Ecclesiæ necessitate, vel salute, secundùm potestatem, quam accepit in ædificationem, & non in destructionem, non pro libito propriæ voluntatis: licet supponatur ratione duci: nisi constet de opposito. Videtur enim diuino iuri consonum, Episcopum secundùm Christi legem irreprehensibiliter suo officio fungentem, non debere turbari in sui Episcopatus administratione: Ex hoc iure dicit Cyprianus, epistola 3. statutum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi crimen est admissum, & singulis Pastoribus portio gregis sit ascripta, quam regat, vnusquisque rationem sui actus Domino redditurus: quando autem à lege deuiat, vel potestatem vertit in tyrannidem, atque ea in Ecclesiæ perniciem abutitur: tunc locus est superiori potestati, vt videlicet Episcopus emendet, vel puniat sacerdotem: & ipse Episcopus iudicetur à suo Archiepiscopo, aut à prouinciali Concilio, & sic ascendendo, vsque ad supremum Christi Vicarium, vndè ex abusu potestatis inferiorum prælatorum erga subditos, primitùs natæ sunt exentiones canonicorum, aut monachorum ab ordinarijs locorum: quas Petri successorem facere posse certum est, sed ex causis vrgentibus pro vtilitate, vel necessitate totius Ecclesiæ, non pro suæ voluntatis arbitrio: Positus est enim, vt alijs sua iura custodiat, non auferat, teste Bernardo in lib. de consideratione ad Eugenium Papam: Sicut enim dux exercitus, imperium habet in omnes, & singulos de exercitu, secundùm quòd ad finem, victoriam scilicet, vel pacem congruit: non pro sua libidine, sed sicut ratio dictat, pro congruentia finis: qui & in arduis communicare debet Concilia cum principibus partium exercitus. Ita credendum est esse in Ecclesia, quæ est, vt castrorum acies ordinata. Et Moysi commissus fuit diuinitùs, totius synagogæ ducatus, cui dictum est. Stulto labore consumeris: eò scilicet, quòd personaliter audiret, & diffiniret, totius populi sibi crediti causas: cui Deus per Getro cognatum eius, ostendit, vt eligeret viros, quos constitueret super hoc opus. Ita Papa potest secundùm plenitudinem potestatis vniuscuiusque causam audire, & finire, de quacumque orbis parte, quia ei dictum est. Quodcumque solueris, & quodcumque ligaueris. Nihilominùs, omnia volendo per seipsum agere, aut ad suum tribunal deducere, potestate non vteretur in ædificationem corporis Christi: pro qua dedit Deus quosdam Pastores, & Doctores. Se enim grauaret, & populum sibi creditum. Sic enim vna pars corporis curanda est: vt altera non grauetur. Præest enim omnibus christianis in spiritualibus Papa, sed tanquam liberis, non tanquam seruis. Sicut igitur Moyses audiuit consilium alienigenæ, ita & multò amplius debet Pontifex audire collegas, & fratres, & conseruos in Christo, atque cohæredes regni, conparticipes coronæ immarcessibilis, quam reddet pastorum princeps.

Pro supradictis facit quod scribit Leo Papa ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem: epistola quinquagesima quarta, vbi inter cętera scribit. Quoniam sicut præcessores mei præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui; vt curam, quam vniuersis Ecclesijs principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis adiuuares: & longinquis ab Apostolica Sede prouincijs, præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes: quia de continenti, oportunoque prospectu, promptum tibi esset agnoscere, quid, vel in quibus rebus, vel studio componeres, vel

nostro iudicio, reseruares. Nam cum maiora negotia, vel difficiliores causarum exitus, liberum tibi esset, sub nostræ sententiæ expectatione suspendere, nec ratio, nec necessitas fuit, in id quod mensuram tuam excederet deuiandi. Abundant enim apud te monumentorum scripta nostrorum; quibus te de omnium actionum temperantia, frequenter instruximus, vt commendatas tibi Ecclesias, per exhortationem charitatis ad salubritatem obedientiæ procurares. Et in eadem epistola, circa finem scribit. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius, sicut Apostolus ait. Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bono, ad ædificationem. Nec enim poterit vnitatis nostræ firma esse compago: nisi nos ad inseparabilem soliditatem, vinculum charitatis astrinxerit, quia, sicut in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eumdem actum habent. Ita multi vnum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra. Hæc connexio, totius quidem corporis vnitatem requirit: sed præcipuè exigit concordiam sacerdotum. Quibus; cùm dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis. Quoniam, & inter beatissimos Apostolos, in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis. Et cùm omnium par esset electio: vni tamen datum est, vt cæteris præemineret, de qua forma, Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouincijs singuli: quorum inter fratres haberetur prima sententia. Et rursùs, quidam in maioribus vrbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri Sedem vniuersalis Ecclesiæ cura confluerct, & nihil vnquam à suo capite dissideret. Eadem est sententia Hieronymi, & Cypriani. Item pro eo quòd non passim ordinationes sibi vendicat Papa: facit quod idem Leo scribit vniuersis Episcopis per Viennensem prouinciam constitutis epist.67. his verbis. Non enim nobis, ordinationes vestrarum prouinciarum defendimus, quòd potest forsitan ad deprauandos vestræ sanctitatis animos Hylarius pro suo more mentiri; sed per vestram sollicitudinem vindicamus, ne quid vlteriùs liceat nouitati; nec præsumptori locus vltra iam pateat priuilegia nostra cassandi. Nostræ enim gratulationi hoc solum crescere profitemur; si Apostolicæ Sedis diligentia apud vos illibata seruetur, & per sacerdotalis disciplinæ custodiam honori vestro perire quod suum est, pro nouis vsurpationibus non sinamus. Sed de his infra latius.

Secunda pars tradit verum sensum sententiarum, quas ex beato Cypriano citat Martinus.

VEnio ad id quod allegat Martinus ex Cypriano. Et quod recitatur ab Augustino lib.2. de baptismo cap. 2. Nec enim quisquam nostrum, Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem, collegas suos adigit: quando habet omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suę arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non possit: quomodo, nec ipse potest alterum iudicare, sed expectemus vniuersi, iudicium Domini Nostri Iesu Christi, qui vnus est solus habens potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi. Ex quo Cyprianus verbo, Martinus inferre conatur, omnes Episcopos æquales esse, nec vnum altero esse superiorem, cum non possit ab altero iudicari, aut compelli ad obedientiam.

Sed non eam esse mentem Cyprian. manifestum est, consideranti ea, quæ scribit Cornelio Papæ epistola 4. libri primi, vbi scribit de Basilide, in cuius locum ordinatus est Sabinus. Item ea, quæ narrat de priuato quodam, quem scribit ob multa, & grauia delicta, nonaginta Episcoporum sententia, condemnatum: cui & ipse Cypr. in Concilio audientiam denegauit. Item Cyprian. Ioninus, & Maximus, & Fœlix, ob nephanda sacrificia, & crimina in se probata, sententia, inquit, nouem collegarum nostrorum condemnati, & iterato quoque à pluribus nobis anno priore in consilio abstenti.

Cùm his autem quartus iunctus est, & repositus, Suturnicensis, & cæteri. Hinc liquet iudice Cypr. ab Episcopo Episcopum: Imò Episcopos iudicatos fuisse, & damnatos. Nec dici potest, à Concilio Episcoporum, non ab aliquo vno, Episcopos fuisse iudicatos, & damnatos: quia in verbis allegatis Cyprianus Episcopum soli Christo iudicandum subijcit, cùm dicit, sed expectemus vniuersi iudicium Domini Nostri, qui vnus est solus habens potestatem, & ponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi. Si igitur ex supra allegatis verbis Cypriani habeatur Episcopum non subesse Episcopo in aliquo casu, ex eisdem habetur, quòd non subsit Episcoporum collegio. Præterea presbyter, qui secundùm Martinum iure diuino, in nullo est Episcopo inferior, accusari potest dicente Apostolo ad Thimotheum. Accusationem aduersùs presbyterum noli accipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus. Vndè sumitur argumentum, quòd presbyter possit accusari coram Episcopo, & consequenter in iudicio confessus, aut conuictus iudicari. Dices, Chrysostomus, & qui eum ferè sequitur. & breuiat Vulgarius, græcè explicantes eum locum, dicunt presbyterum eo loco significare ætatem non dignitatem, Adde Cyprianum 3. lib. ad Quirinum, ita eum locum citare maiorem natu.

Respondeo, presbyter (teste Heronymo) est equiuocum apud græcos, quandòque significat ætatem, quandòque dignitatem, & iuxta loci circunstantiam, nunc hoc, nunc illo modo, nun vtroque indifferenter accipitur. Mihi videtur hoc loco potiùs significare dignitatem, quàm ætatem: quadrat enim magis antecedentibus, vbi habes: Presbyteri, qui benè præsunt, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina. Itaque in hac parte sequor Ambrosium, & Hieronymum, & canones Ecclesiæ: quamuis iuxta Augustinum, cùm Scripturæ locus plures sensus habet, nihil

hil vetat vtrumque esse de mente principalis authoris, & vtroque sensu citari, maximè cùm vtrinque sit eadem ratio, vt in præsenti capitulo, aduersùs maiorem natu non temerè recipienda accusatio: quòd non sit verisimile progressæ ætatis hominum peccare: Similiter eum, qui in tanta dignitatis excellentia (vt ait Ambrosius) constitutus sit, non temerè accusandum esse.

Tertiò, si nullo modo Episcopus posset Episcopum iudicare, aut Episcopo præcipere, id quod Hieronymus constitutum esse toto orbe asserit, statim post initia Ecclesiæ ad obuiandum schismatibus esset iuri diuino contrarium, vt videlicèt vnus ex Sacerdotibus eligeretur, qui alijs supponeretur. Is enim alijs superponitur, & princeps constituitur: Igitur è diuerso, alij supponuntur, & obedire iubentur: alioqui quo pacto hoc decreto schismatis materia tolletur, si nihilominùs omnibus Sacerdotibus esset relicta libertas, qua nemini nisi soli Christo redderent administrationis suæ rationem? Non igitur voluit Cyprianus nullo casu, nulla causa, Episcopum posse iudicari, alioqui non sua facta solùm, sed & omnium veterum Conciliorum contrà hæreticos celebratorum, rescinderet. Sed intendit in re ambigua, & obscura, ex scriptura, & regulis Patrum, nondùm ad ad plenum declarata ante plenariam determinationem, Episcopum diuino iudicio relinquendum: neque à diuersum sentientibus, à communione separandum. Vndè Aug. 3. de Baptismo cap. 3. continuò post dicta Cypriani verba addit, velut expones: Opinor vtique in ijs quæstionibus, quæ nondum eliquatissima perfectione discussæ sunt. Nouerat enim quanta sacramenti profunditate, tunc omnis Ecclesia varia disputatione versabat, liberumque faciebat quærendi arbitrium, vt examinara veritas panderetur. Vndè, & in libris allegatis de Baptismo, & in epistola ad Vincentium Donatistam, Augustinus aliquo modo excusat errorem Cypriani, & Concilij prouincialis ab eo celebrati, quo non excusat partem Donati, longo tempore post Cyprianum, quòd plenario totius orbis concilio, res, in qua probabiliter errabat Cyprianus, manifesta esset. Augustini in epistola ad Vincentium Donatistam verba sunt. Porrò autem Cyprianus, aut non sensit omninò, quod eum sensisse recitatis: aut hoc postea correxit in regula veritatis: aut hunc quasi neuum sui candidissimi pectoris cooperauit vbere charitatis: dum vnitatem Ecclesiæ toto orbe crescentis, & copiosissimè defendit, & perseuerantissimè tenuit vinculum pacis. Scriptum est enim: Charitas cooperit multitudinem peccatorum. Accessit huc etiam quod tanquam fructuosissimum sarmentum, si quid in eo fuerat emendandum, purgauit pater, falce passionis. Sarmentum autem, ait Dominus, quod in me facit fructum, purgat illud Pater meus, vt maiorem fructum afferat. Vndè? nisi quia hærens in diffusione vitis, radicem non deseruit vnitatis? Nam etsi traderet corpus suum vt arderet, charitatem autem non haberet, nihil ei prodesset. Hucusque Augustinus. Et idem lib. 6. de Baptismo, cap. 7. post hæc, & alia verba Cypriani in eandem sententiam allegata, inquit: Quibus eius sermonibus satis apparet illo tempore ab eis ista fuisse tractata: quo nondùm sine ambage hauriebantur, sed adhuc clausa magno molimine quærebantur.

Tertia pars interpretatur canones, & acta Conciliorum Aphricani, & Chalcedonensis, quibus vtitur Martinus.

ARgumentatur Martinus, ex eo quod habetur 99. distinct. in cap. primæ Sedis, quod est Concilij Aphicani.

Primæ Sedis Episcopus non appelletur princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi: sed tantùm primæ Sedis Episcopus, vniuersalis autem, nec etiam Roman. Pont. appellatur. Respondeo. Primæ Sedis Episcopus dicitur non Romanus solùm, sed primas quilibet, vel Patriarcha, vndè in capite præcedenti eadem dist. dicitur. Nulli Archiepiscopi, primates vocentur, nisi illi qui primas sedes tenent, quarum Episcopos, Apostoli, eorumque successores, regulariter patriarchas, vel primates esse constituerunt: nisi aliqua gens deinceps ad fidem conuertatur: cui necesse sit præ multitudine, primatem constitui. Itaque textus non loquitur peculiariter de Sede Romana, sed in genere de Sede Patriarchali. Clausula verò, vniuersalis autem, &c. non est Concilij Aphricani, cuius canon sextus ponitur dicto capitulo: sed est ipsius Gratiani, quam probat duobus capitulis sequentibus: vno Pelagij, altero Gregorij, quibus non probatur, quin aliquo vero sensu, Episcopus Sedis Apostolicæ dici possit vniuersalis: puta tanquam is cui vniuersalis Ecclesiæ cura commissa est, in qua Petro succedit. De quo Gregorius asserit libro quarto epistola trigesimasecunda, quę est ad Mauritium Augustum, vbi inter cætera sic inquit: Cunctis enim Euangelium scientibus liquet, quòd voce dominica, sancto, & omnium Apostolorum Petro principi Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est, Ipsi quippe dicitur. Petre amas me: pasce oues meas. Ipsi dicitur. Ecce Sathanas expetijt cribrare vos, sicut triticum, & ego pro te rogaui Petre: vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersùs, confirma fratres tuos. Ipsi dicitur. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi, non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cęlorum, & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum, & in cęlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in cęlis. Ecce claues regni cœlestis accepit: potestas ei ligandi, & soluendi tribuitur.

Cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur: & tamen, vniuersalis Apostolus non vocatur, & vir sanctissimus consacerdos meus Ioannes, vocari vniuersalis Episcopus conatur. Et infrà. Nunquid ego hac in re pijssime Domine, propriam causam defendo? Nunquid specialem iniuriam vindico, & non magis causam omnipotentis Dei, quàm causam vniuersalis Ecclesiæ? Quis est iste qui contra statuta euangelica contra canonum decreta, nouum sibi vsurpare nomen præsumit? vtinam & sine aliorum immi-

nutione vnus sit, qui vocari appetit vniuersalis. Ex his, & alijs quæ scribit Gregorius Eulogio Patriarchæ Alexandrino, Constantiæ augustæ: & Ioanni Constantinopolitano Episcopo, manifestè apparet, ex quo sensu neget aliquem vocari posse vniuersalem, qui videlicèt omnium sit Patriarcha, & Episcopus, per exclusionem episcopalis dignitatis, ab omnibus alijs: sic quòd alij eius vice gerentes, aut commissarij solùm existerent: hoc significat cùm dicit. Vniuersa ergo Ecclesia (quòd absit) à statu corruit, quando is qui appellatur vniuersalis cadit, hoc est: si vnus tantùm sit vniuersorum Episcopus: cùm is cadit in hæresim, nullus in Ecclesia remanet Episcopus, quia hæreticus perdit administrationem, & iurisdictionem, licèt retineat characterem, & ex consequenti omnes eius Legati, vel Vicarij. Idcircò enim (inquit Cyprianus scribens Stephano Papæ) Copiosum corpus est Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutino, atque vnitatis vinculo copulatum, vt si quis ex collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentauerit: subueniant cæteri, & quasi pastores vtiles, & misericordes, oues dominicas in gregem colligant. Hæc ille.

Certum est quòd sancta Synodus Chalcedonensis Episcopo Romano nomen vniuersalis in hoc sensu non obtulit. Non enim voluerunt patres illic congregati, collegium Episcoporum dissoluere, & collegas sacerdotali dignitate priuare, ergo in aliquo alio sensu verò, nomen vniuersalis Roman. Episcopo obtulerunt præfati Concilij Chalcedonensis Patres: quo tamen propter humilitatem, & concordiam seruandam, vti noluerunt, ipsa re contenti, hoc est quod Gregorius refert à suo prædecessore Pelagio, acta Synodi Constantinopolitanæ esse cassata, per quam Ioannes dictæ vrbis Episcopus nomen vniuersalis assumere tentauit, & de eo, literas fecit ad vniuersos Episcopos: quem & ipse Gregorius fraternè admonet, ac minas addit, quòd nisi obtemperauerit: eum sit habiturus sicut Ethnicum, non vtique facturus: nisi nosset ad se pertinere, ob Apostolicæ Sedis honorem, atque prærogatiuam. Sic refert historia tripartita, quòd Iulius Papa Athanasium iniustè ab Arrianis eiectum, in Sedem Alexandrinam reposuerit, & Cyprianus Stepanum Papam monet, dicens, dirigantur in prouinciam, & ad plebem Arelatę consistentem, à te literæ, quibus abstento Marciano, alius in locum eius substituatur, & grex Christi, qui in hodiernum ab illo discipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur.

Ex istis apparet quo sensu Romanus Episcopus vniuersalis appellari possit, & quę sit eius prærogatiua, super alios Episcopos, & qualiter est caput collegij Episcoporum, sicut Petrus caput collegij Apostolici.

Quarta pars interpretatur scripturas ex euangelio per Martinum perperam citatas.

VEnio ad allegata ex euangelio. Primùm est Matth. 20. vbi post petitionem filiorum Zebedæi, & audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem vocauit eos ad se, & ait. Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent inter eos: non ita erit in vos: & quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Vbi Chrysostomus. Sicut duo carnaliter perierunt, ita & decem, carnaliter contristati sunt. Nam velle quidem, esse super omnes, vituperabile est. Sustinere autem alium super se, minùs est gloriosum. Et Origenes. Non contenti tantùm regere suos subiectos, sed violenter eis dominari nituntur, inter vos autem, qui estis mei, non erunt hæc, quoniam sicut carnalia in necessitate sunt posita, spiritualia autem in voluntate: sic & qui principes sunt spirituales, principatus eorum in dilectione subditorum debet esse positus, non in tumore corporali. Chrysostom. super Matthæum. Et opus quidem desiderare bonum, bonum est, quia nostræ voluntatis est, & nostra est merces. Primatum autem honoris concupiscere vanitas est. Hic enim consequi iudicium Dei est, propter quod ex primatu honoris nescimus, si mercedem iustitiæ meremur. Neque enim Apostolus laudem habebit apud Deum, quia Apostolus fuit, sed si opus apostolatus sui, benè impleuit. Nec Apostolus pro meritò suo antecedenti, honoratus est, sed ad hoc ministerium aptus est inducatus, secundùm motum animæ suæ. Primatum etiam fugientem se desiderat, & desiderantem se horret. Conuersatio ergo melior desideranda est, non dignior gradus.

Volens ergo Dominus, & duorum fratrum filiorum Zebedæi, & aliorum indignationem extinguere, introducit differentiam inter principes sęculares, & ecclesiasticos: ostendens, quia primatus in Christo, nec ab aliquo appetendus est non habenti: alteri inuidendus est habenti, quia principes mundi ideò sunt, vt dominentur minoribus suis, & eos seruituti subijciant, & expolient, & vsque ad mortem eis vtantur, ad suam vtilitatem, & gloriam.

Principes autem Ecclesiæ fiunt, vt seruiant minoribus suis, & ministrent eis, quæcunque acceperunt à Christo, vt suas vtilitates negligant, & illorum procurent, & mori non recusent pro salute inferiorum.

Primatum ergo Ecclesiæ concupiscere, neque iustum est, neque vtile.

Nullus sapiens vult vltrò subijcere seruituti, & periculo tali, vt det rationem pro omni Ecclesia, nisi forte qui non timet Dei iudicium, abutens primatu suo ecclesiastico sęculariter, ita vt conuertat illum in sęcularem.

Secundò allegat Marci 10. Et audientes decem indignati sunt, de Iacobo, & Ioanne, Iesus autem vocans eos, ait illis. Scitis, quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & princepes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis, sed quicunque voluerit fieri maior, erit vester minister. Et quicunque voluerit in vobis esse primus, erit omnium seruus. Nam & filius hominis non venit, vt ministraretur ei, sed

vt ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis. Hæc eundem sensum habent cum allegatis ex Matthęo. Vnde Theophilus. Quia reliqui Apostoli vident Iacobum, & Ioannem, honorem petere, patienter ferre non possunt. Vndè dicitur. Et audientes decem indignati sunt, de Iacobo, & Ioanne. Patientes enim, humana inuidia mouebantur. Item Luc. 22. Facta est autem, & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior, dixit autem eis. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent, super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Ista eundem sensum habent cum præcedentibus. Similiter allegata. Lucæ 9. & Matth. 18. In omnibus enim istis, humilitas commendatur, & fraternæ charitatis affectus: dùm ostenditur in Christi Regno futurus prior, qui hic illi fuerit virtute vicinior, Cyprian. Cùm Dominum discipuli interrogassent, quis inter illos maior esset, qui fuerit, inquit, minimus in omnibus vobis, hic erit magnus: amputauit omnem æmulationem responso suo, omnem causam, & materiam mordacis inuidiæ eruit, & abscidit: discipulo Christi zelare non licet, non licet inuidere. Exaltationis apud nos non potest esse contentio: de humilitate, ad summa crescimus. Similiter ostenditur vtrumque vituperabile esse, scilicèt velle præesse, & nolle subesse, nec solùm reprehenditur appetens Monarchiam, sed appetens quantulumcunque primatum. Et attende Christum non dixisse. Nullus inter vos erit princeps, aut nullus erit maior. sine superior. Sed dedit modum, & formam principatus inter Christianos: inter quos princeps non tam sibi, quàm alijs principatum gerit, atque ne parum facerent verba, sui dedit exemplum, qui cum inter disciqulos versaretur, quamuis esset simills ministranti, retinebat tamen magisterium, vt ipse dicit. Vocatis me magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim. Et hoc demonstrat ipsa textus circunstantia, cùm dicit, qui maior est inter vos, fiat sicut iunior, & qui voluerit esse maior, sit omnium seruus: vbi supponit aliquem àltero esse maiorem, sed illum primatum vult non sibi haberi sed fratribus: vt eis ad salutem inseruiat. Cuius ministerij memores, Petrus & alij Apostoli, insuis literis vtuntur vocabulis fraternitatis, seruitutis, societatis, sine præiudicio primatus, non minùs, quàm Iulius Cæsar, citra imperialis dignitatis præiudicium, milites appellat commilitones. Et Æneas apud Vergilium socios, Adde, illa Christi verba dirigi ad omnes Christianos, non ad Ecclesiasticos tantùm. Omnes enim Christiani veniunt nomine discipuli, & fratris. Et loquitur de illis, quos distinguit à gentibus, cùm dicit reges gentium dominantur eis. Non sic erit inter vos scilicèt Christianos, vbi non ipsum principatum, sed principandi modum prohibet, neque Christianis regalem, aut imperialem tollit dignitatem: sed tyrannidem, quam, & ipsi Ethnici iniquam inter homines esse fatentur, vt videre licet apud Platonem, Xenophontem, Arist. Ciceronem, & alios, Imò neque Christus prohibet inter Christianos dominium seruorum etiam Christianorum: vbi tamen seruiens est, sed propter Dominum, non è contrario vetat liberos regi seruiliter.

Quod autem in primatu constitutus, debeat constanter dignitatis, quam gerit, exercere officium, quamuis non ambiat primatum, ostenditur ex dictis Gregorij, in epistola ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, & Anastasium Episcopum Antiochenum, dicentem. Oportet, vt constanter, ac sine præiudicio seruetis, sicut accepistis, Ecclesias: & nihil sibi in vobis hæc tentatio diabolicæ vsurpationis ascribat, State fortes, state securi, scripta cum vniuersalis nominis falsitate, nec dare vnquam, nec recipere præsumatis. Omnes Episcopos curæ vestræ subiectos ab huius elationis inquinatione prohibete, vt vniuersa vos Ecclesia Patriarchas, non solùm in bonis operibus, sed in veritatis auctoritate cognoscat. Si qua autem forsan aduersa subsequuntur, etiam moriendo debemus ostendere, quia in damno generalitatis, nostrum specialiter aliquid non amamus, dicamus cum Paulo, mihi viuere Christus, & mori lucrum. Audiamus quod primus omnium pastorum dicit. Si quid patimini propter iusticiam, beati eritis: mihi enim credite, quia honorem, quem pro prædicanda veritate suscepimus, si necessitatis causa exigat, securius pro eadem veritate relinquemus, quam tenemus. Item in epistola ad Mauritium Augustum, apparet Gregorij in hac re cum vera humilitate constantia. Inquit enim. Ego cunctorum sacerdotum seruus sum, inquantum ipsi sacerdotaliter viuunt. Nam qui contrà omnipotentem Dominum per inanis gloriæ tumorem, atque contrà statuta patrum suam ceruiciem erigit, in omnipotenti Domino confido, quia meam sibi, nec cum gladijs flectit. De eadem rescribit idem Gregorius Aniano Diacono Constantinopolitano. Nos rectam viam tenemus, nihil in hac causa aliud, nisi omnipotentem Dominum metuentes: vndè tua dilectio in nullo trepidet, omnia, quæ in hoc sęculo videt alta esse contra veritatem, pro veritate despiciat in omnipotentis Dei gratia, atque beati Petri Apostoli adiutorio confidat, vocem veritatis recolat, dicentis. Maior est, qui in vobis est, quàm qui in mundo: & in hac causa quicquid agendum est, cum summa auctoritate agat. Postquam enim defendi ab inimicorum gladijs nullo modo possimus, postquam pro vtilitate reipublicæ argentum, aurum, mancipia, vestes perdidimus, nimis ignominiosum est, vt per eos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil aliud quàm fidem perdere.

Ex his apparet temerarium esse, Gregor. & alios sanctos Pontifices, etiam martyres dicere, ex amore primatus, vel ambitione Prælationis tam constanter egisse, damna, inimicitias, & mortem denique ipsam contempsisse.

Nam, & Apostoli Domini carnalem affectum accepto spiritu deposuerunt, vt inquit Chrysostomus.

Audia-

Audiamus, & Bernardum, verè, & liberè, atque constantèr Romanorum vitia describentem, quid tamen ipsi Pontifici sedis Apostolicæ tribuat audiamus.

Vndè in fine quarti de consideratione ad Eugenium, inquit. De cætero oportere te esse considera formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranymphum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum aduocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen sacerdotem altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, postremò Deum pharaonis. Intellige, quæ dico. Dabit tibi Dominus intellectum. Vbi malitiæ iuncta potentia est, aliquid tibi suprà hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala, Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat. Timeat orationem, qui admonitionem contempsit. Cui irasceris tu, Deum sibi iratum, non hominem putet. Qui te non audierit, audirurum Deum contra se, paueat. Numquid hic sanctus Romano Pontifici adulatur, aut errans nescit, quid loquatur?

Quinta pars tractans historia, & res per maiores nostros in Ecclesia sancta gestas.

Qvia Martinus magnifacit rationes, & historias, & quasdam earum, reputat inuictas, & insolubiles: respondendo ponam primò verba eius, ne conqueratur, quod rationes truncauerim. Prima inquit historia est. Actuum Apostolorum: vbi Petrus æqualis scribitur cæteris Apostolis, denique sui sermonis cap. 15. confirmationem à Iacobo accepit, deindè nullum Apostolorum ipse ordinauit, nec vllus sub ipso fuit: quomodo ergo successor Petri omnium Apostolorum successores sub se habere potest? quid quæso ad hæc dici ab vllo potest? Item Mathiam, nec ipse, nec omnes simul, ausi sunt in Apostolum ordinare: sed ex Deo postularunt tantùm. Hæc Martinus.

Vbi nam quæso à beato Luca omnes Apostoli æquales esse scribuntur? Nisi dixeris, non eos ab illo describi inæquales: hoc, quid ad rem? nisi argumenteris ab auctoritate negatiuè, hoc pacto, Petrus non illic scribitur alijs Prælatus, igitur Prælatus non est: quin potius è contrario in eo lib. penè semper Lucas soli Petro honorem defert, primus numeratur, surgit in medio, & verbum facit de eligendo alium in locum Iudæ, accepto spiritu, ipso die Pentecostes. Petri solius sermo ad populum habitus refertur: claudum in nomine Iesu sanat, ad tanti miraculi nouitatem stupenti populo satisfacit, principibus constantèr loquitur: sententiam terribilem in Ananiam, & Saphiram profert: vnius Petri vmbra ægrotos sanasse refertur, sententiam profert in Simonem magum: Æneam sanat: Tabitam suscitat: lintheum quatuor initijs è cœlo demissum videt. Petro dicitur, occide, & manduca, ad Cornelium centurionem gentilem mittitur. Ecclesia sine intermissione orante de manu Herodis liberatur. Quæstione mota, an lex Moysi gentilibus seruanda traderetur, primus verbum facit, ac non esse illis imponendam decernit: vt teste Hieronymo sit ipse auctor decreti, in cuius sententiam Iacobus, & cæteri Apostoli, ac seniores iuerunt. Nec video, quam aliam confirmationem sui sermonis à Iacobo Petrus acceperit. Reliqua penè tota Actuum historia, describendis Pauli gestis occupatur: qui tamdem orbe peragrato Romæ Petro coniunctus, in morte quoque non est separatus: vt quibus erat, vniuersalis Ecclesię communis administratio, esset coniuncta corona martyrij. Quòd autem Martinus addit. Nullum Apostolorum à Petro ordinatum, qualecumque sit, eius non meminit Actuum historia. Quod verò vlterius dicit. Nec vllus sub ipso fuit, ibi non dicitur, & merito, quia verum non est, vt ex allegatis ex Hieronymo, Chrysostomo, Augustino, Gregorio, suprà monstratum est. Vndè non est mirùm, quòd sub Petri successore sint aliorum Apostolorum successores.

Est tamen circa hæc aduertendum, quòd sicut in omni re, alia est ratio initij, alia progressus, sic & in constitutione Ecclesiæ. In semine arboris, virtute continentur omnia, quæ progressu temporis explicantur: quamuis distinctio non appareat. Similitèr in principio constitutionis ciuitatis, regni, vel Ecclesiæ. Antequam enim ciuitas ordinetur, oportet congregari multitudinem, & congregatam distingui, ac ordinari, ad quod opus est legibus, & magistratibus, legum custodibus. Sic antiquis Hebræorum populus primùm de Ægypto separatus, deindè legem, & sacerdotium accepit: pariformiter Christus, primùm discipulos congregauit, congregatis legem tradidit: quosdam ex eis Apostolos fecit tanquam præcipuos magistratus, & legum custodes: deindè alios secundi gradus discipulos ordinauit, Apostolos, & discipulos tamquam futuræ Ecclesiæ semina in orbem vniuersum sparsit, per quos populum primo collegit, populo autem congregato cæpta est euidentiùs explicari forma Ecclesiæ, distributo populo per conuenticula, secundùm distinctiones, & gradus. Ex quibus patet, quòd ex gestis à principio, non oportet omninò similitèr argumentari de gerendis in progressu: quia enim vnusquisque Apostolorum Spiritum sanctum acceperat, & opera excedentia naturam faciebat, atque signa, & prodigia, quæ Apostolus signa Apostolatus appellat: ideò poterat indifferentèr omnibus doctrinam pietatis, & sacramenta Christi ministrare. Postquam autem illa signa cessauerunt, pro vnitate, & pace, executum est, quod Hieronymus dicit toto orbe decretum, vt vnus superponeretur: & quòd Christus vnum constituit, qui esset caput collegij Apostolici, pro remedio schismatis: quod non tam illis, quàm posterioribus necessarium erat, quòd essent posteris charitate, & sanctitate pręstantiores,

tiores: vndè etiam hodie habenti sufficiens diuinæ missionis testimonium, humana missio, vel ordinatio necessaria non est: vt de Equitio abbate scribit Gregorius, 1. Dialogorum, Et ne cui istud nouum videatur, audiat Ambrosium, in explanatione epistolæ ad Ephesios, dicentem. Postquam omnibus locis, Ecclesiæ sunt constitutæ, & officia ordinata, alitèr composita res est, quàm cœperat.

Primùm enim, omnes docebant, & omnes baptizabant, quibuscumque diebus, vel temporibus fuisset occasio. Nec enim Philippus tempus quæsiuit, aut diem, quo eunuchum baptizaret, neque ieiunium interposuit, neque Paulus, & Silas tempus distulerunt, quo custodem carceris baptizarent cum omnibus eius. Neque Petrus diaconos habuit, aut diem quæsiuit, quando Cornelium cum omni domo eius baptizauit, nec ipse, sed iussit fratribus, qui cum illo ierant ad Cornelium ab Ioppe, adhuc enim præter septem diaconos nullus fuerat ordinatus. Vt ergo cresceret plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est, & Euangelizare, & baptizare, & scripturas in Ecclesia explanare. At vbi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conuenticula constituta sunt, & rectores, & cætera officia in Ecclesijs sunt ordinata: vt nullus de clero auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret non sibi creditum, vel concessum: & cœpit alio ordine, & prouidentia gubernari Ecclesia, quia si omnes eadem possent, irrationabile esset, & vulgaris res, & vilissima videretur. Hinc ergo est, vndè nunc, neque diaconi in populo prædicant: neque clerici, vel laici, baptizant: neque quocũq; die credentes tinguntur, nisi ægri, ideò non per omnia conueniunt scripta Apostoli, ordinationi, quæ nunc in Ecclesia est, quia hæc inter ipsa primordia, sunt scripta. Hæc ille.

Secundò argumentatur Martinus ad Galathas 2. Antiochiæ Petrus à Paulo reprehendebatur: in quo patet, Romanum Pontificem subesse cuilibet melius sentienti: nec ideò verum esse, aut bonum: quia ipse sic dicit, aut facit: sed rationem reddere tenetur. Immò non semper potest reddere: sed cum Petro aliquando errat.

Hæc ratio nihil aliud concludit, quàm non peccantem peccante cæteris paribus esse meliorem, & eum qui peccat posse redargui, & reprehendi, vel clam, vel palam, pro facti qualitate. Nihil autem concludit de superioritate Prælationis: quia neque ipse Martinus vult Prælatum, aut Principem, quandocumque peccat, amittere principatum. Quod si quis in hoc facto, Origenis, Chrysostomi, & Hieronymi sententiam sequi velit, dicet Petrum non peccasse, sed dispensatoriè fuisse repræhensum. Vndè Hieronymus primò commentariorum in epistolam ad Galathas. Cùm vidisset Apostolus Paulus periclitari gratiam Christi, noua bellator eius vsus est arte pugnandi, vt dispensationem Petri, qua Iudæos saluari cupiebat, noua ipse contradictionis dispensatione corrigeret, & resisteret ei in facie, non arguens propositum, sed quasi in publico contradicens, vt ex eo, quòd Paulus eum arguens resistebat, hi qui crediderant ex gentibus seruarentur. Et interpositis probationibus, atque ostenso, quòd simulatio quandoque sit vtilis, addit. Et quomodo cùm etiam de minimis fratribus hoc faciendum Dominus iusserit: ausus est Apostolorum maximum in publica facie, tam procacitèr, tam constantèr arguere, nisi & Petro sic placuisset argui? & Paulus non ei faceret iniuriam, de quo ante dixerat, veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum quindecim diebus. Alium autem Apostolorum vidi neminem. Et rursus. Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis. Et infrà. Petrus, & Iacobus, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, & cætera, quæ in eius laudes perorat: Si, inquam, hunc sensum sequimur, exclusa est ratio argumenti, & præter hoc, habetur tanti viri testimonium de Petri prærogatiua, & præeminentia, propter quam non audet Hieronymus asserere eum à Paulo reuera publicè reprehensum. Hoc est enim, quod illos in hanc dispensatoriam reprehensionem deduxit, ne Paulus arguatur procacitatis, aut Petrus erroris.

Qui verò contra sentiunt, inter quos est Cyprianus, Ambrosius, & Augustinus nihilominùs honorificè defendunt Petri præeminentiam. Vndè Ambrosius. Post concordiam societatis, & honorificentiam primatus, quam sibi inuicem per gratiam Dei detulerunt, nunc interueniente causa negligentiæ, vel erroris, diffidere inter se videntur Apostoli: non in propria causa, sed in solicitudine Ecclesiæ. In faciem, inquit, illi restiti, quid est hoc, nisi in præsenti ei contradixi? & qua causa subiunxit, dicens, quia reprehensus erat, reprehensus vtique ab Euangelica veritate, cui hoc factum aduersabatur. Nam quis eorum auderet Petro primo Apostolo (cui claues regni cœlorum Dominus dedit) resistere, nisi alius talis, qui fiducia electionis suæ sciens se non imparem, constantèr improbaret, quod ille sine consilio fecerat? & infrà. Ideò in solum Petrum inuehitur, vt in eo, qui primus est, discerent cæteri. Hæc ille.

Item Augustinus in epistolam ad Galathas. Quòd autem hoc ei coram omnibus dixit, necessitas coegit: vt omnes illius obiurgatione sanarentur. Non enim vtile erat, errorem, qui palàm noceret, in secreto emendare: Huc accedit, quòd infirmitas, & charitas Petri, cui ter à Domino dictum est, amas me, Pasce oues meas, obiurgationem talem posterioris pastoris, pro salute gregis libentissimè sustinebat. Nam erat obiurgatore suo, ipse qui obiurgabatur, mirabilior, & ad imitandum difficilior. Faciliùs est enim videre, quid in alio corrigas, atque id vituperando, vel obiurgando corrigere, quàm videre, quid in te corrigendum sit, libentèrque corrigi, vel per teipsum: ne dum per alium, adde posteriorem, adde coram omnibus. Valet autem hoc ad magnum humilitatis exemplum, quæ maxima est disciplina Christiana. Humilitate enim conseruatur charitas. Nam eam nihil citius violat, quàm superbia. Hæc ille.

Ex his, vides hac Petri reprehensione, siuè vera, siuè simulata, tantorum virorum testimonio, non solùm nihil decedere primatui, sed aliquid etiam accedere: dum summa

ma humilitate maximus à minore, primus à posteriore, vtilem Ecclesiæ tolleret reprehensionem.

Tertiò, argumentatur Martinus ex Ecclesiastica historia lib. 5. Victor Primus Romanus Pontifex, Asiæ Episcopos voluit excommunicare. Redargutus autem est, non à Paulo, sed ab Hyrenæo Lugdunensi, & coercitus, etiam à cęteris omnibus monitus, & iussus pacem habere, & Ecclesiam non conturbare, quibus sicut decuit, cessit. Item ibidem, Anicetus quoque cessit Polycarpo Smyrneo Episcopo: nec eum cogere potuit in sua decreta. Item historia tripartita lib.4. Iulius Primus conatus prohibere, ne citra suam auctoritatem consiliū cogerent Orientales Episcopi, inaniter egit; quia illi nihil hoc curarunt, & acutissimè ei rescripserunt.

Quòd hæc non ostendant Romanum Pontificem non habere primatum super alios Orbis Episcopos, sed è contrario, patet consideranti allegatam hostoriam. Nam lib. 5. cap.22. sic dicitur. Ob quam causam conuentus Episcoporum, & consilia per singulas quasque prouincias conuocantur, prorogatisque ad se inuicem epistolis de singulis quibusque locis, vnum omnes Ecclesiasticum dogma confirmant, ne liceat aliquando, nisi in die dominica, in qua Dominus resurrexit à mortuis: dominicum paschæ celebrare mysterium, & in hac sola, soluendum esse paschale ieiunium. Extat denique decretum, vsque in hodiernum, Concilij apud Cæsaream Palestinæ habiti: in quo primus est Theophilus, ipsius Cæsareæ Episcopus, & Narcissus Hierosolymorum sacerdos. Habetur, & in Vrbis Romæ Concilio simile aliud decretum, cui præfuisse Victor Episcopus iudicatur. Et Ponti. prouinciæ Palmeas: Gallorum quoque sacerdotalis conuentus extat, Hyrenæum præsulem scribens. Achaię verò Bachilum Corinthiorum Ecclesiæ Episcopum: qui omnes diuersis locis vnam eamdem iudicij sui sententiam protulere.

Vides hic omnes Orbis Episcopos vnum Ecclesiasticum dogma confirmantes, à quo (vt capitulo sequenti dicitur) Episcopi Asię, quorum primas erat Policrates Ephesij Episcopus, dissentiebant, suam veterem consuetudinem præferentes, & Euangelicam traditionem esse prætendebant, pascha celebrare eo die, quo Iudæi, videlicet quarta decima luna, quacumque die venisset: vbi etiam significat se conuocasse Episcoporum suę prouinciæ Concilium, ad petitionem Victoris, his verbis. Poteram autem præsentium Episcoporum facere mentionem, quos ipse petisti, vt euocarem, sicut & feci. Et infra. Sed adhuc victor Romanæ Ecclesiæ Episcopus pertinacius agens, passim totius Asiæ, ac vicinarum prouinciarum Ecclesias à communionis societate abscindere nititur, tanquam in hæresim declinantes, & literas mittit, quibus omnes simul absque discretione, ab Ecclesiastico fędere segregaret; Sed hoc, non omnibus placebat Episcopis, quin potius, & è contrario scribentes ei, vt magis, quæ pacis sunt ageret: & concordiæ, atque vnanimitati studeret. Denique etiam extant ipsorum literæ, quibus asperius obiurgant Victorem, velut inutiliter Ecclesiæ commodis consulentem; Nam & Hyreneus cum cæteris, quibus præerat, Galliarum Episcopis scribens, confirmat quidem, vt in dominica die Resurrectionis Domini Mysterium celebretur. Victorem tamen arguit, quòd non rectè fecerit, abscindere à corpore vnitatis, tot & tantas Ecclesias Dei, quæ morem antiquitus, sibi traditum custodirent. Et inducta historia Policarpi, & Aniceti, probat vtrumque eorum, morem suum esse secutum, salua pace, & communione. Huius meminit, & Hieronymo in Hyreneo, dicens, feruntur eius, & aliæ ad Victorem Episcopum Romanum de quæstione paschæ, epistolæ: in quibus commonet eum non facilè debere vnitatem collegij scindere. Siquidem Victor multos Asiæ, & Orientis Episcopos, qui decimaquarta luna cum Iudæis pascha celebrabant: damnandos crediderat. In qua sententia, hi qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus.

Ex istis omnibus bene consideratis, apparet primò auctoritate Romani Pontificis super quæstione paschæ celebrata fuisse per omnes prouincias Episcoporum Concilia, & ad Episcopum Romanum pertinuisse, hæreticos, aut schismaticos, à communione separare. Non enim reprehenditur ab alijs Episcopis in facto, sed in causa faciendi, & modo. Non enim illis videbatur causa esse sufficiens, tot & tantorum separationis; Hic erat modus celebrandi plenaria, & generalia totius Orbis Concilia, tempore principum Paganorum: ob quorum vim nequibant ex omnibus prouincijs, Episcopi conuenire in vnum locum. Similiter dicendum est de historia tripartita, quam licèt Sedes Apostolica non recipiat, tamen quia id quod allegatur aliundè verum esse constat, & facit contra allegantem videamus quid dicat. Vndè c.9. dicti libri scribitur, ad subuersionem, atque destructionem Nicęni Concilij, in Antiochia Syriæ, Synodum congregatam fuisse, ad quam conuenerunt ex ciuitatibus diuersis Episcopi nonaginta. Maximus tamen Hierosolymitanus Macharij successor, non adfuit: cogitans, quia ei posset surripi, vt in damnationem subscriberet Athanasij. Sed neque Iulius interfuit maximè Romæ præsul, neque in locum suum aliquem destinauit: cùm vtique regula Ecclesiastica iubeat non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilium celebrari. Et infra cap.15. Cognoscens ergo Romanus Episcopus crimina singulorum, & omnes Concilio Nicęno concordare comperiens, eos in communionem suscepit, tanquam omnium curam gerens, propter sedis propriæ dignitatem, singulisque reddidit suas Ecclesias. Et orientalibus scripsit Episcopis, culpans quia non rectè tractassent viros inculpabiles, de suis Ecclesijs eos expellentes, & quòd statuta Nicæni Concij minimè conseruarent.

Ex his perpendis hanc historiam magis facere pro Romano Pontifice, quàm contra: nec Orientalibus suffragari, quantumuis acerbè Iulio rescripserint, cum haberent malam causam, vtpotè Arriani, & catholicorum Episcoporum persecutores, ac consilij Nicæni violatores.

Quartò, argumentatur Martinus Romanum

manum Pontificem esse omnibus superiorem. Humano decreto sancitum est. Nempè Constantini Quarti Græcorum Imperatoris, vt scribit Platina in Benedicto II. nec sic tamen obseruatum Episcopis alijs. Constat ex solutione præcedenti regulas Ecclesiasticas habuisse longè ante Benedictum secundum, vel Constantinum Imperatorem IV. concilia non debere celebrari, aut Episcopum deponi, non consulto Romano Pontifice. Ex quo apparet, sanctione Constanti Quarti non primitùs Romanum Pontificem omnibus fuisse prælatum. Sed Platina dicit Imperatorem concessisse, vt Pontifex legitimè Pontificatum administraret, non prærequisito Imperatoris, aut hexarchi Italiæ consensu in electionem, Platinæ verba sunt. Adhuc autem Constantinus Imperator, hominis sanctitate per motus, sanctionem, vt deinceps quem clerus, populus, exercitusque Romanus in Pontificem delegissent, eundem statim verum Christi Vicarium esse, omnes crederent, nulla autem Constantinopolitani principis, aut Italiæ hexarchi expectata auctoritate, vt antea fieri consueuerat. Id enim ratum erat in creando Pontifice, quòd princeps confirmasset, vel qui eius vices in Italia gerebat: Hæc ibi. Per hanc Imperialem constitutionem, non est Episcopus Vrbis Romæ alijs prælatus, sed modus electionis est reductus ad libertatem, vt electus, haberi debeat pro verò Pontifice, absque Constantinopolitani Imperatoris, aut eius in Italia vices gerentis, auctoritate, & consensu, sublata contraria consuetudine. Non est enim in potestate Imperatoris, verum Christi Vicarium constituere. Secundò, non quicquid ab hominibus statuitur, præcipitur, vel prohibetur, continuò humani iuris esse, dicendum est, cùm sæpè homines statuant id quod antea iuris naturæ, vel diuini erat, vt Victor primus statuit, quod in omni aqua potest baptismus celebrari. Alius quòd natus de muliere christiana debet baptizari, quæ tamen nemo dubitat esse diuinæ, & non humanæ ordinationis.

Quintò, argumentatur Martinus, Nunquid Cyprianum, & Augustinum aliosque Aphricę Episcopos confirmauit Papa, qui tamen de Ecclesia latina erant? Nunquid eorum Concilia impediuit? aut conciliabula fuerunt, quia sine Romani Pontificis auctoritate gesta sunt? vt in eorum libris clarè habetur?

Episcopum Romanum fuisse supra alias Ecclesias, & habuisse Episcoporum ordinationem, apparet inter alia plurima, etiam ex facto Nouatiani, qui tempore Cornelij, schisma fecit, de quo Cyprianus epist. 22. lib. 4. Item Episcopatus vnus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, ille post Dei traditionem, post connexam, & vbicumque coniunctam Ecclesiæ catholicæ vnitatem, humanam conetur Ecclesiam facere, & per plurimas ciuitates nouos Apostolos suos mittat, vt quædam recentia institutionis suę fundamenta constituat. Cumque iam pridem per omnes prouincias, & per Vrbes singulas ordinati sint Episcopi, in ætate antiqui, in fide integri, in pręssura probati, in persecutione proscripti, ille super eos creare alios Pseudoepiscopos audeat, quasi possit, aut totum Orbem noui conatus obstinatione peragrare, aut Ecclesiastici corporis compaginem, discordiæ suæ seminatione rescindere.

Ex hoc facto patet ad Episcopum Romanum, pro quo se gerebat, licèt illicitè Nouatianus, pertinuisse per singulas ciuitates, Episcopos creare, dum opus erat, & in hæresim, vel schisma lapsos deponere, alios surrogare. Id quod habetur ex epistola Cypriani ad Stephanum Papam de Episcopo Arelatensis, qui Nouatiano consensit. Quod euidentius apparet ex vitis Pontificum, vndè Platina dicit, Siluestrum Episcopos quinque, & sexaginta creasse. Damuasum duos, & sexaginta. Leonem primùm sex & octuaginta, & Stephanus Papa reposuit Basilidem ab Aphricanis depositum, licèt per surreptionem deceptus. Et Cyprianus aliquoties excusat, quod non ciò certiorem reddiderit Cornelium de actis in Aphrica. Cõstat etiam Cornelium Pontificem, & Stephanum Cypriani consilium, & acta, reprobasse. Item Augustinus, & patres in Mileuitano Concilio congregati aduersùs Pelagium ante conclusionem consulunt Innocentium, Idem de Patribus Concilij Carthaginensis, quibus rescribens Innocentius, inter cętera dicit. In inquirendis de his rebus, quas omni cum sollicitudine decet à sacerdotibus, maximè à vero, iustoque, & catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla seruantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, vestræ religionis vigorem, non minùs, nunc in consulendo, quàm antea cùm pronunciaretis vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes quid Apostolicæ Sedi cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis huius emersit, quem sequentes tam mala iam damnare nouimus, quàm probare laudanda. Vel id verò, quod patrum instituta, sacerdotali custodientes officio non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed diuina decreuere sententia, vt quicquid de disiunctis, remotisque prouincijs ageretur, non priùs ducerent finiendum, nisi ad huius sedis notitiam perueniret, vbi tota huius auctoritate, iusta quæ fuerit pronunciatio firmaretur. Indèque sumerent ceteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorruptè manarent, & cętera.

Similia respondet ad epistolam Patrum inter quos erat Augustinus, in Concilio Mileuitano congregatorum, Ex quo patet verùm non esse, de illorum Patrum Concilijs, quod Martinus asserit: sed & ipse Cyprianus suam Synodum Episcopo Romano misit, teste Hieronymo in Dialogo aduersùs Luciferianos. Hieronymi verba sunt. Conatus est B. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena, & idcircò hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ Vrbis Episcopum, qui à B. Petro vigesimusextus fuit, super hac re Aphricanam Synodum direxit, sed conatus eius frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi, qui reba-

ptizandos hæreticos cum eo statuerunt, ad antiquam consuetudinem reuoluti, nouum emisere decretum. Hæc ille.

Præterea, pro primatu Romani Pontificis facit, quod Hieronymus scribit in explanatione symboli ad Damasum, quam hoc fine concludit. Hæc fides est Papa beatissime, quam in Ecclesia catholica didicimus: quamque semper tenuimus, & tenemus, in qua si minùs peritè, aut parùm cautè aliquid fortè positum est: emendari cupimus à te, qui Petri, & fidem, & sedem tenes.

Sin autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur: quicunque me maculare voluerit, se imperitum, vel maleuolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit. Hæc ille.

Scio nonnullos ambigere, an hæc fidei descriptio Hieronymi sit, cum quibus non est mihi propositum certare, vnusquisque in suo sensu abundet, si quis videtur contentiosus esse: inquit Paulus, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei, vt enim stylus Hieronymi non sit, sensus eius indubitanter est, vt patet ex duabus epistolis ad Damasum, quas nemo negat esse Hieronymi, vna incipit. Quoniam vetus oriens.

Altera, Importuna in Euangelio mulier. In epistola ad Marcum presbyterum Celedensem de fide, quam ille presbyter scribit sancto Cirillo, dicit. Dedi conscriptam fidem, qui sic non credit, alienus à Christo est. In his enim tribus epistolis eumdem honorem Sedi Romanæ tribuit: quem in dicta fidei explanatione.

Sextò, argumentatur Martin. Quandò Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum, & alios Ægypti, Arabiæ, Syriæ, Asiæ, totiusque Orientis Episcopos constituit? hi omnes ergo hæretici fuerunt? absit.

Neque quisquam asserit Romanum Episcopum omnes Orbis Episcopos constituisse: propter quod non sequitur, quin omnibus Episcopis, etiam ab alijs constitutis, sit superior, cum in Concilio Nicœno constitutum sit, quemlibet Episcopum grauatum, vel cui suus Metropolitanus, vel patriarcha suspectus sit, liberè posse Romanam Sedem appellare; atque ratum haberi quod illic decretum fuerit, & Episcopum non posse deponi, Romano inconsulto, vt scribit Iulius Episcopis Orientalibus, allegans ad hoc certum numerum capitulorum Niceni consilij. Neque hoc primum natum est illic, sed semper fuit. Concilij verba sunt, vt Iulius refert, Et omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur, vel criminantur, causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi matrem confugiant, vt ab ea sicut semper fuit, fulciantur, defendantur, & liberentur, cuius dispositioni, omnes maiores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum iudicia antiqua, Apostolorum, eorumque successorum, atque canonum auctoritas reseruauit. Quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem Sedis Papæ fieri placuerit, placuit, vt accusatus, vel iudicatus à comprouintialibus in aliqua causa Episcopus licenter appellet, & adeat Apostolicæ Sedis Pontificem, qui aut per se, aut per Vicarios suos retractari negotium procuret. Hæc ibi.

Quòd autem Romanus Episcopus antiquitùs non omnes ordinauerit, etiam in Ecclesia Occidentali, patet ex verbis Leonis Papæ scribentis vniuersis Episcopis per prouinciam Viennensem constitutis: Leonis verba sunt; Non enim nobis ordinationes vestrarum prouinciarum defendimus: sed per vestram sollicitudinem vindicamus, ne quid vlteriùs liceat nouitati, nec præsumptori locus vltra iam pateat priuilegia nostra cassandi: nostræ enim gratulationi hoc solum crescere profitemur, si Apostolicæ Sedis diligentia illibata seruetur: & per sacerdotalis disciplinæ custodiam honori vestro perire quod suum est, pro nouis vsurpationibus non sinamus.

Hic habes, quòd Romanus Pontifex, licèt ordinationem, sibi non defendat, tamen errata castigat, illicitè vsurpata resecat, quod superioris non dubium est esse, etsi hoc accidit in prouincijs, quarum est ipse patriarcha proprius: quare non potest, & alijs patriarchis esse præpositus? quamuis illos non ordinet, aut Episcopos constituat, quamuis sit probabile, & scriptis veterum consonum, alios patriarchas ab Episcopo Romano accepisse synodicam epistolam, vt loquitur Gregorius in Registro, aut, vt Augustinus appellat, communicatorias literas, cùm etiam constet ex supradictis, Romani Episcopi fuisse, illegitimè, & illicitè ordinatos, aut per vim intrusos eijciendo, spoliatis Ecclesias restituere: id quod Iulius fecit de Athanasio Patriarcha Alexandrino, vt suprà citatum est ex historia tripartita.

Septimò, argumentatur Martinus; Nec hodiè sub Romano Pontifice sunt, qui in Perside, India, Scithia, totaque oriente sunt. An putas nullos ibi esse christianos? & regnum Christi Romam coactum, cuius sunt omnes fines terræ Psalmo 2. & 21. An non sunt Episcopi, qui non induunt vestes? non habent palatia, equos, aliasque pompas Romanas? Sufficit quod verbum Dei docent, & diligant, ac pascant, quia sic nec Apostolos confiteberis Episcopos fuisse, si facies rerum, non res ipsas contemplari cœperis, Imò eò meliores Episcopi, quo à laruis facierum remotiores, & eo minùs Episcopi, quo propiores. Vt supra dictum est, potentia, & diuitiæ, & contraria humilitas, & paupertas, nihil variant de sacerdotio, vel Episcopatu. Sed vbicumque est, siuè Romæ, siuè Engubij, Alexandriæ, vel Tanis, Constantinopoli, vel Rhegij, eiusdem meriti est, & sacerdotij. Et nonnunquam, vt inquit Hieronymus, sub tunica pœnitentis est regius animus, & è diuerso. Nec negamus christianos sacerdotes, aut Episcopos in India, aut vlterioribus regionibus esse. Vtrùm autem habeant equos, & palatia nescimus. Quod autem dicit illos non subesse Sedi Apostolicæ, nescio vndè nouerit. Audiui à fide digno, sub Sixto IV. ab India Romam venisse legatos, pro communicatione fidei. Subesse enim Sedi Apostolicæ, non est ab ea accipere Episcopos, sed eandem fidem, spem, charitatem, Euangelium,

gelium, & eadem sacramenta seruare, atque Romano Pontifici eum deferre honorem, qui successori Petri, & Christi Vicario debetur, qui si nihil exigat, sed (vt fecerunt maiores) donet potiùs cum summa libertate: vbiuis terrarum sitæ Ecclesiæ illi subsunt. Nec eis obest si aliqua necessitate, salua charitate, communicare cum ea non possunt: sicut non nocet christiano, si ex aliqua necessitate, sine sacramentis, aut viuat, aut moriatur: censetur enim in sacramentis communicare, qui vinculum pacis, & charitatis seruat, & illa ardenter desiderat. Romanæ enim Ecclesiæ communicat, etiam longissimè dissitus. Vndè Hieronym. ad Theophilum, aduersùs Ioannem Hierosolymitanum, inquit: Præterea quod scribit nos pergere tecum Romam, & Ecclesiæ communicare ei, à qua videmur communione separati, nec necesse est ire tam longè, & hìc in Palestina eodem modo ei coniungimur, & ne hoc quod procul sit, in viculo Bethleem presbyteris eius, quantum in nobis est, communione sociamur. Secùs si ex contemptu, vel negligentia, aut hæresi aliqua, vel schismate non subsit: aut non communicet, quemadmodum Donatistæ, & populi orientales, tempore Hieron. de quibus inquit: Quoniam vetus oriens in se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desuper textam, minutatim per frusta discerpit, & Christi vineam exterminant vulpes, vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficilè, vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: Ideò mihi cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam. Indè nunc meæ animæ postulans cibum, vndè olim Christi vestimenta suscepi. Neque verò tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à pretiosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere. Vbicumque fuerit corpus, illuc congregantur aquilæ: profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta patrum seruatur hæreditas, ibi cespite terra fæcundo, dominici seminis veritatem centeno fructu refert: hic obruta sulcis frumenta, in lolium, auenasque degenerant, nunc in Occidente sol iustitiæ oritur. In Oriente autem lucifer ille, qui ceciderat supra sidera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ. Vos aurea vasa, & argentea, hìc testacea vasa, vel lignea, virgam ferream, & æternum operiuntur incendium, quamquam ergo tua me terreat magnitudo: inuitat tamen humanitas, à sacerdote victimam salutis, à Pastore præsidium ouis peto. Facessat inuidia Romani culminis, recedat ambitio, cum successore piscatoris, & discipulo crucifixi loquor, ego nullum premium, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum, agnum comederit, prophanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit, perhibit, regnante diluuio. Et infrà, Quicumque tecum non colligit, spargit.

Ex his duo habemus, Vnum pro Ecclesiæ Romanæ præeminentia, & cathedræ Petri dignitate. Alterum, quòd iam tunc in partibus Orientis penè extincta erat fides Christi, cùm tamen nondùm esset nefanda secta Machometi, quæ illas partes conflatis simul multis, & magnis hæresibus, occupauit, annis plùs minus octingentis, atque vsque in hodiernum diem tenet, vndè non mirùm videri debet, si illic, aut nulli, aut pauci sint christiani. Neque ex Psalmo secundo, vel vigesimo primo concluditur, omni tempore christianos futuros per vniuersum orbem.

Octauò, argumentatur Martinus. Scribit Hieronymus de illustribus viris, quòd Acatius Episcopus Cęsariensis, discipulus Eusebij Pamphili, imperante Constantino, Liberium Papam deposuerit, & Fęlicem constituerit; Item Ioannem Chrysostomum, non Romanus Pontifex, sed Theophilus Alexandrinus: & Epiphanius Cyri Episcopi, vt in tripartita historia, deposuerunt. Item Epiphanius Cypri Episcopus, minor Ioanne Hierosolymitano Episcopo eumdem excommunicauit. Si Hieronymum sequimur, non est mirandum per vim ab hæretico Imperatore deponi catholicum Episcopum. Hieronymi verba sunt in lib. de viris illustribus. In tantùm autem sub Constantino Imperatore claruit Acatius, vt in Liberij locum Romę Fœlicem Arrianum Episcopum constitueret. Nonnulli, inter quos Platina, mirantur Hieronymum hoc scribere de Fęlice, quem alij scribunt bonum fuisse, & à catholicis constitutum: sed vtcumque sit, sententia Hieron. magis facit contra Martinum, qui debuit non ignorare argumenta ex his, quæ facti sunt, nullius esse momenti. Et per idem, responsum est argumento de depositione Chrysostomi, quæ iniusta fuit, & contra canones, pro qua, Innocentius excommunicauit Arcadium Imperatorem. Et ex historia tripartita non habetur quòd Epiphanius Chrysostomum deposuerit, sed potius contrarium, licèt aliquid querelæ inter eos fuerit, propter damnationem librorum Origenis, & communionem cum Dioscoro. Vndè lib. 10. cap. 12. in fine, sic dicitur: Cùm reuersurus esset ad Cyprum, ferunt quidem hæc eum mandasse Ioanni. Spero, quia non morieris Episcopus: At ille remandauit, Spero te ad tuam patriam non redire. Hæc vtrùm verè dicta sint, nescio. Ambo tamen hunc habuere finem. Nam, nec Epiphanius viuus peruenit ad Cyprum, sed in naue defunctus est. Et Ioannes post paululùm Episcopatu depositus est. Et cap. sequenti dicitur. Cumque Epiphanius discessisset &c. vbi narratur, cur Theophilus conuocato Concilio, Ioannem deposuerit. Ex qua narratione colligitur à Theophilo sine Epiphanio, depositum fuisse Chrysostomum, mandato Imperatoris, ad suggestionem Augustæ Eudoxiæ, & damnatus est solùm, quia vocatus non comparuit, & Prosper in Chronicis, loquens de Ioanne in Pontum relegato, solius Theophili meminit.

Hæc tibi replico lector, vt intelligas, qua fide Martinus historias citet.

§. Quod autem Martinus addit, Epiphanium minorem, Episcopo Ioanne Hiero-

rosolymitano: eundem excommunicasse, nescio vndè habeat. Primùm, quòd sit Salaminæ Episcopus, Hierosolymitano minor. Nam, teste Hieronymo, Epiphanius hæc verba dixit, Cuncta quæ locutus est collegio frater, ætate filius meus, contrà anthropomorphitarum hæresim, benè, & fideliter locutus est, quæ mea quoque damnantur voce. Sed æquum est, vt quomodò hanc hæresim condemnamus, etiam Origenis peruersa dogmata condemnemus. Non fuit enim Epiphanius sub cura, & sollicitudine Episcopi Herosolymitani, neque minor, nisi fortè diuitijs, & potentia. Et ex epistola Epiphanij, & Apologia Heronymi aduersùs Ioannem, constat Epiphanium Ioanni communicasse: & comperto quòd esset Origenista, pœnituit cum eo habuisse communionem: Hieronymi verba sunt. Cùm obijceret nobis, quare ei communicasti si hæreticus erat? Audiuit ab omnibus, communicauimus, nihil de hæresi suspicantes. Pôstquàm verò à beato Papa Epiphanio conuentus tam sermone, quàm literis respondere contempsit, cunctis Monachis ab eodem Epiphanio scripta venerunt, vt absque satisfactione fidei nullus ei temerè communicaret. Hæc ille.

Hinc sumit Martinus, quòd Epiphanius Ioannem excommunicauit, sed non rectè. Non enim eum excommunicauit, sed excommunicatum esse declarauit, aut saltem de hæresi suspectum: erat etiam excommunicatus, quia in hæresim ab Ecclesia damnatam, Origenis scilicet, inciderat. Hæreticus autem vitari debet iure diuino, postquàm constiterit de perinacia, ad Titum Tertio, hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita. Ioannes in Canonica, Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis: qui autem dicit illi aue, communicat operibus eius malignis.

Nono argumentatur Martinus. Quid ad hoc dicemus? Vera est ne illa sententia, quam tota Ecclesia, omnia etiam decreta, omnes doctores tenent esse, videlicèt, Episcopos Apostolorum successores? vt dist. 21. cap. In nouo, Si est falsa, quid iactatur tanta auctoritate? Si vera, quomodò solus Romanus Pontifex est successor vnius Apostoli Petri? & cæteri omnes Romano Pontifici sunt subditi? Cur non & alij Apostoli habent successores? Aut fuerunt cæteri Apostoli successores vnius Petri? Cur cæteris Apostolis aufertur sua gloria, & tribuitur soli Petro? Cur non quilibet Episcopi habent, quod Apostoli eorum habuerunt, cùm Romanus habeat, quòd Petrus suus prædecessor habuit? Muta ergo verbum, & dic quòd Episcopi sint Apostolorum successores, sed vnus Episcopus Romanus est vnius Apostoli successor. Ista ratio (fateor) nisi ego sum insensatior trunco, cogit, & omnium obstruit os, esse Episcopos omnes æquales. Et sicut Romanus Pontifex à nemine ordinatur, ita quilibet per solam electionem, sicut ipse ordinari debet iure diuino.

Huic rationi sufficientèr responsum est in præcedentibus, tractando verbum. Tu es Petrus, & pasce oues meas: & respondendo ad argumentum ex epistola Hieronymi ad Euagrium. Ex quibus patet, omnes Episcopos esse æquales ordine, sed non prælatione, vel administratione. Addo vnum verbum Hieronymi, primò aduersùs Iouinianum. Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio. Sed cur non Ioannes electus est virgo? ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens, ac penè puer, progressæ ætatis hominibus præferretur. Et magister bonus, qui occasionem iurgij debuerat auferre discipulis, & qui dixerat eis pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, & qui voluerit inter vos maior esse, minimus omnium sit, ne in adolescentem, quem dilexerat, causam præbere videretur inuidiæ. Hic vides Petrum alijs Prælatum, & rationem reddi, cur Ioannes non sit Prælatus. Quod si Martinus intelligat, sicut patet ex dictis suis prioribus & sequentibus, iure diuino nullum Episcopum alteri subdi, ad hunc sensum quòd Deus ita præceperit, necessariò consequitur Patres Nicæni Concilij contrà ius diuinum alios Episcopos Romano subdidisse, vel subditos esse declarasse, vnumquemque Episcopum ita Metropolitano, vt ordinationem sine eius præsentia, vel auctoritate factam, irritam esse decernant.

Decimo argumentatur Martinus. Si Romanus Pontifex præcepto Dei est Vicarius Generalis in tota Ecclesia: sequitur ineuitabilitèr peccare eos, imò esse hæreticos, qui non sub eo fuerint. At tunc Ecclesia tota primitiua, saltem, vsque ad quadringentos annos cum tot martyribus, & sanctis hæretici erunt. Obsecro quid prodest tantam blasphemiam in Ecclesia pro fumidæ potestatis pompa, statuere? Denique, etiam sanctus Petrus erit hæreticus, qui ante Romanam Eclesiam cum Apostolis fuit Hierosolymis. Vincit me hęc ratio inuicta.

Ista ratio fundatur in falso intellectu superioritatis, & inferioritatis. Licèt enim Petrus sit caput collegij Apostolici, & ex consequenti successor Petri, caput eorum, qui alijs Apostolis successerunt: non tamen principatu tyrannico, aut dominatiuo, sed paterno. Sicut autem Pater non perdit superioritatem in filios, quamuis eos sinat agere, quòd volunt, quamdiù irreprehensibilitèr agunt: Ita Episcopus, vel Papa, qui pręest alijs principatu quasi paterno, qui fundatur in amore, non perdit superioritatem, qua pręest tanquam liberis. Vndè Hieronymus ad Theophilum, Amare parens debet, amari parens, & Episcopus debet non timeri, Antiqua sententia est, Quem metuit quis, odit, quem odit, perijsse cupit. Vndè & in nostris literis, cùm initia paruulorum in timore consistant, perfecta dilectio foras mittit timorem. Et infrà: Exhibes militem, & ducem impetras, quasi vnus in pluribus es, vt sis vnus ex pluribus, citò indignatur libertas, si opprimitur, nemo plus impetrat à libero, quàm qui seruire non cogit. Hæc ille.

Deindè non statim hæreticus est, quicunque præceptum Dei transgreditur, vtputà fur, vel adulter, sed qui contra fidem, vel scripturam pertinacitèr sentit. Itaque qui Roma-

Romano Pontifici non obedit, eo loco vel tempore quo obedientia non exigitur, vt de Patre dictum est, non peccat. Qui verò rectè præcipienti obedire recusat: peccat quidem, sed non est hæreticus, nisi credat non esse illi obediendum sicut Petri successori, & Christi Vicario. Qui enim hoc pacto non est sub illo, in schisma, vel hæresim cadit: sed absit, vt omnes martyres, & tota Ecclesia primitiua, hoc modo non fuerint sub Romano Pontifice, vsque ad annos quadringentos: nam Siluester sub Constantini imperio, Sedem Apostolicam rexit, Platina teste, anno Domini tricentesimo trigesimo octauo, quo tempore fuit Nicænum Concilium, tribuens Romano Pontifici prærogatiuam primatus, vt antè est, & infrà amplius dicetur. Quòd autem addit, denique etiam sanctus Petrus erit hæreticus, &c. valdè ridiculum est: quis enim vnquam dixit Petrum Romanæ Ecclesiæ aliquando fuisse subiectum? Regendam suscepit Sedem Romanam, & Ecclesiam, non ipse regendus ab ea, atque suo aduentu Romanis primatum attulit, non ab illis accepit, sed à Christo, qui loco, vel tempore non clauditur, vndè suam pastoralem dignitatem quocunque pergeret circumferebat, sicut hodie Papa, cùm Roma decedit, sua dignitas, & prælatio Romæ non remanet, sed Pontificem sequitur.

Vndecimo argumentatur Martinus. Si vlla Ecclesia est prima, & mater omnium: non est alia, nisi Hierosolymitana, vt dixi suprà: quid enim faceret Romana, si haberet hæc pro se, quæ habet illa? Nempè quod Isaias, & Michæas, & omnes Prophetæ pronunciarint de Syon exituram legem Euangelij, & de Hierusalem, verbum Domini. Item quod Dominum ibi dedit gloriam in domo sua nouissima, vt Aggeus dicit: Quod Christus ibi Pontifex, Apostoli autem velut presbyteri: quod Christus ibi oblatus, Spiritum sanctum misit. Et breuitèr hinc, in omnè terram exiuit verbum Dei, hinc omnes Ecclesiæ. Nec est vllius tam impudens frons, qui possit negare hanc esse verè matrem Ecclesiarum omnium, fontem, radicem, ac matricem, etiam Romanæ Ecclesiæ. Si ergo hæc non habet primatum, imò vix quintum locum ei dederunt, quantò minùs Romana habet, quæ est eius discipula? Dicat aduersùs hæc aliquid, qui potest. Iudæis dictum est, auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius, & quia terrena Hierusalem non cognouit tempus visitationis suæ, prædicitur ei à Domino, non remansurum in ea lapidem suprà lapidem. Illi etiam dicitur: Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, vbi Hieronymus quarto commentariorum in Matthæum. Hoc ipsum ex persona Hieremiæ, iam antè dixerat. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, facta est mihi hæreditas mea quasi spelunca hienæ, desertam Iudæorum domum, id est, templum illud, quod fulgebat augustius oculis comprobamus, quia habitatorem Christum perdidit, & hæreditate præripere gestiens, occidit hæredem.

Ex his, & alijs Domini Prophetarum, & Apostolorum testimonijs, manifestè habetur, principalem militantis Ecclesiæ Sedem non fuisse figendam in Hierusalem, licèt in templo Christus sit oblatus, prędicauerit, & docuerit, Hierosolymis extrà portam crucifixus sit, in monte Sion legem dederit, spiritum miserit: quia terrena Hierusalem ijs inauditis beneficijs ingrata, legis pręcones de finibus suis expulit, Iudææ fonte siccato, deserta gentium irrigata sunt: licèt igitur dum Christus carne versabatur in Iudæa, vel Hierosolymis, illic esset caput Ecclesiæ, & suprema potestas, & post Ascensionem, quàmdiu illic erant Apostoli, operis Domini Vicarij, cum principe suo Petro, illic esset summus Ecclesiæ principatus, tamen postquam Iudæa de finibus suis Euangelij prædicatores expulit, iuxtà verbum Pauli, Primùm oportebat vobis euangelizare verbum Dei, peragratis diuersis regionibus, Petrus Sedem suam posuit primùm Antiochiæ ad tempus: quam tandem Romam trastulit, ac suo sanguine, cum collega Paulo honorauit. Testimonia igitur Prophetarum allegata, non eò spectant, vt terrena Hierusalem prima Sedes Ecclesię esse demonstretur: sed solùm, vt illic initium habuisse declaretur. Cùm dicitur: De Syon exibit lex, & Verbum Domini de Hierusalem. Et Dominus ad Apostolos, Oportet prædicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum, incipiendo à Hierusalem, vsque ad vltimum terrę: & alibi, Eritis mihi testes in omni Iudæa, & Samaria, &c. Vndè Melchiades Papa vndecima, quęst. 1. Futuram Ecclesiam, &c. dicit: Futuram Ecclesiam, Apostoli in gentibus præuidebant, idcircò prędia in Iudæa minimè sunt adepti, sed pretia tantummodò ad fouendos egentes: igitur domus Domini, ad quam inuitat Esaias, non est templum materiale Salomonis, sed Ecclesia toto orbe diffusa, & mons eleuatus super verticem montium, non est mons Syon, vel mons Moria, sed Christus, ad quem fide venitur, eleuatus super Patriarchas, & Prophetas, & Apostolos, qui etiam montes dicuntur, vt in Psamo. Fundamenta eius in montibus sanctis.

Duodecimo argumentatur Mart. Concilium Nicænum, vt scribitur lib. 10. cap. 6. historiæ ecclesiasticę, statuit articulo sexto in hunc modum, Et apud Alexandrinam, vel in vrbe Roma, vetusta consuetudo seruetur, vt vel ille Ægypti, vel hìc suburbanarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat. Respondeo, hoc Concilium omnium ferè sacerrimum est. Et ecce non modo non primatum, & Monarchiam, Romano dat Pontifici, sed ex vetusta consuetudine, non iurè diuino, tribuit sollicitudinem Italicarum, & suburbanarum Ecclesiarum. Atque hæc in propositione mea tetigi, quando dixi, quòd contrà frigidissima decreta staret decretum huius Concilij. Si ergo sum hæreticus, age, tollant primùm hoc Concilium, cui me ipsa quoque decreta tanquam Euangelio cogunt obedire, non possum duobus Dominis seruire contrarijs.

Ruffinus præter fidei symbolum viginti capita Nicæni Concilij historiæ suæ inferit, cùm fuerint ipsius Concilij in summa capitula septuaginta. Et capitulum à Martino citatum, de speciali sollicitudine loquitur, quam Romanus Pontifex præter generalem totius ecclesiæ curam, gerit de ecclesijs vicinioribus eiusdem Prouinciæ, vel vicinarum Prouinciarum, seù totius Ecclesiæ Occidentalis, id quod primatui Romanæ Sedis nihil derogat: cùm teste Iulio Papa in epistola ad Orientales Episcopos, in eadem Nicæna Synodo iubentibus Canonibus decretum sit, non debere, præter sententiam Romani Pontificis, vllo modo Concilia celebrari: nec Episcopos damnari: Et infrà allegat capitula vigintiquinque eiusdem Concilij: inter quæ vnum est. Et omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit liberè Apostolicam appellent sedem: atque ad eam, quasi ad matrem, refugiant, vt ab ea (sicut semper fuit) fulciantur, defendantur, & liberentur: cuius dispositioni omnes maiores ecclesiasticas causas, & Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque Canonum auctoritas reseruauit, & infrà. Vt si accusatus, vel damnatus Episcopus appellauerit Romanum Pontificem, id statuendum quod ipse iustè censuerit. Etiam non sequitur: Romanus Pontifex ecclesiarum suburbanarum ex vetusta consuetudine sollicitudinem gerit, ideò non iure diuino illis præest, aut illarum curam habet. Nam vt Christi Vicarius, & Petri successor, iure diuino generalem omnium Ecclesiarum curam gerit, cui non repugnat, vt quarumdam specialem ex consuetudine obtineat, sicut alibi fatetur Martinus, vnicuique Ciuitati iure diuino præesse vnum Episcopum: qui tamquam Ciuitatis pastor, totius Ciuitatis sollicitudinem habeat: cui non repugnat, eumdem Episcopum alicuius partis suæ Parochiæ specialiorem curam possidere, lege humana, aut priuilegio superioris, vel vsu vetustæ consuetudinis, vt (v. gt.) accidere potest, vt vnius partis habeat plenariam, & immediatam ordinationem, & omnium officiorum, & beneficiorum collationem, non autem alterius partis. Huiusmodi enim multa consuetudine obtinentur, vel perduntur, in his quæ iuri diuino, canones patrum, vel humanæ leges addiderunt. Plerumque enim quod iure diuino est indifferens, consuetudine fit debitum: & quod iure diuino licet, consuetudine non licet. Exemplum constat ex scriptis veterum Hieronym. Chrysost. Aug. & Greg. Episcoporum, totius ecclesiasticæ pecuniæ, ex decimis, primitijs, & oblationibus collectæ, in solidum admiuistrationem habuisse, ex qua suæ domui necessaria sumeret, deindè Clericis, & viduis, monachis, virginibus, aliundè non habentibus. Item peregrinis, & fabricis, atque Ecclesiæ ornamentis. De qua sequenti tempore per Canones factæ sunt certæ portiones, & alia mutata sunt, partim humanis legibus, partim consuetudine. Sic est & in proposito, de speciali cura per consuetudinem acquisita Pontifici Romano.

Quod autem addit Mart. quòd quatuor primis Concilijs, tamquam Euangelio obedire iubemur, non est accipiendum de omnibus indifferenter, quæ in illis statuta, vel ordinata leguntur: sed in illis, quæ de fide determinantur. Secùs est de regulis concernentibus administrationem ordinum, & graduum Ecclesiasticorum, & similium. Illa enim sensum verè Euangelicum exprimunt, & declarant, sufficienti, & plena determinatione, vt in dicto Nicæno Concilio declarata est filij cum Patre consubstantialitas, quæ Euangelica veritas omnem locum, omne tempus, & omnem hominem æqualiter respicit. Ista autem quandòque pro necessitate, vel communi vtilitate mutari, vel non obseruari possunt. Plerumque enim multitudo, vel magnitudo peccantium, studium colligendæ fraternitatis, & seruandæ pacis, disciplinæ Canonicæ rigorem temperari compellit. Nam leges hominum pro communi vtilitate feruntur: contrà quam militare non debent: Si nobis parum credis, lege Cyprianum, Hieronymum, & sacros Canones.

Decimotertiò argumentatur Mart. Idem Concilium statuit, non à Romano Episcopo omnes Epscopos ordinari, sed à prouincialibus Episcopis, dicens. Et vt, si fortè in ordinando Episcopo, duo vel tres pro aliqua contentione dissentiant, reliquorum auctoritas, & præcipuè Metropolitani, cum cæteris firmior habeatur. Obsecro, quid ampliùs facere debeo? Non satis quòd Romano Pontifici omnia, quæ sibi arrogat libens credo? Debeo insuper probare, quòd hęc decreta sunt contempta, & irritata, humano vnius Episcopi arbitrio.

Hic Mart. consultò dimittit vltimam capituli particulam, scilicet, absque quo ordinationem irritam esse voluerunt: sciens eam contra se facere, in eo, quod superiùs dixit, sicut Romanus Pontifex à nemine ordinatur, ita quilibet per solam electionem, sicut ipse, ordinari debet iure diuino, intelligens per ordinationem, confirmationem: & iure diuino, idest præcepto diuino: sic enim accipit. Hic verò Concilium Nicęnum decernit irritam esse ordinationem absque Metropolitani pręsentia, vel auctoritate. Primò igitur expostulet Mart. cum Concilio Nicęno, cur contrà ius diuinum irritam faciat electionem cleri, populi, & comprouincialium Episcoporum, sine Metropolitani præsentia, vel auctoritate. Et cur contrà ius diuinum, totius prouinciæ Episcopos Metropolitano subiecerit? Deindè demonstret decreta Nicęna, non facta, aut roborata auctoritate Romani Pontificis. Ampliùs, cur Concilium voluit saluam manere, in suis decretis (vt sæpè dictum est) auctoritatem Sedis Apostolicæ? Postremò, attende, non rectè omnem culpam in solum Romanum Pontificem reijci, cum sæpè Canonica non sit electio, propter potentiam principum, propter dissensiones populi, vel quòd variant vota eligentium, aut propter ambitionem, vt summus Pontifex, (etiam si velit Canonicam formam seruare) non possit: in quo tamen sicut nolumus eum solum culpari, ita nec excusari, sed cùm alijs dolemus tantùm inualuisse vitia, vt nunc maximè verum sit, quod Hieron. conqueritur. Multi ædificant parietes, & columnas Ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splendent laquea-

quearia, gemmmis altare distinguitur, & ministrorum Christi nulla electio est. Episcoporum enim hodie, & sacerdotum prouisio fit (proh dolor) in multis, præter legem Euangelicam, præter Apostolicam formam, præter sacrorum canonum decreta, imò, & longè aliter, quàm Ciuili, & Imperiali lege decretum sit, vndè Codice de Episcopis, & Clericis, l. si quemquam, ita loquitur Imperator: Si quemquam vel in hac Vrbe regia, vel in cæteris Prouincijs, quæ toto Orbe diffusæ sunt, ad Episcopatus gradum prouehi, Deo auctore, contigerit, puris hominum mentibus, nuda electionis scientia, syncero omnium iudicio proferatur, nemo gradum sacerdotij venalitate pretij meretur, quantùm quisque mereatur, non quantùm dare sufficit, estimetur: profectò enim quis locus tutus? & quæ causa poterit esse excusata? si veneranda Dei templa pecunijs expugnentur: quem murum integritatis, aut vallum fidei prouidebimus, si auri sacra fames penetralia veneranda proserpit? denique quid cautum esse poterit, & securum, si sanctitas incorrupta corrumpitur? Cesset altaribus imminere prophanis ardor auaritiæ, & à sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Ita castus, & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, vt locorum quocumque peruenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet, non pretio, sed precibus ordinetur Antistes, tantùm ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus. Scribat pijssimus Iesus in cordibus, & manibus Principum Christianorum hanc legem, & spes erit, quòd sint Ecclesiam iustè, & sanctè reformaturi.

Decimoquartò argumentatur Mart. Idem Nicęnum Concilium, Episcopo Hierosolymitano, non Romano, tribuit honoris primatum, dicens ibidem: Et vt Episcopo Hierosolymorum antiquitus tradita honoris prærogatiua seruetur, manente nihilominùs, & Metropolitani ipsius Prouinciæ dignitate. Doce me lector, quid faciendum sit, quandò non satis est me hodierno tempore confiteri Romanum Pontificem esse primum, nisi mentiar quoque, & negem alium antiquitus fuisse primum, & tanti Concilij auctoritati resistam?

Sunt qui Martini admirentur doctrinam, alij virtutem, integritatem, fidem. Et puto in eo qui velit aliorum, & maximè maiorum errata liberè redarguere, nihil priùs requiri quàm fidem. Hanc autem Martinus ferè prætermittit. Si Papæ relinqueret, quæ iure possidet, crederetur abusum, & excessum velle tollere. Nunc autem dum omnia tollit, nihil pensi habens veris an falsis argumentis, sibi fidem abrogat vt inimico. Si, inquit Bernardus: [Mala carpimus, & bona silemus, corrosores non correctores sumus.]

Hierosolymorum Metropolitanus, est Cæsareę Palestinę Episcopus: & totius Orientis, Antiochia Metropolis est. Quis autem dubitat Episcopum subesse suo Metropolitano, etiam tacente Concilio? quanto magis, quandò ipsum Concilium cauet seruandam Metropolitani dignitatem. Vnde Hieronymus scribens aduersùs errores Ioannis Hierosolymitani. Tu qui regulas quæris Ecclesiasticas, & Nicęni Concilij canonibus vteris, & alienos Clericos, & cum suis Episcopis commorantes tibi niteris vsurpare, responde mihi, ad Alexandrinum Episcopum Palestina quid pertinet? Ni fallor hoc ibi decernitur, vt Palestinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæsariensem Episcopum referre debueras, cui spreta communione, tua communicare non noueras: aut si procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potiùs literæ dirigendæ. Hinc vides, quòd antiquitùs tradita honoris prærogatiua, Hierosolymorum Episcopum non eximit Antiocheno, vel Cæsariensi, quanto minùs anteponit Romano? Potest enim esse honoris prærogatiua, secundùm aliquem modum, qui non pertinet ad principatum, sicut in publico conuentu, antiquiores fundationes habent loci prærogatiuam. Neque hoc accipias ita ibi decerni, vt non anteà fuerit Cæsarea Metropolis, cùm Eusebius in historia Ecclesiastica dicat, Theophilum Episcopum Cæsareæ Palestinæ primum fuisse, deindè Narcissum Hierosolymorum Episcopum in dignitate super Paschate, tempore quo Victor Romæ, & Irenęus Lugduni præerant, multis annis ante Concilium Nicęnum.

Decimoquintò argumentatur Martinus: Si Romana Ecclesia est prima, propter primum Apostolum Petrum: Eadem necessitate confitebimur, & Compostellanam Ecclesiam esse secundam, propter Apostolum secundùm Iacobum, & Ephesinam tertiam, propter Apostolum tertium Ioannem: & sic deinceps secundum ordinem Apostolorum: At ille ordo numquid seruatur? Quo iure ergo solus Petrus primam facit Ecclesiam, nisi humano? Cur non Constantinopolitana, quæ nullum habet Apostolum, præfertur secundo loco Compostellanæ? Cur Alexandrina, quæ & ipsa nullum habet Apostolum, præfertur Ephesinæ? Cur Antiochena sine Apostolo præfertur Edissenæ, quæ Apostolum Thomam habuit? cur Hierosolymitana his omnibus quinto loco postponitur, quæ Christum, Petrum, Iacobum, Ioannem, item Iacobum columnas (vt Paulus ad Galatas 2. scribit) habuit? Vides quàm sit nulla ratio, quàm Christus studiosè huius primatus ambitionem præuenit, & causas eiusdem penitùs confudit.

Hæc ratio (si ratio dicenda est) sufficienter soluta est ex dictis, quia Petro pro se, & suis successoribus, credita est vniuersalis Ecclesia, successores autem Petri, Romæ sunt. Hinc est quòd Ecclesia Romana, prima est: Aliæ autem Ecclesiæ sortitæ sunt consequenter honorem, & administrationem, prout Petro, vel eius successori cùm sanctis patribus collegis visum est, paci & saluti gregis expedire. Nec opus est, quòd si Romana diuino iure est prima, quòd eodem iure aliqua sit secunda vel tertia, sed solùm quòd nulla alia eodem, vel alio iure sit prima. Simile est: Sæpè prælatus aliquo iure, puta electionis, aut postulationis, in aliqua communitate primus est, quo iure aliquis alius non est ibi, aut secundus, aut tertius. Nam (vt sæpè dictum est) Romana non obtinet primatum, quia talis, sed quia sedes finalis Petri, quæ

hac-

hactenùs in recta fide permansit, alijs quæ eius communionem recusauerint, in hæresim vel schisma prolapsis. Et Martinus loquens de Ecclesijs, quæ habuerunt Apostolos, vel intelligit, quòd Apostoli illic præsentem vitam finierunt, aut solùm quòd illic fuerint, vel habitauerint. Non primo modo: quia dicit Hierosolymitanam habuisse Petrum, Ioannem, & vtrumque Iacobum, qui non omnes, illic mortui sunt. Item hoc modo Compostella non habebit Apostolum Iacobum maiorem, quem ab Herode occisum, tradit Actuum Apostolorum historia. Si secundo modo, vnde poterit doceri, quòd Alexandriæ nullus fuerit Apostolorum, aut etiam Constantinopoli? quid si honorare placuerit Antiochenam sedem, quia Petrus eam aliquot annis rexit? & Alexandrinam propter Marcum Euangelistam, Petri discipulum, & interpretem? Sed siuè hac, siuè alia causa patres moti sint, constat eos non secutos neque ordinem, neque numerum Apostolorum in constituendis sedibus primis. Et sedes successoris Petri etiam ex aliqua necessitate transferri posset, vt supra dictum est.

Decimosextò argumentatur Martinus: Si ad solos Petri successores pertinet verbum Christi: [Tu es Petrus, & Pasce oues meas:] pari sequela concludetur, solius Ioannis successores, esse filios Mariæ in Cruce commendatos solos, quia plus cæteris dilectos, quia hunc solum in Cruce allocutus, matri commendauit, ergo ab Ephesinis Episcopis accipiunt cæteri, vt sint filij Ecclesiæ, & Mariæ. Item soli successores Iacobi, & Ioannis essent filij tonitrui: & soli successores Iacobi minoris sint fratres Domini. Et omninò omnium ad quos Christus semel locutus est, successores haberent eodem iure diuino. Quo quid vanius dici potest?

Hic apertè calumniatur, dum verbum [Pasce oues meas,] ostendere nititur non plus pertinere ad Petrum, quàm ad quemuis alium. Certum est autem quædam à Domino in Euangelio dicta Petro, quæ propriè ad eum pertinent, nec personam transgrediuntur, vt illud, [Tu es Simon filius Ioannis, Tu vocaberis Cephas,] quod interpretatur Petrus, Ioannis primo. Et illud: [Antequàm Gallus cantet ter me negabis. [Item: Cùm esses iunior, &c. Hæc testimonia neque ad Ecclesiam, neque ad successores Petri referuntur. Quædam verò Petro dicuntur, quæ non ad eum propriè, & singulariter, sed ad omnes, & singulos dicta esse, credenda sunt, vt illud Matthæi 18. Dixit Dominus Simoni Petro, [Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum:] & hoc mandatum fraternæ correptionis singulos de Ecclesia respicit, vsque ad finem seculi. Quod verò statim sequitur: [Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis:] vbi dat, vel daturum se promittit excommunicandi, & absoluendi potestatem: non singulos, sed quosdam solùm respicit. Nemo enim potest ligari, vel solui, nisi à suo iudice, neque vnusquisque de Ecclesia cuiuslibet alterius iudex est, sed præpositus: Præpositis enim alij subesse iubentur, ad Hebræos vltimo: [Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, &c.] quod non conuenit puero aut mulieri, de qua Apostolus ad Timotheum: 1. Timoth. 12. [Mulieri in Ecclesia loqui non permitto, neque dominari in virum:] & ad Corinthios; 1. Corinth. 14. [Turpe est mulieri loqui in Ecclesia.] Item verbum, [Pasce oues meas] non potest referri ad personam Petri solius, excludendo successores, alioqui desijsset obligare defuncto Petro. Neque respicit singulos de Ecclesia. 1. ad Corinthios 13. [Numquid omnes pastores?] Respicit ergo in persona Petri ordinem pastorum, quod Petrus intelligens alijs pastoribus consequenter præcipit: 1. Petri 5. [Pascite eum qui in vobis est gregem Domini.] Et tamen sancta Ecclesia, & sancti patres Concilij Nicæni, & anteriores atque posteriores, intellexerunt illud verbum modo quodam dirigi ad Petrum, & successores; quo non ad aliquem alium. Hinc sumpsit Hieron. Petro & non Ioanni creditam Ecclesiam, & ipsum alijs caput constitutum, & Gregor. atque alij, de quibus supra. Nec mouere debet, quòd quidam tractatorum illa verba Domini ad Petrum tractantes, huius primatus non meminerint: quia non omnes omnia possunt explicare, tanta est vbertas, fœcunditas, copia, & profunditas scripturarum. Et vnusquisque tractat, quod suo proposito seruit, ad ædificationem. Dicit enim Seneca: [In eodem prato canis leporem sequitur, bos herbam, ciconia lacertam.] Sic & tractatores in campo scripturarum. Verbum verò [Ecce Mater tua] beatus Ioannes intellexit ad se propriè pertinere, & non transgredi personam, eò quòd sequitur: Et ex illa hora suscepit eam discipulus in sua, vbi Aug. super Ioannem, vt ad eius curam quicquid ei esset necessarium, pertineret. Suscepit ergo eam in sua, non prædia, quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propria dispensatione exæquenda curabat, vt suprà. Distribuebatur autem vnicuique prout cuique opus erat, vt illic etiam beatæ Mariæ tamquam Matris eius portio poneretur. Ioannes, & Iacobus frater eius acceperunt nomen, vt filij tonitrui dicerentur, quorum sublime meritum in monte meretur audire tonitruum Patris, per nubem de filio tonantis: quod quidem verbum vocatur tonitruum, secundùm illum modum loquendi, quo dicitur Iob. 26. [Cùm vix paruam stillam sermonis eius audierimus, tonitruum magnitudinis eius, quis poterit intueri?] Vel secundùm Bedam: Quorum vnus intonans vocem theologam, quam nemo priùs edere nouerat, emisit, [In principio erat Verbum,] quàm tanto pondere grauidam reliquit, vt si aliquantò plus intonare voluisset, nec ipse mundus capere potuisset. Cernis secundùm hæc, filios tonitrui dici propriè, nec transire eorum personam, vt veniat ad successores, qui in monte non fuerunt, nec Euangelicum scripserunt. Sic & Iacobus minor dictus est frater Domini, modo quodam speciali, vt inquit Hieronymus primò commentariorum in epistolam ad Galatas: Galat. 1. [Propter egregios mores, & inseparabilem fidem, sapientiamque non mediam, frater dictus est Domini.] Sicut Moyses specialiter dictus est famulus Domini: sic & beatus Iacobus specialiter frater Domini appellatus est. Hæc ille, sed de his plus satis. Nullus enim erit finis res-

respondendi, si talibus calumnijs pergamus per singula satisfacere. Quod enim verbum inuenies in sancto Euangelio; quod non simili calumniæ pateat? si contempta interpretatione maiorum, tui capitis sensum sequaris, & quicquid in buccam venerit, euomas. Contendet alius quæcumque Dominus Apostolis, discipulis, vel turbis locutus est, ad nos non pertinere, & personam audientium non excedere, nisi hoc illis expressè diffiniatur.

Addit Martinus: In fine dico me nescire, an Christiana fides pati possit, quòd in terris aliud caput Ecclesiæ vniuersalis statuitur præter Christum. Sunt qui Christum in Ecclesiam triumphalem reijciunt, & Romanum Pontificem militantis Ecclesiæ caput constituunt, contrà expressum Euangelium Matthæi vltimo. [Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi.] Et illud Act.9. [Saule, Saule, quid me persequeris?] Ideò enim regnum fidei Ecclesia vocatur, quòd Rex noster non videtur, sed creditur, sicut primæ ad Corinth.15. dicit: [Oportet illum regnare donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum.] Et tunc tradet regnum Deo, & patri. At hi regnum rerum præsentium faciunt, dum visibile caput erigunt. Nam & mortuo Pontifice, Ecclesia non est sine capite, cur ergo viuo Pontifice Christus non pro capite solus habetur? An viuo Pontifici cedit, & mortuo succedit, velut quidam alternus Pontifex? Si autem & viuo Pontifice caput est, vt quid duo capita in Ecclesia statuimus?

Dicis te nescire, an Christiana fides pati possit, quòd in terris aliud caput Ecclesiæ Vniuersalis statuitur, præter Christum. Primùm responde an in particulari Ecclesia putes fidem permittere aliud caput esse præter Christum? Item an particulare Ecclesiæ membrum salua fide habere possit aliud caput? Si in istis concedis, in illo cur negas? Nonnè idem inconueniens, vnum membrum subesse duobus capitibus, & vnum corpus habere duo capita? Si autem velis in istis argumentum valere, reprehendatur. Samuel loquens Regi Saul, primi Regum decimoquinto, vel Dominus potiùs per Samuelem: Nonnè cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? Reprehendatur, & Apostolus, qui dixit: 1. Corinth. 11. [Caput mulieris vir, caput viri Christus;] & ad Ephes. 5. [Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.] Itaque lex Christi, & fides, non admittit in Ecclesia, vel in membro Ecclesiæ duo capita contraria, non sibi subordinata, sicut Dominus dicit: Matth.6. [Nemo potest duobus dominis seruire,] cui Domini sententiæ non aduersatur, hominem Christianum habere Dominum hominem, & Deum. Præcipit enim Apostolus seruis, vt dominos suos omni honore dignos habeant, vt non contradicant, non fraudent. Pariformiter Christus, & Ecclesiæ caput est, tamen (Hieronymo teste) Petrus à Domino caput constitutus est, & Gregorius: [Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ vniuersalis Ecclesiæ est.] Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quàm singularum sunt capita plebium: & Christus Ecclesiæ Pastor, Ioannis 10. [Ego sum Pastor bonus;] ad Hebreos vltimo: [Qui eduxit pastorem magnum ouium, Iesum:] & tamen Ecclesiæ dedit pastores, & Doctores. Ipse etiam à Paulo vocatur Apostolus: [Et fecit homines Apostolos. Et vnus est pater fidelium Christus:] & tamen Paulus scribit ad Corinthios 1. Cor.4. [Et si decem milia pedagogorum, sed non multos patres habetis, per Euangelium enim ego vos genui.] Scribens, & Timotheo dilecto filio, similiter, & Tito. Et vnus est magister fidelium Christus: & tamen Paulus confidenter loquitur, Doctor veritatis, Magister gentium in fide, & veritate. Sic ipse est caput Ecclesiæ tam vniuersalis, quàm particularis, & vniuscuiusque membri, quamtumlibet exigui: & dedit Ecclesiæ capita, pastores, & Episcopos, vel principes. Quemadmodum enim nihil derogatur eius Regiæ maiestati, quòd aliquis alius sit Rex, neque eius potestati, si aliquis alius sit Dominus: In cuius fœmore scriptum est: [Rex regum, & Dominus dominantium:] de quo Psalmista canit: [Rex omnis terræ Deus.] Ita nihil derogatur Christo capiti vniuersalis Ecclesiæ, per hoc quòd homo caput constituitur. Quod autem dicit Ecclesiam esse regnum fidei, eò quòd rex eius non videtur, sed creditur: esto, licèt non facilè monstrari posset scriptura, quæ hoc dicat. Nam Ecclesiæ pars videt faciem patris, alia pars, quæ adhuc peregrinatur, credit. Non tamen oportet, quòd si fides sit inuisibilis, & rerum inuisibilium, quòd fidei & sacramentorum ministri, aut nulli sint, aut solùm inuisibiles. Sub priori testamento Ecclesia erat etiam regnum fidei, habebant eumdem spiritum fidei, habentes nihilominùs duces visibiles, similiter in nouo testamento: aliter non misisset Christus Apostolos, operis sui vicarios, nec eos constituisset principes super omnem terram. Non erat Deo difficile, homines ad salutem reducere per semetipsum, absque humano ministerio, aut veritatem docere, & sui notitiam tradere, sine doctoribus hominibus. Sed vt ait August. in præfatione lib. de doctrina Christiana: [Abiecta esset humana conditio, si per homines hominibus Deus verbum suum ministrare nolle videretur.] Quomodo enim verum esset, quòd dictum est: [Templum Dei sanctum est, quod estis vos:] si Deus de humano templo responsa non redderet, & totum quod discendum hominibus tradi vellet, de Cœlo, atque per Angelos personaret? Quamuis igitur verum sit verbum. Matth.28. [Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, quia Christus opus suum operatur inuisibiliter, seruis suis efficaciam tribuens suis ministris, & sacramentis pascens, regens, sanctificans, viuificans, custodiens, tamen ministris visibilibus vtitur. Verum est etiam Actuum 9. [Saule, Saule, quid me persequeris:] quia qui membrum corporis persequitur, caput persequitur. Verum est etiam illud: [Oportet illum regnare donec ponat, &c.] & tamen regit Ecclesiam suam, quæ vtique visibilis est, per duces visibiles. Ridiculum est autem quod addit Martinus: [Nam & mortuo Pontifice Ecclesia non est sine capite.] Sic enim potest argumentari, mortuo viro mulierem non esse sine capi-

capite, quia Christus caput eius viuit. Ergo viuente viro solus Christus est mulieris caput dicendus, & non vir.

Sexta pars confutans insignem illam hæresim, quam Martinus ex conclusione sua colligit.

PRosequitur Martinus dicens: Concludo, Omnis sacerdos in articulo mortis, & necessitatis, est Episcopus, est Papa, habens plenissimam plenitudinem potestatis super confitentem, vt tenet sententia communis totius Ecclesiæ, & ex beati Cypriani epistolis euidentèr conuincitur. Ergo nec Papa est Episcopis, nec Episcopus est superior presbyteris iure diuino, tenet consequentia, quia ius diuinum est immutabile, tam in vita, quàm in morte.

In hac concl. duo tanguntur. Vnũ qualem, & quantam potestatem habeat sacerdos suprà pœnitentem in mortis articulo. Alterum, quo iure, diuino aut humano. Et si diuino an illam potestatem habeat etiam extrà articulum mortis, vel necessitatis. Dico igitur in primis, In dicto articulo necessitatis Papa vel Episcopus aliquid potest, quod non simplex sacerdos. Potest enim eum sacerdotem ordinare, quod satis est, pro differentia potestatis eorum.

Dico secundò, quòd eodem casu licèt simpsex sacerdos possit quemuis Christianum pœnitentem Ecclesiæ reconciliare, communioni restituere, & ei pacem dare; vt habetur ex sacris canonibus 26. qu. 6. capit. Si presbyter &c. Agnouimus; &c. presbyteri, &c. Si quis de corpore. Quod etiam habetnr ex epistolis beati Cypriani, licèt Cyprianus quibusdam nec in morte concedat communionem. Et beati Leonis, in quo includitur absolutio, tam à censuris, quàm à peccatis; tamen differt reconciliatio facta per Papam, ab ea quæ fit per simplicem sacerdotem, propter casum necessitatis vel articulum mortis, quia si languens, à simplici sacerdote sic absolutus conualuerit, quandòque tenetur se Papæ repræsentare, eius mandato pariturus; vt de sententia excommunicationis. Si quis suadente, expressum est cap. ea noscitur, &c. quod de his, &c. quamuis de sententia excommunicationis. Et quod plus est, quandòque recidit in sententiam: ipso iure, vt expressum est in cap. eos qui, eodem lib. 6, vbi sic dicitur, Eos qui à sententia canonis, vel hominis (cùm ad illum, à quo aliàs de iure fuerant absoluendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absoluitur, f. cessante postea periculo, vel impedimento huiusmodi, se illi à quo (ijs cessantibus) absolui debebant, quàm citò commodè poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius, super illis, pro quibus excommunicati sunt, humiliter recepturi, & satisfacturi, prout iustitia suadebit. decernimus (ne sic censuræ illudant Ecclesiasticæ) in eandem sententiam recidere ipso iure, secùs si à suo iudice, vel superiore eius fuissent absoluti. Ex quo apparet differentia absolutionis à censura per simplicem sacerdotem in necessitate datæ, & factæ à Papa, qui est omnium iudex ordinarius. Tertiò, etiam differentia est in absolutione à peccatis, loquendo pro tempore, quo pœnitentiæ non erant arbitrariæ, sed canonibus decretæ: & specificatæ, quia absolutus à simplici sacerdote in articulo necessitatis, aut mortis, posteà liberatus, tenebatur statuta tempora pœnitentiæ implere 26. qu. cap. 1. quòd etiam in regulis Nicæni concilij continetur, vbi datur facultas Episcopo moderandi pœnam canonicam, quam Martinus alicubi fatetur Papam in totum posse auferre id, quod non potest facere simplex sacerdos, licet illam morituro imponere non debeat. Nec intendit Cyprianus, quod peccator pœnitens ad pacem receptus, & cum pace vadens àd Dominum, immunis sit à pœna purgatorij; vt alibi ex eodem Cypriano in libro de lapsis declaraui. Quantum ad secundum quod in conclusione tangitur de iuris diuini immutabilitate aduertendum est, quòd legis tria sunt officia principalia, iubere, vetare, permittere. Lex iubet opera virtutum, vetat opera vitiorum, permittit indifferentia. Secundò considerandum est, in omnibus istis tribus legis officijs ratione legis manente in seipsa, & non mutata, variari circa hominem rationem præcepti prohibitionis, vel liciti propter variationem loci, aut temporis & alterius circunstantiæ, vt nunc tenearis iure diuino, vel naturæ, hoc, vel illud facere & statim non tenearis. Similitèr de prohibitione, & licitò, siuè permisso. Exemplum; Homo priuatus, lege naturæ, & diuina tenetur non occidere, nec potest iure alium hominem occidere, & tamen in articulo ineuitabilis necessitatis eodem iure naturæ vim vi repellendo, cum moderamine inculpatæ tutelæ, iniustè inuadentem occidere potest. Et si velis inferre hoc casu, iure naturæ potest ergo semper potest, quia ius diuinum, & naturale est immutabile, falleris. Item aliud exemplnm iure diuino iubemur, rem alienã inuito Domino non tractare, aut nobis vendicare: & tamen in extrema necessitate famis, iure naturæ, & diuino omnia sunt communia & iure possnnt vendicari; quod locum non habet extra casum necessitatis extremæ. Item vna obligatio diuini vel naturalis iuris cædit fortiori, & pro tempore sopitur, vt iure diuino tenemur subuenire parentibus, & tamen cum patria vel fides periclitatur, licet eos præterire. Et iure diuino diliges proximum tuum sicut teipsum, tenemur nostram vitam tueri, quod tamen ius cædit honestati operis, etiam supererogationis, in eo: qui pro fratribus martyrio se offert; etiam pro tempore, quo latere licebat. Et iure diuino tenemur soluere debita; secundùm quòd dicit Apostolus, ad Romanos 13. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis, tamen necessitas facit, vt quandòque non soluens, sine peccato sit. Lex etiam charitatis exigit, vt proximo efficacitèr velim bonum beatitudinis, à qua lege me liberat ipsius proximi damnatio. Ijs exemplis demonstratur ius diuinum aut naturale, siuè prçceptiuum siuè prohibitium, siuè permissiuum; non eo sen-

sensu debere dici immutabile, vt omni casu, omni loco, vel tempore, id quod talis iuris est, homini sit aut præceptum, aut prohibitum, aut licitum. Et frequentèr id quod secundùm naturale ius indifferens est, secundùm ius positiuum, diuinum vel humanum, est præceptum, vel prohibitum. Vndè quoddam est ius diuinum præsupponens actum hominis, vel humanam ordinationem, vt præceptum non furandi supponit rerum distinctionem, & appropriationem, quæ per hominem facta est, sicut Augustinus cap. Quo iure 8.d. Item obligatio, vota reddendi, & promissa seruandi, diuini iuris est, & tamen nascitur ex actu hominis libero primitùs ipsa obligatio. Pariformitèr aliquid est homini licitum, vel in hominis potestate. stando in limitibus iuris naturę, aut diuini, quod propter actum hominis, vel humanam ordinationem efficitur licitum, vel simplicitèr desinit esse in hominis potestate, patet de contractibus serui, filijsfamilias, aut pupilli qui ad limites iuris diuini, & naturæ validi sunt, & propter humanam legem irritantem efficiuntur inualidi; & nullius efficaciæ. Similitèr sacerdos aliquid potest iure diuino, quod faciente lege humana. quamuis faciat illicitè; tamen facit: vt puta baptizat vel consecrat. In quibusdam autem etiam si tentet: nihil facit, vt absoluendo à peccatis aut à censuris, eum qui humana lege vel ordinatione ipsi est non subditus, vel simplicitèr, vel quo ad hoc. Simplicitèr dico propter non habentem curam animarum, quo ad hoc autem, propter eum qui habet, sed limitatam, & restrictam iusta, & rationabili superioris ordinatione, quæ cessat, aut suspenditur in articulo necessitatis: ne fit contra salutem communem, aut priuatam subditorum.

Ex his elici potest quid momenti habeat reseruatio casuum, & non debet videri mirum, si humana lege limitetur potestas homini diuinitus concessa, cum rectè leges hominum moderentur potestatem parentum in liberos: dominorum erga seruos, emptionum venditionum, donationum, secundùm quòd expedit communi vtilitati, cùm negari non possit potestatem parentum in filios, & domini in res possessas iuris naturæ, & diuini esse.

Sed de his hactenùs dicta sufficiant, propter argumentum: quo Martinus nititur concludere cuiuslibet sacerdotis, & Papæ, vel Episcopi potestatem esse æqualem, quia illam habeat in articulo mortis, iure diuino quod immutabile est; in vita & in morte, contendens potestatem alicui diuinitùs concessam aliquid faciendi, semper illi adesse, nec ab alio, saltem inferiori, posse aut tolli aut diminui, quod falsum esse monstrauimus & aliàs Deo dante: latiùs monstrabimus; quando de libertate Christiana sermo erit hoc loco satis est; ius diuinum vel naturale respiciens res mutabiles aliquo modo esse mutabile, vt habet Aristoteles 5. Ethicorum, & August. multis locis, vt epistola quinta, quæ est ad Marcellinum, vbi inter cætera sic inquit. In epistola tua posuisti moueri quosdam, Cur hic Deus: qui & veteris testamenti Deus esse firmatur, spretis veteribus sacrificijs, delectatus sit nouis. Nihil enim corrigi posse asserunt, nisi quòd ante non rectè factum probaretur, vel quod semel rectè factum sit, nullatenùs immutari debuisse. Rectè enim facta dicunt, mutari (nisi iniustè) non posse. Hæc verba ex literis tuis in has meas transtuli, quibus si respondere copiosè velim; tempus me citiùs, quàm exempla defecerint, quibus rerum ipsa natura, & opera, certa ratione pro temporũ oportunitate mutentur, nec tamen eadem ratio sit mutabilis, qua ista mutantur, vndè pauca commemorem, vt ex his excitata quodammodo, iam per plura similia, vigil currat intentio. Nonnè hyemi æstas, addito sensim calore, succedit. Nonnè diurnis tempora nocturna vertuntur? Quoties nostræ variantur ætates? Adolescentiæ pueritia non reditura cædit. Iuuentus adolescentiæ non mansura succedit, finiens iuuentutẽ senectus, senectus autẽ morte finitur. Hæc omnia mutantur nec mutatus diuinę prouidentię ratio, qua fit vt ista mutentur, Non autẽ opinor, cùm Agricola æstate aliud iusserit, quã iusserat hyeme, ratio mutetur Agriculturæ. Et cùm mane surgit, qui nocte quiescebat, vitæ consilium non mutauit Aliud magister adolescenti, quàm puero solebat, imposuit. Doctrina igitur constans, mutato præcepto, non mutat instructionem. Nam magnus ille nostrorum temporum medicus Vindicianus, consultus à quodam; dolori eius adhiberi iussit, quod in tempore congruere videbatur, adhibitum sanitas consecuta est. Deindè post annos aliquot, eadem rursus corporis causa commota, hoc idem ille putauit adhibendum, vertit in peius, miratus currit ad medicum, indicat factum. At ille, vt erat acerrimus; ita respondit, ideo malè acceptus es, quia ego non iussi, vt omnes, qui audissent, parumque hominem nossent, non eum arte medicinali fidere, sed nescio qua illicita potentia putarent Vndè cùm essent à quibus poterat stupentibus interrogatus, aperuit quòd non intellexerant; videlicet illi ætati iam non hoc se fuisse iussurum. Tantùm igitur valet; ratione atque artibus non mutatis, quid secundùm eas sit pro temporum varietate mutandum. Non itaque verum est quod dicitur, semel rectè factum nullatenus esse mutandum. Mutata quippe temporis causa. quod rectè ante factum, fuerat: ita mutari vera ratio plerunque flagitat, vt cùm ipsi dicant rectè non fieri, si mutetur, contrà veritas clamet rectè non fieri, nisi mutetur, quia vtrumque tunc erit rectum, si erit pro temporum varietate diuersum. Quod enim in diuersitate personarum, vno tempore accidere potest, vt huic liceat aliquid impunè facere, quod non liceat illi, non quòd dissimilis sit res, sed is, qui facit. Ita ab vna, & eadem persona diuersis temporibus tunc oportet aliquid fieri; tunc non oportet, non quòd sui dissimilis sit qui facit, sed quando facit. Hæc quæstio quàm latè pateat, profectò videt quisquis pulchri, aptique distantiam sparsam quodammodo in vniuersitate rerum valet, neque negligit intueri. Pulchrum enim per seipsum consideratur atque laudatur: cui turpe, ac deforme contrarium est, aptum verò; cui ex aduerso ineptum quasi relegatum pendet aliundè, nec ex

ex seipso, sed ex eo cui connectitur, iudicatur, nimirùm etiam decens atque indecens vel hoc idem est, vel perindè habetur.

Idem Augustinus in tertiò de doctrina Christiana, vbi post multa concludit. Quid igitur locis, temporibus, & personis conueniat, diligenter attendendum, ne temerè flagitia reprehendamus. Fieri enim potest; vt sine aliquo vitio cupiditatis, vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens vtatur. Insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum ardescat, & saniùs quisque maluerit more Domini, pisce vesci, quàm lenticula, more Esau nepotis Abraam, aut ordeo: more iumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt, pleræque bestiæ, quia vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus huiusmodi rebus, non ex earum rerum natura, quibus vtimur, sed ex causa vtendi, & modo appetendi, vel probandum est, vel improbandum, quod facimus.

Quartum caput continens responsiones ad nonnulla argumenta, quæ Martinus alijs quibusdam libellis suis ad corroborandum eandem suam conclusionem collegit.

ALibi argumentatur Martinus pro sua conclusione, & primò probat quamlibet in Ciuitatem habere debere Episcopum proprium iure Diuino, ex Paulo ad Titum primo: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt quæ desunt corrigas, & constituas Presbyteros per Ciuitates. Probat etiam ex Hieronymo, quòd idem sit ibi Presbiter, quod Episcopus, & ex epistola Augustini 29. dicentis: [Erat enim Ciuitas;] quasi dicat, Non erat simplex Presbyter, sed Episcopus, quia Ciuitas erat cui præerat.

Secundò supponit Christum habere, aut aliquandò habuisse Christianos in omni termino terræ, vt in extrema parte Indiæ, & Æthiopiæ, Psal. 2. [Possessionem tuam terminos terræ:] & 71. [Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos Orbis terrarum.]

Tertiò, supponit fideles Christianos posse esse perfectos, & pauperes. Tunc istis suppositis arguitur, talis Ciuitatis homines non posse è Roma Episcopum palliatum, & confirmatum accipere, & si hoc Christus ordinasset, coegisset eos paupertati Euangelicæ renunciare, & de coaceruandis diuitijs sollicitos esse, quo pallia, & confirmationes impetrare possent.

Respondeo ad primam suppositionem: Si iuris Diuini est quamlibet Ciuitatem habere vnum Episcopum, contra ius Diuinum fecerunt Patres primitiuæ Ecclesiæ, statuentes Episcopos non debere ordinari, nisi in maioribus Ciuitatibus dist. 80. in cap. Episcopi, vbi textus: [Episcopi non in Castellis, neque in modicis Ciuitatibus debent constitui, sed Presbyteri per Castella, & modicas Ciuitates:] & infrà: [Non ad modicam Ciuitatem.] Si verò nomine Episcopi omnem Plebanum, vel Curatum accipias, non solùm per Ciuitates, & Oppida constitui debent, sed etiam in Castellis, & pagis.

Ad secundam dicit Augustinus illud Psal. 18. adhùc quotidiè impleri, in omnem terram, de quo tractat Augustinus in fine epistolæ ad Eusebium, quæ est 8. & cætera, & ita non oportet omnem terminum terræ habere, aut habuisse Christianos, sed quia idem iudicium est de futuro, demus veram esse suppositionem.

De tertia verò suppositione. Cùm Ciuitas sit societas hominum, sufficiens ad viuendum, & benè viuendum, quod esse non potest, nisi habeat agrum, aut sufficientes prouentus quomodò vna tota Ciuitas potest esse eo modo pauper, vt nihil habeat, nec in proprio, nec in communi? Quamuis enim haberent singuli, & omnes Ciues alicuius Ciuitatis omnia communia, tamen debent habere facultates, aut ex seipsis, aut ex alijs. Nec repugnat consilio Euangelico qualibet sollicitudo habendi, sed superfluat. Nam & Apostoli, pauperes, qui erant in Iudæa, Paulo commendauerunt, quod (vt ipse dicit) sollicitus fuit, & facere, colligendo non paruam pecuniam à gentibus. Et vt hæc omnia vera sint, nihil ad propositum. Nemo enim dicit iuris Diuini esse, omnem Episcopum immediatè à Roma peti, vel confirmari debere: & si hoc diuini iuris esse diceretur, non tamen annatam soluere, aut literas prouisionis, institutionis, vel confirmationis, magno, vel paruo pretio redimere, propterea esset iuris Diuini. Si verò propterea Romani dicerentur non habere primatum, vel institutionem, quia id non faciunt omninò gratis, sed capiunt pecuniam, aut pro literis, aut pro sigillo, aut plumbo. Eadem ratione dici posset, quòd quiuis alius Episcopus, Presbyter, vel laicus non habebit prouisionem, institutionem, præsentationem, propterea quòd non facilè reperiatur, qui non aliquid pro talibus accipiat, quocumque titulo id fiat. Vndè iniquum est in pari causa non similiter omnes deliquentes reprehendere.

Addit Martinus: [Sed finge aliquam Ecclesiam ad hostibus captam, vt non possit ad Romam mittere pro Episcopo.] Quid hic faciet? Si est ius Diuinum? Captiuitas non excusat. Ius enim Diuinum est nulli rei alligatum, sed super omnia in omnibus seruandum. Si dicis, sufficit votum mittendi, dico: Cur non, & in alijs Episcopatibus hoc votum sufficit, qui exausti sunt? Tam longè à Roma positi, vt magno suo detrimento (contra charitatem) Episcopum emere cogantur?

Licet concedamus non esse præceptum Diuinum, ex quacumque parte terræ, ab Vrbe Roma petere Episcopum: Cùm possit iuxta Canones Nicæni Concilij à Clero, & populo electus, ab Episcopis Comprouincialibus, auctoritate Metropolitani interueniente, ordinari, & confirmari: Tamen Martini ratio nihil valet, cùm dicit: [Si est ius Diuinum captiuitas nō excusat, &c.] Hoc est manifestè falsum: quàm multa enim iuris Diuini sunt, quæ propter impossibilitatem, vel necessitatem, sine peccato prætermittuntur? & vt cætera taceam, nonne Cathecuminus captiuus, non habens, qui eum sciat, aut velit baptizare: excusatur à præcepto suscipiendi Baptismum aquæ?

aquæ? quod tamen est Diuini iuris: Ioannis 3. [Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare Regnum Dei.] Et Marci vltimo: [Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.] Et Matthæi vltimo: [Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.] Et quamuis eo casu votum sufficiat ad salutem, non tamen sufficit voluntas Episcopatus, vel Sacerdotij. Non enim, qui vult esse Sacerdos, vel habere Sacerdotem, idcircò habet: quamuis excusetur, si propter Sacerdotis, vel Episcopi absentiam sine confessione, vel reconciliatione, Eucharistia, vel Confirmatione, decedat.

Secundò argumentatur Martinus: Sequitur ex verbo Pauli, (quod cuilibet Ciuitati Episcopum tribuit, qui nunc Plebani dicuntur) Episcopos, Patriarchas, Primates, qui hodie sunt, esse iuris humani tantùm: Quod & decreta indicant: quibus & Romani Pontifices sibi tribuunt omnium Ecclesiarum, & dignitatum constitutionem: Atque ita iure Diuino Papa nulli est superior omninò: Aut solis Plebanis superior est: Cæteris medijs, ac maioribus suo iure, & vsu superior est, quo & Cardinalibus, atque vt Plebanus, alteri non præfertur iure Diuino, ita nec vllus Episcopus vlli Episcopo. Omnia enim hæc per Ecclesiam ordinata sunt.

Respondeo: Si Papa toti Ecclesiæ diuinitùs Prælatus est, singuli de Ecclesia illi iure Diuino subsunt: Quemadmodum si omnibus Regni incolis iure successionis, aut electionis præest Rex: eodem iure singuli Regni incolæ Regi subsunt. Et si pater iure naturæ liberis præest, eodem iure patri subsunt liberi. Cùm igitur supra monstratum sit, vniuersam Ecclesiam Petro, & successoribus creditam ordinatione Christi, consequens est singulos de Ecclesia, eadem ordinatione Petro, & successoribus esse subiectos.

Sed dices: Martinus intendit ordinatione Christi solos Plebanos, siue Parochiales Sacerdotes esse constitutos. Differentia verò Sacerdotis Parochialis, & Episcopi ex hominum constitutione veniat, quemadmodum Archiepiscopus Episcopo anteponitur, & Patriarcha Archiepiscopo, Papa verò Patriarchæ.

Respondeo: Essentialis distinctio partium Ecclesiæ ab eodem est, à quo ipsa Ecclesia; sicut principales partes domus, ab eodem sunt, à quo est ipsa domus. Cùm igitur Christus dixerit se Ecclesiam ædificaturum, ea sine quibus Ecclesia esse non potest, ab eodem Christo esse, necesse est. Ab eo igitur est Baptismus, in quo communicant omnes de Ecclesia: ab eodem est & Sacerdotium, & Episcopatus, & quæcumque per consecrationem, vel ritum diuinitùs traditum, constituuntur. Vnde Augustinus concordante vniuersa Ecclesia, asserit Sacerdoti auferri non posse potestatem baptizandi, neque Episcopo potestatem ordinandi: quod verum non esset, nisi ordinato per ordinationem, vel consecrationem, aliqua potestas diuinitùs traderetur: quod enim à solo humano consensu dependet, contrario dissensu auferri potest. Secus est autem de potestate iurisdictionis, quæ non est necessariò consequens Sacerdotium, vel Episcopatum: & potest esse magna, parua, vel nulla, saltem quoad executionem, & penès illam sumitur distinctio accidentalis Episcoporum inter se: vt vnus dicatur simpliciter Episcopus, alius Archiepiscopus, alius Patriarcha. Illa enim distinctio subest Pontifici Romano, vel Ecclesiæ: & potest casu aliquo extrinseco contingere, vt Episcopus, seruato ordine Episcopatus, iurisdictionem nullam habeat, vt si tota sua Ciuitas bello, peste, diluuio, vel incendio consumatur. Is, si alteri Ciuitati non habenti Episcopum, præficiatur, non de nouo ordinatur, quia retinuit ordinem: sed acquirit iurisdictionem, & administrationem in populum, cui præficitur. Ista est mens sancti Dionysij in libro Ecclesiasticæ Hierarchiæ; & Hieronymi, qui Episcopo tribuit ordinationem, non simplici Sacerdoti. Ea est mens Augustini. Et quod maioris est ponderis, is ritus ab initio seruatus est in Ecclesia, cuius auctoritas maior est, quàm vnius hominis, quamtumuis sancti, vel eruditi. Et sicut, qui tollit à Ciuitate distinctionem, tollit ordinem: ita qui tollit ordinem, tollit ipsius Ciuitatis bonum. Vnde Aristor. [Ciuitatem destruunt, qui eam nimis vnam facere volunt.] Et idem dicit: [Bonum carmen non est cantus vnisonus, ita Ecclesiam destruunt, & bonum eius auferunt, atque Christo, cuius opera perfecta sunt, iniuriam faciunt, qui ab Ecclesia, quàm ipse ædificauit, gradus, ordines, & distinctiones auferre conantur, summa imis permiscentes, qui dum omnibus omnia tribuunt, nihil cuiquam certum relinquunt.] Vnde vnus articulorum hæresis Arianæ (teste Augustino) fuit, Episcopum Presbytero esse æqualem, dicebant, inquit, Presbyterum ab Episcopo, nulla differentia debere discerni.

Sequitur Martinus. Ex quo vlterius sequitur, quòd cùm vnus Romanus Episcopus non possit omnium Parochiarum curam habere, quibus solis est superior iure Diuino. Si superior est, vt dixi, non esse credendum, quòd Christus ad impossibile eum voluerit iure Diuino astringi, ac per hoc nec iure Diuino superiorem esse omnibus. Quòd si non omnibus, eadem ratione nulli particulariter: ac sic omnes omnium Ciuitatum Episcopi, æquales iure Diuino sunt.

Pudet me nomine communi Theologorum huiusmodi argumenta per Orbē spargi, ab eo qui Theologiam profitetur. Simili enim argumento probaretur Rex Dauid Regno Israel diuinitùs non fuisse Prælatus, Deus enim noluit Regem Dauid obligari ad impossibile. Est autem impossibile vnum hominem tot Oppida, tot Castra, tot Villas, tot denique hominum milia solum regere. Similiter probaretur Moysen diuinitùs non fuisse Prælatum filijs Israel, dum egrederetur ex Ægypto: vbi præter pueros, & mulieres, & promiscui sexus aduenas innumerabiles, erāt sexcenta hominum milia. Hic enim, & illic argumenta sunt similia, quæ nihil habere momenti videt, quisquis aliquid luminis habet. Ex quibus manifestum est Martino euenire, quod ait Hieronymus, vt voluntatem quidem habeat mentiendi, sed artem fingendi non habeat.

Quod Martinus vlterius addit: Si Papa iure

iure diuino Prælatus est, non licet illum deponere vllo modo, siue sit malus, siue bonus, siue Hæreticus, siue Catholicus, sed est tolerandus vsque ad mortem, quare iterum errant decreta, quæ statuunt Papam pro hæresi deponendum.

Primum hoc argumentum retorquetur in arguentem, secundùm quem Plebanus iure diuino constitutus est. Nam hoc argumento non poterit deponi ab aliquo, quàm diù viuit. Et sic improbanda erunt omnia acta sanctæ Ecclesiæ, & sacrorum Conciliorum, à quibus Episcopi, Presbyteri, & hæretici, damnati, anathematizati, & de Ecclesia proiecti sunt. Et hæc dicentes nobis placemus, soli sapimus, & quod verum est, videmus, soli Euangelicum, & Apostolicum sensum capimus, ac nobis idonei videmur, qui Ecclesiam à captiuitate Babylonica liberemus.

Secundò patet ex suprà dictis, consequentiam nihil valere, declaratum est enim id quod alicui, iure diuino conuenit, aliquando eidem alio iure diuino non conuenire. Non enim diuini iuris regulæ mathematicæ sunt, sed applicantur pro loco, tempore, causa, & persona: & fortasse hæreticus ipso iure diuino priuatus est administratione Ecclesiastica, quo iubentur Christiani eum vitare, cùm tamen suis Prælatis etiam discolis iubeantur subesse & obedire, de quo aliàs latius.

Argumentatur Martinus: Iam quod in principio egimus Concilium Constantiense determinauit Concilium esse supra Papam: sicut, & huius determinationis vsum, ibidem seruauit, deponendo, & statuendo Papam.

Dicendum primò, quòd Martinus non est audiendus, allegans pro se concilium, cui apertè, & contumeliosè derogat, falsum imponit, dum dicit inter cætera, concilium damnasse, quòd diuisio humanorum actuum sit per immediata, sic vt nullus sit actus medius inter bonum, & malum: sed concilium damnauit vnum articulum Ioannis Hus, comprehensum his verbis. Diuisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa vel vitiosa, quia si homo est vitiosus, & agat quicquam, tunc agit vitiosè, & si est virtuosus, & agit quicquam, tunc agit virtuosè, quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit vniuersaliter actus hominis virtuosi.

Hæc propositio habet multas partes, in quarum quasi probationem assumitur illa diuisio, de qua Concilium non iudicat, nec eam approbat: sed iudicium fert de tota propositione, quæ falsa est, & ritè damnata. Vnde Martinus multis verbis frustrà laborat illam actuum humanorum diuisionem approbare, quę siue bona siue mala sit nihil ad decretum Concilij.

Secundò tale decretum in actis Concilij Constantiensis nusquam legitur, eo sensu, & tenore verborum, quo Martinus allegat, vnde sessione quarta sic legitur: Hęc sancta synodus Constantiensis generale Concilium faciens pro extirpatione pręsentis schismatis, & vnione, ac reformatione Ecclesiæ in Capite, & in membris fienda, declarat, quod ipsa in Spiritu sancto cōgregate generale Concilium faciens, Ecclesiam catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatę habet, cui quilibet cuiuscunque status vel dignitatis (etiam si papalis existat) obedire tenetur, in his, quæ pertinent ad extirpationem dicti schismatis, &c.

Ecce manifestè patet, quod decretum illorum patrum non loquitur vniuersaliter de qualibet synodo vniuersali: sed de illa singulariter pro cuius tempore non erat in Ecclesia vnus pastor totius Ecclesiæ indubitatus, cùm eo tempore tres diuersi se gererent pro Romanis Pontificibus.

Præterea ipsum concilium nondùm erat plenarium & vniuersale, cùm solùm essent illi, qui obediant Ioanni vigesimo tertio, duabus alijs partibus nondum præsentibus, neque consentientibus, vnde sessione decimaquarta, Dominus Angelus Coreacius, qui dicebatur Gregorius duodecimus, misit cessionem Papatus, saluo quod eius nomine de nouo fieret patrum conuocatio, & ipsi concilio traderetur eius nomine auctoritas. Et sessione vigesima illi qui adhærebant Petro de Luna, qui dicebatur Benedictus decimus tertius, vniuerunt se alijs duabus partibus, saluo quòd eorum auctoritate fieret noua solemnis concilij conuocatio: & tunc primum fuit perfectum, & plenarium concilium.

Item alia ratione non valet argumentum, quoniam auctoritati illius primæ congregationis apertissimè contradixerunt aliæ duæ partes, quarum contradictio fuit acceptata, vt patet euidenter ex gestis eiusdem Concilij. Nam qui obediebant Gregorio, non habebant primam vocationem pro legitima: & postea illa parte addita priori, adhuc contradixit eidem decreto pars tertia, obediens Benedicto decimotertio, non tenentes congregationem Ioannis, & Gregorij facere vniuersale concilium, nec repræsentare Ecclesiam Catholicam, & noluerunt se vnire illi, nisi priùs iuxta compacta in Narbona, cum Sigismundo Imperatore, noua fieret per eos, apud quos veram esse arbitrabantur Ecclesiam, conuocatio, sicut, & factum est.

Non desunt etiam qui asserant, quòd non omnes illius primæ congretionis consenserint illi decreto. Nec ipse Ioannes Vigesimus tertius, qui se clam subduxerat primum adhibuit consensum, vel auctoritatem suam. Dicitur enim fuisse conquestus post abscessum suum aliqua esse decreta erronea, & falsa, aduersùs auctoritatem Romani Pontificis. Prętereà ipsa tota synodus ex tribus partibus in vnum consentiens, & congregata, videtur statutis suis significasse decretum illud nunquam in mentem suam incidisse. Primò id apparet ex eo quod in sessione quadagesima sacrosancta synodus Constantiensis statuit, & decreuit, quòd futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc sacro Concilio, & deputandis per singulas nationes, debeat reformare Ecclesiam in capite Romanæ curiæ, secundùm æquitatem, & bonum regimen Ecclesiæ. Et articulo decimotertio, propter quæ, & quomodo Papa posset corrigi, vel deponi. Ecce quòd datur intelligi satis apertè, quod synodus adhuc determinandum reliquit, quibus causis, & quali modo Papa posset corrigi, vel deponi. Ad deponi. Adde quòd Concilium, electo Martino, petijt ab eo confirmatione decretorum suo-

suorum, iuxtà morem antiquum obseruari consuetum in concilijs. Prætereà in literis condemnationis errorum Ioannis Wyclef. & Ioannis Hus hoc manifestè apparet, in quibus Martinus approbante, & consentiente Concilio, damnat certos articulos, quorum vnus: Quòd Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ catholicæ. Alius articulus est, de quo mandat præfatus DominusMartinus Prælatis, & Inquisitoribus fidei vt inquirant suspectos de præfatis erroribus, & quærant ab eis vtrum credant, quòd Papa canonicè electus, sit successor beati Petri habens auctoritatem supremam in Ecclesia Dei.

Hìc vides approbante, & consentiente Concilio, determinari errorem esse, quod Papa canonicè electus non habeat supremam potestatem in Ecclesia, quod non stat simul cum eo, quòd Concilium sit superius Papa, & quamuis vacante Sede summa potestas sit apud Concilium, si sit alicubi legitimè congregatum: sicut erat Constantiæ ante electionem Martini:tamen facta canonica electione iam potestas suprema est apud electum, id quod vindicat ipse tenor literarum ante electionem, & post expeditarum. Ante enim fiebant nomine Concilij, hoc modo: Sacrosancta synodus, &c. Electo viro Martino, fiebant nomine Martini, sic: Martinus Episcopus, &c. sacro approbante, & consentiente concilio.

Si igitur placet concilij Constantiensis auctoritas, maior vtique fuit in fine, quam in principio: & cùm esset Concilium omninò plenarium, quàm quando solùm partiale erat,& hic apertè asserit Papam Canonicè electũ, habere supremam potestatem in Ecclesia: & hoc decernit Pontifex consentiente, & approbante Concilio: quod decretum quamuis (vt declaratum est) non repugnet priori, tamen maioris est roboris, & si priori repugnaret, ei magis standum esset.

Item esto, quòd in sancto Concilio Constantiensi in vno, aut altero articulo, aliqua obscuritate veritas latuisset, etiam circa pertinentia ad fidem, vel sacramenta: non proptereà in reliquis amitteret honorem, & auctoritatem. Non enim omnis deuiatio à veritate detrahit erranti auctoritatem, maximè quando erratur retenta charitate, & humilitate. Vnde secundò de Baptismo contra Donatistas, inquit Augustinus. Ideò plerunque doctioribus,minùs aliquid reuelatur,vt eorum patiens, & humilis charitas, in qua fructus maior est,comprobetur,vel quomodo teneant vnitatem, cùm in rebus obscurioribus diuersa sentiunt, vel quomodo accipiant veritatem, cùm contra id, quod sentiebant, declaratum esse cognoscunt, & infra: Homines enim sumus. Vnde aliquid aliter sapere, quam res se habet, humana temptatio est. Nimis autem amando sententiam suam, vel inuidendo melioribus, vsque ad prescidendæ communionis, & condendi schismatis, vel hæresis sacrilegium peruenire: diabolica præsumptio est: In nullo autem aliter sapere, quam res se habet, angelica perfectio est, quia itaque homines sumus, sed spe angeli sumus, quibus æqualaes in resurrectione futuri sumus, quamdiù perfectionem Angeli non habemus: præsumptionẽ diaboli nõ habeamus.Hęc ille,

Communis sententia est,in his quæ fidei sunt,omnibus ad salutem necessaria vniuersale Concilium errare non posse, quam credo veram esse, maximè quando concilium debito modo procedit, propter promissionem Christi. Matth. 18. Vbi duo vel tres consenserint, &c. & Iacobi primo: Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & Matthæi vltimo: Ecce ego vobiscum sum, & primæ Ioannis 4. Vnctio docet vos de omnibus. Et tamen in rebus fidei vel sacramentorum obscurioribus, aut ante tempus reuelationis, vel declarationis factæ, generale Concilium errare posse, patet ex August. secundo de baptismo cap.3. dicente. Quis autem nesciat sanctam Scripturam Canonicam tam veteris, quàm noui testamenti, certis suis terminis contineri,eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, vt de illa omninò dubitari, & disceptari non possit, vtrum verum vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum canonem, vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & aliorum Episcoporum grauiorem auctoritatem, doctorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est. Et ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex vniuerso Orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere: ipsaque plenaria sæpè priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum, aperitur quod clausum erat:& cognoscitur quod latebat, sine vllo typo sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate Christiana. Hæc ille.

Similia dicit secundò, & tertiò de Trinitate, & in epistola ad Vincentium Donatistam, Hìc vides Episcoporum literas, per sapientiorem, aut peritiorem sermonem licitè reprehendi, aut per Concilia, si quid à veritate dauiatum sit, vbi cæteris paribus maior est auctoritas Concilij, quàm vnius hominis, & Concilij plenarij, quàm prouincialis. Et quod in plenarijs concilijs sæpe priora posterioribus emendantur, & retinent tamen auctoritatem suam in alijs. Si enim Cyprianus vel Hilarius auctoritatem, & honorem suum non perdidit, qui tamen in aliquo errauit, quod per posteriores deprehensum est, quanto magis concilium, aut particulare, aut vniuersale, sua auctoritate priuari non debet, licèt deprehendatur in aliquo articulo deuiasse à veritate.

Ex quibus concludo,Martinum malè dicere, cum ait: Via nobis facta est eneruandi auctoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, ac iudicandi eorum decreta. Nam, vt dicunt, si in vno articulo errasse deprehenditur,iam tota eius vacillat auctoritas, &c. Id non ita esse, patet ex dictis. Licèt enim iuxtà Aug.3. de baptismo, capite 4. fieri possit, vt in obscurissima quæstione verius pluribus vnus,paucius sentiant,sed non facilè pro vno, vel pro paucis aduersùs eiusdem religionis, & vnitaris viros, & magno

inge-

ingenio, & vberi doctrina præditos, nisi pertractatis pro viribus, atque perspectis rebus ferenda sententia est. Quod autem dicitur, si in vno articulo errauerit, tota vacillat auctoritas, intelligendum est de scripturis diuinis, per homines spiritu sancto inspiratos, nobis traditis. Hæ enim sunt in summo culmine auctoritatis, quia auctorem habent, qui nec falli, nec fallere potest: ideò si in illis aliquid falsi à primo auctore scriptum esse dicatur: consequenter fateri necesse erit, eas non totas à diuina pendere auctoritate: & ita earum vacillat auctoritas, non quidem vt nulla sit, sed vt neque diuina, neque summa dici possit. Sic accipiendum est quod dicit Augustinus in epistola ad Hieronymum. Quòd si ad scripturas sacras admissa fuerint, vel officiosa mendacia, quid eis remanebit auctoritatis? quæ tandem de scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere contentiosę falsitatis obteretur improbitas?

Hic vides non omnem tolli auctoritatem cuilibet scripturæ, ex eo quòd in ea fortè aliquid erratum sit, sed eam solam, cui cedere compellatur, etiam pertinax, & improbus, vel contentiosus, quæ solius canonicæ scripturæ est. Neque hæc dico quòd credam Concilium Constantiense circa articulum potestatis Papæ, aut Concilij, errasse, aut non rectè determinasse, sed quòd etiam si vno, aut alio articulo deprehenderetur à veritate deuiasse: non propterea deberet in alijs sua auctoritate priuari.

Contra prædicta obijcitur, communis animi conceptio est omne totum esse maius sua parte, sed Ecclesia dicit quoddam totum: Papa autem non est tota Ecclesia, sed pars eius, ergo sequitur quòd Ecclesia est maior, & superior auctoritate, & potestate, ipso Papa, & per consequens ipsum generale Concilium, quod Ecclesiam vniuersalem repræsentat.

Dico primò, quod hæc non est communis animi conceptio intelligendo vniuersaliter de quocunque toto, sed solùm de toto integrali, non autem de toto potentiali, vt rectè dicit Thomas tertia distinctione prima, loquens de partibus imaginis, vbi dicit, hoc verum est de totalitate quantitatis dimensiuæ vel numeralis, quæ eiusdem rationis sunt: & non de totalitate quantitatis virtualis. Et si ratio absolutè concluderet, probaretur quòd Christus esset potestate minor ipsa Ecclesia, quia Christus est membrum Ecclesiæ, vt inquit Aug. pluribus locis: quòd tamen est falsum, ad Ephesinos primò, Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & ad Ephesios, quinto, Christus caput est Ecclesiæ, ipse saluator corporis eius, & sequitur, Ecclesia subiecta est Christo.

Secundò, dico quòd argumentum nihil aliud concludit, nisi quòd tota Ecclesia est maior, quam aliqua pars eius, sic vt Papa cum omnibus alijs aliquid maius sit, quàm aliqua pars totius congregationis, cum quo stat quòd rector congregationis secundùm aliquid, maior sit tota residua parte sicut dux reliquo exercitu potestate regendi maior est: & paterfamilias potestate excedit reliquas omnes partes domus. Non igitur valet consequentia, Papa est membrum Ecclesiæ, ergo potestate iurisdictionis non est maior toto residuo corpore Ecclesiæ. Quod etiam patet exemplariter in corpore naturali, quia caput est membrum corporis, & nihilominus maius virtute sensitiua toto residuo corpore, cùm in eo sit plenitudo sensuum, in alijs autem sit solus sensus tactus. Vnde Ambrosius lib. 6. in Hexamero, cap. 29. inquit. Caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimumque esse omnium: & ex illo omnibus membris vigorem prudentiamque deferri: quamuis igitur non sit dubitandum, quin Ecclesia sit maior, quàm Papa, putà perfectione gratiæ, & amplitudine virtutum, quoniam vna muliercula potest hoc modo maior, & perfectior esse, quàm Papa, tamen potestate iurisdictionis, de qua sermo est, vnus peccator potest esse maior multis iustis. Et Papa maior toto residuo Ecclesiæ corpore. In gratijs enim gratis datis nihil prohibet vnum membrum corporis præcellere omnia reliqua, ad Romanos 12. In vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent, & infra: Singuli autem alter alterius membra, habentes donationes, secundùm gratiam, quæ data est nobis differentes, siue prophetiam secundùm rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina. Benè enim stat, quòd aliquod membrum Ecclesiæ in donatione sibi facta, excedat (vt dictum est) omnia reliqua, vt Propheta omnes alios, vel doctor omnes alios excedere; ita minister Ecclesiasticus potest in potestate administrationis, & iurisdictionis, omnes alios superare.

CAP. V.

Continens testimonia veterum, de primatu Petri, & Ecclesiæ Romanæ.

Irenæus libro tertio contra hæreticos, inter cætera sic inquit. Quoniam valde longum in hoc tali volumine, omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatã hominibus fidem per successionem Episcoporum peruenientem vsque ad nos, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per philautiam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & sententiam malam, præterquàm oportet, colligunt: ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem cõueniri Ecclesiam: hoc est eos, qui sunt vndique fideles. In qua semper ab his qui sunt vndique conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. Deinde enumerat successores Episcopos, vsque ad sua tempora: hoc ordine Linus, Anacletus Clemens, Euaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus, Eginius, Pius, Anicetus, Sother, Eleutherius. Tertullianus libro de præscriptionibus hæreticorum, de Petro sic loquitur. Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ

petram

petram dictum, claues regni cœlorum consecutum, & soluendi, & alligandi in cœlis, & in terris potestatem. Idem libro quarto aduersus Martionem, loquens de mutatione nominis, inquit: Mutat, & Petro nomen, de Simone: quia & creator Abrahæ, & Saræ, & Iosue nomina reformauit, hunc vocando Iesum, illis syllabas adijciendo: sed cur Petrum, si ob vigorem fidei, multæ materiæ solidæque nomen de suo accommodarent, an quia, & Petra, & lapis Christus? Siquidem, & legimus positum eum in lapidem offendiculi, in petram scandali. Omitto cætera. Itaque affectauit charissimo discipulorum de figuris suis peculiaritèr nomen communicare. Idem libro de præscriptionibus hæreticorum, post commemoratas alias Apostolicas Ecclesias. de Romana subdit, Si autem Italiæ adieceris, habes Romanam, vndè nobis quoque auctoritas præstò est statuta. Fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes posteaquàm in oleum ignium demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Cyprianus tractatu de simplicitate Prælatorum, vel de vnitate Ecclesiæ, inquit. Loquitur Dominus ad Petrum. Ego dico (inquit) quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: tibi dabo claues regni Cœlorum: & quæ ligaueris super terram erunt ligata, & in cœlis, & quæcumque solueris super terram erunt soluta & in cœlis. Et eidem post resurrectionem dicit: Pasce oues meas.

Et quamuis omnibus Apostolis post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat. Sicut misit me pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi: si cui tenueritis, tenebuntur. Tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua auctoritate disposuit, hoc erant vtiq; & cœteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur. Christus ante passionem, & resurrectionem bis legitur promisisse. Semel Petro, Matthæi 16. Secundò, Petro cum alijs, eiusdem 18. Et post resurrectionem bis legitur donasse potestatem, & auctoritatem. Primò, Ioannis 20. dicens omnibus Apostolis communiter. Sicut misit me pater, & ego mitto vos, quorũ remiseritis, &c. Deindè Ioannis vltimò, Petrum singulariter præfecit, dicendo, Pasce oues meas. Et hunc ordinem designat Cyprianus intendens primum sine discrimine potestatem, & auctoritatem apostolicam, omnes Apostolos à Christo æqualiter accepisse: & postmodùm Petrum cæteris præfecisse tum cùm dicitur. Pasce oues meas, hoc enim apertè indicant verba Cypriani dicentis. Tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiudem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Et ne quis in dubium reuocet an de Christo, an verò de Petro intelligat, addit, hoc erant vtique, &c. Intendens alios Apostolos non quidem honore, & potestate priùs acceptis à Christo esse spoliatos, aut diminutos, sed vni Petro subiectos, atque hoc ideò fecisse Christum dicit Cyprianus, vt Ecclesiæ vnitatem demonstraret: imò, vt verbis Cypriani vtar, vt vnitatem, & eius originem ab vno incipientem, sua auctoritate disponeret. Igitur Apostolos vni Petro, quo ad regimen, iurisdictionem, & administrationem, subiecit. & hoc fecit propter vnitatem Ecclesiæ vndè consequenter declaratur, non fuisse satis Christo pro suæ Ecclesiæ vnitate, quòd credentium in ipsum multitudo, aut vniuersi, vel singuli credentes, ipsi Christo ita immediatè subessent, & ad ipsum referrentur, tamquam ad caput, pastorem, & rectorem, sed voluit eos vniri inter se, sub vno Pastore, seruo Christi. Ex quo vlterius declaratur quòd cùm ciuitatem tribus modis contingat vnam esse, atque permanere, & benè regi, quando videlicèt summa potestas est apud multitudinem, aut apud optimates, aut apud vnum commune ciuitatis bonum curantem, Christus Ecclesiam suam vnam esse noluit, primo modo tantùm, aut secundo, sed potius tertio, aut saltem ex tribus temperato. Subiecit enim orbem terrarum senatui apostolico, Apostolorum verò senatum Petro, hoc modo super Petrum ædificans Ecclesiam suam. Quoniam autem Ecclesia in finem vsq; sæculi eadem perseuerat, Apostoli autem peracto vitæ præsentis cursu quieuerunt. Hinc est quod auctoritas senatus Apostolorum ad collegium deuoluta est episcoporum, Petri verò pastoralis auctoritas ad successores vsque ad præsentem Clementis Septimi Episcopatum continuata, vt totius Ecclesiæ vnus sit quodammodo episcopatus, cuius, vt idem Cyprianus inquit, à singulis episcopis in solidum pars tenetur.

Est igitur Petrus origo sacerdotalis auctoritatis, & Ecclesiastici principatus, siuè vnitatis ecclesiasticę, non tantùm in fieri, sicut Adam, & Noe carnalis omnium hominum generationis, hic à diluuio, ille absolutè, sed etiam in conseruari, & permanere: quia Petri auctori tas ad successorem transit, sicut regni potestas rege mortuo transit ad hæredem. Et fortasè propterea Cyprianus Ecclesiæ exordium à Petro incipiens, comparat origini riui à fonte, & radij à sole. Prior modus originis ab vno, ad vnitatem ciuitatis non satis est alioqui omnes mundi ciuitates præsentes, & præteritæ essent vna ciuitas, aut numero, aut specie. Ciuitatem enim vnam, vel non vnam, efficit vna, vel diuersa habitudo ciuium, ad vnum principalem magistratum.

Neque supradictis obstat, quòd Cyprianus Cornelium Papam, & successores eius, Lucium, Fabianum, Stephanum fratres vocat, vel collegas. Omnes enim Episcopi fratres sunt, & omnes de collegio collegæ sunt, sed non propterea regimine pares sunt, sicut Petus pars fuit collegij, & Apostolorũ collega, & eorum coapostolus, & tamen pastor eorum, & Prælatus. Vndè idem Cyprianus libro 4. epistola 8. quæ est ad Cornelium Papam, sedem Romanam Ecclesiæ catholicæ matricem, & radicem appellat. Et Hieronymus ad Damasum Papam, in Epistola, quæ incipit: Vetus oriens miris preconijs Petri cathedram effert, & Damasum in ea sedentem alijs prę fert, in quà nihilominùs Ægypti Episcopos

Damasi collegas appellat. Et Ambrosius epistola 78. Ecclesiæ Romanæ sacerdotem, fratrem appellat, quem tamen honore, & auctoritate longè cæteris anteponit. Et euidentius epistola sequenti ad Syricium Papam. Item Hilarius supra Mattheum canone decimosexto tractans verba Domini ad Petrum, inquit. Et dignum planè confessio Petri premium consecuta est: quia Dei filium in homine vidisset, beatus hic est, vt vltrà humanum oculos etiam intendisse, & vidisse laudatus est, non id quod ex carne, & sanguine erat continens, sed Dei filium cœlestis patris reuelatione conspiciens, dignusque iudicatus, qui, quod in Christo Dei esset, primus cognosceret. O in nuncupatione nominis fœlix Ecclesiæ fundamentum, dignàque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuis terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cęlo, vt quę in terris aut ligata sint, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant, & in cœlo.

Hieronymus pluribus locis primatui Romani Pontificis attestatur, & sæpè dicit Ecclesiam suprà Petrum ędificatam, & præcipuè in duabus epistolis ad Damasum, & in explanatione fidei, vt ex suprà dictis clarum est; sed euidentèr mentem suam ostendit, scribens aduersùs Iouinianum libro primo. Cùm enim partes virginis aduersùs coniugatū suscepisset, & conuenientia causæ vndique colligeret, tamdem obiecit sibi, At dicis, super Petrum ædificatur Ecclesia, Respondit. Propterea inter duodecim vnum eligi, vt capite constituto, schismatis occasio tollatur, & rationem reddit, cur Ioannes virgo electus non sit, quia Petrus senior erat, ne adhùc adolescens, ac penè puer, progressæ ætatis hominibus præferretur, qua vtique ratione nihil opus esset, si omnibus modis omnium Apostolorum inter se esset æqualitas. Est igitur (vt dixi) in catholicorum doctorum scriptis, lectionis circumstantia diligentèr attendenda, vt iuxtà Hylarium ratio dicti ex dicendi causis assumatur, quod, & Augustinus notat primo retractationum, & in epistola ad Valentinum per hoc ostendens, ea quæ dixit de natura, & libero arbitrio, aduersùs Manichæos scribens, nihil adiuuare partes Pelagianorum, qui naturam aduersùs gratiam defendunt, & è diuersò, ea quæ de gratia scripsit contrà Pelagianos, non suffragari Manichæis, creaturam Dei damnantibus, sed quòd ex vtrisque collatis plena veritas appareat. Eadem regula sequenda est in Hieronymi scriptis, tum in alijs materijs, tum in ea, quæ præ manibus est. Nam inspecta causa dicendi, in epistola ad Euagrium, & in commentarijs epistolæ ad Titum, & considerato totius dictionis filo, nihil comperietur repugnans alijs suis scriptis, vt suprà latiùs patuit, si tamen sibi alicubi de hac materia repugnaret, præsens locus esset acceptandus tamquam maximè mentem eius explicans. Ambrosius in libro de Isaac, capite tertio, Petro dicenti quò vadis, respondit verbum Dei, non potes me sequi modò: sequeris autem posteà: claues autem commiserat regni cœlorum, & sequendo imparem iudicauit.

Idem in epistolam ad Galathas, quis auderet Petro primo Apostolo, cui claues regni cœlorum Dominus dedit, resistere? nisi alius talis, qui fiducia electionis suæ sciens se non imparem constantèr improbaret, quo ille sine consilio fecerat?

Idem sermone 47. Fidelior enim factus est, postquam fidem se perdidisse defleuit, atque ideò maiorem gratiam repperit quam amisit. Tamquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi antè infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & qui ipse interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret: deindè pro soliditate deuotionis ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā. Petra enim dicitur, eo quòd primus in nationibus, fidei fundamenta posuerit, & tamquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & Petra pro virtute Dominus nuncupatur. Sicut ait Apostolus: Bibebant autem de spirituali consequenti eos petra, petra autem erat Christus. Rectè consortium meretur, & operis. In eadem enim domo Petri fundamentum posuit Petrus plantat, Dominus incrementum dat, Dominus irriguum subministrat.

Vt nouerimus hæc dicta esse, non de petri solius persona, sed & successorum Romanorum episcoporum, facit, quod idem Ambrosius primæ ad Timotheum 3. in verbo, vt scias quemadmodum oporteat te in domo Dei conuersari, inquit: Cum totus mundus, Dei sit Ecclesia, tamen domus eius dicitur, cuius hodie rector est Damasus. Hæc ille. Ecclesiam vtique regebat Ambrosius, & cæteri Episcopi, sed Damasus rector erat vniuersalis Ecclesiæ, Ambrosius autem, & cæteri, in partem sollicitudinis assumpti.

Idem epistola 78. quod ab arbitris datis à Concilio Capuensi pro terminanda discordia inter Euagrium, & Flauiauum, decretum fuerit, censet referendum esse ad episcopum Romanum ijs verbis: Sanè referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant, ita enim vtile erit consultum sententiæ, ita pacis, & quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod communioni nostræ dissentionem non afferat, vt nos quoque accepta nostrorum serie statutorum, cùm id gestum esse cognouerimus, quod Ecclesia Romana haùd dubiè comprobauerit, læti, fructum huiusmodi examinis adipiscamur. Augustinus, Apostolicæ sedis Episcopum, & Beati Petri successorem, omnibus alijs orbis Episcopis anteponit, vt patet ex epistolis scriptis ad Papam Innocentium, de actis Conciliorum Mileuitoni, & Carthaginensis, sed & ex alijs pluribus locis, vt capitulo primo libri primi, ad Bonifacium Papā, vbi dicit Romanum Episcopum alijs Episcopis altiùs presidere, quodque licèt omnibus Episcopis communis sit specula pastoralis, tamen Romanus in ea præemineat celsiori fastigio. Et lib. 1. aduersùs Iulianum, citatis aduersùs dogma Pelagianum Orientis, & Occidentis, Grecis, & Latini pluribus

Episcopis; eisdem annumerans Innocentium Papam, ad propositum addit. Cùm is etiam considet, & si posterior tempore, prior loco.

Idem contra Faustum lib.22.cap.70.post alia, infert: Quid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum, factus est Pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Ægyptiũ factus est Rectòr illius Synagogę. Et quod Augustinus officium pastorale Petri transmissum intelligat ad successores, patet ex ante allegatis, ex epistola ad Generosum, & ex lib. contrà epistolam fundamenti, ca.4. Nam illic inter ea, quæ ipsum in Catholica Ecclesia tenebant, ponit successionem Episcoporum in sede Petri, sibi succedentium, ijs verbis: Tenet (inquit) ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem episcopatum, successio sacerdotum.

Idem in fine libri de vtilitate credendi, inquit, dubitamus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plæbis ipsius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit.

Idem in Psalmo, aduersùs partem Donati, dicit inter cętera: Numerate sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede. Et in ordine patrum, quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Idem lib. 2. contra secundam epistolam Gaudenti.cap.23. Numquid melior Rasias, quàm Petrus Apostolus, qui vbi dixit, Tu es Christus filius Dei viui, tam beatus à Domino appellatus est, vt claues regni cœlorum accipere mereretur, nec tamen creditur imitandus, vbi mox eodem momento reprehensus audiuit, [Vade post me Satana, &c.] Ex his omnibus manifestum fit beatum Augustinum sensisse Romanum Episcopum Petri successorem alijs orbis Episcopis Prælatum, in dignitate, præeminentia, & auctoritate, atque cura pastorali, tamquam eum, cui à Christo vniuersalis Ecclesia regenda commissa sit.

Et quæ alibi dicit non contrà ista, sed secundùm ista esse accipienda, vt ex vtrisque testimonijs inter se collatis, plena veritas de hac materia accipiatur. Nam ne quis diceret, quæ Dominus ad Petrum dicit, ita referri debere ad Ecclesiam, vt nihil ampliùs ipsi Petro, quàm alijs Apostolis tribuerent, contradicunt allegata testimonia. Ex altera verò parte, ne quis dicere possit dictas Petri prærogatiuas eius personam non excedere, ad alios Apostolos, & Ecclesiæ Prælatos, atq; ad successores in Ecclesia vsque in finem mundi duratura non transire, vel extendi, contradicunt ea, quæ idem Augustinus dicit alijs locis, vt in Psalmum centesimumoctauum, circa principium. Sicut quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cuius ille cognoscitur in figura gestasse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit, sicuti est, [Tibi dabo claues Regni Cælorum, & si qua huiusmodi. Intendit Augustinus hoc loco similitudinem ponere inter Petrum, & Iudam, in hoc quod sicut, quæ de Iuda in hoc Psalmo propriè prædicuntur, conueniunt Iudæis, inimicis Christi, qui & tunc oderant Christum, & nunc per successionem perseuerante genere ipsius impietatis oderunt, figuratiuè, & mysticè per similitudinem, vel proportionem transferendo, id quod de vno malo dictum est, ad collectionem, siuè corpus malorum, ita quæ propriè dicuntur ipsi Petro mysticè, & figuratiuè, referantur ad Ecclesiam, siuè ad corpus bonorum. Ita vt de Iuda, vel Petro, Psalmus, vel Euangelium loquatur in dictis locis secundùm historiam, & primarium ac literalem sensum: de corpore verò bonorum, vel malorum secundùm sensum mysticum, & figuratiuum. Vndè illic dicit Augustinus. Euidentèr apparere de Christi traditore Iuda prophetatum esse. Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter, quod tamen secundùm mysticum intellectum rectè de malorum multitudine per Iudam significatorum, prophetatum intelligitur. Similitèr de Petro, & ad Petrum à Christo propriè dicta: rectè accipiuntur dicta ipsi Ecclesiæ, & corpori bonorum secundùm mysticum intellectum, quē Augustinus non dicit veriorem, sed illustriorem, siuè clariorem, & magis perspicuum, id quod solet euenire, vbicumque aliquis scripturæ locus præter primarium sensum, qui literalis dicitur, alium habet spiritualem, & mysticum. Similitèr contrà prædicta non faciunt, quæ idem Augustinus scribit lib. de verbis Domini, in Euangelio secundùm Matth. serm.13. tractans illum locum Matthæi 16. [Tu es Christus filius Dei viui, &c.] Quod vt lucidius pateat, Augustin. verba subijcio. Qui tu dixisti mihi. Tu es Christus filius Dei viui, Et ego dico tibi, Tu es Petrus, Symon quippè ante vocabatur, hoc autem nomen ei, vt Petrus appellaretur, à Dominò impositum est; idque vt ea figura significaret Ecclesiam, quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est, & ideò Petrus à petra, non petra à Petro: quo modo non à Christiano Christus, sed à Christo Christanus vocatur. Tu es ergo (inquit) Petrus, & super hanc petram, quam confessus es: super hanc petram, quam cognouisti, dicens: Tu es Christus filius Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam, id est, super meipsum filium Dei viui ædificabo Ecclesiam meam, Super me ædificabo te, non me super te. Nam volentes homines ædificari super homines dicebant. Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ipse est Petrus. Et alij qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram, ego autem sum Christi. Apostolus autem Paulus, vbi cognouit se eligi, & Christum contemni, diuisus est (inquit) Christus. Numquid Paulus pro vobis Crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Quo modo non in Pauli, sic nec in Petri, sed in nomine Christi, vt Petrus ædificaretur supra Petram, non petra super Petrum.

Hęc, inquam, sententia, quàm alijs pluribus locis librorum suorum habet August. non est contraria eius, vel aliorum dictis, vbi habetur, quod Petrus sit Ecclesiæ fundamentum,

tum', aut quod Ecclesia sit super Petrum ædificata. Vt enim interim nihil dicamus de circumstantia textus, & germano sensu verborum, interrogemus ipsum Augustinum: Dic nobis beate Doctor Ecclesiæ, quid sentis de Cypriano, & alijs Orthodoxis? Non enim ignoras gloriosum Martyrem, quem optimo iure copiosè laudasti, propter perseuerantissimum amorem charitatis, & pacis. Non(inquam) ignoras eum pluries dicere, itaut vix aliter Petrum nominet, quin adiungat, super quem Christus ædificaturus erat Ecclesiam suam. An tibi videtur spem ponere in homine, aut hoc docere velle Fideles, vt ponant carnem brachium suum, aut persuadet Fidelibus, vt ædificent super homines, & non super Christum, & sic loquendo Christum contemnit, & Petrum eligit? An propterea docet in Petri nomine baptizare? Respondebis, non dubito te non id sentire de quocumque vero Catholico, & multò minùs de beato Cypriano. Et quod ita sit responsurus Augustinus notum est, ex libro 1. retractationum cap. 21. In hoc libro, inquit, dixi quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo, tamquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinatio ait: [Hoc ipsa petra Ecclesia canente culpam diluit.] Deinde ponit alteram sententiam, & tandem concludit his verbis: [Harum autem duarum sententiarum vtra sit probabilior, dijudicet Lector. Vnde idem Augustinus scribens in Psalmum 86. qui incipit: [Fundamenta eius in montibus sanctis,] dicit: [Vt noueritis, quia fundamentum Christus, & primum, & maximum.] Fundamentum, inquit Apostolus, nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Quomodo ergo fundamenta Prophetæ, aut Apostoli? Et quomodò fundamentum Christus Iesus, quo vlteriùs nihil est? Quomodò putamus, nisi quemadmodum apertè dicitur: Sanctus Sanctorum, sic figuratiuè fundamentum fundamentorũ?] Ex his sufficienter, vt arbitror, demonstratur, quæ sit mens Augustini in hac materia, quod videlicet homo non sit primum Ecclesiæ fundamentum. Nec mirum, si Petrus tale fundamentum non sit: quale nulla creatura esse potest, immò nec ipse Christus secundùm humanam naturam, quod videlicet alia omnia portat, & sustinet, & à nullo sustinetur. Quod enim ad Hebræos 1. dicitur: [Portans omnia verbo virtutis suæ, Christo secundùm Diuinitatem conuenit, non secundùm humanitatem.] Et nihilominus supra hoc primum fundamentum, alia esse fundamenta Fidelis non negabit, cùm Scriptura dicat Apoc. 21. [Murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim.] Et ad Ephes. 2. [Superædificati supar fundamentum Apostolorum, & Prophetarum,] vbi & Christus dicitur summus lapis, & lapis angularis, non autem solus lapis. Et similiter dicitur Christus, Caput Ecclesiæ, & Pastor, & fundamentum.

Et quia ista dicuntur de Christo per similitudinem ad caput animalis in corpore naturali: & ad fundamentum domus, vel Templi materialis. Ideò notandum, quod duplex sit influxus capitis in membra, vnus intrinsecus, prout scilicèt virtus motiua, & sensitiua à capite ad cætera membra deriuatur. Alius extrinsecus secundùm quamdam exteriorem gubernationem, proùt scilicet secundùm visum, & alios sensus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Intrinsecus influxus gratiæ non est ab aliquo, nisi à solo Christo, sed extrinsecus influxus in membra Ecclesiæ potest alijs conuenire, & secundùm hoc, aliqui alij possunt dici capita Ecclesiæ, secundùm illud Amos 6. Optimates capita populorum, differenter tamen à Christo. Primò quidem, quantùm ad hoc, quòd Christus est caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, secundùm omnem locum, & tempus, & statum. Alij autem homines dicuntur capita, secundùm specialia loca, sicut Episcopi suarum Ecclesiarum, vel etiam secundùm determinatum tempus: sicut Papa est caput totius Ecclesiæ, pro tempore scilicet sui Pontificatus, & secundùm determinatum statum, prout scilicet sunt in statu viatoris. Alio modo, quia Christus est caput Ecclesiæ, propria virtute, & auctoritate. Alij verò dicuntur capita, in quantum vicem Christi gerunt, secundùm illud, secundæ ad Corinthios 2. Nàm & quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi. Et secundùm illud secundæ ad Corinthios 5. [Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.] Pariformiter dicendum est de fundamento, quòd Christus sit fundamentum omnium, secundùm omnem locum, omne tempus, & omnem statum. Alij verò homines vt Episcopi, secundùm determinata loca, vel secundùm determinatum tempus, & statum, vt Papa. Etiam Christus fundamentum est, Ecclesiam portans propria virtute, & auctoritate. Alij verò homines, virtute, & auctoritate Christi, tamquam eius ministri, legati, & dispensatores. Item Ecclesia quoad se totam, & quamlibet partem suam immediatè super Christum fundatur, quantum ad gratiam, & gloriam, quàm Christus per seipsum creat, & conseruat: homines verò quoad ista nihil faciunt, præter ministerium, secundùm illud 2. ad Corinth. 3. [Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.] Vbi Augustinus: [Iàm verò, quod sequitur, sed Deus incrementum dedit, non per illos, sed per seipsum facit, excedit hoc humanam humilitatem, excedit Angelicam sublimitatem: nec omninò pertinet, nisi ad agricolam Trinitatem.] Et quia gratia, & gloria præcipua sunt Christi munera, in quæ omnia à Christo Ecclesiæ donata, vt fines, referuntur: hinc est, quod Augustinus in suis posterioribus tractatibus, vbicumque loquitur de petra, fundamento, vel capite Ecclesiæ, ad illa respexit. Et verum quidem dixit conuenienter loco, tempori, & personis, quia in Aphrica, quam penè totam occupauerat schisma Donatistarum, qui ministris Sacramentorum nimium tribuebant, dicentes, oportere Sacramenta Christi, & Ecclesiæ à Mundis, & Sanctis ministrari, & quod aliter Sacramenta essent inania, & vacua, atque iteranda. Vndè ab Hæreticis, vel à Catholicis, à quibus tamquam mundi ab immundis separati schisma fecerunt, baptizatos præsumebant rebaptizare.

Et

Et eadem ratione coniunxit Augustinus duos locos Euangelij, vbi agitur de petra. Vnum Matthæi 7. vbi Saluator dicit: [Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram.] Et Matthæi 16. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] intendens vtroque loco, per petram intelligi Christum. Et quoniam illic capit Ecclesiam pro corpore Christi mystico, constante ex solis bonis, ideò non fundat illud corpus, nisi super Christum, vt ex dictis manifestum est, nec latet aliquem eruditum, & diligentem Lectorem Augustini. Aliorum posteriorum tempore, vel minoris auctoritatis dicta, breuitatis gratia omitto, quorum tamen nonnulla passim posita sunt, & allegata suis locis, per totum librum.



IACOBI



IACOBI SIMANCÆ PACENSIS EPISCOPI.

DE CATHOLICIS INSTITVTIONIBVS LIBER

Ad præcauendas, & extirpandas hæreses admodum necessarius.

Iacobus Simancas, seu Septimanticensis, cognomen istud induit ab Oppido natali, quod Simanca populariter appellatur. Ius Ciuile, & Canonicum Salmanticæ per multos annos professus est, ex quo reddidit se aptum ad quasuis dignitates tùm seculares, tùm Ecclesiasticas. Ob quæ in Vallisoletano Prætorio factus Senator Regius, ibi non contentus seculari gubernatione, & mente plurium capaci scripsit, & ibi edidit in 8. Catholicas Institutiones aduersùs hæreses, adhùc in habitu Senatoris iam Ecclesiasticus. Cùm ergo Ecclesia plus suum, quàm seculi considerasset, & ex factis aptissimum cognouisset, eum elegit Episcopum Pacensem, in quo munere totus, & Episcopalem dignitatem validè sustinuit, & Mundo plura opera dedit. Interrogatus post suam electionem vter meliùs esset in Episcopi munere aptus Theologusnè, an Iurisconsultus, nulla meræ hæsitatione respondit pro sua causa, nempè Episcopum longè præstantiorem esse Iurisperitum, quàm Theologum; Scripsit de Episcopis, & Iurisperitis opusculum in 8. Antuerpiæ Plantin. Scripsit etiam librum, cui titulus, Praxis hæreseas, siue Enchiridion Iudicum violatæ Religionis ad extirpandas hæres Theoricen, & praxim complectens, Venetijs 1569. 8. Item additis duobus opusculis Annotationibus in Zanchinum, cùm Animaduersionibus in Campegium, & de dignitate Episcopali, Antuerpiæ 1573. 8. Venetijs 1573. 8. eleganti stylo, vt Aubertus Miræus, & phrasis ipsa testatur. Item de Republica Collectaneorum libri nouem Venet. 1569. & Antuerp. apud Plantin. 8. & Argentinæ apud Zetzner in 8. 1609. Edidit etiam librum de rebus Criminalibus in eodem loco impressum. Tandem scripsit librum de Catholicis institutionibus ad omnes hæreses euertendas summè necessarium, quem Vallisoleti in 8. edidit Romæ tertia vice recusum, sic communi omnium vtilitate comprobatum. Meminerunt huius Auctoris cum laude Aubertus Miræus, & Matthæus Koningius, Iosias Symlerus, qui Collectaneorum libros nouem eximiè laudat, dicitque collectos ex illustribus Theologis, Legumlatoribus, Iurisconsultis, Philosophis, Poetis, Historicis, alijsque bonorum artium peritis, Venetijs apud Bologninum 1560. in 4. In tertia cuius operis editione adiecti sunt ab Auctore plusquam mille loci memorabiles in 8. Antuerpiæ apud Plant. anno 1589. ex quo perspicuè apparet Auctorem præcipuam curam nauasse Iuri tùm Canonico, tùm Ciuili, cæterum & alias scientias sicco pede non transuadasse, vel fuisse non purum legistam, sed omni ornatum scientia. In libro ergo de Catholicis institutionibus Romæ edito in Aedibus Populi Romani Anno Iubilæi 1575. sexaginta sex titulos habemus. Primo, de Abiuratione, 2. de Absentibus, 3. de Absolutione, 4. de Accusationi-

tionibus, 5. de Aduocatis, 6. de Appellationibus, 7. de Apostatis, 8. de Blasphemis, 9. de Bonis Hæreticorum, 10. de Ceremonijs, 11. de Communicatione Hæreticorum vitanda, 12. de Concilijs, 13. de Confessis, 14. de Contumacibus, 15. de Credentibus, Defensoribus, Fautoribus, & Receptatoribus, 16. de Custodia reorum, 17. de Defensionibus reorum, 18. de Defunctis, 19. de Denunciatione, 20. de Disputatione, 21. de Diuinatione, & reuelatione, 22. de Doctoribus Ecclesiæ, 23. de Dominis temporalibus, 24. de Ecclesia, 25. de Episcopis, 26. de Errore, & ignorantia, 27. de Excommunicatione, 28. de Fide Catholica, 29. de Filijs; & minoribus, 30. de Hæresi, 31. de Hæreticis, 32. de Idololatria, 33. de Imaginibus, 34. de Inquisitoribus Apostolicis, 35. de Iudæis, 36. de Iudicibus secularibus, 37. de Lamijs, 38. de Libris, 39. de Mahumetanis, 40. de Matrimonio, 41. de Ministris, & eorum officijs, 42. de Occultis, 43. de Officio receptoris, 44. de Ordine procedendi, 45. de Papa, 46. de Pœnis, 47. de Pœnitentibus, & conuersis, 48. de Pertinacibus, & impœnitentibus, 49. de Prædicatoribus, 50. de Præsumptionibus, & suspicionibus, 51. de Probationibus, 52. de Procuratoribus, 53. de Promotore Fiscali, 54. de Propositionum qualitate, 55. de Protestatione, 56. de Purgatione canonica, 57. de Relapsis, 58. de Schismaticis, 59. de Scripturis Diuinis, 60. de Sententijs, 61. de Seruis, 62. de Sortilegis, 63. de Superstitionibus, 64. de Testibus, 65. de Tormentis, 66. de Vsuris.

TITVLVS XLV.

DE PAPA.

SVMMARIVM.

1 *Papam Lutherani, & Sacramentarij conuicijs, & mendacijs primatu expellere conantur.*

2 *Pontifex Max. Christi Vicarius est sub Cælo.*

3 *Petri primatus ex pluribus locis Euangelicæ historiæ ostenditur.*

4 *Petri prærogatiuæ ex multis euangeliorum locis demonstrantur.*

5 *Petro plus eminentiæ datum est in actis Apostolorum, quam cæteris omnibus.*

6 *Pontificem Max. Petro successisse in Apostolica Sede apertissimè ostenditur.*

7 *Pontificem Max. Petro successisse, probatur sumpta similitudine ab Ecclesia Triumphante ad Militantem.*

8 *Pontificem Max. Petri successorem esse probatur sumpto argumento à synagoga ad Ecclesiam.*

9 *Monarchiæ regimen omnium aliorum optimum est.*

10 *Pontificem Max. vnum esse debere, penès quem summa Ecclesiæ potestas sit, probatur, quia regimen Monarchiæ optimum est.*

11 *Ecclesia Catholica nullo modo consistere posset absque vno supremo capite, cum quo in terris communicaret.*

12 *Pontificem Max. vnum esse oportet in Ecclesia, aliter enim multa incommoda orirentur.*

13 *Petro non tanquam piscatori & homini priuato, sed tanquam Apostolorum Principi, & Antistiti maximo, promisit Christus claues Regni Cælorum.*

14 *Petro, non tanquam piscatori claues Regni Cælorum relictas esse, probatur.*

15 *Lutherani, Sedis Apostolicæ, & Pontificis Max. auctoritatem, ac potestatem negant.*

16 *Pontificis Max. auctoritatem, & potestatem quomodo Lutherani eleuare studeant.*

17 *Pontifices Max. à Lutheranorum conuicijs asseruntur.*

18 *Pontificum Max. successio.*

19 *Pontifex Summus quomodo eligendus esset ab Ecclesia, etiam si Petrus nihil olim de successore prouidisset, aut hodie Cardinales omnes perijssent.*

20 *Pontifices Max. vt nunquam defecerunt à Fide Catholica, sic nunquam defecturos esse, multi sanctissimi viri docent.*

21 *Pontifices Max. semper in Fide Catholica permansisse, & permansuros, Synodi quamplurimæ testantur.*

22 *Pontifices Max. semper in Fide Catholica permansuros probatur ex verbis Christi.*

23 *Pontifices Max. semper in Fide Catholica permansuros probatur rationibus.*

24 *Pontificis Summi amplissima potestas, & quomodo ab eo inceperit, & pendeat Romanorum imperium.*

25 *Pontifex Max. in ordine ad finem spiritualem, amplissimam habet potestatem in omnes Principes orthodoxos.*

26 *Pontificis Max. hæc amplissima potestas, probatur rationibus.*

27 *Lutherus, Ecclesiarum, & Pontificum bona diripienda esse, impijssimè docebat.*

28 *Pontificibus, & Episcopis necessarius est rerum externarum splendor, & affluentia.*

29 *Paupertas quantum imminuat auctoritatem Antistitum, & Presbyterorum.*

Pau-

30 *Paupertas neque ex se ipsa quidpiam habet magna commendatione dignum, neque vituperandum diuitiæ.*

31 *Diuitias, si cum sapientia coniunctæ sint, multi sapientes viri meritò laudant.*

32 *Quæstiones dubiæ de fide, quæ ad Papam referri debent, quando ab inferioribus Prælatis decidi possunt.*

33 *Inquisitores Hispaniæ, si scandalum timeatur ex qualitate, aut multitudine eorum, qui de hæresi suspecti sunt, quid facere debeant.*

34 *Papæ, si concedat rescriptum, seu priuilegium in præiudicium Officij sanctæ Inquisitionis, quomodo obtemperandum.*

35 *Papæ, si hæreticus esset, quomodo obuiam ire oportet.*

36 *Papæ nomen solus Romanus Pontifex retinuit.*



Voniam, Lutherani, &
1 Sacramentarij, alijque huius temporis pestiferi Hæretici, Papam, Pontificem Maximum in ordinem cogere, ac primatu expellere impijs conuicijs, mendacijs, cauillationibus, argumentis fallacibus, dicterijs sacrilegijs, & mille nocendi artibus, persæpe tentarunt, in diesque idipsum conari, & perpetrare non desinunt: sentientes nimirùm Petri gladium suis ceruicibus imminere: operæpretium me facturum putaui, si pauca, quæ hanc hæresim euidentissimè confutant, breuiter à me, strictimque dicantur, in eorum præcipuè gratiam, qui præter Bartholum, & Baldum nihil ferè legere solent: ne si casu in libros, aut Hæreticorum colloquia inciderint, turbari eos, aut hæsitare contingat.

Constanter igitur asserimus, & cum
2 Catholica Ecclesia confitemur, omnes Pontifices Max. rectè iustèque electos, Christi Vicarios esse sub Cœlo, & legitimos Petri Apostolorum Principis successores, eosque habere summam in Ecclesia Catholica potestatem, quibus obtemperare in his, quæ ad fidem, & religionem pertinent, & in spiritualibus obedire tenemur, si modo ad ouile Christi pertinere voluerimus, quæ veritas literis sacris, Conciliorum Canonibus, Patrum decretis, sanctorum Doctorum sententijs, & vnanimi orthodoxorum omnium, quotquot vnquam fuerunt, consensu, & Ecclesiæ vniuersalis traditionibus approbata, peruagata, tradita, & consecrata est, cap. omnes, 22. distinct.

In primis ergo primatus Petri à nobis
3 asserendus est, quia ille fuit, vt verè dixit Eusebius primus Christi Vicarius, & Christianorum Pontifex. Ex pluribus autem locis euangelicæ historiæ primatus Petri ostenditur manifestè. Primò, ex Euangelio Matthæi, vbi Iesus dixit Petro: [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam: & tibi dabo claues Regni Cœlorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.] Deindè, ex verbis illis à Ioanne relatis eadẽ veritas comprobatur, quibus Redemptor Mundi eidem Petro dixit: Pasce agnos meos, pasce oues meas: ego oraui pro te, ne deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Alij quoque Euangelistæ cæteris Apostolis Petrum præferre solent, ac multis prærogatiuis eum Prælatum esse ostendunt. Sic à generalitate aliorum honoris gratia eximitur: sic pro eo census soluitur, sic ipse tamquam os Apostolorum sæpè Domino nostro solus respondit: sic Iesus eius nomen mutauit: sic solus Petrus ad Christum super aquas venit, & misit se in mare: alij autem Discipuli nauigio venerunt: sic alijs mandatur, vt laxent retia sua, & soli Petro dicitur, [Duc in altum.] Matth. 16. Ioann. vlt.

Prætereà, Petrus ante alios Apostolos
4 fraternæ correctionis modum diligenter quæsiuit: & alibi ad Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem, ipse solus Iesum interrogauit, dicens: [Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?] & imminente passionis tempore, soli Petro dixit Iesus: [Non potuisti vna hora vigilare mecum?] volens ostendere, Petrum præ cæteris ex commisso sibi officio vigilare debuisse. Et cum multi Discipulorum abijssent retrò, & Iesus dixisset Apostolis; [Nunquid & vos vultis abire?] respondit ei Simon Petrus: [Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus: & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.] Item Petrus amputauit Malchi auriculam, & vt inquit beatus Gregorius, Ipse tollit gladio spirituali aurem interiorem malè intelligentis. Postremò, Iesus dixit Petro: [Sequere me,] quod non modo intellexit de genere martyrij, sed de ordine magisterij, vt ait Theophilus, & alij exponunt: [Sequere me,] scilicet, gerendo vices meas, & in officio pastorali, & in martyrio. Quæ omnia ex ipsismet euangelijs Petri primatum non obscurè ostendunt.

In actis quoque Apostolorum plus
5 eminentiæ datum est Petro, quàm cæteris omnibus, neque vllus fuit Apostolus, qui præsentibus reliquis tanta fecerit, quanta Petrus. Ille enim primatus officia exercuit in electione Mathiæ, & in concilio Apostolorum. Idem ipse in die Pentecostes, omnes Apostolos defendit: ipse locutus est in concilio repletus Spiritu sancto. Ananiam quoque & Saphiram solus Petrus sententia mortis damnauit: Simonem illum Magum ipse confudit, & quàm plurimos Iudæorum ad Christi fidem conuertit, multisque miraculis præ alijs omnibus claruit. Sed & Paulus ille diuinissimus Petri primatum agnouit, ascendens Hierosolymam, vt cum eo conferret Euangelium. Denique Petrus in fide ardentiorem se omnibus præstitit. Quas ob causas vniuersi sapientes Christiani Orbis semper & vbique Petrum Apostolorum Principem, & Christi Vicarium vno ore confessi sunt.

Quod autem omnes Summi Pontifi-
6 ces Petro successerint in Apostolica Sede

cum

cum eadem auctoritate, & æquali potestate super vniuersum Orbem, non solum perspicuum est fundatissima Ecclesiæ Catholicæ traditione, sed vnanimi etiam Christianorum omnium sententia receptum, & probatum est. Hoc sanè multi gloriosi Martyres, atque Pontifices scriptis suis subindè testantur: hoc omnia iusta concilia fatentur: hoc omnes sanctissimi, & sapientissimi viri asserunt: hoc denique omnes Christi oues ab exordio nascentis Ecclesiæ semper cognouerunt. Cæterùm vt cursim quosdam commemorem, qui scriptis suis hanc veritatem asserunt: quos mihi videre contigit, hi verè sunt: Clemens, Anacletus, Sixtus, Iulius, Anicius, Eleutherius, Zepherinus, Anterus, Fabianus, Marcellus, Melchiades, & Cyprianus, Martyres, Pontificesque sanctissimi: item Polycarpus, Irenæus, Athanasius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Optatus, Cyrillus, Socrates, Anselmus, Bernardus, Thomas, & innumerabiles alij. Hoc idem in omnibus sacris Synodis, generalibus, Sacerdotalibus, & Prouincialibus sæpissimè confessi sunt Patres: hoc tandem antipodas ipsos, & eos omnes, qui in Prouincijs, Insulisque remotissimis sub Hispanorum ditione viuunt, hodie tenere, ac profiteri scimus. Hieronymus in epist. ad Damasum, & in epist. ad Theophilum, Chrysostom. epist.1. ad Innocent. August. contra Donatistas epist.162.& epist.165. Cyprianus epistola 11. & epist.13.lib.3. Gratianus in Patrum decretis distinct.17. cum seq. Athalaricus apud Cassiodorum lib. 8. variarum. Thomas contra errores Græcorum opusc.1. Turrecremata lib.2.de Ecclesia cap.48.cum seq. Armacanus lib. 7. de erroribus Armenorum. Aluarus Pelagius lib.1.de Planctu Ecclesiæ arch.60. Pomponius Letus in vita Galli. Alciatus in epist.inter claras, C. de Summa Trinit. Lindanus lib. 4. Panopliæ Euangelicæ, cap. 82. & deinceps. Canus lib.6. de locis theologicis cap.3. & vltimo. Cornelius Iansenius in concordiam euangelicam cap.66.

Et quamuis argumenta humana debiliora sint, quàm vt in rebus fidei summa
7 ope eis niti oporteat, quia tamen ingenia nostra solidis rationibus plurimùm delectantur: aliquas vrgentissimas, & vt Plato dicebat in Gorgia, ferreas, adamantinasque breuiter iam addere placuit, quarum prima sumitur à similitudine militantis Ecclesiæ ad triumphantem: illa enim ad exemplar huius effigiata est. Quemadmodum igitur in Ecclesia cœlitum vnus Deus hierarchiæ cœlesti præest, vbi ipse est omnia in omnibus; sic in Ecclesia militante necessarius est Summus Pontifex, qui in omnibus Ecclesiasticis ordinibus præsit. Hac similitudine vtitur Apostolus in epistola ad Hebræos: hac sacer Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia: Hac Bonifacius XII. in epistola ad Eulalium: vbi eleganter ostendit, per diuinam sapientiam optimè constitutum esse, vt minora maioribus subdantur, & omnes Episcopi Papæ obediant. Eadem vtitur Diuus Gregorius & post eum Bernardus lib. 3. de considera-

tione ad Eugenium: hac tandem vsi sunt Patres in Concilio Romano sub Iulio XI. ad Hebræos 8. Ioann.Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap.1. cum seq.

Deinde, à synagoga ad Ecclesiam, sicuti à figura ad veritatem, efficax argu-
8 mentum est, dicente Apostolo; Omnia in figura contigebant illis, & ait alibi: Lex vmbram habet futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Sicut ergo synagogæ Iudæorum præfuit vnus, qui Princeps sacerdotum dicebatur, cui qui non obtemperabat (vt in Deuteronomio legitur) morte dignus erat; sic & in Ecclesia Christi, quæ longè melior & perfectior est, quàm Iudæorum synagoga fuerit, Pontifex Summus venerandus, & suspiciendus est. Quanti autem fuerit Pontificatus, Rex Agrippa testatur in ea epistola, quam ad Caium Imperatorem scipsit; Equidem, inquit, Iudæus natus sum, natale solùm mihi sunt Hierosolyma, auos, proauosque Reges habui, & ex his etiam aliquot Summos Pontifices: quàm illi dignitatem pluris faciebant, quam regiam, rati quanto Deus antestat homini, tanto Pontificatum Regno excellentiorem, ad huius pertinere. Hæc apud Philonem libro de legatione ad Caium 1. Corint.10. ad Hebræos 10. Deuter. 17. Echius lib. 2. de Primatu Petri capit.27.Albertus Pighius lib.2.hierarch. Ecclesiast. cap.3.

9 Ad hæc, regimen Monarchiæ omnium aliorum est optimum: iuxta quod lib. 2. Iliados Homerus cecinit:

Non bona multorum ditio: Rex imperet vnus.

Et Darius apud Herodotum in Thalia inquit: Vnius viri qui optimus sit, Imperio nihil esse melius: additque Monarchiam esse omnium præstantissimum. Et Plato libro ciuili ait: Vnius dominatio bonis coniuncta legibus sola omnium rectissima est. Et Isocrates in Symmachico: Si & ingenia hominum, & actiones intueamur, vniuersi Monarchias præstare cæteris fateantur. Et ciuis meus Lucanus:

Nulla fides Regni socijs, omnisque potestas,
Impatiens consortis erit:

Et Seneca item Cordubensis in Agamemnone:

Nec Regna socium ferre, nec tedæ sciunt:

Et Quintus Curtius: Imperium, quod sub vno stare potest, dum à pluribus sustinetur, ruit, & Origenes homilia nona in Ezechielem: Principium malorum omnium est multitudo, & diuisio: Principium verò bonorum vnitas, & à turbis, à multitudine in vnitatem redactio. Et Cyprianus tractatu de idolorum vanitate: Quando vnquam Regni societas, aut cum fide cœpit, aut sine cruore desijt? Ad summam, post Aristotelem in libris Ethicorum, hæc

Mm est

est omnium, qui rectè philosophantur, concors, vnanimisque sententia 8. Eth. cap. 10. Stobæus sermone 47. Tiraquel. de iure primogeniorum quæst. 4. & quæ ipse collegi lib. 3. de repub. cap. 2. & 3.

Cum autem opera Dei perfectissima sint, vt in Deuteronomio traditur, quis credet illum Ecclesiæ suæ dilectissimæ regi-
10 men aliud reliquisse, quam optimum? quod & ipse per Esaiam haud obscurè significasse videtur, dicens; Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? Accedit Ezechielis vaticinium: Pastor vnus erit omnium. Et iterum: Suscitabo super eos Pastorem vnum. Et illud idem Oseæ: Congregabantur filij Iuda, & filij Israel pariter & ponet sibi caput vnum. Deuteron. 32. Esaiæ 4. Ezechielis 37. & 34. Oseæ cap. 1. Gregorius ad Episcopos Galliæ. Leo IX. aduersùs præsumptiones Michaelis Bernar. lib. 3. de consideratione ad Eugenium, Thom. lib. 1. de regimine principum cap. 2. & 5. Tiraquel. de iure primogeniorum, quæst. 4 num. 23.

Accedit eodem, quòd Ecclesia Ca-
11 tholica, quæ maximam vnitatem habet, nullo modo consistere posset sine vno supremo capite, cum quo in terris communicaret: perindè atque alia omnia corpora naturalia, & mystica. Etenim omnis multitudo, vt subsistere possit, ordinari debet per vnum aliquod principatum obtinens: neque Regnum sine Rege, neque exercitus sine Duce, neque ciuitas sine præside, diù permanere possunt: quod non tantùm recta ratio, & rerum experientia docet: sed naturæ quoque, ordo id ipsum euidenter ostendit. Planetæ inferiores subsunt superioribus: & animalia, brutaque Ducem sequuntur; auis item vna cunctas ducit: apes in ministerio Regi obediunt: in corporibus quoque animantium, caput cætera tuentur, & venerantur membra: & in partibus animæ rationi appetitus subijcitur; quod si ab eo desciscat, in præceps non solùm animam, sed corpus trahit: denique sine ordine, nec respublica gubernari, nec natura constare, nec vlla ratio in hominum mentibus esse potest. Vnde cognoscere facilè licet, quales nouitij hæretici sint, qui omnem Ecclesiæ ordinem è medio tollunt, & Hierarchiam Ecclesiasticam peruertunt, & acephalos nos esse volunt. Basilius de præceptis religiosorum. Seneca lib. 1. de clementia. Cyprianus tractatu de simplicitate Prælatorum. Chrysostom. in epist. ad Roman. sermone 23. & in epistola ad Hæbreos homilia vltima. Nazianzen. sermone, de moderandis disputationibus. Hieronymus ad Rusticum Monachum. capit. in apibus 7. quæst. 1. Albertus Pighius, libro 2. de hierarch. Ecclesiastic. cap. 2. Confessio Polonica de fide, & symbolo cap. 26.

Ad hæc, rerum contingentium difficultas atque perplexitas Principem vnum in Ecclesia desiderant: nam quoties de fide, aut religione, aut intelligentia sacræ Scripturæ quæstiones, & contentiones emergunt, necesse est, vt supremus aliquis iudex adeatur, cuius ineuitabile sit iudicium; qui possit Ecclesiasticas lites, inter ipsos etiam Episcopos ortas, componere, & contuma-
12 ces punire: alioqui nec vnam fidem haberemus omnes, nec foret vnquam vllus controuersiarum finis: sed schismata, & hæreses vniuersam Ecclesiam conturbarent: essetque deformior, & fœdior Christianæ reipublicæ facies, quàm alterius cuiuslibet sectæ, religionis, aut superstitionis. Accedit Cyprianus pluribus epistolis dicens: Vnde schismata, & hæreses obortæ sunt, & oriuntur, nisi dum Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ preæst, superba quorundam præsumptione contemnitur? & Hieronymus aduersùs Luciferianos: Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet; cui si non exors quædam, & omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes: quæ omnia hodie rebus ipsis in hæreticorum conciliabulis experimur. Cyprianus epistola 3. lib. 1. & epistola 9. lib. 4. Ambros. Cathar. in secunda claue scripturarum propè finem. Bartholomæus Latomus aduersùs Bucerum post dimidium controuersiæ de auctoritate Ecclesiæ.

Deindè verba illa omnia, quibus Iesus promisit Petro claues Regni Cœlorum, &
13 illi dedit iurisdictionem summam ligandi, atque soluendi: & illa item quibus Petro commisit omnes oues suas, & constituit eum Summum Ecclesiæ Pastorem: & illa denique verba, quibus priuilegium illud prorsùs diuinum impetrauit Petro, ne scilicèt fides eius vnquam deficere posset: ea inquam omnia credenda sunt Petro dicta, non quasi piscatori, aut homini priuato post paucos annos morituro: sed potiùs tanquam Apostolorum Principi, & Ecclesiæ Catholicæ antistiti maximo: ac proindè cum vita Petri extincta non fuerunt, sed ad omnes eiusdem dignitatis legitimos successores eodem iure diuino transierunt. Ea etenim quę dignitati conceduntur, non pereunt morte regentis, aut habentis illam, sed ad omnes successores eiusdem dignitatis transeunt, cap. quoniam Abbas, de offic. delegat. l. mortuo l. proponebatur de iudicijs.

Quæ veritas comprobatur, quia Chri-
14 stus Ecclesiam suam constituit, & ordinauit, vt esset in seculum seculi duratura, iuxta diuinum illud Esaiæ vaticinium: Super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia: amodo & vsque in sempiternum. Accedit veritas ipsa per Matthæum dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi: sed Christus ædificauit Ecclesiam suam super Petrum: consequens ergo fuit, vt eo mortuo, alius post alium cum eadem Petri potestate semper substituetur: sicuti & in veteri lege semper fuit aliquis Summus sacerdos: nec minùs diligit nunc Ecclesiam suam Christus, quàm tempore Petri dilexerit. Adde, quod longissimè distaret à diuina sapientia, talem Primatum Ecclesiæ suæ relinquere, qui in ipso statim exordio periret, & cum primo Pontifice extingueretur. Postremò, eadem

ratio;

ratio; qua Petrus factus fuit Princeps Ecclesiæ, durat in successoribus eius: quin immò, longè magis necessarius fuisse videtur post Petrum Primatus ille, quàm Petri tempore: tum quia in ipso initio religionis Christianæ, per alios Apostolos, atque discipulos potuisset Ecclesiæ melius consuli, quàm illis defunctis: tum etiam quia postea maior, diffusiorque facta fuit Ecclesia, & plures subortæ sunt hæreses, maiorque schismatum superuenit occasio. Quid multa? cui hæc non sufficient, plura nihil proderunt. Esaiæ 9. Matt. vlt. Turrecremata lib. 1. de Ecclesia cap. 28.

Lutherani tamen contra rerum naturam, contra sacras literas, contra Ecclesiam Catholicam, contra Synodos
15 omnes, contra vnanimem consensum Patrum, denique contra veritatem clarissimam, Sedis Apostolicæ, atque Pontificis Maximi auctoritatem, & potestatem ore sacrilego negant: nosque acephalos, id est sine capite, sine ordine, sine vinculo, & vnitate, in schismate, ac plusquam Babylonica confusione perpetuo esse volunt. Nam vt Gregorius Nazianzenus quadam oratione scribit: Sine capite, nullus ordo sine ordine, nulla multitudo subsistit: vbi autem ordo non est, quid aliud quàm confusio esse potest? Etenim, vt Apostolus ait quæ sunt à Deo ordinata sunt, & alibi inquit; Omnia secundum ordinem fiant in vobis. Et in Canticis canticorum, Ecclesia dicitur esse terribilis, vt castrorum acies ordinata. E contrario autem, in inferno nullus est ordo: cui similis est Lutheranorum Ecclesia, in qua nullus est ordo, sed sempiterna confusio, quibus illud euenit, quod libro Iudicum legitur: in illis diebus non erat Rex in Israel, sed vnusquisque, quod sibi videbatur bonum, hoc faciebat. Nazianz. orat. 21. ad Roman. 13. Cantic. 6. Iudicum 17. & cap. vltim. Augustin. lib. 1. de libero arbitrio cap. 6. & lib. 2. de ordine.

Sed aiunt hæretici, multos Pontifices Summos malos viros fuisse, ac proin-
16 dè illis parendum non esse: quibus veritas per Matth. respondet: Super Cathedram Moysi sederunt scribæ, & pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate, & facite, secundum opera verò eorum nolite facere. Nec enim dignitas officij damnanda est propter hominum peccata: quod olim prudenter admodum Catonem dixisse, Plutarchus est auctor: nam cum Publius Clodius accusaretur à Cicerone, & Cicero diceret à Clodio in tribunatu gesta irrita esse oportere, non placuit id Catoni, sed assurgens dixit: Si tribunatu quemadmodum cæteri multi abusus est Clodius, ipsum corrigere oportere, qui deliquerit, non verò potestatem tribuniciam dissoluere. Et vt beatus Augustinus inquit: verissimum est, non res ipsas, sed homines, qui eis male vtuntur, esse culpandos: quod & Fabius eleganter disserit, & Hieronymus ad Rusticum Monachum scribit: In omni conditione, & gradu optimis mixta sunt pessima. Fuerunt inter sanctos angelos dæmones: inter prophetas Balaam: inter Apostolos Iudas; inter Diaconos Nicolaus: denique inter optimos pessimi. Matth. 23. Plutar. in Catone Vticensi. August. lib. 1. de libero arbitrio cap. 15. Fabius lib. 2. institutio oratoria cap. 17. Reginaldus libro 2. ad Henricum Octauum Regem Angliæ, confessio Polonica de fide & symbolo cap. 29.

17 Adde quod plurimi iam olim fuerunt sanctissimi, doctissimi, & sapientissimi Pontifices Maximi, qui glorioso martyrio consummati sunt: quorum vitam, & mortem Omnipotens Deus plurimis, maximisque miraculis illustrauit: qui Primatum Ecclesiæ, nec approbassent, nec gessissent, nisi ab ipso Christo illum constitutum, creatum, & comprobatum esse certissimè nossent. Addo etiam Chrysostomi verba, qui quodam loco scribit: cum videris sacerdotem indignum, ne traducas sacerdotium; non enim oporteret damnare res, sed eum, qui re bona malè vtitur; quandòquidem & Iudas proditor fuit: verùm non ob id accusatur ordo Apostolicus, sed illius animus, nec crimen est sacerdotij; sed malum animi: & tu igitur ne sacerdotium vituperes, sed sacerdotem malè re bona vtentem. Etenim si quis tecum disputet, dicatque; Vidisti illum Christianum? Respondeto, at ego non de personis, sed de rebus tibi loquor. Alioqui quot medici facti sunt carnifices, ac venena pro pharmacis dederunt? non tamen artem vitupero, sed malè vtentem arte. Quot nautæ male rexerunt nauigia? verùm non ars nauigandi mala est, sed illorum animus. Si Christianus fuerit improbus, nec incuses professionem, ac sacerdotium, sed re bona vtentem malè. Hæc ille, & alia in eodem loco plurima. Ex quibus omnibus, multisque alijs perspicuum est, istam perditorum hominum opinationem, non tam hæresim, quàm phrenesim esse. In Summa, Pontifex Maximus ab omnibus venerandus & in terris Christi Vicarius credendus, & asserendus est, hoc visum est Diuinitùs, hoc à beatis maioribus traditum: hoc perturbare velle, atque peruertere (sicuti quodam loco beatus Augustinus inquit) nihil est aliud, quàm ad veram religionem sacrilegam viam quærere. Ad summam, vt noster Prudentius in Hipppolyto cecinit:

Vna fides vigeat, prisco quæ condita templo est,
Quam Paulus retinet, quamque Cathedra Petri.

Chrysostomus de verbis Esaiæ, vidi Dominum homilia 4. & in epistola ad col. homil. 3. in fine, & in epist. 2. ad Timoth. hom. 2. col. 4. cum seq. & serm. de virtutibus & vitijs col. pen. August. lib. de vtilitate credendi cap. 10.

Cæterùm, quia de successione Pontificum nihil ferè iure diuino cautum inue-
18 nitur, sciendum est, omnes antistites maximos solemni electione successisse, nonnullos etiam à suis prædecessoribus nominatos, ac designatos fuisse, quod in exordio Catholicæ Ecclesiæ interdùm factum

fuisse traditur: quia Christiani tunc non habebant liberam eligendi facultatem, propter tyrannorum persecutiones: quam ob causam auctoritas Summa Pontificum eisdem temporibus cognita cunctis non erat; quia impedita, & suppressa fuit gentilium & hæreticorum tyrannide. Ipse autem Petrus Clementem sibi successorem elegit, dicens: Sicut mihi gubernandi tradita est à Domino meo Iesu Christo potestas ligandi, soluendique: ita & ego tibi committo, vt ordines dispositores causarum diuersarum. Cuius rei Clemens ipse, Alexander Primus, Ioannes Tertius, Ægesippus, Nicephorus, alijque multi auctores sunt. Et Hadrianus Primus Concilio Græcorum scribens ait, Petrum Diuino iussu auctoritatem potestatis, & pastoralem curam successoribus sui reliquisse. Clemens epist. 1. ad Iacobum Fratrem Domini. Alexander epist. ad omnes orthodoxos. Ioannes epist. decretali ad vniuersos Episcopos Germaniæ, & Galliæ, Nicephorus lib. 2. histor. Ecclesiasticę cap. 25. cap. si Petrus 8. quæst. 2. cum seq. Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 35. cum seq. & iterùm cap. 51. Platina de vitis Pontificum.

19 Quamvis autem Petrus nihil de successore prouidisset, aut hodie Cardinales omnes bello, peste, aut alio casu simul perirent, Ecclesia tamen non posset Pontificem Summum eligere. Quia cùm hæc dignitas à Christo creata sit, vt perpetuò duret in Ecclesia, consequens etiam est, vt Ecclesia semper ius habeat eligendi, alioqui fieri posset, vt perpetuò vacaret Sedes Apostolica, & conditio Ecclesiæ deterior esset, quàm cuiusuis alterius Reipublicæ. Quòd si talis casus eueniret, tunc ius eligendi Papam ad solos Episcopos pertineret: quia illi sunt Pastores, quibus post Antistitem maximum tota rerum Ecclesiasticarum administratio iure Diuino cōcessa est, quippè qui successerunt in locum Apostolorum. Sed hæc electio multis Ecclesiasticis Constitutionibus iàm pridem Cardinalibus commissa est, à quibus Pontifices Summi, non interrupta serie temporum, vsque ad præsens certa successione electi sunt, cap. in nouo distinct. 21. cap. vlt. distinct. 68. cap. In nomine distinct. 23. cap. licèt, de electio, cap. vbi periculum eod. tit. lib. 6. & in Clementina Ne Romani, de elect. Thomas Vvaldensis in doctrinal. to. 1. lib. 2. cap. 39. Driedo libro 1. de libertate Christiana cap. 2.

Hæc autem sententia memoratu digna est, fidem, ac definitionem Sedis Apo-
20 stolicæ, principium esse certissimum indubiæ veritatis eorum, quæ certa fide tenenda, credendaque nobis sunt: nec enim dissensit vmquam à sententia Catholicæ Ecclesiæ: sed cùm sacris literis, & Apostolicis, Ecclesiasticisque traditionibus semper ei conuenisse compertissimum. Quam veritatem plurimi sanctissimi, & sapientissimi Viri docent, & comprobant: asserentes, Cathedram Apostolicam ab ipso Deo Christo tali priuilegio in persona Petri donatam fuisse, vt sicuti numquam errauit hactenùs, sic etiam in finem vsque seculi, fidem eius numquam defecturam esse credamus. Hoc scriptis suis testantur Antistites multi sanctitate, doctrina, & antiquitate venerandi: Lucius, Sixtus, Felix, Marcus, Eusebius, Euaristus, Alexander, Iulius I. Bonifacius II. Agatho, & Leones duo, I. & IX. quorum verba scienter omittimus, vt breuitati consulamus, vno tantùm, aut altero testimonio contenti. Leo ille maximus inquit: [Venerabilis, & efficax oratio Christi obtinuit, quòd hactenùs fides Petri non defecit, neque defectura credatur in throno illius in seculum seculi:] sed confirmabit corda fratrum, sicut hucusque confirmare non cessauit. Et Leo Nonus contra Michaelem hæc verba scripta reliquit: [Nonnè à Sede Principis Apostolorum, tàm per eumdem Petrum, quàm per successores suos reprobata, conuicta, atque expugnata sunt omnium Hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ nec defecit, nec vmquam deficiet, sunt confirmata?

Comprobant eamdem sententiam multarum Synodorum, & sanctorum Pa-
21 trum testimonia complura. Hoc enim docuit Alexandrina Synodus sub Athanasio, & Ecclesia Carthaginensis temporibus Bonifacij XI. & Concilium Alexandrinum in epistola Synodali ad Felicem, & magna Synodus Chalcedonensis; & sexta Synodus generalis, & item octaua: hoc etiam confessi sunt omnes Episcopi Tarraconenses antè mille annos: & vniuersi Episcopi Numidiæ antè mille ducentos: quod & Irenæus, Cyprianus, Athanasius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & cæteri omnes consentiunt. Sed vnius diuinissimi Bernardi verba præterire non potui, qui ad Innocentium scribens, inquit: [Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ in fide contingunt: dignum namque arbitror, ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum: hæc quippè est huius Sedis prærogatiua.

22 Hæc eadem sententia satis apertè probatur illis Christi verbis: [Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Et item ex illis, [Pasce oues meas,] & [Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt;] & ex illis, [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Quæ verba non tantùm de Petro, & pro ipso Petro dicta sunt, sed etiam pro Summis Pontificibus legitimis Petri successoribus, quorum fides in officio illo Pastorali non deficit, nec deficiet vmquam: [& portæ inferi,] hoc est, hæresis, infidelitas, & erronea fides, non præualebunt aduersùs hoc fundamentum Ecclesiæ. Adde, quod si verum est, sicuti est, quod Sacerdoti legali concessum erat in veteri Synagoga, priuilegium hoc, vt in rebus fidei, ac religionis indicaret semper iudicij veritatem, vt in Deuteronomio continetur, multò

multò magis credendum est, concessum idipsum fuisse Pontifici Summo, qui præest Apostolicæ Cathedræ, quam elegit Dominus, Luc.22. Ioau.21.& 17. Matth.16. & Deuteron.17.

Hanc veritatem Catholicæ Ecclesiæ traditiones, sacrisque literis fulcitam, ra-
23 tiones quoque multæ viuæ, atque spirantes comprobant. Nàm omnis de fide quæstio ad Summum Pontificem referenda, & iudicio eius terminanda est: quòd si in Diuino illo priuilegio munitus non esset, profectò malè consultum foret Ecclesiæ in tantis errorum, hæresumque procellis. Si Papa vt vnus nostrum permitteretur errare: quorsùm quæstiones fidei iudicio eius erant committendæ? Quomodò potest cæteros fratres confirmare, qui æquè labi potest, vt illi labuntur? Multa prætereà ex opinatione contraria consequerentur absurda: quippè nullus teneretur definitioni Summi Pontificis in rebus fidei credere: nec Ecclesia facilè suum finem attingere posset, inexplicabilibus tenebris, & hæresibus confusa, & inuoluta, plurima suborirentur schismata; nec haberemus omnes vnam fidem: nec vllus esset hæresum finis; Sed longè melius res habet: Christus enim constituit, & ordinauit, vt fides Apostolicæ Sedis numquam deficeret: sed semper præfulgeret Ecclesiæ: vt facilè possent hæreses omnes extirpari: quod & rebus ipsis, & subsecutis effectibus perspicuum factum est. Accedit eodem, quod hanc Diuinam constitutionem nihil hactenùs dissoluere potuit: non schismata, non hæreses, non mors, aut vincula, non odium, non amor, non timor, non corruptissimi mores: nihil horum, inquam, efficere potuit, vt Sedes Apostolica deficeret, aut quippiam definiret Hæreticum. Quæ cum ita sint: quis vsque eo desipiat, vt iudicium Dei non agnoscat? Numquid non dicere possumus, verè digitus Dei est hic? cap. Quoties 24. qu.1. cap. Maiores, de Bapt. cap. Cuncta 9. quæst.3. cap. A recta 24. quæst.1. cum seq. Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 109. cum seq. Albert. Pighius libro 4. hierarch. Ecclesiast. Hosius libro 2. aduersùs Brentium.

Nec tantùm in controuersijs fidei Papa summus Iudex est, verùm etiam in rebus
24 Ecclesiasticis, & spiritualibus ipse summus Princeps est, ad quem omnes Christi oues in his causis confugere, atque appellare possunt. Eius curæ, atque regimini Christus Deus noster subiecit Fideles vniuersos, quandò suas oues illi pascendas commisit. Hunc omnes Reges, & Principes venerari, & adorare tenentur, iuxtà vaticinium illud Esaiæ: [Reges eorum ministrabunt tibi.] Et mox: [Gens, & Regnum, quod non seruierit tibi, peribit.] Ab eodem Summo Pontifice incœpit iustum Romanor. Imperium, quod Leo III. transtulit à Græcis ad Germanos. Imperij quoque electores instituit Gregorius V. Item ab eodem Antistite maximo confirmatur electus, inungitur, consecratur, & coronatur, & eidem Pontifici solemniter Imperator iurat. Prætereà Pontifices Maximi Imperatores etiam ipsos condemnare, & exaugurare possunt. Sic Innocent. IV. Federicum II. damnauit. Gregorius VII. Henricum IV. abiecit. Innocentius III. Philippum eiecit, & confirmauit Othonē: quod & Clemens VI. fecit, repudians Ludouicum Bauarum, & in eius locum Carolum IV. confirmans, cap. Si quis vestrum 2. quæst.6. cum seq. Esaiæ cap.60. cap. Venerabilem, de elect. cap. Tibi domino dist.63. Clementina 1. de iure iuran.. Thom. lib. 3. de regimine Principum cap. 10. & 19. & Platina de vitis Pontificum.

Quamvis autem Ecclesiastica potestas distincta sit à seculari, & Papa iurisdictionem ciuilem non habeat in secularium
25 Principum Regna, nihilominus tamen in ordine ad finem spiritualem habet Pontifex Maximus amplissimam potestatem in omnes Principes Orthodoxos. Vnde si Princeps aliquis inutilis esset, aut iniquas leges contra religionem, aut contra bonos mores conderet, aut quippiam simile faceret in detrimentum rerum spiritualium, posset Papa, seruatis iustis circumstantijs, congruum remedium adhibere: priuando etiā talem Principem administratione, & iurisdictione, si id res ipsa expostularet. Quod Zacharias Pontifex aduersùs Childericum Francorum Regem fecisse traditur; & Innocentius IV. aduersùs quemdam Portugalliæ Regem. Quæ omnia nisi Summus Pontifex posset, manca procul dubio eius potestas esset: nec satis perfectè Christus prouidisset Ecclesiæ. Cęterùm, cùm respublica spiritualis perfecta sit, & sibi sufficiens, vt seipsam indemnem seruet: potest ea omnia facere, quæ necessaria fuerint ad suum finem consequendum, exercendo etiā iurisdictionem in eos, qui in rebus temporalibus alioqui sibi subiecti non essent: quod quidem iure naturali cuicumque Principi facere contra aliorum rempubl. licet, cap. Cùm ad verum, cap. Duo sunt, dist. 96. cap. Si duobus, §. vlt. de appellat. cap. Grandi, de suppl. neglig. Prælatorum, cap. Alius, distinct.15. quæst.6. Turrecremata libro 2. de Ecclesia cap. 113. cum seqq.

Accedit eodem, quod finis temporalis potestatis pendet quodammodò à fine potestatis spiritalis: fœlicitas enim huma-
26 na, quæ secularis potestatis finis vltimus est, vtpotè imperfecta, in beatitudinem supernaturalem ordinatur, tamquam in sui perfectionem, & summum omnium bonum: ergo si temporalis potestas ab illo fine deuians, rebus spiritualibus obstat, meritò à summo rerum spiritualium Principe moneri, ordinari, & coerceri iure Diuino, & naturali potest. Prætereà, cùm Christus ipse omnes oues suas Pontifici Maximo regendas commiserit, addita potestate plenissima ligandi, atque soluendi: consequens etiam est, vt omnia illi concessa esse intelligamus, quæ necessaria sunt ad id munus perfectè gerendum. Poterit igitur omnes Christianos ad concordiam, & vnitatem cogere: delinquentes punire: excessus

ſus corrigere; officio inutiles amouere: lites componere: controuerſias definire; denique omnia Eccleſiæ neceſſaria ordinare, regere, & conſtituere, l.2. de iuriſdict. omn. Iud. cap. Præterea, de officio deleg. leg. vlt. de officio eius, leg. 1. Si quis iuriſd. non obtemper. vide Abulen. Numeror. 15. qu. 48. omnes Theologos in lib. 4. ſentent. diſt. 18. Albertum Pighium lib. 5. hierarch. Eccleſiaſt. Hermam lib. 7. de inſtauranda religio. Martinum Ayalam lib. de Diuinis, & Eccleſiaſticis traditionibus par. 3. tit. de Epiſcopali poteſtate.

27 Et quia impius Lutherus, quoſdam alios ſecutus Hæreticos, Eccleſiarum, & Pontificum bona diripienda eſſe docebat, id ſcilicet moliens, vt auctoritas, atque poteſtas Eccleſiaſtica vileſceret, atque periret: (nàm ſpiritualia ſine temporalibus vix ſuſtentari poſſunt) non fuerit alienum pauca, quæ hanc inſaniſſimam hæreſim deſtruant, breuiter hoc loco perſtringere. Ac primùm quidem Hæretici cùm Laurentio Valla ſuadere nituntur, Magnum Conſtantinum Eccleſiæ Romanæ nullam feciſſe donationem: ſed quæ nunc poſſidet bona, iniuſtè ab Eccleſia, & Summis Pontificibus occupata fuiſſe; quod quidem eſt à ratione, & veritate longè aduerſum: ſatis enim conſtat, non modò Magnum illum Conſtantinum, ſed etiam Aribertum, & Luithprandum, Longobardorum Reges, Pipinum quòque, & Carolum Magnum, alios item complures, multis, magniſque donationibus Eccleſiam Romanam iàm olim locupletaſſe, capit. Ego Ludouicus diſt. 63. cap. Futuram diſtinct. 12. quæſt. 1. leg. Diui, C. de natura liberis, cap. Conſtantinus diſtinct. 96. cap. Fundamenta, de elect. lib. 6. Gratianus 12. qu. 1. Nicephor. libro 8. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 54. Paulus Diaconus lib. 6. de geſtis Longobardorum cap. 10. & cap. 13. Albertus Pighius lib. 5. Eccleſiaſt. hierarch. cap. vlt. Alphonſus Caſtren. lib. 6. aduersùs hæreſes tit. de Eccleſia, hæreſi 4. Alciatus lib. 7. parer. iuriſdict. cap. 19. Couuarru. lib. 4. reſolution. cap. 16. & Eugubinus duobus libris contra Vallam.

Habet itaque Romana Eccleſia ſub Antiſtitum ſacra ditione, magnum, iu-
28 ſtumque Principatum: non ſolùm iuſtis quæſitum titulis, ſed etiam Diuina prouidentia ordinatum. Æterna quippè Dei ſapientia, humani ingenij, morumque noſtrorum conſcia, ſanè intelligens, carnalibus hominibus (vt eſt pars maxima Eccleſiæ) non ſatis reuerendam, & venerabilem fore ſacroſanctam Pontificum auctoritatem, à qua regi voluit vniuerſalem Eccleſiam, ſi abiecta lateret in paupertatis ſordibus, externarum rerum affluentia eam extulit, & ſublimauit: vt omnibus etiam Principibus eſſet venerabilis, nocentibus, & ſceleratis metuenda. Quod & in reliquis Epiſcopis, atque Prælatis neceſſarium eſſe perſpicuum eſt: non enim magis eos, quàm Reges, & Principes, aut ſeculi Milites, paupertatis iugo onerauit Chriſtus: nec minùs in Rectoribus Eccleſiæ, quàm in Magiſtratibus ſecularibus neceſſarius rerum externarum ſplendor, ſi modò veneranda, & meruenda eſſe debet eorum auctoritas. Quam doctrinam tantùm, aut moribus, aut vitæ exemplo, (etſi quiſpiam diui Petri ſanctimoniam haberet) tantam deploratiſſimo hoc ſeculo aſſequi, atque tueri, quanta neceſſaria eſt, nullo ſanè modo poterit. Vt enim lib. 3. de ſummo bono Iſidorus noſter ait: [Plùs venerantur homines in hoc ſeculo pro temporali potentia, quàm pro reuerentia ſanctitatis,] cap. 63. adde Gerſonem tract. de ſtatibus Eccleſiaſticis.

Etenim paupertate vileſcunt, ac penè ludibiro habentur iſti titulo tantum Epi-
29 ſcopi, & Clerici mercenarij: è contrario autem diuites, atque potentes omnibus ſunt venerabiles. Paupertas enim, vt ille ait:

Ridiculos homines facit, & vbique iacere.

Et ſicuti Sapiens in Prouerbijs inquit; Etiam proximo ſuo pauper odioſus eſt. Et iterùm: Fratres hominis pauperis oderunt eum, inſupèr, & amici procul receſſerunt ab eo. Prætereo conſultò plura, quæ in eandem ſententia Ioannes Stobæus, alijque retulerunt. Prou. 14. & 19. Stobæus ſermone 94. Lucas de Pena in l. vlt. C. de his qui num. libero lib. 10. Seneca de vita beata ad Gallionem.

Nihil ex ſe ipſa paupertas habet ma-
30 gna commendatione dignum, nec vituperatione diuitiæ. Abſit ab animis fidelium, vt inquit Ambroſius, tam irreligioſa perſuaſio, vt cuiquam ſanctorum, quibus Deus, & diuitias eſt largitus, & honores, ad veræ humilitatis meritum credatur, vel opulentia offuiſſe, vel dignitas: cum eis ad huius virtutis profectum vtraque profuerint. Quamuis enim tota vita hominis tentatio ſit ſuper terram: & tam abundantia, quàm inopia, materia ſoleant eſſe peccati, cùm vel diues extollitur ad ſuperbiam, vel pauper proſilit ad querelam: extiterunt tamen in omni tempore, & in noſtra quoque ætate non deſunt, ſicut, & boni pauperes, ita & boni diuites. Cui conſonant Hieronymi verba, in epiſtola ad Saluinam: Nec diuiti obſunt opes, ſi eis benè vtatur; nec pauperem egeſtas commendabiliorem facit, ſi inter ſordes, & inopiam peccata non caueat. Ad vtriuſque rei teſtimonium, & Abraham Patriarcha, & quotidiana exempla ſuppeditant: quorum alter in ſummis diuitijs amicus Dei fuit: alij quotidiè in ſceleribus deprehenſis, pœnas legibus ſoluunt. Vide Chryroſt. in epiſt. ad Philipp. ſerm. 2. col. pen. 25.

Adde quod, vt Eccleſiaſticus ait, Vtilior eſt ſapientia cum diuitijs, & magis
31 prodeſt videntibus Solem: ſicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia: cui ſanè obediunt omnia, Et rurſus: Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia. Et Plato lib. 1. de legibus, diuitiæ cæcæ non ſunt, ſed acutè cernunt, ſi pruden-

dentiam sequantur: quod, & in lib. 1. de repub. docet. Et Aristoteles lib. 1. ethic. Fieri non potest, aut non facilè fit, vt is res agat præclaras, cui desunt facultates: quia, vt alius ait:

. . . plurimum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Pindarus quoque asserit, diuitias, si cum sapientia coniunctæ sint, præstantissimas esse. Nec ab his dissentit Horatius inquiens:

Scilicet vxorem cum dote, fidemque, & amicos:
Et genus, & formam regina pecunia donat.

Et alibi ait:

. . Et genus, & virtus nisi cum re, vilior alga est.

Verèque ille censuit, vt apud Plutarchum est, qui primus pecunias, rerum agendarum neruos esse dixit. Et Leo ille magnus sermone quinto de collectis. Diuitiæ, inquit, bonæ sunt, & humanæ societati plurimum prosunt, cum à beneuolis habentur, & largis: nec illas aut luxuriosos prodigit, aut auarus abstrudit. Denique, Redemptio animæ viri diuitiæ eius: quoniam qui pauperi donat, redimit animam suam. Improbè igitur malignèque faciunt sacrilegi hæretici, qui Ecclesiarum, & Sacerdotum bona, occupanda, expilanda, rapiendaque esse, contra naturalia, diuinaque iura impudenter, impièque asserere non verentur. Ecclesiastes 7. & 10. & 13. Aristotel. 1. Ethicorum. 8. Prouerb. 13. Plutarc. in Cleomene. Ambrosius lib. 8. in Lucam. Augustin. lib. 50. homiliarum hom. 30. Greg. lib. 10. in Iob. cap. 28. Stobæus serm. 89. cum seq.

Verè quidam rerum non ignarus dixit: vbi est abundantia, ibi est obseruantia rerum sacrarum, cùm pietas, religio, ritusque sacri cùm pompa sacra peraguntur, quæ populus cernens veneretur, & admiretur. Sordida religio cõtemnitur nisi diuites sint Episcopi, & Sacerdotes facilè contemnuntur: quibus contemptis sacramenta ipsa contemnuntur, & religio, ac Deus ipse contemnitur. Quod si aliqui Clerici malè diuitijs vtuntur, culpa illorum erit, & eorum, qui elegerunt illos, cùm longè meliores eligere potuissent: in Germania, & Polonia soli ferè Antistites diuites supersunt, cæteris ab hæreticis suppressis. Postremò considerandum est, an laici diuites plùs minùsue diuitijs abutantur, quàm Clerici. Vide Eugubinum lib. 1. contra Laurentium Vallam §. 7. cum seq.

Cæterùm, vt à digressione reflectamus ad id, quod erat institutum, quamuis
32 dubiæ quæstiones, quæ in fide Catholica, & Religione Christiana oriuntur, ad Pontificem Max. referendæ sint: inferiores tamen Prælati in Concilijs Prouincialibus eas interdùm definire poterunt: nimirùm, cum erit in mora periculum.

Quod eleganter his verbis Hermas Letmatius ait: Si verò quis aliquod dogma in vulgus sparserit, de quo dubitari possit, hæreticum ne esset, an religioni consentaneum, huius dijudicatio est, summo summæ societatis religiosæ tribunali reseruanda: vt sapientissimæ potestatis difficillima detur quæstio excutienda. Nec enim priùs inferioris dignitatis personis libera de his sententia dabitur, quàm super iam diuulgato dogmate ita suprema potestas pronunciauerit, vt de re iudicata nulla ampliùs supersit ambiguitas. Si tamen illi, quibus harum rerum summa commissa est, seram sint allaturi opem, & periculùm sit, ne ipsum negotium in peius serpat, erit interim inferiori potestati huius suspecti dogmatis discussio permittenda: vt tamen illi, cùm res postularit, superioribus iudicibus eam committant. Hoc propterea cautum, ne dùm superiorum censura spectatur, populo Christiano pestilens doctrina pro sano dogmate diuulgetur, cap. Maiores, de Baptis. cap. Quoties dist. 24. qu. 1. Hermas lib. 2. de instaur. Relig. cap. 9.

33 Adde etiam, quod si ex qualitate, aut multitudine illorum, qui suspecti de hæresi essent, graue scandalum timeretur, non liceret Inquisitoribus aduersùs eos procedere, non consulto Pontifice Summo. Sed Inquisitores Hispaniæ consulere debent in his, alijsque grauioribus causis Inquisitorem generalem, & Senatum, cap. Inquisitores, de Hæreticis lib. 6. & ibi Ioannes Andr. & Philippus Franc. 4. instr. Toletana cap. 21. vide Gonsalum de hæret. prauit. quæst. 7. Alphonsum lib. 1. aduersùs hæreses cap. 8. & lib. 1. de iusta Hæreticor. punit. cap. 3. & deinceps.

34 Illud autem prætereundum non est, quòd si Papa concesserit rescriptum, seu priuilegium aliquod in præiudicium Officij sanctæ Inquisitionis, obtemperandum est illi, sed nõ est executioni mandandum. Debet ergo supplicari ab eiusmodi rescriptis, vt Papa rectiùs informatus à Regio Legato ea reuocet, vel suspendat. Nec enim verisimile est, vt Summus Pastor Ecclesiæ quippiam facere voluerit in detrimentum Catholicæ fidei, & Hæreticorum fauorem, 2. instr. Hispalen. cap. 3. cap. Si quandò, & illic interpretes, de rescript. Hostien. & Io. Andr. in cap. Proposuit, de concess. præbend. Florian. in leg. Sed & loci, §. 1. finium regundo, Ludou. Careu. tract. de Hæreticis num. 99.

35 Postremò, si Papa Hæreticus esset, generale Concilium de illius heresi cognoscere posset: si verò Hæreticus decesserit, successor eius Iudex esset, cap. Si Papa distinct. 40. & illic Præpos. & cæteri dist. 24. qu. 1. cap. 1. Archidiac. Io. Andr. Anchar. Dominic. & Philippus Francus in cap. In fidei, de Hæret. lib. 6. Albericus in rubr. C. de Hæreticis, Gonsalus de hæret. prauit. quæst. 7. Almainus de auctorit. Ecclesiæ cap. vlt. Decius consil. 151. Caietanus de potestate Papæ cap. 18. cum seq. Albertus Pighius lib. 6. de Eccles. hierarch. cap. 24.


& de-

& deinceps Alexand. Iaſon. Decius, & Horoſius noſter in leg. Eſt receptum, de iuriſdict. omn. Iud. Iaſon conſ. 95. lib. 4.

36 Neque eſt prætereundum id, quod Honuphrius annotauit in vita Bonif. III. his verbis: [Additumque vt Papæ nomen, quod omnium vocabulorum Epiſcopaliũ excellentiùs eſſe ſtatutũ eſt, ſolus Romanus Pontifex (cùm antè omnibus commune eſſet Epiſcopis) retineret, quo vno, & illi tantùm particulari nomine poteſtatis eius dignitas, & ſupra cæteras Eccleſias verus prærogatiua deſignaretur.] Diuus quidem Hieronymus beatum Auguſtinum in epiſtolis ad eum ſcriptis, Papam vocat, & olim alij Epiſcopi venerandi, appellari Papæ ſolebant.



IOAN-



IOANNIS DE TVRRECREMATA

ORDINIS PRÆDICATORVM,

Et S. R. E. Cardinalis S. Sixti.

SVMMÆ

DE POTESTATE PAPALI.

LIBER SECVNDVS.

Ioannes de Turrecremata, Natione Hispanus, Patria Vallisoletanus, seu de Turrecremata, quod est Oppidum Palentini Episcopatus in Hispania ex vetere pura, nobilique Familia de Turrecremata, filius Aluari Fernandez amplissimis dotibus floruit. Adolescens Prædicatorum vestem induit in Cœnobio Vallisoletano S. Pauli Apostoli, & primæ adolescentiæ annos humanis literis morali, ac naturali Philosophiæ dedicauit. Et quod in puero præcipua laude, & præcipua admiratione dignum erat, tanta indole, ac tanta facilitate hausit prima literarum rudimenta, vt illi, qui à principio ipsum instituebant, incertum habuerint, essetne illud discere in tam puerili ætate, an vt Plato persuasum habuit, multique ex acutis potiùs, quàm veris Recentioribus speciebus à Deo inditis, peccatoque confusis, fuerit reminisci. Erat in eo amor innatus bonarum artium, vt cęterarum rerum oblitus quiduis ageret, ac pateretur ipsa cognitione, ac scientia captus curas, vigilias, ac sollicitudines perferret, nec voluntatem requirens aliam, quàm quæ ex Studijs capitur. Erat in eo inexhausta auiditas legendi, nec satiari poterat, dicere solitus omne tempus deperire, quod in literis non poneretur, ac nihil expetendum pręter sapientiam, & scientiam, esse hanc vnam, quæ breuitatem vitæ spe immortalitatis, & posteritatis memoria consolaretur. Philosophiæ Studijs absolutis Parisijs ita Sacræ Theologiæ incoluit, vt breui Magisterium maxima omnium admiratione adeptus fuerit, & cùm esset suæ Religionis obseruantissimus in Hispaniam reuersus, nonnullos obtinuit Prioratus. Primò enim Prior S. Pauli Vallisoleti, deinde S. Petri Martyris Toletani factus in eo officio ita se gessit, vt omnibus charus, & summa in veneratione haberetur, intrepidum se ostendit ad quæque agenda, & pręcipuè pro Republica Christiana. Cùm enim suauiter, ac fortiter suis pręfuisset, ac dulcissimum nominis, & morum suorum odorem vniuersæ afflasset Hispaniæ Romam euocatum Magistrum Sacri Palatij Eugenius, renunciauit. In eo positus gradu ob eminentem eruditionem ab eodem Eugenio Quarto Basileam cum quibusdam alijs Viris doctrina pręstantibus pro vniuersali Conuentu edendo Legatus missus est. Sed cognita vafritie quorumdam Principum, qui abrogari Eugenium suadebant,

iussu ipsius dissolutus ibi Conuentus Ferrariam primò deinde Florentiam translatus est. Sensere cum Basileensibus plures Ecclesiæ, ac Principes non soluendum Concilium illud, & etiam Præsules congregati apud Bituriges consuluere Carolo Regi, vt Oratores ad Pontificem mitteret, qui ipsum ad instaurandam Basileensem Synodum permouerent, sollicitaret etiam literis Sigismundum Romanorum Regem, ac Mediolani, ac Sabaudiæ Duces, ne quid aduersùs Ecclesiasticum Imperium quidquam innouari permitterent. Sollicitati sunt etiam Angli, vt Basileensi Concilio fauerent, & Rex Anglus hortatus est eos Hussitarum hæresim comprimere, Reges inter se conciliare, & Cleri mores, & questus est cum Papa dimissam ab eo maximo cum rei Christianæ discrimine Synodum Basileensem. Celebrarunt intereà Basileæ congregati Præsules, quorum numerus in dies augebatur suas Sessiones, in quarum secunda xv. Kalendas Martij habita speciosa promissa contrarijs factis euertentes erroribus se implicare cæpere, dum Conciliorum auctoritatem veri, nec ambigui Pontificis Auctoritati prætulerunt, falsamque sententiam confirmare nitentes duo Concilij Constantiensis Decreta instaurarunt, sed in alienum detorta sensum, ex quibus falsam consequentiam elicuere. Alterum est his conceptum verbis. Primò declarat, quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata Generale Concilium faciens, & Ecclesiam militantem repræsentans potestatem immediatè à Christo habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris. Subsequitur autem Odoricus Raynaldus continuator Baronij Anno 1432. num. 8. Refellit porrò seditiosorum ausus Ioannes Turrecremata Cardinalis S. Sixti his grauissimis sententijs, quas fusè ipse extendit; nos autem non ponimus, quia eas legere possumus de Ecclesia lib.2. cap.100. Cùm ita Basileenses euertendæ Pontificiæ Auctoritatis cupidi schisma, & hæresim cuderent Christi Vicarius, vt eos ad saniora consilia, atque ad pristinam sententiarum cum Romana Ecclesia consensionem reduceret Internuncios Basileam mittere decreuit, è quibus Andreas è Petra Archiepiscopus Colocensis 22. Augusti die luculentam ad Conuentus Basileensis Patres orationem habuit, qua ipsos à conflando schismate absterruit, si excindere hæreses, si Clerum ad virtutis studium incitare, si Principum discordias dissipare cuperent, atque vbi Schismaticis refertas ferè vniuersas Orbis plagas descripsit, duo addidit esse hominum genera aduersantium Catholicæ Ecclesiæ Hussitarum, & Græcorum, & loquens de Græcis hoc petentibus ait. Vnde cùm honestissimæ Græcorum petitiones Principibus nostræ Religionis visæ fuerint, mox Dominus Ioannes Episcopus Cardinalis S. Sixti Vir omnium suæ ætatis religione, & sapientia spectatissimus, Legatus in Græciam declaratus est, quem illuc properantem, si mors non sustulisset plurimi nunc populi, ac nationes ritu, & religione essent vobis simillimi, quorum nullum in præsentiarum habetis. Hoc grauissimum Elogium in eo publico Concilio coram Basileensibus publicatum æternitati plus Turrecrematam consecrant, quàm innumera alia, quæ ab Auctoribus illi attribuuntur. Florentiæ denique adscriptus est in numero Cardinalium; sed vt erat moribus grauis adamussim in omnibus pristinum reseruauit viuendi morem, quem tot annis in Ordine Prædicatorum firmis radicibus didicerat, togam non mutauit cum gradu, vtebatur lanea ad carnes subucula; & alia, quæ ad nos non spectat, & longum esset prosequi. Tam infracti animi fuit, vt numquam nec precibus, nec minis in ijs, quæ fidei, quæ veritatis, & religionis erant, posset auerti ab opinione sua, quapropter Fidei defensor est appellatus. Templum S. Mariæ ad Mineruam nuncupatum testudine, & primum ædium impluuium eius Templi, quod Claustrum vocat à fundamentis erexit, & picturis exornauit, quibus meditationes vtriusque testamenti graphicè inscriptas, vt faciliùs picturæ dignosci valeant, iussit apponi, Euangelium, & Scripturam in imaginibus ipsis docens. Eugenius Legatus interfuit Concilio Bituricensi in Gallijs iussu Caroli Regis Francorum habito ad tollendum Schisma, quod Basileenses Patres excitarant in Ecclesia Catholica. In quo Conuentu Carolus Rex publicè fassus est ex Consilio Prælatorum, ac Procerum Regni sui velle in obedientia Eugenij permanere. Primum apud sui temporis Theologos locum tenuit, disputauit egregiè in Concilio Florentino pro Latinis, quare à Græco Scriptore apud Henricum Spondanum in Annalibus Ecclesiasticis dicitur Philosophus Latinorum, & Dialecticæ peritissimus. Acerrimus fuit defensor, &
vindex

vindex Reuelationum cœleſtium prędilectæ Sponſæ S. Birgittæ Viduæ de Regno Sueciæ, cùmque ex commiſſione Sedis Apoſtolicæ has S. Birgittæ Reuelationes ſtudiosè, ac diligenter perlegiſſet, affirmauit veraciter à bono Spiritu promanaſſe, & omnes Fidei Catholicæ veritate ſalua, & ſine Doctorum SS. iniuria ſuſtineri poſſe. Legionenſem Epiſcopatum Pius II. Ioanni huic Cardinali S. Sixti contulit, ſed Henricus Caſtellæ, ac Legionis Rex illi poſſeſſionem numquam conceſſit; hac de cauſa multæ, & magnæ contentiones inter Regem, & Pontificem emerſerunt. Tres Principes Hęreticos in aula Regis Boſnę potentes vinctos ad Pontificem Maximum ductos Ioannes hic in fide inſtruxit, ac tandem perſuaſit abiuratis erroribus Eccleſiæ Romanæ, quę nec falleret, nec falleretur documenta ſuſcipere. Horum duo in fide permanſere, tertius ad vomitum rediens, dum in Patriam tenderet ex itinere dilapſus ad Stephanum Boſnę Ducem perfidiæ ſocium confugit. Su blacenſe Monaſterium adminiſtrauit; atque in illo Pium II. Romanum Pontificem magno cum apparatu hoſpitio excepit. Nemini viſus eſt obtrectare, Amicos habuit doctiſſimos, Nicolaum Perottum, Beſſarionem, Ioannem Antonium Campanum. Edidit autem infraſcripta Opera, in Gratiani Decreta Volumina quatuor: De Pœnitentia, de Concilio Florentino, de Conſecratione, de Concilijs. De Conceptione Domini libri tres. De Corpore Chriſti contra Bohemorum errores. De Aqua luſtrali. Meditationes in Vitam Chriſti. Contra Iſmaelitas de Animæ ſalute. De Vnitate Græcorum. De Sacramentis librum vnum. Summa Eccleſiæ libri ſex. De Auctoritate Romanæ Eccleſiæ. In Regulam S. Benedicti Quęſtiones, ſeu Scholaſtica Poſtilla in totius anni Euangelio. Sermones de tempore, & de Sanctis. Commentaria, ſeu Paraphraſim breuiſſimam, locupletiſſimam, lucidiſſimamque ſimplici, & aperto Sermone ad Pium II. dictatam in omnes Pſalmos Dauidicos. De Conceptione Deiparæ Mariæ libros treſdecim, & alia quędam. Toſtati Theologicas quaſdam Theſes impugnauit. His actis de Catholica Eccleſia benemeritus 79. vel 80. anno mortuus Romæ in Cœnobio Mineruæ ſui Ordinis Spiritum Deo reddidit, & in Sacello à ſe conſtructo in honeſto Sepulchro viſitur, cum tribus inſcriptionibus, quarum vnam poſuit Societas Annunciationis ab ipſo erecta de maritandis quotannis in Feſto Annunciationis Puellas multas nobiles, quas dotes multis centenarijs virginibus donat Summus Pontifex ipſe ſua manu, in æternam tanti Auctoris memoriam. Innumeri ſunt, qui eum laudant Ciacconius, Balthaſſar Porregnus in Elogijs Cardinalium Hiſpanorum, Aubery in Vita, & innumeri alij, qui ſeriem texerent maximam.

CAPVT PRIMVM.

Quòd in Eccleſia ſit Ordo.



EXPLETO ſermone de vniuerſali Eccleſia in ſuperiori libro: reliquum eſt, vt ſecundum librum, in quo de Eccleſia Romana, & Pontificis eius Primatu nos loqui polliciti ſumus attingamus. Oſtendemus autem in primis tamquam omnium dicendorum in hoc libro potiſſimum fundamentum: quòd in Eccleſia, quam in ſuperiori libro multiplicium ordinum, ſtatuum, ac officiorum varietate diſtinctam, ornatamque oſtendimus, ordo eſſe debeat: & ſit ſiue gradu ſuperioritatis, quo quidam in ea poteſtate, ac dignitate, ſiue officio alijs ſuperiores ſint, ac potiores. Quod nobis oſtendere ex multis facile eſt.

Primò ſic iuxtà S. Thom. in 4. [Deus enim ita opera ſua in ſui ſimilitudinem producere voluit, vt perfecta eſſent, & per ea cognoſci poſſet, & ideò in ſuis operibus repræſentaretur: non ſolùm ſecundùm quod in ſe eſt, ſed etiam ſecundùm quod alijs influit.] Hanc legem naturalem poſuit omnibus, vt vltima per media perficerentur, & media per prima, vt dicit beatus Dionyſius: Decentiſſimè ergo ne huiuſmodi pulchritudo deeſſet Eccleſiæ, poſuit ordinem in ea, vt quidam alijs influerent ſacramenta, alijs diſpenſando, ſuo modo in hoc Deo aſſimilari, quaſi Deo cooperatores; ergo in Eccleſia eſt ordo, & graduum differentia poteſtatis.

Secundò ſic: æquè, vel magis debet eſſe regulatus proceſſus Eccleſiæ ordinatus ad eſſe gratiæ, quàm proceſſus naturæ ordinatus ad eſſe naturæ; ſed in proceſſu naturæ eſt ordo, quo quidam alij ſunt ſuperiores officio, & habent alijs influere; ergo & in Eccleſia debet eſſe ordo, quo quidam alijs ſint ſuperiores poteſtate, & officio, & habent alijs influere: doctrina ſcilicet, & ſacramentorum diſpenſatione.

Tertiò ſic: Eccleſia militans exemplata eſt à triumphante, ſiue cœleſti: ſecundùm illud Exod. 25. [Inſpice, & fac ſecundùm exemplar tibi monſtratum in monte.] Vnde beatus Dionyſ. in cap. 6. Eccleſ. Hierarc. dicit ità: [Noſtra enim Hierarchia à Deo traditis ordinibus ſanctè diſpoſita ſanctis, & cę-

lestibus Hierarchijs conformis est. De qua etiam conformitate ipse Cœlorum Conditor, & amator inquit Iob 38. [Numquid nosti ordinem Cœli, & rationem eius pones in terra, subaudi vt ego :] inquit beatus Greg. in gloss. Ordo quidem Cœli in terra ponitur, hoc est in militante Ecclesia : cum à triumphantis Ecclesiæ exemplari militans disponitur, & formatur; sed in Ecclesia triumphanti est ordo, quo quidam Angeli sunt alijs potestate superiores, & dignitate, & habent eis influere diuinas illuminationes; ergo similiter in Ecclesia militante talis ordo, siue gradus superioritatis ponendus est, quo quidam alijs habeant diuina ministrare. Et hæc est ratio beati Greg. in cap. ad hoc, 89. dist. ita loquentis. Quia verò quæcumque creatura in vna, eademque qualitate gubernari, vel viuere non potest, cœlestium militiarum exemplar nos instruit: quia dum sunt Angeli, & Archangeli : liquet quia non æquales sunt, sed in potestate, & ordine, sicut nostis, differunt alter ab altero.

Quartò confirmatur ista ratio sic : Ecclesia militans est instituta ad formam Hierarchiæ. Vnde de Ecclesiastica Hierarchia beatus Dionys. librum illustrem fecit, qui ita de Ecclesiastica Hierarchia intitulatur : Sed ratio Hierarchiæ in ordine potestatis consistit. Dicitur enim Hierarchia à Hieros, quod est sacrum,& Archos, quod est Princeps:quasi sacer Principatus. Et Dionys. definiens Hierarchiam lib. cœlest. Hierarch. cap. 3. dicit: quòd est ordo, scientia, & actio, &c. ergo sequitur, quòd præfatus ordo hierarchicus sit in Ecclesia ponendus.

Quintò : Ecclesia constituitur ex duplici pariete, siue latere, scilicet laicali, & clericali; sed in pariete laicali est ordo : vtpotè Imperator, Rex, Dux, Comes, tribunus, balliuus, Centurio, Decurio : omnia hæc ordinem dicunt; ergo videtur, quòd in pariete clericali, qui spirituali militia Deo militat, debeat esse huiusmodi ordo; ratio est manifesta.

Sextò sic : Omnis multitudo aut confusa est, aut ordinata; sed vniuersitas Ecclesiæ cùm sit à sapientissimo Christo instituta : & Apostolus dicat ad Rom.13. [Quæ à Deo ordinata sunt, confusa esse non possunt.] Vnde de ipsa dicitur Cant. 4. [quod sit vt Castrorum acies ordinata;] ergo necesse confitendum est, quòd in ea ordo sit, & esse debeat : maximè cùm ordo faciat ad concordiam, & decorem, & ad firmam existentiam vniuersitatis : secundùm illud beati Greg. in cap. ad hoc, dist. 89. ita dicentis : Ad hoc dispensationis prouisio gradus diuersos, & ordines constituit esse distinctos: vt dum reuerentiam minores exhiberent potioribus, & potiores minoribus dilectionem impenderent, & vera concordia fieret ex diuersitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum : nec enim vniuersitas alia poterit ratione consistere, nisi huiusmodi eam magnus differentiæ ordo seruaret. Hæc ille. Ratione autem pulchritudinis, quæ in Ecclesia ex huiusmodi ordinis differentia consurgit dicitur, 3. Reg. 10. [Quòd Regina Saba videns omnem sapientiam Salomonis, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium non habebat vltra spiritum.] Quod verbum pertractans Origenes lib. 2. super Cant. dicit : [Per hoc puto ecclesiasticum ordinem dici, qui in Episcopatus, vel Presbyterij Sedibus habetur.] Ex quibus apertissimè conuincitur error, & stulticia negantium ordinem in Ecclesia, asserentes omnes Ecclesiæ ministros æqualis esse potestatis.

CAP. II.

Quòd talis ordo sit, & debeat esse in Ecclesia, vt vnus in ea superior sit Princeps, ac Rector existat.

ORdo autem, qui in Ecclesia est, & esse debuit ita accipiendus est : vt vnus in tota vniuersitate Reipublicę Christianæ Summus Princeps Rector, ac Gubernator esse credatur. Quod multiplici ratione colligitur.

Primò sic : Ex dictis ordo potestatis est in Ecclesia : vt in præcedenti capite est ostensum; sed ordo iste intelligitur secundùm prælationem, & subiectionem : prælatio autem attenditur secundùm ascensum, & descensum non secundùm æqualitatem : & ascendendo superius necesse est status, & reductio ad vnum : cùm non sit processus in infinitum, & è conuerso descendendo multiplicatio; ergo secundùm rectum Ecclesiæ ordinem oportuit aliquem vnum esse Prælatum, & supremum, in quo totius potestatis ecclesiasticæ esset Status, qui omnium aliorum esset Rector, & Pastor. Vnde Dominus de hac Ecclesiæ suæ regiminis dispositione futura loquens per Prophetam ait. [Suscitabo super eos Pastorem vnum.] Ezech. 34. [Et Pastor vnus erit omnium vestrum.] Ezech. 37.

Secundò sic iuxtà S. Thom. in 4. contra Gentiles : [Nulli dubium esse debet, quin Ecclesiæ regimen sit optimè ordinatum : vtpotè per eum dispositum, per quem Reges regnant, & legum Conditores iusta decernunt.] Optimum autem regimen multitudinis,est,quod regatur per vnum, quod patet: tum auctoritate Arist. 11. metaphysicè, & 3. politicorum: tum ex fine regiminis. Pax autem, & vnitas subditorum est finis regentis, vt inquit Aug. [Vnitatis autem causa congruentior est vnus, quàm multi; ergo regimen Ecclesiæ sic à Deo esse dispositum creditur : vt vnus in eo toti Ecclesiæ præsit.]

Tertiò sic : Ad vnitatem Ecclesiæ requiritur, quòd omnes fideles in fide conueniant. Vnde 1. ad Cor. 1. inquit Apostolus : [Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.] Est autem fides Religionis Christianæ fundamentum: secundùm illud ad Heb. 11. [Sine fide impossibile est placere Deo.] Circa ea verò, quæ sunt fidei contingit quæstiones moueri : per diuersitatem autem sententiarum diuideretur Ecclesia, nisi in vnitate per vnius sententiam conseruaretur. Exigitur ergo ad vnitatem fidei in Ecclesia conseruandam, vt sit vnus, qui toti Ecclesiæ præsit, vt Doctor, & Rector; manifestum est autem, quod

quod Christus Ecclesiæ non deficit in necessarijs, quam dilexit, & pro qua sanguinem suum fudit: cùm & de Synagoga dicatur per Dominum: [Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci.] Isa. 5. Non est ergo dubitandum, quin ex ordinatione Christi vnus toti Ecclesiæ præsit.

Quartò sic: Ecclesia militans, sicut in præcedenti capite argutum est, ab Ecclesia triumphante deriuatur; vnde Ioan. in Apocalyps. 21. ait: [Vidi Ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de Cœlo à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo;] sed in triumphante Ecclesia vnus præsidet, qui etiam præsidet toti vniuerso scilicet Deus; ergo in militante Ecclesia etiam debet esse vnus præsidens etiam vniuersis. Hac ratione beatus Bern. vtitur lib. 3. de consideratione ad Eugenium ita dicens: [Non vilem reputes formam hanc, quæ in terris formam habet in Cœlo;] vidit hoc, qui dicebat: [Vidi Ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de Cœlo, &c.] sicut enim ibi Seraphym, & Cherubym, & cæteri ordines sub vno Capite Deo: ita & hinc Patriarchæ, Archiepiscopi, & reliqui sub vno Pontifice Summo, quod non est paruipendendum, quod Deum habet auctorem, & quod de Cœlo duxit originem. Hæc ille.

Quintò: In Ecclesia Dei non debet esse minor vnitas, quàm in Synagoga: immò tantò maior, quantò sacerdotium euangelicum excellentius est Leuitico; sed in Synagoga erat vnus Summus Pontifex, qui præerat omnibus sacerdotibus scilicet Aaron, & postea Eleazar: & sic de alijs successoribus, cum summo sacerdoti, qui non obediebat, reus erat mortis: vt habetur Deut. 17. ergo multò magis in Ecclesia debet esse vnus Summus Pontifex, cui omnes tamquam superiori obedire teneantur.

Sextò: In vno spirituali populo vnius Ecclesiæ requiritur vnus Episcopus, qui sit totius populi Caput, cum summa regiminis fidelis populi ad episcopalem pertineat dignitatem; ergo etiam in toto Populo Christiano requiritur, quòd sit vnus totius Ecclesiæ Caput; consequentia patet.

Septimò sic iuxtà S. Thom. in 4. Vbicumque sunt multa ordinata in vnum, oportet esse aliquod vniuersale regitiuum super particularia regitiua; quia in omnibus virtutibus, & actibus, vt dicitur, 1. Ethicorum: est ordo secundùm ordinem finis; bonum autem commune dicitur diuiniùs, quàm bonum speciale; & ideò supra potestatem regitiuam, quæ communicat bonum speciale oportet esse potestatem regitiuam respectu boni communis: aliàs non potest esse colligatio ad vnum; ergo cum tota Ecclesia sit vnum Corpus, oportet si ista vnitas debeat conseruari, quòd sit aliqua potestas regitiua respectu totius Ecclesiæ supra potestatem episcopalem, qua vnaquæque specialis Ecclesia regitur, & gubernatur: & hæc est potestas Papæ. Vnde ex hoc concludit S. Thomas, quòd qui hanc potestatem supremam negant, Schismatici dicuntur, quasi diuisores ecclesiasticæ vnitatis.

Octauò confirmatur sic: Regimen Ecclesiæ non creditur minùs ordinatum esse quàm regimen naturæ; immò ordinatiùs dispositum, cùm gratia supergrediatur naturam; sed in his, quæ videmus in natura, vbicumque est regimen naturale, semper illud totum regimen reducitur ad vnum principale regitiuum omnium, vt in corpore animalis, in quo sunt diuersa membra diuersis officijs, & actibus diuersis deputata, oportet dare vnum membrum; videlicet cor, vel caput, vnde omnium aliorum membrorum motus sensus, & gubernationis regimen deriuetur. Item tota machina vniuersi est vnum cœleste Corpus; videlicet primũ mobile, per cuius motum mouentur, & reguntur motus corporum inferiorum, vt habetur per Arist. 8. physic. In toto etiam Mundo est vnus supremus scilicet Deus vnus Rex vniuersæ terræ; ergo pariter in regimine Ecclesiæ oportet, quòd sit vnus, qui toti Christianæ Vniuersitati præsideat Caput, & Rector illius.

Nonò sic: Tota Ecclesia Dei est vna Cant. 6. [Vna est columba mea. Est vnum Corpus.] 1. Cor. 12. [Multi vnum Corpus sumus. Est vna Ciuitas:] secundùm illud Psalm. [Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas. Vna Hierarchia:] vt probatur per sanctum Dionys. lib. Eccles. Hierarch. [Vnum Ouile.] Ioann. 10. Ergo necessario in tota Ecclesia est dandus vnus supremus Præsidens, & Rector, vnum Caput totius Corporis, vnus Princeps totius Ciuitatis, vnus Hierarcha totius Hierarchiæ, vnus Pastor totius Ouilis, siue Gregis Dominici, & ita idem, quod priùs. Hinc dicitur, Ioel. 1. [Congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter & ponent sibi Caput vnum.] Et Dominus ait, Ioan. 10. [Erit vnum Ouile, & vnus Pastor.]

Decimò sic: Ecclesia est Regnum, siue Ecclesiæ Principatus est Monarchicus, siue Regalis. Hoc patet cùm ex multis sacræ Scripturæ locis, vbi Ecclesia Regnum Cœlorum nominatur. Vnde & Isa. 9. dicitur: [Paruulus datus es nobis, & filius datus est nobis.] Et sequitur: [Super Solium Dauid, & Regnum eius sedebit.] glo. 1. Ecclesiam. Et Luc. 1. dicitur: [Et Regni eius non erit finis.] Tum etiam, quia optimum genus politię est monarchicum, siue regale; cùm iuxtà sententiam Arist. 3. polit. omnium vrbanitatum perfectissima sit regnum, quod consistit ex omni ordine ad vnum secundùm perfectissimam gubernationem. Propter quod Dio: lib. de di: no: cap. 2. dicit. Quod regnum est omnis finis legis, & ordinis distributio; sed regnum est, in quo potestas regiminis residet apud vnum toti multitudini præsidentem, vt tam ex. 8. ethi. quàm ex. 3. polit. apertè colligitur; ergo talis à Deo Ecclesiæ Principatus constitutus est, vt vnus in eo superior potestate præsideat, & principetur. Hoc enim est de ratione regalis, siue monarchici Principatus, vt dictum est. Dicitur enim monarchicus à Monos, quod est vnum, & Archos, quod est Princeps: quasi vnus Princeps toti multitudini præsidens. Et confirmatur per illud, quod idem Diuus Dionys. in principio tam cælestis, quàm ecclesiasticæ Hierarchiæ dicit: Quòd ratio ornatus, & decentissimæ dispositionis attenditur in ordinatorum consonantia, & connexione ad inuicem, & ad vnum simpliciter primum Monarcham.

Vnde-

Vndecimò sic: Principatus ille videtur omnibus alijs pręstantior, & nobilior, quo inter subditos charitas, & pax, ac concordia maximè nutritur, fouetur, & conseruatur: & quo seditio, & discordia, quæ est cuiuslibet coniunctionis corruptio, præcipuè deuitatur, hoc quoniam patet hæc sunt, quæ maximè Princeps cuiuscumque Principatus tenetur nutrire, & fouere in subditis, nam vt Cassio. in Epistolis suis dicit: Decet regalis apicis curam, gentē sibi cōmissam custodire concordem, quoniā ad laudem regnātis trahitur, si à sibi subditis pax habeatur, nihil quoque est, quod sic Principem prędicet, sicut quietus populus, & concors Senatus, totaq; Respublica morum honestate vestita. Vnde Princeps pacis Christus, super cuius humerum factus est Principatus Isa. 9. corporaliter à fidelibus discessurus, pacem, & dilectionem pręcipuè illis commendauit, dicens: Pacem meam relinquo vobis: Pacem meam do vobis Ioan. 13. Et iterùm: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem &c. sed hoc magis & congruentius fit, si Principatus fuerit apud vnum, sicut est in Regno, quàm si fuerit apud plures, sicut in aristocrachia, siue in politia: vnitatis enim, & pacis congruentior causa est vnus, quàm plures, ergo sequitur, quod talis Ecclesiæ Principatus, siue Monarchicus, siue Regalis, in quo omnium ordinatorum reductio, ac adunatio, est ad vnum Principem potestate, & auctoritate omnibus præsidentem. Hinc Ecclesia per Archam Noe designatam, quæ in vno cubito consummata fuit Gen. 7.

Duodecimò pręfatus ordo, scilicèt omnium ad vnum adunatio, in Ecclesia clarissimè probatur ex eo quòd commendabilior est, atque pręstantior. Vnde de eius cōmēdatione loquitur B. Alber. M. in l. suo de Missa dicens: Hęc adunatio, silicèt multorū, per omnē ordinem graduū Ecclesiæ ad vnū caput in Cælo refulget, in naturis ostenditur: in operibus exemplificatur in Diuinis legibus præcipitur, & in toto corpore mystico obseruatur. In Cælis enim Angeli ad Archangelos, Archangeli ad Principatus, & Principatus ad Potestates, Potestates ad Virtutes, Virtutes ad Dominationes, & Dominationes ad Thronos, & Throni ad Cherubim, & Cherubim ad Seraphim secundùm obedientiæ, & illuminationis ordinem ordinantur, & ipsa multitudo Angelorum, quæ in quolibet est agmine, ad vnam personam, quæ in quolibet ordine præeminet, adunatur. Et ideò ordo Cæli vocatur, quia omnis ordo est multorum in gradibus differentium ad vnum. Iob. 38. Numquid nosti ordinem Cæli, & rationem eius pones in terra? Hoc etiam in naturis ostenditur: vbi multi ramusculi ad virgas, vbi multæ virgæ ad ramum, vbi multi rami ad stipitem vnum, vbi multi stipites in vna radice infiguntur, vt omnia socia fiant, & participia succi, qui est in radice; ad Rom. 11. Socius radicis oliuæ, & pinguedinis factus est. Sic multi grues vnam sequuntur ordine literato, sic multa membra in corpore vnius capitis percipiunt beneficia 1. Cor. 12. Sicut enim multa membra in vno corpore habemus, omnia aut membra non eumdem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo. In Christi operibus hæc adunatio etiam exemplificatur, quia Christi opus semper est, in vnum colligere dispersa. Diaboli autem opus est, adunata diuidere, & dispergere. Hinc est quod Ioan. 10 dicitur: Fiat vnum ouile, & vnus Pastor. Et Mat. 12. Qui non colligit mecum, dispergit. Hæc adunatio præcipitur in legibus Diuinis, quia sicut dicit beatus Dionys. lex Diuinitatis est, per prima media, & per media vltima reducere. Talis autem reductio vltimorum ad media, & mediorum ad prima, non potest esse nisi in ordine ad primum, sic ergo lex Diuinitatis est, sicut descensus est illuminationum, & charismatum ab vno, sic reductio ad primum. Hæc enim lex sicut superiora mouet, & ligat ad inferiorū prouidentiam, & curam; ita inferiora ligat ad superiorum obedientiam, vt omnia hoc modo sint connexa. Psal. Distribuite gradus eius, vt enarratis in progenie altera. & Daniel. 9. Sta in gradu tuo. Sic enim octo gradib; ascenditur ad Deitatis templum, & culturam, vt dicitur Eze. 41. Papatu scilicèt, Patriarchatu, Primatu, Archiepiscopatu, Episcopatu, Abbatum reuerentia, præpositura, Decanatu, Cura Parochiali. Curam enim Archidiaconorum sub præpositura compræhendimus. Hoc etiam in toto corpore mystico, quod est Ecclesia, obseruatur, in quo omnia ad vnum diriguntur, quę Petri clauibus committuntur, Mat. 16. Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque solueris super terram &c. Hæc clauis vni committitur, vt plenitudo potestatis in vno ostendatur, & in alios ab illo, secundùm partē sollicitudinis, ad quam vocantur, committatur. Hæc Albertus Magnus. Ex quibus manifestè conuincitur error dicentium Principatum Ecclesiæ non esse Monarchicum.

CAP. III.

In quo ponuntur obiectiones quædam aduersariorum contra prædicta de vnitate vnius Præsidentis, & Capitis in Ecclesia.

Svnt quidam aduersariorum prædictæ veritatis hostes, qui rationes inductas in præcedenti capite ad ostendendum quòd in Ecclesia dandus sit vnus Princeps, rector, & gubernator cunctorum fidelium, euacuare molientes, respondent ad rationes præfatas, dicentes: quòd ille vnus rector, & Pastor, quem rationes præfatæ in Ecclesia esse necessariò concludunt, sit Christus, qui caput est omnis Principatus, vt inquit Apostolus ad Colo. 1. & quòd nullus alius purus homo Princeps in vniuersali Ecclesia vnus dandus sit. Quam responsionem tribus rationibus fulcire nituntur.

Primò, quia vt dicunt, vnitas vniuersalis Ecclesiæ, ex ordine populi Christiani ad vnum caput, quod est Christus Saluator, & Redemptor ipsius, & cui fide, & spe, & charitate coniungitur, non respectu alicuius alterius sumenda est.

Secundò, quia dicunt, quòd etsi Principatus Ecclesiæ sit Monarchicus, siue Regalis,

lis, hoc est respectu Christi, & non respectu alicuius alterius, qui vnus principetur, & prç-sideat toti Ecclesiæ, cuiusmodi sit Papa: quoniam si respectu alterius, Principatus Ecclesiæ esset Regalis, iam alius, quàm Christus Rex, vniuersailis Ecclesiæ veniret dicendus quod non videtur conueniens.

Tertiò dicunt, quòd sicut in potestate, & Principatu seculari, non obstantibus præfatis rationibus, non videtur necessarium, nec fortè expediens, quòd vnus sit Princeps super omnes alios laicos Principes, & Reges; ita non videtur in Principatu Ecclesiastico necessarium, quod detur vnus, qui omnibus præsideat.

CAP. IV.

In quo confutatur prædicta aduersariorum responsio, vt respondetur rationibus eorum.

QVòd responsio præfata aduersariorum ad rationes inductas in præcedenti capite pro vnitate vnius rectoris, & Principis, qui toti Ecclesiæ præsideat, nulla sit: nec rationes inductæ in fauorem eorum, alicuius sint roboris faciliter ostendimus.

Et primò, quòd responsio data nulla sit sic: Oportet omnem Communitatem habere vnum caput, siue rectorem, qui visibiliter cum illa conuersetur circa personas illius regiminis, sui ministerium pro varietate temporum, locorum, ac personarum exercendo, sententiando de illa, vel de illa: corrigendo hanc, vel illam personam, secundùm communem cursum. Christus autem non conuersatur nunc cum fidelibus suis modo prædicto. Necessarium ergo videtur secundùm rationes priùs factas ad bonum regimen Ecclesiæ, quòd aliquis alius à Christo, vices tamen eius gerens, sit ipsius Ecclesiæ rector, & Pastor, qui cum ipsa Ecclesia visibiliter conuersatur. Vnde beatus Thom. in 4. contra Gentiles, cap. 76. responsionem præfatam aduersariorum tandem minùs sufficientem enacuans, ita inquit. Si autem quis dicat quòd vnum caput, & vnus Pastor est Christus, qui est vnus vnius Ecclesiæ sponsus, non sufficienter respondet, manifestum est enim quòd omnia sacramenta Christus ipse perficit: ipse enim est qui baptizat Ioan. 1. & ipse est, qui peccata dimittit Ioan. 1. ipse est verus Sacerdos, qui se obtulit in ara Crucis, in cuius virtute corpus eius continuò in altari consecratur; vt etiam habetur extrà de Sum. Trinit. & Fide Catholica c. 1. §. vna de consecr. dist. 2. c. quia corpus. Et tamen quia corporaliter non erat cum fidelibus omnibus permansurus, elegit Ministros, per quos prædicta fidelibus dispensaret: eadem ratione, qua præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit quòd alicui committeret, qui loco sui vniuersalis Ecclesiæ curam gereret. Hinc est quod Petro inquit ante Ascensionem suam: Pasce oues meas Io. vlt. Et ante Passionem: Tu autem aliquando conuersus confirma fratres tuos, Luc. 22. Hæc S. Thom. Quòd verò rationes quas aduersarij in eorum errorum inducunt nullius roboris sint, ostendimus.

De prima quidem patet Licèt enim vnitas corporis Christi quod est Ecclesia, principaliter sumenda sit, ex ordine ad Christum, qui principale caput eius est: cuius omnes fideles, qui eius vera membra sunt Fide, Spe, & charitate, conectuntur: nihilominùs Ecclesiæ vnitas quantùm ad gubernationem exteriorem, secundùm quam ex Diuina institutione est ordo inter ipsos Ecclesiæ Prælatos, & rectores, etiam assumenda est, & assumitur ex ordine ad vnum principalem Christi Vicarium totius vniuersalis Ecclesię Principem, & Pastorem. Est autem huiusmodi vnitas ostensiua, & conseruatiua vnitatis interioris Ecclesiæ ad Christum. Ostensiua quidem: Dicit enim Cyprian. in Epist. ad Magnum: Dominus insinuans nobis vnitatem de Diuina auctoritate venientem ponit, & dicit: Ego & Pater vnum sumus, ad quam vnitatem redigens Ecclesiam suam, ait: Et erit vnus grex, & vnus Pastor. Item in c. loquitur 24. quæst. Cyprian. ita inquit: Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, super vnum ædificat Ecclesiam. Et 1. Exordium ab vnitate proficiscitur vt Ecclesia Christi vna monstretur. Cæterùm vnitas hæc in Ecclesia penès ordinem ad vnum generalem gubernatorem, & rectorem Ecclesiæ est conseruatiua vnitatis interioris fidelium ad Christum. Dicit enim glos. super illud Matth 16. Tibi dabo claues &c. Spiritualiter potestatem clauium Christus Petro concessit, vt ad vnitatem nos inuitaret. Ideò enim eum Principem Apostolorum constituit: vt Ecclesia vnum principalem Christi haberet Vicarium, ad quem diuersa membra recurrerent, si fortè inter se dissentirent: quòd si diuersa capita essent in Ecclesia, vnitatis vincula rumperentur. Hæc ibi. Et Hieronym. ait: Ex 12. vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio.

Secunda ratio aduersariorum etiam nullius est roboris, quoniam falsum est quod aiunt, videlicèt quòd Principatus Ecclesię respectu Papæ non sit Monarchicus, siue Regalis, hoc enim videtur contrarlari & Sacræ Scripturæ, & rationi. Sacræ quidem Scripturæ contradicit: quæ habetur Io. 10. Erit vnum ouile, & vnus Pastor. Item Scripturæ Sanctæ illi, vbi beatus Ioan. Apoc. 21. ait: Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de Cœlo &c. vbi Ecclesia militans dicitur imitatione descendere a Cælo, quia formam ordinis cœlestis habet, sicut beatus Bernardus ait 3. de consideratione ad Eugenium Papam ita dist. sicut fuit §. 2. cap. inductum. Non vilem reputes formam hanc quæ in terris est: formam habet in Cœlo, vidit enim hoc, qui dicebat: Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem &c. sicut enim ibi Seraphim, & Cherubim, & cæteri Ordines sub vno capite Deo; ita & hic Patriarchę, Archiepiscopi, & reliqui sub vno Pontifice Summo; quòd non est paruipendendum, quòd Deum habet auctorem, & quòd de Cœlo sumpsit originem. Hæc ille. Ex quibus patet quòd aduersariorum fantasia Sacrę Scripturæ aduersatur.

Quod

Quod Aduersetur etiam rationi patet. Tum quia eadē species politię manet in Principatu respectu principalis, & respectu Vicarij instituti à principali cum plenitudine potestatis. Vnde idem Consistorium reputatur Episcopi, & sui Vicarij, vt in c. Romana extra de appellationibus l. 6. Tum quia Ecclesiæ regimen non solùm in præsentia corporali Christi debuit optimè disponi, quod est disponi, & ordinari sub suprema, & nobiliori specie regiminis, siue politiæ, cuiusmodi est regalis, sed etiam in eius absentia corporali. Sunt etiam ad hoc rationes factæ supra in 2. c. Facit etiam ad hoc; primò quia naturalior est Principatus vnius in multos, quàm possit esse multorum in vnum. Natura enim principiorum amat singularitatem, vt ait beatus Augustinus primò de nuptijs, & concupiscentia. Hinc Aristoteles probans vnitatem primi principij 12. metaphys. ait: Entia nolunt malè disponi, neque bona pluralitas Principatuum, vnus ergo Princeps, in apibus etiam vnus est Princeps, & grues vnam sequuntur ordine literato, ait beatus Gregorius in c. in apibus 7. q. 1. Secundò, quia inter species regiminis humanarum ciuilitatum nobilior, & præstantior est species Regalis regiminis, in quo summa potestatis, & Principatus auctoritas est apud vnum, vt 3. politic. Arist. docet. Tertiò, quia huiusmodi regiminis dispositio magis assimilatur diuino regimini in quo Deus præsidet toti Mundo, vnus Deus omnium gubernator, & rector: Ecclesiastici 1. Vnus est altissimus creator omnium. Quartò, quia in triumphante Ecclesia, à qua Ecclesia militans exempla riter descendit Apoc. vlt. Hierarcha vnus supremus est cunctis Ordinibus præsidens, in quem omnis hierarchia consummatur, vt ostendit Diuus Dionys. 5. Eccles. hierarch. Quintò, quia in lege veteri, quæ figura nouæ legis fuit, vnus summus Sacerdos diuina dispositione fuit institutus, cui cæteri omnes parere deberent. Sextò, quia vno toti Ecclesiæ præsidente, nulli dubium, quòd vnitas fidei per quam Ecclesia maximè vna dicitur, meliùs conuersatur, de qua Apost. 1. ad Cor. 1. Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Quod verò aduersarij arguunt, quòd si Principatus Ecclesię esset Regalis respectu alterius, quàm Christi, alius quam Christus Rex Ecclesiæ dicendus veniret, quod inconueniens esse putant. Hoc parùm valet. Tùm primò, quia non est inconueniens reputandum Papam dici Regem Ecclesiæ, sub Christo tamen, sicut eius Vicarium, licèt hoc vsus non habeat; quoniam cùm Papa rector Ecclesiæ sit quantùm ad interpretationem vocabuli, non dubium quin Rex rectè, & veraciter dici possit. Dicitur enim Rex, vt ait Isid. à regendo. Prætereà non videtur magis inconueniens quòd Papa Rex nominetur, quàm quòd Princeps. Legitur autem à Christo nominatus Princeps, secundùm illud quod Ecclesia dictum esse à Christo Petro commemorat, cùm ait: Simon Petre antequam de naui vocarem te, noui te, & super plebem meam Principem te constitui. Cæterùm hoc nomine etiam omnes Apostoli à Spiritu Sancto per os Prophetę appellati leguntur ps. 44. Constitues eos Principes super omnem terram. Vnde etiam Episcopi loca Apostolorum tenentes Principes nominantur in c. Ecclesiæ Principes, dist. 35. Quocircà non mirum si etiam Reges nominarentur, attento maximè quòd Apostoli ipsi, eorumque successores sub Regis nomine à Spiritu Sancto describuntur psal. 44. vbi dicitur: Delectauerunt te filiæ Regum. Quod verbum Augustinus exponens super psalm. 44. ita inquit: Etenim omnes Ecclesiæ, quę illis euangelizantibus, & prædicantibus natæ sunt, filiæ Regum sunt, ille enim Rex Regum, illi autem Reges, de quibus dictum est: Sedebitis super duodecim Sedes iudicantes duodecim Tribus Israel. Hæc Augustinus. Nihilominùs tamen licèt Papa, & Prælati Ecclesiæ Reges nuncupari veraciter possent. Hoc tamen non fit duplici de causa, vt tangit Dominus Aluarus in l. suo de Potestate Ecclesiastica. Prima est propter superbiam vitandam, quæ nomine Regis importari videtur, secundùm illud Apostoli Petri: Regi quasi præexcellenti, 1. Petri 2. Christus enim humilitatis magister, iuxta illud Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Suos Discipulos, ac Vicarios voluit per omnia humilitatem seruare, vnde Luc. 22. dicebat: Qui maior est vestrum fiat sicut minor, & qui prædecessor, sicut ministrator; propter quòd illos non solùm superbiam, verùm etiam superbiæ vocabula voluit declinare, maximè cùm nihil in Episcopali ceruice splendidius fulgeat, quàm humilitas, vt in c. contra morem, dist. c. Secunda causa est, vt quemadmodùm inter spirituales, & temporales Principes est discretio potestatis; ita etiam sit in nominibus differentia. Assumpserunt ergo sibi seculares Principes nomen mundanę gloriæ expressiuum, scilicèt nomen Regis. Spirituales verò alijs humilioribus proprium officium designantibus, & vltimum finem demonstrantibus nominibus nuncupantur. Dicuntur enim Pastores, Rectores, Iudices, Sacerdotes, Præpositi, Pontifices, &c. Vnde in c. Duo sunt, dist. 96. dicitur: Duo sunt quibus principaliter hic Mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. Probatur ergo quòd licèt Papa ratione humilitatis Rex non nominetur Ecclesiæ, ex hoc tamen non sequitur quòd Principatus Ecclesiæ non sit monarchicus, siue regalis; & quòd regimen Ecclesiæ non sit monarchicum, siue regale, quia propria ratio Regni in hoc consistit, quòd regimen, & Principatus eius sit apud vnum qualicumque nomine nominetur ille vnus, siue Regis nomine, siue Ducis, aut Pontificis, siue Pastoris, siue Imperatoris. Tum secundò, ratio aduersariorum vacua est viribus, quoniam vt patet ex dictis non est inconueniens vt alius in persona à Christo dicatur Rex, aut Rector, aut Pastor, aut Princeps Ecclesiæ; dum tamen non sit alius auctoritate. Papa enim cùm Vicarius sit Christi, vices eius gerens in Ecclesia, non est alius Rex Ecclesiæ alietate auctoritatis, quàm Christus.

Cæterùm, tertia ratio etiam non militat duplici de causa. Prima, quia pręsupponere videtur, quòd in vniuersitate Christiana non sit vnus, qui tam in spiritualibus, quàm in temporalibus præsideat vniuersis, quòd sim-

simpliciter, & absolutè negare, non videtur nobis conuenienter dici, quoniam vt nos 1. auxiliante Deo ostensuri sumus, Papa qui est ille vnus, qui vice Christi omnibus præsidet, non solùm in Spiritualibus, sed etiam aliquo modo inferiùs exponendo, in temporalibus, Principatuum, siue potestatem habet in tota Republica Christiana, disponente eo cuius Vicarius est. In cuius sermone scriptum est Rex Regum, Dominus Dominantium, Apoc. 19. Secunda causa est propter quam ratio aduersariorum non valet, dato quòd ille vnus non præsideat in temporalibus, est; quia non est eadem ratio de præsidendo vnum in temporalibus, & in spiritualibus. Primò quia scissura vnitatis, scilicèt fidei in Ecclesia, ad quam conseruandam maximè institutum est, vt in 2. c. ostendimus quòd vnus præsideat toti Ecclesiæ, est maximè periculosa fidelibus, cum extrà illam non sit saluus iuxtà illud Marc. vlt. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Et illud Apostoli ad Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Non sic autem est de aliqua alia vnitate in quacumque politia inter fideles obseruanda, cùm non sit necesse omnes eos conuenire in policia communi, sed possunt secundùm diuersitatem climatum, & linguarum, & conditionum hominum esse diuersi modi viuendi, diuersę politię, sicut sunt; propter quod non est ita necesse Mundum regi per vnum in temporalibus plenam in omnibus potestatem habentem, sicut in spiritualibus. Secundò quia non est necessarium leges ciuiles, quibus Regna, & Prouinciæ reguntur, esse conformes, siue easdem apud omnes nationes propter varietatem morum, & conditionum hominum in diuersis Prouincijs, imò secundùm varietatem nationum, variantur, quia non omnibus eędem leges conuenire possunt, nec etiam omnes omnibus secundùm naturam, & consuetudinem possibiles esse possunt, quod tamen est de ratione legis secundùm illud Isidor. lib. ethyc. & habetur dist. 4. cap. erit autem, vbi dicitur: [Erit autem lex honesta possibilis secundùm naturam, & secundùm consuetudinem propriè loco, temporique conueniens.] Est autem necessarium, vt obseruantia diuinę legis, per quàm est ingressus ad vitam secundùm illud Matth. 19. [Si vis ad vitam ingredi, serua mandata; vniformiter in tota Republica Christiana ab omnibus obseruetur.] Et quia ad hoc multùm operatur, vt suprà probauimus, quòd vnus in tota politia Christiana rector, & magister præsideat: ideò magis est necessarium, vt in spiritualibus præsideat vnus in Republica Christiana, quàm in temporalibus. Tertiò, quia faciliùs vnus potest præesse toti populo Christiano in spiritualibus, quàm in temporalibus. Tùm propter diuersitatem, & variam multiplicitatem, quæ in temporalibus negotijs maior, quàm in spiritualibus inuenitur. Tùm quia mucro, quo princeps Ecclesiæ contra rebelles, & errantes vtitur, quæ est excommunicatio: faciliùs extenditur in quamcumlibet longinquas nationes, quàm facit gladius materialis, quo principes seculares vtuntur. De quo Apostolus ad Rom. 14. inquit: [Quòd non sine causa gladium portat.] Quartò, quia quod vnus præsideat in tota Ecclesia in spiritualibus, est iure diuino, & diuina institutione: iuxta illud Io. vlt. [Simon pasce oues meas.] Quòd verò vnus plenè in temporalibus in toto populo Christiano præsideat, nec naturali iure, nec diuino videturhaberi expressum: quoniā licèt Philosoph. in polit. dicat dominationem esse in singulis Ciuitatibus, vel Regionibus: non autem dicitur Imperij, vel Monarchiæ. Vndè Aug. 4. de Ciuitate Dei dicit: [Quod meliùs, idest, magis pacificè tegebatur respublica, quando vniuscuiusque regnum suæ patriæ terminis finiebatur.] Ex dictis in hoc capite clarissimè conuincitur error dicentium: [quòd non est scintilla apparentiæ, quòd opporteat esse vnum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quòd semper conuersetur cùm ea:] qui error inter errores Io. Hus condemnatus est in Concilio Constantien. vt patet in Bulla Domini Papæ Martini V.

CAP. V.

In quo ostenditur multiplici sacræ Scripturæ argumento, quod beatus Petrus primatum inter Apostolos habuerit.

OStenso, quàm conuenientissimè in Ecclesia Dei dandus sit vnus omnium pastor, & rector, qui Christi vice vniuersitati præsideat fidelium: consequens est videre, quis in Ecclesia ille sit. Prò quo probabimus imprimis, quòd beatus Petrus primus post Christū fuerit huiusmodi, qui in Ecclesia super omnes primatum habuerit: quòd tàm sacræ scripturæ auctoritatibus, quàm apertis rationibus facilè est ostendere.

Primò quidem primatus beati Petri inter Apostolos, & principatus eius in Ecclesia Dei ostenditur ex illo Math. 10. vbi beatus Matthæus Euangelista nomina Apostolorum describens ait: Duodecim nomina Apostolorum sunt hæc: primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, &c. In hoc autem, quòd primum Apostolorum Petrum nominat, & eum in capite Apostolorum ponit, manifestè ipsum habuisse primatum Apostolicæ dignitatis ostendit, cùm de prioritate dignitatis videatur loqui, non autem vocationis: quoniam ordine temporis non Petrus, sed frater eius Andreas priùs fuit secutus Christum: & per consequens ordine temporis prior fuit in discipulatu Christi, sicut habetur Io. 1. Vnde Dominus Albertus Magnus super Matth. exponens illud: [Primus Simon &c. ita dicit: Primus dignitate non vocatione, propter quòd vertex dicitur Apostolorum, Andreas verò secundus, & sic deinceps: quia omnes subditi Petro, sunt æquales. Et attende, quòd licèt Petrus vertex dicatur primus, non tamen dicitur Andreas secundus, nec Philippus tertius: & sic deinceps; quia omnes secundi sunt Petro, quoad iurisdictionem: quia non vnus sub alio, sed omnes sub Petro. Hæc Albertus, Glos. etiam ordinaria super illud Matth. 10. Primus Symon, qui dicitur Petrus: satis explicat Petri pri-

matum ita dicitur. Voluit Dominus Apostolorum principem priùs alio nomine vocari, vt ex ipsa commutatione nominis sacramenti viuacitas commendaretur.

Secundò primatus beati Petri ostenditur ex illo Matth. 16. vbi dicens singulariter loquens Petro, inquit: [Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni Cœlorum: & quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, & in Cœlis, &c.] Super quo verbo glos. ord. inquit; Specialiter Petro claues concessit, vt ad vnitatem nos inuitaret: ideò enim ipsum principem Apostolorum constituit, vt Ecclesia vnum principalem haberet Christi Vicarium, ad quem diuersa Ecclesiæ membra recurrerent, si fortè inter se dissentirent, quòd si diuersa forent in Ecclesia capita, vnitatis vincula rumperentur. Item ad idem Rabanus in glos. & etiam Beda in homilia sic dicit: Qui enim regem Cœlorum maiori dilectione præ cęteris confessus est: meritò præ cęteris ipse collatis clauibus regni Cœlestis donatus est.

Tertiò primatus Petri ostenditur ex illo Mat. 17. vbi Dominus postulatus solutionem tributi ad Petrum inquit: [Vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies staterem: illum sumens da pro me, & pro te:] vbi manifestè designatur prærogatiua primatus Petri ex eo, quòd in solutione tributi Christus solum Petrum sibi sociauit. Pensa enim didragme, vt inquit Ambros. [Solutio erat capitis; vndè iam dabatur intelligi, quòd Petrus post Christum super alios Apostolos caput, & primus constituendus veniret.] Vnde August. lib. de quæstionibus noui, & veteris testamenti quæst. 79. mouens hanc quęstionem cur Christus tantus pro se, & Petro soluit didragma, ita respondendo dicit: [Saluator noster cum pro se, & Petro dari iubet didragma, pro omnibus soluisse videtur: quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita, & post Saluatorem in Petro omnes continentur; ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis dominici.] Hæc August.

Quartò, Petri primatus ostenditur ex illo, quòd Matth. 19. sequitur: vbi Apostoli interrogant Dominum dicentes; [Quis putas maior est in regno Cœlorum;] quòd ideò quærunt, vt Chrysost. & gloss. interlin. dicunt: [Quia Discipuli videntes in tributi redditione, quòd Petrus Domino fuerat comparatus, arbitrati sunt Petrum Apostolis pręlatum.

Quintò Petri primatus ostenditur ex illo Luc. 22. vbi dicit: [Quòd facta est contentio inter eos, scilicet, inter Discipulos Christi, quis eorum videretur esse maior.] Quòd verbum Greg. ita commentatus est: [Videtur hæc contentio habuisse motiuum: quia cùm Dominus ab hominibus transmigraret, opportebat aliquem eorum fieri principem aliorum, quasi Domini vicem gerentem.] Et rursùs Chrysost. in eodem loco: [Credenda erat Petro summa Apostolorum. Dixit autem eis: Reges gentium damnantur &c.] Ecce hìc apparet, quòd vnus inter eos, scilicèt, Apostolos, maior certis, & prædecessor, & princeps erat ordinandus, vndè ait: [Sed qui maior est in vobis fiat sicut minor, & qui prædecessor est sicut ministrator;] quis autē esset huiusmodi prędecessor siue maior, non aperuit Christus quousque loquens ad Simonem Petrum ait: [Simon ecce sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; tu autem aliquandò conuersus confirma fratres tuos.] Vbi ex hoc, quòd præcepit Petro coram alijs Apostolis, vt deficiente, vel titubante fide in eis, ipse eos confirmare debeat: manifestè dat illis intelligere, Petrum esse prædecessorem, rectorem, ac principem illis ordinatum. Vndè beatissimus Leo Papa in sermone quodam ita inquit: [Commune erat omnibus Apostolis periculum de temptatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant: quoniā diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: & tamen specialis cura à Domino Petri suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit.] In Petri ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Hæc ille.

Sextò primatus Petri ostenditur apertissimè ex illo Io. 13. vbi Christus pedes Discipulorum lauaturus, venit ad Petrum, & dixit ei Petrus: [Tu mihi lauas pedes?] Super quo dixit glos. interlin. [Venit ad Petrum, non post alios, sed priùs ad primum Apostolorum.] Et August. in glos. [Quis nesciat primum Apostolorum esse beatissimum Petrum.] Primus autem vt in superioribus circa primam rationem diximus: intelligendum est dignitate non vocatione: quia vocatione primus non fuit.

Septimò primatus Petri ostenditur ex illo Ioan. vlt. vbi Christus ascensurus in Cœlum præsentibus alijs Apostolis, soli Petro ouium suarum curam vniuersaliter committit dicens; [Simon diligis me, pasce agnos meos, pasce oues meas.] Super quo verbo inquit beatus Chrys. primo, loco mei præpositus esto, & caput fratrum tuorum. Ex quibus manifestè constat, quòd Christus beatum Petrum loco sui in Ecclesia primatum singulariter habere voluit.

Octauò Petri primatus ostenditur ex eo: quòd Christus doctrinam, quàm omnibus Apostolis, & Discipulis tradebat, per Petrum voluit in alios deriuari. Vndè Matth. 18. scribitur: [Aspiciens Iesus in discipulos suos dixit Simoni Petro: [Si peccauerit in te frater tuus vade, & corripe eum inter te, & ipsum.]

Nono primatus Petri ostenditur ex eo; quòd ipse Petrus quasi semper, aut respondere Christo, aut interrogare Christum pro omnibus Discipulis solitus est. Vndè interroganti Christo Discipulos: [Vos autem quem me esse dicitis.] Respondit Simon Petrus dixit;] Tu es filius Dei viui.] Matth. 16. Super quo verbo beatus Chrys. ita loquitur: De plebis opinione interrogat omnes: sed omnibus discipulis interrogatis Petrus tamquam os Apostolorum, & caput pro omnibus respondet. Vndè sequitur. Respondens Si-

Simon Petrus &c. Item Interroganti Christo, an Apostoli cum alijs Discipulis, qui retrò abierant, abire vellent. Respondit Simon Petrus glos. vnus pro omnibus: [Domine ad quem ibimus.] Verba Dei habes Ioann. 6. Præterea dicenti Christo: [Et vos estote parati: quia qua hora non putatis filius hominis veniet.] Solus pro omnibus interrogat, an Christus Doctrinam suam ad solos ipsos referebat Discipulos, an ad omnes dicens. Domine an ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes, Luc. 12. Super quo, inquit glos. Theophil. Petrus, cui committenda erat Ecclesia, quasi omnium curam gerens inquit: vtrum ad omnes hanc parabolam protulisset. Item Christo dicente difficile fore diuitem intrare regnum Cœlorum: solus Petrus pro omnibus interrogat: [Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis &c.] Matth. 19. Super quo verbo beatus Chrys. inquit: [Qui claues regni Cœlorum acceperat, de his, quæ ibi sunt, iam confidit, & pro Orbe terrarum interrogat vniuersa.] Et sic de multis alijs. Quis ergo iam dubitabit attenta, ac continuo interrogandi, respondendique pro omnibus licentia, quàm sibi Petrus vindicabat: ipsum Petrum Apostolorum fuisse dignitate primum, & præstantiorem auctoritate.] Ait enim glos. in cap. placuit dist. 16. illi in conuentu deberi priùs loqui, cuius potior extat auctoritas.

Decimò, primatus Petri ostenditur ex his, quæ Petrus post Domini Ascensionem præsentibus alijs Apostolis, ac consentientibus publicè gessit. In primis quidem sicut habetur Act. 1. Exurgens Petrus in medio fratrum ostendens ex veteris testamenti Scriptura alium loco Iudæ proditoris fore subrogandum in Apostolatu inquit: [Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.] Planè hoc verbum principis esse videtur: quòd beatus Chrys. testatur super illud: Exurgens Petrus in medio fratrum dixit: Petrus vt inflammatus, & sicut ille, cui à Domino commissum erat ouile, & vt princeps semper incepit sermonem. Item 120. erant, & vnum quærit ex omni multitudine. Opportunè verò primo Petrus huiusmodi rei dominatur: quia ipse omnes in potestate acceperat. Ad eum enim dixerat Christus: [Et tu aliquandò conuersus cõfirma fratres tuos.] Cæterum cum effuso Spiritu Sancto super Discipulos in die Pentecostes, & illis varijs linguis loquentibus multi irriderent illos, dicentes eos musto repletos: Petrus præsentibus alijs 11. Discipulis eleuans vocem suam locutus est; ostendens Ioelis Prophetæ testimonio eos non esse ebrios, sed Spiritu Sancto repletos, vt habetur Act. 2. Quòd autem hoc etiam in Petro primatum designat ostendit glos. interlin. dicens. [Loquitur pastor pro ouibus. Præterea Petrus Ananiam, & Saphiram Spiritui sancto mentientes, & Apostolis, sententiam mortis protulisse solus legitur dicens sic ad Ananiam. [Cur temptauit sathanas cor tuum mentiri Spiritu sancto, & fraudari de pretio agri?] In qua re maximè primatus Petri ostenditur. Vnde glos. dicit; Quamuis ante pedes Apostolorum Ananias, & Saphira, scilicèt, partem pretij agri posuissent, tamen Petrus, quasi princeps Apostolorum loquitur. Pari etiam modo in Simonem magum offerentem pecuniam Apostolis, vt potestatem haberet dandi Spiritum sanctum: Petrus in illum condemnationis sententiam protulit dicens. [Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri.] Act. 8. vbi glos. interlin. super illud; Petrus autem dixit, inquit sic. [Petrus quasi princeps loquitur primus.] Amplius sicut legitur Act. 15. [Cùm fieret magna inquisitio inter conuersos ad fidem: vtrum conuersi ex gentibus circumcidi deberent, & alia legalia seruare; conuenerunt Apostoli, & Seniores videre de hoc verbo.] Surgens autem Petrus, dixit ad illos. [Viri fratres vos scitis &c.] vbi Petrus protulit in Concilio generali sententiam, quòd non tenerentur conuersi ex gentibus circumcidi, aut legis cerimonias seruare.] Quòd etiam hoc fuerit signum primatus Petri ostendit glos. super verbo: Sugens Petrus dicens sic. Prę omnibus quasi princeps loquitur. Ex his ergo gestis per beatum Petrũ post Ascensionem Christi, quæ clarissima Principatus Petri testimonia sunt, manifestè apparet quod Petrus maior, ac Princeps Apostolorum fuerit: cùm non sit verisimile quòd beatus Petrus Spiritu sancto repletus præcipuus humilitatis commentator talia præ alijs attemptasset, nisi ex officio sibi incumbere cognouisset, & cæteris Prælatum se fore non dubitasset. Ex quibus apertissimè conuincitur error dicentium: quod beatus Petrus Apostolus, non ratione alicuius maioritatis potestatis, siue auctoritatis sed ratione tantùm alicuius virtutis in eo præstantioris, cæteris præferebatur Apostolis.

CAP. VI.

In quo inducuntur aliquæ rationes ad idem, videlicèt ad probandum, quod Petrus Apostolus Primatum habuerit super Apostolos.

Licèt ad probandum beati Petri Primatum, & superioritatem auctoritatis super Apostolos cæteros, & per consequens omnes alios Fideles: sufficere debeant sacræ Scripturæ inducta testimonia: nihilominùs ad ampliorem veritatis illustrationẽ Principatus beatissimi Petri Apostoli, illum apertis rationibus demonstrare curabimus.

Primò, sic ratione naturali: Dictante, & experientia docente videmus quòd quisque sapiens paterfamilias habens plures filios, ne familiam relinquat confusam, & sine ordine, vnum aliquem, quasi primogenitum cæteris præponit, quem facit hæredem vniuersalem: alios verò hæredes particulares sub eo: sicut Genes. 27. inquit Isaac filio suo Iacob, cui primogenita dederat: Esto Dominus fratrũ tuorum, ergo videtur, quòd similiter paterfamilias sapientissimus Christus cuius omnes credentes in eum, filij sunt secundùm Ioann. 1. [Dedit ei potestatem filios dei fieri his qui cre-

credunt in nomine eius.] Qui etiam dicit ad Apostolos omnes: [Vos fratres estis.] Matthæi 23. ita credendum est fecisse: ne familiam sua n confusam, sine rectore relinqueret, vt aliquem vnum alijs Apostolis præficeret Prælatum, ac Pastorem. Huiusmodi autem Petrus fuit, vt sacræ Scripturæ testimonia, quæ in cap. præcedenti induximus, apertissimè designant. Dicit Cyrillus vir, ac doctor clarissimus super illud Luc. 22. [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tuas ita inquir.] Christus omissis cæteris, venit ad Petrum cæteris Prælatum.

Secundò: Ille, cui commissum est à Christo cæteros fratres suos deficientes, & titubantes in fide confirmare, siue roborare, videtur Primatum,& magisterij auctoritatem super alios à Domino suscepisse; sed beato Petro Apostolo commissum est à Christo, vt cæteros fratres Apostolos, ac Christi Discipulos si fortè eos fluctuare, aut deficere à fide contingeret, in fide firmaret, ac roboraret iuxtà illud Luc. 22. [Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Ergo beatus Petrus Primatum habuit super Apostolos. Dicit beatus Cyrill. tractans præfatum verbum: [Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] quasi diceret, [postquam me negato ploraueris, & si penitueris, corrobora cæteros fratres tuos, cùm te Principem Apostolorum deputauerim:] Hoc enim decet qui mecum robur es, & petra Ecclesiæ.

Tertiò: Ille, cuius curæ, & regno tempore Apostolorum fuit totus grex Dominicus commissus à Christo super omnes, qui tunc erant, & futuri erant de grege Dominico Primatum habuit, siue obtiuuit. Sed curæ, & regimini beati Petri totus grex Dominicus commissus est à Christo dicente Petro:Ioa.vlt. [Simon pasce oues meas:] inter has, & illas non distinguens: & Apostoli ipsi nequaquam extrà gregem Dominicum censendi sunt, sed intra coputandi. Ergo beatus Petrus Primatum, & Principatum habuit super Apostolos; consequentia patet.

Quartò sic: Caput super omnia membra Primatum habere dinoscitur. Sed beatus Petrus caput fuit Apostolorum, vnde Ioann. 1. inquit Christus Petro: [Tu vocaberis Cephas,]quod scilicet secundùm vnam linguam, caput sonat. Dicit enim beatus Anacletus, vt habetur in cap. sacrosancta, dist. 22. inter beatos Apostolos quędam fuit discretio potestatis: & licèt sint omnes Apostoli; Petro tantùm concessum est, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, idest caput, & Principatum teneret Apostolatus. Et eadem sententia colligitur ex illo cap. beati Leonis Papæ; ita dicens dist. 19. [Ergo sequitur, quòd beatus Petrus Primatum habuit super omnes alios Apostolos.]

Quintò sic: Beatus Petrus potestatem acceperat à Christo regendi, & gubernandi omnes Apostolos, & cæteros fideles teste beato Gregorio, & habetur in cap. Petrus 2. quæst. 7. qui ait: Petrus potestatem regendi acceperat, & tamen idem Apostolorum primus quærimoniæ contra eum à Fidelibus factę &c. Ergo sequitur quod beatus Petrus Apostolus super omnes alios Apostolos, & reliquos fideles habuit Principatum.

Sextò hoc idem apertissimè habetur totius Ecclesiæ testimonio,quæ illi vniuersaliter decantat: [Tu es Pastor ouium Princeps Apostolorum, tibi tradidit Deus claues Regni Cœlorum.

CAP. VII.

In quo ponuntur improbationes quedam aduersariorum, contra fundamenta, quæ inducta sunt pro Primatu beati Petri.

Aduersarij veritatis ex opposito multipliciter insurgunt. Primò quidem fundamentales rationes inductas ex auctoritatibus sacræ Scripturæ, pro Primatu beati Petri supra in 5. cap. insufficientes esse ostendere nituntur.

Et in primis dicunt: Quòd ratio ex eo, quod Matthæus Apostolorum nomina describens Matth. 10. inter Apostolos Petrum nominat; non sufficienter probetur beatum Petrum habuisse Primatum, quia pari ratione beatus Iacobus dicendus, esset maior beato Petro; eo quod Paulus ad Galat. 2. describens Apostolos, cùm quibus fuerat Hierosolymis: Iacobum præferat beato Petro, sic dicit. Et cùm cognouissent gratiam, quæ data est mihi Iacobus, & Cephas, & Ioannes qui videbantur columnæ Ecclesiæ, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, &c. vbi Petrum Cepham vocat Apostolus iuxtà illud Ioann. 1. Tu vocaberis Cephas. Ergo videtur quod ratio illa non faciat fidem sufficientem quòd Petrus Primatum habuerit.

Secundò etiam ratio illa non videtur sufficienter probare Primatum Petri, quæ inducta est ex illo; quòd beatus Petrus dictus est fundamentum Ecclesiæ: cùm ei dictum sit: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:] quia paritèr idem de duodecim Apostolis arguendum esset, cùm ipsi etiam fundamenta Ecclesiæ dicantur. Vnde Apoc. 8. dicitur, quod murus Ciuitatis, scilicèt Ecclesiæ habebat 12. fundamenta, & in ipsis erant nomina 12. Apostolorum, & ita videtur quod ratio illa non sufficienter probet Primatum beati Petri.

Tertiò etiam ratio illa, non videtur sufficienter probare Primatum Petri, quæ ex illo sumebatur, quòd consequenter dictum Petro legitur: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum;] quoniam hoc idem dictum est omnibus Apostolis,sicut legitur Matth.18. [Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis super terram erunt ligata, & in Cœlis: & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in Cœlis.] Claues enim Regni Cœlorum nihil aliud videntur, quàm potestas soluendi, atque ligandi.

Quartò: nec illa ratio videtur sufficienter probare Primatum Petri, quæ ex illo sumebatur Ioann. vlt. [Pasce oues meas:] quia pascere oues specialiter, non contingit nisi triplicitur, scilicèt doctrina salutari: vita exemplari: disciplina, seu correctione, sed qui-

quilibet istorum modorum pascendi oues Christi communis fuit omnibus Apostolis; vniuersi enim Apostoli omnes oues Christi doctrina pascere debuerunt, ipsa veritate testante, quæ omnibus præcipit Apostolis, Matth. vlt. dicens: [Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.] Omnes etiam debebant pascere vita exemplari, Christo dicente illis Matth. vlt. [Vos estis lux Mundi.] Et sequitur; [Sic luceat lux vestra coram omnibus, &c. De modo pascendi correctione, & disciplina habetur Ioann. vlt. vbi Christus dixit omnibus Apostolis, [quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.] Ergo videtur, quòd Christus omnibus Apostolis, potestatem corrigendi alios commisit; & per consequens ratio illa non videtur sufficiens ad probandum Primatum beati Petri.

CAP. VIII.

In quo ponuntur aliæ rationes aduersariorum contra Petri Primatum ex Euangelijs sumptæ.

AMpliùs contra ipsam principalem conclusionem, quam nos Primatum beati Petri supra Apostolos cæteros firmauimus, aduersarij multa obijciunt, & ex Euangelijs.

Primò sic: Omnes Apostoli videntur recepisse æqualem potestatem à Christo. Ergo nullus eorum Christi institutione super alios consequentia patet, quia par super parem nullum noscitur Principatum habere. Antecedens autem deducunt ex multis Euangeliorum locis. Primò ex illo Matth. 18. [Amen dico vobis, quęcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlis.] Secundò ex illo Ioann. 20. [Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.] ex quibus verbis dicunt aduersarij manifestè patere, quod potestas ligandi, & soluendi æqualiter data sit à Christo Petro, & alijs Apostolis. Quod etiam confirmari credunt aliquorum sanctorum Patrum testimonijs. Primò: auctoritate beati Anacleti Papæ, qui vt habetur in cap. in nouo, dist. 22. inquit: [quod cæteri Apostoli cùm B. Petro pari consortio prędití, & honorem, & potestatem acceperunt.] Secundò auctoritate beati Cypriani; qui vt habetur in cap. loquitur Dominus 24. qu. 1. dicitur; quod hoc cæteri Apostoli erant, quòd Petrus fuit, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis.

Secundò sic principaliter: Christus interdicit Apostolis dominatum, & Principatum potestatis. Ergo sequitur, quòd nullus inter eos habuit Primatum super alios; consequentia patet, quia recipere potestatem super alios, quam non debet in eos recipiens exercere, superfluum, & vacuum est, ac inutile; quod in operibus Christi, qui summa sapientia est, esse non potest. Antecedes probatur ex illo Matth. 20. vbi Christus inquit ita Apostolis: [Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos; non ita erit inter vos.] Et Marc. 10. idem habetur.

Tertiò sic Luc. 22. dicitur de Apost. quòd facta est cōtentio inter eos quis eorū videretur esse maior. Dicit autē eis Saluator: [Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent, super eos benefici vocantur, vos autem non sic; sed si quis maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator, &c.] Ex ista auctoritate aduersarij arguunt dupliciter. Primò: Si Apostoli de maioritate, scilicet honoris, siue Primatus contendebant. Ergo sequitur, quod nullus inter eos Primatum habebat; patet consequentia quia si habuissent, cum eis fuisset notum, non contendissent super hoc. Secundò ex eo quòd Dominus contentionem resoluens dicitur eis, vt singuli se minores singulis reputarent. Sed hoc Apostoli facere non potuissent, si aliquis inter eos habuisset Principatum; cum ipse seipsum alijs minorem estimare non posset cum veritate. Ergo videtur quòd nullus inter Apostolos habuit Principatum.

Quartò sic: Siquis maior fuit inter Apostolos, & Princeps, ille potiùs dici deberet, qui immediatè Christo successit in Ecclesia militante, in qua Christus Pontificatum tenuit; & quam sui passione glorificauit. Et ita ergo Iacobs Alphei potiùs Christi Vicarius, & eius successor, ac Ecclesiæ Princeps dici deberet, quàm Petrus; sed hoc non. Ergo videtur quòd nec Petrus Principatum habuisse dicendus sit.

CAP. IX.

In quo ponuntur aliquæ aduersariorum rationes ex epistolis beati Pauli collectæ.

ARguunt communiter aduersarij ex cap. 2. epistolæ beati Pauli ad Galat. & maximè ex eo primò, quòd beatus Paulus de Christi Apostolis principalibus loquens, ita dicit: [Mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil, contulerunt, inter quos erat Petrus; sed etiam cum cognouissent, quod creditum est mihi Euangelium præputij. Idest prædicandum gentibus; sicut & Petro circumcisionis. Idest iudæis, qui enim operatus est Petro in Apostolatu circumcisionis, operatus est mihi inter gentes; dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, vt nos inter gentes, & ipsi in circumcisione.] Ex quo loco contra Petri Primatum arguunt aduersarij ex quatuor capitibus.

Primò ex illo, quod ait Paulus: Nihil mihi contulerunt. Ex quo patet, inquit Glos. quòd non illis inferior fui, qui à Domino Deo adeò perfectus sum, quòd nihil esset, quod in collatione perfectionis meæ addiderint, qui enim illis imperitis tribuit sensum, dedit & mihi. Hæc Glos. Ex hoc sic arguunt: Si Petrus Princeps fuisset, Primatum habens inter Apostolos; profectò Paulus, & cæteri in Ecclesia potestatem habentes, eam à Petro suscepissent, cùm capitis sit influere sensum, & motum regiminis cæteris membris omnibus.

Secundò arguunt ex illo, vbi inquit Apo-

sto-

stolus: Cùm congnouissent, quòd creditum est mihi Euangelium, præputij, sicut & Petro circumcisionis. Quia in hoc videtur Paulus æquiparare se Petro, cum innuat se potestatem recipisse inter gentes æqualem potestati Petri inter iudæos, maximè cùm dicat Gloss. in hoc loco: [Creditum est Euangelium mihi fideli, ita principaliter, sicut & Petro.] Non est autem dubium, quin ista repugnent Principatui Petri.

Tertiò arguunt ex illo, quòd ait Apostolus, quòd sibi, & Barnabæ dexteras societatis dederunt. Cùm enim societas videatur importare paritatem quamdam, non videtur Princeps nominandus socius subditi, siue subiecti.

Quartò ex illo quod sequitur: Vt nos inter gentes, & ipsi in circumcisione. Vbi videtur Paulus restringere Apostolatum Petri ad circuncisionem tantùm. Ex quibus dicunt, manifestè videri, quòd ex institutione Christi Petrus non fuerit Paulo; nec alijs Apostolis superior. Consequenter arguitur per aduersarios ex illo, quod in præfato c. ad Galat. dicit Apostolus sic: [Cùm autem venisset Petrus in Antiochiam in facie ei restiti, quia reprehensibilis erat.] Ex hoc arguunt, quòd Paulus nequaquam ita publicè ausus fuisset Petrum Apostolum reprehendere, si Petrus Princeps eius fuisset, aut superior: cum præceptum legis sit Deuter. 21. Dijs non detrahes, & Principi populi non maledices. Vnde beatus Hieronymus, in hoc loco inquit, & habentur 2. quæst. 7. cap. Paulus, quòd Paulus, Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se non imparem sciret; ergo videtur, quod Petrus non fuit Paulo maior, & per consequens, nec Princeps Apostolorum.

CAP. X.

In quo sunt aduersariorum rationes contra Petri Primatum sumpta ex actibus Apostolorum.

AMpliùs errorem suum aduersarij firmare nituntur ex actibus Apostolorum.

Et primò ex illo Act. 1. vbi de electione Apostoli Matthiæ agitur, quia si Petrus habuisset Primatum inter Apostolos, non concurrisset cum eis ad electionem cuiuscumque inferioris, sed potiùs sua auctoritate instituisset, sed Petrus concurrit cùm alijs Apostolis ad electionem Matthiæ, vt habetur Act. 1. vbi dicitur, quæst. 11. statuerunt duos scilicèt Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Matthiam, & orantes dixerunt, &c. Et sequitur: Dederunt eis sortes, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est 11. Apostolis. Et sic patet, quòd Matthias simul electus est à Petro, & ab alijs, ergo sequitur, quod Petrus non habuit aliquem Primatum super Apostolos.

Secundò idem arguitur ex illo Act. 6. vbi de electione 7. Diaconorum ita scribitur: Conuocantes autem 12. multitudinem Discipulorum dixerunt: Non est æquum, &c. Et primò elegerunt Stephanum, & alios sex, & statuerunt eos ante conspectum Apostolorum & orantes imposuerunt eis manus. Ex hoc arguunt sic: Si Petrus Princeps Apostolorum fuisset, sibi præsentari debebant electi, & non omnibus Apostolis, & ad ipsum, & non ad omnes Apostolos confirmatio, siue manus impositio debuit pertinere, sed videmus, quod hoc non est factum, sed æqualiter omnibus. Ergo videtur, quòd Petrus Primatum inter Apostolos non habuit.

Tertiò sic: Contra rationem esse videtur, quòd inferiores mittãt superiores, missio enim superioritatem importare videtur in mittente respectu personæ missæ. Non est autem credendum, quòd Apostoli aliquid egerint contra rationem, sed Act. 8. habetur, quòd cum audissent Apostoli, quòd receperit Samaria verbum Dei: miserunt ad illos Petrum, & Ioannem, ergo videtur, quòd Petrus non fuit superior cæteris Apostolis eum mittentibus.

CAP. XI.

In quo respondetur ad improbationes factas contra fundamenta, quæ inducta fuerunt pro Primatu beati Petri.

FAcilè patebit aduersariorum improbationes superiùs inductas contra ea, ex quibus principaliter Petri Principatum probauimus, nullius foret vigoris; cum ostenderimus aliundè rationes nostras recepisse fundamentum, quàm vnde aduersarij arbitrati sunt.

In primis quidem prima improbatio nulla est, non enim argumentati sumus, Petrum Apostolum Primatum habuisse, quia inter Apostolos primo fuerit nominatus, sed quia Apostolorum primus fuerit nuncupatus, ait enim sic Euangelista: Duodecim nomina Apostolorum sunt hæ; primus Simon, qui dicitur Petrus. Dictus est autem primus vt supra in cap. 5. diximus, prioritate Apostolicæ dignitatis, non prioritate temporis vacationis ad Apostolatum. Vndè gloss. super hunc locum, quæ est Rabani dixit sic: Simon, idest obediens, qui propter Primatum Apostolici ordinis vocatur Petrus, idest firmus. Prætereà, quod beatus Paulus ad Galat. 2. priùs nominauit Iacobum, quam Petrum: hoc non ideo, quòd Iacobus maior, aut æqualis Petro fuerit auctoritate: sed vt dicit S. Thom. super epist. ad Galat. quia Episcopus erat Hierosolymitanorum, vbi hæc fiebant. Et ita dicit Dominus Petrus de Tarantasia super epistolas Pauli.

Cæterum secunda improbatio nulla fuit, quia non argumentati sumus, Petrum Primatum habuisse, quia dictus fuit fundamentum, siue petra Ecclesiæ, sed ideò, quia singulariter Petrum alijs præsentibus Apostolis Christus petram nominauit Ecclesiæ. Ex quo videtur, quòd licet alijs Apostolis commune fuerit cum Petro fundamentum esse Ecclesiæ: vt aper-

apertè ad Ephes.3. habetur, & Apoc.21.sicut idest pleniùs habebitur. Nihilominùs Petrus post Christum principale fundamentũ fuerit, & totius fundamentum Ecclesiæ. Vnde beato Dionys.teste:Paulus fertur Petro versus mortem dixisse: [Pax, inquit, tecum fundamentum Ecclesiarum, & Pastor ouium Christi.] Vnde Leo Papa in sermone 3. consecrationis suæ dicit, quod in Petro omnium fortitudo iunitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro attribuitur,per Petrum Apostolis confertur. Hæc illæ.

Teriò improbatio tertia nulla fuit,quoniã non probauimus Petrum Primatum habuisse nec ex eo, quod claues à Christo acceperit, nec ex eo, quod dictum fuerit illi: [Quodcumque ligaueris,] sed ex eo,quod ipsi singulariter alijs præsentibus Apostolis, Christus claues regni Cœlorum promittit: & priùs tempore ipsi soli dicit: [Quodcumque ligaueris super terram, &c.] quàm ipsi, & alijs discipulis communiter dixerit. [Quæcumque ligaueritis, &c.] Vnde vt dicit S.Thom. in 4. distin.24. [Quamuis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi, & soluendi:] tamen vt in hac potestate aliquis ordo significaretur,primò soli Petro data est, vt ostendatur, quod ab eo in alios debeat deriuari. Hoc planè manifestum signum est Primatus Petri. Cæterum ex differentia etiam verborum, quibus Christus vsus est cùm Petro soli potestatem clauium dat; & quibus vsus est, cùm illi, & alijs communiter tribuit, etiam ipse Petri Primatus arguitur. Nam ad Petrum vsus est his verbis: [Quodcumque ligaueris super terram,erit ligatum, & in Cœlis, &c.] Ad Apostolos verò sic. [Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cœlo.] Super quo dicit Origen. [Apostolis, inquit, in Cœlo non in Cœlis sicut Petro, quia non erant tantæ perfectionis sicut Petrus.] Et sic patet, quòd improbatio illa aduersariorum nulla sit.

Quartò hoc idem facilè ostenditur de improbatione quarto loco facta, & hoc propter tria. Primò, quia non sumus argumentati Primatum beati Petri ex sola Pastoralis curæ commissione, sed ex eo, quod præsentibus alijs Apostolis nulla de illis mentione facta,soli Petro Christus indefinitè curam gregis suæ committit dicens Simon, Ioannis [diligis me, pasce agnos meos, pasce oues meas.] Theophilus in gloss. ait: Præteriens autem Dominus alios,Petro de talibus loquitur: eximius enim erat Apostolorum, & vertex Collegij. Item beatus Greg. super Ioann. & Sanct. Thom. adducit in gloss. super illud Ioann.21. Accessit Simon, & traxit rete, Petro autem sancta Ecclesia est commissa: ipsi specialiter dicitur. [Pasce oues meas.] Nec obuiat huic, quod August. dicit, quod etiam hoc ad omnes dictum est, quia etsi ad omnes Apostolos dictum esse intelligatur:hoc tamen in Petri persona tanquam à quo in alios deriuanda erat potestas, dictum est illis, per quod singularis prærogatiua Primatus Petri demonstratur in hoc, quod figuram gessit omnium aliorum. Vnde beatus Augustinus super Ioann. dicit, quod totius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui Primatum gerebat figurata generalitate personam. Secundò nulla est aduersariorum improbatio, quoniam licet modus ille pascendi, communis fuisset omnibus Apostolis, non tamen æqualiter,cum discretio potestatis fuerit inter eos,vt dicit B.Anacl. in cap.sacrosancta dist.22. Solus enim Petrus habuit in vniuerso Orbe pascẽdi auctoritatem,vtpotè totius gregis Dominici pastor. Alij verò non vniuersaliter,sed secundùm mensuram taxandam,& limitandam per Petrum. Vnde gloss.super illud primi Petri quinti. Pascite eum, qui in vobis est gregem, dicit sic: Sicut Dominus Petrum curam totius gregis habere iussit:ita Petrus sequentibus iure mandat,vt eum quisque,qui secum est, gregem Dei sollicita gubernatione tueatur. Hæc ibi. Hanc singularitatem preeminentiæ Petri beatus Ambros. tangit super Luc. cap. vltim. exponens præfatum verbum Ioann. vltim. [Petre amas me, &c.] vbi sic dicit: Benè conscius sui non ad tempus assumptum, sed iamdudùm Deo cognitum Petrus testificatur affectum,quis est alius, qui de se hoc facilè profiteri possit? & ideò quia solus profitetur ex omnibus,omnibus antefertur. Hæc Ambros. Tertiò potest dici, quod falsum aduersarij assumunt cum arguendo dicunt, quod pascere oues non contigit nisi tripliciter, quod patet ex gloss. Ioann. vltim. quæ Alchuini est sic dicentur. [Pascere oues est,credentes in Christo ne à fide deficiant,confortare: terrena subsidia, si necesse fuerit, subditis prouidere, & exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere, aduersarijs resistere: errantes subditos corrigere. Hæc gloss. Patet ergo, quod cura Pastoralis beato Petro commissa plus continet auctoritatis, quàm illa contineant, quæ Petro, & alijs Apostolis simul dicta fuerunt.Sed de hoc pleniùs inferiùs habebitur.

CAP. XII.

In quo respondetur rationibus supra factis contra beati Petri Primatum, quæ ex Euangelio sumi videbantur.

Datis responsionibus ad improbationes aduersariorum inductas contra principalia fundamenta, ex quibus beatum Petrum Primatum habuisse inter Apostolos ostendimus, iam reliquum est respondere rationibus, quibus aduersarij Primatum ipsum beati Petri impugnant.Et primò ad eas,quæ ex Euangelio videbantur sumi.

Et ad primam cum dicitur, quòd Apostoli æqualem potestatem receperunt, &c. respondetur hoc assumptum esse falsum. Et ad probationem, quæ inducitur ex auctoritate Matth.18. & Ioann. vltim. respondetur, quod ex illis auctoritatibus nihil probatur, quoniã licèt ex illis auctoritatibus habeatur, quod potestas clauium sit data omnibus Apostolis, non tamen habetur, quod æqualiter data sit omnibus, sicut licet, vt inquit Apostolus ad Rom.13. non sit potestas nisi à Deo non tamen sequitur, quod omnibus rebus potesta-

testatem habentibus, potestas æqualis data sit, & ita est in proposito. Licet enim omnibus Apostolis potestas clauium data sit, nihilominùs tamen Petro, qui caput, & Princeps aliorum ordinabatur, plenius data est, sic ex gloss. Matth. 16. superiùs inducta in cap. 5. Vnde patet, inquit S.Thom. in 4. distinct. 24. Quamuis omnibus Apostolis communiter data sit potestas ligandi, & soluendi: tamen vt in hac potestate aliquis ordo significaretur, primò soli Petro data est, vt ostendatur, quòd ab eo in alios debeat ista potestas descendere, propter quod ei dixit singulariter: [Confirma fratres tuos, & pasce oues meas,] idest loco mei vt Chrysost. dicit. Præpositus, & caput esto fratrum, vt ipsi te in loco meo assumentes, vbique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment.

Ad duas autem auctoritates consequenter inductas scilicet sanctorum Anacleti, & Cypriani: in quibus dicitur, quod Apostoli pari consortio honoris, &c. respondetur dupliciter. Primò, quod cum dicitur: Pari consortio, &c. dicimus quod ly pari non dicit æqualitatem potestatis, aut honoris, sed similitudinem. Vnde exponendus est pari, idest communi, siue simili potestate, paritas enim non tantum æqualitatem, sed etiam similitudinē in sacris literis legitur designare. Vnde Leuit. 18. dicitur; [Cauete ne vos similiter euomat, cum paria feceritis] gloss. idest similia. Et quod in hac significatione nomen paritatis accipiendum sit in proposito ex sententia beati Leonis Papæ: qui scribens ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum ita dicit; Quoniam inter beatiss. Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio vni tantum datum est vt cæteris præemineret. Ecce, quod ibi Anacletus, & Cyprianus dicunt, pari consortio honoris, &c. Leo Papa quasi exponens dicit: in similitudine honoris. Secundò respondetur, quod vt supra dictum est in 1. libro, & in gloss. sacrosancta distinct. 22. tangitur: duplex dicitur potestas. Quædam scilicet ordinis, siue consecrationis, & quædam regiminis, siue administrationis. Dicimus ergo, quod paritas illa, de qua loquitur Anacletus, & etiam Cyprianus accipienda est quantùm ad dignitatem ordinis, siue consecrationis, illa enim æqualis fuit omnibus Apostolis, non autem intelligenda est quantùm ad potestatem regiminis, siue administrationis, quoniã in hac potestate Petrus superior, & maior fuerit, & quod talis fuerit intentio præfatorum Sanctorum patet ex eorum dictis, nam Anacletus in cap. præallegato scilicet sacrosancta distinct. 22. ita inquit: Inter beatos Apostolos quædam discretio fuit potestatis, & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen concessum est à Domino, & ipsi inter se voluerunt idipsum vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & cephas, id est caput, & Principatum teneret Apostolatus. Item hoc idem beatus Cyprianus designat in cap. loquitur Dominus 24. quæst. 1. vbi post verba inducta ita subiungit. Sed ab vnitate exordium proficiscitur, vt Ecclesia Christi vna monstretur. Præterea probatur ex eo; quod infra huius Ecclesiæ caput, & potestatis originem dicitur esse Apostolicam Sedem. Ex quibus clarissimè ostenditur, quòd sententia horum Sanctorum est, Petrum Primatum habuisse inter Apostolos, ac Principatum habere in vniuersali Ecclesia.

Ad secundam rationem respondetur negando antecedens, & ad probationem ex cap. Matth. 20. respondetur, quod Christus non interdicit omnem dominatum ab Apostolis, siue Principatum, sed tantum dominatum, quo gentiles, & homines mundani vtuntur in subditos. Pro quo notandum iuxta S.Thom. in postilla sua super Matth. exponendo prædictam auctoritatem, quod dominari dupliciter accipitur. Vno modo accipitur pro præesse, & hoc modo non loquitur Christus in præfato loco Matth. 20. nec talis dominatus interdicitur Apostolis. Vnde Christus legitur dixisse Petro: Super plebem meam Principem te constitui. Et Apostolis dicitur Psalm. 44. [Constitues eos Principes super omnem terram.] Et de exercitio Pastoralis præsidentiæ commissæ beato Petro dicitur Io. vlt. [Simon Ioannis pasce oues meas.] Alio modo dominari dicitur, prout relatiuè dicitur ad seruum; vniuersaliter sic dominari est idem, quòd seruiliter sibi subijcere seruum; & hoc modo sumitur in loco præallegato, cùm ait Dominus: [Principes gentium dominantur eorum, &c.] Principes enim constituti sunt ad hoc, vt bonum procurent subditis. Si verò illos volunt in seruitutem redigere, tunc abutuntur Principatu, qui vtuntur liberis, vt seruis. Et quia hoc consuetum erat apud Gentiles, & adhùc est apud aliquos dicit: [Principes gentium dominantur eorum;] idest, in seruitutem redigunt sibi subditos secundùm illud Ezech. 20. [Principes tui in medio eius quasi lupi rapaces.] Et talis primatus, siue dominatus interdicitur à Christo Apostolis, cùm ait dicens: [Non erit ità inter vos.] Vnde beatus Chrysostomus super Matth. pertractans hoc verbum, ità inquit: [Principes Mundi ideò fiunt, vt dominarentur minoribus suis, & abutantur vita eorum ad suas vtilitates, & glorias.] Principes aut Ecclesiæ, vt seruiant minoribus suis, & ministrent eis quæcumque acceperunt à Christo, vt suas vtilitates negligant, & illorum procurent.] Hæc Chrysost.

Ad tertiam rationem, quæ sumitur ex illo Luc. 22. [Facta est contentio, &c.] Respondetur ad primam partem negando consequentiam. Dicimus enim, quòd licet Apostoli tunc nondùm plenè cognouerint quis inter eos post Christi corporalem abscessum cæteris præsidere deberet; & ideò de hoc contenderent: non sequitur propter hoc, quòd Christi dispositione nullus inter eos maior esset præordinatus: imò hoc expresè innuit Dominus cùm ait: [Qui maior est inter vos, &c.] Ad secundam partem eiusdem rationis respondetur, quòd Christus in verbis illis non docuit Apostolos, vt singuli reputarent se singulis minores inferioritate officij, seu auctoritatis: nec hoc Christus suo exemplo docuit, qui dicit Io. 13. [Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis.] Sed hoc docuit, vt quantò inter Apostolos, quis esset maior, tantò esset humilior, secundùm illud Ecclesiast. 3. [Quantò maior es, tantò te humilia in omnibus.]

Ad

Ad quartam rationem respondetur, cùm dicitur, quòd ille debuit Principatum habere inter Apostolos, qui immediatè Christo succedit in Ecclesia, &c.] Respondemus, quòd verum est intelligendo de successione tamquam generalis Vicarius. Vndè iste solus fuit beatus Petrus, qui tamquam generalis Vicarius in toto Orbe Christo successit, & non Iacobus Alphei, qui ab ipso Petro post Hierosolymis Episcopus est ordinatus. Vndè sanctus Thomas exponens illud Io. vlt. [Sequere me;] dicit iuxtà Chrysost. quòd Iacobus licèt post Ascensionem Christi specialem curam illius loci habuerit: Petrus tamen vniuersalem totius Ecclesiæ curam obtinuit. Quòd autem Petrus Christo immediatè etiam Hierosolymis successerit, patet ex hoc, quod ibi officia Summi Pontificis quoad prædicationem, quoad Matthiæ electionem, & quoad alia superiùs expressa primò inter omnes exercuit, sicut supra in cap.5. copiosè monstratum est. Verùm locus Hierusalem, licèt consecratione sanguinis Christi fuerit gloriosior: nihilominùs tamen Roma per successione Summi Pontificis fuit aptior: sicut inferiùs ostendetur. Hinc Petrus Sedem specialem suam tandem Romæ elegit constituto Hierosolymis Episcopo beato Iacobo: & hoc pulchrè, siue conuenienter, vt dicit beatus Bernardus libro 2. de considerat. ad Eugenium; vt ibi positus suscitaret semen defuncti fratris, vbi occisus est ille: nàm dictus est frater Domini.

CAP. XIII.

In quo respondetur rationibus sumptis ex epistolis beati Pauli.

AD primam rationem sumptam ex prima parte auctoritatis inductæ ex Apostolo ad Galath. 2. respondetur negando consequentiam: quoniam Apostolus Paulus in prædictis verbis non negat se aliquid auctoritatis à Petro suscepisse; sed tantùm ostendit veritatem Euangelij sui ex collatione cum alijs Apostolis, & eorum approbatione. Ascendit enim (vt dicit in principio eiusdem capit.) post 14. annos à Passione Christi Hierosolymam, & contulit cum Petro, & alijs secum stantibus, Euangelium, quod prædicabat in gentibus, & ostendit tria. Primò, quod alij Apostoli, cum quibus contulit, nihil in sua prædicatione correxerunt quasi falsum. Secundò, quod nihil suppleuerunt, vel addiderunt quasi diminutum. Tertiò, quod eum in societatem suam receperunt tamquam verum Apostolum: propter quod ex parte perfectionis doctrinæ, vt dicit Gloss. non fuit inferior alijs Apostolis, qui ità à Deo perfectus fuit, vt nihil esset, quod in collatione perfectionis suæ adderent. Dei enim perfecta sunt opera Deuteron. 32. Et ità patet quomodò, siue in quo Paulus non dicebatur inferior Petro, scilicèt in duobus. Primò in hoc, quod à Christo immediatè erat institutus Apostolus, vt Petrus, & alij. Secundò in hoc, quod adeò perfectè instructus in Euangelio erat sicut & ipse Petrus. Non autem dictus est par Petro in potestate iurisdictionis: quoniam non latebat ipsum Paulum, Petrum caput esse Ecclesiæ; vndè eum vocat Cephas, quod caput, secundùm linguam græcam sonat, vt dicit beatus Isidorus. Cæterùm, licèt Paulus non immediatè à Petro Apostolatus officium susceperit, sicut nec alij Apostoli, sed à Christo immediatè; non sequitur, quod beatus Petrus non fuerit Pauli, sicut & aliorum Apostolorum Princeps, & Prælatus. Sicut enim superiùs in cap. præcedenti diximus, licèt potestatem Christi reliquis Apostolis contulerit. In ordine tamen ad Petrum contulit eis, cui primo singulariter ait: [Tibi dabo claues Regni Cælorum, &c.] In cuius signum beatus Paulus, licèt à Deo esset immediatè Gentium prædicator constitutus: nihilominùs ad Petrum venit, cum eo de Euangelio suo collaturus. De quo Hieron. in epistola ad August. 22. Denique tantæ auctoritatis Petrus fuit vt Paulus in epistola sua scribit: [Deindè post tres annos veni Hierosolymam videre Petrum; & mansi apud eum diebus 15. Rursùmque in sequentibus, post annos 14. ascendi iterùm Hierosolymam cum Barnaba assumpto, & Tito: ascendi autem, secundùm reuelationem, & exposui eis Euangelium, quod prædicaui inter gentes, ostendens non habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri, & eorum, qui cum eo erant fuisset sententia roboratum.] Hæc Hieron.

Ad secundam rationem, quæ ex secunda parte inductæ auctoritatis ad Galath. 2. assumebatur: respondetur, negando, quòd per illa verba Paulus æquiparare se vellet Petro in potestate regiminis, quem sciebat Rectorem constitutum, & Caput totius vniuersitatis Ecclesiæ; nec Paulus credidit Petri potestatem restrictam esse solùm ad circumcisos, licèt appropriatè pro illo tempore ad illos specialiter verbum prædicationis extenderet: quoniam Petrus in Antiochia sedit, & in Hierusalem, & multos conuertit ibidem, & alibi ex gentibus, sicut patet Act. 10. de Cornelio; & 11. vbi reprehensus legitur à circumcisis fratribus, quod ad gentes ingressus fuisset, & cùm conuersis ex gentibus manducasset. Ad id autem, quod Gloss. dicit: quod ita principaliter, sicut Petro erat sibi creditum Euangelium. Respondetur, quod ly principaliter, vt exponit Magister Nicolaus Gozram in postilla sua super epistola Pauli, dicit esse intelligendum quoad officium prædicationis, non quoad officium prælationis. Quod ex ipsis verbis Pauli manifestè colligitur. Paritas autem hæc potestatem ordinis, quæ par fuit in Apostolis, vt supra declarauimus, respicit: non autem potestatem iurisdictionis.

Ad tertiam rationem, quæ ex tertia parte auctoritatis præfatæ assumebatur: respondetur, negando consequentiam. Sicut enim ex hoc, quòd Christus, Ioan.20. vocat Apostolos fratres, non sequitur, quòd non fuerit eis superior. Similiter, sicut nec ex hoc, quòd Papa Episcopos vocat fratres, in aliquo primatui Apostolico derogatur; ita nec ex hoc, quod Petrus frater, & socius dictus sit Pauli modo prædicto, sequitur, quod non

non fuerit Princeps eius, ac superior. Præterea falsum est, quod assumitur, videlicet, quòd Princeps, aut superior numquam dicatur subditos habere socios. Nàm 1. Reg. cap. 23. dicitur: [Fuit Rex Saul, & socij eius ad quærendum Dauid.]

Ad quartam rationem sumptam ex quarta parte supradictæ auctoritatis, respondetur falsum esse, quod Paulus crediderit Petri potestatem restrictam esse solùm ad circumcisos; immò eius auctoritas, & potestas etiam ad gentes se extendit: sicut in responsione ad secundam rationem diximus, quod etiam manifestè colligitur Act. 10. vbi ostenso sibi linteo pleno animalibus dictum est ei: [Surge Petre, occide, & manduca.] vbi Glossa interlin. ità dicit, idest, recipe ad vnitatem corporis Ecclesiæ, cuius Petrus Princeps; & occide in gentibus, quod fuerant, & fac, quod es.]

Ad vltimam rationem, quæ sumpta est ex illo loco in ea legitur epistola: vbi Apostolus Paulus dicitur Petro in facie restitisse; respondetur, negando consequentiam; quoniam ex hoc, quòd Paulus restitit in illo casu Petro in faciem publicè, non sequitur, quòd maior, aut par in auctoritate Petro fuerit; quoniam vbi imminet periculum fidei, siue animarum subditi, etiam publicè possunt in faciem resistere Prælatis suis, vt beatus Gregorius inquit, & habetur in cap. Paulus dist. 2. qu. 7. vbi ità dicit: [Paulus dicit, seniorem ne increpaueris;] sed hæc eius regula in eo reseruanda est; cùm culpa senioris suo exemplo nō trahit ad interitum corda iuniorum. Et hac ratione inquit beatus Thomas in 2. 2. [Paulus licet esset subditus Petri, propter imminens scandali periculum circa fidem Petrum publicè arguit.] Et sicut Glossa dicit ad Galath. 2. [Petrus exemplum maioribus tribuit, vt sicubi fortè rectum reliquissent, non dedignarentur etiam à posterioribus corrigi.] Id autem, quod inducebatur Deuteron. 21. [Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices;] non facit ad propositum, quoniam talis reprehensio non est detractio, nec est maledictio. Ad Gloss. autem Hieronym. dicentem, quòd Paulus Petrum reprehendisse, non auderet, nisi se illi non imparem sciret: dicit Gratianus in cap. Paulus 2. qu. 7. ità: [Hoc non de officio Ecclesiasticæ dignitatis, sed paritate vitæ, & sanctitate conuersationis intelligitur. [Solus enim Petrus, inquit, [inter Apostolos primatum gerebat.] Sed meliùs videtur dicendum iuxta S. Thom. in 2. 2. quæst. 34. art. 4. quòd Paulus erat par Petro quoad fidei defensionem, non quoad dignitatem prælationis; quoniam de paritate vitæ, aut conuersationis sanctitate, non benè videtur intelligendum, cùm Paulus dicat: [Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum, 1. Corinth. 4. vbi Gloss. magistri ità ait, [idest, non ideò me iustum puto; quia potest esse, quod nescio: delicta enim, quis intelligit, & quis gloriatur se mundum habere cor, &c.] humiliat se Apostolus, hoc dicens, vt homo loquitur, qui potest habere culpam nescius.] Hæc Gloss.

CAP. XIV.

In quo respondetur rationibus Aduersariorum, quæ sumuntur ex Actibus Apostol.

Ad rationem primam sumptam ex c. 1. Act. Apostolorum respondetur, negando consequentiam; & ratio est, quoniam licet Petrus non solus, sed simul cum alijs elegerit Matthiam: non est factum ex defectu potestatis, quæ fuerit in Petro ad electionem illā faciendam, cum Princeps Apostolorum foret. Vnde Gloss. super illud. [Exurgens Petrus in medio fratrum dixit.] Dicit Gloss. interlin. [Pastor pro ouibus loquitur, sed factum est religiosa intentione pacis, & vnitatis causa. Quod manifestè beatus Chrysostomus exponens hunc locum super Actus Apostolorum profitetur, ità dicit, [Petrus vt inflammatus, & sicut ille, cui à Christo commissum erat ouile, & vt Princeps Apostolorum semper primus incæpit sermonem.] Vide autem, quia Petrus omnia facit communi omnium voluntate, nihil agit principaliter, aut dominatiuè. Et idem. [Oportet ergo ex his, qui nobiscum sunt viris in omni tempore.] Quare ità palàm omnibus loquitur, [ne contentiosè res fierent, & ad litem deuenirent, & ideò scandala vitabat.] Quapropter incipiens, dicit: [Viri fratres oportet eligi ex vobis; multitudini populi electionem concedit, vt & ipse à contentione liberaretur, & alijs honor exhiberetur.] Et idem Quid ergo, &c. [Eum eligere non poterat, vtique poterat, sed ne videretur ipse gratiam dare, ideò non fecit.] Et idem: [Centum & viginti erant, & vnum quærit ex omni multitudine.] Opportunè verò primus Petrus huiusmodi rei dominatur, quia ipse omnes in potestate acceperat. Ad eum enim dixit Christus: [Et tu aliquandò conuersus confirma fratres tuos.] Hæc Chrisost. Ex qua expositione beatissimi Chrysostomi, multa Aduersariorum deliramenta confunduntur, quæ ex falsa intelligentia libri Actuum Apostolorum conflata sunt.

Ad secundam rationem, quæ sumitur ex cap. 6. de electione septem Diaconorum, patet responsio ex responsione data ad rationem superiorem, negando consequentiam; cuius ratio est, quoniam non obstat Primatui, siue Principatui beati Petri, quòd ad id, quod solus agere poterat alij, Apostoli secùm ad agendum conuenirent; cùm hoc non ex eo factum sit, quòd alij Apostoli maioris potestatis essent, quàm solus Petrus; aut quòd Petrus eguerit illorum adiutorio potestatis; sed factum est ita, rationibus iam dictis iuxta beatum Chrysostomum, videlicet vt contentio vitaretur, vt honor etiam alijs exhibeatur Apostolis, & vt in Petri obseruantia, doctrina Magistri sui refulgeret: [Qui maior est in vobis, fiat sicut minister.]

Ad tertiam rationem sumptam ex c. 8. de missione Petri respondetur, quòd assumptum est falsum; videlicet, quòd omnis missio importet superioritatem in mittente respectu

ctu miſſi; hoc enim fuit vnum de fundamentis Arrij ad ponendum inæqualitatem ſubſtantiæ, & poteſtatis in Diuinis Perſonis; quia in Scriptura ſancta legitur & Pater mittere, & Filius, & Spiritus ſanctus leguntur mitti; vt ex lib. 4. de Trinit. beati Auguſtini apertè colligitur. Præfatum etiam fundamentum Aduerſariorum fuit vnum de fundamentis Armenorum contra Primatum Romani Pontificis, vt deducit D. Richardus in lib. de quæſtionib. Armenorum lib.7. cap.3. Item quòd ſit falſum prçſuppoſitum illud patet ex illo Matt. 2. vbi dicitur Herodes mittens tres Reges Magos, qui venerant adorare Dominum in Bethleem dixit eis; Ite & interrogate diligentèr de Puero &c. Et tamen clarum eſt, quòd Herodes nullam auctoritatis ſuperioritatem habebat ſuprà Reges prædictos. Cæterum Gen. 41. dicit Ioſeph fratribus ſuis: Mittite ex vobis vnum, vt adducat fratrem veſtrum minimum, planum eſt, quod huiuſmodi miſſio non importabat ſuperioritatem auctoritatis in mittentibus reſpectu miſſi. Videtur ergo, quid eſt miſſio, videlicet ſecundùm auctoritatis Imperium: vt ſeruus mittitur à Domino, quemadmodum Rex mittit ſeneſcalcum, aut Papa legatum. Alia eſt ſecundùm Conſilium, vt conſiliarij, ſiuè Senatus dicitur mittere Regem ad bellandum. Iſtos duos modos miſſionis tangit, S. Thom. in 1.p. quæſt.43. art. 1. Tertius modus eſt, ſecundùm auctoritatem amoris, ſicut quandoque ſocij, aut etiam inferiores mittunt Nuncium, ſiuè Ambaſiatorem ad Regem, ſiuè Papam aliquem maiorem inter eos, reſpectu cuius nullam habent auctoritatē prælationis, ſed tantum amoris. Qua diſtinctione habita poteſt dupliciter dici. Primò, quòd Apoſtoli non miſerunt auctoritatis Imperio, ſed miſerunt eum, prouidentiæ Cōſilio, ſuggerentes ei, vt ipſe iret, vtpotè magis accommodus. Tum ratione auctoritatis. Tum quia præ cæteris, maiori ſplendebat miraculorum gratia. Talis autem miſſio non dicit ſuperioritatem auctoritatis in mittente. Et quòd talis fuerit illa miſſio, videtur apertè colligi ex glo. ordi. eiuſdem textus, quæ dicit ſic. Petrus Ioannem aſſociat ſibi, quia Virginitas Eccleſiæ grata eſt, & placet: planè ſi iſta miſſio facta fuiſſet ab aliquo ſuperiori, nō diceretur, quòd Petrus aſſociat ſibi Ioannem, ſed diceretur magis, quòd Ioannes aſſociatus ſibi eſſet ab alijs. Secundò poteſt dici, quòd iſta miſſio, qua Petrus dicitur miſſus ab Apoſtolis, fuit, vt dicit Dominus Vlricus in sūma ſua Theologiæ, auctoritate amoris, qui gradum neſcit, non auctoritate prælationis, cum Petrus vertex fuerit Apoſtolorum. Hæc ille.

CAP. XV.

Quòd Beatus Petrus non ſolùm inter Apoſtolos, ſed ſuper omnes fideles in toto Orbe terrarum habuit Principatum.

QVòd verò Beatus Petrus non ſolùm aliorum Apoſtolorum Princeps fuerit, ſed in totum Chrianum Orbem Principatum & prælationis habuerit auctoritatem, tam ſacrarum Scripturarum teſtimonijs, quàm rationibus efficacibus facilè oſtendemus.

In primis ex eo, quòd Matth. 16. inquit, Dominus. [Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni cælorum.] Quod verbum Beatus Chryſoſt. ſuper Matth. pertractans ita inquit, proùt inducit S. Thom. Filius quod Patis eſt, & ipſius filij poteſtatē Petro vniuerſaliter conceſſit vbiq; Terrarum & homini mortali, omnium, quæ in cœlo ſunt, dedit auctoritatem; dando ei claues ad hoc, vt Eccleſiam vbique amplificet. Item ſuper act. Apoſtolorum idem beatus Chryſoſtomus, ita propoſitum optimè confirmat, Petrus Apoſtolus à filio, ſuper omnes, qui filij ſunt. poteſtatem accepit, non vt Moyſes in gente vna, ſed in vniuerſo Orbe.

Secundò idem trahitur ex illo Ioan. vlt. vbi Chriſtus Petro ait, Simon Ioannis [paſce oues meas, inter has, & illas non diſtinguens, ſed vniuerſas eius curæ commendat. Vndè Beatus Chryſoſt. exponens hoc verbum ſic ait, [Paſce oues meas,] idest loco mei præpoſitus, & caput eſtò fratrum, vt ipſi te in loco meo aſſumentes, vbique Terrarum te in Throno tuo ſedentem prædicent, & confirment.

Tertiò idem oſtenditur ex illo Io. etiam vlt. cap. vbi Chriſtus ait Petro, Sequere me. Quod verbum non tantum intelligi debet de genere martyrij, quàm de ordine magiſterij. Nam & Andreas, & quidam alij per Petrum, in crucifixione ſecuti ſunt Chriſtum: ſed ſolùm ſibi Petrum ſubſtituit Dominus, & in officio Vicarium, & in martyrio ſucceſſorem. Vndè S. Thom. exponens hunc locum de vtroq; dicit ſic, vel ſecundùm Chryſ. Sequere me in prælation. officio quaſi diceret ſicut ego habeo à Deo Patre curam Eccleſiæ Pſal. 2 [Poſtula à me, & dabo tibi gentes &c.] ita tu loco mei ſis ſuprà totam Eccleſiam. Vndè Theophylus ſuper eodem verbo inquit, Per hoc, quod Dominus ait, Petro; ſequere me, cunctorum fidelium prçlatum eum inſtituit. Et Beatus Bern. ad Eugenium lib. 2. de conſideratione cap. 6. ex hoc loco Euangelij; amplitudinem Principatus Apoſtolici probans, ita illi inquit, [Tu es, cui traditæ ſunt claues Regni cœlorum, cui oues traditæ ſunt Sunt quidem & alij cæli ianitores, & gregum Paſtores, ſed tu tantò glorioſius quantò, & differentiùs vtrumque præ cæteris hereditaſti. Habent alij aſsignatos Greges, ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti ſunt, vnus vni, nec modoouium ſed & Paſtorum, tu om-

omnium Pastor, vnde illud probetur quæris, ex verbo Domini, cui non dico Episcoporũ, sed Apostolorũ etiã sic absolutè, & indistinctè totæ commissæ sunt oues, si me inquit amas, pasce oues, quas illius, vel illius populi ciuitatis, aut regionis, aut certę Regni, oues inquit meas, cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes, nihil excipitur. Vbi dicitur nihil, & fortè præsentes cæteri discipuli erant, cum committens Ecclesiam vni, vnitatem omnibus commendaret in vno grege, in vno Pastore secundùm illud. Vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea, vbi vnitas, ibi perfectio, reliqui, numeri perfectionem non habent sed distinctionem recedentes ab vnitate. Indè est quòd alij singulas sortiti sunt plebes scientes sacramentum. Denique Iacobus, qui vocabatur columna Ecclesiæ vna contentus Hierosolymitana, Petro vniuersitatem cedens, pulchrè verò ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, vbi occisus est ille, nam dictus est frater Domini; Petro sedente Domini fratre, quis se ingerat alter prærogatiuę Petri, ergo iuxtà Canones tuos alij in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis: vocatus es &c.

Quarto eadem sentententia colligitur & illo Ioan. in eodem cap. vbi solus Petrus super Mare venire iussus est, per quod dabatur intelligi: quòd totum Mundum per Mare designatum, sub vna ditione obtineret. Vnde beatus Bernard. vbi suprà, ita præfato Pontifici subinfert. Accipe illud, quod nihilominùs prærogatiuam tuam confirmat. Discipuli nauigabant, & Dominus apparebat in littore, sciens Petrus quia Dominus est, in mare se misit, & sic venit ad ipsum alijs in nauigijs venientibus. Quid istud est? nempè signum singularis Pontifici Petri, per hoc, non nauim vnam, vt cæteri quisque suam, sed seculum ipsum, susceperit gubernandum. Mare enim seculum, naues Ecclesiæ. Hinc est etiam, quod altera vice instar Domini gradiens super aquas, vnicum se Christi Vicarium designauit: qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet, siquidem aquæ multæ, populi, itaque cum quisque cæterorum suam, tibi vna commissa est nauibus facta ex omnibus, ipsa vniuersalis Ecclesia toto Orbe diffusa. Hæc Bern.

Quintò Pontificatus Apostolici vniuersitas, ostenditur ex eo: quòd consequenter in eodem Euangelio Ioan. sequitur, vbi legitur Petrus solus ascendisse: & traxisse rete in terram plenum magnis piscibus. Super quo beatus Greg. rationem assignans huiusmodi inquit, Ipsi enim sancta Ecclesia est commissa, ipsi dicitur specialiter, [Pasce oues meas, hoc autem ipse nunc prefigurat in opere, nam pisces ad soliditatem littoris pertrahit, quia stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostenditur.

Sextò idem ostenditur ex illo Act. 10. vbi soli Petro ostensum est lintheum submissum de cælo, & super eum solùm submissum, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia, & sibi soli dictum est, de omnibus illis animalibus: Surge Petre occidè, & manduca. Quod lintheum nemo ambigit vniuersum Mundum cum cunctis hominibus diuersorum rituum designare, nec dubium, quin occidere, & manducare non aliud erat, quàm peruersos mores in ipsis præscindere, & eos in sua persona toti incorporare Ecclesia, vt satis colligit ex glo. interli. Vnde. & beatus August. tractans hoc verbum super illud Psal. 30. Potabunt omnes bestiæ agri, ad propositum nostrum de extensione Prrincipatus Petri in omnes homines fideles quarumcunque nationum ita loquitur Qua tuor enim lineis vas submissum est de cælo Petro, vbi erant omnis generis animalia, & sonuit ei vox, Surge Petre macta: & manduca, omnes enim mactat Petrus in eo, quòd mali sunt, & manducat in corpus Ecclesiæ traijciendo. Et idem Omnes enim erant in Archa, omnes in disco, omnes mactat Petrus, & manducat omnes. Hæc Aug.

Septimò hoc idem ostenditur ex illo, quod Ecclesia per totum Orbem in festo beati Petri Apostoli dicit ad Petrum: [Tu es Pastor ouium Princeps Apostolorum: tibi tradidit Deus omnia regna mundi:

Octauo ex illo quòd in eadem historia fertur Dominus dixisse Petro. Simon Petre antequam de naui vocarem te, noui te, & super plebem meam Principem te constitui, plebs autem Christi tota vniuersalis Ecclesia dicitur. Relinquitur ergo ex inductis sacræ Scripturæ testimonijs clarissimum, quòd beatus Petrus fuit, & nunc eius successor habet auctoritatem prælationis super totam Ecclesiam Christi, vt veracitèr sit seruus ille, de quo dicit Christus. Luc. 12. Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, glo. dicit idest Ecclesiam.

Nono hoc idem ostenditur ex Concilio Chalcedonensi, quod S. Tho. in tractatu contra errores Grægorum in cap. 67. inducit ad hoc probandum, scilicet, quòd prædictus, Christi Vicarius in totam Ecclesiam vniuersalem prælationem obtineat. Legitur enim Chalcedonen. Concilio, quòd tota synodus Leoni Papæ acclamauit. Leo sanctissimus, Apostolicus, & Æcomenicus, idest vniuersalis Patriarcha per multos annos viuat. Item inducit Chrys. super Ioan. dicentẽ Iacobum localitèr in loco terminat, Petrum autem totius Orbis ordinat magistrum, & Doctorem

Hoc etiam ratione sic ostenditur. Princeps, lex, & finis videntur sic commensurata vt sibi inuicem paris sint vniuersalitatis, & extensionis, Principium, scilicèt regulatiuum, medium quo, & finis, ad quem, sed sic est: quod lex Euangelica, secundùm quam Pontifex Ecclesiasticus regit Ecclesiam, & finis, quem intendit in regimine Ecclesiæ ipse Princeps Ecclesiasticus, scilicèt suprema beatitudo, se extendit ad omnem hominem fidelem, ad omnem sexum, ad omnem statum, ergo ad omnes fideles cuiuscunque conditionis, & status existant, congregatos simul localitèr, siue dispersos per Orbem, extenditur auctoritas regiminis, & administrationis summi Pontificis.

Et quibus apertissimè conuincitur error dicentium beatum Petrum, siue Romanum Pontificem non habere primatum, siue Principatum super totam Ecclesiam. Cuius erroris grauitate B. Thom. contrà errorem Græcorum in cap. 66. ita loquitur. Similis autem error est dicentium Christi Vicarium

Ro-

Romanæ Eccleſiæ Pontificem, non habere vniuerſalis Eccleſiæ Primatum, errori dicentium, Spiritumſanctum à filio non procedere. Ipſe enim Chriſtus Dei filius ſuam Eccleſiam conſecrat, & ſibi conſignat Spiritum ſancto, quaſi ſuo caractere, & ſigillo; vt ex ſuprapoſitis auctoritatibus manifeſtè habetur, & ſimilitèr Chriſti Vicarius ſuo Primatu, & prouidentia, vniuerſalem Eccleſiam tanquam fidelis miniſter Chriſto, ſubiectam conſeruat. Hæc S. Thom.

CAP. XVI.

In quo ponuntur aduerſariorum obiectiones contrà id, quòd dictum eſt, quòd Romanus Pontifex habeat vniuerſalis Eccleſiæ Primatum, & reſponſio ad illas.

Aduerſus prædicta arguunt aduerſarij ex aliquibus auctoritatibus ſanctorum.

Primò ex cap. primæ Sedis diſt. 99. vbi ex Concilio Aphricano habetur, quòd primæ Sedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut ſummus Sacerdos, aut aliquid huiuſmodi, ſed tantum primæ Sedis Epiſcopus.

Secundò arguunt ex cap. nullus, ea di. in quo habetur, quòd Romanus Pontifex non appelletur vniuerſalis.

Tertiò ad idem arguunt ex cap. ſequenti: ecce, in quo beatus Greg. vniuerſalem ſe vocari prohibet: Sed iſtis non eſt difficile reſpondere.

Ad primam enim dicimus, quòd non ſit ad propoſitum, quoniam cap. illud non loquitur de Epiſcopo primæ Sedis ſimplicitèr, quæ eſt Romana, ſed de primæ ſedis, ſcilicèt Patriarchalis, Pontifice. Vndè glo. ſuper illud cap. ita habet. Primæ ideſt Patriarchalis, alius Papa benè. Eodem modo exponit Dominus Archidyaconus di. Primæ Sedis ideſt Patriarchalis.

Ad alia duo ſequentia, quæ loquuntur de Romano Pontifice, dicimus, quòd non ideo prohibitum eſt: Romanum Pontificem, vocari vniuerſalem, quia non ſit vniuerſalis Paſtor totius Eccleſiæ, & caput vniuerſalis Eccleſiæ, cum in Concilio Chalcedon. acclamatum legatur beatiſſimo Leoni Papæ, viuat Leo ſanctiſsimus Æcumenicus ideſt, vniuerſalis Patriarcha. Præterea multi ſancti Pontifices, ita ſe nominaſſe in ſuis epiſtolis leguntur, vndè beatus Sixtus ſcribens omnibus epiſcopis ita in ſecunda epiſtola, vt recitat beatus Iſid. in lib. Pontificum loquitur. Sixtus vniuerſalis Apoſtolicæ Ecclleſiæ Epiſcopus omnibus Epiſcopis, &c. Item S. Victor Papa in epiſt. de Paſcha, & Baptiſmo Theophylo Alexan. directa, ſic ſcribit. Victor Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus. Itē S. Eleutherius in epiſtola, quam vniuerſis Epiſcopis per Galliæ prouincias ſcribit, dicit ſic. In finè huius rei gratia vniuerſalis nobis à Chriſto Ieſu commiſſa eſt Eccleſia. Sed ideò prohibetur vocari vniuerſalis. Tum propter humilitatem. Tum quia non præficitur cuilibet particulari Eccleſiæ, vt propriùs. & ſpecialis illius Eccleſiæ rector, & imediatus adminiſtrator: Vndè S. Thom. in lib. contrà impugnantes Religionem ad hoc cap. reſpondens dicit ſic. Quòd autem Papa vniuerſalem Pontificem ſe prohibet nominari, non ideò hoc eſt, quòd ipſe non habeat auctoritatem immediatam, & plenam in qualibet Eccleſia, ſed quia non præficitur cuilibet particulari Eccleſiæ, vt proprius, & ſpecialis illius Eccleſiæ Rector, ſic enim ceſſarent omnium aliorum Pontificum poteſtates, & hoc cap. inductum, nullus pro ratione inducit. Hæc S. Tho.

CAP. XVII.

Quibus rationibus Beatus Petrus fundamentum Eccleſiæ dictus ſit.

Poſtquam probatiſſimis teſtimonijs oſtendimus Beatum Petrum Apoſtolum inter Apoſtolos habuiſſe primatum, & Eccleſiæ Principem, ac Rectorem à Chriſto inſtitutum eſſe: perſcrutabimur conſequentèr quibus de cauſis fundamentum Eccleſiæ dictus ſit. Dicimus autem, quod etſi omnibus Apoſtolis fundamenti vocabulum attributum legamus iuxtà illud Pſal. 86. [Fundamenta eius in montibus ſanctis.] Gloſ. 1. in Apoſtolis. Et Apo. 21. dicatur: Murus ciuitatis, ideſt, habens fundamenta duodecim, & in ipſis nomina duodecim Apoſtolorum. Et hoc, quia omnes Apoſtoli fundauerunt Eccleſiam in fide, & doctrina Chriſti. Sicut fundauerat Apoſtolus Paulus, qui dicebat 1. Corinth. 3. Vt ſapiens architectus fundamentum poſui. Gloſ. fidem Chriſti non aliam. Nihilominus ſingulari quadam prærogatiua Beatus Petrus poſt Chriſtum fuit, & dictus eſt Eccleſiæ fundamentum. Vndè Matth. 16. ità Chriſtus ſingularitèr Petro loquitur: [Ego dico tibi Petre, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam.] Quod verbum pertractans Beatus Hieronymus in commentario, ità inquit: [Tu mihi dixiſti: tu es Chriſtus filius Dei viui: & ego dico tibi ſermone non caſſo, & nullum opus habente: ſed dico tibi, quia meum dixiſſe feciſſe eſt: quia tu es Petrus, ſicut enim lumen Apoſtolis donauit, vt lumen mundi appellarentur, & cętera quæ à Domino dicta ſunt vocabula: ità, & Simoni, qui credebat in petram Chriſtum, Petræ largitus eſt nomen,] ac ſecundùm methaphoram Petræ, rectè dicitur ei [ędificabo Eccleſiam meam ſuper te,] & hoc eſt quod ſequitur, [& ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam.] Hæc Hieronym. Percurrentes autem nos plures Sanctorum Patrum expoſitiones, & commentaria: inuenimus multis rationibus, ſiuè conſiderationibus nomen fundamenti, ſiuè petræ, Petro conuenientiſſimè, apertiſſimèque attributum.

Primò quidem, ratione illius glorioſiſſimæ confeſſionis, qua Chriſtum præ cœteris omnibus Apoſtolis Chriſtum confeſſus eſt, dicitur Matth. 16. [Tu es Chriſtus filius Dei viui,

viui.] Confessio certè omni laude digna: in qua totius Ecclesiæ fides offertur, vt inquit Augustinus, Christum enim, & Deum verum, ac hominem verum confitetur, vt inquit Glos. Confessio certè salutifera, ac necessaria, absq; qua nullus cœlorum regnum ingreditur, vt inquit Glos. Hanc rationem tangit beatus Maximus in sermone Apostolorum Petri, & Pauli, qui incipit: Gloriosissimos Christianæ fidei Principes: ita dicitur. [Hic est Petrus, cui Christus Dominus communionem nominis libentèr indulsit, vt enim sicut Apostolus Paulus edocuit, Petra autem erat Christus: ità per Christum Petrus factus est petra, dicente enim Domino. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Nam sicut in deserto iussu domnico sitienti populo aqua effluxit è petra: ita vniuerso mundo perfidiæ ariditate lassanti de ore Petri fons salutiferæ confessionis emersit. Hæc ille. Et Leo sanctissimus in sermone secundæ ordinationis de hac Petri confessione, ità loquitur. Tu es Christus filius Dei viui quotidie Petrus dicit, & omnis lingua, quæ Dominum confitetur, magisterio huiusmodi vocis imbuitur. Hæc fides Diabolum vincit, & captiuorum eius vincula dissoluit. Hæc exutos mundo inserit cęlo, & portæ inferi eam præualere non possunt. Tanta enim diuinitùs soliditate munita est, vt eam, nec hæretica vnquam corrumpere prauitas, nec pagana potuerit superare perfidia.

Secundò, Beatus Petrus dictus est conuenientissimè Ecclesiæ fundamentum, quia primus in nationibus fidei iacuit fundamenta, vt inquit Ambrosius in cap. fidelior. 50. dist. Siuè, vt inquit Beatus Anacletus in cap. in nouo dist. 21. Primus ad fidem virtute suæ prædicationis adduxit, verboque instituit, ipse enim Apostolus Petrus primos Iudæos, primos Gentiles, post Christi Ascensionem, ad Christi fidem conuertit, vndè die Pentecostes ob eius exhortationis verbum circitèr Iudæorum tria millia conuersa Baptismi Sacramentum suscepisse leguntur Act. in cap. 2. ac deindè Cornelium Centurionem Gentilem, & suos quasi gentium primitias baptizasse actuum historia testatur.

Tertiò, Petrus dictus est Ecclesiæ fundamentum propter constantiam singularem, ac insuperabilis fidei firmitatem, de quo beatus Leo Papa tractans in sermone primo consecrationis suæ illud Luc. 22. Ecce Simon, Sathanas expetiuit vos, ità loquitur. Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio paritèr indigebant, quoniã diabolus omnes cupiebat elidere, & tamen spiritualis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit, in Petro ergò omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ità ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro attribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.

Quartò, Beatus Petrus conuenientissimè Ecclesię dicitur fundamentũ, quoniam aliorũ omnium factus est fundamentum, vndè Dominus ait Luc. 22. [Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Quòd verbum pertrans Beatus Ambrosius lib. 1. homeliarum, & habetur in cap. fidelior dist. 50. ità inquit: Fidelior factus est Petrus postquam fidem se perdidisse defleuit, atque ideò maiorem gratiam reperit, quam amisit, tamquam enim bonus pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & qui se interrogationis tentatione mutauerat, cœteros fidei stabilitate fundaret. Hæc ille: item Theophilus tractans præfatum verbum: Confirma fratres tuos: irà inquit. Hoc enim decet te, qui mecum robur es. & Petra Ecclesiæ. Item Chrysostomus super verbo illo Matth. 16. [Tu es Petrus, &c.] ità proposito nostro alludit, sic dicens. [Vide qualiter Christus reducit Petrum ad excelsam de ipso intelligentiam, hæc enim permittit, quæ sunt propria Dei solius, scilicèt soluere peccata, & Ecclesiam immutabilem, sinè non conuertibilem inter tot persecutionum, & tempestatum procellas facere. Ad idem beatus Hylarius super eodem verbo, ità loquitur: Est autem in nuncupatione noui nominis fęlix Ecclesiæ fundamentum digna ædificatione illius petra, quæ inferi leges, & tartari portas, & omnia claustra mortis dissolueret, hæc ille. Item Damasus Papa scribens Stephano Archiepiscopo sic inquit ad propositum: Scitis fratres charissimi firmamentum à Deo fixum, & immobile, atq; titulum lucidissimum suorum Sacerdotum, idest omnium Episcoporum Apostolicam sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum, tu es enim, sicut diuinum pernuuciat veracitèr verbum, Petrus, & super firmamentum tuum Ecclesiæ columnæ, quæ Episcopi intelliguntur, confirmatæ sunt, vt tibi claues regni Cœlorum commisi, atque ligare, & soluere potestatem, & quæ in cœlis sunt, & in terris promulgaui, hæc ille. Item Leo Papa in sermone 3. ordinationis suæ pertractans illud Matth. 16. [Et ego dico tibi, quia tu es Petrus &c.] ita pulchrè ad propositum loquitur. [Ego dico tibi, hoc est sicut tibi pater meus manifestauit diuinitatem meam: ità, & ego notam facio tibi excellentiam tuam, quia tu es Petrus, idest cum ego sim inuiolabilis petra: ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, pręter quod nemo potest ponere aliud: tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sint propria, sint tibi mecum participatione communia, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, super hanc inquit fortitudinem æternum extruam templum, & Ecclesiæ meæ cœlo inserenda sublimitas, in huius fidei firmitate consurget.] Hæc ille. Ad idem est Beatus Gregorius Papa in epistola ad Siracusanum Episcopum. Quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine vt Petrus à petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claues Regni Cœlorum, item pasce oues meas. Itaque cum multi sint Apostoli pro ipsorum principatu, sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritate conualuit.

Quintò, Ecclesiæ fundamentum Petrus dictus est propter eius cathedræ insuperabile magisterium, in qua, vt in cap. in sede, & in cap.

cap.hæc eſt fides 24. quæſt.1. habetur: extra maculam ſemper eſt catholica ſeruata religio. Quocircà Beatus Hieronymus in cap. quoniam vetus,ibidem clamat Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram Eccleſiam fundatam ſcio; quicumque extra hanc domum agnum commederit, prophanus eſt, qui in Archa non fuerit, peribit regnante diluuio. Et Cyprianus, qui Cathedram Petri,ſupra quam fundata eſt Eccleſia,deſerit, in Eccleſia eſſe non confidat.

Sexto, Petrus Eccleſiæ fundamentum dictus eſt ratione ſui primatus: cuius Sedis auctoritas quoddam fundamentum eſt Eccleſiæ, vt dicit S.Thomas in fin.2.libri ſententiarum. Sedes enim Petri prima eſt à Chriſto, & ſuper Chriſtum fundata, vt in cap.omnes diſt.22.à qua ipſa vniuerſi ordinis eccleſiaſtici diſpoſitio pendet, ac totius eccleſiaſtici ædificij altitudo poſt Chriſtum conſurgit. Ipſa enim eſt, quæ vt ait Nicolaus Papa in cap.omnes diſt.22. Omnes ſiuè Patriarchæ cuiuslibet Apicem, ſiuè Metropoleon Primatus, aut Archiepiſcopatuum Cathedras, vel Eccleſiarum cuiuſcumque ordinis dignitatem inſtituit, ac fundauit, illam verò ſolus ipſe fundauit, & ſupra petram fidei mox naſcentis erexit, qui Beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni ſimul, & cœleſtis Imperij iura commiſit. Et hoc modo videtur, intelligendum illud, quod Damaſus in ſermone de transfiguratione, reſpondens Petro dicenti: [Bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hìc tria tabernacula dicit: Non te Dominus tabernaculorum, ſed vniuerſalis Eccleſiæ conſtructorem conſtituit.] Quocircà, vt Beatus Auguſtinus in ſermone quodam qui legitur in feſto Cathedræ Sancti Petri inquit: Rectè Eccleſiæ natale ſedis Petri colunt, quam Apoſtolus pro Eccleſiarum ſalute ſuſcepit, dicente Domino: [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.] Petrum itaque fundamentum Eccleſiæ nominauit, & ideò digna hoc fundamentum Eccleſia colit,ſupra quod ædificij altitudo conſurgit, hæc Auguſtinus. Item idem beatus Auguſtinus in ſermone quodam Apoſtolorum Petri, & Pauli, qui de beatoPetro loquens,ità inquit:[Petrus audire meruit, amen dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.] Dignus certè, qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamenta, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum. Item idem Auguſt. & habetur in capit. pudenda, inquit 24. quæſtion.1. quòd Eccleſia eſt fundata in radice Apoſtolicæ Sedis.

Septimò,Beatus Petrus dictus eſt fundamentum Eccleſiæ ratione irrefragabilis firmitatis iudiciorum ſuæ Apoſtolicæ Sedis. De quo Origen. in Gloſ. ſuper illud Matth. 16. Quodcumque ligaueris &c.dicitur ſic: Vide quantam poteſtatem habet, ſuprà quam ædificatur Eccleſia, vt etiam iudicia eius maneant firma, quaſi Deo iudicante per ipſam, Item Maximus in ſermone Apoſtolorum Petri, & Pauli, qui incipit: Beatiſſimorum Apoſtolorum, &c. de hoc ità inquit: Quid etiam de Petro referam,cuius eſt à Deo tanta approbata iuſtitia, tantaque ei attributa eſt poteſtas iudicandi, vt in arbitrio eius poneretur cœleſte iudicium, perſpicite ergo, & æſtimate quanto ſit nobis Petrus Apoſtolus honore reuerendus, cuius ſententiam in terris prolatam ſempiterni Iudicis æquitas non repellit. Et beatus Bernard. in ſermone quodam Apoſtolorum Petri, & Pauli, qui incipit: Petrus Apoſtolorum Princeps vnus eſt quem prænobilitant ſingularis primatus inſignia,Clauicularius RegniCœlorum lingua,fidei fundamentum,conſummatus horror,& dignatio glorioſa, hominem in terris poſitum in cœlis imperare, & inter Angelorum chorus iudiciariæ poteſtatis exercere virtutem, & in terra ligandi, & ſoluendi, nullus Angelorum poſſidet, adeſt Petrus, & ad eius arbitrium vniuerſitas Orbis ligatur, & ſoluitur, & præcedit Petri ſententia, ſententiam Redemptoris,quia non quod Chriſtus, hoc ligat Petrus, ſed quod Petrus, hoc ligat Chriſtus, ipſo ad ipſum atteſtante: [Quodcumque ligaueris &c.] O quam potens dignitas, quam digna potentia, iudicabit Petrus, & omnipotens Petri iudicia confirmat, & eſt in manu Petri manus altiſſimi, ſoluſque ille efficitur familiaris Chriſti, qui Petri familiaritatem habuerit, hæc ille.

CAP. XVIII.

In quo aduerſariorum obiectiones quædam ponunt contra hoc, quod dictum eſt, quod Petrus Apoſtolus Eccleſiæ Catholicæ fundamentum verè dictus ſit.

ADuerſarij primatus Apoſtolici hoſtes Sanctorum Patrum doctrinis non conſentientes, alium, quàm Chriſtum dici Eccleſiæ fundamentum non ferentes, auſi ſunt dicere, quod beatus Petrus verè non fuerit dicendus fundamentum Eccleſiæ,talibus nituntur probare rationibus.

Primò, ſic 1. Cor. 3. Paulus Apoſtolus inquit: [Vnuſquiſque videat quomodò ædificet, fundamentum enim aliud nemo ponere poteſt præter illud, quod poſitum eſt Chiſtus Ieſus, ergo manifeſtè apparet, quod nullus alius poteſt veraciter poni fundamentum Eccleſiæ.

Secundò, in Gloſ. interlin. ſuper illud, Matth.16. [Tu es Petrus, habetur ſic, à me petra, ità tamen, vt mihi retineam fundamenti dignitatem, & tu ſuper me ordinabis lapides mundos, & abijcies leproſos. Ecce quod Chriſtus retinet ſibi dignitatem fundamenti, ergo ſequitur, quod nec Petrus, nec alius Apoſtolus fundamentum Eccleſiæ dicendus ſit.

Tertiò, idem arguitur ex expoſitione, quàm beatus Auguſtinus ponit in de verbis Domini,homil.13.vbi tractans illud Matt.16. ita inquit: [Tu es, ergo inquit, Petrus, & ſuper hanc petram, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam: ſuper me ædificabo te: non me ſuper te.] Et ſuper Ioann. dicit: [Non ſuper petram Petrum,ſed ſuper petram Chri-

Christum ædificasse Ecclesiam ;] ergo idem quod prius.

Quartò sic: Vnius ædificij non est nisi vnum fundamentum, sed Ecclesiæ ædificium vnum est, cùm Ecclesia vna sit; ergo sequitur, quod illius vnum tantum sit fundamentum dandum, scilicet Christus, & non plura.

Quintò, fundamenti non est aliud fundamentum, quia sic esset processus in infinitum, sed Petrus habet fundamentum sui, scilicet Christum, patet ex dictis beati Augustini; ergo ipse non potest dici alterius, scilicet Ecclesiæ fundamentum.

Sextò, fundamentum est prius eo, cuius est fundamentum, sed Petrus non potest dici prior Ecclesia, quæ ab ipso Abel iusto dicitur incepisse, ergo sequitur, quod Petrus nullo modo potest dici verè fundamentum Ecclesiæ.

CAP. XIX.

In quo respondetur ad superiores obiectiones aduersariorum.

NOn parùm certè admirandum est, quod aduersarij inter tot sanctorum Patrum luminaria, scilicèt splendidissima testimonia, tanta cæcitate laborant, vt Petrum Apostolum præsumant fundamentum Ecclesiæ negare, nihilominùs tamen respondeamus ad rationes eorum.

Ad primam quæ sumitur ex Apostolo 1. Cor. 3. respondetur, quod Christus est primum, & præcipuum fundamentum Ecclesiæ, vtpotè à quo Ecclesia principaliter dependet, & sustentatur, & præter hoc fundamentum nemo potest aliud ponere tanquam primum, & principale, nihilominùs Apostoli secundario dicti sunt fundamenta, & inter eos principaliter, & maximè beatus Petrus, vt visum est suprà. Vndè Apostolus Paulus, vt beatus Dionys. testatur, fertur dixisse beato Petro versùs mortem: [Pax tecum fundamentum Ecclesiarum pastor ouium Christi,] vndè ly præter in auctoritate Apostoli magis videtur nota anthonomasiæ, quam sit nota exclusionis, sicut ibi: [Tu solus sanctus.] Huius sententiæ est Doctor egregius Augustinus super Psalm.86. ita dicens. Vt noueritis quòd fundamentum, Christus sit primum,& maximum fundamentum, inquit Apostolus, nemo potest ponere aliud præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, quomodò ergo fundamenta Prophetæ, & Apostoli, & quomodò fundamentum Christus Iesus, quo vlterius nihil est, quomodò putamus, nisi quemadmodum apertè dicitur Sanctus Sanctorum, sic figuratè fundamenrum fundamentorum, si ergo Sacramenta cogites, Christus Sanctus Sanctorum, si gregem subditum cogites, Christus pastor pastorum, si fabricam cogites, Christus fundamentum fundamentorum. Hæc Augustin. Et idem ponitur in glos. ad Ephes.3.

Ad secundam rationem, quæ sumitur ex Gloss. interlin. Matth.16. licet pateat responsio ex dictis; dicimus, quòd verum est, quòd Christus reseruauit sibi dignitatem principalis fundamenti: sed hoc non obuiat quin Petrus secundariò fuerit fundamentum. Verùm pro ampliori intelligentia huiusmodi materiæ est sciendum, quòd fundamentum dicitur dupliciter. Vno modo id, cui adhæret prima pars edificij, quod tamen non includitur in ædificio, sicut terra solida, vel petra, siue rupis. Alio modo potest dici fundamentum prima pars ipsius ædificij, supra quàm residuum ædificij fundatur. Primo modo fundamentum, quod scilicet sustentat totum ædificium, est Christus, & hoc modo dicti fundamenti dignitatem retinuit sibi Christus. Sed fundamentum secundo modo dictum benè conuenit alijs scilicet Apostolis. Vnde de vtroque horum dicitur Eccles. 116. [Fundamenta æterna supra petram solidam, & inter Apostolos maximè hoc modo competit beato Petro, & sedi eius.] Et ita glossa illa non obstat.

Ad tertiam rationem, quæ sumitur ex dictis August. respondetur, quod etiam beatus Augustinus, vt superiùs patuit, fuit alterius sententiæ; videlicet, quod Petrus fundamentum fuerit Ecclesiæ, super quod ipsa Ecclesia fundata sit. Quod ipse testatur, quod in illo, tamquam in petra, fundata sit Ecclesia, in lib. retractationum cap. 2. vbi ità dicit: [Dixi quodam loco de Apostolo Petro, quòd in illo, tamquam in petra, fundata sit Ecclesia. Qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinatio ait: [Hoc ipsa petra, Ecclesia canente, culpam diluit.] Sed scio me posteà sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;] vt super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: [Tu es Christus Filius Dei viui;] ac si Petrus ab hac Petra appellatus, personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur. Nec dictum est illi: [Tu es Petra,] sed [Tu es Petrus;] Petra autem erat Christus. Harum autem sententiarum, quæ sit probabilior, eligat Lector.] Hæc ille. Verùm vtraque sententia, siue expositio, potest habere locum, & simul stare, vt dicamus, quòd supra Christum petram primò, & principaliter ædificatur Ecclesia. Secundariò verò supra Petrum, vt supra exposuimus. Vnde ipse August. in sermone de Transfigurat. Domini ità loquitur: [Quàm conuenienter petra Petro respondit: [Et Ego dico tibi Petre, quia tu es Petrus, &c.] quasi diceret: [Super Me ædificabo te, qui figuram eius geris Ecclesiæ, quæ in te ædificatur super Me.] Hæc August. Verùm si quis considerat benè seriem literæ illius Matth. 16. [Tu es Christus Filius Dei viui,] & [Ego dico tibi, quia tu es, &c.] iuxta sententias Chrysostomi, Hylarij, Hieronymi, Theophili, Origenis, Ambrosij, & Leonis Papæ, quæ superiùs inductæ sunt, videtur, quod ad literam auctoritas illa Matth. 16. de beato Petro accipienda sit; quoniam, vt arguit Dominus Richardus in quæstionibus Armenorum libro 7. cap. 11. & benè, iuxtà seriem literæ, Petro primo, & singulariter confitenti, [Tu es Filius Dei viui,] volens Christus pro tanta confessione aliquid notabile recompensare, respondit,

[Bea-

[Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in Cœlis; & Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.] Vnde videtur prædicare Petrum debere fore fundamentum ſuæ Eccleſiæ, quia aliàs eſſent impertinentia ſequentia ipſis præcedentibus. Non enim videntur ſibi pertiuere, [Ego dico tibi, quia tu es Petrus;] & quod ſequitur, [& ſuper hanc petram, (ſcilicet ſuper Chriſtum,) ędificabo Eccleſiam meam.] Vnde quòd hoc, quod dictum eſt, [& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,] de Petro intelligendum ſit: hoc manifeſtè oſtendunt auctoritates Sanctorum inductæ in cap.17. maximè illa Chryſoſt. & illa beati Leonis Papæ.

Ad quartam rationem, cùm dicitur, quòd vnius ædificij, &c. reſpondetur, quòd verum eſt de principali fundamento; ſecundaria verò poſſunt eſſe plura. Et ita eſt in propoſito.

Ad quintam cùm dicitur, quod fundamenti non eſt fundamentum, reſpondetur, quòd licèt nō cuiuslibet fundamenti ſit aliud fundamentum, quia primi, & principalis fundamenti non eſt aliquod aliud fundamentū; nihilominùs ſecundariorum fundamentorum benè eſt aliud fundamentum, ſcilicèt primū, & principale. Petrus autem Apoſtolus non ponitur primum, & principale fundamentum Eccleſiæ, ſed Chriſtus: qui, vt patet ex Auguſt. in reſponſione ad primam rationem, non modò dicitur fundamentum, ſed fundamentorum fundamentum.

Ad ſextam rationem, cùm dicitur, quòd fundamentum eſt priùs eo, cuius &c. Dicendum, prout etiam ex ſuprapoſitis ſanctorum Patrum ſententijs, dicentium beatum Petrum fundamentum Eccleſiæ, colligere poſſumus. Dupliciter loqui poſſumus de fundatione Eccleſiæ. Vno modo quantum ad fidem, & profectum virtutum; de qua dicitur ad Epheſios 3. in quo gloſſa in Chriſto, omnis ædificatio, gloſ. tam de gentibus, quàm de Iudæis conſtructa, gloſ. in fide creſcit, gloſſa per augmentum virtutum in Templum ſanctum in Domino. Alio modo poſſumus loqui de fundatione Eccleſiæ quantum ad poteſtatem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, prout ſtructura Eccleſiæ conſurgit ſecundùm diuerſos ipſius poteſtatis gradus, ſecundùm quos quidam quantum ad ipſam poteſtatem ſunt infimi, vt Curati; quidam medij, vt Epiſcopi; quidam vnus ſolus ſummus eſt, ſicut Papa. Et de vtroque modo fundationis poteſt intelligi illud verbum Matthæi 16. Secundùm enim primum, dicitur Petrus fundamentum Eccleſiæ inter alias rationes, quia in eius fide, & confeſſione, vt inquit Hieronym. & gloſ. Matth. 16. ædificata eſt Eccleſia. Secundùm ſecundum verò modum intelligendi, Petrus dicitur Eccleſiæ fundamentum in quantum ipſe primus in Eccleſia Principatum Eccleſiaſticæ poteſtatis obtinuit, dicente ſibi Domino: [Et tibi dabo claues Regni Cœlorum.] Vnde beatus Cyprianus, & habetur in cap. Loquitur Dominus diſtin. 24. quæſt. 1. Loquitur Dominus ad Petrum, dicent: [Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.] Super vnū ædificat Eccleſiam. His præſuppoſitis reſpondetur ad rationem ſic, quod ſi loquimur de fundatione Eccleſiæ in fide Chriſti, licèt Eccleſia priùs abſolutè fuiſſet, quàm Petrus confeſſus fuiſſet Chriſtum, dicens: [Tu es Chriſtus, &c.] cùm multi forent antè credentes, ſcilicèt Petrus, & alij Apoſtoli: nihilominùs tamen ipſe Petrus, quantum ad eos, qui credituri erant per verbum prædicationis illius in Chriſtum, prior erat ipſa Eccleſia. Vnde ſicut priùs dictum eſt in cap. 17. ex dicto beati Ambroſij, ipſe Petrus primus in nationibus fidei fundamenta poſuit. Et, vt dicit Anacletus, primus ad fidem populum virtute ſuæ prædicationis adduxit. Si verò loquimur de fundatione Eccleſiæ, quantum ad poteſtatem Eccleſiaſticam, eo modo, quo ſuperiùs diximus, Eccleſia non videtur prior fuiſſe Petro: cùm fundatio huiuſmodi Eccleſiæ facta fuerit in Petro; quoniam, vt ait ſanctus Anacletus in cap. In nouo diſtin. 21. In nouo Teſtamento poſt Chriſtum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo; quia ipſi primo Pontificatus in Eccleſia Chriſti datus eſt, dicente Domino ad eum: [Tu es, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.] Ex his manifeſtè confunditur error dicentium, quod non magis Petrus, quàm cæteri Apoſtoli dicendus fuerit fundamentum Eccleſiæ Chriſti.

CAP. XX.

Quòd beatus Petrus caput fuerit ſanctæ, & vniuerſalis Eccleſiæ.

CVm autem fundamentum in ſpiritualibus non ſit in imo, vt in corporali ædificio, ſed in ſummo exiſtat: oſtenſo, quòd beatus Petrus Eccleſiæ Dei fundamentum fuerit: clariſſimè arguitur, quòd etiam caput fuerit Eccleſiæ. Vnde beatus Hieronymus in libro de obitu, ſiue ortu Sanctorum Noui Teſtamenti, ſic ait: [Petrus in Chriſto Eccleſiæ firmamentum Cephas, Corporis Chriſti Princeps, & Caput eſt.]

Prætereà, quòd beatus Petrus caput Eccleſiæ à Chriſto inſtitutus fuerit, ex illo in primis aptiſſimè colligitur Saluatoris verbo, quo inquit: [Tu vocaberis Cephas,] Io. 1. Cephas enim, licèt ſecundùm vnam linguam interpretetur Petrus: nihilominùs ſecundùm aliam, vt ſanctus Anacletus in cap. in nouo diſtinct. 21. Et beatus Iſidorus 7. ethic. cap. 3. volunt: Caput ſonat. Cephalym enim græcè, Caput latinè dicitur.

Secundò hoc idem habetur teſtimonio beati Chryſoſtomi, qui tractans illud Io. 21. [Simon Ioannis, paſce oues meas,] dicit ſic: [Præteriens autem alios Petro loquitur: eximius enim Apoſtolorum erat Petrus, os Diſcipulorum, & vertex Collegij.]

Tertiò, ad idem, quòd beatus Auguſtinus in quæſt. Noui, & Veteri Teſtamenti, vbi reſpondens illi quæſtioni: Cur Saluator tantùm pro ſe, & Petro ſolui didragma iuſſit, ità dicit: [Saluator cùm pro ſe, & Petro dari iubet didragma, pro omnibus ſoluiſſe videtur; quia ſicut in Saluatore erant omnes

ausæ Magisterij, ità & post Saluatorem in Petro omnes continentur; ipsum enim constituit Caput eorum, vt Pastor esset Gregis Dominici.] Hæc August.

Quartò, idem testatur idem beatus Augustinus in sermone quodam Passionis Domini, vbi assignans rationem, quare Deus permiserat Petrum eum negare, ità dicit: [Ideò Diuinæ prouidentiæ secretum ità temperauit, atque permisit, vt primus ipse laberetur, atque rueret in peccatum; quo erga peccantes duriorem sententiam proprij casus iutuitu temperaret. Quantùm igitur Diuini muneris erga salutem hominum, quantùm curæ, quantùm sollicitudinis impendatur aduertite, totius corporis morbum in ipso capite curat, & in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem, & in ipsa confessionis Christi trepidine in ipso immobilis fidei fundamento, in Petro dico, scilicèt illo, qui dixerat: Etiamsi me oporteat mori, non te negabo. Hic est Petrus, qui Diuina reuelatione prior omnium veritatem meruit confiteri, dicens: Tu es Christus Filius Dei viui.] Hæc August. Ecce, quòd beatus Augustinus Petrum vocat & caput, & verticem Ecclesiæ, necnon immobilis fidei fundamentum.

Quintò, ad idem est testis illustris Calixtus Papa in cap. non decet distinct. 12. vbi dicit vniuersalis Ecclesiæ caput esse Romanam Ecclesiam. Idem etiam Iustinianus ponit in leg. Inter claras, C. de summ. Trinit. vbi Papam caput vocat omnium Ecclesiarum.

Sextò, hoc idem ratione probari potest sic: Quilibet rector cuiuscumque communitatis dicitur caput illius. Vnde Reges, siue Præsidentes in communitatibus secularibus, propter excellentiam auctoritatis, dicuntur capita populorum suorum, secundùm illud Amos 6. [Optimates capita populorum.] Vnde etiam Dominus per Samuelem ait ad Saulem: [Cùm esses paruulus in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es.] Cùm ergo Petrus constitutus fuerit rector, & pastor vniuersalis Ecclesiæ, vt superiùs amplissimè ostensum est, probatur manifestè, quòd beatus Petrus veraciter caput fuerit Ecclesiæ vniuersalis, &c.

CAP. XXI.

In quo Aduersariorum ponuntur obiectiones contra hoc, quod dictum est, quòd beatus Petrus caput fuerit vniuersalis Ecclesiæ.

Ex aduerso veritatis, & Apostolici Principatus Aduersarij negant beatum Petrum Apostolum, & eius successorem caput fuisse sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, aut esse. Inducunt autem in suorum errorum fauorem rationes sequentes:

Primò sic: Capitis non est caput, sed Petri, & successor eius Christus est caput, cum sit caput super omnem Ecclesiam ad Ephes. 1. ergo sequitur, quòd Petrus, nec eius successor, illius potest dici caput Ecclesiæ.

Secundò. Vnius corporis vnum est caput, sed corpus Ecclesiæ est vnum, dicente Apostolo ad Roman. 12. Multi vnum corpus sumus, & huius corporis Christus est caput, testatur Apostolus ad col. 1. ergo, nec Petro nec successori suo conuenit caput esse corporis Ecclesiæ.

Tertiò: Christus est caput Ecclesiæ, & sufficientissimum; ergo videtur, quòd otiosum, & frustra sit quodcumque aliud detur, & ità non videtur dicendum, quòd beatus Petrus, aut successor eius sit caput Ecclesiæ.

Quartò: Sicut in capite corporis animalis est plenitudo sensuum, vigent enim in eo omnes sensus interiores, & exteriores: cũ in cæteris membris solus sensus tactus sit: ità in capite Ecclesiæ esse debet. Vndè de Christo Ecclesiæ capite dicitur Ioann. 1. Vidimus eum plenum gratia, & veritate, sed in beato Petro, nec in successoribus est plenitudo sensuum spiritualium, ergo non potest dici caput Ecclesiæ.

Quintò: Capitis est influere sensum, & motum, sed nec à beato Petro, nec eius successore influitur membris Ecclesiæ sensus fidei & motus charitais, cùm ab ipso non redundet gratia in corpus Ecclesiæ, ergo ei non est attribuendum nomen capitis.

Sextò sic. Si Petrus fuisset caput Ecclesiæ, ab ipso inter cæteros deriuata esset potestas spiritualis. Sed hoc non est, tùm quia non ipse solus recepit claues, sed tota Ecclesia in ipso, qui significabat Ecclesiam, vt habetur in cap. quodcumque 24. quæst. 1. tùm quia omnes Apostoli cum eo æquè principaliter potestatem à Christo susceperint Matth. 18. [Amen dico vobis quæcumque aligaueritis,] ergo &c.

Septimò sic: Si Petrus fuisset caput Ecclesiæ videtur, quod ab ipso venissent denominandi fideles, vt videtur, sed à Petro non denominantur fideles Petrini, sed à Christo Christiani, vt dicit August. de verbis Domini homilia 13. ergo, &c.

Octauò arguitur: Corporis ad caput est necessaria connexio, sed ad Petrum, & ad eius successores Ecclesiæ corpus non habet necessariam connexionem, patet, quia Ecclesia quandòque stetit sine Petro, & stat sine eius successore, scilicet quando decedit, aut quandò Papa efficitur hæreticus ergo, &c.

Nonò confirmando rationem factam sic: Capite separato à corpore expirat corpus, & priuatur vita, & motu, sed Petro, aut eius successore sublatis per mortem à corpore militantis Ecclesiæ, corpus Ecclesiæ non expirat, & tamen priuatur vita, ergo nec Petro, nec eius successori competit esse caput Ecclesiæ.

CAP.

CAP. XXII.

In quo improbatur aduersariorum præfata sententia, & ostenditur qualiter ratio capitis respectu Ecclesiæ Petro conuenerit, ac eius successori.

QVòd præfata aduersariorum sententia negantium beatum Petrum vniuersalis Ecclesiæ caput fuisse erronea sit: non solùm ex his, quæ supra induximus in cap. 20. verùm etiam ex multis alijs sanctorum Patrum testimonijs exploratissimum est. Ait enim beatus Anacletus Papa & martyr, vt habetur in cap. sacrosancta distinct. 22. inter beatos Apostolos quædam fuit discretio potestatis, licèt enim omnes essent Apostoli: Petro tamen concessum est à Domino, & ipsi inter se voluerunt idipsum, vt reliquis omnibus illis præesset Apostolis, & cephas, idest caput, & principium teneret Apostolatus, qui & eandem formam suis successoribus, & reliquis Episcopis tenendam tradiderunt. Hæc ille. Item Marcellus Papa, & martyr vt habetur in cap. rogamus 24. quæst. 1. scribens vniuersis Episcopis per Antiochiam constitutis, ità inquit: Rogamus Fratres dilectissimi, vt non aliud doceatis, nec sentiatis, quàm quod à beato Petro, & reliquis Apostolis, & principibus accepistis; ipse est enim caput totius Ecclesiæ, cui ait Dominus: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Hæc ille. Ex quibus omnibus nunc, & superiùs inductis apertissimum est aderfarios grauiter errare negantes beatum Petrum fuisse caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ. Quo circà rationabiliter Papa Ioann. 22. in extrauaganti, quæ incipit: [Licèt secundùm Apostolum: Marsilium de Padua, & Ioannem de Iaudino tamquam hæreticos condemnauit; qui inter cæteros errores, quos contra Sedem Apostolicam dogmatizare præsumpserunt, fuit, quòd Petrus Apostolus non plùs auctoritatis habuit, quàm alij Apostoli habuerunt, & aliorum Apostolorum non fuerit caput. Item Papa Martinus V. in Concilio Constantiense condemnauit errores Ioann. Hus, qui, inter alios, iste est vnus, scilicet septimus in ordine, quòd Petrus nec est, nec fuit caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ.

Viso ergo, quòd iuxta Catholicæ doctrinæ normam necesse sit concedere beatum Petrum Apostolũ pro primatus sui excellentia caput fuisse sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, & per consequens eius successor, sub Christo tamen, qui principale caput est Ecclesiæ, ostendendũ est qualiter nomen capitis Petro Apostolo conuenerit, ac eius successori conueniat, quia qualiter Christo conueniat supra in lib. 1. huius nostræ sum. in cap. 46. explicauimus. Pro quo notandum iuxta S. Thom. in 3. par. qu. 8. artic. 1. quòd sicut tota Ecclesia dicitur vnum corpus mysticum per similitudinem ad corpus naturale hominis, secundum quòd diuersa membra habent diuersos actus, vt Apostolus docet ad Roman. 12. & 1. Corinth. 12. ità Christus, siue etiam Papa, dicitur caput Ecclesiæ, secundùm similitudinem capitis humani. Inuenimus autem in capita hominis quatuor.

Primò conformitatem naturæ cum alijs membris.

Secundò ordinem, quia caput est prima pars corporis incipiendo à superiori, & ità situm est superius alijs membris.

Tertiò perfectionem, quia in capite viget plenitudo sensuum.

Quartò virtutem influentem cæteris, quia ab ipso motus est cæterorum membrorum, & gubernatio in suis actibus propter vim sensitiuam, & motiuam ibi dominãtem. Qualiter ista quattuor competant Christo, supra libro primo exposuimus, vbi eum Ecclesiæ caput esse ostendimus. Iam ostendamus qualiter Petro Apostolo, & nunc eius successori conueniant.

Primò quidem, Petrus fuit conformis naturæ alijs fidelibus: cum homo fuerit eiusdem speciei cum eis.

Secundò, ipse in ordine Apostolorum fuit primus, vndè primus annumeratus legitur Matth. 10. Et de Episcopo Romano successore suo dicit Canon Concilij Constatini: vt deducit S. Thom. in 4. distinct. 24. Veneramur secundùm scripturas, & canonum diffinitiones sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum primum esse, & maximum Episcoporum. Et Iustinianus in auctentic. de Ecclesiastic. tit. col. 9. inquit. Nemo est, qui dubitat sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium sacerdotum.

Tertiò, in ipso solo inter alios fuit plenitudo potestatis, vtpotè in quo posuit Dominus totius Ecclesiæ principatum, vt in cap. nolite distinct. 11. dicit Iulius Papa, & cui soli, inquit beatus Chrysost. Christus dedit, quod suum est plenum, & qui solus vocatus est in plenitudinem potestatis, alijs vocatis in partem, vt in cap. decreto, & in cap. qui se scit. 2. quæst. 6.

Quartò, ab ipso est deriuata potestas iurisdictionis in alios, dicente Leone Papa in cap. ità Dominus distinct. 19. Huius muneris Sacramentum ità Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam caput dona sua velut in corpus omne diffunderet. Hæc illæ.

CAP. XXIII.

In quo respondetur ad obiecta aduersariorum contra illud, quod beatus Petrus fuerit caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ.

SVperioribus benè notatis, respondendum est iam ad obiecta aduersariorum.

Ad primum, cùm dicitur, quòd capitis non est caput, &c. Respondetur hoc esse verum de eo, quòd est caput naturale alicuius corporis naturalis, non autem de capite mystico, siue per similitudinem dicto, sicut enim S. Thom. in tertia parte respondens huic obic-

obiectioni ait: In metaphoricis locutionibus non oportet attendi ad similitudinem quantum ad omnia: sic enim non esset similitudo, sed rei veritas, capitis ergo naturalis non est aliud caput, quia corpus humanum non est pars alterius cororis, sed corpus similitudinariè dictum, vtpotè aliqua multitudo ordinata, est pars alterius multitudinis, sicut multitudo domestica, est pars multitudinis ciuilis, & ideò paterfamilias, quod est caput multitudinis domesticæ habet supra se caput Rectorem ciuitatis, per hunc modum dicit Apostolus 1. Corint. 11. Omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput verò Christi Deus. Et idem ad Ephes. 5. Et ita dicendum est in proposito, ista sunt benè simul, quòd Papa sit caput Ecclesiæ, & ipsius Papæ Christus sit caput.

Et ad secundam rationem cùm dicitur vnius corporis, &c. Respondetur sicut ad primam, quod assumptum illud verum sit de corpore naturali, non autem de corpore mystico, siue per similitudinem dicto, quoniam vnius, & eiusdē corporis mystici, id est alicuius multitudinis, possunt esse plura capita vnius subordinata tamen, sicut multitudinis ciuilis est caput, & rector Ciuitatis, & etiam Rex, qui totius Regni est caput supremum. Item licèt mulieris caput sit vir, vt inquit Apostolus, nihilominùs etiam Christus est caput mulieris fidelis, qui caput est totius Ecclesiæ. Ita in proposito vnius, & eiusdem corporis Christus est caput principale, & Papa etiam est caput, subordinatum tamen sub Christo eius vices gerens, differenter tamen multum, dicitur caput Ecclesiæ Christus, & Prælati dicuntur capita eius, vt dicit S. Thom. in 3. parte vbi supra. Primò quidem quantùm ad hoc, quòd Christus est caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent secundùm omnem locum, & tempus, & statum. Alij autem homines dicuntur capita secundùm quædam specialia loca, sicut Episcopi suarum Ecclesiarum, vel etiam secundùm determinatum tempus: sicut Papa est caput totius Ecclesiæ, scilicet tempore sui Pontificatus, & secundùm determinatum statum, prout scilicet, secundùm sunt in statu viatoris. Alio modo secundùm quòd Christus est caput Ecclesiæ propria virtute, & auctoritate. Alij verò dicitur capita in quantùm vicem gerunt Christi secundùm illud 2. Corinth. 2. [Nam & ego, quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi.] Et 2. Corinth. 5. Pro Christo legatione fungimur tamquam Deo exortante per nos; secundùm Dominum Aluarum in lib. suo de potestate Ecclesiæ. Potest aliter responderi ad rationem factam, quòd Christus & eius Vicarius non sunt duo capita, sed vnum, quia Papa non dicitur caput, nisi inquantùm gerit vicem Christi, & eius personam repræsentat. Item ita etiam dicit Papa Bonifacius VIII. in Extrauaganti sua, Vnam sanctam.

Ad tertiam, cùm dicitur Christus est caput Ecclesiæ sufficientissimum, &c. Respondetur negando consequentiam, dicimus enim quod licèt Christus caput Ecclesiæ sit, quia tamen est inuisibile, opportuit ponere aliquod caput visibile specie, & mortalitate conforme, & consimile statu, & conditione corpori, & membris ipsius Ecclesiæ, quod visibiliter regat, & præsit toti Ecclesiæ, & tale caput fuit beatus Petrus, & est nunc successor eius. Cuius conuenientia licèt superiùs satis ostensa sit, pro pleniori tamen notitia potest sic ostendi, vnitas corporis mystici, siue Ecclesiastici Principatus non dicitur habere minorem vnitatem, quam habent seculares politiæ, siue principatus inuentæ industria humana, siue naturali ratione, cùm vinculum membra Ecclesiæ colligans adinuicem, sit quolibet alio vinculo maius, & vnitius, lexque ipsa diuina, secundùm quam principaliter regitur, & gubernatur Ecclesia, præstantior sit omni alia lege humana, sed sic est, quod humanæ politiæ ad sui vnitatem [absque hoc, quod vniantur in vno Deo: à quo sicut principio vniuersali effectiuo, formali, exemplari, ac finali omnis potestas, & dignitas deriuatur secundùm illud Sapien. 8. Per me Reges regnant, &c.] requirunt vnum caput homogenum, seu conforme in natura, & statu, vt vnum Regnum vnum Regem, vna prouincia vnum Principem: ciuitas vnam potestatem, vna domus vnum patremfamilias; ergo vnitas Ecclesiæ omnium fidelium, quæ est multò maior, & perfectior, quàm vnitas politiæ humanæ, debet habere vnum caput sibi conforme: & sibi simile in natura mortali, & statu. Conueniens ergo fuit, & hoc ipsa vnitas corporis Ecclesiæ requirit, vt Ecclesia vnum habeat hominem mortalem secum visibilem conuersantem, corpori ipsius Ecclesiæ, & eius membris conformem, qui sit caput, & rector, & sit viator, sicut tota Ecclesia, & eius membra sunt viatores.

Ad quartam, cùm dicitur, quòd in capite corporis animalis est plenitudo sensuum, & quòd in Petro, siue in Papa non est plenitudo, &c. dicendum est iuxta S. Thom. in 3. parte vbi supra, quòd caput in alia membra dupliciter influit. Vno modo quodam intrinseco influxu, prout virtus motiua, & sensitiua à capite deriuatur ad cætera membra. Alio modo secundùm exteriorē quādam gubernationem, prout scilicet secundùm visum, & alios sensus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus, interior autem influxus non est ab aliquo, nisi à solo Christo, cuius humanitas ex hoc, quòd est diuinitati coniuncta, habet virtutem iustificandi; sed influxus in membra Ecclesiæ, quantùm ad exteriorem gubernationem, potest alijs conuenire, & secundùm hoc alij possunt dici capita Ecclesiæ, secundùm illud Amos 6. Optimates capita populorum. Hoc notato, patet responsio ad præfatas rationes, dicimus enim, quòd primus modus influēdi, scilicet influxu intrinseco, qui est influxus sensus, & spiritualis motus, requirit in capite influente plenitudinem sensuum spiritualium, & hinc est quòd Christus, qui influit hoc modo, dicitur plenus gratia, & veritate, Ioanne primò. Secundus verò modus influendi influxu, scilicet extrinseco, quantum ad gubernationem non requirit plenitudinem sensuum spiritualium, sed quòd habeat plenitudinem potestatis sufficientis ad regimen populi sibi commissi. Et quoniā beatus Petrus, aut eius successor non est constitutus, vt influat in corpus Ecclesiæ primo modo, scilicet, fluxu

intrin-

intrinseco, sed extrinseco; ideò non requiritur ad rationem capitis in eo, quòd habeat plenitudinem sensuum spiritualium, sed quòd habeat plenitudinem potestatis sufficientis ad regnum vniuersalis Ecclesiæ, & hanc habuit quando pastor, & rector Christiani populi factus est, dicente sibi Domino, Io. vlt. [Pasce oues meas.]

Patet etiam ex hoc responsio ad quintam cùm dicebatur, quòd capitis est &c. quia non tantum capitis est influere vno modo, sed dupliciter vt dictum est; beato verò Petro, & eius successori, licèt non conueniat influere primo modo, influit tamen secundò modo, & hoc sufficit ad rationem capitis per similitudinem dicti, siue mystici. Vel dicendum quòd licèt beatus Petrus non influxerit, nec successor eius influat motum, & sensum spiritualem in membra Ecclesiæ, nec per modum efficientis, sicut Christus inquantum Deus: nec per modum meriti, siue redundantiæ, sicut Christus inquantum homo; tamen per modum ministri potestatem clauium secundùm plenitudinem habentis, & thesaurum Ecclesiæ dispensantis, influit ministerialiter sensum, & motum omnibus debitè præparatis, ac Ecclesiæ sacramenta dignè suscipientibus; vndè Dominus Albertus Magnus in tractatu de Missa dicit: quòd presbyterorum Ecclesiæ officio toti corpori mystico gratia influitur ad sensum spiritualem, & motum meritorum, & augumentum spirituale, quòd officium est in verbo doctrinæ, & Eucharistia, & huiusmodi alijs sacramentis. Et quod hoc sufficiat ad rationem capitis ministerialis patet: quoniam vt inquit sanctus Thom. in quæst. de veritate quæst. 29. art. 5. Minister Ecclesiæ non agit in sacramentis, quasi ex propria virtute, sed alterius, scilicèt Christi, & ideò in eo non requiritur gratia personalis, sed sola auctoritas ordinis, per quàm quasi Christi Vicarius constituitur, Christus autem operatus est nostram salutem, quasi ex propria virtute; & ideò oportuit, quòd in eo esset gratię plenitudo. Hæc S. Tho.

Ad sextam rationem quandò dicitur, quòd à Petro non est deriuata potestas: respondetur; quòd loquendo de potestate iurisdictionis falsum est; vt patet ex cap. ita Dominus dist. 19. supra inducto. Confirmatur etiam hoc eiusdem beati Leonis sententia dicentis sic in tertio sermone ordinationis suę. De toto mundo vnus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus proponatur, vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores; omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus. Magnum, & mirabile dilectissimi huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio; etsi quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit, quamquam alijs non negauit. Hæc Leo Papa sanctissimus. Et cùm dicitur, quòd Petrus non solus claues accepit: respondetur, quòd licèt Petrus non solus receperit, sed tota Ecclesia in Episcopis, & presbyteris in eo; ipse tamen est solus principaliter, & in plenitudine recepit; vt habet glos. Matth. 16. superiùs inducta. Cùm verò dicitur, quòd alij Apostoli æquè principaliter &c. dicendum quòd falsum est. Vndè licèt Matth. 18. Christus omnibus communiter potestatem dederit ligandi, & soluendi: nihilominùs, vt inquit sanctus Thom. in 4. vt in hac potestate ordo aliquis significaretur, primo soli Petro data est, vt ostendatur quòd ab eo in alios debeat ista potestas descendere; propter quòd dixit ei singulariter; [Confirma fratres tuos: & Pasce oues meas;] idest loco mei; vt inquit Chrys. [Prępositus, & caput esto fratrum tuorum.

Ad septimam cum dicitur, quòd si Petrus Apostolus fuisset caput &c. dicimus, quòd hoc non sequitur, cùm non ponatur caput fuisse principale Ecclesiæ, à quo sensus spiritualis gratiæ, & motus charitatis deriuetur in corpore Ecclesiæ, sed sic caput est Christus; & ideò meritò ab eo tamquam à principali, & sicut à quo in membra Ecclesię vnctio diuinæ gratiæ influitur, denominamur Christiani, & non à Petro Petrini.

Ad octauam cum dicitur, quòd corporis ad caput est necessaria connexio, & talis non est connexio Ecclesiæ ad Petrum: respondetur, quòd licet corporis Ecclesiæ non sit habitudo, siue connexio necessaria ad Papam, vt singularis homo est: tamen necessaria est ad ipsum in quantum est Papa, siue rector, & pastor eius à Christo constitutus, stante hac diuina ordinatione. Vndè de necessitate salutis est subesse Romano Pont., vt in extrauaganti Bonifacij est declaratum; & vt S. Tho. inquit in expositione super Ioann. vbi suprà illo verbo [Simon Ioann. Diligis me, pasce oues meas] dicitur. Non potest se dicere Christianum, qui dicit se non subesse sub cura huiusmodi pastoris; & beatus Gregor. in cap. si quidem dist. 81. inquit: [Peccatum paganitatis incurrit quisquis dum Christianum se asserit, Sedi Apostolicæ obedire contemnit.] Prætereà ità necessaria est ista connexio stante diuina ordinatione, vt extrà Ecclesiæ corpus sit, qui cum Episcopo eius non est; dicente Cypr. & habetur in cap. qui cathedram dist. 93. [Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.] De ista materia vide superiùs lib. 1. huius operis in cap. 8. & in cap. 2. huius 2. lib.

Ad aliam rationem cum dicitur de capite separato &c. Respondetur quòd hoc est verum de capite, à quo influitur sensus, & motus in membra corporis: sed hoc modo Petrus non fuit caput, sed Christus, non est autem verum de capite, à quo solus est influxus extrinsecus secundum exteriorem gubernationem cuiusmodi fuit Petrus, & est eius successor; tali enim capite amoto ad tempus à corpore, non propterea perit corpus multitudinis gubernatæ, licèt ex diuturnitate vacationis posset aliqua incommoda, & dispendia pati; iuxtà cap. vbi periculum maius, de elect. lib. 6. Hæc pro nunc sufficiant, licèt posset dici, quòd licèt persona Papæ deficiat, non tamen Apostolica Sedes, quæ numquam moritur, extra de rescript. in cap. si gratiosè in 6. vbi dicit glos. & concordat Archi. licèt enim habens Papatum, vel dignitatem sit corruptibilis: Papa tamen & Imperium, & dignitas semper sunt, vt in auth. quomodo opportet Episcopos. §. licentiam, &

& ideò corrupto subiecto hæc non dicuntur non existere, sed vacare, hoc est: administratore iuris, vel facti carere, vt de concess. præbend. cum nostris; de quo pleniùs infra dicendum est.

CAP. XXIV.

De quorumdam errore dicentium Petrum non fuisse caput vniuersalis Ecclesiæ, licèt benè singularum Ecclesiarum particularium.

SVrrexit diebus nostris nouellus quidam error apud quosdam nouellos magistros, qui Basileen. Concilio in defensionem, & colorem inobedientiæ, ac rebellionis eorum aduersùs Romanum Pontificem dogmatizare non sunt veriti: quòd nec beatus Petrus fuerit, nec successor eius, scilicèt Papa caput vniuersalis Ecclesiæ, & per consequens vt aiunt, nec Concilij vniuersalis illam repræsentantis, licèt benè concedant, quòd sit caput particularium Ecclesiarum, & singulorum fidelium; & iuxtà hunc sensum omnes auctoritates sanctorum Patrum dicentium Petrum fuisse caput vniuersalis, siue totius Ecclesiæ, exponunt dist. 1. particularium, siue singularium Ecclesiarum. In fauorem autem huius erroris eorum faciunt sequentes rationes.

Primò arguunt ex cap. quamuis dist. 21. vbi Gelasius Papa dicit sic, quòd quamuis vniuersæ per Orbem Catholicæ Ecclesiæ vnus thalamus Christi sint, tamen Romana Ecclesia Catholica, & Apostolica cæteris Ecclesijs prælata est. Ecce inquiunt, quòd dicit cæteris, & non vniuersali Ecclesiæ prælata est.

Secundò sic: vniuersalis Ecclesiæ caput est Christus: ergo nec beatus Petrus, nec successor eius Papa, consequentiam dicunt notam, quia monstruosa res est, vt vnius corporis assignentur duo capita.

Tertiò, caput dicitur vno modo ratione perfectionis, sicut primum in quolibet genere dicitur caput, sicut leo in genere animalium. Secundò ratione ordinis, quia est prima pars corporis incipiendo à superiori, & indè omne, quod est principium consueuit vocari caput secundùm illud Hierem. 2. [Ad omne caput viæ posuisti lupanar tibi;] & principium libri consueuit dici caput libri. Tertiò ratione directionis, & sic rector dicitur caput populi secundùm illud Amos 6. Optimates capita populorum; sed licèt Papa ista habeat respectu singulorum, & ità meritò dicatur caput singulorum, non tamen respectu vniuersalis Ecclesiæ, quoniam non est perfectior Ecclesia vniuersali, nec prior, siue dignior illa, sed director illius, sed ipsa congregata magis est directrix illius in his, quæ sunt fidei, & salutis; ergo illius non debet dici caput.

Quartò sic: Papa non est caput totius Ecclesiæ distributione, quia non est suipsius, item nec totius Ecclesiæ collectiuè, quia nec sensum per fidem, nec per sacramenta gratiam influit collectæ toti Ecclesiæ, quia sicut non habetur animam, ita non capit baptismum, nec indiget sacramentis, licèt membra indigeant, & suscipiant; ergo &c.

Quintò: vniuersalis Ecclesia non potest errare, siue deficere: ergo respectu illius non potest aliquis homo, qui peccare potest, & deficere, dici caput; consequentia videtur manifesta: ergo non videtur dicendum, quòd beatus Petrus fuerit, aut nunc successor eius caput vniuersalis Ecclesiæ.

CAP. XXV.

In quo improbatur error præfatus aduersariorum.

COntrà prefatum aduersariorum errorem negantium beatum Petrum caput fuisse sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, siue vniuersalis, procedemus hoc ordine. In primis confutabimus illum aliquibus rationibus: secundò commemorabimus aliqua sanctorum Patrum testimonia: tertiò ostendemus responsa, quę dantur per aduersarios ad dicta præfata sanctorum Patrum, nulla esse: quartò in cap. sequenti respondebitur rationibus dictorum aduersariorum. In primis præfati erroris stultitia in hoc, quod dicit, quòd beatus Petrus fuit caput singularum Ecclesiarum, & omnium fidelium, sed non vniuersalis Ecclesiæ, ostenditur ex multis.

Primò quidem, quia aduersarij dicendo Petrum esse caput vnum, & non assignando illi vnum corpus, cuius sit caput, sed plura corpora, quia singulos fideles, siue singulas particulares Ecclesias, videntur facere Ecclesiam monstruosam, quòd est inconuenientissimum.

Secundò, quia dicendo, quòd Petrus fuerit caput singularum Ecclesiarum particularium, & non vniuersalis Ecclesię, videntur implicare contradictionem, cùm Ecclesia vniuersalis non sit aliud, quàm vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ in vna fide Christi vnitæ. Vndè in cap. quamuis dist. 21. Papa Pelagius dicit, quòd vniuersæ per Orbem Catholicæ Ecclesię vnus thalamus Christi sunt.

Tertiò: quia cùm vniuersalis Ecclesia sit vnum corpus, vt inquit Apostolus; & corpus vnum habere debeat immediatum caput homogenum, idest, eiusdem naturæ, & eiusdem status, & conditionis, vt scilicèt sit visibile, & conuersabile cum corpore, cuius sit caput, aduersarij negando beatum Petrum post Christi corporalem absentiam ab Ecclesia fuisse caput vniuersalis Ecclesiæ: necessarium videntur confiteri corpus vniuersalis Ecclesiæ esse acephalum, quia sine capite visibili, & conuersante cum ea, quod est hæreticum. Vndè Marsilius de Padua dicens, Christum nullum caput dimisisse Ecclesiæ, condemnatus est per Sedem Apostolicam; vt patet in extrauaganti Io. 22. quæ incipit: Licèt iuxtà doctrinam Apostoli. Item in Concilio Constantien. per Papam Martinum condemnatus est Ioannes Hus asserens, quòd non erat scintilla apparentiæ, quòd opporteat esse vnum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quòd semper conuersetur cum ea.

Quar-

Quartò sic: vnitas Ecclesiæ prout lib. 1. cap. 8. & in hoc 2. lib. cap. 2. ostendimus, non modo accipienda est, stante ordinatione Euangelij in ordine ad Christum, quemadmodum Græci, Armeni, & plures alij hæretici, & scismatici volunt, sed etiam in ordine ad vnum Christi Vicarium, scilicet, summum Pontificem, ad quem vniuersum corpus ligari, ac vniri necesse est; vnde gloss. Matth. 16. ità dicit: Ideò specialiter potestatem ligandi, soluendique Petro Christus concessit, vt ad vnitatem nos inuitaret;] ideò enim eum principem Apostolorum constituit, vt Ecclesia vnum haberet principalem Vicarium, ad quem diuersa membra Ecclesiæ recurrerent, si fortè inter se dissentirent, quòd si diuersa capita essent in Ecclesia, vnitatis vincula rumperentur. Hæc gloss. & beatus August. super Psal. 49. exponens illud. [Deus deorum locutus est, & vocauit terram;] de Christo loquens dicit sic. Deinde quadragesimo, scilicet Ascensionis die, commendans sancto Petro Ecclesiam, idest vocatam terram à Solis ortu, vsque ad occasum, ne haberent excusationem, qui volunt in schismate deperire.

Quintò contra hunc errorem est verbum manifestè Christi dicentis; [Petre tu vocaberis Cephas.] Cephas enim, vt parum ante dictum est, Græce caput sonat. Quòd autem in hoc loco totius Ecclesiæ caput Petrus describeretur futurus, testatur venerabilis Beda in glos. ità dicens. [Intuitus autem Petrum Christus vidit cordis simplicitatem, animi sublimitatem, cuius meritò cunctæ esset præferendus Ecclesiæ. Hæc Beda.

Sextò contra hunc errorem est illud, quod à Domino Petro dictum legitur. [Super plebem meam principem te constitui:] non dicit plebes particulares, sed plebem ipsam, scilicet, vniuersalem Ecclesiam, quæ est plebs Dei.

Septimò contra hunc errorem esse videtur, quòd beatus Petrus constitutus sit pastor vniuersalis Ecclesiæ. Ioann. vlt. [Pasce oues meas;] si ergo pastor totius Ecclesiæ; ergo & caput. Quod autem quidam aduersarij veritatis dicebant Basileæ nobis audientibus, & in scriptis suis damnatissimis reliquerunt, quòd beatus Petrus non fuerit constitutus pastor Ecclesiæ, quia Christus non dixit pasce Ecclesiam meam, sed pasce oues meas; est stulte dictum. Tum primò, quoniam cùm Ecclesia vniuersalis nihil aliud sit, nisi ipse Grex Dominicus, siue Ouile Christi; sicut beatus Petrus dictus est Pastor Gregis Dominici, ita & vniuersalis Ecclesiæ. Tum secundò, quia oratio ipsa Eclesiæ, quæ per totum Orbem terrarum in Ecclesia pronunciatur, est in contrarium; vnde in ea sic dicitur. [Deus omnium fidelium Pastor, & Rector famulum tuum N., quem Pastorem tuum Ecclesiæ præesse voluisti &c.] Tum tertiò, quia in contrarium est beatus Gregorius in Homilia Dominicæ Resurrectionis, & habetur in cap. considerandum dist. 50. qui ita dicit. Considerandum nobis est, cur omnipotens Deus eum, quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ad ancillæ vocem pertimescere, & seipsum negare permisit? quod nimirùm magnę actum pietatis dispensatione cognoscimus, vt is, qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset. Hæc ille. Ad idem sunt verba beati August. inducta supra in cap. 20. Patet ergo manifestè, quòd grauiter errant, qui beatum Petrum fuisse, & eius successorem Rom. Pont. negant esse Caput vniuersalis Ecclesiæ.

Secundò, vbi ad reprobationem præfati erroris commemoranda erant sanctorum Patrum testimonia sufficiat, quòd in capitulis proximè superioribus habentur ad hoc testimonia Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Anacleti, Marcelli, & Gregorij, quorum Patrum sanctorum sententijs Synodus Constantiensis illustrata, condemnauit præfatum errorem inter errores Ioannis Hus dicens, quòd Petrus non fuerit Caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ error, Catholicum idem est, quod vniuersale; Cathos enim Grçcè commune, siue vniuersale dicitur.

Tertiò videndum est, quomodo responsio aduersariorum, quam ad Sanctorum dicta dant, nullius sit roboris, ac virtutis. Pro quo sciendum, quòd ad omnes auctoritates dicentes Petrum fuisse, vel Romanum Pontificem esse Caput vniuersalis Ecclesiæ; respondent sub hac distinctione; quia dicunt, signum illud vniuersale accipiendum esse distributiuè, vt scilicet distribuat pro singulis Ecclesiæ membris; non autem collectiuè pro ipsa vniuersali Ecclesia. Sed quòd ista responsio sit vana, & quodammodo stulta & errorem sapiat, licèt ex supradictis quisque sapiens manifestè intelligat; nihilominùs sic ostendimus. Vana quidem præfata responsio est; quia licèt signum vniuersale cùm cadit supra nomen commune non collectiuum, possit fieri ista distinctio, verbi gratia; distinguitur apud Logicos ista. Omnes Apostoli Christi sunt duodecim, quia collectiuè est vera, distributiuè sumpto signo vniuersali, est falsa, & è conuerso illa. Sortes est fortior omnibus hominibus; quia distributiuè potest esse vera, collectiuè est falsa, tamen quando signùm vniuersale cadit super nomen collectiuum, cuiusmodi est Ecclesia, Plebs, Populus, Familia, Grex, Collegium, Concilium, Synodus, & huiusmodi; non videtur habere locum ista distinctio; quia contra naturam nominis collectiui est, quòd teneatur distributiuè, & non collectiuè,

Præterea falsitas præfatæ distinctionis ostenditur ex professione Patrum Chalcedonensis Concilij; qui vt in Gestis eiusdem Concilij colligitur, scribentes Leoni Papæ profitentur in Concilio per suos Missos, quòd eis, vt Caput prçerat, vbi benè patet, quòd isti Patres sancti Chalcedonensis Concilij sublimiùs sentiebant de auctoritate Romani Pontificis, quàm nouelli Magistri Basileen. sentiant; qui in tantam stultitiam deuenerunt, vt Romanum Pontificem non Caput Concilij cognoscerent, sed tantum membrum partiale, licèt principale. Secundò, quòd Papa dicatur Caput singulorum membrorum corporis Ecclesiæ, & non ipsius corporis, quod ex ipsorum membrorum resultat multitudine, videtur nobis stultum; sicut quòd Episcopus sit Caput fidelium Diœcesis suæ, & non Diœcesis. Rex sit Caput omnium Regnicolarum, & non Regni. Tertiò videtur erro-

erronea, quoniam contra Euangelium, & sanctorum Patrum doctrinam est, & quia expressè damnata est, vt diximus in Concilio Constantiensi inter articulos Ioannis Hus.

CAP. XXVI.

In quo respondetur rationibus inductis in fauorem erroris præfati.

IMprobato errore tam auctoritatibus, quàm rationibus; iam aduersariorum rationibus restat respondendum; quòd erat quartum faciendum. Pro quarum solutione, & multarum aliarum similium est notandum; quòd sicut de corpore natutali animalis contingit loqui dupliciter; quia vel corpus nominat membra cum capite simul, aut tantùm residuam partem à capite; ità de Ecclesiæ corpore contingit loqui dupliciter. Nam vt sanctus Thomas dicit in 4. 49. dist. nomen Ecclesiæ dupliciter accipitur; quandoque enim nominat tantummodò corpus, quod Christo coniungitur sicut capiti; quandoque nominat caput, & membra simul coniuncta. Et ità similiter possumus loqui dupliciter de vniuersali, siue de tota Ecclesia in proposito nostro, videlicet: Vno modo, vt dicit collectionem, siue vniuersitatem absolutè omnium fidelium, nullo dempto, siue non intellecto; & hoc modo nominat membra omnium cum capite suo, & sic est sermo de vniuersali Ecclesia, cùm de ea absolutè loquimur non distinguendo, aut referendo eam contra aliquem fidelem; sicùt cum dicimus, quòd vniuersalis Ecclesia est Sponsa Christi, quòd errare non potest, & huiusmodi. Alio modo contingit loqui de corpore vniuersalis Ecclesiæ, proùt nominat membra tantùm, siue fideles commissos curæ beati Petri, siue eius successoris, & sibi tamquam capiti vnitos, & hoc modo de Ecclesia vniuersali fit sermo, cùm de ea loquimur, sicut de corpore in comparatione ad caput eius. Cùm enim nihil referatur realiter ad se ipsum, nec aliquis sibi ipsi subiectus esse possit; necesse est, vt ista ad inuicem, vt distincta accipiantur, vt cùm dicimus, quòd Papæ est commissa cura totius Ecclesiæ, vt inquit beatus Gregorius, & quòd beatus Petrus fuit Caput totius vniuersalis Ecclesiæ, vt inquit beatus Marcellus Papa in cap. rogamus, 24. quæst. 1. & quòd est Cephas Corporis Christi, vt ait beatus Hieronym. Et similis fit distinctio de Regno, & de omni Principatu; quandoque enim nominat simul Principem, & subditos; aliquando Regnicolas tantùm subditos alicui Principi, sicut dicimus istud Regnum est illius, ille dominatur huic Regno.

His autem notatis dicendum est ad rationem primam, quæ sumitur ext. cap. quamuis. Respondetur primò negando consequentiam; quia arguit ab auctoritate negatiuè, & talis argumentatio nulla est, prætereà si ibi non habetur; habetur tamen in multis alijs locis, sicut patet supra cap. 20. Secundò respondetur; quòd Papa Pelagius rectè loquitur, sed nihil in fauorem aduersariorum, quod patet; quia cùm nihil sit maius, aut superiùs se ipso, oportet, quòd inter Prælatum, & subditos sit distinctio; cùm ergo Romanam Ecclesiam ponimus prælatam, necesse est, vt intelligamus, quòd respectu cæterarum omnium Ecclesiarum, quæ distinguntur ab ea, non debuit autem dicere, quòd vniuersali Ecclesiæ est prælata, proùt vniuersalis Ecclesia includit etiam Romanam; quia tunc suipsius esset prælata; nihilominùs beatus Petrus, qui prælatus est etiam Ecclesiæ Romanæ, dicitur prælatus vniuersalis Ecclesiæ, quæ ex omnibus particularibus Ecclesijs consurgit.

Ad secundam rationem, in qua dicitur: Christus est Caput Ecclesiæ, &c. Respondetur negando consequentiam, & ad probationem supra est responsum dupliciter in cap. 23. ad secundam rationem. Primò; quod licèt hoc verum sit de corpore naturali hominis, quia tale non est pars alterius; non de corpore per similitudinem dicto, siue mystico, quòd vnius, & eiusdem possunt plura capita subordinata esse, scilicet vnum principale, & aliud secundarium principali subordinatum, sicut in vno corpore ciuitatis est caput rector eiusdem, & cum hoc Rex, qui totius Regni caput est. Secundò dicebatur, quòd propriè loquendo non ponuntur duo capita distincta; quoniam Papa non est omninò aliud caput distinctum à capite, quòd est Christus, sed est eius Vicarius, & vicem eius, & personam, potestatem, & auctoritatem repræsentans in terris; & eius iudicium, iudicium Dei reputatur, & sententia eius, & consistorium eius, consistorium Dei, & ideò non sunt propriè duo capita, sed vnum; vt declarat Bonifacius VIII. in Extrauaganti; Vnam sanctam; quoniam vbi vnum propter alterum, vtrobique tantùm vnum.

Ad tertiam rationem cum dicitur; quòd Papa non est perfectior vniuersali Ecclesia; respondetur negando totam illam minorem: dicimus enim, quòd cùm Papa sit constitutus Princeps super totam Ecclesiam secundùm illud, quod dictum est à Domino Petro. Super plebem meam Principem te constitui; perfectior perfectione potestatis, & superior, ac dignior superioritate auctoritatis est toto residuo corpore Ecclesiæ; licèt in comparatione ad alia bona spiritualia, quorum cùm maior copia inueniatur in vniuersitate Ecclesiæ, quàm in vno solo prælato; non est dubium, quin Ecclesia perfectior, ac dignior sit plenitudine copiæ bonorum spiritualium Papa quantumcumque sancto. Potest etiam quantùm ad perfectionem interiorem, quæ attenditur penès charitatem, quæ ab Apostolo dicitur vinculum perfectionis, isto modo vetula dici perfectior esse; quàm Papa, est etiam Director Ecclesiæ, cùm Princeps, & Pastor illius sit; & hoc siue sit dispersa, siue collecta, collectio enim omnium ad vnum locum nihil auctoritatis minuit in Pastore; vnde canon in cap. vbi periculum maius extra de elect. in 6. Et qui factus est in Concilio Lugdunensi, nominat Papam Vicarium Iesu Christi successorem Petri, Rectorem vniuersalis Ecclesiæ Gregis Dominici Directorem. Item Leo Papa in quadam epistola ad Palestinos in princ. sic dicit. Sollicitudini meæ, quam vniuersali Ecclesiæ, omnibusque eius filijs debeo, &c. ecce quod non solùm filiorum, sed vniuersalis Ecclesiæ, omnibusque filijs eius debeo, &c.

ecce quod non ſolùm filiorum, ſed vniuerſalis Eccleſiæ dicit ſe curam regiminis habere.

Ad quartam cum dicitur Papa non eſt Caput,&c. reſpondetur negando aſſumptum; dicimus enim, quod eſt Caput vniuerſalis Eccleſiæ diſtributiuæ; quia omnium aliorum fidelium à ſe, ſicut Rex dicitur caput totius Regni, licèt non ſit caput ſui ipſius. Item, dicimus, quod ſit etiam Caput vniuerſalis Eccleſiæ collectiuę cùm ſit Director illius, ſicut Princeps populi ſui. Et ad probationem cùm aduerſarij dicunt, quòd Papa non eſt Caput vniuerſalis Eccleſiæ collectiuè; quia per Sacramenta non influit toti Eccleſiæ collectiuè, quia ſic non habet animam, nec indiget Sacramentis, licèt membra indigeant; videtur nobis, quòd hæc probatio implicet tria, quæ nobis videntur erronea, ſaluo ſemper meliori iudicio. Primum eſt, quod dicunt, quòd Eccleſia vniuerſalis collectiuè ſumpta, cuius Caput eſſe Chriſtum dicunt, & non Papam, ſit res, non habens animam, ſiue ſit inanimata. Secundùm eſt; quia ipſa Eccleſia vniuerſalis non indiget Sacramentis, licèt membra eius indigeant. Tertium eſt, quòd ipſa vniuerſalis Eccleſia ſit aliud, quàm ipſa eius membra indigentia Sacramentis. Contra primum eſt, quòd Corpus Chriſti myſticum, quod eſt ipſa vniuerſalis Eccleſia, non poteſt eſſe, niſi vnum; quomodo enim Caput Chriſtus influere poteſt ſenſum, & motum ſpiritualem in corpus, non habens animam, nec ſpiritum, cùm ſolus ſpiritus ſusceptiuus ſit huiuſmodi influxus; quomodo Eccleſia vniuerſalis creditur ſancta, ſi non habet animam; quomodo vniuerſalis Eccleſia collectiuè ſumpta poteſt dici Sponſa Chriſti, ſi non habet animam; quomodo inter Chriſtum, & Eccleſiam vniuerſalem poteſt eſſe matrimonium, ſi vniuerſalis Eccleſia animam non habet, & per conſequens nec fidem, nec charitatem, quibus vniatur Sponſo ſuo; quomodo habet claues, & poteſtatem directiuam omnium, vt aduerſarij dicunt, ſi non habet animam; quomodo Chriſtus mortuus eſt pro Eccleſia vniuerſali, ſi illa caret anima, & ſenſu, quomodo vniuerſalis Eccleſia militans coniungenda eſt in gloria triumphanti, ſi animam non habet, & per conſequens nec capacitatem gloriæ? Videtur nobis, quòd aduerſarij delirent in cognitione Eccleſiæ vniuerſalis; & ideò non mirùm, ſi multis peruoluantur erroribus. Contra ſecundum errorem eſt Apoſtolus ad Epheſ.5. dicens [Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauachro aquæ in verbo vitæ:] gloſ. 1. quo datur vita; quo accedente ad elementum fit Sacramentum, ſequitur, vt exhiberet ipſe ſibi; gloſ. in futuro glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiuſmodi, quod verbum beatus Auguſt. tractans in lib. retract. de lib. moribus Eccleſiæ dicit ſic. Sic accipiendum eſt, quod ait Apoſtolus. [Chriſtus dilexit Eccleſiam ſuam, &c.] hoc eſt enim lauachrum aquæ in verbo, quo mundatur Eccleſia; ſed cùm tota dicat quamdiù hìc eſt, dimitte nobis debita noſtra; non vtique hìc eſt ſine macula, & ruga, aut aliquo huiuſmodi. Hæc Auguſtinus. Sanè manifeſtum eſt, quòd auctoritas iſta Pauli apertiſſimè oſtendit opinionem aduerſariorum eſſe erroneam, quam habent de Eccleſia vniuerſali. Contra tertium errorem videtur eſſe illud, quod glo: habet ſuper illud, Pſ. 127. [Vxor tua ſicut vitis abundans,&c.] vbi gloſ. exponens illud, vt ſit ſermo ad Chriſtum Caput dicit ſic: [Vxor Chriſti eſt Eccleſia,&c.] & exponens ſequentem verſum: Filij tui, &c. dicit ſic. Idem ſunt filij Chriſti, qui & vxor, ideſt Eccleſia, ipſa enim eſt coniux Chriſti; ipſa filij. Hæc ibi. Item idem notatur Luc.10. vbi dicitur. [Fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam, ideſt Eccleſiam; vt det illis triticum, &c.] Ecce idem dicitur, Eccleſiam, & illos, quibus miniſtrandum erat triticum. Item beatus Bernardus in ſermone de nuptijs, vbi aqua in vinum eſt mutata ità ait. [Sponſa Chriſti nos ipſi ſumus, & omnes ſimul vna ſponſa, & animæ ſingulorum quaſi ſingulæ ſponſæ.] Hæc ille. Eſt ergo Corpus Eccleſia, ipſi fideles ipſa membra eius, ſed de hoc ſupra lib. 1. vbi de Eccleſia vniuerſali, quid ſit pleniùs explicauimus.

Ad quintum reſpondetur, negando conſequentiam, quæ tamquam erronea condemnata legitur in Concilio Conſtantienſi inter errores Ioannis Hus, qui dicebat, quòd ſi Papa eſt malus, non eſt Caput Eccleſiæ militantis, Concilium dicit error, conſequentia ergo talis nulla eſt: vniuerſalis Eccleſia militans tota deficere non poteſt, aut in moribus, ergo homo, qui deficere poteſt, non poteſt illius eſſe Caput miniſteriale.

CAP. XXVII.

Quòd Papa aliquo modo dicendus ſit Sponſus Eccleſiæ vniuerſalis.

QVemadmodum Romanus Pontifex Caput Eccleſiæ vniuerſalis eſt; ita etiam Sponſus illius dici poteſt. Sunt enim Prælati ſponſi Eccleſiarum ſuarum, vt in capit. ſicut alterius vxor, 7. quæſt. 1. vbi dicit beatus Calixtus Papa. Sponſa, vxorque Epiſcopi dicitur eius Eccleſia: vnde in eius ſignum Epiſcopus porta anulum; ſicut enim in electione alterius prælati fit matrimonium inter vnam Eccleſiam particularem, & Epiſcopum; ità in electione Summi Pontificis per Cardinales vice totius Eccleſiæ fit matrimonium ſpirituale inter Papam, & vniuerſalem Eccleſiam, ſicut apertè colligitur in cap. Eccleſiæ meæ, diſt. 97. hinc extrà de immunit. eccleſ. in cap. quoniam, lib. 6. dicit Papa. Nos iuſtitiam noſtram, & Eccleſiæ Sponſæ noſtræ nolentes negligere, &c. Quòd autem Chriſtus communicet alijs etiam nomen Sponſi, habet expreſsè gloſ. Iſa. 61. ſuper illud. Dedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & ſponſam ornatam monilibus ſuis, quæ dicit ſic. Chriſtus Eccleſiæ Sponſus; ſed tamen perfectos in Eccleſia eodem nomine dignatur ſecundùm illud Apoſtoli, 1.Corinth.3. [Tamquam paruulus in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam: ipſe ergo Sponſus Chriſtus ſponſos facit, & ſponſas; tamen vna eſt in capite,

pite, & in membris Ecclesia.] Hæc glos. Præterea cùm inter Episcopum, & Ecclesiam suam fœdus coniugij sit, quòd vt ait Innoc. in cap. licèt, extrà de translat. Episcopi; in electione initiatur: ratificatur in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatum. Nulli debet iu dubium verti, quin Episcopus sponsus dici posset Ecclesiæ,& per consequens Papa Sponsus vniuersalis Ecclesiæ, cui præest tamquam Rector, & Pastor.

CAP. XXVIII.

In quo obijcitur, quòd Papa non possit dici Sponsus vniuersalis Ecclesiæ, & respondetur ad obiecta.

NOminis Sponsi dignitatem aduersarij non patientes Romano Pontifici, respectu vniuersalis Ecclesiæ attribui; arguunt multipliciter contra dicta in præcedenti capitulo.

Primò sic; Solus Christus videtur esse Sponsus Ecclesiæ, secundùm illud Ioannis 3. [Qui habet sponsam, sponsus est;] Illi Ecclesia per fidem coniungitur, secundùm illud Oseæ 2. [Sponsabo te mihi in fide;] Ergo sequitur,quòd Papa non sit dicendus sponsus Ecclesiæ.

Secundò sic; Beatus Bernardus scribens Eugenio lib. de considerat. paranymphum Papam dicit, & amicum sponsi; non autem sponsum: ergo &c.

Tertiò; Sponsus est, qui de sponsa sua suo nomini filios generat, sed Papa non generat de Ecclesia filios suo nomini: vnde non dicuntur à Petro,Petrini; sed à Christo, Christiani; ergo Papa non potest dici sponsus Ecclesiæ.

Quartò sic; Vnius sponsæ vnus debet esse sponsus Genes. 2. [Erunt duo in carne vna:] Ergo respectu Ecclesiæ sanctæ Dei vnus sponsus debet dari, non duo, vt enim ait beatus Calixtus, & habetur in cap. sicut in vnaquaque Ecclesia, 21. quæst. 2. Ecclesia Christi vxor, & sponsa debet esse non scortum: ergo, &c. Nec valet, inquit aduersarius, quod dicatur, quòd Papa sit sponsus ministerialis; quia licèt ex commissa plenitudine potestatis aliquis sit supremus Vicarius, aut Minister alicuius Regis, non audet tamen vsurpare quomodolibet Regium nomen, nec se nominare sponsum vxoris Domini sui.

Quintò arguitur sic; Sponsa, siue vxor est subiecta sponso, siue viro, sicut habetur ad Ephes.5. vbi inquit Apostolus: [Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ità & mulieres viris suis in omnibus, sed Ecclesia vniuersalis non est Papæ subiecta; cùm sit minister eius:] ergo, &c.

Ad ista respondentes pro intelligentia eius, quod dictum est, quòd Papa sit sponsus vniuersalis Ecclesiæ; inducemus in primis, quòd sanctus Thomas in Tractatu suo contra impugnantes Religionem in hac materia dicit, ait enim sic: [Sponsus Ecclesiæ propriè loquendo Christus est,] de quo dicitur Ioan. 3. [Qui habet sponsam, sponsus est; ipse enim de Ecclesia nomini suo filios generat.] Alij autem dicuntur sponsi, sicut ministri sponsi exteriùs cooperantes ad generationem spiritualium filiorum, quos quidem non sibi, sed Christo generant; qui quidem ministri in tantùm sponsi dicuntur, in quantùm vicem veri sponsi obtinent, & ideò Papa, qui obtinet vicem veri sponsi in tota Ecclesia, vniuersalis Ecclesiæ Sponsus dicitur. Hæc S. Thomas. Quo habito dicendum est ad rationes aduersariorum.

Ad primam cum dicitur: [quod solus Christus &c.] respondetur: [quod verum est, quod solus Christus propriè loquendo, sit sponsus Ecclesiæ sicut is, quo sponsa fœcundatur, & cuius nomini Ecclesia filios generat;] nihilominùs tamen Prælati in quantùm, vt ministri Christo, exteriùs cooperantur per dispensationem Sacramentorum, siue diuini Verbi ad generationem spiritualium Filiorum Dei dici possunt. Sicut parum antè diximus in cap.23. de capite loquendo, quod quoad influxum interiorem gratiæ, ratio capitis soli Christo attribuenda erat, quo verò ad influxum exteriorem,scilicet per modum dispensationis sacramentorum, aut directionis in agendis,ratio capitis, etiam alijs conuenire poterat, scilicet Prælatis Ecclesiæ.

Ad secundam rationem: Respondetur vno modo negando consequentiam illam: Bernardus non nominat eum sponsum. Ergo nō est aliquo modo sponsus,consequentia non valet. Secundò respondetur: quòd dato, quòd beatus Bernardus diceret, quòd non esset sponsus, verùm diceret, quòd Papa non est propriè, vt dictum est, sponsus Ecclesiæ, sicut scilicet cuius virtute fœcundetur Ecclesia, siue Ecclesiæ Sacramenta ad generationem spiritualium filiorum, & cuius nomini Ecclesia filios generet,licèt benè dicatur Paranymphus, & custos Ecclesiæ, ac amicus sponsi, vt de Ioan.Baptista dicitur Ioan.3.Paranymphus enim dicitur à para, quod est iuxtà, & nympha, quod est sponsa, quasi sponsam coniungens, siue desponsans viro. Et hoc modo dicit S.Thom.in 4.dist.38.quod Episcopis cui cura Ecclesiæ committitur virgines desponsat non sibi, sed Christo quasi sponsi Paranymphus, & amicus, nihilominùs tamen ratione illius ministerij, aliquo modo possunt dici Prælati sponsi Ecclesiæ, vt dictum est.

Ad tertiam cùm dicitur sponsus est, &c. Responsio patet ex dictis, quoniam talis non est, nisi Christus, nihilominus ministerio cooperationis, Prælatus benè potest dici sponsus, aliquo modo etiam generans. Vndè Paulus inquit: In Christo enim Iesu per Euangelium vos genui.

Ad quartam cum dicitur,quod vnius &c. Respondetur quòd, vt inquit sanctus Thom. vbi suprà, quòd etsi Episcopus suæ diœcesis sponsus sit, & Presbyter suæ Ecclesiæ. Vndè & diœcesis sponsus Papa est, & Episcopus Parochiæ, non tamen propter hoc sequitur, quod sint plures sponsi vnius Ecclesiæ, quia Sacerdos suo misterio cooperatur Episcopo tanquam principali, & similiter Episcopi Papæ, & Papa ipsi Christo. Vndè Christus, & Papa & Episcopus, ac Sacerdos non com-

conputantur niſi vnus ſpoſus Eccleſiæ. Hæc S.Thom. Ad illud autem, quod dicit aduerſarius, quòd Papa etiam non poſſet dici ſponſus miniſterialis ex ſimilitudine carnalium ſponſorum, nihil valet, cùm non ſit ſimile. Vnde aduerſarius ille in hoc multum decipitur, & in multis locis, quia ex ſimilitudine carnalium minùs ſobrie iudicat de ſpiritualibus. Non eſt autem ſimile de miniſtro alicuius Regis reſpectu vxoris ſuæ, & de miniſtro Chriſti reſpectu ſponſę ſuæ Eccleſiæ, quoniam miniſter reſpectu filiorum, quos Rex habet de vxore ſua, non cooperatur Regi ad generationem filiorum illorum, & ideò nullo modo etiam miniſterialiter poteſt habere nomen ſponſi. Sed quoniã miniſtri Eccleſiæ cooperantur Chriſto miniſterialiter ad generationem ſpiritualium filiorum, qui de Eccleſia ſponſa generantur: ideò aliquo modo dici poſſunt etiam ſponſi Eccleſiæ ſponſæ Chriſti. Verùm eſt tamen, vt dictum eſt vnus ſponſus numerantur cum eo.

Ad quinta rationem: Reſpondetur negando minorem. Cùm enim Summ. Pontifex ſit Paſtor, rector, & caput vniuerſalis Eccleſię eo modo, quo oues ſubijciuntur Paſtori, & ſubditi rectori, & Corpus capiti, Eccleſia ſubijcitur Summo Pontifici. Et cùm arguitur, quòd Papa eſt miniſter Eccleſiæ; dicendum pro nunc, quòd miniſter alicuius dicitur quis duobus modis. Vno modo qui alteri aliquod impendit auxiliũ, ſuſſidium, aut opem ſalutarem, & hoc modo Papa eſt miniſter Eccleſiæ, & Prælati Eccleſiarum ſuarum. Quo etiam modo Angeli dicuntur miniſtri hominum, vnde Apoſtolus dicit ad Hæbr. 11. Eos in miniſterium miſſos propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, dicitur enim Chriſtus hoc modo miniſter, vnde ipſe ait Matth. 20. Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare. Et hoc modo capiendo nomen miniſtri non valet iſta conſequentia. Iſtę eſt miniſter illius. ergo eſt illi ſubiectus. Inimò poteſt eſſe ſuperior, aut Dominus, ſicut patet in exemplis inductis. Alio modo dicitur quis miniſter alterius, ſicut cuius virtute operatur, & cuius vices gerit tamquam principalis, & de tali miniſtro alicuius benè verum eſt, quòd ſit ſubiectus illi, cuius eſt miniſter. Sed hoc modo Papa non eſt miniſter Eccleſiæ, ſed Chriſti; cuius auctoritate, & vice regit, & gubernat ipſam vniuerſalem Eccleſiam. Vndè 1. ad Corinth. 4. dicit Apoſtolus ſic: Nos exſtimet homo, vt miniſtros Chriſti &c. Item legatione fungimur pro Chriſto 2. Corin. 4.

CAP. XXIX.

De tempore, quo Pontificali auctoritate beatus Petrus à Chriſto ſublimatus, ac conſecratus ſit.

POſquam pleniſſimè monſtrauimus, quòd beatus Petrus à Chriſto Primatum, & Pontificatum in Eccleſia habuerit, conſequens eſt pro pleniori tractatus intelligentia enucleare, quo tempore ipſius Pontificalis faſtigio ſublimatus fuerit, ac donatus.

Pro quo in primis dicimus, quod beatus Petrus à Chriſto immediatè poteſtatem, & dignitatem Epiſcopalem habuit, ab eodem factus, & conſecratus Epiſcopatus. Vndè Anacletus Papa, & martyr diſt. 21. in cap. 9. dicit ſic: Ipſi ſancto Petro primo Pontificatus in Eccleſia Chriſti datus eſt dicente Domino ad eum: [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.] Et ratio huius eſt, quia Dei perfecta ſunt opera, Deuter. 31. Vnde ſicut Deus in creatione homines perfectos fecit, ex quibus propagatio naturaliter præcedere potuit; ſic Deus Apoſtolos, quos tamquam principia, ſiue fundamenta Eccleſiæ in recreatione fecit, ſic perficere debuit, vt per eos Eccleſia propagari poſſet. Sed ſine Epiſcopo Eccleſia non poterat perficere à quo ſolo omnia Eccleſiaſtica Sacramenta poſſunt miniſtrari. Oportuit ergo, vt Chriſtus Pontifex recedens corporaliter, & viſibiliter ab Eccleſia, aliquem loco ſui relinqueret in Eccleſia. Sed ſi, pro quia, aliquem fecit loco ſui vices ſuas agentem Pontificali dignitate præditum, veriſimilius eſt de Petro, qui cæteris dignior fuit, ac ſublimior, vt ex ſuperioribus patet. Vndè Chryſoſt. ſuper illud Luc. 24. Apparuit Simoni dicit ſic; Primò digniori, & fideliori omnibus apparuit. Et idem Auguſt. dicit ſuper illud Ioa. 13. Venit ergo ad Simonem Petrum. Super quo ita dicitur: Quis enim neſciat primum Apoſtolorum eſſe beatiſſimum Petrum? Præterea cum ex diuinorum operum perfectione apertiſſimè hoc intelligamus, quòd cùm aliquid alicui committitur, per conſequens commiſſum intelligatur, & illud, ſine quo commiſſum explicari non poteſt. Paſcere autem gregem Dominicum, quod commiſſum eſſe Petro, ipſum ſanctum Euangelium teſtatur, perfectè nullus poſſet, niſi Epiſcopus, qui ſacramentorum omnium habet diſpenſationem, manifeſtùm eſt, quod cùm Chriſtus Petro gregis Dominici paſturam commendauit officium Paſtorale Epiſcopi ſimul impoſuerit, ſiue tradiderit. Siquidem Chriſtus propter excelentię poteſtatem, quam in ſacramentis habuit, rem ſacramenti ſine Sacramento conferrè potuit. Vndè ſolo Verbo Petrum Epiſcopum fecit.

Cæterum ad videndum, quo tempore Petrus Apoſtolorũ primus Epiſcopus à Chriſto factus ſit, conſiderandum eſt, quod quia tempore, quo Saluator noſter corporaliter inter homines viſibilis conuerſabatur, per ſeipſum rexit Eccleſiam, nulla neceſſitas, ſed neque decentia, neque vtilitas fuit, quod ipſe alium loco ſui paſtorem poneret ſibi Epiſcopum. Sed ſolùm quandò poſt Reſurrectionem præſentiam ſuam corporalem viſibilem eſſet ab Eccleſia ſubtracturus. Quemadmodum Prælati, tunc demùm, quando ſe per longum tempus à ſuis Eccleſijs abſentare diſponunt, loco ſui generales vicarios conſtituunt. Vndè beatus Petrus factus eſt à Chriſto Paſtor, Princeps, & Epiſcopus Eccleſiæ vniuerſalis, quandò poſt Reſurrectionem Aſcenſurus in Cœlum, nunquam indè ad conuerſationem mortalitatis noſtræ reuerſus, inquit Simoni Petro: Simon Ioa. diligis me, [paſce oues meas.] Ideſt poteſtatem accipe paſcendi gregem meum paſtura, per omnium adminiſtrationem Sacramentorum, quibus ipſa paſcen-

scenda, & nutrienda est. Vndè super illud Lucæ 22. [Facta est contentio inter eos, quis eorum esset maior, dicit Gregor. quòd contentio illa videtur habuisse motiuum, quòd cùm Dominus ab hominibus migraret, dicebat aliquem eorum fieri aliorum Principem, quasi Domini vicem gerentem. Quasi diceret: antequam transmigraret, non erat necessè, Vndè beatus Petrus non est factus Pastor, & Episcopus antè Christi Resurrectionẽ. Quod multis sanctorum Patrum auctoritatibus, & rationibus comprobatur.

In primis est illustris testis beatus Hieronymus super illud Matth. 16. [Tu es Petrus,] dicens hanc potestatem, & Ecclesiæ ædificationem, super Petrum in futuro promissam, non in præsenti datam esse.

Secundò ad hoc est beatus Chrysost. super illud Luc. 22. Facta est contentio inter eos, vbi sic ait: Credenda erat Petro populorum innummera multitudo. Nota, quod dicitur credenda, quod est futuri temporis.

Tertiò, confirmat hoc beatus Ambros. in cap. fidelior. dist. 50. ita dicens: Fidelior factus est Petrus postquam fidem se perdidisse defleuit, atque ideò maiorem gratiam inuenit, quàm amisit, tamquam enim bonus pastor tuendum gregem accepit. Hoc autem cùm post Resurrectionem contigisse manifestum sit; nulli dubium, quod Petrus pastoralem curam, atque dignitatem pontificalem post Resurrectionem à Christo susceperit.

Quartò, hanc conclusionem roborat beatus Gregor. in homilia Dominicæ Resurrectionis, & habetur in cap. considerandum, dist. 50. ita dicens: Considerandum nobis est cur omnipotens Deus eum, quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ vocem pertimescere, & seipsum negare permisit? quòd nimirum actum magnæ pietatis dispensatione cognoscimus, vt is, qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset, vbi nota duo verba futuri temporis. Primum ibi cùm ait, quem cunctæ Ecclesiæ præficere disposuerat, quasi diceret, quòd nondum præfecerat. Secundum ibi cùm ait, qui futurus erat pastor Ecclesiæ, quasi dicent, quòd nondum erat. Et ità videtur, quod beatus Petrus antè Christi passionem neque præpositus, neque pastor erat actu Ecclesiæ.

Quintò, hoc confirmat gloss. in præfato cap. considerandum, quæ ità dicit, hoc verbo: [Pasce oues meas,] factus est Petrus princeps Ecclesiæ, extrà de elect. cap. significasti, non in illo: [Tu es Petrus,] quia illud fuit ei dictum ante passionem,] hæc gloss.

Sextò, ad hoc facit id, quod habetur in cap. solitæ, extra de maior. & obed. §. nobis, Item id, quod habetur in Extrauaganti Domini Bonifacij VIII. Ad idem Innoc. & Hostien. in cap. licèt, de foro compet. & Archid. in cap. vbi periculum, de elect. lib. 6. in gloss. magna circa fin.

CAP. XXX.

In quo ponuntur aliqua obiecta contra prædicta.

Contra conclusionem præfatam de tempore quo Pontificatus datus sit Petro, aduersarij auctoritatibus, & rationibus insurgunt.

In primis inducunt illud Anacleti in cap. in nouo distinct. 21. qui ait: Ipsi Petro primo Pontificatus datus est, dicente Domino: [Tu es Petrus, &c.] sed hoc fuit ante passionem, ergo ante passionem Pontifex factus est.

Secundò, beatus Chrysostom. super illud Luc. 22. Facta est contentio inter eos, dicit, quòd creditæ erant Petro claues Regni Cælorum, sed hoc fuit ante passionem, ergo, &c.

Tertiò, idem beatus Chrysost. super illud Matth. 16. [super hanc petram, &c.] dicit: Hic erigit eius sensum, & pastorem facit.

Quartò est glos. Rabani super illud Matth. 16. [Tibi dabo claues Regni Cœlorum,] dicit, quod Petrus specialiter claues Regni Celorum, & principatum iudiciariæ potestatis accepit, sed hoc manifestè insinuat eius pontificatum; ergo sequitur, quod ante passionem Petrus factus fuit à Christo Pontifex, siue Episcopus.

Ratione sic quintò. Aaron simùl factus est Sacerdos, & Episcopus; ergo similiter, & multò magis Petrus, qui per Aaron fuit figuratus, sed Petrus in Cena factus est Sacerdos, ergo etiam factus est Episcopus.

Sextò sic, Iudas factus fuit à Christo Episcopus, sed non post passionem, & resurrectionem, vt patet; ergo ante, ergo similirer, & multò magis Petrus fuit factus Episcopus ante passionem, consequentia patet, antecedens colligitur ex illo Psalm. 108. & Act. 1. vbi de Iuda dicitur: Episcopatum eius accipiet alter.

Septimò sic: omnia Sacramenta debuerunt institui ante passionem, inter quæ confirmatio Sacramenti Ordinis est Episcopatus; ergo ante passionem Petrus fuit Episcopus, & alij, si qui fuerunt à Christo facti, consequentia est manifesta.

Octauò sic: Dei perfecta sunt opera Deuteron. 32. vndè instituens Sacramentum, debuit perfectè ipsum instituere, & quantum ad materiam, & quantum ad Ministrum; vnde sicut instituens Eucharistiam, instituit Ministrum, faciens Apostolos Sacerdotes: ità instituens Sacramentum Ordinis, debuit instituere Ministrum, qui est Episcopus ordinans Sacerdotes.

Nonò sic, & arguitur, quod Petrus, & alij Apostoli facti sint Episcopi, per illud Ioann. 22. [Accipite Spiritum sanctum, & quorum remiseritis peccata remittentur eis:] super quo dicit beatus Gregor. Principatum superni iudicij sortiti sunt, vt Vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent; quorum nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent ligandi, & soluendi auctoritatem susci-

suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur; ergo, &c.

CAP. XXXI.

In quo respondetur ad obiectiones præfatas.

BIs autem difficilè non est respondere ponderantibus benè dicta sanctorum Patrum non ad corticem literæ, sed ad sanam intelligentiam, dicendum est ergo ad ea, quæ inducta sunt in contrarium.

Ad primam autem auctoritatem, quæ sumitur in cap. in nouo dist. 21. respondetur per glos. eiusdem cap. quæ ità habet, videtur ergo, quòd per hæc verba: [Tu es Petrus;] datus sit Petro pontificatus, & ità antè passionem, quia ante fuit ei dictum, cui videtur contradicere, cap. considerandum distin. 50. & cap. fidelior. Nam ibi dicitur, quod post passionem, quia ante non fuit datus Ecclesiæ pastor; hæc glos. Dicendum est ergo iuxtà beatum Ambrosium, cuius sunt illa capitula, quod post passionem Christi Petro pontificatus à Christo sit datus, & non quandò dictum est sibi: [Tu es Petrus, &c.] maximè quia cùm tunc non fuerit Sacerdos, Episcopus esse non potuit. Quòd ergo dicitur in auctoritate Anacleti, quòd datus est, exponendum est, idest promissus. Promisit enim Christus ei summum Pontificatum tunc; quam promissionem adimpleuit post Resurrectionem. Illud etiam, quod dicitur, dicente Domino, exponendum videtur, idest promittente Domino. More sacræ Scripturæ posuit futurum quasi præteritum, & fiendum quasi factum, propter certitudinem promittentis, qui veraciter adimplet, quod promittit, dicente Psalmist. [Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.

Ad secundam auctoritatem, quæ est Chrysostomi, eadem responsio est; vt quod dicitur, quòd claues credite erant Petro: intelligatur promissione, non actuali donatione.

Ad tertiam auctoritatem eiusdem Chrysostomi, similis responsio est; vt quod dicitur, quòd fecit eum pastorem, exponatur, idest disposuit eum facere pastorem, quòd posteà adimpleuit, cùm ad eum ait, [Pasce oues meas,] Io. vlt.

Ad quartam auctoritatem, quæ est Rabani, eadem responsio est; vt quod dicitur, quòd Petrus specialiter claues Regni Cælorum, & Principatum iudiciariè potestatis accepit, intelligatur in promissione, siue in spe, non autem in actuali possessione.

Ad quintam, cùm arguitur de Aaron, respondetur negando consequentiam, quoniam non est simile de vno, & de alio, vt dicit Dominus Petrus de Palude, quia iam erat populus Israel collectus, cui Aaron proficiendus erat. Vndè Aaron debuit fieri Episcopus, ne oues errarent in deserto sine pastore. Sed antè passionem Christi oues nō erant redemptæ adhùc. Vndè non conuenienter ouibus non redemptis pastor fuisset datus; & ità ratio non procedit.

Ad sextam respondetur de Iuda, negando antecedens, & ad probationem respondetur, quòd per Episcopatum intelligitur Apostolatus eius, vt exponit Nicolaus de Lyra, tam super Psalm. 108. quàm super Act. 1.

Ad septimam respondetur secundùm Dominum Petrum de Palude, quòd omnia Sacramenta sunt instituta antè passionem Christi, sed non sunt omnia tunc executa, verbi gr. Sacramentum Pœnitentiæ à Christo fuit institutum, quando dixit: [Agite pœnitentiam, appropinquabit Regnum Cælorum,] Matth. 4. Sicut Sacramentum Baptismi, quando dixit: [Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.] Io. 4. Vndè sicut Ioannes baptizando prædicauit Baptismum, ità sic dicendo: [Agite pœnitentiam.] Matth. 3. Prædicauit Pœnitentiam Noui Testamenti. Vel quandò Christus dixit Leprosis: [Ostendite vos Sacerdotibus,] Luc. 17. Vel Discipulis: [Soluite eum,] Io. 11. Tunc instituit Sacramentum Confessionis, & Absolutionis, non tamen fuit executum antè Passionem; quia nec erant Ministri instituti, nec claues adhùc datæ Regni Cælorum; quæ etiam dari non debuerunt, antequàm esset apertum Regnum Cælornm, nisi implicitè ex naturali concomitantia ad Sacerdotium imminente passione; quia quod parum deest, quasi nihil deesse videtur. Vndè instituendo Sacerdotium Christus, ordinem Episcopalem instituit; sed tamen tunc non dedit, quia non decuit.

Ad octauam secundùm eumdem Dominum Petrum de Palude de institutione Sacramenti, dicendum, quòd Dei perfecta sunt opera, secundùm tamen congruentiam, & decentiam operis operati, & modi operandi. Non decebat autem pro tunc Episcopos facere, sicut decebat facere Sacerdotes, quia ex quo Sacramentum cœpit esse in vsu, ex tunc semper debuit esse in Ecclesia vel formaliter, vel virtute. Et maximè Sacramentum, de quo specialiter dictum est illud: [Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.] Subtracturus igitur sui præsentiam palpabilem, & visibilem; inuisibilem, & sacramentalem perpetuam nobis promisit. Vndè ex tunc Eucharistia debuit esse in Ecclesia formaliter, vel virtute; sed formaliter tunc de Eucharistia nihil reseruatum fuit: sicut nec de Agno Paschali propter legis prohibitionem. Exod. 12. Ideò Sacerdotes debuerunt fieri, in quorum virtute remaneret Eucharistia conficienda. Sed Sacramentum Ordinis quoad effectum suum indelebilem remanebat in Apostolis. Vndè non erat necessitas instituendi eius Ministrū, scilicet Episcopum, præsertim, quia futurus erat Christus adhùc cum eis præsentia corporali, licèt impassibili. Et sic non erat adhùc necessarius Episcopus.

Ad nonam responderur, negando assumptum; dicimus enim, quòd per illa verba nec Petrus, nec alij Apostoli facti sunt Episcopi. Et ad dictum Gregor. respondetur, quòd non probatur propositum; quoniam per id, quod est commune simplicibus Sacerdotibus, cuiusmodi est relaxare quibusdam peccata, & quibusdam retinere: non possunt Apostoli dici facti Episcopi, vt de se patet. Vel soluitur

tur, quòd quorum remiseritis, refertur ad tempus, quo erant constituendi Sacerdotes.

CAP. XXXII.

Quòd solus Petrus inter Apostolos à Christo immediatè ordinatus, & factus fuerit Episcopus.

SAnè ex Patrum sanctorum sententijs in superioribus capit. inductis, apertè satis colligere possumus, quòd solus Petrus inter Apostolos immediatè à Christo factus, & ordinatus fuerit Episcopus. Cùm enim teste beato Anacleto in cap. in nouo distinct. 21. sancto Petro primo Pontificatus fuit. Et Felix Papa etiam dicat in decretis suis, quòd per Petrum Apostolatus, & Episcopatus in Christo cœpit exordium. Patet, quod ipse antè alios Apostolos Episcopus à Christo fuerit ordinatus, & consecratus. Cùmque, vt iàm ostensum est, parùm antè Petrus non sit factus Episcopus antè Christi resurrectionem, sed post. Et in vltimo recessu suo ab Apostolis, quando Petro inquit: [Simon Ioannis diligis me, pasce oues meas.] Io. vlt. Post quæ verba, cùm nulla alia legantur, per quæ alij Apostoli à Christo immediatè intelligantur Episcopi necessariò: videtur dicendum, quòd solus Petrus inter Apostolos à Christo immediatè Episcopus sit ordinatus. Alij verò Apostoli à Petro mediatè, vel immediatè, solo, vel cum alio, vel cùm alijs sint Episcopi facti, vel ordinati, quod tam auctoritatibus, quàm rationibus confirmatur.

Primum quidem patet hoc ex capit. porrò dist. 67. vbi ità inquit Anacletus Papa: [Porrò Hierosolymitanorum primus Archiepiscopus beatus Iacobus, scilicet Alphei filius à Petro, & Iacobo Zebedeo, & Ioanne Apostolis ordinatus est.] Ex quo manifestè apparet, quòd iste Apostolus non à Christo immediatè, sed à Petro cum alijs Apostolis fuerit ordinatus; & per consequens verum est, quòd non omnes Apostoli à Christo immediatè sunt ordinati Episcopi. Quòd verò de vera ordinatione Episcopali intelligatur text. ille, non obstantibus varijs modis loquendi Glossatoris patet. Tùm primo testimonio beati Rhemigij, qui supra Matth. cap. 10. vbi Apostolorum nomina recitantur, ità de isto Iacobo dicit: [Cuius meriti beatus Iacobus fuerit, testes sunt Apostoli, qui eum Episcopum Hierosolymitanorum ordinarunt. Tùm secundò, quia si non fuisset hæc vera ordinatio Christi facta, non conuenienter susciperetur ex ea forma ordinationis aliorum Episcoporum in Ecclesia: & tamen dicit consequenter beatus Anacletus in dicto cap. in nouo distinct. 21. quòd hìc suis successoribus Apostoli dederunt formam, vt videlicet nullus minùs, quàm à tribus Episcopis in Episcopum ordinetur. Aduerte ergo si non minùs quàm à tribus, & Petrus solus erat Episcopus primò: quibus ergo ordinauit Ioannem, & Iacobum?

Secundò sic, beatus Anacletus in cap. in nouo distinct. 21. dicit, quod in Nouo Testamento post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis ordo incepit, idest Pontificalis, sicut Sacerdos exponitur, idest Episcopus de consecrat. dist. 1. cap. solemnitates. Ergo videtur, quòd alij Apostoli à Petro facti fuerunt Episcopi. Consequentia patet, quoniam cùm alij facti fuerunt, ità citò Sacerdotes sicut Petrus, & non sub ipso, non potest dici ab ipso incœpisse simptex ordo Sacerdotalis. Similiter si ipse factus fuisset à Christo Episcopus, etiam priùs tempore, sed etiam alij à Christo facti essent immediatè Episcopi, non diceretur verè à Petro Pontificalis ordo incœpisse. Ergo necessariò videtur ità fortè intelligendum, quòd à Petro ordo Pontificalis cœpit, quia ab ipso omnes alij Apostoli Episcopi facti sunt vel immediatè, vel mediatè, & ipse solus à Christo.

Tertiò arguitur sic: soli Petro à Christo commissa est cura pastoralis. Ergo solum ipsum Pontificem Ecclesiæ, siue pastorem constituit. Consequentia nota est. Antecedens verò per plura capitula superiùs ostensum est, & est specialiter beati Chrysostomi super illud Io. vlt. [Simon Ioannes, pasce oues meas,] ità dicentis, prætteriens alios, scilicet Apostolos, Petro de talibus loquitur. Eximius enim Apostolorum erat Petrus, & os Discipulorum, & vertex Collegij. Ecce, quòd dicit prætteriens alios, &c. Ergo soli Petro est hoc dictum; quòd non esset, si auctoritatem pastoralem assecuti fuissent alij Apostoli immediatè à Christo.

Quartò sic, Marcellinus Papa in epistola sua prima inquit: Ad Sedem Romanam omnes subterfugere debent, vt indè accipiant tuitionem, vndè acceperunt consecrationem, ergo videtur, quòd cœteri Apostoli à Petro receperunt consecrationem, tenet cõsequentia quoniam quod omnes cæperint consecrationem à Sede Romana, verum esse non posset, vt videtur, nisi alij Apostoli, qui in diuersis sedibus sederunt, distributi per Orbem à Petro, qui sedit Romæ, consecrationem habuissent.

Quintò, in epist. 2. Clementis, Petrus non solùm dicitur Princeps Apostolorum, sed etiam eorum ordinator, idest consecrator, ergo, &c. consequentia videtur nota, antecedens est beati Clementis in secunda sua epistola, Petrus magister, institutor, & Princeps Apostolorum, atque eorum ordinator fuit.

Sextò sic, Paulus, & Barnabas fuerunt ordinati à beato Petro, ergò, & alij Apostoli consequentia patet, cum isti non fuerint inferiores alijs, antecedens patet, Act. 13. Dixit eis Spiritus sanctus, [segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos, tunc ieiunantes, & orantes, imponentesq; eis manus dimiserunt eos,] vbi Glos. super verbo imponentes eis manus, dicit in modum ordinandorum. Quòd tunc fuerint ordinati, testatur Leo Papa in cap. quod autem dist. 75.

Septimò, sic: Nihil est asserendum de diuinis, nisi quod ex diuinarum scripturarum testimonio, aut ratione probari potest, vt dicit, tàm Hieronymus, quàm Augustinus sed alios Apostolos à Petro, nulla auctoritas; nulla ratio conuincit, fuisse à Christo imme-

immediatè factos Episcopos, ergo non est asserendum. Quod verò non auctoritate patet, quia in Canone non inueniuntur nisi tria. Primò quidem illud Matth. 18. [Quæcumque ligaueris,] sed per illud non sunt ipsi facti Episcopi propter tria. Primò, quia Petrus, per similia verba, & etiam maiora Matth. 16. [Quodcumque ligaueris, non fuit factus Episcopus.] Secundò, quia ipsi nondùm erant sacerdotes, nec per consequens poterant fieri Episcopi. Tertiò, quia illud fuit pro missio non alicuius potestatis, nec Episcopalis, nec sacerdotalis collatio, vt dictum est ergo, &c. Secundò: illud Luc. 22. [Hoc facite in meam commemorationem,] sed nec per hoc facti sunt Episcopi, quia per verba consecrationis non efficitur plus, quàm per illa verba significetur, nisi propter concommitantiam, & inseparabilem significationem, vel accessoriam, sed potestas Pontificalis non est accessoria, nec concomitans ad sacerdotalem: & illa verba non indicant, nisi nudum actum sacerdotalem, quem potest facere quilibet simplex sacerdos, scilicèt consecrare Corpus Christi, & Sanguinem Christi, quod importat cum dicitur: [Hoc facite,] scilicèt, quod feci in Eucharistia, videlicèt corpus, & sanguinem esse sub speciebus, ergo per illa verba non fecit eos, nisi simplices Sacerdotes. Tertiò est illud quod dicit Ioann. 20. [Quorum remiseritis &c.] sed, nec per istud sunt ordinati Episcopi: quia cùm ordinatio Episcopi sit distincta ab ordinatione simplicis sacerdotis, non est verisimile, quòd illud, per quod propriè, & præcisè facta est ordinatio primorum Episcoporum, dicatur communitèr omni illi, qui ordinatur in simplicem sacerdotem, vndè cum in omni ordinatione simplicis sacerdotis dicatur ab Episcopo cuilibet ordinando: [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c.] non est verisimile, quòd per illa verba propria, & præcisa facta fuerit ordinatio Episcoporum primorum, qui fuerunt Summi Sacerdotes: quia etiam in lege erat alia ordinatio simplicium sacerdotum, alia summi. Et confirmatur, quia verba sacramentalia prolata à ministro sunt eiusdem virtutis in effectu sacramentali, sicut prolata à Christo, sicut patet in forma sacramenti Eucharistiæ, in qua verba illa, [hoc est corpus meum,] illud idem efficiunt, quod effecerunt Christo ea dicente. Si ergo Christus dicendo illa verba: [Accipite Spiritum sanctum, &c.] fecisset Apostolos Episcopos: qui iam erant facti sacerdotes in cęna quo ad characterem sacerdotalem per illa verba, [hoc facite, &c.] eis data in traditione panis, & calicis, pari ratione Episcopus dicens illa verba, scilicet, [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c.] illi qui iam factus est Sacerdos, per verba sibi dicta in traditione calicis cum pane, & vino accipite potestatem, &c. faceret eum Episcopum, quod est absurdum. Item Thomas, qui præsens non erat illis verbis, non fuisset factus Episcopus, Item, quòd per neutra verba scilicet, hoc facite, & quorum remiseritis, sint facti Episcopi, patet, quia sicut dicit Anacletus dist. 21. in nouo. Petro Primo pontificatus in Ecclesia Christi datus est, sed illa verba dicta sunt simul, & semel Apostolis, & per consequens habuerunt suum effectum vnum, & indiuisibilem, & sine ordinis prioris, & posterioris, ergo tunc non est datus alicui pontificatus primò. Sic ergo patet, quòd nulla auctoritas canonis cogit dicere alios Apostolos à Petro, Episcopos à Christo factos esse. Item nec ratio cogit, immò magis oppositum, & maximè propter duo.

Pro quo arguitur octauo loco sic, in creatione humani generis, vt esset maior vnitas, Deus ex vno homine fecit omne hominum genus, vt dicit Paulus Act. 17. ergo similitèr ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem videtur, quòd Deus non fecerit simul plures Episcopos, à quibus alij deriuarentur, sed vnum primum à quo cæteri fierent.

Nonò sic, in Ecclesia non dicitur esse minor vnitas, neque minus bonus ordo, quam fuerit in Synagoga, sed in illa ad bonam ordinationem, & vnitatem illius pertinuit, vt Moyses legislator non fecerit simul plures Episcopos, sed vnum tantum, scilicèt Aaron, à quo omnes alij immediatè processerunt, ergo nouæ legislator, & Ecclesiæ ordinator Christus non debuit simul facere plures Episcopos, sed vnum tantum, scilicet Petrum: à quo omnes mediatè, vel immediatè postmodùm omnes fierent. Videtur ergo rationabile, quòd iste fuerit processus in ordinatione episcopali Apostolorum, scilicèt, quòd Petrus factus fuerit solus Episcopus à Christo ante Ascensionem, post Spiritus sancti autem missionem, (siue ipsa die prima Dominica, siue alia, Petrus solus episcopus fecit Ioannem Episcopum, deindè Petrus, consecrato Ioanne, fecit Iacobum Zebedei, quibus tribus factis, tunc ordinauit Petrus, quòd deinceps non ordinaretur Episcopus, nisi à tribus Episcopis, vt dicitur in præfato cap. porrò. Et ad ostendendum formam huiusmodi, ipse cum duobus prædictis ordinauit Iacobum, vt dicitur in prædicto cap. porrò, licèt propter paucitatem Episcoporum quandò Apostoli fuerunt, non potuerit hæc forma semper seruari. Immò Paulus solus fortè Thimotheum, & Titum ordinauit Episcopos, qui separatus à Barnaba non habebat in societate sua Episcopos, nisi quos postea fecit, Nam Lucas, Demas, Sylas, & hi non fuerunt Episcopi, sed quandò potuerunt habere duos, tunc cum eis ordinauerunt, non soli. Ratio, autem quare filij Zebedei credantur prius à Petro in Episcopos ordinati est, quia illi post Petrum fuerunt maiores, fuerunt & honorabiliores, & hos cum Petro Christus præ cœteris præferebat, vt patuit in trāsfiguratione, in suscitatione filiæ Archisynagogi, in oratione in orto, & similibus, in quibus hos solos, quasi familiariores secretarios secum assumpsit Matth. 9. 17. 16. vndè super illud Luc. 6. Non permisit intrare secum quenquam, nisi Petrum, & Ioannem, & Iacobum: dicit Theophilus, solùm hos intromisit tamquam discipulorum vertices. Item Matt 17. super illud assumpsit Iesus, Petrum, Iacobum, & Ioannem, dicitur Chrysostom. ideò hos sumpsit, quia alijs potiores erant. Quod autem Ioannes fuerit maior, licèt minor fratre, & ideò sibi Prælatus, patet super illud Matth. 10. Et Andreas frater eius, vbi dicit Glos. Chrysostom. Marcus autem post

duos

duos vertices Petrum, & Ioannem, Andream numerat, vbi innuit Petrum, & Ioann. inter cœteros Apostolos fuisse sublimiores. Item super illud ibidem. Iacobus Zebedei, & Ioannes frater eius, dicit Chrysost. vide autem, quia non secundùm dignitatem ordinat, mihi autem videtur Ioannes, non alijs solùm, sed fratre etiam, maior esse. Ex prædictis apparet falsa Glos. super illud cap.66. dist.porrò, quæ dicit, quòd à principio, & primitiua Ecclesia omnes Apostoli erant simplices Sacerdotes, & tamen poterant consecrare Episcopos, nam Moyses simplex sacerdos fuit, & tamen consecrauit Aaron in Pontificem, neque tunc erat differentia inter Episcopum, & simplicem sacerdotem 95. dist. olim, quia sicut Augustinus, In prima rerum creatione non quæritur, quid Deus facere potuerit, sed quod decuerit, & quod ratio, & natura rerum requireret. Cùm autem dicat Apostolus, quòd minor, sine vlla contradictione à maiore benedicitur Hebræ.8. & Philosofi asserant, quòd nihil agit vltra suam speciem, licèt Christus per simplicem Sacerdotem de potentia absoluta possit facere Episcopum, non tamen decet, nec congruit officijs: quod minor faciat maiorem dans alteri, quod non habet, nec per consequens est verisimile, quòd Christus voluerit per simplices sacerdotes, qui sunt inferiores, summos sacerdotes, qui sunt Episcopi, consecrare. Vndè considerandum est, quod Moyses licèt non esset sacerdos, & Pontifex vnctus visibilitèr cum Aaron, quem fecit Pontificem, & cum alijs eius, quos fecit simplices sacerdotes, vt habetur Leuitici 7. & recitatur 21. dist. c. 1. erat tamen dignior illis, & virtute maior illis in omnibus, quia in illis ordinibus non erat character, nec illi sacerdotes habebant claues, sed tantum offerebant pro populo, & erant mediatores, quòd multo melius faciebat Moyses. Secundùm veritatem autem in Ecclesia nulla maior est dignitas, quàm sacerdotalis, excepto pontificali, vndè omnis non Episcopus est inferior eo, & per consequens non decuit, quòd non Episcopus, Episcopum consecraret, nec est possibile apud homines etiam de potentia absoluta. Sed Christus verus Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, & Pontifex futurorum bonorum, licèt equiuocè sacerdos, & Episcopus ad alios: in quo non fuit character, nec consecratio visibilis, tamen fuit dignior cæteris. Sicut ergo Moyses consecrauit Aaron in Pontificem, & filios eius in simplices sacerdotes, à quo quidem Aaron deriuatus est pontificatus ad omnes alios, sic vt ad filium suum Eleazarum indutū vestibus eius num. 20. & post ad Phinees, & sic de alijs, sic & Christus per se immediatè fecit Episcopum, à quo posteà in omnes pontificatus deriuatus est: & per se fecit alios Apostolos simplices Sacerdotes, vt 21. dist. in nouo, dicit Anaclet. In nouo testamento post Christum à Petro sacerdotalis cepit ordo, quia ipsi primò pontificatus in Ecclesia Christi datus est. Et exponitur, sacerdotalis idest pontificalis, sicut sacerdos exponitur pro Episcopo, de consecr. dist. 1. cap. solemnitates. Sicut autem superiùs argumentati sumus cùm alij Apostoli fuerint ità citò facti sacerdotes, sicut ipse Petrus, & non sub ipso, non potest dici ab ipso cepisse simplex sacerdotalis ordo. Similitèr si ipse fuisset à Christo factus Episcopus, licèt priùs tempore, & alij etiam tunc à Christo, non ab ipso Petro cepisset pōtificalis ordo, ergo videtur, quod propter hoc, quòd ab ipso Petro facti sunt omnes alij Episcopi mediatè, vel immediatè, & ipse solus à Christo, ideò verè dictum sit à Sancto Anacleto, quòd ab ipso Petro post Christum cepit pontificalis ordo, quod etiam, sicut suprà induximus, requirit vnitas Ecclesiæ habere, scilicèt vnum caput, à quo dona fluant, vndè 19. dist. in. cap. ita Dominus, Beatus Leo sic de Beato Petro loquitur, vt ab ipso, quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet.

CAP. XXXIII.

In quo ponuntur aliquæ obiectiones contra prædicta.

ADuersùm præfatam conclusionem aduersarij multiplicitèr instant.

Et primò sic, omnes Apostoli à Christo simul facti sunt sacerdotes, ergo simul ab eo omnes debuerunt fieri Episcopi; consequentia videtur nota, quia non videtur maior ratio de vno, quam de alio, ergo, &c.

Secundò dicit Augustinus de quæstionibus noui, & veteris testamenti, quòd Christus omnes Apostolos, fecit Episcopos ergo habetur propositum.

Tertiò arguitur ex illo extrà de Sum. Trinit. & fidei Cathol. cap. 1. §. vna, vbi dicitur, quòd Sacramentum Eucharistiæ non potest conficere, nisi sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus secundum claues, quas ipse concessit Apostolis, suisque successoribus, sed constat, quòd sacerdos non ordinatur à claue sacerdotali, sed episcopali, ergo videtur, quòd Christus Apostolis tradidit claues pontificales, à quibus soli Presbyteri ordinantur, & ità videtur, quòd non solum Petrum, sed etiam alios Apostolos fecit Episcopos.

Quartò arguitur ex illo, quòd habetur dist. 21. in nouo vbi dicitur, quòd Petro primò pontificatus in Ecclesia datus est, & post pauca dicit, cæteri verò Apostoli pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, sed non habuissent honorem, & potestatem pari consortio, nisi fuissent Pontifices, sicut Petrus, ergo idem quòd priùs.

Quintò, Glos. vbi supra dicit, Episcopi successerunt in locum Apostolorum 68. dist. quorum: ergo, & Apostoli fuerunt Episcopi.

Sextò arguunt ex illo, quod scriptum est in Psalm. 108. & Act. 1 de Iuda, quòd Episcopatum eius accipiat alter, si Iudas fuit Episcopus ante resurrectionem, multo magis, & alij Apostoli, & protunc non possunt dici facti à Petro; ergo à Christo immediatè.

Septimò dicitur ad Ephes. 4. Dedit quosdam Apostolos, quosdam Pastores, quosdam Doctores, sed Pastor nomen est, & officium Episcopi, ergo ipse fecit aliquos Episcopos: sed non nisi Apostolos, ergo &c.

Octauò habetur dist. 21. cap. 1. vltrà medium,

dium, quod Christus duodecim Apostolos tamquam maiores sacerdotes instituit, 72. discipulos, qui minores sacerdotes instituit.

Nonò, Paulus etiam Episcopus fuit, qui, & Thimothæum Episcopum ordinauit 1. Thimoth. 4. cum impositione manuum presbyterij Glos. 1. Episcopi, sed non videtur nisi à Christo factus, ergo non solus Petrus à Christo Episcopus immediatè ordinatus est.

Decimò, Isidorus lib. 2. de origine officiorum dicit Episcopi sunt instituti per totum mundum in sedibus Apostolorum, ex quo habetur, quòd Apostoli fuerunt Episcopi, aliàs non habuissent sedes episcopales, ergo idem quod prius.

Vndecimò: Dyonis. in Ecclesiastica hierarchia dicit: Ipse Christus in sacerdotalem consummationem ducens discipulos, subsistens, in sanctissimum patrem suum retulit hierarchiæ perfectionem. Ex quo habetur, quòd cùm sacerdotalis consummatio, & hierarchica perfectio non sit, nisi in episcopatu, quòd Christus Discipulos, idest Apostolos, per seipsum fecit Episcopos, aliàs non duxisset eos in consummationem illam, sed duci fecisset. Confirmatur per hoc quod Maximus commentator dicit ibidem, quòd ipse Iesus Discipulos suos in Episcopos consecrauit.

Duodecimò arguitur sic, sicut tradunt Sancti, & specialiter Isidorus de ortu, & obitu Patrum: Matthias fuit vnus ex 72. Discipulis, qui tamen non à Petro factus est Apostolus, sed à Christo, vndè Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia exponens illud Act. 1. [Ostède Domine quem elegeris ex his, &c.] dicit de Petro sic, Ipse discipulorum vertex, cum ordinata sibi Hierarchia: deindè in duodenarij discipulorum veniens, sanctificans consummationem, in diuinitatis electionem, timidus reliquit, dicens, ostende quem elegeris, & diuina sorte diuinitùs ostensum, in Sancti duodenarij Apostolici suscepit. Et sic videtur quòd à Christo immediatè fuit Matthias electus, & per consequens alij Apostoli non à Petro, sed à Christo receperunt consecrationem immediatè.

CAP. XXXIV.

In quo respondetur obiectionibus factis in superiori Capitulo.

OBiectionibus prædictis non obstantibus, videtur dicendum, sicut suprà diximus, quòd beatus Petrus à Christo immediatè, & solus ipse dignitate Pontificali fuerit sublimatus. Vnde dicendum est ad rationes in oppositum.

Ad primam respondetur, negando consequentiam, quoniam non est simile de simplici Sacerdotio, & Episcopali dignitate, quia enim Petrus in quantum Sacerdos non fuit maior cæteris Apostolis, quia omnes Sacerdotes sunt pares simpliciter, & ideò ad illam paritatem inter eos ostendendam, simul, & semel fecit Christus eos Sacerdotes in cęna, & dedit similiter, vel datam declarauit parem potestatem ligandi, & soluendi in foro conscientię in resurrectione, quando dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata &c. Vnde Cyprianus in c. loquitur 24. q. 1. dicit, quòd Christus Apostolis post resurrectionem suam parem potestatem tribuit, & quia Sacerdotio sic non debetur potestas iurisdictionis, cùm sint multi Sacerdotes sine cura animarum, & subditis, sed Episcopo, qui dicitur Superintendens, præter potestatem Ordinis debetur potestas iurisdictionis, & populus subditus, dicit enim Sanctus Thomas in 4. Sententiarum, dist. 24. quòd potestas Episcopalis est ordinis, & iurisdictionis, vnde rationabiliter statutum est in Concilio Viennensi, quòd nullus de Pastore prouideat Ecclesiæ Cathedrali sibi qualitercumque subiectæ, quæ Clero careat, & subditis Christianis, de elec. in c. Plerisque, & quia Episcopus sine subditis est quoddam opprobrium dignitatis; licèt ergo omnes Episcopi sint pares quoad potestatem Ordinis, non tamen simpliciter, quia non quoad potestatem iurisdictionis, quæ per se debetur Episcopo de congruitate. Ad significandum ergo, quòd in Episcopatu Petrus erat maior alijs, non simul debuit fieri Episcopus cum alijs, sed ipse à Christo solus, & alij ab eo posteà, vt dictum est. Petrus autem non fuit maior Sacerdos alijs: sed fuit maior Episcopus, non quia habuit maiorem potestatem Sacramenta dispensandi, sed quia habuit maiorem potestatem indicandi, iudicandi, vtpotè Superintendens toti Mundo; fuit enim Antistes totius Mundi factus, vt dicit Theophilus.

Ad secundam respondetur dupliciter. Primò, negando consequentiam; quia licèt concedatur quòd Christus omnes Apostolos fecerit Episcopos, non tamen eodem modo, sed differenter, scilicèt Petrum per se, & immediatè, alios verò per Petrum immediatè, vel mediatè, sicut exponitur illud quòd inquit Propheta, & habetur Ioan. 6. Erunt omnes docibiles Dei, scilicèt quidã mediatè, & quidam immediatè. 2ò Respondetur, quòd Augustinus cùm dicit Christum omnes Apostolos fecisse Episcopos, intelligendum est, id est Sacerdotes. sępe enim Episcopus ponitur pro simplici Sacerdote, sicut probat Hieron. per illud Act. 20. Posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos, id est Presbyteros: & hoc probat Beda per hoc quod loquitur ad seniores vnius ciuitatis Ephesi, in qua non erat nisi vnus Episcopus. Vnde Augustinus loco præællegato postquàm dixerat quòd Christus Apostolos ordinauerat Episcopos, subiungit, ita dicens: Hoc Apostolus Spiritui Sancto deputat cùm dicit: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Domini Nostri Iesu Christi; Hæc Augustinus. Et ita videtur quòd beatus Augustinus eodem modo capiat nomen Episcopi, sicut capitur in Canone Act. 20. quod inductum est.

Ad tertiam respondetur, negando consequentiam, quia dato quòd loquatur de clauibus, quæ dicantur Pontificales, licèt istæ concedantur datæ Apostolis, & eorum successoribus à Christo, non tamen sequitur, quòd immediatè illis Christus dederit illas claues Pontificales, nam constat, quòd successoribus Apostolorum, quibus etiam dicitur dedisse, non immediatè per se eas illis dederit,

derit, sed per Episcopum consecrantem; & ita Apostolis alijs à Petro per Petrum eos consecrantem tradidit claues illas.

Ad quartam respondetur etiam negando consequentiam. & committitur fallacia figuræ dictionis, quoniam paritas illa non est intelligenda quoad omnia, quoniam licèt quoad substantiam potestatis consecrationis intelligatur, quia omnes tandem fuerunt Episcopi, non tamen quoad ordinem temporis, quoniam non cum eo simul facti sunt, cùm in principio illius cap. dicatur, quòd primo Petro Pontificatus in Ecclesia datus sit, nec quoad ordinem immediationis; quoniam nec à Christo immediatè, sed ab ipso Petro facti sunt pares, quoad consecrationis potestatem, non obstante quòd fuerint ab ipso facti, sicut Episcopus consecratus par est Episcopo consecranti in potestate Ordinis.

Ad quintam respondetur negando consequentiam, quia licèt Apostoli fuerint Episcopi, non tamen sequitur, quòd immediatè quando fuerunt Apostoli, fuerunt etiam Episcopi, sicut manifestum est, cum nec Sacerdotes etiam tunc fuerint, vt patet.

Ad sextam respondetur, vt superiùs dictum est de Iuda, quia ipse non fuerat Episcopus secundùm veritatem, sed solùm fuit Apostolus, & Sacerdos. Et quando dicitur, quòd Episcopatum eius accipiat alter, exponendũ est id est, locũ Apostolatus, vt exponit Nicolaus de Lyra ita dicens: Apostolatus verò dicitur Episcopatus, vndè & ipsi sunt successores Apostolorum, secundùm quod dicitur Decretis dist. 21. cap. In nouo, & etiam eodem modo exponit. super Psalm. 108.

Ad septimam respondetur, quòd Christus dedit Pastores, dando primum, & vniuersalem Pastorem immediatè, dicendo Petro: [Pasce oues meas,] & per illum alios particulares.

Ad octauam respondetur, quòd si tamquam soluit art. 1. Christus enim non fecit omnes Apostolos Episcopos, sine maiores Sacerdotes; sed in eis significabantur Episcopi per officium prædicandi, & visitandi ciuitates, & castella, & quia erant superiores omnibus alijs, & quia erant futuri Episcopi, similiter fecit Discipulos, non quidem Sacerdotes, sed tamquam minores Sacerdotes, id est, similes in hoc quòd sicut illi sub Apostolis prædicabant, & curabant infirmos, sic & minores Sacerdotes sub Episcopis prædicant, & curant infirmos spirituales per administrationem Sacramentorum, & ita ratio non procedit.

Ad nonam respondetur, quòd verum est, quòd Paulus Episcopus fuerit, sed non immediatè per Christum: sed ipse cum Barnaba ab Apostolis cum oratione manum sibi imponentibus, vt habetur Act. 14. [Facti sunt Episcopi.]

Ad decimam respondetur, quòd non negatur, quin omnes Apostoli, præter Iudam Scarioth, fuerint veri Episcopi finaliter consecrati, sicut dicitur, quòd non omnes fuerint à Christo sine medio consecrati, sed solus Petrus.

Ad vndecimam respondetur, quòd Christus Discipulos duxit ad Episcopalem dignitatem, per Petrum eos consecrando; sicut duxit populum suum per Desertum in manu Moysi, & Aaron. Et ad id, quod inducitur in confirmatione ex commento Maximi respondetur eodem modo; dicimus enim, quòd verum est, quòd Dominus 11. Discipulos in Episcopos consecrauit; non tamen sicut dictum est eodem modo: sed Petrum immediatè per se, & alios per Petrum; sicut dicitur etiam consecrasse Aaron, & eum induisse vestibus Pontificalibus; quamuis hoc totum fecerit per Moysen, Ecclesiast. 45. [Excelsum fecit Aaron, &c. dedit illi Sacerdotium gentium, & circumcinxit illi Coronam iustitiæ.

Ad duodecimam respondetur, quòd licèt Mathias fuerit consecratus in Episcopum à Deo, non tamen sine Ministro, scilicèt beato Petro mediatè; quia probabile est, quòd fuerit vltimus de 12. ordinatis, sicut vltimò vocatus, sicut de Paulo dicimus, qui non minùs quàm Matthias electus est à Deo in Apostolum, & nihilominùs factus est Episcopus ministerio aliorum; sic etiam Aaron dicitur vocatus à Deo, ad Hebr. cap. 5. Nihilominùs tamen per hominem, secundùm ritum illius temporis consecratus; pariter etiam dicitur de beato Nicolao, & de beato Ambrosio, qui fuerunt Diuina reuelatione promoti, & electi; nihilominùs ab hominibus fuerunt consecrati.

CAP. XXXV.

Quòd beato Petro in Apostolici Principatus amplitudine aliquis succedere debuit in Ecclesia vsque ad consummationem seculi.

Licèt omnes ferè rationes, quæ superiùs inductę sunt ad probandum, quòd vnus in Ecclesia Dei esse deberet supremus rector, & gubernator, sufficienter faciant ad ostendendum, quòd clauium potestas, & primatus auctoritas, quibus beatus Petrus à Christo donatus est, & sublimatus, in eius legitimos successores transierit, transituraque sit vsque in finem seculi; nihilominùs hoc alijs rationibus comprobabimus.

Et primò ratione S. Thom. lib. 4. contr. Gentiles cap. 76. sic: [Manifestum est, quòd Christus Ecclesiam sic instituit, vt esset vsque in seculum duratura,] secundùm illud Isa. 9. [Super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia ammodò & vsque in sempiternum.] Manifestum est igitur, quòd ita illos, qui tunc erant in Ministerio, constituit; vt etiam eorum potestas deriuaretur ad posteros pro vtilitate Ecclesiæ, vsque ad seculi finem; præsertim cùm ipse dicat Matth. vlt. [Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.] Constat autem, quòd illis personis, quæ citò post erant moritura, non erat ipse futurus omnibus diebus seculi, ergo in personis illorum etiam suis successoribus est locutus, cum quibus vsque ad finem seculi esse poterat successiuè, pro quo facit c. quod cumque 24. q. 1. vbi Augustin. inquit: [Quid quando Petrus claues accepit, Ecclesiam sanctam

etiam significauit:] quia scilicèt non tantùm per se, sed etiam pro omnibus successoribus vsque ad finem seculi, quo duratura est Ecclesia. Vbi notandum, quòd sicut Adam quædam dona habuit personalia, sicut omnium scientiam, quædam verò pro sua posteritate in statu Innocentiæ, sicut originalem iustitiam, sic Petrus aliqua dona habuit à Christo pro sua persona, sicut miraculorum gratiam, vt quòd ad eius vmbram sanarentur infirmi, quædam verò etiam pro successoribus suis in Ecclesia, & hæc sunt illa, sine quibus Ecclesia non staret, sicut claues ligandi, & soluendi, aliter portæ inferi præualerent aduersus eam. Vnde hanc amplitudinem potestatis, & eminentiam Principatus, per quem Ecclesia resistit mundo, & diabolo, Christus contulit Petro pro se, & suis successoribus; & ita cùm claues accepit, Ecclesiam dicitur significasse, quia per totã posteritatẽ Ecclesiæ in successores Petri esset deriuanda.

Secundò sic: Certum est, quòd potestas data Apostolo Petro, data est ad Ecclesiȩ ædificationem, vt Apostolus Paulus 1. ad Cor. 10. dicit: [Ergo oportuit hanc potestatem tamdiù durare in Ecclesia, quamdiù Ecclesia ipsa ædificatione indigeret: sed ædificatione indiget vsque ad finem seculi, in quo electorum numerus complebitur. Vnde Hieronym. super illud Psalm. [Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas,] inquit, in qua adhuc nõ est expletum ædificium huius ciuitatis: sed continuò ædificatur de lapidibus viuis super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ab ipso summo angulari lapide Christo Iesu; ergo vsque ad finem Mundi Petri primatus, siue Principatus in suis successoribus erit duraturus.

Tertiò sic: si nullus beato Petro in Principatu successisset, pariter nullus cuiuscumque alterius Apostoli dignitati successisset; cùm nulla sit maior ratio de vno, quàm de alijs Apostolis, & sic statim ordo Apostolicus in suo exordio defecisset, quòd nullus credens Christum sapientissimum affirmaret.

Quartò, arguitur ex illo psalm. 44. vbi dicitur: [Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram;] vbi expressè dignitas, & auctoritas Ordinis Apostolici per successionem in Ecclesia ostenditur duratura; vnde gloss. super illud: [Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, dicit, idest, post Apostolos, & pro Apostolis Episcopi, & alios, quos Ecclesia genuit, in sede patrum constituit.] Si ergo dignitas Apostolici ordinis per successionem in Ecclesiam, permansura erat vsque in finem seculi, non dubiũ, quin etiam primatus eiusdẽ, qui in Petro erat, successorẽ pariter habiturus esset.

Quintò sic: Non minor cura, & dilectio est Dei erga sponsam suam Ecclesiam, post tempus beati Petri, quàm fuerit tempore eiusdem Apostoli. Ergo sicut tempore Apostoli Petri Ecclesiam suam gubernauit, & muniuit Præsidente, siue Principe vno loco sui, videlicèt beato Petro; ita etiam post beatum Petrum taliter gubernasse illam voluisse creditur, vt in illa vnus in eadem potestatis amplitudine, quã Petrus tamquam rector illius, atque protector præsideret; maximè cùm post beati Petri tempora Ecclesia Christi in personis multiplicata, multò ampliùs vno tali gubernatore indiguerit, præsertim cùm etiam temporibus futuris in Ecclesia tribulationes maiores sperarentur futuræ.

Sextò sic: In tempore veteris legis Deus sic Ecclesiam suam disposuit, vt toto illo tempore vnus esset Pontifex, cuius imperio si quis de populo illo contradiceret, moriretur; sicut habetur Deuteron. 17. ergo similiter est credendum, quòd Diuina prouidentia toto tempore legis nouæ disposuerit, quòd vnus Summus Pontifex in tota Ecclesia præsideret; patet consequentia, cùm eadem ratio potior sit de Ecclesia, quàm de Synagoga, quantò Sacerdotium nouæ legis præstantius sit leuitico: sed hoc esse non potuit, vna persona semper manente. Ergo per successionem ordinatione, ergo Diuina, auctoritas, & Primatus Petri in eadem amplitudine potestatis transitura erat in posteros vsque in finem seculi, quod videtur per illud confirmari: quod Apostolus dicit ad Hebr. 7. quòd Christus sempiternum habet Sacerdotium.

Septimò sic: Naturalis ratio dictat, & hoc ipsum tota Philosophia testatur, optimus modus regiminis cuiuscũq; Cõmunitatis sit, vt vnus sit Princeps, & rector, sicut est in toto vniuerso, quemadmodũ superiùs ostendimus. Vndè Aug. l. de nupt. & concupiscentia. Principatus magis naturalis est vnius in plures, quàm in vnum potest esse multorum, vnde, vt idem dicit Aug. natura principiorum amat singularitatem. Ergo absque omni dubio tenendum est, quòd Dei filius, qui in summa sapientia est, Ecclesiam suam electorũ suorum communitatem, quam proprio sanguine sibi acquisiuit, sub tali regiminis ordine disposuerit vsq; in finem seculi gubernandam, vt vnus in ea præsideret vniuersalis omnium rector, & Pastor; Cùm autem sicut dictum est in vna, & eadem persona semper permanente, fieri non possit, cùm nulli detur viuere per totum Ecclesiæ decursum: necessè est confiteri, quod principatus Petri, cum amplitudine potestatis suæ, diriuetur in successores vsque in finem seculi. Vndè Chrysost. tractans illud Matt. 24. Cælum, & terra transibunt, verba autem mea nõ transibunt, dicit, quòd verba Christi in æternum mansura sunt illa, quȩ locutus est Petro, dicẽs Mat. 16. [Tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam] Item idem Chrysost. Sicut Christus accepit à Patre, dux, & sceptrum Ecclesiȩ Gentium ex Israel egrediens super omnem principatum, & potestatem, & super quodcumque, vt ei genu curuentur sic, & Petro, & eius successoribus plenissimè commisit. Ecce, quod dicit successoribus. Ergo Petrus in amplitudine auctoritatis habet successores in Ecclesia. Item Cyrillus Hierosolymitanus Patriarcha, dicit, ex persona Christi loquens. Tu cum fine, & ego sine fine cum omnibus, quos loco tui ponam pleno, & perfectò sacramento, & auctoritate cum eis ero sicut sum tecum. Item extrà de renun. cap. quanto dicit Inno. potestatem transferendi Pontifices ita sibi retinuit Deus & magister, quòd eam soli Petro Vicario suo & per ipsum successoribus suis præbuit, & con-

concesſit. Item Patriarcha Ignatius in epistola ad Papam Adrianum, ſub quo, celebrata eſt octaua ſynodus, ità ad propoſitum poſt illa verba dicta Petro Apoſtolorum Principi [Tu es Petrus, & ſuper hanc &c.] ità ſcribit dicens Tales enim beatas voces nõ ſecundùm quandam vtique ſortem Apoſtolorum Principi Petro, solùm circumſcripſit, & diſſiniuit, ſed per eum, & ad omnes, qui poſt illum ſecundùm ipſum efficiendi erant ſummi Paſtores, & diuiniſsimi, ſacrique Pontifices ſenioris Romæ. Item Adrianus Papa ſcribens Conſtantino, & Hyrenæos Imperatoribus, & toto Concilio in ei decretali, vbi inducit plures auctoritates pro veneratione imaginum inter alia de beato Petro ſic ait. Nam ipſe Princeps Apoſtolorum beatus Petrus, qui primitùs Apoſtolicæ Sedi præſedit, ſui Apoſtolatus principatum, ac paſtoralis curæ ſucceſſoribus ſuis, qui in ſua ſanctiſsima Sede ſucceſſuri ſunt perenniter dereliquit quibus, & auctoritatis poteſtatem quemadmodùm à Saluatore noſtro, & Domino Deo ei conceſſa eſt, ipſeque tradidit Diuino iuſſu ſucceſſoribus ſuis, quorum traditione, Chriſti ſacram imaginem, ſanctæque genitricis eius, Apoſtolorumque, & omnium ſanctorum venerantur imagines. Hæc ille. Ex quibus verbis manifeſtè habetur, quod Petro aliquis ſuccedit in Eccleſia, & in eadem poteſtatis plenitudine. Ex his apertiſsimè conuincitur error dicentium: quod nullus in Eccleſia Petri ſucceſſerit in plenitudine dignitatis ſuæ.

CAP. XXXVI.

Quod beato Petro ſuccedens in primatu, & amplitudine Apoſtolicæ dignitatis ſit Romanus Pontifex.

QVod autem Romanus Pontifex ſit, qui beato Petro in amplitudine principatus, & prærogatiua dignitatis in Eccleſia ſuccedat, iam oſtendamus. Pro quo aduertendũ quòd Sedes Epiſcopi non ea prima dicitur, in qua 1. ſedit, ſed vlt. in qua finaliter legitimè trãslatus reſedit. Petrus autẽ vniuerſalis Eccleſiæ, factus Epiſcopus, à principio nullã determinatam Sedem ſibi appropriauit. vnde Sedem Hieroſolymitanam Iacobo fratri Domini dimiſit, poſtea verò Antiochiæ primò Sedit, & tandem illam dereliquit Ignatio diſcipulo beati Ioannis Euangeliſtæ, & Romam veniens, illic ſuam tranſtulit Sedem, ibique vſque ad mortem finaliter reſidens. Vnde beatus Marcellus Papa: & martyr Chriſti vniuerſis ſcribens Epiſcopis per Antiochiam conſtitutis; ita ait in cap. rogamus 24. qu. 1. Licet prima Sedes Petri fuerit apud Antiochiam, poſteriùs iubente Domino Romam translata eſt. Non ergo Antiochia: quæ fuit prima, ſed Roma, vltima debet dici Sedes Petri. Vnde, qui in Sede Romana legitimè conſtituitur, ſucceſſor Petri efficitur: & per conſequens plenus, atque perfectus Chriſti Vicarius.

Eſt autem hic conſequenter notandum ſecundùm Dominum Petrum de palude, quòd aliud eſt de electione Epiſcopi, & aliud de electione Archiepiſcopi, quia electio Epiſcopi ſolùm pertinere debet ad omnes clericos diœceſi ſuæ: vel ad maiores, ſicut ad Cathedralẽ Eccleſiam, quia præficitur ſolùm diœceſis. Sed Archiepiſcopus præficitur ſuæ diœceſi ſpecialiter: & toti prouinciæ cõmuniter. Quod autẽ omnes tangit, ab omnibus dicitur approbari. Vnde quantum eſt de iure primitiuo eligendi non ad solã Eccleſiam cathedralem, cuius ſpecialiter intereſt; ſed ad ſuffraganeos, quibus præficitur, ſpectat electio Archiepiſcopi: & ità olim ſeruabatur. Propter quod in electione beati Nicolai in metropolitanum Myrreorum Eccleſiæ conuenerunt Epiſcopi ſuffraganei: tanquam principales, ad quos ſolos electio pertineret; ſi Archiepiſcopus nullam ſedem determinatam haberet. Sed. quia difficile eſt ſemper ſuffraganeos conuocare, conſtitutum eſt de conſenſu omnium, ad quos ſpectat, quod ad ſolam Eccleſiam cathedralem ſpectet electio Archiepiſcopi ſicut, & Epiſcopi. Sic igitur ſi Petrus mortuus ſuiſſet antequam Romæ Sedem elegiſſet ad Apoſtolos ſolos quaſi ſuffraganeos pertinuiſſe electio ſucceſſoris Petri, ſed poſtquam Romæ reſedit de iure communi, & ad Patriarchas ratione vniuerſalis Eccleſiæ & ad Clerum Romanum ratione appropriationis ſpectabat electio, vt videtur. Sed quia difficile erat Patriarchas conuocare, nec erat tutum ſimplicibus canonicis tantum negotium committere, Papa loco patriarcharum, & Canonicorum Romanorum Cardinales inſtituit, qui Papam eligerent, ità tamen, quòd duæ partes conſentirent. Vnde qui ſic in Romanum Pontificem eſt electus, eſt verus Petri ſucceſſor, & Chriſti Vicarius plenus. Vnde dicit Canon Concilij Chalcedonenſis. Si quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat poteſtatem appellandi ad beatiſſimum Epiſcopum antiquæ Romæ, quem habemus Petrum petram refugij, & ipſi ſoli libera poteſtate loco Dei ſit ius diſcernendi Epiſcopi infamiam ſecundùm claues ſibi à Deo datas. Item patres in ſynodo Conſtantinopolitana, vt ſuprà inductum eſt. Veneramur ſecundùm Scripturas, & Canonum diſſinitiones ſanctiſsimum antiquæ Romę, Epiſcopum primũ eſſe, & maximum Epiſcoporum. Dicit autem antiquæ Romæ, ad differentiam Conſtantinopolitanę, quàm Conſtantinus illuc Sedem ſuam traſferens, & & priuilegijs debitis Romæ extollens, nouam Romam voluit appellari. Item beatus Hieronym. ad Damaſum Papam ſcribens in cap. quoniam vetus diſt. 24. qu. 1. dicit. Cum ſucceſſore piſcatoris loquor. Item huius beatæ ſucceſſionis veridicus teſtis eſt Ignatius Conſtantinopolitanus Patriarcha, qui in epiſtola ſua ad Adrianum Papam: quæ lecta, & recepta fuit in octaua ſynodo vniuerſali ità loquitur. Solus, & ex toto magiſter omnium Deus dicit, Petro magno, & ſummo Apoſtolorum [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi &c.] Et iterum, [Tibi dabo claues &c.] Tales enim beatas voces non ſecundũ quam-

dam

dam vtique sortem Apostolorum Principi Petro solùm circumscripsit, & definiuit, sed per eum, & ad omnes, qui post illū, per secundùm ipsum efficiendi erant summi Pastores, & diuinissimi, sacrique Pontifices senioris Romę, transmittit. Hac ratione motus Inno. III Romanus Pontifex scribens Imperatori Constantinopolitano, vt habetur in cap. solitæ, extrà de maio. & obed. dicit sic. Nobis enim in beato Petro sunt oues Christi commissæ, dicente Domino [Pasce oues meas non distinguens inter has oues, & illas] vt alienum se demonstret à suo ouili: qui Petrum, & successores illius magistros non recognosceret, & Pastores. Hæc ille. Item eadem ratione Inno. IV. Romanus Pontifex in Concilio generali Lugdunensi præsidens, vt habetur extrà de homin. in cap. pro humani lib. 6. dicit sic. Dei filius Iesus Christus ne gregem sui prætio sanguinis gloriosi redemptum, ascensurus, post resurrectionem ad Patrem, absque Pastore desereret, ipsius curam beato Petro commisit. Vnde nos eiusdem Apostoli effecti, disponente Domino, licèt immeriti, successores, & ipsius Redemptoris locum in terris quanquam indignè tenentes &c. Ex his verbis clarissimè sequitur quemadmodum dicit, Iulius Papa, quòd sicut beatus Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ità Ecclesia Romana suo nomine consecrata: Domino instituente, prima sit, & caput omnium Ecclesiarum verba sunt canonis in capitulo dudum 3. qu. 6. De quo etiam beatus Anacletus in cap. sacrosancta dist. 22. ità inquit. Sacrosancta Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, sicut beato Petro Apostolo dicitur. [Tu es Petrus, & super hanc petram, & reliqua.] vsque soluta, & in cælo, adhibita est societas in eadem Romana, vrbe beatissimi Pauli Apostoli vasis electionis, qui vno die, vno tempore, cùm Petro gloriosa morte coronatus est, & ambo sanctam Romanam Ecclesiam consecrarunt, atque alijs omnibus vrbibus in vniuerso Mundo tam sua præsentia, quàm suo venerando triumpho prætulerunt Et sequitur idem, Prima ergo Sedes, cælesti beneficio, est Romana Ecclesia.

Ex istis apertissimè eliminantur duo errores. Primus est dicentium non esse de necessitate salutis Romanam Ecclesiam credere supremam inter Ecclesias. Isti fuerunt condemnati in Concilio Constantiensi. Secundus error est eorum, qui dicunt beatum Petrum nunquam fuisse Romanum Episcopum, quia vt aiunt, vt refert Ockan in dialogo suo, in tota scriptura diuina non reperitur, quòd beatus Petrus fuerit Romæ. Contra quos primò, est sacra Scriptura; inquit enim beatus Petrus in fine cap. 5. primæ canonicæ suæ: Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone. Vbi iuxtà gloss. Bedæ Babylon nominat Romã propter cultum Idolatriæ. Ad idem est beatus Hieronymus, qui in libro suo de viris illustribus ità dicit. Petrus in prima epistola sua sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans, Salutat vos inquit, quæ est in Babylone Ecclesia electa, & Marcus filius meus. Secundò præfatum errorem, dato quòd exprçsè sacra Scriptura non diceret Petrum Romæ extitisse: sufficienter condemnant testimonia Sanctorum Patrum. Inquit, enim Hieron. super illud ad Romanos, primò Desidero videre vos, vt aliquid impartiar vobis gratię spiritualis ad confirmandum vos sicut Romanos Petri prædicatione fidẽ tenentes confirmare se velle Apostolus Paulus dicit non quod minùs accepissent à Petro, sed vt duobus Apostolis testantibus, atque Doctoribus eorum roboraretur fides. Hæc ille. Item Eusebius Doctor ægregiùs in Ecclesiastica historia cap. 13. illustris testis est huius rei, sic dicens. In ipsis Claudij temporibus, clementia diuinæ prouidentię probatissimum omnium Apostolorum, & maximum fidei magnificentiæ virtutis, meritò primorum Princepem Petrum ad Vrbem velut aduersùs humani generis communem perniciem, deducit ducem quendam, & magistrum militiæ suæ scientem Domini prælia gerere. & virtutum castra tutare, iste veniens ex Orientis partibus, vt cælestis quidam negotiator mercimonia diuini luminis, si quis sit comparatus, aduexit, & salutaris prædicationis verbo, primus in Vrbe Roma; in Euangelij sui clauibus Ianuam Regni cælestis aperuit. Hæc ille. Item beatus Bern. in epistola quadam ad Eugenium Papam ità propositum confirmat dicens Locus inquã, in quo stas terra sancta est, locus Petri est locus Principis Apostolorũ, vbi steterunt pedes eius quẽ constituit Dominus Dñm domus suæ, & Principẽ omnis possessionis suæ. Item contra hunc errorem est beatus Anacletus in cap. sacrosancta distin. 22. vt patet parum ante. Item beatus Ambro. in epistola contrà Auxentium de basilicis tradendis, ità de beato Petro, loquitur Nocte muros egredi cępit, & videns in porta Christum sibi occurrere, vrbemque ingredi, ait. Domine quo vadis, Respondit Christus Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum. Hæc Ambr. Hoc etiam confirmatur per eundem Ambr. in cap. beati 2. q. 7. vbi Ambrosius ità loquitur. Petrus, & Paulus martyrium pertulerunt in Vrbe Roma; quæ principatum, & caput obtinet, nationum scilicet, vt vbi erat caput superstitionis, illic caput quiesceret sanctitatis, vt vbi gentium, principes habitabant illic etiam Principes Ecclesiarum morarentur. Hoc etiam confirmat beatus Marcellus Papa in cap. rogamus 24. qu. 1. quòd suprà inductum est. Hoc etiam Imperator Constantinus in epistola, quam vniuersali Ecclesiæ dirigit in cap. Constantinus, d. 96. ità testatur dicens Vbi principatus sacerdotum, & christianæ religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum est, iustum non est, vt illic Imperator terrenus habeat potestatem. Hoc etiam Apostolica Sedes confirmat in cap. per venerabilem, extrà qui fi. sint legiti, & in cap. fundamenta; extra de elect. in 6. Patet ergo, tam sacrę Scripturæ, & sanctorum patrum, quàm etiam Apostolicæ Sedis testimonio; quòd beatus Petrus Romæ fuerit, vbi cathedram tenuerit Episcopalem vsque ad mortem. Ex quibus confunditur Armenorum, & Grçgorum præsumptio, qui Romanum Pontificem successorem Petri, ac vniuersalis Ecclesiæ Pastorem non recognoscunt.

Ve-

Verum si quæratur, quæ Ecclesiarum Vrbis habeat hanc superioritatis prærogatiuam super omnes alias orbis Ecclesias. Ad hoc respondendum videtur iuxtà maiores nostros, quod Ecclesia beati Ioannis Lateranensis, vndè Melchiades Papa in cap. futurā 12. quæst. 1. loquens de Constantino Imperatore ità dicit. Denique idem præfatus princeps donaria immensa contulit, & fabricam primæ Sedis beati Petri instituit, idest Lateranensis Patriarchij, vt exponit Hug. Secundò ad idem est Nicolaus Papa scribens Archiepiscopis, & Episcopis Metropolitanæ Sedis, ac vniuerso Clero Constantinorum Ecclesiæ dicit sic. Collecta synodo in Ecclesia Dei, in qua beatus Petrus Apostolorum princeps corpore redolet, & virtutibus emicat; vndè propter frigidiorem locum in Ecclesia Saluatoris, quæ ab auctore appellatur Constantina, & quæ sub auditu à Constantino prima in toto Orbe terrarum constructa est. Hæc ille. Tertiò ad idem est Petrus de Rauenna in sermone de beato Ioanne Baptista, qui incipit [Hodie dilectissimi,] in quo sic ait: Decimus gradus est assertio matris Ecclesiæ: illa enim magistra omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana, cui dictum est. [Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, in honore beati Io. Baptistæ post Saluatoris nomen consecrata est, & signata.] Hæc ille. Quartò ad idem est Hug. in cap. futuram 12. quæst. 1. qui recitata opinione dicentium, quòd prima Sedes Petri sit Ecclesia sancti Petri, ità subiungit: Ego tamen credo, quòd Ecclesia sancti Io. de Laterano sit prima Sedes Papalis, & non Ecclesia sancti Petri; illā enim ædificauit Constantinus. Præterea Ecclesia sancti Petri non est Patriarchalis Sedes, vel Episcopalis, sed est de Episcopatu Portuensi. Hæc ille. De hoc pleniùs diximus super capite dudum 3. quæst. 6.

CAP. XXXVII.

Quòd Romanus Pontifex sit Christi Vicarius, & locum eius teneat in terris.

QVamquam ex supradictis in præcedenti cap. clarissimè habeamus Romanum Pontificem, qui beatissimo Petro in primatu in Orbe Christiano succedit, Vicarium Iesu Christi potissimum esse, ac vices siue locum eius tenere in terris: nihilominùs ex alijs hoc ipsum ostendamus. Et primo ex illo Ioann. vlt. vbi Petro Christus inquit: [Pasce oues meas,] idest loco mei, vt exponit Chrysost. præpositus esto, & caput fratrum tuorum: vt ipsi loco mei te assumentes vbique terrarum, te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment. Item beatus Cyrillus Alexandrinus magnæ auctoritatis Doctor in lib. thesaurorum dicit: quòd Apostoli in Euangelijs, & epistolis affirmarunt in omni doctrina Petrum esse loco Domini in eius Ecclesia, ei dantes locum in omni capitulo, in omni electione, & confirmatione. Et infrà. Cui omnes obediunt iure diuino, caput inclinant, & primates mundi, tamquam ipsi Domino Iesu Christo obediunt. Itèm ad hoc est canon sacri Synodi Chalcedonen. ità dicens. [Si quis Episcopus prędicatur infamis, liberam habeat licentiam appellandi ad beatissimum Episcopum antiquæ Romæ: quem habemus Petrum petram refugij, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit ius discernendi Episcopi criminari infamiam secundùm claues sibi à Deo datas.] Item Doctor Græcus super illo Luc. 22. [Facta est contentio, quis eorum videretur esse maior.] Ex hoc, inquit, contentio ista habuisse motiuum, quia decebat aliquem eorum, cùm Dominus ab hominibus migraret, fieri aliorum principem, quasi vicemgerentem Domini. Qui autem locum alterius, aut vices gerit, Vicarius illius est, vt in cap. si pro debilitate extra de offic. delegat. Præterea hoc testantur multorum Pontificum summorum scripta. Vnde Innoc. III. in cap. inter corporalea, extrà de translat. Episc. inquit. Non enim humana, sed potiùs diuina potestate coniugium spirituale dissoluitur, cùm per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Iesu Christi, Episcopus ab Ecclesia remouetur. Idem Innocent. IV. in cap. pro humani, extrà de homicid. lib. 6. Idem habetur extra de elect. vbi periculum maius in 6. vbi sic ait Gregorius decimus: Vbi agitur de creatione Vicarij Iesu Christi successoris Petri rectoris vniuersalis Ecclesiæ, gregis Dominici directoris &c. Hinc est, quod idem ostenditur esse consistorium Christi, & Papæ vt dicit Ioann. Andr. super cap. quanto de transl. Episc. Quod manifestè testatur Origenes in glos. super illud Matth. 16. [Quodcumque ligaueris &c.] Vide quantam potestatem habet petra, super quam ædificatur Ecclesia, vt etiam iudicia eius maneant firma, quasi Deo iudicante per eam.

Aduertendum tamen quòd licèt omnes Episcopi dicantur Christi Vicarij secundùm illud 2. ad Corinth. 6. [Pro Christo legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos.] Et 1. Corinth. 4. [Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.] Hoc enim dicebat Apostolus de Apostolis, & per consequens de eorum successoribus, qui sunt Episcopi, vt in cap. in nouo dist. 21. dicit sanctus Anacletus. In præfatione etiam, quæ in solemnitate cantatur Apostolorum habetur: [Gregem tuum pastor æternæ non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias, vt ijsdem rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse pastores.] Nihilominùs Papa præcipuè, & principalis Christi Vicarius est, ab eo pro Ecclesiæ vnitate seruanda maximè constitutus. Vnde glos. super illud Matth. 16. [Tu es Petrus &c.] inquit: [Specialiter potestatem ligandi, & soluendi Petro Christus concessit, vt ad vnitatem nos inuitaret:] ideò enim eum principem Apostolorum constituit, vt Ecclesia vnum principalem Christi Vicarium haberet, ad quem diuersa membra recurrerent, si fortè inter se dissentirent, quòd si diuersa capita essent in Ecclesia, vnitatis vincula rumperentur. Hæc ibi. Ex istis apertè excluditur error dicentium, quod Papa non sit immedia-

mediatus, & proximus Christi Vicarius. Qui error inter errores Io. Wicleff in Concilio Constantiensi fuit damnatus.

CAP. XXXVIII.

Quòd Romanus Pontifex primatum, & amplitudinem dignitatis suæ à Christo immediatè habeat.

QVod autem à Christo immediatè potestatem suam Romanus Pontifex habeat faciè ostenditur ex multis.

Primò ex illo Matth.16. vbi Christus ait Petro, & in eo successoribus. [Tibi dabo claues regni Cœlorum &c.] Super quo verbo dicens Chrysost. [Filius Dei vbique terrarum Petro concessit potestatem, & homini mortali omnium, quæ in Cœlo sunt, dedit auctoritatem, vt potestate clauium Ecclesiam amplificaret.

Secundò arguitur idem ex illo Io. vlt. vbi Christus loquens Petro ait: [Simon Ioannis pasce oues meas.] Vbi manifestè cura totius Ecclesiæ Petro commissa est, & in eo suis successoribus à Christo immediatè committitur. Super quo verbo dicit beatus Chrysost. [Pasce oues meas, idest, loco mei præpositus, & caput esto fratrum tuorum.]

Tertiò ratione sic: In omni hierarchia primum illius auctoritatem hierarchizandi in sequentes in eodem ordine capit ab eo, qui simpliciter, & primò primæ præsidet toti hierarchiæ. Patet ex dicto beati Dionysij dicentis 6. Cœlestis Hierarchiæ. [Proprium est Angelis primæ hierarchiæ esse circa Deum.] Quod non est intelligendum, quo ad beatitudinis participationem: quia sic omnes Angeli boni, & omnes sancti sunt circa Deum; sed quo ad receptionem illuminationum: quas recipere immediatè à Deo est proprium illis. Ergo pariformiter primus, qui est in Ecclesiastica hierarchia, quæ à Cœlesti est exemplata, cuiusmodi est summus Pontifex: dicendus est, capere immediatè à Christo potestatem: secundùm quam vertex est, & caput Ecclesiasticæ hierarchiæ, consequentia patet. Et hoc est, quod dicit Leo Papa, & habetur 24. quæst. 1. cùm beatissimus Petrus Apostolus à Domino acceperit primatum.

Quartò sic: Prima potestas in vnoquoque ordine potestatiuo, quæ necessariò præsupponitur ab alijs potestatibus inferioribus illius ordinis, necesse est dependere immediatè ab auctoritate illius ordinis: patet de se. Sed potestas papalis est prima in ordine ecclesiastico inter omnes potestates illius, dicente beato Anacleto in cap. in nouo dist.21. Petrus à Christo ligandi, & soluendi primus accepit potestatem, quæ potestas se habet ad reliquas sicut mater, radix, & origo, vt ex cap. loquitur 24. quæst. 1. habetur. Et nos infrà, Deo dante, manifestum faciemus. Ergo sequitur, quòd Papę potestas immediatè sit à Deo, qui auctor, & fundator est ordinis ecclesiastici, consequentia patet.

Quintò, omnis illa potestas, qua vtitur quis in regimine alicuius communitatis vt Vicarius alterius, deriuatur immediatè ab illo, cuius Vicarius dicitur: patet istud. Sed Papalis potestas dicitur illa, qua summus Pontifex vtitur in regimine communitatis Ecclesiæ vt Vicarius Christi. Ergo talis potestas in summo Pontifice est immediatè à Christo, consequentia patet.

Sextò sic: Papalis potestas non potest conferri ab homine; ergo à solo Christo immediatè confertur, consequentia patet. Antecedens probatur sic: Quia si conferretur ab homine, vel ab ipso homine Papa, vel à tota communitate, vel à vicem eius habente. Non autem confertur primo modo, nec secundo; ergo &c. Probatio minoris, quòd non à Papa patet. Quia nullus potest sibimet conferre potestatem iurisdictionis. Quòd verò nec à communitate Ecclesiæ posset conferri, probatur sic: Nulla communitas potest conferre potestatem, secundùm quam regitur à superiori Domino: cuiusmodi dominium non dependeat à consensu communitatis. Sed potestas hæc est huiusmodi, quia potestas Papalis est potestas, secundùm quam communitas Christiana debet regi à Christo mediante suo Vicario, cuius dominium non pendet à consensu communitatis Christianæ; ergo &c. Confirmatur hæc conclusio auctoritate. Primò Nicolai Papæ, qui scribens Mediolanen. in cap. omnes 22. dist. ità dicit: Romanam ecclesiam solus ipse, scilicet Christus, fundauit, & suprà petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul, & Cœlestis imperij iura commisit. Non ergo quælibet terrena substantia, sed illud verbum, quo constitutum est Cœlum, & terra; per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit Ecclesiam. Hæc ille. Plures ad hoc sunt aliorum sanctorum Patrum auctoritates apertissime: sicut in cap. in nouo, & in cap. quamuis. dist.21. & in cap. sacrosancta dist.22. habetur. Ex quibus manifestè confutatur error dicentium Petrum principatum super alios Apostolos habuisse non à Christo immediatè, sed humana institutione.

CAP. XXXIX.

In quo ponuntur obiectionis contra prædicta.

ADuersarij veritatis multa, & varia obijciunt contrà conclusionem iam dictam, & reperiuntur in quadruplici differentia. Quidam enim nituntur probare, quòd Pontificatus Papalis dependeat ab Apostolis. Quidam quòd à Concilijs. Quidam quòd ab Imperatore Constantino. Quidam autem quòd à Cardinalibus. Quidam alij dicunt: quòd licet potestas Papalis absolutè considerata originaliter, & immediatè sit à Deo: nihilominùs, quòd Papa exercitium, & vsum talis potestatis susceperit ab Ecclesia.

Primi arguunt sic: Nihil, quod pendet ex pura electione, & voluntate, ac ordinatione Apostolorum, videtur à Christo immediatè emanare, patet hoc. Sed quòd beatus Petrus habuerit primatum super Apostolos alios, & per consequens super omnes fideles fuit ex volun-

voluntate, & ordinatione Apostolorum. Ergo videtur, quòd Papalis principatus non sit immediatè à Christo deriuatus, consequentia est bona, minor probatur per illud beati Anacleti Papæ in cap. in nouo dist.21. vbi de beato Petro loquens ita ait: Cæteri verò Apostoli cum eo pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, ipsumque principem esse voluerunt. Item idem colligitur ex cap. dudum 3. quæst. 6. Ergo videtur, quòd voluntate, & ordinatione Apostolorum beatus Petrus habuerit principatum. Secundò sic ad idem: Romanus Pontifex dicitur vicarius beati Petri, vt in cap. ego Ludouicus dist.43. ergo videtur, quod non à Christo immediatè sed à beato Petro potestatem acceperit. Tertiò ad idem, quòd Ecclesia Romana non habuerit à Christo immediatè primatum. Quia si sic, sequeretur, quòd Papa non posset Sedem suam transferre de Roma, & alibi constituere: quia seruus non potest tollere legem, aut dispositionem Domini sui, & tamen consequens videtur falsum; quoniam in his, quæ sunt iurisdictionis, non minùs potest nunc Papa, quàm beatus Petrus in quantum Papa. Sed ille potuit de Antiochia transferre Romam. Ergo etiam nunc Papa posset transferre in alium locum.

Secundi arguunt sic: Nihil, quod ex ordinatione Sacerdotum Ecclesiæ institutum est in Ecclesia, dicendum est à Christo immediatè institutum, patet ex terminis, quia idem secundùm idem non potest habere duas immediatas causas. Sed distinctio superioritatis, & inferioritatis inter Sacerdotes Ecclesiæ, videtur ex ordinatione ipsorummet Sacerdotum ortum habuisse. Ergo superioritas Pontificalis dignitatis super omnes alios Ecclesiæ Prælatos, non videtur esse à Christo immediatè. Consequentia est bona. Minor probatur auctoritate beati Hieronymi, qui super epistolam ad Titum, vt habetur in cap. olim dist.95. dicit sic: [Olim idem Presbyter, qui & Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, id est, dissensiones, & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum Concilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam autem vnusquisque eorum, quos baptizauerat, suos esse putabat, non Christi, in toto terrarum Orbe decretum est, vt vnus de Presbiteris supponeretur, & schismatum semina tollerentur. Et paulò post. Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos, ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispensationis Dominicæ veritate Presbyteris esse maiores, & in communi debere regere Ecclesiam. Ex quibus verbis manifestè videtur haberi, quòd ex institutione Domini inter Episcopos, & Presbyteros nulla est distinctio. Vnde olim quilibet Episcopus erat Presbyter, & quilibet Presbyter Episcopus, & ita vt videtur, tota distinctio inter Papam, & Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, & inter Episcopos, & Presbyteros solummodò est ex ordinatione humana, & nō ex ordinatione Christi. Superioritas ergo Pontificatus Papalis non à Christo videtur esse immediatè, sed à Concilijs vniuersalibus in, quibus Sacerdotes conueniunt. Cæterum secundò pro hac parte videtur facere cap. Concilia dist. 17. vbi ità dicitur. Scientes quia eius, scililicèt Simachi, Sedi primùm Petri Apostoli meritum, deindè secuta iussione Domini, Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesijs tradidit potestatem.

Tertij arguunt sic: Papa, quòd sit caput omnium Ecclesiarum, habeatque Primatum in spiritualibus in vniuerso Orbe terrarum, habet ex dono, & institutione Constantini Imperatoris, ergo videtur, quod Papa Principatum suum non habeat immediatè à Christo, consequentia est bona, antecedens probatur ex illo, quod habetur in cap. Constantinus dist.96. & accipitur ex gestis beati Siluestri, [vbi sic dicitur:] Constantinus Imperator quarta die sui baptismatis, priuilegium Romanæ Ecclesiæ Pontifici contulit, vt in toto Orbe Romanum Pontifices, vel Sacerdotes, ita habeant caput, sicut iudices Regem. Et infrà: Itaque decernentes sancimus, vt Principatum teneat tàm super quatuor Sedes Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam, quàm etiam super omnes in vniuerso Orbe terrarum Dei Ecclesias, & Pontifices, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ steterit, excelsior, & Princeps cunctis Sacerdotibus, & totius Mundi existat. Hæc ibi. Ex quibus verbis manifestè datur intelligi, quod tam Romanus Pontifex, quàm Romana Ecclesia immediatè à Constantino super alias Ecclesias Primatum habuerit, & non à Christo.

Quarti arguunt sic: Collegium Dominorum Cardinalium videtur dare electo Papatum, eligendo ipsum ad talem statum. Ergo, & auctoritatem Papalem, & per consequens non habet immediatè à Deo. Consequentia videtur nota, quia quicquid est causa causæ, est causa causati. Sed Domini Cardinales eligentes talem, vel talem sunt causa quòd sit Papa. Ergo, & causa potestatis, & dignitatis illius. Secundò sic: Non solùm Ecclesia, sed etiam Cardinales ante electionem in multis restringunt futuri Pontificis exercitium. Ergo videtur, quòd Papalis auctoritas, quo ad exercitium non dependeat immediatè à Christo. Tertiò sic: Canonica electio non tribuit immediatè Papæ omne potestatis exercitium, nisi cōcomitetur vnctio, & coronatio, vt patet ex practica Ecclesiæ. Ergo, &c. Quartò, si sic esset, quod Papatus immediatè esset à Deo, non posset Ecclesia dare ordinem suæ electionis: mandando, quòd quicumque se pro Summo Pontifice gereret, nisi à duabus partibus electus, esset excommunicatus: vt extr. de elect. cap. licèt. Sed Ecclesia dedit ordinem. Ergo, &c. Quintò, si sic esset, tunc Ecclesia non posset restringere potestatem Papæ, sicut in collatione beneficiorum, & huiusmodi. Sed hoc videtur falsum. Ergo, &c. Sextò, si sic esset, sicut dictum est sequeretur, quòd Papa non posset renunciare Papatui, quod est contra determinationem Ecclesiæ, extra de renuntiat. cap. 1. lib.6. nec deponi, quod est contra cap. si Papa distinct. 40. ergo videtur, quòd Papalis auctoritas non dependeat immediatè à Christo.

CAP.

CAP. XL.

In quo respondetur ad rationes superiùs factas, quod Romanus Pontifex ex ordinatione Apostolorum Primatum habuerit.

PRæfatis aduersariorum obiectionibus non obstantibus, incunctanter tenendum est: quod Primatus Romani Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ à solo Christo immediatè processerit. Vndè non est dicendum, quòd ab Apostolis, aut à Concilijs generalibus, siue ab Ecclesia vniuersali, aut à Constantino, siue etiam à Collegio Cardinalium dependeat. Respondendum est ergo ad rationes in oppositum.

Ad primam rationem, quę est dicentium, quòd ab Apostolis Primatus Petri ortum habuerit: Respondetur negando minorem. Falsum est enim, quòd beatus Petrus voluntate disponente, aut ordinatione Apostolorum Primatum habuerit: sed habuit ab ipso Christo immediatè, à quo vertex, & caput Collegij Apostolici constitutus est. Dicit enim Chrys. super illud Ioann. vltim. [Pasce oues meas:] Præteriens autem Dominus alios, Petro loquitur: eximius enim Apostolorum erat Petrus, & os Discipulorum, & vertex Collegij. Vnde & negatione deleta, committit ei prælationem fratrum. Hæc ille. Caput autem non habet à membris, quibus præsidet, quod sit eorum caput: sed ab eo, qui format totum corpus, habet auctoritatem. Hinc dicit beatus Anacletus Papa in c. omnes dist. 21. sacrosancta Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino, & Saluatore nostro primatum obtinuit, sicut beato Petro dixit: [Tu es Petrus, &c.] Præterea, quòd voluntate disponente ab Apostolis Petrum primatum non habuerit, ex illo manifestè colligitur Matth. 18. vbi Discipuli interrogant Dominum dicentes. [Quis putas est maior in Regno Cœlorum.] Quod ideò quærunt, vt gloss. inquit Hieron. quia Discipuli videntes in tributi redditione, quod Petrus Domino fuerat comparatus ex æqualitate precij: arbitrati sunt omnibus Apostolis Petrum esse prælatum. Et Chrys. ad idem, vt deducit S. Thom. in glòss. continua super Matth. dicit sic: Vnde passi sunt aliquid humanum, quod Euangelista designat dicens: In illa hora accesserunt Discipuli ad Iesum, dicentes: [Quis putas maior est in Regno Cœlorum: verecundati siquidem passionem, quam passi sunt, non dicunt manifestè: cur Petrum præhonorasti nobis? sed indeterminatè interrogant quis maior est.] Quandò autem tres præhonoratos viderunt: scilicèt Petrum, Iacobum, & Ioannem in transfiguratione, nihil tale passi sunt, sed quando verò in vnum contulit honorem, tunc doluerunt. Hæc ille. Ex quibus manifestissimè datur intelligi, quòd primatus à solo Christo immediatè Petro datus sit, nulla ad hoc dispositione, aut voluntate præuia interueniente Apostolorum. Quandò ergo dicitur in capitulis inductis per aduersarios, quòd Apostoli Petrum principem eorum esse voluerunt, intelligendum est de voluntate consequente, siue acceptante dispositionem Christi, non autem de voluntate antecedente, & causante. Et hoc est, quod dicit beatus Anacletus in cap. sacrosancta dist. 22. cùm ait: Inter Apostolos quædam fuit discretio potestatis: & post: licet omnes essent Apostoli, Petro tamen concessum est à Domino, & ipsi voluerunt inter se idipsum, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, idest caput, & principatum teneret Apostolatus. Hæc ille. Patet ergo, quod voluntas Apostolorum non præcessit postulando Petrum, aut eligendo, aut disponendo quoquo modo ad eius Primatum, sed tantum subsecuta est acceptando, gratam habendo dispositionem factam per Christum. Et ita percutitur error quorumdam aduersariorum dicentium, Petrum ex electione Apostolorum fuisse à Christo principem constitutum, & prælatum aliorum.

Ad secundam dicendum, quòd impropria locutio est cum dicitur, quòd Romanus Pontifex sit Vicarius beati Petri, cùm solius Dei, cuius vices gerit in terris, Vicarius sit: Petrus autem Apostolus cùm Vicarius esset Christi, non poterat facere alium Vicarium, vt in cap. clericus extrà de offic. Vicar. Exponenda est ergo illa litera sic. Vicarius, id est successor illius, vel Vicarius, idest Vicariam potestatem, quam ipse Petrus gessit tenens, siue exercens.

Ad tertiam videtur respondendum iuxtà opinionem Petri de Palude, quòd Dominus Papa non potest transferre Sedem suam de Roma in alium locum sine speciali reuelatione Christi: cuiusmodi speciali iussione translata est Romam. Et cùm dicitur, quod hoc sit falsum, negatur, & ad probationem respondetur, quod Papa non possit mutare Sedem suam, non est, quòd minoris sit auctoritatis, quàm Petrus, sed quia hic interuenit specialis iussio Christi, contra quam seruus venire non potest.

CAP. XLI.

In quo respondetur ad obiecta aduersariorum, quod Romanus Pontifex ordinatione, & dispositione Sacerdotum, siue Conciliorum Primatum habuit.

IAm dicendum est ad rationes dicentium, quòd ab ordinatione vniuersalis Ecclesiæ, siue sacrorum Conciliorum Sacerdotum causaliter penderet principatus Romani Pontificis. Respondetur in primis, quòd hoc falsum est, quod ratione, & auctoritate probatur. Ratione sic: Impossibile est spiritualem potestatem, qua quis ligatur, vel absoluitur in anima respectu cœli, dependere immediatè ab illo, vel ab illis, qui eadem potestate absoluuntur, vel ligantur. Sed Papalis potestas Petro, & successoribus suis collata extendit se ad ligandum, & soluendum omnes, & singulos de Ecclesia militante. Ergo impossibile

est, quòd ab aliquo, vel aliquibus de Ecclesia collectiuè, siue disiunctim acceptis, immò nec ab ipsa tota Ecclesia potestatem clauium Ecclesię Petro collatam causaliter dependere; consequentia patet. Antecedens pro maiori parte patet etiam de spirituali potestate, de qua loquimur, intelligendo, quicquid sit de temporali, quæ ex consensu populi alieni subijcientis se, consurgit. Vndè licèt consensus populi possit facere Iudicem in temporalibus, non tamen in spiritualibus. Nullus enim populi consensus potest sibi constituere confessorem, aut Iudicem potentem excommunicare, qui ante nullius iurisdictionis potestatem habuerit. Minor patet ex sæpè supra repetitis, maximè ex illo Matth.16. [Tibi dabo claues Regni Cœlorum.] Et sequitur: [Quodcumque ligaueris, &c.] Auctoritate verò idem probatur Papæ Pelagij, qui in cap. quamuis dist. 21. ità dicit: Sancta Romana Ecclesia Catholica, & Apostolica nullis Synodicis statutis, cæteris Ecclesijs prælata est: Sed Euangelica voce Domini Saluatoris nostri primatum obtinuit.

Quo habito, respondendum est ad rationem, negando minorem. Et ad probationem dicimus, quòd dictum beati Hieronymi non facit contra conclusionem positam propter duo. Primò, quia Hieronymus ibidem loquitur de Episcopis, & Presbyteris, quorum distinctio tàm in nomine, quàm in alijs quibusdam ministrantibus ministeria, siue officia eorum, non erat in principio tanta sicut post: vt ibidem innuit gloss. non autem loquitur de Primatu Rom. Pontif. vt stultò aduersarij interpretantur, dicendo, quòd aut non fuerit à principio Ecclesiæ post Ascensionem Christi, aut quòd à Christo non fuerit institutus, cum beatus Hieronym. opposita manifestè docuerit, ait enim super illud Matth.16. [Tu es Petrus, & super hanc, &c. dicit. Sicut Christus lumen Apostolis donauit, vt lumen mundi appellentur, & cætera, quæ ex Domino sortiti sunt vocabula, ita & Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen, ac secundùm metaphoram petræ rectè dicitur ei. [Edificabo Ecclesiam meam super te.] In quo manifestè primatus Petri super totam Ecclesiam designatur, cùm super eum ædificata dicatur. Et in cap. quoniam vetus oriens 24. quæst. 1. scribens Damaso Papæ ita dicitur. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consortior, super illam fundatam Ecclesiam scio. Item in libro de ortu, siue obitu sanctorum de nouò Testamento, ita de Petro loquitur, Petrus in Christi Ecclesiæ firmamentum, est Cæphas corporis Christi, principatus, & caput est. Patet ergo, quòd beatus Hieronymus apertissimè credidit beatum Petrum primatum habuisse in Ecclesia à Christo, & ita per consequens successor eius. Secundò inducta auctoritas Hieronymi, per aduersarium non militat contra propositum, quia sicut superiùs lib. 1. cap. 79. plenissimè explicauimus: Hieronymus non vult, quòd realis non fuerit distinctio inter Episcopum, & Presbyterum, cùm oppositum dicat beatus Dionysius, qui fuit discipulus Pauli 5. Ecclesiasticæ hierarchiæ, & beatus Augustinus dicat, quòd hæc fuerit vna de hæresibus Arij, sed vult dicere, quòd differentia nominis semper non fuerit, quia qui dicebatur Episcopus, dicebatur Presbyter, & è conuerso, quæ differentia nominum ad vitandum schismatis scandalum, Consilio Sacerdotum, idest Patrum, ablata est, & constitutum, vt quemadmodum differebant re, ità, & vocabulis different. Et ista est responsio beati Thom. Ista etiam sententia Archidiaconi super cap. legimus, dist.93. qui ità dicit: [Ego credo, quòd ab initio differẽtia fuit inter Episcopos, & Presbyteros simplices Sacerdotes, sicut modo est, in administratione, & Prælatione, & officijs, & in Sacramentis, sed quo ad appellationem non erat differentia, quia indifferenter, & communiter hi, & illi dicebantur Episcopi, & Presbyteri. Sed quia schismata cæperunt esse in Ecclesia ex ipsa parilitate appellationis, est facta differentia in appellatione, vt simplices Sacerdotes non dicerentur Episcopi 80. dist. in illis, secundùm Hugust.] Hæc Archidiaconus.

Ad rationem secundam fundatam in cap. Concilia dist.17. respondet gloss. quod Romana Ecclesia principaliter primatum habuit à Christo, secundariò à Concilijs. Sed ne hoc malè intelligatur, quoniã malè intelligeretur, si Concilia vniuersalia, quorum robur, vigor, ac firmitas pendet ab Apostolica Sede, vt dist. 17. per totum. Et extra de elect. in cap. significasti; intelligerentur effectiuè, siue causaliter dare aliquam auctoritatem Sedi Apostolicæ, cùm vt probatum est, nec ipsa vniuersalis Ecclesia aliquid auctoritatis illi conferat. Quod menifestè attestatur Papa Nicolaus, scribens Imperatori Michaeli, & loquens de priuilegijs Apostolicæ Sedis ità subiungit: [Ista ergo priuilegia huic Sanctæ Ecclesiæ à Christo sunt donata, à Synodis non sunt donata, sed solummodo celebrata, & venerata, per quæ non tàm honor, quàm onus nobis incumbit.] Item in eadem epistola. Proindè animaduertendum est, quòd non Nicena, non denique vlla Synodus, quodquam Romanæ Ecclesiæ contulit priuilegium, quæ in Petro nouerat eam totius iura potestatis pleniùs meruisse, & cunctarum Christi ouium regimen accepisse, sicut beatus præsul Bonifacius, attestatur vniuersis Episcopis per Thessaliam constitutis, scribens. Hæc ille. Dicimus ergo, quòd hoc, quod dicitur: Concilia tradiderunt potestatem secundariò Apostolicæ Sedi, est intelligendum executiuè, & declaratiuè. Executiuè quidem obediendo diuinæ ordinationi, sedem illam honorando vt caput, & matrem omnium aliarum Ecclesiarum, adimplentes illud, quod ex persona Christi beatus Crysostom. dicit super illud Ioann. vlt. [Pasce oues meas:] Idest loco mei Præpositus, & caput esto fratrum, vt ipsi te in loco meo assumentes, te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment. Planè hoc obseruauerunt semper sacra Concilia vniuersalia. Vndè Agatho Papa in suggestione, quàm sextæ Synodo misit, ità scribit: Apostolicæ sedis auctoritatem, vtpotè Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & vniuersales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt. Ecce quomodò executiuè dicuntur tradidisse potesta-

statem Apostolicæ Sedi: Declaratiuè etiam vniuersalia Concilia dicuntur tradidisse potestatem Apostolicæ Sedi, quoniam maximè per vniuersalia Concilia declarata est Christiano populo, quanta sit eminentia Apostolicæ Sedis. Vndè in Concilio Constantinopolitano ita scribitur, vt deducit sanctus Thomas in 4. dist. 24. Veneramur secundùm scripturas, & canonum diffinitiones santissimum antiquæ Romæ Episcopum primum esse, & & maximum Episcoporum. Hæc ibi. Et ad hunc intellectum Dominus Archidiaconus in præfato cap. Concilia. Exponit verbum illud, tradidit. Idest traditum esse ostendit.

CAP. XLII.

In quo dantur responsa, ad obiecta aduersariorum dicentium, quod dispositione, & dono Constantini Romanus Pontifex habeat primatum super alios.

Consequenter est respondendum ad rationes dicentium, quod eminentia Papalis auctoritatis super alios venit ex constitutione, & dono Constantini. Dicimus enim, quòd in hoc grauiter errant aduersarij, quoniā sicut non est possibile, vt spiritus quo ad eius essentiam, & dignitatem dependeat à corpore, aut Sol à Luna, ita nec est possibile, quod potestas spiritualis, aut primatus Papalis dignitatis pendeat dependentia causalitatis ab imperio, aut à Constantino. Quantò enim, vt inquit Hugo de sancto Victor. lib. de Sacramentis parte 2. lib. 2. cap. 4. vita spiritualis dignior est, quàm terrena, & spiritus, quàm corpus, tantò spiritualis potestas terrænam potestatem, siue secularem honore, & dignitate præcedit. Nam spiritualis potestas terrenam, & instituere habet vt sit, & iudicare si bona non fuerit. Ipsa vero primò istituta est, & cùm deuiat à solo Deo, iudicari potest.

Ad rationem ergo in se, respondetur nenegando minorem. Et ad probationem dicimus, quòd Constantinus non instituit legem illam de præeminentia Apostolicæ Sedis, & obedientia ei ab omnibus danda, quasi ius ex auctoritate de nouo condendo, quoniam antequam Constantinus esset, Rom. Pontifex primatum habuit in Ecclesia Dei ex collatione Christi facta beato Petro; sicut superiùs est ostensum. Sed benè Constantinus fidei feruore, & Ecclesiæ Romanæ amore reuerentiali incensus, diuinam ordinationem de primatu Romani Pontif. & de obedientia ab omnibus fidelibus illi præstanda, executus est promulgando illam, vt nullus per ignorantiam se excusaret, & præcipiēdo illam obseruari, vt nullus malitia se Romani Pontif. obedientiæ subijcere recusaret; ita quòd magis fuit promulgator, siue executor diuinæ ordinationis, quàm conditor nouæ legis. Hinc rationabiliter condemnatus est error dicentium, quòd Papalis dignitas à Cæsare inoleuit, & Papæ præfectio, & institutio à Cæsare emanauit. Qui error primò fuit Marsilij de Padua, & fuit condemnatus in extrauaganti Ioan. 22. & post renouatus per Ioan. Hus, & condemnatus in Concilio Constantiensi.

CAP. XLIII.

In quo respondetur rationibus aduersariorum dicentium, quod à Cardinalibus pendeat primatus Romani Pontificis.

Consequenter respondendum est, ad rationes dicentium, quòd Papalis dignitas, siue Pontificatus Apostolicum à Collegio Dominorum Cardinalium pendeat, dicimus enim in primis, quod hoc sit falsum. Pro solutione tamen argumentorum est notandum, quòd in Papatu duo est considerare, scilicet formale, & hoc est officium ipsum, siue auctoritas Pontificatus Papalis. Et est considerare materiale, quod est determinatio personæ talis vel talis, videlicet Petri, vel Nicolai. Qua distinctione habita, respondetur ad rationes,

Ad primam cùm dicunt, quod Cardinales dant electo Papatum, dicimus quòd loquendo de Papatu, quo ad id, quod est formale, in eo antecedens est falsum. Quoniam Papatus à solo Deo est, sicut probatum est; ita negandum est antecedens. Si verò loquimur de materiali Papatus, quod est determinatio personæ, respondetur, quod antecedens potest concedi, & negatur tunc consequentia: Domini enim Cardinales eligendo, benè determinant personam, non tamen dant ipsi dignitatem, siue potestatem Papalem. Aliud enim est conferre potestatem determinatę personæ, & aliud est determinare personam, quæ ex collatione iam facta assequatur talem potestatem.

Ad secundam respondetur negando antecedens. Cardinales enim, nec tota Ecclesia posset restringere, nec ampliare, quæ à Deo immediatè sunt instituta.

Ad tertiam respondetur negando antecedens. Dicimus enim, quòd cùm aliquis est electus in Papam, immediatè habet omnem plenitudinem potestatis iurisdictionis, vt patet ex cap. in nomine Domini, dist. 23. licèt non ordinis quousque consecretur.

Ad quartam respondetur negando consequentiam, quoniam sicut diximus parùm supra, in Papatu est duo considerare, scilicet principatum ipsum, & determinationem personæ. Quamquàm autem Ecclesia nihil posset facere circa ipsam potestatem augendo, vel diminuendo, pôtest tamen circa determinationem personæ aliquid facere ordinando de modo electionis, sicut factum est per Nicolaum Papam, in cap. in nomine Domini 23. dist. & per eundem; si quis Apostolici Sedi, dist. 79. & extrà de elect. vbi periculum lib. 6. & in Clem. ne Romani.

Ad quintam dicitur, sicut iam dictum est, quòd Ecclesia non potest restringere pote-

testatem Papæ, sicut nec ampliare, aut instituere illam potest.

Ad sextam respondetur negando consequentiam, multa enim à Deo infunduntur, sicut anima rationalis, quæ opere humano tolli possunt. De istis autem inferiùs erit plenior tractatus.

CAP. XLIV.

Quòd potestas Papalis à nullo alio, quàm à Deo restringi possit, nec ampliari.

DEmonstrato, quòd potestas, siue Pontificatus Papalis à solo Deo sit institutus, facilè est intelligere, quod à nullo puro homine; nec à toto Mundo possit restringi, aut ampliari, sed à solo Deo.

Primò: Ad illum enim pertinet potestatem aliquam restringere, aut ampliare, ad quem pertinet eam instituere; cùm ad instituentes potestatem aliquam pertineat determinare potestatem, quanta, & qualis sit. Sed potestas Papalis, vt superiùs plenè ostendimus, à solo Deo est instituta, & habetur in cap. quamuis dist. 21. Ergo per nullam aliam potestatem à Diuina, potest restringi, aut ampliari.

Secundò: Potestas Papalis est superior omni alia potestate Ecclesiastica. Ergo à nulla alia potestate Ecclesiastica potest restringi, aut ampliari. Consequentia est bona, vt enim habetur in cap. inferior, dist. 21. Inferior sedes potiorem absoluere, aut ligare non potest. Antecedens est notum ex superioribus: Immò est articulus iam fidei diffinitus in Concilio Constantiensi, quòd potestas Papæ, sit suprema potestas in Ecclesia.

Tertiò sic: Nullus potest mutationem facere restringendo, siue diminuendo, siue destruendo in potestate, super quam fundata est vniuersalis Ecclesia, nisi solus Christus, qui eam fundauit: aliàs non esset vera illa Christi promissio, quòd aduesùs eam portę inferi non præualerent. Sed potestas Papalis est huiusmodi. Ergo nullus hominum potest, nec etiam totus Mundus potestatem Papalem, tollere, restringere, aut diminuere. Consequentia est bona. Maior patet. Minor probatur per illud Matth. 16. [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam.] Quod, vt in c. 17. superiùs ostendimus, non solùm per sanctos Patres refertur dictum esse ratione confessionis fidei Petri, sed ratione potestatis sibi datę. Vndè sanctus Thom. in fine 2. sententiarum dicit, quòd potestas Papæ fundamentum quoddam est Ecclesiæ. Vndè etiam Origenes, dicit super illud Matth. 16. [Quodcumque, &c.] Vide quantam potestatem habet Petra, super quam fundatur Ecclesia, vt etiam eius iudicia maneant firma, quasi Deo iudicāte per ipsam. Item B. Anaclet. in quodam decreto suo ait: Apostoli statuerunt iussione Saluatoris, vt maiores, & difficiliores quæstiones semper ad sedem referantur Apostolicam, super quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam, dicente Domino ad Principem Apostolorum: [Tu es Petrus, &c.] Et Vigilius Papa scribens dilectissimo fratri Eleutherio dicit: Nulli, vel tenuiter scienti, vel pleniter sapienti dubium est, quòd Ecclesia Romana fundamentum sit, & forma Ecclesiarum, à qua omnis Ecclesia principium sumpsisse, nemo rectè credentium ignorat.

Quartò sic: Non licet sine periculo hæresis detrahere priuilegio Apostolicæ Sedis dato sibi à Christo. Sed diminuere, aut restringere potestatem Apostolicæ Sedis, est detrahere priuilegijs, iuri, honori, & dignitati datis Apostolicæ Sedi à Christo. Ergo hoc nulli licet. Consequentia est bona. Maior patet ex cap. omnes, dist. 22. vbi dicitur sic: Qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite conatur auferre, hic procul dubio in hæresim labitur. Minor verò patet, quoniam præcipuum priuilegium à Christo Apostolicæ Sedi datum, est ipsa plenitudo potestatis, & eius potissimà dignitas. Dicit enim Leo Papa in epist. ad Marcionem Imperatorem: Magnus honor est vnicuiquam dignitas sua. Quocircà Nicolaus Papa in epistola quadam ad Michaelem Imperatorem ità ait; Priuilegia Apostolicæ Sedis nullatenùs possunt minui, nullatenus infringi, nullatenùs commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amouere conatus, & quod Dominus statuit, firmum, validumque consistit, illeque potissimùm peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Priuilegia inquam huius sedis perpetua sunt, diuinitùs radicata, atque plantata, impingi possunt, trasferri non possunt, trahi possunt, euelli non possunt. Hæc ille. Non potest autem dici, quòd hæc Apostolicæ Sedis priuilegia, aliqua præsulum indignitas minuere posset, attestante eodem beatissimo Leone, qui ait: Non nunquam diuersa sunt merita præsulū, iura tamen permanent sedium, quibus possunt æmuli perturbationem aliquam inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Non est autem hìc prætereundum, quod ait Greg. IX. contrà præsumptionem Michaelis Constantinopolitani: Quisquis Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, vel priuilegia euacuare, vel diminuere nititur, non hic vnius Ecclesiæ, sed totius Christianitatis subuersionem, & interitum machinatur, cuius compassione, vel sustentatione vlteriùs respirabunt filiæ à quouis oppressæ, vnica illa suffocata matre, ad cuius refugium appellabunt? ad quam refugium habebunt? ipsa enim Athansium, ipsa omnes Catholicos suscipit, fauet, defendit, & proprijs sedibus pulsos restituit. Hæc ille.

Quintò, potestatem cuiuscumque Vicarij nemo potest restringere, aut ampliare, nisi principalis, cuius est Vicarius. Sed Papa est Vicarius Iesu Christi, eius vices gerens in terris. Ergo huiusmodi Vicarij potestatem, nemo, nisi Christus, cuius Vicarius est, potest restringere, diminuere, mutare, aut etiam ampliare, consequentia est bona, & præmissæ patent. Sed si quis aduersariorum vellet dicere ad ista, sicut multos sequentes doctrinam cuiusdam Iarson audiuimus dicere, cùm Basileæ essemus, quòd etsi potestas Papæ per nullos homines tolli possit, aut diminui, possent tamen Patres in concilio congregati executio-

cutionem potestatis illius impedire, aut restringere, aut sic regulare, vt non valeat exire in actum, nisi vt ei per Concilium generale fuerit dictatum. Taliter respondens, iudicio nostro malè respondet, immò videtur insipienter loqui, cum videatur, aut opinionem in obiecto, aut vocis ignorantiam implicare. Quod sic patet: Est enim iurisdictio, vt aliàs in 1. lib. diximus, potestas ius dicendi, siue iudicandi, & exequendi, similiter plena, & totalis iurisdictio est tota plena, & perfecta potestas iudicandi, & iudicatum exequendi, alias non est plena, & perfecta. Vnde dicere, quod aliquis habeat iurisdictionem: ità tamen, quod non possit iudicare, & exequi, etiam si vellet, est dicere, quòd habeat potestatem iudicandi, & non possit iudicare, quod est habere potestatem, & non habere. Similiter habere totam, plenam, & perfectam potestatem iurisdictionis, & non habere totum, plenum, & perfectum exercitium, ità quod non esset validum omne, quod iuxta potestatem sibi datam facere vellet, est dicere habere plenam potestatem, & perfectam iudicandi, vel alia faciendi, & tamen non posse illa facere, nec perfectè, nec totaliter, quod est habere plenam, & non plenam, quod est manifestè contradictio. Prætereà quod præfata responsio nullius sit roboris, & valoris, patet, quia sicut tollere potestatem aliquam non potest nisi potestas superior, ita nec restringere, aut impedire de iure exercitium illius potest, nisi superior potestas. Cùm ergo fide tenendum sit, vt diximus, quòd potestas Papę sit suprema in Ecclesia, nulli dubium, quòd sicut nulla quorumcumque potestas Ecclesiastica potest tollere potestatem Papæ: ità non possit impedire, aut restringere exercitium eius. Sed de his in 3. lib. vbi de Concilijs vniuersalibus, & eorum auctoritate agendum est pleniùs, Domino adiuuante dicemus.

CAP. XLV.

De errore quorundam aduersariorum dicentium Papam non habere iurisdictionem coactiuam super fideles, & rationibus eorum.

FVerunt quidam Hæretici homines perditissimi, qui in tantum veritati Apostolici Principatus, & Ecclesiæ sanctæ honori detrahere præsumpserunt, vt affirmare non vererentur Romanum Pontificem, aliosque Ecclesiæ Prælatos, nullam coactiuam iurisdictionem super alios habere fideles, nisi Imperator concederet, dicentes Prelatorum Ecclesiæ principatum ex institutione Christi in administratione, & seruitio consistere aliorum, & non in coactiua iurisdictione. Quem errorem damnatissimum multipliciter confirmare nituntur, quorum motiua, vt deducit Ockan in dialogo suo, sunt, quæ sequuntur.

Primò sic, dicitur Matth. 20. [Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos esse maior, erit vester seruus.] Ex quibus verbis dicunt dari intelligi, quod maioritas, & primitas illius, qui est maior, & primus inter omnes fideles, in ministrando, & seruiendo consistit. Cùm ergo Papa sit maior, & primus inter omnes Christianos, sua maioritas in ministrando, & seruiendo tantum consistit, & per consequens nullam iurisdictionem coactiuam super alios habet, cum illa omnibus Ecclesiæ Prælatis videatur interdicta.

Secundò sic, Papa non habet maiorem iurisdictionem coactiuam, quam habuit Christus, cuius est Vicarius. Sed Christus in quantum homo mortalis non habuit iurisdictionem coactiuam. Tùm quia, iurisdictio coactiua sine diuitijs, aut sine adiutorio diuitias habentium exerceri non potest, quas Christus non habuit. Tùm quia, ipso teste, ministrare venit, non ministrari, ergo non venit coactiuam iurisdictionem exercere, ergo eam non habuit, ergo nec per consequens eius Vicarius habet.

Tertiò sic, auctoritate Origen. qui super illud Matth. 20. [Reges gentium, &c.] sic ait: [Scitis, quia Principes gentium dominantur eorũ, idest nõ contenti tantum regere suos subditos, violenter eis dominare nituntur, inter vos autem, qui estis mei, non erunt hæc, quoniam omnia carnalia in necessitate sunt posita: spiritualia autem in voluntate. Sic & qui Principes sunt spirituales, idest Prælati: principatus eorum in dilectione penitùs debet esse, non in timore.] Ex quibus verbis datur intelli inquiunt, quod totus principatus Prælatorum Ecclesiæ, & per consequens Summi Pontificis, in voluntate, & dilectione, & non in timore debet consistere, ergo diligi debent, non timeri. Qui autem iurisdictione coactiua vtuntur, à malis timentur, teste Apostolo ad Rom. 13. qui ait: [Si autem malè feceritis, timete, scilicèt potestatem Prælati; ergo Prælati Ecclesiarum iurisdictione coactiua vti non debent.]

Quartò, ad idem inducunt Chrysostomum, qui ita super eumdem locum ait: [Principes mundi, ideò sunt, vt dominentur minoribus suis, & eos seruituti subijciant, & expolient, & vsque ad mortem eis vtantur ad suam vtilitatem, & gloriam. Principes autem Ecclesiæ fiunt vt seruiant minoribus, & ministrent eis quæcumque acceperint à Christo, vt suas vtilitates negligant, & illorum procurent.] Ex quibus verbis inquiunt: patet distinctio inter Principes seculares, & Ecclesiarum, quia Principes seculares suis subditis dominantur: Principes autem Ecclesiæ minoribus suis seruiunt, & ministrant; ergo in eis iurisdictionem coactiuam exercere non valent.

Quintò, inducunt ad idem beatum Ambros. qui vt recitatur, 23. qu. 8. cap. conuenior, ait sic: [Dolere potero, gemere potero, aduersùs arma, militesque, cohortesque, lachrymæ meæ sunt mea arma, talia enim sunt instrumenta Sacerdotis, aliter nec debeo, nec possum resistere.] Ex quibus verbis inquiunt, habetur, quòd Sacerdos orationibus, & lachrymis debet malis resistere, & non per potentiam temporalem, & per consequens non habet iurisdictionem coactiuam.

Sex-

Sextò, inducunt beatum Chrysost. qui in lib. suo dialogorum,] qui de dignitate Sacerdotali intitulatur lib. 2. cap. 3. super id Apostoli 2. Corinth. 1. [Non dominantur fidei vestræ,] ita dicit: [Hi, qui foris sunt, iudices malignos cùm subdiderint, ostendunt in eis plurimam potestatem, & inuitos eos à priorum prauitate morum, compescunt; in Ecclesia verò non coactum, sed acquiescentem oportet ad meliora conuerti, quia nec nobis à legibus data est talis potestas, quòd auctoritate sententiæ homines cohibeamus à delictis.] Clariùs inquiunt dici non posset, quòd Ecclesia non habeat iurisdictionem coactiuam, cùm in Ecclesia nullus ad meliora debeat cogi, nec aliquis debeat cohiberi per iudicialem sententiam à delictis.

Septimò sic, ad habentem iurisdictionem coactiuam spectat negotijs secularibus implicari, quia ad ipsum pertinet contentiones, & lites dirimere. Contentiones autem, & lites, & rixæ inter negotia secularia computantur, extrà ne cleric. vel monac. secul. negot. se immiss. cap. 1. Sed ad Summum Pontificem non pertinet secularibus negotijs implicari, teste Apost. 2. ad Thim. 2. qui ait: [Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.] Ergo ad Summum Pontificem non pertinet iurisdictio coactiua.

Octauò sic, Papa non habet iurisdictionem maiorem, quam beatus Petrus, sed beatus Petrus, & alij Apostoli iurisdictionem coactiuam à Christo minimè receperunt; ergo nec Papa habet iurisdictionem coactiuam ex ordinatione Christi; maior est manifesta, minor probatur auctoritate beati Bernardi, qui in lib. ad Eugenium Papam, inquit: [Non monstrabunt puto, qui hoc dicerent: vbi nam quispiam Apostolorum iudex sederit hominum?] Et parùm post: [Stetisse namque lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego, etiam illud non fuit.] Ex quibus verbis datur intelligi, quòd Apostoli iudices hominum non fuerunt. Ergo beatus Petrus iurisdictionem coactiuam non habuit.

Nonò, hoc quòd Apostoli hominum iudices non fuerunt, beatus Gregorius sentire videtur, qui tractans illa verba: [Secularia iudicia si habueritis:] in moralibus ita dicit: [Hi terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt. Qui autem spiritualibus dotati sunt, terrenis non debent negotijs implicari, vt dum non coguntur inferiora bona disponere, valeant bonis superioribus deseruire. Cum ergo Apostoli maximis bonis spiritualibus fuerunt dotati: ipsi non fuerunt circa causas hominum, & lites aliqualiter occupati.

Decimò, hoc etiam gloss. super illud ad Corinth. [Secularia igitur iudicia, apertè sentire videtur: ait enim, contemptibiles enim, idest aliquos sapientes, qui tamen sunt minoris meriti, constituite ad iudicandum, Apostoli enim circumeuntes talibus non vacabant. Sapientes ergo, qui in locis consistebant fideles, & sancti; non qui hac atque illac propter Euangelium discurrebant, negotiorum examinatores esse voluit.] Quibus verbis, inquiunt, ostenditur, quod Apostoli causis hominum terminandis minimè insistebant. Ex quo infertur, quòd non acceperant iurisdictionem à Christo coactiuam, quia omne officium iniunctum eis à Christo diligentissimè perfecerunt.

CAP. XLVI.

In quo improbatur error præfatus.

QVàm damnatissimè errent præfati aduersarij dicentes, tam Romanum Pontificem, quàm alios Ecclesiæ Prælatos nullam ex Christi ordinatione habere iurisdictionem coactiuam, sed ex concessione Imperatoris, facilè ostendemus. Ostendemus autem in primis falsitatem, & errorem primæ partis, in qua dicunt, Prælatos ex Christi ordinatione non habere super fideles iurisdictionem coactiuam. Secundò errorem secundæ partis, in qua dicunt, quòd huiusmodi iurisdictionem coactiuam Prælati habuerunt ab Imperatore, siue à seculari potestate. Prima autem pars ostenditur erronea multipliciter. Primò, auctoritate sacræ Scripturæ. Secundò, auctoritate sacrorum Conciliorum. Tertiò, diffinitione Apostolicæ Sedis. Quartò, sanctorum Doctorum testimonio. Quintò, rationibus.

In primis autem, sacræ Scripturæ auctoritate erronea pars illa ostenditur. Primò ex illo, quod Christus Petro, & in Petro Successoribus suis, cunctisque Ecclesiæ Prælatis, ait Matth. 16. [Tibi dabo claues Regni Cœlorum.] Claues dicit in plurali, quia scilicet vt est doctrina communis Sanctorum, tam clauem in foro conscientiæ, quàm in foro exterioris iudicij. Vndè ait gloss. interlin. Idest præsentis iudicij potestatem. Et sequitur: [Quodcunque ligaueris super terram, siue in foro conscientiæ, siue exterioris iudicij, ligatum erit, & in Cœlis.] Cùm autem non tantum voluntarij ligentur, sed etiam inuiti, manifestum est, quòd in clauibus datis Petro, & in eo suis successoribus intelligatur data iurisdictio coactiua. Secundò improbatur præfatus error ex illo Matth. 18. vbi habetur: [Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum:] Et infrà: [Si autem te non audierit, dic Ecclesię: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus: Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis:] gloss. vinculo Anathematis: [Super terram, erunt ligata, & in Cœlo, &c.] Vbi Hieronymus in gloss. ait: Potestatem tribuit Apostolis, vt sciant, qui à talibus damnantur, humanā sententiam diuina senteтia roborari. Cæterum Apostolus, primo Corinth. 6. repræhendens Corinthios, quòd contemptis fidelibus, coram infidelibus iudicibus litigassent, ad probandum, quòd de rebus secularibus, & terrenis, iudicandi potestas esset aupud Ecclesiam, inquit: [Nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis secularia:] gloss. idest, de rebus seculi. Non est autem dubium; quin talis damnatio pertineat ad iurisdictionem coactiuam. Ergo Apostoli, & eorum successores ex Christi ordinatione, coactiuam iurisdictionem habuerunt. Tertiò idem ostendi potest ex illo Matth. 26. vbi de Petro dicitur, exemit gladium suum, & percutiens seruum

Prin-

Principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius: Per quod designatur apud Petrum futuram esse potestatem coactiuam ad correctionem. Vndè beatus Gregorius, vt habetur in cap. si Petrus 24. quæst. 1. inquit. Tollit ergo Petrus aurem: quare Petrus? quia ipse est, qui accepit claues Regni Cœlorum, ille enim condemnat, qui, & absoluit, quoniam ligandi, & soluendi, idem adeptus est potestatem, tollit autem aurem malè audientis, tollit autem gladio spirituali aurem interiorem malè intelligentis. Quartò idem colligitur ex illo Luc.22.vbi Apostolis dicentibus. [Ecce duo gladij hìc:] respondit Dominus [satis est.] Vbi cum per gladios duos mysticè intelligantur duæ potestates: spiritualis scilicèt, & temporalis: vt beatus Bernardus lib. de consideratione ad Eugenium Papam exponit: quas apud Romanum Pontificem aliquo modo residere dicit, manifestè datur intelligi Romanum Pontificem ex Christi ordinatione iurisdictionem coactiuam, quæ per gladios designatur habere. Quintò erroris præfati ostenditur stultitia ex illo, quòd Dominus ait Petro: Ioann. vlt. [Pasce oues meas,] vbi officium pastoris committit beato Petro, quod officium planissimum est non posse benè agi sine iurisdictione coactiua, cum Glos. in eo loco dicat: [Pascere oues, est credentes ne deficiant confortare, terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidere: exempla virtutum perhibere, aduersarijs obsistere, peccantes corrigere. Sextò idem ostenditur ex Apostolica doctrina, vndè 1. ad Corinth. 4. Paulus inquit. [In virga veniam ad vos in charitate, & spiritu mansuetudinis, vbi aptissimè se demonstrat habere iurisdictionem coactiuam,] vndè in sequenti cap. habetur, quòd Paulus fornicatorem quemdam tradidit Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus eius saluus fiat. Ex quo manifestè apparet, quòd Apostolus iurisdictionem coactiuam haberet, & patet, quòd non ab Imperatore, qui infidelis erat, ergo à Deo.

Consequentèr secundò confutatur error præfatus ex gestis, quasi omnium Conciliorũ vniuersalium, & maximè illorum quatuor principalium, in quibus damnati, excommunicati, & à suis dignitatibus depositi leguntur plures hæretici, sicut in Nicœno Arrius, in Constantinopolitano Macedonius, in tertio, scilicet Calcedonen. Euthic. vt in cap. canones dist. 15. Et simili modo in alijs Concilijs. Hoc autem Sancti Patres minimè facere potuissent, nisi habuissent ex Christi ordinatione iurisdictionem coactiuam. Præterea totus quintus liber decretalium; qui de pœnis intitulatur, manifestè ostendit stultitiam erroris præfati.

Tertiò erroris præfati temeritas ostenditur ex Apostolicæ Sedis, quam fidei magistra est, determinatione, quæ in extrauaganti Ioan. 22. quæ incipit. Licet secundùm doctrinam Apostoli, vbi Marsilium de Padua, & Ioann. de Ianduno præfati erroris, & aliorum quorundam auctores, reprobat, & condemnat.

Quartò præfatus error damnabilis ostenditur etiam ratione. Potestas spiritualis est maior, & Deo coniunctior, quam sæcularis, vt superiùs circa finem primi libri multiplicitèr ostendimus. Sed sæcularis potestas ad exercitium officij sui habet iurisdictionem annexam coactiuam, est enim Dei minister ad Rom. 13. Ergo etiam potestas spiritualis, cùm eius minister sit etiam vices eius gerens, paritèr ad exercitium eorum, quæ ad officium ei iniunctum pertinent, necessariò habet modo sibi conuenienti annexam iurisdictionem coactiuam. Vndè Ecclesiast. 10. dicitur; Iudex sapiens iudicabit populum suum. ergo etiam potestas spiritualis, consequentia est manifesta. Secundò sic: De ratione cuiuscumque perfecti principatus est habere iurisdictionem coactiuam. Sed principatus Ecclesiasticus est maximè perfectus: vndè comparatur Solii iuxtà cap. solit. extrà de maior. & obed. Ergo principatus ecclesiasticus habet iurisdictionem coactiuam, consequentia est bona, maior est Aristot. 4. ethic. Cùm enim sermones persuasiui qualicumque ratione fulciti, non sint semper potentes mouere subditos ad bonum, quod est principalis intentio boni Principis, necessario est, vt apud principem sit iurisdictio coactiua, qua per pœnas faciat quod persuasionibus non potuit. Hinc est quod legis, vt dicit Isidor. lib. ethyc. & habetur in decreto dist. 3. omnis autem lex, non solùm est imperare, vetare, permittere, sed etiam punire. Et hoc sufficiat de improbatione primæ partis præfati erroris.

Secunda verò pars, in qua præfati pestiferi, aut damnatissimi aduersarij dicunt, quod iurisdictio coactiua, quæ apud Ecclesiam est, ex concessione Imperatoris sit: patet luce clarius erroneum esse: Primò ex dictis iam suprà in reprobatione primæ partis erroris præfati. Constat enim beatum Petrum pro se, & suis successoribus à Christo principatum suscepisse, ergo ab eo, scilicèt Christo iurisdictionem habuit, & habent eius successores, & non ab aliquo alio, consequentia est manifesta, antecedens non modo ex dictis patet, sed etiam suprà ex cap. 21. Secundò idem ostenditur ex antiquitate ecclesiastici principatus, sic arguendo: Principatus ecclesiasticus etiam cùm iurisdictione coactiua præcessit multo tempore Imperatores Catholicos, ergo sequitur quòd ipse in iurisdictione coactiua, quam habet, non dependet ab Imperatoribus, consequentia est manifesta, cùm priùs non dependeat à posteriori, nisi aduersarius tanta caligaret cæcitate, vt ab imperatoribus etiam infidelibus, quales omnes fuerunt, fuerunt enim duo Philippi Pater, & Filius, sed non apertè Christiani, vt dicit Eutropius, vsque ad Constantinum magnum diceret Romanum Pontificem suscepisse Principatum. Tertiò ostenditur sic: Nobilius, & perfectius non recipit à minùs nobili, & minùs perfecto, perfectionem potestatis, & virtutis suæ, vt enim ait Aristotel. 2. de Anima, & Augustinus super Genes. agens nobilius est, & præstantiùs passo. Sed Principatus Ecclesiasticus est multò nobilior, ac perfectior, quam sæcularis, quantò scilicèt anima corpore, vt dicit Hugo de sancto Victore, quanto Sol Luna, vt dicit Innocentius in proximè allegato cap. solitæ, quantò aurum plumbo, vt ait Ambrosius in cap. duo quippè dist. 96. Ergo nullo modo est dicendum, sed tamquam falsum, & er-

& erroneum abijciendum est, quòd iurisdictio coactiua papæ, & prælatorum Ecclesiæ dependeat ab Imperatore. Quartò sic: Ab illo, à quo alicui committitur aliquod officium committuntur ea, sine quibus officium agi non potest. Sed à Christo, & non ab Imperatore commissum est Petro, & eius successoribus pastorale officium, & cura totius populi Christiani, ac regimen, vt suprà ostensum est. Ergo necesse est dicere, quòd à Christo, & non ad Imperatore terreno, aut ab aliqua terrena potestate; habet iurisdictionem Romanus Pontifex coactiuam. Quintò sic: Imperatores leguntur puniti; vtpotè excommunicati, & priuati dignitate à Romanis Pontificibus, imò etiam ab alijs minoribus Ecclesiæ prælatis. Ergo iurisdictio coactiua Romani Pontificis, & aliorum prælatorum Ecclesiæ non dependet ab Imperatoribus, siuè ab aliqua alia terrena potestate, consequentia est clarissima, antecedens licèt pateat ex multis historijs, quæ notæ sunt, nihilominùs probatur per illud, quod Gelasius Papa in cap. duo quippè distin. 96. dicit, vbi ad Imperatorem Anastasium scribens, ità inquit. Duo quippè sunt Imperator auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas; in quibus tantò grauiùs est pondus sacerdotum, quantò pro ipsis regibus in vltimo reddituri sunt examine rationem. Et post pauca, Nosti itàque inter hæc, & illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi voluntatem, talibus igitur institutis, talibusque fulti auctoritatibus pluresque Pontificum, alij Reges, alij Imperatores excommunicarunt. Nam si speciale aliquod de personis principum requiratur exemplum, beatus Innocentius Papa Archadium Imperatorem, quia consensit, vt sanctus Chrysostomus à sua Sede pelleretur, excommunicauit, beatus Ambrosius, licèt sanctus, non tamen vniuersalis Ecclesiæ episcopus, pro culpa, quæ alijs Sacerdotibus non adeò grauis videbatur, Theodosium magnum Imperatorem excommunicans ab Ecclesia excludit. Manifestè ergo patet stultitia præfati erroris in vtraque sui parte.

CAP. XLVII.

In quo respondetur ad obiectiones aduersariorum suprà positis.

IMprobato errore præfatorum hominum perditorum, iam respondendum restat eorum obiectionibus.

Ad primam, quæ sumitur ex illo Matt. 20 Scitis quia principes &c. respondetur, quòd auctoritas illa nihil facit pro aduersarijs. Non enim benè: ac rectè intelligunt illam, sed deficiunt in duobus. Primò quidem in hoc, quia non est verum: vt prætendunt, quòd in verbis præfatis Dominus omnem dominatum, siuè principatum interdixerit Apostolis, nec per consequens simpliciter omnem iurisdictionem coactiuam, cum Christus legatur dixisse Petro, Super plebem meã principem te constitui, & de Apostolis dicatur psal. 44. Constitues eos principes super omnem terrarum, sed tantum dominatum: & iurisdictionem, qua gentiles, & homines mundani vtuntur in subditos suos in seruitutem eos redigendo, & eorum vita abutendo ad suas vtilitates. & gloriam, sicut pleniùs explanauimus in superioribus cap. 12. respondendo ad hanc obiectionem. Secundò deficiunt aduersarij in hoc, quia administratio illa, ad quam Ecclesiæ maiores deputantur, non est, vt ipsi pretendunt administratio, qua seruus administrat Domino suo, aut frater: fratri suo, sed qua Dominus, & præsidens intendit commoditatibus subditorum, qua medicus intendit saluti infirmantium, pater correctioni filiorum, pastor curæ gregis, rector regimini populi, & gubernator nauis directioni. Huiusmodi autem administratio non excludit iurisdictionem coactiuam in ministris suprà eos, quibus administratur, vt præfati hæretici fatuè imaginantur, sed potiùs includit. Vndè patet: quòd auctoritas illa Catholicè intellecta non facit pro aduersarijs.

Ad secundam respondetur, negando minorem tanquam falsam, immò hæreticam, cùm de Christo dicatur Isai. 33. Ipse Dominus noster Iudex noster, Legifer noster, & Rex noster, quæ absque iurisdictione coactiua non videntur posse prædicari de Christo. Cæterum ipse Christus ait Matt. vlt. Data est mihi omnis potestas in cælo; & in terra. Prætereà quomodò iurisdictionem coactiuam, dedisset Apostolis Matt. 18. di. Quæcumque alligaueritis &c. nisi ipse habuisset. Et ad probationem: cùm primò dicitur, quòd iurisdictio coactiua sine diuitijs exerceri non potest; respondetur, quòd hoc sit falsum, & stultè dictum: sicut manifestum est de iurisdictione coactiua spirituali; quæ exercetur conuenientissimè à quolibet prælato, quantumque diuitijs careat, quicquid sit de iurisdictione seculari coactiua, quæ armorum potentia quandoque executioni mandatur. Ad id autem, quòd secundò dicitur, quod Christus venit, ministrare non ministrari, iam in prima responsione respondimus hoc insipienter esse dictum, quoniam huiusmodi ministratio Christi, non euacuabat iurisdictionem coactiuam in Christo, sicut nec, vt dictum est, in Apostolis; quoniam huiusmodi administratio erat sicut maioris, & Domini, & magistri erga discipulos; & seruos eius, secundùm illud Ioan. 13. Vos vocatis me magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim. Et iterùm, Quemadmodum ego feci, & vos faciatis, non est seruus maior domino suo; nec Apostolus maior est eo, qui misit eum. Quod vobis tertiò inducitur, quod Christus iurisdictionem coactiuã nequaquam exercuit, falsum est. Quod patet ex multis Primò in eo, quòd Christus non modo consilia, sed præcepta dedit, tam circa sacramenta, quàm circa conuersationem vitę. Circa sacramenta inquit Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei. De sacramento Eucharistiæ. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non babebitis vitam in vobis. De sacramento pænitentiæ, ait. Matt. 4. Pœnitentiam agite

ap-

appropinquabit Regnum Cælorum. Circa conuersationem vitæ, ait. Ioan. 15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos, & similia. Præcipere autem non est nisi habentis iurisdictionem coactiuam, quoniam vt inquit Græg. & habetur in cap. quod præcipitur 14. qu. 2. Quod præcipitur, imperatur, quod imperatur necesse est fieri, si verò non fiat, pœnam habet, vbi consilium datur, offerentis arbitrium est; vbi præceptum, necessitas seruientis. Et Augustinus in sermone Domini in monte, Quisquis præceptis non obtemperat, reus est, & debitor pœnæ. Tum secundò iurisdictionem coactiuam exercuit, cùm adiecit pœnas æternæ damnationis non obedientibus præceptis; & institutis suis, sicut patet superiùs, quòd maximè spectat ad iurisdictionem coactiuam. Tum tertiò, etiam iurisdictionem coactiuam exercuit, cum Christus vendentes de templo, & ementes violenter eiecit, vt legitur Matt. 21 & Ioan. 2. Super quo verbo beatus Grægorius XXV. moralis ita loquitur, quod plurimum percutit stultum intellectum aduersariorum; Nec frustrà per semetipsum Deus æs nummulariorum fudit, & Cathedras vendentium columbas euertit: quia nimirùm signans per magistros quidem iudicat vitam plebium; sed per seipsum examinat magistrum.

Ad tertiam obiectionem, quæ sumitur ex auctoritate Origen; respondetur, quòd Origen. non vult secludere iurisdictionem coactiuam à prælatis Ecclesiæ; sed per hoc tantum vult, quod etiam alij dicunt Doctores sancti, vt Augustinus, Isidorus, & Bernardus, quòd prælati spirituales debent, velle plus diligi, quàm timeri. Hoc autem patet, quoniam per solam mansuetudinem, & beniuolentiam sine correctione disciplinæ nulla respublica in hac mortali vita perfectè gubernari possit. Nam vt inquit Græg. in moralibus, & habetur in cap. disciplina dist. 45. disciplina, vel misericordia multum destituitur, si vna sine altera teneatur. Sed circa subditos inesse debet rectoribus, & iustè consulens misericordia, & piè seuiens disciplina, & multa ibi ad propositum.

Ad quartam obiectionem patet responsio ex prima responsione. Dicimus enim, quòd non sit verùm; quòd beatus Chrysost. secludat omnem iurisdictionem coactiuam à prælatis Ecclesiæ, cùm ipse dicat super Matt. Ità se debet exhibere prælatus, vt possit ridens timeri; & iratus amari, sed excludit, quemadmodùm Christus, iurisdictionem illam coactiuam tyrannicam, quo principes gentium vtuntur in subditos, quia vt superiùs diximus, talis non decet prælatos Ecclesiæ. Vndè differentia inter principes Ecclesiasticos, & seculares non est pœnes habere, & non habere iurisdictionem coactiuam, vt falsè aduersarij somniant, sed pœnes habere, & non habere iurisdictionem coactiuam tyrannicam, sicut suprà explanauimus.

Ad quintam, quæ est beati Ambrosij in cap. conuenior. 23. qu. 8. respondetur, quòd bene intellecta conformiter ad alia dicta eiusdem doctoris parum facit ad propositum aduersariorum, quoniam licèt potentia armorum, & in propria persona non congruat sacerdotibus resistere inuadentibus bona Ecclesiastica; cùm Ecclesia corporalia nesciat arma, vt in cap. porrò 16. qu. 3. dicit Ioan. Papa: non tamen propter hoc excluditur à sacerdotibus potentia, siue iurisdictio coactiua spiritualis, cum ipse beatus Ambrosius legatur, vt suprà induximus excommunicasse Theodosium magnum Imperatorem, vt in cap. duo quippè dist. 96. quod facere non potuisset, si iurisdictionem coactiuam nullam habuisset.

Ad sextam, quæ sumitur ex auctoritate beati Chrysostomi in lib. Dialogorum suorum: respondetur, quòd non facit ad propositum aduersariorum; quoniam Chrysostomus loquitur de his, qui foris sunt, idest qui numquam fidem Christi perceperunt, talibus enim non est vis inferenda, sed sunt cum charitate inuitandi ad fidem, & morum correctionem; non autem loquitur de his, qui iam fidem perceperunt; quoniam tales cogendi sunt retinere fidem, & religionem, quam semel receperunt, votisque firmauerunt. Vnde in Concilio Quarto Toletano de Iudæis ità definitum legitur: vt habetur in cap. de Iudæis dist. 45. De Iudæis autem præcepit sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre; cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat, non enim tales inuiti saluandi sunt, sed volentes: vt integra sit forma iustitiæ; sicut enim homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens perijt; sic vocante se gratia Dei propria mentis conuersione quisque credendo saluatur: ergo non vi, sed libera arbitrij voluntate, & facultate, vt conuertantur suadendi sunt, non potiùs impellendi; qui autem iam pridem fide semel imbuti sunt; quia iam constat eos Sacramentis diuinis associatos: oportet vt fidem, quam susceperunt, tenere cogantur. Hæc ibi. Ista est sententia Apostoli, 1. Corinth. 5. cum ait: Quid enim mihi est de his, qui foris sunt, idest extrà Ecclesiam, iudicare. His enim, vt dicit glos. potiùs blandiendum est. Nonne de his, qui intus sunt, vos iudicatis, vbi glos. sic habet: Intus, idest in Ecclesia, professione, & nomine; in his enim putredo secanda est. Hæc glos. Manifestum est autem, quòd hoc sine iurisdictione fieri non potest: ergo Apostolus præsupponit in Ecclesia esse iurisdictionem coactiuam.

Ad septimam, quæ assumitur ex illo 2. Thimoth. 2. [Nemo militans, &c.] respondetur negando maiorem, in qua dicitur, quòd ad habentem iurisdictionem coactiuam spectet implicari negocijs secularibus. Et ad probationem cùm dicitur; quia ad ipsum pertinet contentiones, & lites dirimere: respondetur, quòd probatio ista nihil valet; quoniam dirimere contentiones, & lites inter aliquos, maximè ecclesiasticos, & de ecclesiasticis rebus, non est implicari negocijs secularibus. Et cùm dicitur, quòd contentiones, & lites, & rixæ inter negocia secularia computantur, extrà ne cler. vel mon. secul. se immis. cap. 1. respondetur, quòd in præfato capit. benè computantur inter negocia secularia amare contentiones, vel lites: non autem lites dirimere, magna certè est differentia inter amare lites, & contentiones, quod vitij carnalitatis est, & dirimere lites, quod cha-

charitatis est, vt de se patet.

Ad octauam, quæ accipitur de Bernardo, respondetur; quòd nihil facit ad propositum; quoniam beatus Bernardus loquitur de terrenis, & secularibus causis, atque tumultuosis litibus; istis enim Apostoli non intendebant, non quia omni potestate iurisdictionis carerent, sed quia maioribus, scilicet prædicationi, & orationi essent intenti. Præterea si huiusmodi secularibus iudicijs Apostoli non intenderent; sed relinquerent huiusmodi curam hominibus inferioribus, iuxtà consilium Apostoli 1. ad Corinth. 6. [Secularia iudicia si habueritis, contemptibiles, idest sapientes minoris meriti, qui sunt in Ecclesia, constituite ad iudicandum, non propter hoc sequitur, quòd non fuerunt in alijs causis spiritualibus hominum iudices.

Ad nonam obiectionem, quæ sumitur ex dicto beati Gregorij, respondetur, quòd in nullo fauet proposito aduersariorum; quoniam licèt Gregorius dicat, quòd qui spiritualibus donis dotati sunt, non debeant negotijs secularibus implicari, sed maximè superioribus intendere: non tamen propter hoc negat tales habere iurisdictionem coactiuam simpliciter. Quod clarissimè apparet, si auctoritas beati Gregorij ex integro ponatur, ait enim sic: vt habetur in glos. 1. ad Cor. 6. Hi terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt; qui autem spiritualibus bonis ditati sunt, terrenis non debent negotijs implicari; vt dum non coguntur inferiora, bona dispositione valeant bonis superioribus deseruire, sed tamen magnopere cauendum est, vt hi, qui bonis spiritualibus emicant, nequaquam proximorum infirmantium negotia funditùs deserant; sed hæc alijs, quibus dignum est, tractanda committant, vel per se gerant. Hæc ille. Ex quibus manifestè patet, quòd aduersarij contra se habent Gregorium, & non pro se.

Ad vltimam obiectionem, quæ sumitur ex glos. 1. Cor. 6. respondetur, quòd illa glos. in nullo fauet aduersarijs, sicut supra diximus de dicto beati Gregorij, licèt enim dicat glos. illa iuxtà Apostolum: quòd ad iudicium causarum secularium, & negotiorum terrenorum non maiores, qui maioribus, & spiritualibus intendere debebant; sed alij inferioris meriti instituendi sunt; non tamen excludit à Prælatis Ecclesiæ iurisdictionem coactiuam, quod est propositum aduersariorum, vt patet manifestè. Ex quibus clarissimè confutatur error Marsilij de Padua damnatissimus dicentis, quòd nec Papa, nec etiam tota Ecclesia simul iuncta potest aliquem hominem punire punitione coactiua, nisi concedat Imperator.

CAP. XLVIII.

Quòd Romano Pontifici ab omnibus Christifidelibus parendum sit, & obediendum.

Ex his, quæ de superioritate auctoritatis, & vniuersalitate Apostolici Principatus super vniuersam Christi Ecclesiam exposuimus: manifestum habemus, quòd Romanus Pontifex cunctis de Orbe terrarum fidelibus, siue magnis, siue paruis cuiuscumque gradus, aut conditionis existant: iure diuino præcipere possit, ac quòd vniuersitas fidelium eodem iure illi in omnibus licitis, & honestis, ac iustis parendi habeat necessitatem. Sicut enim actiones rerum naturalium procedunt ex potentijs naturalibus; ità etiam operationes humanæ procedunt ex humana voluntate. Oportuit autem in rebus naturalibus, vt superiora mouerent inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatæ diuinitùs; vnde etiam oportet in rebus humanis, quòd superiores moueant inferiores per suam voluntatem ex vi auctoritatis diuinitùs ordinatæ. Mouere autem per rationem, & voluntatem, est præcipere; & ideò sicut ex ipso ordine naturali diuinitùs instituto inferiora in rebus naturalibus necesse habent subdi motioni superiorum: ità etiam in rebus humanis ex ordine iuris naturalis, & diuini tenentur inferiores suis superioribus obedire. Vnde Apostolus ad Hebr. vlt. inquit: [Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis.] Cùm autem Romanus Pontifex sit Pater Patrum, & Præpositus, & Caput omnium fidelium; sequitur, quòd ab omnibus, qui Christiano nomine gloriantur, cuiuscumque conditionis, aut status existant; diuino iure obedientia ei debetur. Sicut enim in maioribus est regendi, & iubendi potestas; ità in minoribus obsequendi necessitas, vt in cap. cùm inferiùs dist. 21. Debetur autem hæc obedientia Summo Pontifici maximè in tribus, in quibus consistit obedientia iuxtà notata in cap. 1. dist. 93. videlicet in exhibitione reuerentiæ, in mandatorum susceptione, & subiectione iudicij. Vnde beatus Cyrillus lib. Thesaurorum dicit; quòd Romano Pontifici omnes iure diuino Caput inclinant, & Primates Mundi, tamquam ipsi Domino Iesu Christo obediunt. Quocircà beatus Thomas in Tractatu, quem contra errores Græcorum edidit, dicit, subesse Romano Pontifici esse de necessitate salutis. Quod sequentibus auctoritatibus probat. Dicit enim Cyrillus lib. Thesaurorum; Itaque fratres mei, si Christum imitamur, vt ipsius oues vocem audiamus, manentes in Ecclesia Petri, non insluemur vento superbiæ, ne fortè tortuosus serpens propter nostram contentionem nos deijciat, vt Euam olim de Paradiso. Et Maximus in epistola Orientalibus directa dicit: Coadunatam, & fundatam supra petram confessionis Petri dicimus vniuersalem Ecclesiam secundùm definitionem Saluatoris, in qua necessariò salutis animarum nostrarum est manere, & ei est obedire suam seruantes fidem, & confessionem. Hanc sententiam secutus Papa Bonifacius in Decretali sua; vnam sanctam in fine dicit. Porrò subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus, definimus esse de necessitate salutis. Definitio planè Catholica, vtpotè de diuina auctoritate veniens, tantus, nempè honor, legitur de diuina dignatione Summo Pontifici esse concessus, vt quisquis ei non obtemperaret, statim necaretur. Vnde Deuteronom. 17. ità loquitur Dominus: [Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo

tem-

tempore ministrat Domino Deo tuo, & decrero Iudicis, morietur homo ille, & auferetur malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.] Vbi gloss. ordinaria ità dicit: [Christus, qui est Sacerdos, secundùm ordinem Melchisedech, Vicarios sibi instituit,] quibus ait: [Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.] Iure ergo damnationis sustinet sententiam, qui contemnit diuinitatis potentiam. Hæc gloss. Quantum autem detestandum sit, ac damnandum non obedire Romano Pontifici, ex illo colligitur 1. Reg. 15. vbi dicitur: [Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.] Vbi gloss. inquit: [Sola obedientia est, quæ fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis esse conuincitur.] Et beatus Gregorius in cap. si qui. dist. 81. ad idem sic ait: [Peccatum paganitatis incurrit quisquis, dum Christianum se esse asserit, Sedi Apostolicæ obedire contemnit.] Quocircà dicitur in cap. obedientiam, dist. 93. Obedientiam inferiores ex ordine superioribus debent; Summo enim Pontifici ea debetur ab omnibus obedientia, vt nulli liceat ei communicare, cui pro actibus suis ipse inimicus extiterit; nec in Ecclesia esse potest, qui eius Cathedram deserit. Hæc ibi. Ex quibus excluditur, vt inquit sanctus Thomas in 4. lib. contra Gentiles: error quorumdam, scilicet Græcorum, præsumptuosus, qui se subducere nituntur ab obedientia, & subiectione Petri; Successorem eius Romanum Pontificem vniuersalis Ecclesiæ Pastorem non recognoscentes. Ex quibus etiam confunditur stultitia quorumdam aduersariorum Basileensium, qui verbo, opere, & factis practicare non sunt veriti; quòd Prælati, & Clerici in Synodo congregati non tenerentur Romano Pontifici parere, aut obedire. Mira certè iudicio nostro, & à seculis inaudita phantasia, quòd oues, eo quòd in vnum locum conuenerint, desinant subiectæ esse Pastori; & Pastor ipse, & nomen pascendi, & regendi perdiderit auctoritatem; & quòd Romanus Pontifex, congregatis in Synodo Prælatis subditis suis, ipse minùs habeat in eo auctoritatis. Quis audiuit vnquam tale; quod dum filij, siue subditi, aut discipuli simul conueniunt; Pater, Prælatus, atque Magister omnium, paternitatis, prælationis, & magisterij, perdiderit dignitatem? filius subditus, atque discipulus filiorum subditorum, aut discipulorum omnium factus. Cæterùm confutatur tertiò falsitas imaginationis, qui imaginantur, licitum esse suspendere, aut subtrahere obedientiam, quandoque à vero, & indubitato Romano Pontifice, qui videntur esse similes illis, de quibus Saluator inquit, Matth. 15. [Cœci sunt, & duces cœcorum.] Planè huiusmodi suspensio obedientiæ nullo modo videtur esse licita. Tum primò, quoniam apertè est contra naturalem, & diuinam legem; vt ostendimus in cap. superiori, in qua per hominem dispensatio fieri non potest. Præcipit autem legislator Christus Iesus Matth. 23. de sedentibus super Cathedram etiam malis: [Omnia quæcumque dixerint vobis, facite.] Item ad Hebr. vlt. dicit Apostolus: [Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis.] Secundò, talis obedientiæ subtractio est illicita; cùm videatur esse sacrilega. Est enim diuinæ Maiestatis offensiua, siue læsiua, cùm enim Saluator Rex Regum dicat de Vicarijs suis: [Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.] Luc. 10. Profectò qui obedientiam subtrahit à vero, & indubitato Vicario Christi, læsor videtur Maiestatis diuinæ. Tertiò, talis suspensio, & subtractio est illicita, cùm sit contra iustitiam; cuius est reddere vnicuique quod suum est. Debent autem inferiores obedientiam suis superioribus, vt est manifestum; & habetur in principio dist. 93. vbi dicitur: Obedientiam autem inferiores ex ordine superioribus debent. Quartò, est illicita, cùm sapiat schisma, separant enim se tales ab Apostolica Sede, siue à Romano Pontifice, à quo quisque diuisus, ab Ecclesia est separatus, iuxtà beatum Cyprianum in cap. scire debes 7. q. 1. & iuxtà beatum Hieronymum in cap. hæc est fides, 24. quæst. 1. & iuxtà Papam Pelagium in cap. schisma, 24. quæst. 1. Quintò, talis subtractio, vel suspensio est illicita; cùm sit scandalosa, & mali exempli cæteris fidelibus. De cuius grauitate peccati, ait Dominus, Matth. 18. [Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis minimis, qui in me credunt; expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.] Sextò, est illicita talis obedientiæ subtractio; quoniam est damnosa, & periculosa. Incurrunt enim talis subtrahentes obedientiam pœnas, non solùm spiritualem maledictionem, quam non obedientes Patribus eorum, & subtrahentes illis honorem, & reuerentiam debitam incidunt; sed etiam pœnas, & censuras iuris, quæ per sacros Canones à sanctis Patribus huiusmodi obedientiam subtrahentibus, siue suspendentibus inferuntur. De quibus in cap. non vos, 23. qu. 5. & est Canon Chalcedonen. Concilij, qui à communione seipsum suspendit, & collectam facit, & altare constituit, & noluit vocanti Episcopo consentire, & noluit eidem acquiescere, atque obedire, habet omninò damnari, nec vnquam vel communione mereri, nec recipere eum posse honorem. Hæc ibi. Item in cap. si inimicus, in cap. miratus, in cap. qui Cathedram, dist. 93. Item in cap. nulli fas, dist. 19. vbi multa de huiusmodi. Vnde videtur, quòd sicut solum propter hæresim Papa accusari posset; ità propter solam hæresim, aut fauroriam, aut participationem prohibitam possit ab eo obedientia subtrahi; vt est casus in cap. Anastasius, dist. 19. & confirmatur per cap. Sacerdotes, 2. quæst. 7. in quo Clemens ità dicit: Sacerdotes, & reliqui Ecclesiæ Ministri, omnesque plebes, Episcopos suos diligere debent, & eorum præceptis obedire, etiam si Episcopi aliter, quod absit, agant, nisi in Fide Catholica errauerint. Hæc ibi.

CAP. XLIX.

In quo ponuntur obiectiones contra prædicta de obedientia debita Romano Pontifici; & respondetur eisdem.

ADuersarij obijciunt contra hoc; quod dictum est, quòd ab omnibus Christifidelibus cuiuscumque status, aut conditionis existant, obediendum sit Romano Pontifici.

Primò sic: Quilibet, qui tenetur alteri obedire, debet necessariò habere voluntatem præcipientis, tamquam regulam suæ actionis. Sed sola Dei voluntas, quæ semper est recta; est regula humanæ actionis. Ergo nullus tenetur obedire, nisi Deo.

Secundò: Papa potest errare, & deficere; iuxtà cap. si Papa, dist. 40. Ergo non videtur, quòd ei sit ab omnibus obediendum; sed solùm ei, qui errare, & deficere non posset.

Tertiò sic: Sicut lex vetus fuit figura nouæ legis; ità Sacerdotium vetus figura Sacerdotij euangelici. Sed Sacerdotium vetus erat subiectum Regiæ dignitati; ità quòd Sacerdotes erant subiecti Regibus; non autem è conuerso. In cuius signum dicitur, Exod. 19. [Sacerdotibus, quòd sunt Regnum sacerdotale, vbi datur intelligi, quòd potestas regalis erat principalior, & sacerdotalis minor.] Ergo videtur, quòd Summo Pontifici, qui Summus Sacerdos dicitur, non teneantur obedire Reges Christiani.

Quartò sic: Videtur, quòd sit magis obediendum Prælatis inferioribus, quàm Papæ. Probatur sic: Potestas immediata magis influit, quàm mediata. Sed potestas inferior magis est immediata, quàm superior, videtur, quòd magis obediendum sit potestati inferiori, quàm superiori; & ità plus Episcopo, aut Abbati, quàm Papæ.

Sed, istis non obstantibus, dicendum est, sicut dictum est in præcedenti cap. quòd omnes Christiani, cuiuscumque conditionis, aut status existant; tenentur obedire Summo Pontifici, & in his, in quibus obedire tenentur, priùs, & magis, quàm cuicumque alteri humanæ potestati, quòd ex superioribus notum est; & ex responsionibus ad obiecta dandis luculentiùs fiet. Ad rationes ergo in oppositum est respondendum.

Ad primam respondetur, negando minorem; videlicet quòd sola diuina voluntas sit regula humanæ actionis, dicimus enim, quòd diuina voluntas est benè prima regula, qua regulantur omnes rationales voluntates, sunt tamen aliæ regulæ secundariæ, secundùm quod sunt causæ secundariæ, mouentes inferiora: & hoc modo voluntas vnius hominis præcipientis potest esse quasi secunda regula voluntatis alterius obedientis: vndè ad Hebr. vlt. dicit Apostolus: [Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis;] quia Dominus dicit de illis: [Qui vos audit, me audit.] Sicut autem inter secundas causas moueutes est gradus; ità inter istas regulas secundarias in quantum vna magis primæ appropinquat, quàm alia, secundùm ordinem diuinitùs institutum; cuiusmodi est voluntas Summi Pontificis, qui est Vicarius principalis, & Rector omnium fidelium: vndè ei sicut supremæ regulæ post diuinam parendum est ab omnibus.

Ad secundam respondetur, negando consequentiam; quoniam licèt ex hoc, quòd Papa possit aliquando errare, & præcipere non facienda, benè sequatur, quòd ei in omnibus simpliciter obediendum non sit; non tamen ex hoc arguitur, aut sequitur, quod cùm benè præcipit, non sit ei ab omnibus obediendum. Verùm ad sciendum, in quibus obediendum sit, & in quibus non; quia vt dicit August. & habetur in cap. non semper 11. quæst. 3. non semper malum est non obedire Prælato: est notandum iuxtà S. Thom. in 2. 2. quæst. 104. artic. 5. quod dupliciter potest contingere, quòd subditus suo Superiori obedire non teneatur. Vno modo propter præceptum maioris potestatis. Vnde August. & habetur in cap. qui resistit, 11. quæst. 3. & in gloss. ad Rom. 13. dicit sic ad propositum: [Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.] Sed quid si ille iubeat, quod non debet facere; hic sanè cõtemnet, potestatem ipsos humanarum legum gradus aduertere, si aliquid iusserit curator: si tamen contra, Proconsul iubeat, non vtique contemnis potestatem, sed eligis maior; seruire, nec hic debet minor irasci, si maior Prælatus est. Rursùs si aliquid Proconsul iubeat, & aliud Imperator, numquam dubitatur, illo contempto, ipsi esse seruiendum. Ergo si aliud Imperator, aliud Deus iubeat, quid iudicatis, maior potestas Deus, contempto illo, obtemperandum est Deo. Ideò habetur in cap. si Deus iubet, & in cap. Iulianus. Et hoc est, quod habetur Act. 4. [Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus;] vbi ergo Papa iuberet aliquid contrarium sacræ Scripturæ, siue Articulis fidei, aut veritati sanctorum, aut mandatis iuris naturalis, siue diuini; ei obediendum non esset, sed talia præcipiens, despiciendus est: vnde Isidor. & habetur in cap. si quis, 11. quæst. 3. Si quis prohibeat nobis, quod à Domino præceptum est; vel rursùm imperat fieri, quod Dominus fieri prohibet, execrabilis sit omnibus, qui diligunt Deum. Et iterùm idem in sequenti cap. is, qui præest. Si præter voluntatem Dei, vel præter quod in sacris Scripturis euidenter præcipitur, vel dicit, vel aliquid vobis imperat; tamquam falsus testis, aut sacrilegus habeatur. Hæc ille. Alio modo quis non tenetur suo Superiori obedire; si aliquid ei præcipiat, in quo ei non subdatur. Dicit enim Seneca in 3. lib. de Beneficijs: Errat si quis existimat seruitutem in totum hominem descendere, pars eius melior excepta est, corpora obnoxia sunt, & ascripta sunt Dominis; mens quidem est sui iuris, & ideò quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire; sed Deo solùm. Tenetur autem homo homini obedire in his, quæ exteriùs per corpus sunt agenda; in quibusdam tamen secundùm ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solùm Deo; quia omnes homines natura sunt pares: puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem,

nem, & prolis generationem; vndè non tenentur serui Dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate seruanda, aut aliquo alio huiusmodi; sed in his, quæ pertinent ad dispositionem actuum, & rerum humanarum, tenetur subditus suo Superiori obedire, secundùm rationem superioritatis; sicut miles Duci exercitus in his, quæ pertinent ad bellum, seruus Domino in his, quæ pertinent ad seruilia opera exequenda, filius Patri, in his, quæ pertinent ad disciplinam vitæ, & curam domesticam; omnes verò Christiani Papæ in his, quæ ad religionem Christianam, & ad Cathedram pertinent consona iuri diuino, & naturali.

Ad tertiam rationem respondetur, quòd non est simile de sacerdotio veteris legis, & nouæ. Cuius ratio est tam secundum sanctum Tho. in lib. quem fecit de rege, & regno ad Regem Cypri 15. cap. secundùm Bonauenturam in 4. cap. in fine dist. 24. quæ differentia est inter nouum, & vetus testamentum, & inter comparationem sacerdotis, & regni. Quia enim vetus testamentum erat adhuc carnalium, & carnaliter viuentium: ideò potestas sæcularis erat principalior, & sacerdotalis potestas erat minor. Et ideò signanter dicebatur in lege, regnum sacerdotale, quia sacerdotium pendebat ex regno. Sed è contra in noua dicitur 1. Petri 2. [Regale sacerdotium, quia principalius est nunc sacerdotiũ, quàm regnum, & potestas spiritualis, quã tẽporalis, siue carnalis:] sic enim competebat statui gratiæ.] Hæc dominus Bonauentura.

Ad quartam rationem respondetur, quòd sanctus Tho. & Dominus Bonauentura notant in fine secundi sententiarum, quòd potestas superior, & inferior dupliciter se possunt habere.] Aut ità, quòd inferior potestas ex toto oriatur à superiori, & tunc cum virtus tota inferioris fundatur in virtute superioris, simpliciter in omnibus est magis obediendum superiori, quàm inferiori, sicut etiã in naturalibus, causa prima plus influit super causatum causæ secundæ, quàm etiam ipsa causa secunda, vt in lib. de causis dicitur, & sic se habet potestas Dei ad omnem creatam potestatem: sic etiam se habet potestas Imperatoris ad potestatem proconsulis; sic etiam se habet potestas Papæ ad omnem spiritualem potestatem in Ecclesia, quia ab ipso Papa gradus dignitatum diuersi in Ecclesia, & disponuntur, & ordinantur; vndè eius potestas est quoddam Ecclesiæ fundamentum, vt patet Matth. 16. & ideò in omnibus magis tenemur obedire Papæ, quàm Episcopis, vel Archiepiscopis, vel etiam Monachus Abbati absque vlla distinctione. Potest iterum potestas superior, & inferior ità se habere, quòd ambę oriantur ex vna quadam suprema potestate, quæ vnam alteri subdit secundùm quòd vult, & tunc vna non est superior altera, nisi in illis in quibus vna supponitur alteri à suprema potestate: & in illis est tantum magis obediendum superiori, quàm inferiori. Et hoc modo se habent potestas Episcopi, & Archiepiscopi descendentes à Papæ potestate. Et ità patet responsio ad rationem, quòd etiam dicebatur, quòd potestas inferior esset magis immediata, falsum est; imò potestas Papæ cum sit causa potestatis inferioris, cùm ab ea emanet, & descendat, magis est immediata, quàm inferior, vt patet ex dictis. Vndè vt sanctus Thomas dicit in tractatu contra impugnantes Religionem: Papa habet immediatam iurisdictionem in omnes Christianos, quia Romana Ecclesia, nullis synodicis constitutionibus, cæteris prælata est Ecclesijs: sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris sui primatum obtinuit: vt habetur in decretis dist. 22. quamuis colligitur etiam in cap. per principalem 9. quæst. vltima.

CAP. L.

De errore dicentium, quòd non sit obediendum statutis Papalibus.

SAtis facilè intelligere ex iam dictis est, quàm longè à veritate, & à statu salutis oberrent, qui dicunt non esse obediendum statutis Papalibus. Contrà quod præter ea, quæ in superioribus dicta sunt, est Leo Papa, qui ità in cap. hoc dist. 11. ait: Hoc vestræ indicimus charitati, vt ab Apostolicis institutis nullo vlterius recedatis excessu, quia inultum post, hoc esse non poterit, si quisquam Apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas. Item est beatus Gregorius in cap. præceptis dist. 12. ità dicens: Præceptis Apostolicis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam, quæ à sancta Romana Ecclesia, & Apostolica auctoritate iussa sunt, salubriter impleant, si eiusdem sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est caput nostrum, communionem habere desideratis. Item Pius Papa omnibus Ecclesijs scribens, sic inquit: Instruimus vos Apostolica auctoritate omnes eadem seruare debere, quæ & nos seruamus, nec debetis à capite quoquo modo diffidere; Christus enim hanc Apostolicam Sedem omnium ecclesiarum caput esse præcipit, ipso dicente principi Apostolorum Petro: [Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.] Hæc ille.

Item ad idem est beatus Calixtus Papa, qui omnibus Episcopis scribens, ità ait in cap. non decet dist. 12. Non decet à capite membra diffidere, sed iuxtà sacræ Scripturæ testimonium, omnia membra caput sequantur. Nulli enim dubium est, quod Apostolica Ecclesia mater sit omnium ecclesiarum: à cuius regulis nullatenùs conuenit deuiare. Hæc ille. Item in cap. si quis dogmata 22. quæst. 2. Nicolaus Papa vniuersali. Synodo præsidens ità ait: Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholica fide, & Ecclesiastica disciplina, pro correctione imminentium, vel futurorum malorum à Sedis Apostolicę præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.

Pręthereà dicere, quòd fideles non teneantur Apostolicæ Sedis mandatis, siue constitutis obedire, sit erroneum, siue hæreticum, patet: quia hoc ipso negant Romanum Pontificem esse caput, ac rectorem, siue pastorem Ecclesiæ: quod, vt in superioribus monstratum est, Euangelio contradicit, & per consequens hæreticum. Vnde sanctus Tho. in probatio-

batione huius in tractatu contrà impugnantes religionem ait sic: Dicitur in decretis dist. 22. in cap. omnes. Qui autem Romanę Ecclesię priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum, auferre conatur: hic proculdubio in hæresim labitur. Et infrà: Fidem quidem violat, qui aduersùs illam agit, quæ est mater fidei. Hoc autem priuilegium Christus Romanæ Ecclesiæ contulit, vt omnes illi, sicut Christo obediant. Vnde Cyrillus lib. thesaurorum: Vt membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes pro omnibus; quoniam ipsius solum est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, soluere, & loco eius ligare, qui ipsum ædificauit, & nulli alij, quod suum est plenum: sed ipsi soli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tamquam ipsi domino Iesu Christo obediunt. Vnde patet, quòd quicumque dicit non esse obediendum in his, quæ per Papam instituuntur, in hæresim labitur. Hæc sanctus Thomas. Ex his manifestè patet, quàm rationabiliter in Concilio Constantiensi damnatus fuit error ille Io. Hus dicentis, quòd obedientia Ecclesiastica est obedientia secundùm adinuentionem sacerdotum Ecclesiæ præter expressam auctoritatem scripturæ.

CAP. LI.

De rationibus, propter quas successoribus Petri Romani Pontifices magis per electionem, quam per carnis successionem, aut institutionem prædecessoris ad Pontificatum assumuntur.

QVam conuenientissimum fuerit, vt hi, qui beato Petro in Pontificatu in Ecclesia successuri erant per electionem, & non per carnis successionem, aut institutionem prædecessoris assumerentur, ex multiplici capite colligere possumus.

Primò hoc conuenientissimum fuit, quoniam sicut ait Apostolus ad Hebr. 7. translato sacerdotio, necesse est, vt etiam legis translatio fiat, ità necesse fuit, vt etiam forma determinationis personę in summo Sacerdotij Pontificatu transmutaretur. In sacerdotio autem legali determinatio personæ assumendæ ad Pontificatum fiebat per successionem originis, siue carnis, quoniam soli de stirpe Aaron descendentes succedebant Aaron in Pontificatu, sicut habetur Exod. 28. Decuit ergo, vt huiusmodi forma, translato sacerdotio, transferretur in aliam, vt iam non per carnis originem, sed per electionem assumptio fieret personæ ad Pontificatum. Hinc est, quod Dominus, & Saluator noster Iesus Christus Sacerdos, & Pontifex summus, non ex leui, cui debebatur sacerdotium, sed ex Iuda, cui de sacerdotio nihil pertinebat, carnem assumpsit. Et hoc est, quod Paulus Apostolus ad Heb. 7. designat dicens. In quo enim hæc dicuntur, scilicet, Christo Iesu de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit. Manifestum est enim, quod de Iuda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.

Secundò conuenientissimè fuit, scilicèt, propter spiritualitatem Euangelici sacerdotij, cuius sanè principatus, qui summus est, non carni, sed vitæ meritò debetur. Hanc rationem videtur tangere beatus Hieronymus in cap. Moyses 8. quæst. 1. Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem locutus est Dominus, potuit vtique successores principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem, sed extraneus ex alia tribu eligitur Iesus, scilicet, Iosue, vt sciremus principatum in populum, non deferendum esse sanguini, sed vitæ.

Tertiò huiusmodi conuenientia colligitur ex vniuersalitate Euangelici Sacerdotij. In hoc enim cùm nulla sit differentia tribuum, aut nationum, sed vt dicit Apostolus ad Galat. 3. Quicumque baptizati estis, Christum induistis, non est Iudæus, nec Græcus, non est seruus, nec liber. Et ad Coloss. 3. Vbi non Gentilis, & Iudæus, circumcisio, & præputium, barbarus, & scita, seruus, & liber, sed omnia, & in omnibus Christus. Si autem per successionem carnis assumeretur Pôtifex, numquam posset indifferenter assumi de omni natione aliquis ad Pontificatum sacerdotalem Euangelicum, sed de vna natione, aut tribu, quòd vniuersalitati Euangelici sacerdotij minimè conueniret.

Quartò, conuenientia huius colligitur ex qualitate vitæ, & sanctimoniæ, quæ requiruntur in assumendo ad summum Pontificatum. Oportet enim principem esse optimum, & perfectum virtute: vt dicitur 2. Ethic. & vt Hieronym. habet super Leuit. & habetur in cap. licèt 8. quæst. 1. quòd qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior eligendus est. Per illam ergo viam melius est assumi vniuersalis Ecclesiæ principem, per quam conuenit meliorem inueniri. Sed huiusmodi via est electio, quæ sequitur rationis maturam deliberationem, cùm sit conclusio Concilij, vt dicitur 3. ethic. Ergo meliùs est assumi principem, & rectorem in Ecclesia per electionem, quàm per originis successionem.

Quintò sic. Quoniam periculosum valdè est rem maximam fortunæ committere. Principatus autem, & potissimè Ecclesiasticus cùm maximus sit, committere illum fortunæ, periculosum esse nemo ambigit. Sed hoc contingere videtur, cùm princeps assumitur per successionem generis, cùm non sit necessarium, quòd bono bonus succedat: imò quandòque stultos sapientibus, & sceleratissimis virtuosos succedere videamus.

Sextò conuenientia ista colligitur, ex vtilitate Christiani populi, cui præficitur, cuius sanitas multum pendet ex bonitate capitis, & rectoris, iuxtà cap. si Papa dist. 40. Sed certiùs prouidetur populo de vtili pastore, & accommodo, per viam electionis, quàm successionis carnis, vt manifestum est. Ergo con-

conuenienter per electionem prouidetur de Romano Pontifice.

Septimò hoc arguitur conuenientissimum: quoniam rationi naturali consonum videtur, quia nullus videtur iustè præesse alicui multitudini, nisi de eius consensu, aut superioris ordinatione, aut prouisione. De primo dicit Leo Papa: Nulla ratio sinit, vt illi inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti dist. 23. in nomine Domini. De secundò patet, quia ex quo aliquis ordinariè præsidet alicui multitudini iure suo, potest ponere super eam, quem vult in adiutorium sui, & vice, & loco sui, quamdiu præest. Christus autem Ecclesiæ suæ immediatè non prouidit, nisi de Petro, vndè per consequens, quia non prouidit de persona nominatim successoris Petri Ecclesiæ electionem dimisit, prout videtur haberi in cap. electionem dist. 79. hanc; vbi sic Anacletus Papa inquit; Electionem verò summorum Pontificum, vel sacerdotum sibi Dominus reseruauit, licèt electionem eorum bonis sacerdotibus, & spiritualibus populis concessisset. Vndè de iure naturali, & quasi diuino videtur esse, quòd Papa non faciat sibi successorem; nec post mortem, nec post resignationem, quando non præest, licèt quamdiù viuit Papa, possit loco sui ponere legatos, & Vicarios, vbi vult, & sicut vult. Sic ergo patet, quòd tam iure diuino, quàm naturali consonum esse videtur, quòd ex electione vniuersalis Ecclesiæ, vel illorum, ad quorum de consensu vniuersalis Ecclesiæ translatum est ius eligendi, sicut hodiè sunt Cardinales, vt in cap. in nomine Domini dist. 23. & 79. cap. 1. fiat Papa, siue assumatur summus Pontifex. Quia verò contingere posset discordia inter Cardinales, ideò vt non omnes simul concurrerent ad aliquem vnum eligendũ, ordinatum est in Concilio vniuersalis Ecclesiæ, vbi præfuit Alexander Tertius, quòd à duabus partibus concorditer electus haberetur pro Romano Pontifice, vt in cap. licèt de elect.

Ex quibus manifestè apparet stultitia erroris Ioannis Wicleff dicentis, quòd electio Papæ à Cardinalibus, per diabolum sit introducta.

Cæterum, quòd nec conueniat assumi aliquem ad Pontificatum per institutionem prædecessoris, potest colligi ex aliquibus.

Primò ex fallibilitate humani iudicij, periculum enim valdè est, vt ex vnius hominis iudicio, qui errare potest, & falli, & fallere, summi Pontificis institutio penderet. Christus autem, qui Deus, & homo est, cum in suo iudicio falli non possit, nec fallere, benè congruit, vt ipse, non concurrente aliorum iudicio, Pontificem in Ecclesia per seipsum institueret, atque ordinaret: quemadmodum beatum Petrum fecit. Quia verò alij homines falli, & fallere possunt, nisi à Deo Spiritu sancto sint confirmati: vt errare non permittantur, ad omnem errorem euitandum conueniens fuit, vt post Petri mortem quicumque promouendus esset in Ecclesiæ pastorem, aut principem, plurimorum discretorum maturo iudicio concurrente, per electionem assumeretur. Nec obuiat huic, quòd beatus Petrus successorem legatur instituisse, scilicèt Clementem, vt in cap. Petrus 8. q. 1. habetur. Tum quia Petrus ita plenus erat Spiritu sancto, vt in iudicio de aptitudine beati Clementis ad Pontificatum inter omnes alios non falleretur. Tùm secundò, quia cùm vt ait historia, & habeatur in cap. præfato, Petrus in auribus totius Ecclesiæ Clementem instituerit, & ità omnium consensu interueniente, videtur, quòd ipsa Clementis institutio fuerit etiam per modum electionis, nam ad consensum cleri, & populi consueuit antiquitus fieri electio, dist. 43. cap. quanto, & cap. plures. Verùm quia non omnes successores Petri futuri erant tales, qualis Petrus fuit: forma ista prouidendi de successore poterat esse futuris exemplo perniciosa, sancti Patres ordinarunt, vt nulli liceret successorem sibi constituere. Hinc beatus Clemens intelligens hoc posteris futurum fore perniciosum exemplo, quòd aliquis sibi successorem eligeret, renunciasse dicitur papatui, & electus fuit Linus, vt habetur in glos. cap. si petrus 8. quæst. 1. in §. his omnibus; vbi vt dicitur, illud beati Petri Apostoli ab illis valeat in argumentum sumi; qui talem sibi substituerunt, qualem sibi successorem beatus Petrus quæsiuit, verùm quia officium non vitæ, sed sanguini cœpit deferri ad Episcopum, tales quisque successores quærere cæpit, qui vel odiosi populis, vel à plebe docendi inuenirentur. Idcircò in sacris Canonibus constitutum est, ne quisquã sui officij quærat sibi successorem: sed populi electione quæratur, qui eorum vtilitati dignè deseruiat, qui illorum vtilitatem non sua lucra quærat, qui Christo vellet semen suscitare, non sibi diuitias congregare, quod qui facere contempserit ab Ecclesia repudiatur. Hæc ibi. Tertiò conueniens fuit, vt per electionis viam assumeretur Petri successor ad Pontificatum propter populi testimonium, quod in pastore eligendo conuenientissimè præexigitur, Apostolo Paulo dicente primò Timotheo tertio. [Oportet Pastorem testimonium bonum habere ab his, quæ foris sunt. Super quo verbo dicit beatus Augustinus. Non solùm oportet Pastorem habere testimonium à domesticis, verùm etiam ab alienis Iudæis, gentibus, & hæreticis, vt qui detrahunt religioni, salutem vitæ eius detrahere non audeant. Hoc autem cum meliùs inquiratur, & inueniatur hominum electione, quàm alia via, videlicèt, aut successione carnis, aut institutione prædecessoris, consequens est, vt conuenientissimè Petri successores assumantur per viam electionis, quam aut successionis carnis, aut institutionis prædecessoris.

CAP.

CAP. LII.

Quòd Romanus Pontifex habeat plenitudinem potestatis in Ecclesia Dei; & explicantur 15. in quibus maximè illa ostenditur.

CÆterum considerata benè Principatus amplitudine, ad quem Romanus Pontifex assumptus est, & multitudine, ac varietate rerum, in quibus per eum vniuersitati fidelium prouidere occurrit; necesse habemus confiteri, quòd Romanus Pontifex, cui vniuersalis Ecclesiæ cura commissa est, in plenitudinem potestatis sit à Christo euocatus. In omni enim communitate benè recta, oportet apud supremum residere plenam potestatem se extendentem ad omnia necessaria, & euidenter expendentia bono Reipublicæ illius communitatis. Cùm ergo Papa sit supremus in communitate totius Christianitatis, vtpotè caput, & rector omnium fidelium, sequitur, quod apud illum plenitudo resideat potestatis extendens se ad omnia necessaria, & expedientia saluti Reipublicæ Christianæ. Quod etiam sanctorum Patrum testimonijs clarissimè ostenditur. Dicit enim beatus Cyrillus Alexandrinus Patriarcha in lib. thesaurorum: Sicut Christus accepit à Patre Dux sceptrum Ecclesiæ gentium, ex Israel egrediens super omnem Principatum, & potestatem, & super omne quodcumque est, vt ei genua cuncta curuentur, sic & Petro, & eius successoribus plenissimè commisit. Item beatus Chrysost. ad consulta vulgarorum in persona Christi loquens, ita ait: Ter interrogo an me diligis, quia ter me trepidus, & timidus negasti, nunc autem reductus ne credant te fratres, gratiam, & clauium auctoritatem amisisse, quia amas me, coram ipsis iam tibi confirmo, quod meum est plenum. Item Innocentius Tertius in Concilio generali præsidens vt in cap. cùm ex eo extrà de pœnit. & remiss. dicit: Cùm Romanus Pontifex, qui plenitunem obtinet potestatis, &c. Vbi considerandum, quòd plenitudo ista potestatis, quam in Romano Pontifice esse dicimus, non est ita simpliciter intelligenda, sicut est illa supremæ auctoritatis, quæ Deo Omnipotenti attribuitur, apud quem non est impossibile omne verbum Luc. 1. vt patet, nec est illa plenitudo potestatis excellentiæ, quam prædicamus in Christo, vt etiam patet. Pro quo notandum, quod vt inquit sanctus Thomas in 4. sententiarum dist. 15. quæst. 3. artic. 1. quòd ministri Ecclesiæ instituuntur in Ecclesia Diuinitùs fundata, & ideò institutio Ecclesiæ præsupponitur ad operationem ministrorum, sicut opus creationis ad opus naturæ. Quæ institutio Ecclesiæ consistit in fide, & Sacramentis, & ideò ad ministros Ecclesiæ, nec nouos articulos fidei edere; nec editos remouere, nec noua Sacramenta instituere, nec instituta remouere pertinet, sed hæc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum. Et ideò sicut Papa non potest dispensare, vt aliquis sine baptismo saluetur ita nec quod saluetur, sine confessione, secundùm quòd obligat ex vi Sacramenti. Hæc sanctus Thomas. Sed plenitudo potestatis, quæ ponitur in Papa est plenitudo potestatis ministerialis, quanta scilicèt necessaria est ad regimen vniuersalis Ecclesiæ, & salutem fidelium procurandam: sicut dicimus, quòd plenitudo scientiæ, siue omnis notitia veritatis est à Christo Ecclesiæ promissa Ioann. 16. vbi dicitur. [Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,] quod non est accipiendum ita vniuersaliter, quòd quicquid scire posset ab homine, reuelandum foret Apostolis, sed omne illud, quod nobis ad salutem erat necessarium, vndè gloss. super verbo: Omnem veritatem, dicit, saluti necessariam. Ampliùs considerandum est, quòd plenitudo potestatis in Romano Pontifice ostenditur in multis, de quibus inducemus 15. tantum ad præsens.

Primò quidem ostenditur plenitudo potestatis Romani Pontifici ex his, ex quibus excellentia Papalis dignitatis, siue Principatus nobis figuraliter describitur. Beatus autem Bernardus describens nobis excellentiam dignitatis Papalis lib. 2. de consideratione ad Eugenium, ita inquit. Tu quis es, tu Sacerdos magnus, Pontifex Summus, Princeps Episcoporum, hæres Apostolorum, Primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Hæc ille. Ex qua admiranda descriptione luce clariùs, patet Romanum Pontificem in plenitudine potestatis, de qua diximus, esse vocatum.

Secundò ostenditur plenitudo potestatis in Romano Pontifice in extensione Principatus sui, extenditur enim in totum Orbem terrarum, nullus enim fidelis in toto Orbe Christiano eximitur ab eius Principatu. Quod manifestè ex superioribus patet, maximè ex illo Ioann. vlt. Simon Ioannis [Pasce oues meas, inter oues, illas, & istas non distinguens: sed vniuersas oues illi commendans,] vt exponit Chrysost. De qua Principatus vniuersalitate beatus Chrysostomus super Act. Apostolorum, ita inquit: Petrus à Filio super omne, quod est filij, potestatem accepit: non vt Moyses in gente vna, sed in vniuerso Orbe.

Tertiò plenitudo potestatis in Romano Pontifice ostenditur in potestate clauium in foro conscientiæ. Extenditur enim potestas clauium in eo ad omnia loca, ad omnes personas, ad omnes casus. Vndè gloss. super illud Matth. 16. [Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque, &c.] dicit. Quia Christum Petrus præ cęteris maiori deuotione confessus est, meritò prę cęteris ipse collatis clauibus donatus est. Sequitur infrà in gloss. [Quodcumque ligaueris super terram;] idest, quemcunque indignum remissione iudicaueris, dum viuit, indignus apud Deum iudicabitur, & quodcumque solueris, idest, quemcunque soluendum iudicaueris, dum viuit, remissionem peccatorum consequetur à Deo. Hæc gloss. quæ dicitur Rabani, siue Beda.

Quartò plenitudo potestatis ostenditur

in clauibus iudiciariæ potestatis in foro exteriori. Valet enim de omnibus personis Orbis Christiani cuiuscumque status, aut conditionis existant, iudicare, est enim iudex totius Ecclesiæ. Vndè in cap. Episcopo 9. quæst. 3. dicitur. Ecclesia Romana sua auctoritate valet iudicare de omnibus. Item Pelagius in cap. cuncta, inquit, Apostolica Sedes de omni Ecclesia habet Cephas iudicandi, & per consequens mala, quibus homines à Deo auertentur, correctionis disciplina de medio tollere, & eradicare. Vnde in figuram Romani Pontificis videtur esse dictum illud Hierem. 1. vt testatur Innocentius Tertius in cap. solit. extra de mand. & obed. qui cum fuerit de Sacerdotibus Anatoch, & interpretatur excelsus Domini, significat Summum Pontificem, qui in Ecclesia Dei est celsior cæteris, vt puta Generalis Vicarius Christi. Ecce constitui te super gentes, & regna, vt euellas glos. idest mala: & destruas, & disperdas gloss. interlin. ragna diaboli, ædifices gloss. idest Ecclesiam, & plantes, idest bona. Cùm enim Romanus Pontifex caput totius Christianæ communitatis Princeps existat, eius non tantum est promouere ea, & ordinare, quæ ad bonum Reipublicæ, & consecutionem supernæ beatitudinis, quæ finis vltimus Christianorum est, conferunt, sed ea tollere, & submouere prohibendo, & corrigendo, quæ ad motionem ad talem finem fideles impediunt. Vndè Alexander Tertius in cap. cùm, & plantare, extra de priuil. ita inquit: Cùm plantare sacram religionem, & plantatam fouere modis omnibus debeamus, numquam hoc meliùs exequimur, quàm si nutrire ea, quæ sunt recta, & corrigere, quæ perfectum virtutis impediunt, commissa nobis auctoritate curamus. Hæc ille. Quocirca Innocentius Tertius in cap. nouit. extra de iudic. dicit: Nullus, qui sit sanè mentis, ignorat, quoniam ad officium nostrum expectet de quocumque mortali crimine corripere quemlibet Christianum, & si correctionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coercere. Hæc ille.

Quintò, plenitudo potestatis Romani Pontificis ostenditur in depositione Episcopoporum. Vndè beatus Bernardus in epistola quadam ad Eugenium Papam, pro Episcopo Eboracensi intruso dicit. Peremptoriam sententiam dare ad depositionem Episcoporum solius Romani Pontificis noscitur esse. Pro eo nimirùm, quòd etsi alij vocati sunt in partem sollicitudinis, solus ipse plenitudinem habet potestatis. De hoc etiam idem Bernardus in lib. de consideratione inquit, quod supra diximus in cap. 17.

Sextò, plenitudo potestatis Romani Pontificis ostenditur in hoc, quòd eius potestas à nulla potestate humana exceditur: vel superatur, sed ipsa omnem aliam excedit, & superat. De Ecclesiastica potestate patet, quoniam vt ait Iulius Papa in cap. nolitè errare distinct. 11. In Sede Petri Dominus totius Ecclesiæ Principatum posuit. De potestate terrena, siue seculari patet etiam, & diffusè ex dictis in primo lib. cap. 92. Ait enim ad propositum Gregorius Nazianzenus scribens Imperatoribus Constantinopolitan. vt in cap. suscipitis distinct. 10. habetur. Lex Episcopi Sacerdotali vos subijcit potestati, atque istis tribunalibus vos subdit, dedit enim nobis potestatem, dedit Principatum multò perfectiorem Principatibus vestris: an numquid iustum vobis videtur, si cedat spiritus carni si à terrenis cœlestia superentur, & diuinis perferantur humana? q.d. non.

Septimò, plenitudo potestatis ostenditur in hoc, quod non arctatur eius potestas ad hoc, vt semper seruato ordine inferiorum potestatum operetur, sed potest mediantibus illis, vel illis intermissis, immediatè in quemcumq; Christianum operari, vt immediatus ordinarius Pastor, & Prælatus, quandò viderit expedire, vt ex illo vltim. cap. extra de foro compet. apertè colligitur. Vndè S. Thom. in tractatu contra impugnantes religionem inquit. Papa habet iurisdictionem immediatam in omnes Christianos: quia Romana Ecclesia nullis Synodicis institutis Prælata est, sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri Primatum obtinuit in cap. quamuis dist. 21. In hac autem parte similitudinem quamdam habet Omnipotentis Dei, qui mediantibus secundis causis operatur multa, quæ se ipsum facere potest, & aliquando prætermisso regularum causarum ordine, operatur. Propter quod Innocentius Tertius in cap. antiqua extra de priuil. dicit. Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias Ecclesias ordinariæ potestatis obtinet Principatum, vtpotè mater vniuersorum fidelium, & magistra.

Octauò, plenitudo potestatis Romani Pontificis ostenditur in exemptione inferiorum Prælatorum à superiori, vt Abbatum ab Episcopo, vel Episcopi ab Archiepiscopo, vel subditorum à suo priori, sicut monasteria & capitula ab Episcopis, quæ exemptio fit à Romano Pontifice. De quo Bernard. lib. 3. de consideratione. Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis: Archiepiscopi Patriarchis, siue Primatibus, bona ne species hæc est. Nimirùm si excusari queat, vel opus sit faciendũ, probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed iustitiæ fortè, non ita facitis hæc; quia potestis, sed vtrùm debeatis, quomodò est. Hæc ille.

Nonò, plenitudo potestatis Romani Pontificis ostenditur in hoc, quod non ligatur legibus à se factis, aut etiam sacrorum Conciliorum Canonibus, sed potest ex plenitudine potestatis super ius, & leges positas facere, & in Canonibus Conciliorum iuxta temporũ opportunitatem, aut locorum, & personarum conditiones dispensare. Vnde vt dicitur in §. is autem 24. quæst. 5. Romana Ecclesia ius, & auctoritatem sacris Canonibus impartitur, sed non eis ligatur. Idem in cap. significasti extra de elect. Propter quod Innocentius Tertius extra de concess. præben. in cap. proposuit dicit. Nos secundùm plenitudinem potestatis de iure possumus supra ius dispensare. Cui sententiæ beatus Thomas in quodlibeto art. 13. alludens ita dicit. Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, & ita quæcumque sunt constituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ Prælatos, sunt dispensabilia à Papa, hæc enim sunt, quæ dicuntur esse iuris humani, siue positiui. Circa verò ea, quæ sunt iuris diuini, vel naturalis, dispensare non potest

quia ista habent efficaciam ex institutione diuina.

Decimò, plenitudo potestatis Romani Pontificis ostenditur in dispensatione actionum humanarum, puta votorum, & iuramentorum. Vndè S. Thomas in 4. dist. 38. qu.4. quærens, vtrùm quilibet Prælatus in votis possit dispensare, dicit sic. Plenitudo potestatis in dispensando residet penès Summum Pontif. alij autem participant de hac potestate quantùm eis concessum est, & in 2. 2. q.88. art. vlt. dicit, quòd quia Summus Pontifex gerit plenariè vicem Christi in tota Ecclesia, ipse habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis.

Vndecimò, plenitudo potestatis in Romano Pontifice ostenditur in administratione, & dispensatione rerum Ecclesiasticarum. Alij autem Prælati, & Collegia habent potestatem coarctatam in administrando, & dispensando res suas, & transferendo dominiū ipsarum, obligando, & alienando, quia nonnisi ex certis causis, & cum certis solemnitatibus iure possunt res Ecclesiæ alienare, sicut patet extra de rebus Eccles. non alienand. Papa verò in istis solus sine consensu etiam cuiuscumque, & sine solemnitatibus potest res quascumque cuiuslibet Ecclesiæ alienare, & alienando, dominium transferre; dùm tamen hoc faciat ex iusta causa. Vndè Hadrianus Papa omnes Ecclesias, etiā Romanam, submisit Carolo, & eius successoribus quo ad temporalia; de quibus per Imperatorem deberent inuestiri. Et hoc confirmat Leo Papa Othoni, & eius successoribus, vt habetur in cap. Hadrianus dist.63. vbi D. Archidiaconus narrando varios modos dicendi, ità inquit; [Alij dicunt, quòd hoc fecerint Apostolici ex plenitudine potestatis, sicut decimas aliquibus Regibus concesserunt, quòd alius concedere non posset.] Hæc ille.

Duodecimò, plenitudo potestatis Romani Pontificis ostenditur in hoc, quòd, vt dicit sanctus Thomas in 3. dist. 72. quæst.11. quòd quædam sunt superiorum ordinum, quæ potest Papa committere inferioribus quibusdam, sicut Presbyteris; sicut concedit conferri minores ordines, quòd pertinet ad potestatem Episcopalem. Ex qua etiam plenitudine potestatis, vt idem sanctus Thomas ibidem dicit: [Beatus Gregorius concessit, quòd simplices Sacerdotes conferrent Sacramentum Confirmationis, vt in cap. Peruenit habetur dist.95.

Decimotertiò, plenitudo potestatis Romani Pontificis, ostenditur in dispensatione thesauri Ecclesiæ: quoniam ipse solus, vtpotè Christi principalis Vicarius, & dispensator dat plenariam indulgentiam, & omni homini Fideli de toto Mundo. Vndè sanctus Thomas in 4. distinct. 20. dicit sic: [Papa habet plenitudinem Pontificalis potestatis, quasi Rex in Regno; sed Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi Iudices singulis Ciuitatibus præpositi.] Et ideò potest facere indulgentias, prout vult, causa tamen existente legitima. Sed in Episcopis est taxata, secundùm ordinationem Papæ.

Decimoquartò, plenitudo potestatis Romani Pontificis ostenditur in hoc, quòd dispositio totius Ecclesiastici ordinis quoad dignitates Ecclesiasticas, tamquàm ad principalem Architectorem in Templo Domini; & dispensatio beneficiorum, tamquàm ad seruum, quem constituit Dominus super familiam, vt det illis tritici mensuram, pertinent ad Romanum Pontificem. Nàm extrà, de præbend. lib.9. cap. licèt, dicitur: quòd dispositio Ecclesiarum, & omnium beneficiorum Mundi ad Sedem Apostolicam noscitur pertinere. Et in cap. Si duobus, extrà, vt lit. penden. in Clementina dicitur; & est diffinitio Viennen. Concilij, quòd ad Romani Pontificis potestatem pertinet Ecclesiarum personarum dignitatum, aliorumque beneficiorum plena, & libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine.

Decimoquintò, plenitudo Romani Pontificis ostenditur in Canonizatione Sanctorum, quæ ad solum Romanum Pontificem, vt ad Iudicem, & Principem vniuersæ Ecclesiæ cùm plenitudine potestatis præsidentem, pertinet, vt dicunt Doctores, & colligitur extrà de reliquijs, & veneratione Sanctorum cap.1. & 2. Et hæc de illis, in quibus amplitudo Principatus Summi Pontif. ac plenitudo potestatis Apostolicæ Sedis attendatur, ad præsens dixisse sufficiat. Quorum autem debitor existit Romanus Pontif. ex tanta amplitudine dignitatis, & potestatis, declarat deuotus Bernardus in lib. 4. de consideratione ad Eugenium, ità dicens: [De cætero te esse opportere, considera formam iustitiæ, sanctimoniæ specimen pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, Doctorem gentium, Christianorum Ducem, amicum Sponsi, Sponsæ Paranymphum, Cleri Ordinatorem, Pastorem plebium, Magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum Aduocatum, Ministrorum spem, Tutorem pupillorum, Iudicem viduarum, oculus cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potestatum, malleum Tyrannorum, Regum patrem, legum moderatorem, Canonum dispensatorem, sal terræ, Orbis lumen, Sacerdotem Altissimi, Christi Vicarium, Christum Domini, & postremò Deum Pharaonis.] Hæc ille. Quæ omnia rectè etiam plenissimam, & amplissimam insinuant in Romano Pontifice potestatem. Ex his clarissimè confunditur error dicentium Romanum Pontificem non habere in Ecclesia plenitudinem potestatis; qui, vt sanctus Thomas ponit in tractatu contra Græcos, contra vnitatem Ecclesiæ errant.

CAP. LIII.

Quòd solus Romanus Pontifex in Ecclesia Dei habeat plenitudinem potestatis.

Ostenso, quòd Romanus Pontifex plenitudinem habeat potestatis, iàm quòd ipse solus in Ecclesia Dei huiusmodi potestatis habeat plenitudinem, delucidandum est. Quòd licèt satis apertè ex superioribus posset intelligi, ex quibus Primatum eius demonstrauimus; nihilominùs hoc pro amplio-

pliori notitia auctoritatibus, & rationibus comprobabimus.

Et primò quidem colligitur ex illo, quòd Dominus ad solum Petrum ait, Luc.5. [Duc in altum, & laxate retia vestra.] Vbi Gloss. ità dicit: [Alijs imperatur, vt laxent retia; soli Petro dicitur, [duc in altum,] idest in profundum disputationum.]

Secundò ex illo, quòd Matth.17. [Dominus soli Petro iubet hamo piscari.] Super quo beatus Ambrosius dicit; & habetur in cap. Est aliud distinct. 24. quæst.1. Est aliud piscandi genus, quo genere solùm Petro piscari Dominus iubet, dicens: [Mitte hamum, &c.] Vbi Glossa dicit: [Per hamum, intellige iurisdictionem, qua Petrus præfuit alijs: hoc genere piscandi, solus Petrus piscatur, quia habet potestatem ligandi, & soluendi præ alijs.] Hæc Glossa.

Tertiò, idem testatur beatus Cyrillus in libro thesaurorum, ità dicens: [Sicut Christus à Patre accepit ducatum, & sceptrum Ecclesiæ gentium super omnem principatum, & potestatem, & super omne quodcumque est, vt ei genua cuncta curuentur plenissimam potestatem; sic & Petro, & successoribus eius plenissimè commisit.] Et infrà: [Nulli alij, quàm Petro, quòd suum est plenum, sed ipsi soli dedit.] Hæc Cyrillus.

Quartò, huius rei testis illustris est beatus Chrysostomus super illud Matth. 16. [Tibi dabo claues, &c.] ita dicens: Sicut Filius à Patre veniens, ad salutem omnium mittitur cum potestate plena super omnes, sic à Christo Petro, & eius Ecclesia ad salutem omnium mittitur cum potestate omni super omnes, quod nulli hominum credimus esse concessum.

Quintò; hoc idem attestatur beatus Leo Papa in cap. multum 3. qu.6. & B.Gregor. in cap. decreto, & Iulius Papa in c. qui se scit 2. quæst.6.

Sextò, ad idem est beatus Bernardus, qui vt in superiori cap. inductum est, in quadam epist. ad Eugenium Papam apertissimè profitetur, quod solus Romanus Pontifex habet plenitudinem potestatis.

Septimò, ad idem est beatus Thomas, qui sæpè hoc repetit, vt in superioribus patet.

Consequenter hoc idem rationibus ostendamus.

Primò sic: Solus Romanus Pontifex in toto corpore vniuersalis Ecclesiæ post Christum est caput vniuersale mynisteriale ad regimen, & gubernationem totius vniuersitatis fidelium, ergo solus ipse in corpore vniuersalis Ecclesiæ habet plenitudinem potestatis. Consequentia patet, quoniam solùm caput in corpore hominis, ad cuius similitudinem de corpore Ecclesiæ iuxta Apostolum ad Roman.12.loquimur, habet plenitudinem sensus, & regitiuæ, ac gubernatiuæ virtutis. Antecedens verò patet ex illo Ioann.1. [Tu vocabe Cephas.] Quoniam iuxta Anacletum, & Isid. interpretatur caput,

Secundò sic: Solus Petrus, & eius successor est Generalis Vicarius Christi, in Ecclesia Dei locum eius tenens, ergo solus ipse habet plenitudinem potestatis, consequentia patet, antecedens etiam ostensum est supra in cap.37.

Tertiò sic: Romanus Pontifex est supremus hierarcha immediatus totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ, patet, ipse enim est Princeps, in quo totius Ecclesiæ Dominus posuit Principatum, vt in cap. nolite errare dicit Iulius, Papa dist. 11. ergo in solo ipso ponenda est plenitudo potestatis, consequentia videtur manifesta, quoniam in omni Hierarchia, in solo Hierarcha ponitur plenitudo potestatis. Vnde Dionys. 3. Eccles. Hierarc. postquam vnamquamque Hierarchiam in suum Hierarcham docuit terminari, de proprietate Hierarcharum ita subiungit. Hierarchici autem ordinis virtus in omnibus caput sanctis totalitatibus, & per consequens ordines operatur propriæ Hierarchiæ mysteria. Et infrà. Est ergo Hierarchicus ordo perfectiua naturę virtute adimpletus.

Quartò sic: Ecclesiasticus Principatus est Monarchicus, ergo in solo Summo Pontifice est potestatis plenitudo, antecedens patet supra ex multis in cap. 2. Vndè Ioann.10. dicitur. [Erit vnum ouile, & vnus Pastor, & loquitur de Ecclesia.] Super quo Theophilus in gloss. inquit: Attendant Manichæi: [quoniam vnum ouile, & vnus Pastor est noui Testamenti.] Consequentia patet, quia in Principatu Regali, siue Monarchico suprema potestas in solo Principe collocatur, vt est Aristot. sententia octauo Ethic. & 3. polit.

Quintò sic: Romanus Pontifex habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, & nullus alius à Romano Pontifice habet plenitudinem potestatis in Ecclesia. Solus ergo Romanus Pontifex habet plenitudinem potestatis in in Ecclesia. Consequentia est manifesta per regulam ab exponentibus ad expositam. Maior patet ex præcedenti cap. Minor etiam patet. Tum auctoritatibus sanctorum in principio huius cap. inductis, scilicèt beati Cyrilli, beati Chrysostomi, beati Gregorij, beati Leonis Papæ, beati Bernardi, beati Thomæ dicentium, quod non solus Romanus Pontifex sit vocatus in plenitudinē potestatis, alij autem in partem sollicitudinis. Tum etiam ratione: quia si alij vt puta Apostoli recipissent à Christo, sicut Petrus plenitudinem potestatis, iam Petrus neque maior, neque superior, nec caput, neque Princeps fuisset Apostolorum, sed omnes fuissent in potestate pares, quod est hæreticum, & sæpe numero ab Ecclesia condemnatum, vt supra inductum est.

Sextò sic: Dicit Apostolus ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et subiungit: Quæ à Deo sunt, ordinata sunt, ergo oportet, quòd Prælatio attendatur secundùm ascensum, & descensum, non secundùm æqualitatem. Quare necesse erit secundùm ordinem rectum Ecclesiæ, quòd suprema potestas regiminis, & plenitudo iurisdictionis stet in vno primo, & supremo, in quo solo sicut in primo, & in simplicissimo in illo genere est status omnis Prælationis Ecclesiasticæ.

Vltimò sic: Principatus est quoddam totum potestatiuum, cuius hæc est natura, quod secundùm completam rationem, & plenitudinem perfectionis sit in vno solo, scilicet in Principe, in alijs verò, in quos distributum

tum est per gradus diuersarum dignitatum, ac officiorum, est aliqua participatio ipsius sicut Principatus Regni est in vno, videlicet Rege, in alijs verò secundùm participationem quandam, videlicet secundùm potestatem præsidis, & tribuni, & milenarij, & centurionis, & quinquagenarij, & decani, siue decurionis. Exemplum etiam huius totius potestatiui apparet in sacramento ordinis: cuius tota plenitudo est in vno ordine, scilicet Sacerdotio, in alijs verò est quædam participatio ordinis, vt dicit S. Thom. in 4. distinct. 24. Et hoc figuratum est in hoc, quòd Dominus dicit num. 11. Moysi: Auferam de Spiritu tuo, & tradam eis, vt sustentent tecum onus populi. Ergo in Principatu Ecclesiastico ita dicendum est, quòd plenitudo potestatis illius in vno solo sit, putà in Principe supremo vniuersalis Ecclesiæ, putà in Romano Pontifice. Vndè in cap. Basilicas de consecrat. distinct. 1. & in cap. nolite errare distinct. 11. habetur, quòd in Apostolica Sede Dominus totius Ecclesię posuit Principatum, & beatus Augustinus, contra Donatistas, & in epistola ad Glorium, & Eliuntium dicit, quòd in Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus. Ex quibus manifestè confunditur error, & stultitia Marsilij de Padua dicentis, Papam non habere aliquam plenitudinem potestatis, absque determinatione, idest concessione Imperatoris.

CAP. LIV.

Quòd potestas iurisdictionis omnium Prælatorum Ecclesiæ deriuetur à Papa, siue Apostolica Sede mediatè, vel immediatè. Arguitur prima via, scilicèt ex ordine aliorum Apostolorum ad Petrum.

POstquam pro modulo paruitatis nostræ superiùs explicauimus, quod tam ad fidei Christianæ conseruandam vnitatem, quam ad optimum Ecclesiæ regimen necessariò vnus in Ecclesia erat dandus Rector, & caput totius Reipublicæ Christianæ cùm plenitudine potestatis, & quòd huiusmodi sit Romanus Pontifex, restat nunc videndum de habitudine, quam habet ad alios Ecclesiæ inferiores Prælatos in origine potestatis, vtrùm scilicèt alij Ecclesiarum Prælati potestatem iurisdictionis, quam habent, immediatè suscipiant ab Apostolica Sede? an sicut Papa, ita, & Episcopi immediatè suscipiant à Christo? Dicimus cùm sancto Thoma tàm in 2. sententiarum, & in 4. sententiarum, quàm in 4. contra gentiles, qui sanctus Thomas inter Doctores de hac materia loquentes magis rationabiliter, & magis conformiter ad dicta sanctorum Patrum, & per consequens magis consonanter ad pietatem fidei loqui videtur, quòd tota iurisdictionis potestas aliorum prælatorum, de lege communi deriuatur à Papa. Quàm conclusionem triplici via, probare intendimus. Primò ex ordine aliorum Apostolorum ad Petrum in potestate iurisdictionis. Secundò rationibus. Tertiò ex inconuenientibus, quæ sequuntur ex opposito modo dicendi.

Prima via sic arguitur: Apostoli alij à Petro, non susceperunt potestatem iurisdictionis immediatè à Christo, sed mediantè Petro. Ergo sequitur, quòd etiam nunc Prælati, qui sunt in Ecclesia, iurisdictionis potestatem suscipiant immediatè à Papa, & non à Christo. Consequentia est optima. antecedens verò auctoritatibus, & rationibus multipliciter probatur, & declaratur. Auctoritate primò beati Anacleti, qui vt habetur in cap. sacrosancta, dist. 22. dicit: Inter Apostolos quedam fuit discretio; licèt omnes Apostoli essent: Petro tamen à Domino concessum est, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, idest caput, & principium teneret Apostolatus. Cùm autem nomine capitis, & principij, origo designetur potestatis, non videtur posse dici beatus Petrus caput, & principium tenere Apostolatus, nisi ab eo potestas iurisdictionis, deriuaretur in Apostolos cæteros.

Secunda auctoritas est beati Cypriani in epistola, quæ de vnitate Ecclesiæ, inscribitur ad Nouatianum, & habetur in cap. loquitur Dominus ad Petrum 24. quæst. 1. [Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petra ædificabo Ecclesiam meam:] Super vnum ædificat Ecclesiam. Et quamuis Apostolis omnibus, post Resurrectionem suam parem, idest communem potestatem tribuat, & dicat: [Sicut me misit Pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum sanctum:] Tamen vt vnitatem manifestaret, vnitas eiusdem, originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit, hoc erant vtique cæteri Apostoli, quòd Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, gloss. in ordine, & dignitate consecrationis, non administrationis plenitudine, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia Christi, vna esse mostretur. Hæc Cyprianus. Vbi cùm ait, quòd Christus, vt Ecclesiæ vnitatem manifestaret, potestatis originem ab vno incipiente disposuerit, manifestè dat intelligi, quòd solus vnus, scilicet Petrus, super quem vnum fundatam dicit Ecclesiam, à Christo immediatè potestatem susceperit iurisdictionis, alij verò Apostoli, mediantè ipso Petro: Planè, vt videtur, si immediatè omnes Apostoli potestatem iurisdictionis recepissent à Christo, origo potestatis non incepisset in Ecclesia ab vno Apostolorum, cùm data fuisset simul, & immediatè omnibus.

Tertia auctoritas est, B. August. qui super Ioann. homil. 114. dicit sic: Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate Ecclesiæ personam. Quòd enim ad ipsum propriè pertinet natura, vnus homo erat, gratia vnus Christi, vnus idemque primus Apostolus. Sed quando ei dictum est: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueritis, &c. vniuersam significabat Ecclesiam.] Et infrà: [Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claues ab eo Regni Cœlorum accepit in Petro, idest potestatem soluendi, & ligandi peccata.] Sed videtur, quòd hoc, quod soli Petro attribuitur ratione primatus, non esset verum, si alij Apostoli

stoli cùm eo immediatè iurisdictionem recepissent à Christo, quia, dato illo, Ecclesia non in solo Petro, sed etiam in alijs Apostolis claues recepisse diceretur.

Quarta auctoritas est beatissimi Leonis, qui vt habetur in cap. Dominus, dist. 19. ità dicit: Huius muneris Sacramentum, ità Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt extorrere se ministerij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.

Quinta auctoritas est eiusdem in sermonæ 3. ordinationis suæ ità dicentis: Multò dignum est ad beatissimi Petri gloriam contemplandam, aciem mentis attollere, & hunc diem in illius potissimùm veneratione celebrare, qui ab ipso omnium charismatum fonte, ità copiosis est irrigationibus inundatus, vt cùm multa solus acceperit, nihil in quenquam sine eius participatione transierit. Et infrà: De toto Mundo vnus Petrus eligitur, qui, & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi sint Sacerdotes, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus. Magnum, & mirabile dilectissimi huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, vt siquid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit, quicquid alijs nõ negauit. Ecce quã clara luce Leo iste beatissimus irrefragabilis auctoritatis inter Patres Ecclesiæ dicit, quòd quicquid commune Christus cùm Petro cæteris voluit esse principibus, videlicet Apostolis, non nisi per Petrũ dedit, quicquid, scilicet, quod donabile esset per hominem, alijs non negauit. Et ità manifestè habetur, quòd cæteri Apostoli, non immediatè à Christo iurisdictionem acceperint, sed mediantè Petro Apostolo eorum Principe.

Sexta auctoritas est Alexandri Papæ in cap. audiuimus 24. quæst. 1. sic dicentis: Vnde cùm Dominus daret omnibus discipulis patem ligandi, ac soluendi potestatem: Petro præ omnibus claues Regni Cœlorum se daturum promisit, dicens. [Tibi dabo claues Regni Cœlorum.] Quicumque ergo ab vnitate Ecclesiæ, quæ per Petrum intelligitur, fuerit alienus, execrare potest, consecrare non valet: excommunicationis, vel reconciliationis potestatem non habet. In qua auctoritate duo sunt præcipuè notanda. Primò, quòd beato Petro præ omnibus datę sunt claues, in quo datur intelligi, qùòd beatus Petrus in potestate iurisdictionis superior, & maior fuerit omnibus alijs Apostolis, etiam simul coniunctis, & per consequens successor Petri, videlicet Romanus Pontifex superior, maiorque sit omnibus Prælatis, etiam simul coniunctis. Secundò notandum est id, quod dicitur, quòd beatus Petrus Apostolus pro omnibus suscepit claues Ecclesiæ, in quo manifestè denotat, quòd alij Christi discipuli, & eorum successores potestatem iurisdictionis non acceperunt, nisi per Petrum, & ità non immediatè à Christo. Vbi considerandum est, quòd cum dicitur Petrus suscepisse pro omnibus, & præ omnibus potestatem, non est intelligendum ipsum pro omnibus accepisse ad modum, quo vnus procurator nomine aliquorum aliquod donum, sicut castrum, aut principatum accipit à principe; sed intelligendum est ad modum, quo dicimus Solem recepisse lumen à Deo pro omnibus Stellis, & præ omnibus. Præ omnibus, quantum in maiori plenitudine, quam cæteræ Stellæ. Pro omnibus, quantum in eo ordine, vt ab ipso sicut à fonte in cæteras Stellas lumen descendat. simile est de capite, quod pro omnibus, & præ omnibus membris virtutem recepit, præ omnibus quidem, quia in solo capite est plenitudo sensuum; pro omnibus quidem, quia ab ipso cætera membra sensum motus, & regiminis suscipiunt. Ità est de Petro, qui non tantum auctoritate præ omnibus alijs donatus est, sed etiam caput, & princeps alijs influens, in toto corpore Ecclesiæ constitutus est, vt apertissimè superiùs ostensum est ex doctrina Sanctorum. Vnde Innocentius, in epistola, quam scribit ad Patres Episcopos in Concilio Carthagine. dicit: quòd à beato Petro Episcopatus, & tota auctoritas nominis huius emersit.

Consequenter hoc idem ratione probatur. Et primò sic; Ab eo, à quo quis non habet subditum; ab illo non habet aliquam potestatem iurisdictionis, sed alij Apostoli non habuerunt immediatè subditos à Christo, ergo ipsi non habuerunt potestatem iurisdictionis immediatè à Christo; consequentia patet, maior etiam: cùm nullus ligare, aut absoluere possit, nisi subditum, cùm à non suo iudice ligari nullus valeat; nec absolui, de pęnit. & remiss. cap. omnis, nam potestas iurisdictionis, qua aliquis potest absoluere, & ligare, dicitur relatiuè ad subditum, relatiua autem, vt habet doctrina Aristot. in prædicamentis; posita se ponunt, & perempta se perimunt, vnde sicut si non est seruus, non est Dominus. Propter quòd secundùm Augusti. lib. de Trinit. Deus non fuit Dominus, quousque habuit creaturam suam. Ità non est subditus, non est Prælatus, nec iudex, qui possit eum iudicare ad Rom. 14. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum, suo Domino aut stat, aut cadit. Minor verò probatur, quia si Christus dedisset alijs à Petro subditos, aut omnes dedisset, aut aliquem. Non est dicendum primum, quòd didisset omnes, quia vt dictum est, pluralitas principatuum non est bona, vt dicitur 12. metaphysices. Et ideò ibi concluditur, vnus ergo princeps. Tum secundò: quia tunc ouile Christi non esset vnum, nec vnus omnium pastor, sed plures, contra illud Ioann. 10. [Erit vnum ouile, & vnus Pastor.] Prætereà secundùm non est dicendum: cùm nullibi legatur Christus Apostolis populos immediatè diuisisse, nec facile est fingere, quos quibus subiecerit.

Item secundò ratione arguitur sic: Si Christus dedisset Apostolis immediatè potestatem iurisdictionis; aut dedisset plenam, & omnimodam sicut Petro, aut particulariter limitatam, & coarctatam, sed neutram, ergo nullam, consequentia est bona, maior patet à sufficienti diuisione. Minor quo ad primam partem patet. Primò quia dicit beatus

Cy-

Cyrillus in lib. thesaurorum, nulli alij quàm Petro Christus quod suum est plenum commisit, sed ipsi soli dedit. Secundò quoniam si alijs Apostolis data fuisset potestas in ea plenitudine, qua Petro data est, Petrus nec maior, nec superior, nec princeps, nec caput fuisset Apostolorum, sed omnes in iurisdictionis auctoritate pares fuissent, quod est erroneum, vt enim S. Anacletus inquit in cap. sacrosancta, dist. 22. inter Apostolos quedam fuit discretio, licèt enim omnes Apostoli essent, Petro tamen à Domino concessum est, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, idest caput, & principatum teneret Apostolatus. Secunda verò pars minoris, quæ dicit, quòd etiam Christus non dedit Apostolis potestatem aliquam limitatam, patet, vnde nec possibile est fingere certitudinem talis limitationis: De talibus autem, quæ facta esse dicuntur maximè circa Apostolos de clauibus Ecclesiæ, nihil videtur asserendum, quòd de Scripturis sanctis non habeat testimonium explicitè, vel implicitè, quod in hac parte non datur: Et hoc de primo puncto breuitatis causa sufficiant.

CAP. LX.

In quo probatur eadem conclusio secunda via, scilicet per rationes.

Consequenter eadem conclusio, videlicet quod potestas iurisdictionis prælatorum deriuetur à Papa, probanda est secunda via, videlicet per rationes.

Primò sic: In omni principatu potestas iurisdictionis deriuatur ad quamcumque personam illius principatus à Monarcha, siue Principe illius principatus; sed Papa est Princeps, siue Monarcha in sacro Ecclesiæ Principatu; ergo sequitur, quòd potestas iurisdictionis omnium inferiorum Prælatorum deriuetur à Papa, consequentia est bona, maior patet ex sententia Diod. qui tam in de Ecclesiastica, quàm Cœlesti Hierarchia docet, ab ipso Hierarcha in omnes hierarchiæ personas lumen irradiationis perfluere. Minor verò, quod scilicèt Papa sit Princeps, & Monarcha totius Ecclesiastici Principatus, ex superiùs inductis auctoritatibus ostensum est; in quibus sancti Patres ipsum, & Ecclesiæ totius Principem, & caput prædicant, & attestantur. Dicit etiam Chrysost. super Act. Apostolorum; quòd Petrus à filio super omnes, qui filij sunt, accepit potestatem, non vt Moyses in gente vna, sed in vniuerso Orbe. Et Theophilus super illud Luc. 22. [Tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] dicit: quòd Petrus obtinuit, quod esset antistes Mundi. Item in Ecclesiastico officio legitur ei Christus dixisse: [Super plebem meam Principem te costitui.]

Præterea sic confirmatur ista ratio: In vnoquoque ordine ab eo, in quo maximè residet plenitudo virtutis, siue potestatis, originaliter dependet virtus omnium sequentium in illo ordine, sed Rom. Pontif. est primus in ordine Prælatorum Ecclesiæ, & in quo solo residet plenitudo Ecclesiasticæ potestatis, ergo sequitur, quòd potestas omnium sequentium Prælatorum Ecclesiæ dependeat, & deriuetur ab ipso Rom. Pontif. consequentia est bona, maior colligitur ex sententia Aristot. 2. metaphys. minor est canon Concilij Constantinopolitani dicentis: Veneramur secundùm Scripturas, & canonum diffinitiones sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum, primum esse, & maximum omnium Episcoporum. Item in Concilio Calcedon. acclamatum legitur à tota Synodo Papæ Leoni: Leo sanctissimus Apostolicus œcumenicus, idest vniuersalis Patriarcha, per multos annos viuat. Confirmatur hoc argumentum per illud beati Anacleti, qui vt dicitur in cap. in nouo, dist. 21. ità dicit: In nouo Testamento, post Christum Dominum à Petro incepit Sacerdotalis Ordo. Et causam subiungens ait: Quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia datus est, dicente Domino ad eum: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.]

Tertiò sic: Inter habentia ordinem secundùm influentiam, omnia, quæ alijs influunt, virtutem influendi recipiunt à primo illius ordinis: sed ordo, qui est inter Romanam Ecclesiam, & alias Ecclesias, siue inter Romanum Pontificem, & alios Prælatos, est secundùm influentiam, prout vnus mouet alium ad actus hierarchicos; ergo potestas iurisdictionis omnium Prælatorum Ecclesiæ deriuatur à Romano Pontifice; consequentia est bona, maior probatur ex commento primæ propositionis de causis; causa enim secunda virtutem causandi habet à prima. Minor verò patet auctoritate beatissimi Cypriani, qui vt in cap. Loquitur, 24. qu. 1. Ecclesias particulares ad Ecclesiam Romanam comparat, sicut radios ad Solem, fluuios ad fontem, sicut ramos ad radicem. Patet etiam per illud, quod Iustinianus Imperator Christianissimus in auctoritate, vt Romana Ecclesia Col. 3. ait: quòd legum originem antiqua Roma sortita est, & summi Potificatus apicem, & Sacerdotij fontem apud eam esse, nemo est qui dubitet. Si ergo Romana Ecclesia fons est, & à fonte deriuentur riuuli, sequitur quòd aliarum Ecclesiarum iurisdictio deriuetur ab ea.

Quartò sic: Omnia membra à capite recipiunt immediatè deriuationem virtutis, sensus, & motus, siue regiminis: sed Romana Ecclesia est caput cæterarum Ecclesiarum; ergo cæteræ Ecclesiæ, & earum Prælati potestatis suæ originem suscipiunt à Romana Ecclesia, siue à Romano Pontifice; consequentia est bona, maior patet, quoniam vt superiùs habitum est ex sententia Isidor. ex eo datum est capiti hoc nomen, quòd sensus omnes, & nerui indè initium capiant, atque ex eo omnis vigendi causa oriatur. Minor verò ponitur in cap. Sacrosancta, distin. 22. vbi S. Anacletus dicit, quòd Apostolica Sedes caput, & cardo, scilicèt omnium Ecclesiarum, est à Domino, & non ab alio constituta, & sicut cardine ostium regitur, sic huiusmodi sanctæ Apostolicæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur. Hoc autem quod ait, quòd Apostolicæ Sedis auctoritae omnes Ecclesię reguntur, non vide-

videtur habere veritatem, nisi Prælati inferiores, qui regunt Ecclesias, regendi, & gubernandi illas ab Apostolica Sede accipiant potestatem.

Quintò sic: In omnibus causis agentibus ordinatis semper causæ sequentes agunt in virtute causæ primæ, sicut in rebus naturalibus corpora inferiora agunt in virtute corporum cælestium, & in rebus voluntarijs omnes artifices operantur secundùm Imperium summi architectoris; in ordine autem politicũ regimen administrantiũ, õnes particulares potestates auctoritatem iurisdictionis suscipiũt à suprema potestate, sed in regimine Ecclesiastico, in ordine Prælatorum Ecclesiæ habentium iurisdictionem, & potestatem actus Diuinos exercendi circa fideles, primus, & Summus Pontifex est; ergo &c.

Sextò sic: Perfectior est Princeps Ecclesiæ, quàm legalis, Papa, quàm Moyses: sed à Summo Præsidente Synagogæ omnis alia potestas inferiorum deriuabatur; ergo similiter est in Ecclesia, quòd omnis iurisdictionis auctoritas inferiorum Prælatorum deriuatur à Summo Pontifice, scilicèt Papa; consequentia patet, quia Synagoga figura fuit Ecclesiæ, secundùm quod dicit beatus Augustin. & beatus Dionys. Minor verò patet Exod. 18. & expressè Num. 11. vbi Dominus ad petitionem Moysi, qui in multitudine regiminis grauabatur, voluit quòd idem Moyses eligeret sibi aliquos in adiutorium ad populi gubernationẽ. Et dicit textus, quòd dedit Deus de Spiritu, qui erat in Moyse, illis septuaginta electis; & hoc vt videtur, ad significandum omnem potestatem iurisdictionis, & regiminis, à Summo Ecclesiæ præsidente in alios deriuari.

Septimò sic: Hierarchia Ecclesiastica est exemplata à cælesti, sicut ait beatus Dionys. & supra in c. 11. induximus: sed in cælesti hierarchia sic est, quòd radius Diuinæ illuminationis descendens in inferiores, tali ordine descendit, vt primò in superiores recipiatur, deinde per illos in inferiores profluendo descendat; hæc autem est lex Diuinitatis, inquit Dionys. 3. hierarchiæ, per prima, media, & per media, vltima illuminari, ergo sic erit in hierarchia Ecclesiastica, quòd potestas iurisdictionis, secundùm quam attenditur ordo superioritatis, & inferioritatis inter Prælatos Ecclesiæ, quòd primum à Deo immediatè in Papam descendat, & per eum in sequentes deriuetur.

Octauò, teste eodem beato Dionys. 10. cælestis hierarchiæ: Omnes hierarchiæ sunt connexæ, & ordines ipsi cuiuslibet hierarhiæ sunt etiam connexi, hęc autem connexio, secundũ eiusd. diuini Doctoris doctrinã, vt S. Thomas, & Albertus declarant, non tantùm attenditur per relationem ad vltimum finem, secundùm quem omnis hiererchiæ finis est similitudo, & vnitas ad Deum, sed secundùm ea, quæ sunt de essentia hierarchiæ, scilicèt secundum ordinem, scientiam, & actionem. Secundùm ordinem quidem, in quantum in omnibus hierarchijs inuenitur distinctio per primum, medium, & vltimum. Secundùm scientiam verò, in quantum irradiatio extenditur, procedendo à primo vsque ad vltimos. Secundùm actionem autem, inquantum primi habent actionem hierarchicam in medios. & per medium in vltimos: sed Ecclesia nostra est ad instar hierarchiæ disposita, & formata, ergo necesse est, nisi hierarchiam nostram inconuenientissimè asserere inconnexam vellemus potestatem Ecclesiasticam à primo nostræ hierarchiæ, qui est Romanus Põtifex, in omnes inferiores procedere, & deriuari, processus patet; huius autem connexionis hierarchiæ nostræ duo sunt euidentissima testimonia: primum est, quod, qui à beati Petri societate, & connexione Apostolicę Sedis segregatur, non potest absolui à peccatis. Secundum est, quòd talis existens sic Pręlatus, ipsa potestate Ecclesiastica denudatur. De primo habetur in glos. Matth. 16. quòd Petrus ideò specialiter claues Regni Cœlorum, & Principatum iudiciariæ potestatis accepit; vt omnes per orbem credentes intelligant, quòd quicumque ab vnitate fidei, & societate Petri quouismodo seipsos segregant, nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam Regni Cœlestis ingredi possunt. De secundo habetur in cap. Factus, & in cap. Nouatianus 7. q. 1. quę omnia sunt beatissimi Cyprian. testimonia.

Nonò sic: Potestas, quæ data est vni in sua fontali plenitudine, non est in alijs, nisi deriuata, & limitata, etiam pro illius voluntate, & ordinatione: sed potestas iurisdictionis Ecclesiasticæ tota in sua fontali plenitudine data est Petro soli, & in eo suis successoribus, quoniã cura totius Ecclesiæ sibi commissa est, Domino dicente: [Pasce oues meas,] Ioann. vlt. Hoc enim, teste Chrysost. nulli alio Apostolo dictum est, neque tunc, neque ante, neque post. Ergo talem potestatem perfectam, ac plenam solus Petrus habuit, habetque solus successor Petri, qui ob hoc Papa, id est pater patrum nominatur. Ergo omnes alij Ecclesiæ Prælati non habent potestatem iurisdictionis, nisi prout Papa limitat, & disponit.

Decimò, confirmando rationem prædictam, arguitur sic: Ecclesiæ particulares ad Ecclesiam Romanam comparantur, sicut radij ad solem; sicut riuuli ad fontem; sicut rami ad radicẽ. Ergo sequitur, quòd quidquid potestatis habẽt iurisdictionis, habẽt à Romana Ecclesia; consequentia est bona, antecedens patet tam auctoritate Cypr. in c. Loquitur, 24. q. 1. quàm Concilij Ephesini, quàm etiam Petri Rauennatis, qui dicit, quòd stipiti rami; quòd capiti membra; quòd Soli radij; quòd fonti riuuli; huic Apostolicæ Sedis reuerentiæ debent omnes Ecclesiæ, quas vbique terrarum Religio Christiana fundauit. Confirmatur hæc ratio ex illo, quod Vigilius Papa scribens Eleuterio Episcopo, dicit; [Nulli, vel tenuiter scienti, vel pleniter sapienti dubium est, quòd Ecclesia Romana fundamentum, & forma sit Ecclesiàrum, à quo omnes Ecclesias principium sumpsisse, nemo rectè credentium ignorat.] Hæc ille.

Vndecimò sic: Omnis iurisdictio, & potestas cuiuslibet Ecclesiæ, & personarum in ea videtur ab eo deriuari, & procedere, qui illam Ecclesiam sic fundauit in auctoritate, & iurisdictione; patet, cùm fundamentum sit origo, & principium totius ædificij: sed omnes aliæ Ecclesiæ per Orbem diffusæ, sunt

sunt à Romana Ecclesia institutæ, & fundatæ. Ergo omnis iurisdictionis Ecclesiasticæ auctoritas aliorum Prælatorum deriuatur à Papa, siue à Romano Pontifice; consequentia est bona, & antecedens pro minori habetur in cap. Omnes, dist. 22. vbi Nicolaus Papa ita inquit: Omnes, siue Patriarchæ cuiuslibet apicem, siue Metropoleon primatus, aut Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum, siue cuiuscumque ordinis dignitatem, instituit Romana Ecclesia; illam verò solus ipse Christus fundauit &c. Item in cap. In illis, dist. 80. dicit Clemens Papa: Quòd in illis Ciuitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum, atque primi legis Doctores erant Episcoporum Primates, atq; Patriarchas beatus Petrus poni præcepit, in illis verò, in quibus erant eorum archiflamines, Archiepiscopos institui præcepit. In singulis verò cæteris Ciuitatibus singulos, & non plures Episcopos constitui præcepit, qui Episcoporum tantùm vocabula sortirentur: quoniam nec inter ipsos Apostolos par fuit institutio, sed vnus præfuit omnibus. Hæc ille. Item ad idem facit cap. Quis nesciat, dist. 11.

Duodecimò, Omnis ille, cui committuntur vices alicuius superioris, habet iurisdictionem suam à committente, non autem à se, nec ab alio; sed Papa, cui à Christo omnium fidelium cura commissa est, omnibus alijs committit vices suas, & impertitur partem sollicitudinis suæ, in his quæ exequuntur pertinentia ad regimen Ecclesiæ, ergo videtur, quòd omnes alij Prælati à Papa immediatè habeant, quidquid iurisdictionis voluntariè, vel contentiosè habeant; maior patet, quoniam is, qui mandata iurisdictione vtitur, nihil proprium habet, sed vtitur solùm iurisdictione eius, qui mandauit; minor verò probatur auctoritate beati Gregorij, & habetur in cap. decreto 2. q. 6. vbi sic ait: Sancta Romana Ecclesia ita vices suas alijs impertiuit Ecclesijs, vt in partem sint vocati sollicitudinis, non in plenitudine potestatis; & in cap. sequenti Iulius Papa ita dicit: Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesijs vices suas credidit largiendas, vt in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Et Leo Papa in epistola ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem inquit: Vices enim nostras ita tuæ credimus charitati, vt in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vnde Magister in historia Ecclesiastica tractans illud Exo. 18. Moyses omnia, quę Ietro, &c. dicit sic: Sicut Moyses consilio Ietro constituit Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & decanos; sic Romana Ecclesia plurimos vocauit in potestatem sollicitudinis; scilicèt Primatos, Episcopos, Archiepiscopos, Archipresbyteros, & minores Sacerdotes. Si ergo hos vocauit Sancta Ecclesia, impertiendo eis partem administrationis suæ, videtur, quòd ipsi non sunt à Christo immediatè, sed à Petro; vel successoribus eius.

Tredecimò sic: Quilibet fidelis tenetur credere vnam esse Sanctam Ecclesiam Catholicam: sed ad vnitatem Ecclesiæ requiritur, quòd omnium Prælatorum potestas iurisdictionis deriuetur à Romano Pontifice, ergo necesse est, quòd quilibet fidelis hoc credat, & teneat; consequentia bona, maior patet, cùm sit articulus fidei, & dicatur Cant. 6. Vna est columba mea, vna est perfecta, dicit glo. id est, Ecclesiast. minor probatur, quoniam vnitas Ecclesiæ, vt habetur à beato Cypriano in epistola de Vnitate Ecclesiæ, & habetur in cap. Loquitur, 24. q. 1. necessariò attenditur in ordine ad vnam fontalem originem totius potestatis Ecclesiasticæ, quam esse dicit Apostolicam Sedem, siue Romanum Pontificem, super quem fundatam dicit Ecclesiam esse. Vndè ait Ecclesia Dei luce perfusa, per totum Orbem radios suos porrigit; vnum tamen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur, radios suos super vniuersam terram copia vbertatis extendit, perfluentes largitur riuos, latiùs pandit, vnum tamen caput est, & vna origo, & vna mater fæcunditas copiosa. Hæc ille. Item S. Thomas contra Gentiles lib. 4. cap. 76. dicit: Soli Petro promisit: [Tibi dabo claues regni cœlorum,] vt ostenderetur potestas clauium per eum ad alios deriuanda ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem. Ex quibus manifestè colligitur pertinere ad vnitatem Ecclesiæ, quod à Romano Pontifice omnium aliorum Prælatorum deriuetur auctoritas, quæ erat minor probanda. Ex quibus videtur, quòd negare potestatem iurisdictionis inferiorum Prælatorum in Ecclesia, à Romano Pontifice immediatè non dependere, non solùm præiudicet Primatui Apostolicæ Sedis, sed etiam vnitati vniuersalis Ecclesiæ.

CAP. LVI.

In quo probatur eadem conclusio tertia via, seu ex inconuenientibus, quæ ex contrario modo dicendi sequuntur.

Illustrata præfatæ conclusionis veritate duabus vijs, iam tertia via, quæ sumitur ex inconuenientibus, quæ ex opposito modo dicendi sequuntur, restat declaranda.

Primò sic: Nullus potest licitè immutare illud, quod est ex institutione, vel ordinatione Christi, sed si potestates inferiores essent immediatè à Christo, sequeretur, quòd Papa non posset circa eas facere mutationes, quas fecit diuidendo Episcopatus, & ampliando territoria, & restringendo casus, vel extendendo; ipse enim erigit, siue de nouo ordinat Ecclesias Cathedrales 16. q. 1. felix, & cap. Præcipimus. Item ipse subijcit vnam Ecclesiam Cathedralem alteri, extrà de offic. deleg. quod translationem. Item vnit duos Episcopatus in vnó, & vnum diuidit in duos 16. q. 1. & temporis. Item mutat Sedes Episcopales de vno loco ad alium, extrà de translat. Prælat. cap. 1. & ita Sedes Apostolica hoc faciendo, sicut frequenter facit de facto, erraret in his, quæ sunt Iuris Diuini, extendendo potestatem vltrà mensuram debitam, quod est inconueniens; in Apostolica enim Sede, vt habetur in cap. In Sede 24. quæst. 1. semper immaculata permansit Religio Christiana.

Secundò

Secundò sic: Nullus potest licitè augere, vel diminuere ea, quæ sunt iuris Diuini, nisi ipse institutor: sed si potestates inferiorum Prælatorum essent immediatè à Christo iure Diuino, sequeretur, quòd Papa non posset curam Parochialem, aut Abbatialem augere in Episcopalem; sed hoc est inconueniens, & contrà vsum Ecclesiæ Romanæ, quæ de nouo sæpè erigit Ecclesias Cathedrales 16. q. 1. felix, ergo &c.

Tertiò sic: Si potestas iurisdictionis inferiorum Prælatorum est immediatè à Christo, & nullo modo collatiuè à Papa, falsum diceret Papa, cùm de Ecclesijs prouidens ait: Prouidemus Ecclesiæ tali, de tali persona, & pręficimus eum in Patrem, & Pastorem, ac Episcopum eiusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus, & spiritualibus in nomine Patris, &c. Sed quòd erret Apostolica Sedes in his, est inconuenientissimum dicere, ergo & illud, ex quo sequitur.

Quartò: Simili modo arguitur ex communi modo loquendi, quo vtuntur tam Summi Pontifices, quàm Episcopi in institutione alicuius Curati in aliqua Parochia; dicunt enim: Ego confero tibi curam talis Parochiæ, cura autem nihil aliud est, nisi potestas ipsa spiritualis iurisdictionis: sed si potestas iurisdictionis esset immediatè à Christo, falsum dicerent omnes Ecclesiæ Prælati sic loquentes: sed hoc est inconuenientissimum asserere, ergo illud, ex quo sequitur.

Quintò sic: Si potestas iurisdictionis inferiorum quorumcumque Prælatorum esset immediatè à Christo, sicut est potestas ordinis, tunc sicut Papa non potest solo verbo conferre, vel auferre potestatem ordinis ab aliquo inferiori Prælato, per quamcumque depositionem, aut degradationem, quia non potest tollere, quod non dedit. Item non posset Papa solo verbo dare, vel auferre potestatem iurisdictionis cuicumque inferiori Prælato, nec ipsos deponere, vel degradare, quod est inconuenientissimum, cùm sit negare, tam plenitudinem potestatis Apostolicæ Sedis, quàm iura communia. Nec valet, si dicatur, quòd non sit simile de potestate ordinis, & iurisdictionis, quia super potestatem ordinis non habet Papa plenitudinem potestatis, habet autem super potestatem iurisdictionis, & ideò potest hanc tollere, & non primam. Istud non valet, quia si potestas inferiorum Prælatorum est à Deo immediatè, sicut potestas Papæ; Papa non habet super illam plenitudinem potestatis, immò nihil habet potestatis super illam, cùm sit immediatè à Deo, & per consequens sicut nec vnam tollere potest, ita nec aliam; seruus enim nec tollere, nec mutare potest legem Domini sui, iuxtà cap. Sunt quidam, 25. q. 1. sed hoc est apertè falsum, & inconueniens, ergo & illud, ex quo sequitur.

Sextò sic: Si potestas inferiorum Prælatorum esset immediatè à Christo, sicut potestas Papæ, sequeretur, quòd inferiores Prælati electi non indigerent ab homine confirmari, nec Curati per Patronos præsentati indigerent institutione Episcopi, nec oporteret, quòd ab alio eis cura committeretur, sicut nec Papa indiget, qui electus canonicè à solo Christo confirmatur, & instituitur: sed hoc est inconuenientissimum, cùm hoc sit, Ecclesiasticum ordinem perturbare, quia Curati ab Episcopis instituuntur, qui Ecclesias eis committunt, & curam animarum; vndè mirum est dicere, quòd ille, cui ab aliquo cura animarum committitur, non habeat illam curam immediatè ab illo. Episcopus etiam ab Archiepiscopo, & ille à Papa confirmatur, & qui confirmat, ius dat & confirmatus à confirmante habet illam potestatem, quam acquirit per ipsam confirmationem. Et sic patet quòd cum Archiepiscopus, siue Patriarcha recipiat à Papa suam immediatè potestatem, & ab illo Episcopus, & ab Episcopo Curatus; quòd omnis potestas Ecclesiasticæ iurisdictionis deriuatur à Papa mediatè, vel immediatè.

Septimò ad idem sic: Si ita esset potestas iurisdictionis inferiorum Prælatorum immediatè à Christo, tunc Papa non posset ea, quæ ad inferiorum Prælatorum iurisdictionem pertinet, ad se aduocare, vel alijs committere ad iudicandum: sed hoc est falsum, & inconueniens, & contrà plenitudinem potestatis Papalis; est enim Iudex vniuersalis Ecclesiæ, & habet potestatem de omnibus iudicare; ergo inconuenientissimum est illud, ex quo sequitur.

Octauò sic: Si potestas iurisdictionis inferiorum Prælatorum in vtroque foro esset immediatè à Deo, & non à Papa, cùm potestas diuina non possit impediri ab homine, sicut nec potestas naturæ; sicut potestas Papæ non potest facere, quin ignis comburat stuppam, si eam habet proximam: ità Papa non poterit facere per quamcumque excommunicationem, quin Episcopus possit excommunicare, & Curatus à peccatis absoluere, consequens est falsum, & inconueniens: ergo & antecedens; consequentia videtur esse bona, & tamen falsitas consequentis patet, quia excommunicatus non habet vsum clauium, nec etiam executionem in aliquo foro, vndè sententia ab eo lata non tenet ipso iure, de sent. & re iudic. cap. Ad probandam. Si verò dicatur, quòd Papa potest excommunicato populum subtrahere, & ideò non valet sententia lata in non subditum, licèt iurisdictio sit de iure Diuino, sicut potest de facto subtrahere materiam Eucharistiæ Sacerdoti, tunc non poterit celebrare, non est simile, quia cùm potestas iurisdictionis, & prælationis non sit aliud, quàm relatio ad subditos, & relatiua posita se ponunt, & perempta se perimunt, vt si est pater, est filius; & si est pater iure Diuino, habet & filium iure Diuino; si Prælati, & Episcopi habent potestatem prælationis, & curam animarum de iure Diuino, per consequens habent subditos de iure Diuino, nisi eis subtrahatur de facto, sicut panis potest subtrahi Sacerdoti volenti conficere, & tunc non poterit conficere, non quia panis desinit esse materia consecrationis, sed quia desinit esse materia præsens, & consecratio requirit materiam debitam, & præsentem: sed subtrahens non potest facere, quin panis de iure sit materia Sacramenti, & quin præsens de iure possit confici. Ita absolutioni sacramentali, quæ requirit præsentem, potest materia de facto subtrahi, & sic absolu-

tio impediri: sed si de facto non subtrahatur, non potest de iure subtrahi, si subiectio est de iure Diuino, & per consequens non poterit Papa impedire Episcopum, & Curatum, quin verè absoluat sibi pœnitentialiter confitentem, sicut nec quin consecret panem præsentem: sed excommunicatio, & absolutio non requirunt materiam præsentem in prospectu, sed solùm in districtu; quia extrà territorium ius dicenti impunè non paretur: vndè si Episcopus, & Curatus habent populum subditum in foro exteriori de iure Diuino, si de facto expellantur de Parochia, & Diœcesi, per nullam excommunicationem desinunt esse materia sua, quin possint ab eis absolui, & ligari, quia ius Diuinum per hominem non potest solui. Si dicatur quòd absolutio pœnitentialis facta ab excommunicato non valet, quia scienter ei confitendo pœnitens, nouum peccatum committit, ideò non est absolutionis capax, non valet, quia possibile est, quòd ei confitens nescit Curatum excommunicatum, & sic non ponit obicem. Item in foro exteriori cessat instantia, in quo indistinctè non tenet absolutio, nec excommunicatio facta ab excommunicato.

Nonò sic: Si inferiores Prælati haberent immediatè à Christo, & non à Papa potestatem iurisdictionis, tunc Papa non posset iudices dare, nec Legatos mittere ad Diœceses Episcoporum, etiam propter eorum negligentiam, & defectum, nec Episcopi Confessores, & Prædicatores per Diœcesim; consequens est falsum, & absurdum, ergo & antecedens; consequentia patet per simile; quia Papa non mittit inquisitores per terram Regum, & Principum ad puniendum, & corrigendum; quia non habent ab eo suas iurisdictiones, & iustitias. Ergo similiter si Episcopi non habent iurisdictionem suam ab eo, non potest eis mittere Legatos, nec pari ratione Episcopus Prædicatores, nec Confessores per Parochias; falsitas autem consequentis apparet de offic. Legat. per totum, de offic. ordin. c. inter cætera, vbi Episcopi mittunt per Diœcesim Prædicatores, & Confessores.

CAP. LVII.

In quo obijcitur contrà antedictam conclusionem per aduersarios, ex ordine Apostolorum ad Petrum.

Aduersùs conclusionem præfatam aduersarij plurima obijcere perlegimus, quorum obiectiones ad eam triplicem formam reduci possunt, qua processum est ad confirmandam conclusionem præfatam.

Inchoantes verò ab ordine aliorum Apostolorum ad Petrum arguunt sic: Apostoli, & Christi Discipuli potestatem iurisdictionis, quam habuerunt, non receperunt immediatè à Petro, sed à Christo, ergo sequitur quòd Prælati in Ecclesia non recipiunt immediatè potestatem iurisdictionis à Papa, sed à Christo; consequentia est bona; quoniam Prælati maiores, vtpotè Episcopi, succedunt Apostolis, & Prælati minores succedunt 72. Discipulis, vt in cap. In nouo di. 21. ait Anacletus, & habetur in glos. Luc. 10. ergo videtur, quòd sicut Papa dicitur suscipere immediatè potestatem à Christo, quia succedit Petro, ita alij inferiores Prælati dicuntur suscipere potestatem à Christo immediatè, quia succedunt alijs Apostolis, & Discipulis Christi; antecedens verò probatur auctoritatibus, & rationibus.

Primò auctoritate illa Matt. 18. [Quodcumque alligaueritis super terram, erit ligatum & in Cœlis.] Quod verò hoc intelligatur de potestate iurisdictionis in foro exteriori per censuram Ecclesiasticam, patet, tum ex glos. interli. quæ super verbo [alligaueritis,] dicit: vinculo anathematis; tum ex glos. beati Hieronym. ibidem quæ dicit: Potestatem tribuit Apostolis, vt sciant, cùm à talibus condemnantur, humanam sententiam Diuina sententia roborari.

Secundò, auctoritate illa Ioannis 20. [Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.] Quod verbum pertractans Leo Papa in Sermone Pentecostes, ita ait: Reducendorum peccatorum etiam tunc Apostoli receperunt potestatem, cùm post Resurrectionem insuflauit, & dixit: [Accipite Spiritum Sanctum, &c.] Ioann. 20. Item Gregorius super eodem ita inquit: [Principatum superni iudicij sortiuntur, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent, quorum in Ecclesia Episcopi locum tenent.] Non potest autem dici, quòd intelligatur de potestate characteris, qua ordinati sunt Sacerdotes, quia talis fuit eis collata in Cęna, quando dictum est. [Hoc facite in meam commemorationem;] ergo necesse est dicere, quòd aliam potestatem, quàm ordinis receperunt tunc Apostoli à Christo, & non est alia, nisi iurisdictionis; cùm tamen duplex distinguatur potestas, scilicèt ordinis, & iurisdictionis; ergo &c.

Tertiò, probant auctoritate illa Mat. 16. [Tibi dabo claues regni cœlorum,] super quo verbo Leo Papa ita inquit: [Transiuit in alios Apostolos ius ipsius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit: sed hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Item Rabanus ibidem in glos. ita inquit: Ligandi, & soluendi potestas, quamuis soli Petro videatur data à Domino, tamen & cæteris Apostolis data est, nec non nunc in Episcopis, & Presbyteris omni Ecclesiæ.

Quartò, auctoritate illa Luc. 6. [Vocauit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos Apostolos nominauit.] Super quo verbo dicit beatus Ambrosius, quòd cùm ad propagandum auxilium salutis humanæ per terrarum orbem, satores fidei destinaret, &c. ergo videtur, quòd immediatè Apostoli sunt à Christo destinati, & per consequens immediatè ab eo potestatem iurisdictionis acceperunt.

Quintò, auctoritate illa Luc. 9. [Conuocatis duodecim Apostolis, dedit illis potestatem super omnia dęmonia, & vt languores curarent; & misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos, & ita videtur idem quod priùs.

Sextò

Sextò, probatur illa auctoritate Luc. 10. [Postquam designauit Dominus & alios 72. & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, &c.] Super quo beatus Cyrillus ità dicit: [Postquam dixit, rogate Dominum Messis,] hoc fecit per seipsum, ità quòd per se ipsum misit eos: sed ipsa missio, vt videtur, fuit collatio potestatis, ergo &c.]

Septimò, auctoritate illa Anacleti, & habetur in cap. In nouo, dist. 21. vbi dicitur: [Cæteri Apostoli cum eodem, scilicèt Petro, pari consortio honorem, & potestatem acceperunt.] Ecce quod dicit cum eo, non autem dicit ab eo; ergo videtur, quòd omnes alij Apostoli acceperunt à Christo immediatè potestatem, sicut & Petrus.

Octauò, auctoritate illa Cypriani, quæ ait in cap. Loquitur 24. quæst. 1. quòd Dominus post Resurrectionem parem potestatem omnibus Apostolis tribuit.

Nonò sic: Petrus non videtur contulisse potestatem iurisdictionis Matthiæ: sed eam immediatè habuit à Christo; ergo similiter alij Apostoli, & per consequens alij Ecclesiæ Prælati, qui eorum loca in Ecclesia tenent; consequentia est bona, quia non magis videtur de Matthia, quàm de alijs Apostolis; antecedens patet, quia electus fuit immediatè à Christo, non autem à beato Petro. Vndè super illud Act. 1. [Ostende quem elegeris,] dicit beatus Dionys. in libr. de Ecclesiastica hierarchia, quòd Petrus recepit Matthiam ad numerum Apostolorum, Diuina electione ostensum.

Decimò, arguitur idem de Paulo, qui potestatem iurisdictionis immediatè videtur à Christo recepisse, vndè ipse ait 2. Co. 10. [Et si ampliùs aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus, non alius in ædificatione &c.] videtur, quòd si non alius, quàm Dominus, ergo non Petrus. Item ipse ait ad Galat. 2. [Mihi enim qui aliquid esse videbantur, scilicèt Iacobus, Cephas, & Ioannes, nihil mihi contulerunt,] ergo maiori ratione alij Apostoli receperunt à Christo, quos ipse Christus immediatè vocauit.

CAP. LVIII.

In quo contra conclusionem præfatam per aduersarios obijcitur via rationum.

SEcunda via sic, scilicèt per rationes aduersarij sic arguunt.

Primò: Dicit Bernardus scribens ad Eugenium: [Erras, si vt summam, ità, & solam institutam à Deo æstimas tuam Apostolicam potestatem;] ait enim Paulus ad Romanos 13. [Omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus;] non ait sublimiori, tamquam in vno, sed sublimioribus, tamquam in multis; non tua ergo potestas sola à Christo instituta, sunt & mediocres, sunt & inferiores. Ecce quòd ponit alias potestates inferiores institutas à Christo.

Secundò sic: Episcopi sunt sponsi Ecclesiæ: sed hoc non nisi immediatè gerendo vicem Christi veri Sponsi, ergo, &c.

Tertiò, Actorum 15. super quæstione mota de Legalibus veteris Testamenti obseruandis, vel non, cum fide Christi scribitur, secundùm quòd dicit magister in historijs, quomodo Petrus surgens primus ratiocinando dicit, non esse imponendum fidelibus iugum legis: facto autem silentio, Iacobus Hierosolymitanorum Episcopus adhærens verbis Petri, auctoritate Pontificali protulit definitiuam sententiã dicens: Viri fratres audite me, Simon narrauit, &c. propter quod ego iudico, &c. quasi diceret, meum est proferre sententiam, quia est in Diœcesi mea. Hoc autem non faceret post iudicium Petri, & in præsentia eius, si iurisdictionem haberet ab ipso Petro: quare nec Episcopi, qui sunt successores Apostolorum iurisdictionem habent à Papa, qui est successor Petri.

Quartò sic: Quod competit Sacerdotibus ex vi Sacramenti sui Ordinis habent immediatè à Christo, sed potestas iurisdictionis quoad forum conscientiæ est huiusmodi; ergo, &c. Maior supponitur, minor probatur: quia quilibet Sacerdos accipit potestatem ligandi, & soluendi in susceptione Ordinis, sed posse ligare, & soluere pertinet ad potestatem iurisdictionis: ergo, &c.

Quintò sic: Nobilior, & firmior videtur esse Principatus, cuius potestas iurisdictionis in singulis gubernantibus deriuatur à Deo quàm si ab aliquo homine puro deriuetur, cùm talis potestas sic nobiliorem habeat originem, sed id, quod maioris nobilitatis est, tribuendum est Principatui ecclesiastico: ergo, &c.

Sextò sic: Dionys. VI. Cœlestis Hierarchiæ postquam posuit, quòd ordo pontificalis esset primus, & diuinissimus omnium ordinationum dicit: Videmus enim omnem Hierarchiam in Iesu consummatam. Ex quo habetur, quòd omnis Hierarchia immediatè reducitur ad Christum: quod non esset, nisi omnis potestas in Hierarchia ecclesiastica esset immediatè à Christo: vbi commentator ait, quòd ordo episcopalis præ cæteris ordinibus ecclesiasticis proximus est Deo, & vltimus, idest consummatiuus aliorum; quia in ordine episcopali impletur omnis Hierarchiæ dispositio.

Septimò: Ab illo, quis dicitur in Ecclesia habere potestatem immediatè iurisdictionis, à quo ponuntur Rectores Ecclesiæ, à quo enim habet causa secunda, quod sit, habet quòd causa sit; sed à Spiritu sancto ponuntur, qui Rectores, & Prælati Ecclesiæ sunt: secundùm illud Act. 20. [Attendite vobis in vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.] Ex quo videtur, siue loquatur ad Episcopos propriè, siue ad Presbyteros largè dictos Episcopos, siue ad vtrosque simul: quòd illi, de quibus loquitur, ponantur in regimine Ecclesiæ à Spiritu sancto, sicut successores Petri in loco eius: & per consequens, quòd potestatem regiminis non habeant ab homine, sed à Christo, processus videtur notus.

Octauò sic: Ab illo quis dicitur habere iurisdictionis potestatem in aliqua communitate, cuius dicitur esse Vicarius in communitate illa, sed sic est, quòd alij Prælati in Ecclesia, siue Episcopi, siue etiam Curati non di-

dicantur Papæ, sed Dei Vicarij: ergo immediatè habent à Deo potestatem suam; consequentia patet, & antecedens pro maiori parte; minor verò patet ex gloss. super epistolam 2. ad Corinth. 6. & habetur 34. quæst. 4. mulier. De Curatis verò patet per illud de pœnit. dist. 3. §. inter hæc; vbi dicitur sic: Eum, quem Sacerdos iudicat, Deus iudicat, cuius personam in Ecclesia gerit.

Nonò sic: Sicut se habent Principes ad Regem, ità videntur Episcopi se habere ad Papam, sed Principes non semper habent iurisdictionem suam à Rege; ergo nec Episcopi à Papa, maior videtur patere: vndè de Apostolis dicitur Psal. 44. [Constitues eos Principes super omnem terram.] Minor verò probatur; quia sæpè contingit, quòd à Principibus habentibus iurisdictionem eligitur Rex, sed iurisdictio, quæ habetur ante iurisdictionem Regis, non habetur à Rege.

Decimò: Illud, quod habetur per electionem populi, non habetur à Papa, sed iurisdictio Episcoporum habetur per electionem populi: ergo, &c. Si dicatur quòd non, quia requirit confirmationem. Contrà; quia illa confirmatio non semper fit à Papa, sed ab Archiepiscopo: ergo non oportet, quòd potestas Episcoporum sit à Papa.

Vndecimò sic: Papa non habet rationem capitis principalis in Ecclesia, sed ministerialis: ergo influentia eius respectu Ecclesiæ non attenditur quantum ad donationem, siue collationem potestatis, sed tantùm quoad dispositionem subiecti recipientis: sicut instrumentum non attingit per se principalem effectum, sed disponit materiam ad dispositionem effectus, quem causa imprimere intendit, & ità, ergo dato, quòd Papæ, vtpotè Capitis, sit influere in membra ecclesiastica, non sequitur propter hoc, quòd eius influentia attendenda sit quantum ad collationem cuiuscumque potestatis: sed tantùm quantum ad dispositionem recipientis; quia scilicèt nominatio Papæ, siue institutio, siue confirmatio disponit personam sic institutam, vt assequatur potestatem ex antiqua collatione, processus videtur bonus.

Duodecimò sic: Alij Apostoli dicuntur fundamenta Ecclesiæ sicut & Petrus. Vndè ad Ephes. 4. scribitur: [Superædificati super fundamentum Apostolorum,] & Apoc. 21. dicitur: [Fundamenta ciuitatis 12. in quibus scripta erant nomina 12. Apostolorum, sed illi, super quos fundatur Ecclesia, videntur immediatè adhærere Christo per acceptationem potestatis: ergo omnes Apostoli receperunt immediatè à Christo potestatem.

CAP. LIX.

In quo obijcitur contra præfatam conclusionem in speciali de presbyteris curatis.

Qvidam aduersariorum de ordine presbyterorum curatorum plusquam oportet, vt videtur: sapere volentes: ità statum presbyterorum curatorum extollere præsumpserunt, vt illorum statum, & illos à Christo immediatè institutos esse assererent: ità vt illorum iurisdictionis auctoritas, nec à Papa, nec ab Episcopis in aliquo dependeret.

Pro qua parte Ioannes de Poliacho quodlibeto 5. quæst. 14. ità arguit: Sacra scriptura statum curatorum dicit esse institutum, & ipsos à Christo, quia accipio tamquam manifestum, quòd status, in quo est potestas, & iurisdictio, continuatur in diuersis temporibus ab illo, à quo fuit institutus à principio, cùm institutus fuit, & conseruatur in omnibus temporibus sequentibus, & quòd successor eius in aliqua dignitate, officio, aut statu ab illo eodem instituitur in illo, in quo antecessor institutus est, cum in eodem statu succedat, quasi eadem persona, sicut patet per iurisdictionem in omnibus baliuis præpositis prioribus, & magistris ordinum, & sic de alijs: aliàs successor nullo modo censeretur, quasi eadem persona cùm antecessore, sed status, & potestas, & iurisdictio 72. discipulorum continuatur in sacerdotibus curatis, sicut status Apostolorum, & potestas, & iurisdictio in Episcopis, & succedunt sacerdotes curati 72. Discipulis, sicut Episcopi succedunt Apostolis, dicente glos. Luc. 10. Sicut in Apostolis forma est Episcoporum, sic in 72. forma presbyterorum secundi ordinis; ergo sequitur, quòd ab ipso eodem à quo status Discipulorum fuit institutus à principio, modo est institutus status curatorum, & à quo fuerunt instituti Discipuli, sunt instituti curati habentes auctoritatem, & iurisdictionem ab illo eodem, à quo & 72. Discipuli, sed status Discipulorum à Christo est institutus, & ipsi ab eo instituti, & missi potestatem immediatè ab ipso Christo accipientes, non ab aliquo Apostolorum, sicut nec alij Apostoli, Discipulis enim simul, & Apostolis potestatem prædicandi, & potestatem clauium contulit vtrisque quando dixit: Sicut misit me pater, & ego mitto vos, scilicet ad prædicandum. Et posteà: Quæcumque remiseritis &c. quo ad potestatem ligandi, & soluendi. Item Matth. vlt. in fine dicit Dominus in monte Gallilææ parum ante Ascensionem: [Euntes igitur, docete omnes gentes.] Ecce quod eis dat officium prædicandi. [Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritu Sancti.] Ecce potestatem baptizandi dat eis. Item Marc. vlt. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Sequitur posteà: Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Fortè dices, quòd ibi non fuerunt 72. Discipuli quando hoc dixit Apostolis, imò fuerunt,

runt, & negare hoc, videtur manifeſtè hæreticum, & contrà ſacram Scripturam, quæ aliàs ſaluari non poteſt. Vndè Act.1. quando reuerſi fuerunt de monte Oliueti, vndè Chriſtus aſcendit, dixit Petrus: Oportet ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati omni tempore, quo Chriſtus intrauit, & exiuit Dominus Ieſus inter nos incipiens à baptiſmate Ioanis vſquequò aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis eius fieri vnum ex iſtis, & ſtatuerunt duos, Ioſeph, & Matthiam, qui fuerunt de 72. Diſcipulis; ergo, & ipſi, & alij Diſcipuli fuerunt in aſcenſione Chriſti, cùm iterato miſit eos ad prædicandum, & baptizandum, immò ſi debeat illa ſcriptura verificari, oportet eos 72. Diſcipulos fuiſſe ſemper cum Chriſto, ſicut & 12. ergo Apoſtoli, & Diſcipuli ſunt immediatè inſtituti à Chriſto, & ab ipſo receperunt ſine medio poteſtatem; ergo & ſtatus curatorum, & ipſi ſunt immediatè à Chriſto inſtituti, & ab ipſo immediatè poteſtatem habent, ſtatus enim iſtorum non eſt alius, & alius: ſicut ſtatus iſti non ſunt alij, quàm erant ante centum annos, ſed eſt vnus ſtatus continuatus à Chriſto ſemper, & poteſtas data illis à Chriſto, eſt continuata in iſtis, quare enim poteſtas collata Petro cõtinuata eſt in Rom. Pontif. & poteſtas collata alijs Apoſtolis nõ eſt continuata in alijs Epiſcopis, & poteſtas collata Diſcipulis, non eſt continuata in curatis, nõ poteſt dicere, & ideò curati ſunt veri ordinarij habentes iuriſdictionẽ ordinariam non iure humano ſibi datam, ſed à Chriſto immediatè in prima inſtitutione Eccleſiæ, in qua hos duos ordines, & ſolùm illos inſtituit, & etiam non ſunt Vicarij Epiſcoporum, ſed Ieſu Chriſti ab ipſo inſtituti: inferiores tamen, & minores Epiſcopis, nec ab ipſis poſſunt deſtitui, niſi ex rationabili cauſa, ſicuti nec Epiſcopi à Papa, cùm non ſint eorum Vicarij, ſed Ieſu Chriſti. Item Epiſcopi habent inferiorem poteſtatem à Deo immediatè ſub Papa, ſed non à Papa: quia tunc, Sede Papali vacante, poteſtas in prælatis inferioribus periret: ſicut ſenſus abſciſſo capite deficiunt in cæteris membris. Et ſi ità eſſet, adhuc manifeſtiùs conſtat, quòd Epiſcopus ordinarius tempore vacationis nullam haberet poteſtatem, & cùm illa vacatio poſſe durare in multis annis, ſequeretur, quòd poteſtas Eccleſiæ totaliter deperiret, quod nepharium eſt dicere. Conſimiliter poteſt argui, quòd curati ſuam poteſtatem non habent, nec à Papa, nec ab Epiſcopis, ergo, &c. Ex quo patet, quòd nec Papa à prælatis poteſt poteſtatem datam à Chriſto eis, auferre, & alijs non prælatis dare: nec ſtatum Eccleſiæ à Chriſto inſtitutum deſtruere, & mutare, cùm ſit ei data poteſtas in ædificationem, non in deſtructionem, ſicut ait Apoſtolus 2. Corinth.10. Et hoc pulchrè dicit Vrbanus Papa.25. quæſt.1. ſunt quidam, vbi ſic dicit. Inde nouas leges condere poteſt Romanus Pontifex, vbi Euangeliſtæ aliquid nequaquam dixerunt, vbi verò Dominus, vel eius Apoſtoli, & eos ſequentes ſancti Patres ſententialiter aliquid diffinierunt ibi, nec nouam legem Romanus Pontifex dare poteſt, ſed potiùs quod prædicatum eſt, vſque ad animam, & ſanguinem confirmare debet, &c.

CAP. LX.

In quo ponuntur aduerſariorum obiectiones ſumptæ ex inconuenientibus, quæ dicuntur ſequi ex concluſione præfata.

PRætereà aduerſarij concluſionem præfatam labefactare nituntur ex inconuenientibus quibuſdam, quæ videntur eis ex præfata concluſione ſequi.

Arguunt enim ſic: Poteſtas, quæ eſt ab aliquo, deficit illo deficiente: cum virtus ſequentium pendeat ex eo vndè ſiccata radice, ramorum deficit virtus, & extincto fonte, riuulorum aqua ſiccatur; ſi ergo poteſtas iuriſdictionis aliorum prælatorum Eccleſiæ deriuatur à Papa, ſequitur, quod eo expirante, ſiue moriente, deficeret cæterorum prælatorum auctoritas; ſed hoc eſt falſum, & inconuenientiſſimum; ergo illud, ex quo ſequitur, conſequentia eſt bona, & antecedens patere videtur, cum deficiente cauſa, deficit eius effectus.

Secundò ſic: Si inferiores prælati iuriſdictionem ſuam acceperunt immediatè, non à Chriſto, ſed à Papa, tunc videtur, quòd poteſtas Papæ ſe haberet ad poteſtates Epiſcoporum, ſicut poteſtas regis ad poteſtatem iudicium inſtitutorum per eum, & non ſicut ad poteſtates principum, ſed hoc eſt inconueniens, quia ſequeretur, quòd Epiſcopi non eſſent ordinarij, aut curati: ſicut iudices non ſunt ordinarij, vt videtur, conſequentia videtur bona, & totum aſſumptum.

Tertiò ſic: Si poteſtas Epiſcoporum, & curatorum non differt à poteſtate iudicum, qui inſtituuntur à principibus, ità ſcilicet, quòd tota poteſtas eorum eſt à poteſtate Papæ, & quòd pro libito talem poteſtatem confert Papa ſecundùm quòd ſibi placet, tunc poteſtas eorum non differt à poteſtate commiſſariorum, quia vtrobique quilibet habet tantùm de poteſtate, quantùm placet inſtituenti, ſed hoc eſt falſum, & inconueniens, quia tunc Epiſcopus non poſſet committere, cum commiſſarij non poſſint committere.

Quartò ſic. Si prælati alij poteſtatem iuriſdictionis, quam habent, haberent non immediatè à Chriſto, ſed à Papa, tunc Papa poſſit ad libitum deponere etiam ſine culpa, & ſine cauſa Epiſcopos, ſed hoc eſt falſum, & inconueniens: ergo & illud, ex quo ſequitur, conſequentia videtur nota ſatis, maior patet, quia quilibet ſuperior, à quo totaliter pendet poteſtas inferiorũ, pro libito volũtatis poteſt amouere, & poteſtatem ſubtrahere à ſuis inferioribus, ſicut Rex baliuum, & Papa legatũ ſuum mutare poteſt ad libitum ſine peccato. Minor patet, quia dicit ibi Apoſtolus 2. Corinth. 10. Poteſtatem, quam dedit mihi Dominus, in ædificationem, non in deſtructionem, non eſt dubium, quin vtens poteſtate ad oppoſitum eius, ad quod eſt ordinata peccet,

CAP. LXI.

In quo respondetur ad obiecta aduersariorum primò sumpta ex parte Apostolorum.

TAnta firmitate veritatis stabilita,videtur conclusio præfata dicens, quòd omnium aliorum prælatorum Ecclesiæ iurisdictionis auctoritas, non modo quoad executionem,& vsum,vt volunt aliqui dicere: sicut Gofridus de Fontanis, & Henricus de Gandano in suis quodlibetis, & alij eorum sequaces: sed etiam quoad substantiam potestatis à Romano Pontifice mediatè, vel immediatè regulariter sit deriuata, vt saluo meliori iudicio, in nullo ei videatur per aduersariorum rationes præiudicatum. Quod nos maximè faciemus manifestum,cum ad singulas aduersariorum rationes adiungemus responsa. Habet autem inter alia fundamenta, præfata nostra conclusio fundamentum irrefragabile, diffinitionem scilicet, Apostolicæ Sedis, quæ cum suprà petram Christum fundata sit, in ea semper fides illibata permansit, permanebitque. Diffiniuisse autem videtur Apostolica Sedes hoc per plures summos Pontifices.

Primò quidem per Vigilium Papam, qui in decretis suis scribens Eleutherio Episcopo ità dicit. Nulli vel tenuiter scienti, vel pleniter sapienti dubium est, quòd Ecclesia Romana fundamentum sit, & forma Ecclesiarum,a qua omnes Ecclesias principium sumpsisse, nemo rectè credentium ignorat. Hæc ille. Nota benè verba, quia si nullus credentium ignorare debet, quin omnes Ecclesiæ à Romana sumpserunt initium, nullus etiam ignorare debet, quin etiam sumpserint, & auctoritatem.

Secundò, hoc idem diffiniuit per Nicolaum Papam Primum, qui scribens Mediolanensibus, vt habetur in cap. omnes dist. 22. ità dicit: Omnes siue Patriarchæ, idest, Patriarchatus cuiuslibet Apicem, siue Metropoleon primatus, aut Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum, siue cuiuscumque ordinis dignitatem instituit Romana Ecclesia: illam verò solus ipse fundauit &c. Nota verba, quòd Ecclesia Romana instituit, cuiuscumque ordinis dignitatem; ergo quòd cuiuscumque ordinis iurisdictionis potestas ab Ecclesia Romana dependeat, nullus debet dubitare fidelis.

Tertiò, diffiniuit Apostolica Sedes per Innocentium Papam Primum, qui vt habetur in cap. quis nesciat dist. 11. ità Episcopo Decentio scribens dicit. Quis nesciat, aut quis non aduertat id, quod à Petro Apostolorum Principe Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc hucusque custoditur, ab omnibus debere seruari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod auctoritatem debeat generalem aliundè accipere, vel exemplum, præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Galliam, Hispaniam, & Aphricam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus, aut successores eius constituerunt sacerdotes, & ità oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit à qua principium eos accepisse, non dubium est. Hæc ille. Nota verba: principium accepisse, non dubium est; ergo, & auctoritatis substantiam. Quartò diffiniuit, siue testatur Apostolica Sedes per beatum Gregorium Papam, qui scribens Episcopis per vniuersas Prouincias, vt habetur in cap. decreto 2. quæst. 6. ità de Romana Ecclesia ait, quòd ita alijs vices suas impertiuit Ecclesijs, vt in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Quintò hoc idem attestatur Apostolica Sedes per Iulium Papam, qui vt in cap. qui se scit, causa & quæst. supradictis ità dicit. Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ità reliquis Ecclesijs vices suas credidit largiendas, vt in partem sint vocatę sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Nota verba impartiuit, & largitus est vices suas alijs Ecclesijs. Cui iam dubium est, quin omnes aliæ Ecclesiæ auctoritatem suam habeant ab ipsa Romana Ecclesia, sicut in partiente, & largiente illam. Nec potest dici, quod ista partitio, & largitio vicum suarum intelligatur de particulari, speciali, accidentali commissione, quam Papa facit quibusdam Ecclesijs quoad primatum, & dignitatem legationis, aut quotidianis commissionibus, quas facit ecclesiasticis personis. Tùm primò: quia hoc non conuenit nisi certis, & paucis, ac determinatis Ecclesijs, & personis, auctoritates autem omnes loquuntur de omnibus alijs Ecclesijs in communi,sicut apparet ex forma dicendi. Tùm secundò: quia huiusmodi commissio, quæ fit certis personis, aut Ecclesijs est accidentalis, illa enim, quæ sunt per accidens, non cadunt sub arte 2. Metaphys. vndè auctoritates sunt intelligendæ de potestate, quam habent cæteræ Ecclesiæ communiter, & non accidentaliter, quòd scilicet talis procedat ab Ecclesia Romana.

Roborata iam sic conclusione nostra Apostolicæ Sedis auctoritate, cui fas non est contradicere,respondendū est ad obiecta. Pro quorum tamen solutione, & materiæ præsentis notitia clariori præmittemus in primis hoc notabile, tàm ex beato Thom. in 1. sententiarum dist.12.quàm ex communi aliorum doctorum doctrina colligitur, quòd cùm dicitur aliquid habere potestatem immediatè ab aliquo alio, potest intelligi dupliciter, vel quantum ad immediationis virtutis, vel quantùm ad immediationem suppositorum agentium,à quibus habetur talis potestas. Si sermo currat de primo modo immediationis, tunc dicimus, quòd omnis virtus,auctoritas, potestas, & iurisdictio, quæ est in Papa, siuè in aliquo quocumque Prælato, est à Christo immediatè. Hoc patet,quoniam à nullo alio potest talis potestas conferri,nisi per potestatē existentem in Christo, siuè collatā à Christo, sicut nulla alia causa à prima potest agere, nisi per virtutem causæ primæ. Et de hoc modo immediationis non loquimur hìc, quoniā hoc modo immediationis omnis potestas quorumcūque de Ecclesia, est immediatè à Christo. Sed loquimur de secundo modo immediationis, quæ est ex parte suppositorum agentium, siuè potestatem conferentium, quo modo tunç quis dicitur à Christo immediatè,potestatem aliquam suscipere, quan-

quandò inter accipientem potestatem, & ipsum Christum conferentem, non est aliquod medium, scilicèt suppositum suscipiens à Christo, & conferens ipsam potestatem alteri. Et de isto modo immediationis loquentes, hic dicimus, quòd solus Petrus immediatè à Christo potestatem iurisdictionis accepit, cui soli dictum est: [pasce oues meas, & tibi dabo claues Regni Cœlorum.] Omnes verò alij Apostoli à Christo, mediante Petro potestatem susceperunt, dicente beatissimo Leone Papa, vt suprà inductum est, quòd Christus si quid alijs Ecclesiæ Principibus voluit cum Petro esse commune, numquam nisi per ipsum dedit: quicquid alijs non negauit. His habitis dicendum est, ad rationem in oppositum.

Ad primam respondetur dupliciter. Primò negando consequentiam, ista enim consequentia non est bona: Apostoli, & Discipuli habuerunt potestatẽ iurisdictionis à Christo immediatè, ergò, & nunc Ecclesiæ Prælati potestatem iurisdictionis habent immediatè à Christo. Quod duobus exemplis facimus manifestum. Primùm est de constitutione mundi, manifestum est, quòd licèt in principio mundi prima indiuidua specierum, sint immediatè facta à Deo, tamen de nouo non fiunt immediatè à Deo, quantùm ad ordinem suppositorum agentium, immò fiunt mediantè virtute cœlesti, & mediantibus alijs causis secundis. Vndè Aristot. 2. phisicorum ait, quòd Sol, & homo generant hominem, sicut ergò non valet ista consequentia: In institutione mundi, cœli, & elementa, ac aliæ principales partes mundi fuerunt immediatè à Deo facta, ergo etiam in propagatione rerum institutarum omnia, quæ fiunt, fiunt immediatè à Deo. Ità etiam ista consequentia non est bona: Christus in prima constitutione, & fundatione Ecclesiæ immediatè constituit Apostolos, Episcopos, & Curatos, quantùm ad potestatem iurisdictionis, ergo similitèr in progressu Ecclesiæ fundatæ, alij, qui sequuntur post institutos à Christo, sunt immediatè à Christo instituti. Hoc etiam similitèr patet in secundo exemplo, quod consideratur in regimine ordinis politici, licèt enim Christus Princeps, & pastor principalis Ecclesiæ, dum præsens esset in regno militantis Ecclesiæ, secundùm conuersationem humanam instituisset per se Apostolos, & Discipulos in diuersis iurisdictionibus, non sequitur propter hoc, quòd ipso absente secundùm conuersationem humanam, alij, qui in regno Ecclesiæ succedunt primis per eum institutis, sint ab ipso immediatè instituti, poterunt enim esse instituti à suo Vicario generali, cui totius regni sui curam, & regimen committit: sicut contingit in politijs sæcularibus, & etiã spiritualibus, quòd cum principalis Dominus, longo tempore disponit absentare se, committit suo generali Vicario; vt si interim vacare contingat officia, aut loca aliqua, prouideat de idoneis ministris. Quòd ità credendum est factum esse, cum Christus alta cœlorum peteret, ab ecclesia militante potentiam suam corporalem, visibilemque subtracturus, beato Petro, tamquam eius generali Vicario curam, & regimen totius Ecclesiæ suæ plenissimè commendaret. Vndè in huiusmodi figura legitur Esdr. 7. Artasaxes Rex Regum Esdr. 9. Vicario suo generali dat potestatem constituendi omnes Iudices in prouincia suæ Vicariæ dic. Tu autem Esdra, &c. constitue præsides, qui iudicent omni populo. Quod maximè hic ità factum esse creditur, quoniam hoc & ad firmius vnitatem Ecclesiæ conseruandã, & ad obedientiam pleniorẽ inferiorum Prælatorum ad suum generalem Vicarium plurimum conferret. Et ità patet, quod consequentia illa aduersariorum nulla sit. Et ad probationem cùm dicitur, quòd Episcopi succedunt Apostolis, & Præsbyteri 72. Discipulis, ergo &c. respondetur, quod consequentia ista non est necessaria: Iste succedit illi in aliqua iurisdictionis potestate, ergo habet eam immediatè ab eo, à quo prædecessor habuit, clarissimum enim, est quòd multi Prælati succedunt alijs in similitudine officij, aut potestatis, & non in modo accipiendi: sicut patet exemplaritèr de duobus Episcopis eiusdem loci sibi succedentibus, quòd licèt habeant similem potestatem episcopalem, non oportet, quòd illam habeant eodem modo, quia vnus potest habere eam per institutionem Papæ, alius per electionem. & simile exemplum est de curato, qui potest poni à Papa immediatè, vel per confirmationem Episcopi. Et ità dato, quòd Apostoli receperint à Christo immediatè potestatem, non sequitur propter hoc, quòd Episcopi, & Curati eodem modo, scilicèt immediatè suscipiunt à Christo potestatem. Quod etiam manifestè videtur patere ex Glos. Aug. & Cassiodori super illud Psalm. 44. [Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, vbi dicit. Post Prophetas Apostoli, & pro Apostolis Episcopi, & alij, quos Ecclesia genuit, & in sede patrum constituit. Hæc Glos. Ecce quod manifestè facit, quòd Ecclesia Episcopos genuit, & in sede Patrum constituit, ergo per consequens illis Ecclesia immediatè potestatem contulit, & per consequens non habuerunt illam immediatè à Christo, non ergo valet ista consequentia: Episcopi succedunt Apostolis in similitudine officij, aut potestatis, ergo in modo recipiendi, ità quòd immediatè habeant illam à Christo, sicut Apostoli. Quòd verò constantèr dicitur ad probationem, cum inducitur similitudo de Papa, quòd ipse dicatur, ideò immediatè accipere potestatem à Christo, quòd succedit Petro, qui à Christo habuit immediatè, respondetur, quòd non est simile de Papa, qui est vniuersalis Vicarius Christi in tota vniuersali Ecclesia, & de alijs Prælatis, qui sunt particulares Vicarij, quoniã Vicarij particulares constitui possunt ab alio, quàm à principali Domino, quoniam possunt institui à generali Vicario, non sic autem de generali Vicario, quoniam pro amplitudine, & vniuersalitate potestatis, & auctoritatis suæ non potest, nisi à principali Domino immediatè constitui, & ideò non est simile. Verùm de hoc pleniùs dicemus in c. sequenti, & videbitur planè, quòd rationes aduersariorum sunt parui pretij. Et hæc sint dicta, quo ad primam rationem. Secundò respondetur ad præfatam obiectionem negando antecedens, siuè assumptũ: videlicèt quòd Apostoli, & Discipuli receperint à Christo immediatè potestatem iurisdictionis, quam

habue-

habuerunt, quoniã hoc non videtur benè probabile iuxtà auctoritates, & decreta sanctorum Patrum, ac rationes suprà inductas per diuersa capitula. Quare respondendum est ad auctoritates, & rationes inductas ad probandum antecedens prædictum.

Ad primam, quæ inducitur Matth.18. Quodcumque alligaueritis super terram, &c. respondetur, quòd auctoritas nihil facit pro aduersarijs, quoniã per illa verba non est tunc data actu aliqua potestas iurisdictionis Apostolis, benè tamen promissa, vel insinuata dari in futurum eis, & successoribus eorum, non enim videtur, quòd ante passionem suam Christus alicui Apostolorum dederit aliquam potestatem iurisdictionis. Quod ex multis colligi videtur. Tum ex eo, quod illo tempore conuenit alicui habere potestatem iurisdictionis, pro quo competit exercere actum iurisdictionis in foro conscientiæ, vel contentioso, sed ex dictis euangeliorum non apparet, quòd aliquis Apostolorum exercuisset aliquem actum iurisdictionis ante passionem Christi, maximè cum illo tempore nondum facti essent sacerdotes, ergo, &c. Tum secundò, quia Christus ante passionem per se regebat Ecclesiam suam, non per officiales, aut Vicarios, ergo non videtur, quod tunc aliquis Apostolorum habuerit potestatem iurisdictionis alicuius: maximè cum nulli Apostolorum Christus assignasset subditos aliquos, in quos iurisdictionem sibi datam exequi valuissent. Tum tertiò, quia si data dicatur potestas iurisdictionis Apostolis à Christo actu regente Ecclesiam, aut plena, & illimitata super omnes fideles, sicut ipse Christus habebat, aut data est eis potestas limitata super aliquos, & super aliquos non, sed nullum horum videtur dicendum, non primùm patet, non secundùm, quia non est fingere limitationem talem, ergo, &c. Tum quartò: quia si tunc data fuisset Apostolis potestas iurisdictionis tunc videtur, quòd omnes alij Apostoli æqualem potestatem iurisdictionis, recepissent cum Petro, quod non est dicendum, quia solus ille vocatus est in plenitudinem potestatis, qui etiam ipsorum Apostolorum Princeps erat à Christo ordinatus. Dicendum ergo videtur, quòd per illa verba dicta Apostolis ante passionem, scilicèt, [quodcumque alligaueritis, &c.] nulla auctoritas iurisdictionis data sit Apostolis, sed solum promissa, & insinuata dari in futurum, sicut prædiximus, sicut nec Petro per verba illa Matth.16. [Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque solueris, &c.] Et ad verba Hieron. dicentis in Glos. quòd potestatem tribuit Apostolis. Dicimus, quòd ly tribuit exponendum est, idest tribui promisit, quoniam enim Dei permissio certissima est, ideò Hieron. de potestate promissa loquens, more scripturæ loquitur, ac si iam data fuisset.

Ad secundam auctoritatem, quæ habetur Ioann.20. [Quorum remiseritis &c.] respondetur, quòd ista auctoritas non loquitur de aliqua auctoritate iurisdictionis, sed tantùm de potestate ordinis, vnde S.Thomas respondens ad hanc auctoritatem in 4. dist.19. dicit sic. Ad absolutionem peccatorum, requiritur duplex potestas, scilicèt ordinis, & potestas iurisdictionis, prima quidem potestas est equalitèr in omnibus sacerdotibus non autem secunda: & ideò, vbi Ioann. 20. Christus dedit Apostolis communitèr potestatem dimittendi peccata, intelligitur de potestate, quæ consequitur ordinem, vndè, & sacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur: Hæc S.Thomas. Hęc autem potestas, quæ consequitur ordinem, est ille principatus superni iudicij, de quo dicit Greg. quam Apostoli tunc à Christo susceperunt. Cum autem arguitur ex aduersò, quòd non possit intelligi de potestate ordinis, quia illam habuerunt in cena Domini, cum facti sunt sacerdotes. Respondemus cum eodem S.Thomas in 4.dist. 23. sicut superiùs lib.1.cap.92. notauimus, quòd Dominus dedit Discipulis suis sacerdotalem potestatem, quantùm ad principalem actum ante passionem, quando dixit: [Accipite, & manducate.] Vndè subiungit. [Hoc facite in meam commemorationem,] sed post resurrectionem dedit eis potestatem sacerdotalem, quantùm ad actum secundarium, qui est ligare, & soluere. Et ità patet, quòd per illam auctoritatem non probatur intentum aduersariorum. Prætereà quòd prædicta auctoritas non faciat ad aduersariorum propositum, sed magis confirmat propositum, patet ex ordine tẽporis, quo Christus verba illa dicit Apostolis, quoniam vt inquit sanctus Thomas in 4.dist.23. Quamuis omnibus Apostolis data sit communitèr potestas ligandi, & soluendi, tamen vt in hac potestate ordo aliquis significaretur, primò soli Petro data est, vt ostendatur, quòd ab eo in alios debeat descendere, propter quod ei singularitèr dixit Christus, [confirma fratres tuos, & pasce oues meas, idest loco mei,] vt dicit Chrysostomus, præpositus, & caput esto fratrum tuorum, vt ipsi te in loco meo assumentes, vbique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment.

Ad tertiam auctoritatem, quæ ponitur Matth. 16. [Tibi dabo claues, &c.] Super qua dicit Leo Papa, quòd transiuerit in alios Apostolos ius illius potestatis, respondetur, quod beatus Leo Papa verum dicit, nec dubium est aliquod, an Apostoli habuerint potestatem ligandi, & soluendi, sed an habuerit immediatè à Christo, vel non, loquendo de immeditatione suppositorum agentium. Dicimus ergo, quòd ius potestatis transiuit, & commeauit in alios Apostolos, & Principes Ecclesiæ, sed per Petrum, nam vt idem Leo inquit in 3. sermone ordinationis suæ. Quicquid cæteris cùm Petro voluit esse commune, non nisi per Petrum dedit, quicquid alijs non negauit. Et hoc sonat verbum transitus, qui de extremo ad extremum non fit, nisi per medium, & quòd ità etiam veniat intelligendum, non modo patet ex supradictis, sed ex eo, quod dicitur in fine eiusdem auctoritatis, vbi sic dicitur, quòd Petro hoc singularitèr creditur, scilicèt alijs dispensandum secundùm illud 1. Corinth.9. Dispensatio mihi credita est, fuit enim Petrus dispensator ille fidelis, quem constituit Dominus super familiam suam, gloss. idest Ecclesiã Luc.22. Eodem modo respondetur ad auctoritatem Rabani in gloss. Dicimus enim, quòd potestas data Petro, sit data alijs Apostolis, nihilominus tamen

men differenter, sicut exemplariter possumus dicere, quod Deus dedit lumen Soli, & Stellis, sed differenter, quia soli immediatè, & in plenitudine, stellis verò per medium solis & in minori quantitate. Sic Christus dedit Petro Vicario suo generali, & Gubernatore totius Orbis Christiani, & in quantitate, siue mensura per Petrũ limitanda secundùm partem sollicitudinis, ad quam essent euocandi.

Ad quartam auctoritatem, quæ habetur Luc.6. respondetur negando consequentiam, quomodo ex illa auctoritate, nec ex dicto Ambrosij habetur, quod Christus tunc contulerit potestatem aliquam iurisdictionis Apostolis, aut discipulis, sed benè potestatem prædicandi. Huiusmodi autem potestas prædicandi distincta est à potestate iurisdictionis, quemadmodum multę alię potestates, quę in Euangelijs legũtur datę Apostolis, sicut est potestas miracula faciendi, sicut est potestas baptizandi, sicut est potestas Sacerdotalis, siue conficiendi, sicut est potestas, temporalia pro spiritualibus metendi, sicut est potestas ligandi, & soluendi in foro conscientiæ. Vndè ex collatione talium potestatum facta Apostolis, aut Discipulis non arguitur, quòd data fuerit eis potestas iurisdictionis aliqua tunc à Christo.

Ad quintam, & sextam auctoritates per idem patet responsio. Quod verò dicebatur, quòd missio sit collatio potestatis iurisdictionis falsum est; licet enim sit collatio potestatis prædicandi, non tamen potestatis alicuius iurisdictionis. Quocirca ex hoc, quòd Christus immediatè miserit Apostolos, & discipulos ad prædicandum, non habetur, quòd Christus immediatè dederit eis aliquam potestatem iurisdictionis.

Ad septimam auctoritatem, quæ est Anacleti: respondetur iuxta gloss. decreti, quòd loquitur de potestate ordinis, siue consecrationis, non autem de potestate iurisdictionis, de qua est pręsens sermo, & ideò textus ille non fauet in aliquo aduersarijs.

Ad octauam auctoritatem, quæ est Cypriani in cap. loquitur 24. quæst. 1. facilis est responsio per gloss. eiusdem cap. quæ ait, quod paritas illa accipienda sit in ordine, & dignitate consecrationis non in administrationis plenitudine, in hoc enim Petrus superior fuit, & maior, vtpotè Apostolorum Princeps, ait enim beatus Clemens, & habetur in cap. in illis distinct. 80. quòd inter Apostolos non fuit par institutio, sed vnus præfuit omnibus. Et ita videtur, quòd textus ille non de potestate iurisdictionis loquitur, sed de potestate ordinis, & ita non est ad propositum.

Ad nonam, in qua obijcitur de electione Matthiæ: respondetur negando assumptum, & ad probationem dicimus, quod non sufficienter probat negatum, quoniam licèt dicatur, quòd à Christo immediatè fuerit electus ad dignitatem Apostolatus, & ascriptus sacro numero duodenario Apostolorum, non habetur ex hoc, quòd non fuerit aut Episcopus immediatè à Christo consecratus, aut Donatus aliqua iurisdictionis auctoritate, ista enim non habent ad inuicem connexionem essentialem, sicut manifestum est, multo enim tempore Apostoli fuerunt Apostoli, & non Episcopi, nec aliquam habentes potestatem iurisdictionis, plures etiam in primitiua Ecclesia fuerunt Episcopi, qui non fuerunt Apostoli.

Ad decimam obiectionem de Paulo respondetur multipliciter. Primò, quòd argumentum hoc non videtur facere ad propositum, quoniam cùm dictum est, quòd omnes Prælati Ecclesiæ à Romano Pontifice susciperent immediatè potestatem iurisdictionis, additum est regulariter, non voluimus denegare quin aliqui potuissent recipisse à Christo immediatè, licèt enim lege communi nullus mundetur ab originali, sine baptismo, secundùm illud Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in Regnum Dei, quod nullus ingreditur, nisi mundus, quia nihil inquinatum currit in illam gloriam. Nihilominus Deus, qui nullis restringitur legibus, qui nec sacramentis suam ligauit potentiam, potest quemcumque mundare, sine baptismo, aut aliquo Sacramento, per sanctificationis munus in vtero, vel alio modo, sicut sibi placet. Ita in proposito dicimus, quòd Deus Petrum instituens Pastorem, Principem, ac caput Ecclesiæ, voluit de communi lege ad vnitatem Ecclesiæ seruandam, vt ab ipso suo vniuersali Vicario, & consequenter à suis successoribus omnes alij inferiores Prælati, & Rectores Ecclesiæ vniuersam iurisdictionis potestatem, ac regiminis auctoritatem susciperent, & recognoscerent. Nihilominùs Paulo, aut alteri Apostolorum, siue etiam non Apostolo, sicut sibi placet dare potest, & potuit illam potestatem, & etiam maiorem, quam alij susceperunt mediante Petro. Sicut ergo non valet ista consequentia. A. est mundatus ab originali peccato à Christo immediatè sine baptismo, ergo & alij, ita nec illa. Secundò respondetur, quòd inducta de Paulo non procedunt, quoniam in illis non fit mentio de potestate iurisdictionis, sed de auctoritate prædicationis siue Euangelizandi verbum Dei, & ad hoc ipse immediatè electus est à Christo secundùm illud Act. Vas electionis est mihi iste, &c. Vndè gloss. secundùm illud 2. Corinth. 10. quoniam inducitur ex aduerso. De potestate nostra, quam dedit Dominus, dicit gloss. De potestate Apostolatus, quam Dominus dedit nobis, non illis. Tertiò respondetur, quòd licèt in principio Apostolatus, Paulus à Christo immediatè auctoritatem prædicationis habuerit, nihilominus tamen post etiam à Petro recepit, quandò auctoritate Petri Paulus, & Barnabas per inspirationem Spiritus sancti missi sunt ad prædicandum Act. 13. sicut tangit gloss. decreti capit. quis nesciat, dist. 11.

CAP. LXII.

In quo respondetur ad secunda obiecta aduersariorum, scilicèt per rationes.

Responsione data ad obiecta aduersariorum sumpta ex ordine Apostolorum ad Petrum, iam restat respondendum alijs rationibus illorum.

Et ad primam sumptam ex auctoritate bea-

beati Bernardi respondetur, quòd beatus Bernardus dicens non solùm Papalem, sed etiam alias potestates Ecclesiæ esse à Christo, verum dicit, & oppositum asserere est erroneum, quoniam vt Apostolus ait ad Rom. 13. omnis potestas à Deo est, sed hoc non obuiat proposito nostro, quoniam non dicimus, quòd potestas iurisdictionis Prælatorum Ecclesiæ non sit à Christo, absit hoc ab ore Christiano, sed quod non sit immediatè à Christo immediatione suppositorum agentium, sed sit hoc modo immediatè à Romano Pontifice, qui in regimine Ecclesiæ, & dispositione eius vices gerit Iesu Christi sicut eius Generalis Vicarius, non dicit autem Bernardus, quòd omnes potestates aliæ Prælatorum sint immediatè à Christo vndè non est ad propositum.

Ad secundam rationem, quam fecit Henricus de Gandauo, quòd Episcopi sunt sponsi Ecclesiæ, &c. respondetur. Primò, quod vt inquit S. Thom. in tractatu contra impugnantes Religionem, & nos in superioribus tetigimus in cap. 27. sponsus Ecclesiæ propriè est Christus, de quo dicitur Ioann. 3. Qui habet sponsam, sponsum est, ipse enim de Ecclesia suo nomini filios generat. Alij autem, qui sponsi dicuntur, sunt ministri sponsi exteriùs cooperantes ad generationem spiritualium filiorum, quos tamen non sibi, sed Christo generant. Qui quidem ministri in tantùm sponsi dicuntur, in quantum vicem veri sponsi obtinent, & ideò Papa, quòd vicem sponsi obtinet in tota Ecclesia, vniuersalis sponsus Ecclesiæ dicitur, Episcopus autem suæ diocesis. Secundò respondetur negando istam consequentiam: Episcopi in hoc gerunt vicem Christi ergo per potestatem, quam immediatè receperint à Christo. Ista consequentia non valet, quia vicem Christi gerunt per potestatem, quàm immediatè receperunt à Rom. Pontif. qui immediatè vocat eos in potestatem sollicitudinis suæ.

Ad tertiam de beato Iacobo, qui dixit: Ego iudico, &c. dicunt quidam, sicut Henricus de Gandauo vbi supra in responsione cuiusdam argumenti, quòd licèt Petrus potuisset ferre sententiam, nihilominùs, quia congruum fuit, & decens, vt quilibet superior permittat gaudere inferiorem sua potestate ordinaria, vbi eam habet exercere, & ideò Petrus permisit Iacobo in sententia illa ferenda vti iure suo, sicut Papa cùm est in Ciuitate aliqua, non aufert propter hoc officialem, nec curiam Episcopo illius Ciuitatis; sed de his, quæ ibi emergunt ei iudicium, dicitur. Sed ista responsio non videtur nobis rationabilis; quoniam hìc est spiritualis causa propter quam hoc non debuit Petrus permittere, licèt enim communiter fiat, & decenter, sicut dictum est, in particularibus negotij ad tribunal Episcopi deductis, non tamen decenter, & conuenienter hoc fit, cùm fidei vniuersalis est, quòd ventilanda, & declaranda, non ad tribunal Episcopi deducitur, sed ad tribunal Papæ, siue Concilij vniuersalis, vbi Papa vniuersaliter præsideat; sicut fuit de quæstione legalium super qua venit Paulus, & Barnabas ad Petrum, & ad alios Apostolos, & Presbyteros, qui erant Hierusalem, vt dicitur Act. 15. quoniam tunc non ad loci Episcopum, sed ad Papam, ad quem maiores causæ pertinēt, & qui in omni loco est ordinarius, cum approbatione Patrum Concilij pertinet præfatæ quæstionis diffinitio, & ità factum est hìc, quoniam non Iacobus, sed Petrus tamquam omnium Princeps diffiniuit, vnde beatus Hieron. in epistola 22. ad August. Petrum Principem dicit huiusmodi decreti, idest institutorem, beatus verò Iacobus non diffiniens, sed deffinitionem factam per Petrum premulgans, siue pronuncians, quia specialis illius loci erat Episcopus, ait: Ego iudico. Vnde magister Nicolaus de Lyra super hunc locum Act. 15. ità dicit: Licèt Petrus esset principalis inter Apostolos, tamen detulit Iacobo in sua diocesi, vt deterinationem dubij proferret. Nota, quòd non dicitur diffiniret, aut determinaret, scilicet determinationem, sed iam factam per Petrum proferret coram Concilio.

Ad quartam cùm dicitur, quòd competit Sacerdotibus, &c. respondetur negando minorem, & ad probationem respondetur, quòd licèt posse ligare, & soluere ad exeundum in actum necessariò requirat potestatem iurisdictionis; nihilominùm tamen secundùm se ad potestatem ordinis pertinet.

Ad quintam cùm dicitur, quòd nobilior, & firmiorum, &c. respondetur dupliciter. Primò, quòd non facit ad propositum, quoniam nos concedimus, quòd in omnibus gubernantibus, siue regimen habentibus in Ecclesiæ Principatu iurisdictionis potestas sit à Christo; licèt in aliquibus inferioribus, mediantibus superioribus suis, vsque ad primæ Sedis Pontificem, à quo velut omnium capite, omnibus inferioribus profluit, iuxtà sententiam sanctissimi Leonis Papæ in cap. ità Dominus, dist. 19. quemadmodum in Hierarchia Cœlesti, à qua exemplata est Ecclesiastica; licèt lumen reuelationis in quemcumque Angelum descendat, à Deo Patre luminum descendat, nihilominùs lex diuinitatis ità habet, vt inferiores per medios, & medij per superiores illud recipiant. Secundò respondetur, quòd si aduersarij ità dicere vellent, quòd nobilior sit principatus, cuius potestas iurisdictionis in singulis gubernantibus, deriuatur immediatè immediatione suppositorum à Deo; quàm sit mediante aliquo alio. Dicimus, quòd videtur nobis hoc esse falsum, quoniam non facere magis videtur ad nobilitatem principatus, quòd rectores eiusdem habeant immediatè immediatione suppositorum agentium potestatem à Deo, quàm si mediatè, dum tamen habeant immediatè immediatione virtutis. Vnde non videtur, quòd nobilior esset principatus vniuersi, in quo præsidet Deus, si ipse immediatè ageret omnia, nullo interueniente ordine causarum secundarum, quàm nunc sit: nec sacer Principatus Hierarchiæ Cœlestis videtur, quòd esset nobilior, si lumen reuelationis, quod à superioribus per medios descendit in infimos, immediatè à Deo in singulos descenderet: Immò videtur è contra, quia per hunc modum Deus magis nobilitat Angelos superiore, & medios, quos non tantùm lumine suo replet, sed etiam participatione potestatis suæ cooperatores efficit, dum ipsi à Deo illuminatis, alios illuminant, & illustrant.

Vndè

Vndè beatus Dionys. in fine 3. cap. Cœlestis Hierarchiæ de hoc ità dicit: Vnusquisque Hierarchiæ dispositionis ordo secundùm propriam analogiam, reducitur ad diuinam cooperationem, illam perficiens gratia, & à Deo data virtute, quæ diuinitati, & naturaliter, & supernaturaliter insunt, & ab ea superessentialiter in inferiores actus, sunt ad possibilem Deum diligentium aliorum imitationem. Sensus est, vt dicit Albertus Magnus in 2. parte, quòd illuminati à Deo reducuntur ad Dei cooperationem in hoc, quòd sunt, sicut illuminati à Deo, ità alios illuminant, & perficiunt per gratiam, & virtutem datam eis à Deo. Item beatus Thom. in 1. parte, quæst. 103. artic. 6. hoc probat sic: Cùm per gubernationem res, quæ gubernantur, sint ad perfectionem deducendæ, tantò erit melior gubernatio, quantò maior perfectio à gubernante rebus gubernatis communicatur. Maior autem perfectio est, quòd aliquid in se sit bonum, & etiam sit alijs causa bonitatis, quàm si esset solummodò in se bonum, & ideò Deus sic gubernat res, vt quasdam aliarum in gubernando causas instituat, in quibus etiam est Ordo deriuationis potestatis superiorum ad inferiores; quoniam, vt dicit S. Thom. ibidem, ex ordine ministrorum potestas Regia præclarior redditur.

Ad sextam rationem, quæ sumitur ex Dionys. respondetur, quòd parum facit ad propositum aduersariorum, aut nihil. Concedimus enim in primis, quòd Ordo Episcoporum sit primus, atque sublimissimus, scilicet ordinis dignitate, in qua omnes Episcopi sunt æquales; neque in ea Papa alios Episcopos excellit. Hoc autem dicimus non facere ad propositum; quia nos in præsenti non loquimur de potestate ordinis, sed iurisdictionis, in qua dicere quemlibet Episcopum esse summum, & sublimissimum esset hæreticum, quia licèt quilibet Episcopus posset dici summus Sacerdos, vt in cap. videntes 12. quæst. 1. & 2. quæst. 7. accusatio, vnus solus tamen est Summus Pontifex, scilicèt Romanus Episcopus. Quòd autem communiter dicitur, in Christo Iesu omnem hierarchiam consummatam, conceditur, vt tandem in Iesum, vtpotè in vltimum consumatorem, & perfectorem omnium, omnis hierarchia præficitur, & consumatur, ordine tamen quodam, ità quòd infima hierarchia per medium, & media per supremam reducatur in Iesum consumatorem omnium, quæ reductio intelligenda est, non quo ad diuinæ essentiæ visionem, quam omnes Angeli habent sine medio aliquo, sed quo ad reuelationem mysteriorum gratiæ. Quod verò vlterius dicitur, quòd hoc non esset, nisi omnis potestas in Ecclesiastica Hierarchia esset immediatè à Christo, & non à Petro, respondetur, quòd hoc est falsum de potestate iurisdictionis loquendo, sicut patet ex dictis, & faciliter potest exemplariter ostendi in Hierarchia Cœlesti.

Ad septimam rationem, quæ sumitur ex illo Act. 10. Attendite, &c. respondetur, quòd maior illius rationis est vera de eo, à quo sicut instituente immediatè sunt in Ecclesia positi rectores, sicut autem non omnes rectores Ecclesiarum sunt positi à Spiritu sancto. Et ad auctoritatem, quæ inducta est, respondetur, quòd positio illa, qua Spiritus sanctus dicitur posuisse ministros illos ad regendum Ecclesiam Dei, intelligenda est, non per modum immediatę institutionis, siue immediatæ collationis potestatis iurisdictionis, sed per modum inspirationis, quemadmodum, qui canonica institutione positi sunt in Ecclesia Prælati, siue Rectores à Deo, siue à Spiritu sancto, dicuntur vocati ad regimen Ecclesiæ suæ; licèt tamen non sint immediatè à Deo instituti, sed mediante superiori Prælato. Vndè glos. super illud Apostoli ad Hæbr. 5. [Ne quis sibi honorem assumat, sed qui vocatur à Deo,] dicit: Qui rectè eligitur, à Deo vocatur.

Ad octauam rationem, in qua dicitur, quòd Episcopi sunt Vicarij Christi, respondetur. Primò, negando maiorem vniuersaliter illius argumentationis, dicentes, solùm habere veritatem de Vicario generali à Principe constituto, non autem de particularibus, & secundùm quid Vicarijs, qui à generali Vicario constitui possunt, sicut est manifestum; vnde & Episcopi dicuntur Vicarij Apostolorum, cùm eorum vices gerant in Ecclesia, vt in cap. quorum vices dist. 68. & nihilominus volunt aduersarij concedere, quòd ipsi receperint potestatem immediatè ab Apostolis, illa ergo maior propositio non est vniuersaliter vera, vnde benè stat, quòd tales particulares Vicarij à Vicario generali immediatè constituantur, & nihilominus aliquo modo dicantur Domini principalis Vicarij in quantum ministerialiter sibi cooperantur dispensando Sacramenta fidelibus, sicut patet de Sacerdote Curato, qui licèt sit institutus immediatè à Papa, siue ab Episcopo, Pastor, vel Confessor vnius populi; nihilominus dicitur Vicarius Christi de pœn. distin. 4. §. Inter hæc. Secundò respondetur, quòd falsum est, quòd Episcopi non sint Vicarij Papæ, uam Ecclesia Romana, vt habetur in cap. decreto, & in cap. sequenti, 2. quæst. 6. dicitur impartiri, & largiri alijs Ecclesijs vices suas. Item curatis quibusdam in sua ordinatione dicit Episcopus: Quantò fragiliores sumus, tantò ampliùs necessarijs auxilijs indigemus. Illius ergo vices gerunt, ad cuius auxilium assumuntur. Nec obstat, quòd sunt Ordinarij, quia etiam Legatus à Latere est Ordinarius, & tamen est Papæ Vicarius.

Ad nonam rationem cum dicitur, quòd Papa sit caput ministeriale, &c. respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Pro quo notandum, quòd sicut superiùs in cap. 22. commemorauimus, iuxtà sanctum Thom. caput in alia membra dupliciter influit. Vno modo, quodam intrinseco influxu, prout virtus motiua, & sensitiua à capite deriuatur in cætera membra. Alio modo secundum exteriorem quandam gubernationem, prout scilicet secundùm visum, & alios sensus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior autem influxus non est ab aliquo, nisi à solo Christo, cuius humanitas, ex hoc, quòd est diuinitati coniuncta, habet virtutem iustificandi, & per consequens Papa, & alij Ministri Ecclesiæ, quantùm ad hunc influxũ non videtur habere ministerium, nisi quantùm ad dispositionem subie-

subiecti per dispensationem Sacramentorum. Sed secundus influxus in membra Ecclesiæ, quantum scilicet ad exteriorem gubernationem potest alijs competere, & secundum hoc Papa dicitur caput Ecclesiæ, in quantum est gubernator, & rector Ecclesiæ, dicente Domino beato Petro, cuius Romanus Pontifex successor est: [Pasce oues meas,] Ioann. vlt. Et secundùm hunc influxum exteriorem influentia Papæ respectu Ecclesiæ attenditur etiam quantum ad collationem potestatis in eos, quos vocat in partem sollicitudinis suæ; quemadmodum in regimine regni videmus, quòd à Rege, qui caput regni dicitur secundùm illud Oseæ 6. [Optimates capita populorum, omnis potestas regiminis, & gubernationis inferiorum ministrorum deriuatur. Quod verò inducitur, quòd instrumentum non attingit ad principalem effectum, sed disponit materiam, non est ad propositum: quoniam potestas regiminis non est principalis effectus, quem Christus principalis agens intendit inducere in animabus fidelium, vt omnibus notum est, sed fit quasi instrumentum, quo mediante populus per Ecclesiæ ministros gubernatur, & disponitur ad susceptionem hic diuinæ gratiæ, & gloriæ in futuro.

Ad vltimam rationem, in qua arguitur, quòd Apostoli fuerunt fundamenta Ecclesiæ, sicut Petrus; respondetur negando assumptum: si intelligatur, quòd alij Apostoli fuerunt fundamenta Ecclesiæ, sicut Petrus, idest in omni ratione, siue modo, quo Petrus, quoniam hoc est falsum, quoniam sicut superiùs in cap. 17. explicauimus, beatus Petrus non solùm dictus est fundamentum Ecclesiæ ratione illa communi, qua cæteri Apostoli: videlicet, quia in fide, & Christi doctrina Ecclesiam fundauerunt, sed spirituali quadam ratione, scilicet ratione principatus, & auctoritatis summæ sibi datæ, principatus enim eius quasi basis quædam est totius Ecclesiæ; vnde sibi soli dictum est Matth. 16. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã.] Et ideò licèt commune fuerit Apostolis, quòd immediatè per fidem adhererent Christo, suscipientes ab eo illustrationem doctrinæ, siue fidei, nihilominus hoc proprium fuit Petro adherere Christo per immediatam susceptionem potestatis, & auctoritatis iurisdictionis ab eo: alij verò mediante Petro recipiunt à Christo. Et ideò hoc modo super alios Apostolos non dicitur fundata Ecclesia, quia tota potestas Ecclesiæ fuit Petro collata, nec habet Ecclesia aliam potestatem iurisdictionis, nisi quam Deus Petro concessit. Et ideò dicit August. in cap. quodcumque 24. quęst. 1. quod in Petro Ecclesia claues accepit.

CAP. LXIII.

In quo respondetur obiectis, quæ inducta sunt pro Curatis.

IAm reliquum est respondere obiectionibus, quibus aduersarij niti sunt ostendere in speciali, quòd Curati non à Papa, nec ab Episcopis suæ iurisdictionis potestatem accipiant, sed immediatè à Christo. Vbi tamen admirandum venit, quòd præfati aduersarij voluerunt Curatos non solùm eximere à dependentia potestatis à Papa, & Episcopis, sed etiam æquiparare eos Episcopis in iure, quod in Parochia habent: cum tamen ipsi non sint propriæ Prælati, sed adiutores Episcoporum, quibus principaliter, immò totaliter cura plebis commissa est; vnde in eorum ordinatione dicunt Episcopi: [Quanto fragiliores sumus, tanto magis his adiutorijs indigemus;] vnde eos Apostolus 1. Corinth. 12. cùm dicit: Alij sunt gubernantes, alij opitulantes: per opitulantes secundùm gloss. intelligit, qui maioribus opem ferunt, cuiusmodi sunt Archidiaconi, & Curati. Propter quod dicit S. Thom. in lib. de perfectione vitæ spiritualis, quòd si quis rectè consideret, hoc modo in regimine Ecclesiæ comparantur Archidiaconi, & Plebani ad Episcopum, sicut in Regno temporali, propositi, & baliui ad Regem. Quod etiam ex hoc videtur, quia cùm plebs principaliter Episcopo committatur, isti non possunt aliquid, nisi quantùm eis ab Episcopis committitur. Vndè in c. quæcumque 12. quæst. 1. ex Concilio Antiocheno sic habetur. Quæcumque res Ecclesiæ sunt, conuenit cùm omni diligentia gubernari, & dispensari cùm iudicio, & potestate Episcopi, cui totius plebis animæ videntur commissæ, vt in cap. cunctis 16. quæst. 1. Clemens Papa ita dicit. Cunctis verò fidelibus, & summopere omnibus fidelibus, & summopere omnibus Presbyteris, & Diaconibus, & reliquis Clericis attendendum est vt nihil absque proprij Episcopi licentia agant, non vtique missas sine eius iussu quisque Presbyterorum in sua parochia agat, non baptizet, nec quicquam absque eius permissu faciat. Hæc ibi. Planè si Presbyteri Curati haberent potestatem immediatè à Christo, & non à Papa, aut Episcopis suis non possent ligari ab aliquo inferiori, vt sine licentia speciali, vel saltem Generali Episcoporum non possint agere ea, quæ competunt eis iure Diuino. Respondendum est ergo ad rationes eorum, quibus, vt apertiùs, & pleniùs respondeatur, resoluemus omnem argumentationis illorum processum ad vigesima puncta.

Dicunt autem in primò, quòd Scriptura sancta dicitur statum curatorum institutum esse immediatè à Christo; & etiam ipsos Curatos, hoc videtur esse falsum, vt dicit Dominus Petrus de Palude, quia Christus per se non fecit, nisi vnum Curatum, scilicèt Petrum quando ei dixit soli: [Pasce oues meas.] Et priùs ei promiserat dicens. [Tibi dabo claues Regni Cœlorum.] Matth. 16. [Et confirma Fratres tuos.] Luc. 22. [Et si peccauerit in te Frater tuus, corripe, & cet.] Matth. 18. quæ omnia pertinent ad Curatum, & soli Petro dicta sunt, vnde sibi soli legitur cura animarum Christus commisisse, sed quia impossibile erat, quòd per se solùm perfectè totius gregis curam ageret, ideò per consequens commisit illi facere alios Curatos, quotquot ipse pro adiutorio suo, & populi salute opus esse cognosceret, nec Christus per se instituit, nisi vnam solam curam totius Ecclesiæ suæ, non enim diuisit pastores suos dicens Petro. [Pasce oues circumcisionis, &

Pau-

Paulo, Pasce oues gentium &c.] sed vnam curam totius ouilis instituit, quam Petro commisit, vt fiat vnum ouile, & vnus pastor, sed Petrus postmodum per se, & per alios diuisit prouincias, & diocœses, & parrochias, vt ex c. in illis di. 80. colligitur, vnde status curatorũ, vt distinguitur à statu Episcoporũ, & statu Papæ, nõ fuit à Christo institutus immediatè cũ nullas parrochias, aut casuũ & potestatis limitationes, sub Episc. distinxit nec ipsi curati sunt à Christo instituti in suis parrochijs, sed solus Petrus, vt dictum est.

Quod consequenter, secundò loco dicunt ad probationem primi, quòd status in quo est iurisdictio continuatur in diuersis temporibus ab illo, à quo fuit institutus; & conseruatur. Dicendum, quòd verùm est secundùm intentionem instituentis, & non contrà eam, & mediatè, & immediatè.

Quod autem dicunt tertiò loco, quod successor alicuius in aliqua dignitate, aut officio, ab illo instituitur à quo antecessor. Dicimus, quòd verũ est, quãdo instituens antecessorẽ, retinet sibi institutionẽ successoris & potest hoc facere, secus autẽ si nõ sibi retineret sed alteri cõmitteret. Vndè quoniã Papa erigit de nouo sedẽ cathedralẽ, ipse primò ibi præsulem instituit, successores autem non sibi instituendos semper reseruat, sed electionem illis, quos facit canonicos, committit, & confirmationem, & per consequens institutionem metropolitano, cui eam subiecit sicut in baliuis, & præpositis idem, & vnus est institutor prædecessorũ, successorũ quãdò Rex instituens sibi hoc ipsum reseruat, aliter non. In Prioribus etiam, & Abbatibus communiter consueuit primus institui ab aliquo saltem immediatibus, quàm successores sicut beatus Bernard. præfectus est in Abbatem clarevallis ab Abbate Cisterciensi dante subditos, & simul vtrosque mittente, successores autem facti sunt per electionem, quo etiam modo vtuntur omnes religiones in conuentibus nouis formandis, nihilominùs, tamen secundùm veritatem semper institutor primi prælati in statu, est etiam institutor successorum immediatè, vel mediatè, inquantum eius virtute fit institutio ab alio, cui ipse committit, sicut Archiepiscopus, cui Papa submittit Episcopum, quem instituit, ab ipso Papa ius instituendi accepit.

Quod autem dicunt quarto loco ad probandũ id, quod dixerant, scilicèt quòd non cõsecretur eadem persona successor cum prædecessore nisi ab eodem institueretur, non est verùm, quoniam à quocunque instituatur, dum tamen in idem succedat, quantum ad id reputatur idem, sicut patet in exemplis positis parum antè, de prælatis, qui nouiter in religionibus instituuntur, & eorum successoribus, qui successores eadem persona reputantur cum prædecessoribus: licèt à diuersis sint instituti. De quo etiam exemplum ponere possumus, quòd fiscus succedens non habenti aliàs heredem iure suo licèt non instituatur à quo institutus fuerat defunctus, tamen in hæreditate, in qua succedit, reputatur eadem persona cum defuncto, & dicitur verùs successor.

Quod autem dicunt quintò loco status & potestas discipulorum continuatus est in curatis, sicut status, & iurisdictio & potestas Apostolorum in Episcopis, & quod succedunt curati discipulis sicut Episcopi Apostolis, non videtur verùm, intelligendo, quòd status sacerdotum curatorum præcesserit explicitè in discipulis Christi ante Christi ascensionem, & sic continuatus semper in sacerdotibus curatis, & hoc patet, quia discipuli pro tempore discipulatus Christi, idest vsque ad passionem, vel ascensionem: non fuerunt sacerdotes, nec fuerunt curati, licèt post Penthecostes, quidam ex eis fuerunt sacerdotes, quidam Episcopi, & quidam dyaconi, & quidam nec sacerdotes, nec curati. Vndè non habuerunt, ex quo vocati sunt discipuli, statum curatorum, nec quantum ad ordinem, nec quantum ad curam determinatæ parochiæ: & ita status eorum non est cõtinuatus in curatis, sed verùm est, quòd status illorum fuit figura status curatorum, quo ad statum prædicandi, & temporalia metendi, & quantum ad hoc succedunt eis, idest hanc habent potestatem, sicut illi, & ità intelliguntur omnes auctoritates, quæ hoc sonant. Et similiter dicendum est de Apostolis, quòd ante passionem non habuerunt ipsi statum Episcoporum & ordinum, sicut suprà in cap. 21. ostendimus. Quod ergo dicunt, quòd status Apostolorum continuatur in Episcopis, verùm est & quo ad statum primum, quo ad potestatem & auctoritatem prædicandi. si tamen illa in in eis non fuerit interrupta, & quo ad dignitatem super alios, & quo ad statum vltimum, quia finaliter omnes Apostoli fuerunt Episcopi. Et similiter, quod dicit de discipulis, quòd status continuatus est in curatis in parte; verũ dicit, scilicèt quantùm ad aliquid, quoniam aliquo modo status eorum continuatur in curatis, quia sicut illi sub Apostolis habuerunt potestatem prædicandi, sic, & curati, & isti post illos, vnde ista successio, qua Episcopi succedere dicuntur Apostolis, & curati discipulis, licèt habeat benè aliquam similitudinem successionis; quo ad aliqua, quæ dicta sunt, non tamen habet veritatem successionis, sicut nunc Episcopus succedit alteri Episcopo, qui præcessit in episcopatu aut curatus, qui nunc est, alteri curato in parochia, qui ante fuit, vt patet ex dictis.

Quod autem concludunt sexto loco ex prædictis, videlicèt quòd ab eodem à quo fuit institutus status discipolorum, sit institutus status curatorum, non sequitur, quia curati non sunt veri, & proprij successores eorum, vt dictum est, imò inquantum sacerdotes, curati differunt totaliter ab eis, quia nec illi erant sacerdotes, vnde beatus Marc; qui fuit de præstantioribus discipulis, vt dicit Hieron. in prologo super Marcum, pollicem sibi post amputauit, vt indignus sacerdotio reputaretur. Nec illi erant curati, quia non habebant aliquam plebem determinatam sibi commissam, sicut curati, nec poterant aliquem absoluere, vel ligare, vnde est totaliter alius status, licèt in aliquibus sit similitudo, scilicèt in potestate prædicandi, & temporalia metendi, & in inferioritate ad Apostolos. Hac ratione dicitur in glo. Luc. 10 quòd discipuli figuram, siuè formam gerebant sacerdotum secundi ordinis.

Quod vlteriùs septimo loco dicunt quòd

ab

ab eodem instituuntur curati, à quo, & discipuli. Dicendum, quod non sequitur, etiam si esset idem status iste, & ille, quia Dominus, qui discipulos primò instituit, dato quòd fuissent primi curati, sequentes curatos non sibi reseruauit instituẽdos, sed commisit vicario suo generali cõmisit cui curã omnium ouiũ, dicens [Pasce oues meas] Ioan. vlt; Illas autem oues Petrus pascit, quas pascendas ipse committit quia qui per alium facit, per seipsum videtur facere, sed illas Petrus non videtur pascere, quas aliquis pascit, non nomine Petri, nec à Petro institutus, sed ab alio: vndè quicunque dicit, quòd aliqui pastores, vel curati in ouili Christi instituuntur non à Petro, sed immediatè à Christo, falsificare videtur verbum Domini dicentis Petro. [Pasce oues meas,] sed debuit dicere, [pasce oues meas vna cum pastoribus, quos tibi adiungo, vel adiungam] Et est benè mirũm, si Christus erat immediatè institucturus omnes alios pastores per mundum particulariter, sicut successorem Petri vniuersaliter, quare non ità dicit de alijs Apostolis pro Episcopis, & discipulis pro curatis, pascite oues meas, & vos cum Petro, sicut paterfamilias omnibus operarijs, quos immediatè conduxit, dicit. [Ite, & vos in vineam meam &c.] Matt. 20. Prætereà si eis erat daturus æquè immediatè, sicut Petro, claues iurisdictionis, sicut successori Petri, mirum est, quare non ità dixit eis, aliquando dabo vobis claues Regni cælorum cum Petro, sicut hoc dixit Petro, nam de alijs, quę dedit eis, sicut Petro, putà intellectum scripturarum, & gratiam prædicandi, dixit communiter. Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere. Et de potestate miraculorum inquit, Dedi vobis virtutem, & potestatẽ &c. Luc. 10 Vnde cùm non legatur Christus Apostolis dedisse claues iurisdictionis, nec curam animarum alijs Apostolis, nec discipulis, sicut Petro, dato quòd Episcopi succedant Apostolis, & curati discipulis sicut Papa Petro, non sequitur, quod habeant curam, nec potestatem, sicut Petrus, & Papa à Christo immediatè.

Quod autem octauo loco dicunt, quòd sicut Apostoli non habuerunt potestatem suam à Petro; nec discipuli ab Apostolis, nec etiam à Petro, sed omnes immediatè à Christo, sic Episcopi, & curati non à Papa, sed à Christo, in duobus peccant, sicut diximus suprà in cap. 61.

Primò, quia sicut suprà dictum est, Apostoli, & discipuli omnem potestatem iurisdictionis acceperunt à Petro. Secundò peccant, quia dato, quod ita esset, quòd omnes illi quasi primi Episcopi, & primi curati accepissent immediatè à Christo, non propter hoc sequitur, quod alij successores accipiunt immediatè ab eo, sed magis à successore suo; quia Christus hoc non sibi retinuit, sed suo Vicario generali commisit.

Quod constanter dicunt nono loco quòd Christus immediatè dedit potestatem prædicandi, & baptizandi etiam post resurrectionem, & in die ascensionis, parum valet, quia ex hoc non habetur, quòd dedit eis potestatem iurisdictionis, vt superiùs habitum est in præcedenti cap. Cæterum etiam non sequitur, quòd si Christus adhuc præsens corpore & per se Ecclesiam suam regens, per seipsum dedit Apostolis potestatem prædicandi, & baptizandi, vel aliam quamcunque potestatem, quòd propter hoc det eorum successoribus, sed magis, quòd successor Petri det successoribus illorum, maximè quia facta paucorum, communem legem non faciunt. Vndè si illi propter suam sanctitatem hoc habuissent, qui confirmati non poterant abuti, non oportet; quòd ita sit de alijs; sed debuit seruari communis causa vtilitatis: quòd ab vno capite omnes acciperent suam potestatem limitatam.

Quod autem decimo loco dicunt, quòd data sit discipulis in resurrectione potestas ligandi, & soluendi simul cum Apostolis, manifestè videtur falsum ex prædictis, maximè quia ipsi non erant sacerdotes. Illud autem dictum in resurrectione. Quorum remiseritis peccata &c. non nisi de potestate soluendi, & ligandi in foro conscientiæ loquitur.

Et cum dicunt 11. loco ad probationem iam dictorum, quòd quando Christus dixit. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; quòd tunc dedit potestatem prædicandi discipulis; sicut Apostolis, dicendum videtur, quòd ita sit, quia ex quo sacramentum ordinis fuit institutum, quod fuit in cena, cùm ordo doctorum in Ecclesia sit præcipuus, ex tunc non licuit nisi ordinato saltem in dyaconum prædicare: vnde etiam post spiritus sancti missionem, cum erant sanctiores sancti, & doctiores facti, nullus nisi dyaconus legitur prædicasse, vnde cum tunc non essent discipuli dyaconi, sed postmodum fuerunt ordinati, non est verisimile, quòd eis Christus dederit potestatem prædicandi, & quòd potestas prædicandi, quam priùs habuerant, expirauit quandò, scilicèt ventum est ad illud tempus quando soli ordinati debebant prædicare, quòd fuit, postquam sacramentum ordinis fuit institutum.

Quod autem constanter duodecimo loco dicunt, quòd discipuli receperunt potestatem prædicandi in monte gallileæ, & in ascensione cum Apostolis, non est verùm, dato etiam, quòd fuissent præsentes, quia scilicèt non erant capaces illius potestatis de congruitate, & decentia, & quod dictum est de prædicatione appropriata ordini sacro, etiam dicendum est de baptismo, videlicèt, quòd post institutionem ordinis, ipse baptismus cum sit ianua sacramentorum, debetur sacerdotibus, qui habent claues, vel eorum immediatè ministris, sicut dyaconibus. Hi enim soli in primitiua Ecclesia baptizabant, tunc enim in baptizando iuuabant leuitæ sacerdotes, sicut Philippus dyaconus baptizauit eunuchum, & plures alios in samaria. Act. 8. vndè actus actiuorum sunt in patiente, & dispositio. Cum ergo discipuli nondùm essent apti, nec dispositi secundùm exigentiam legis nouæ ad prædicandum, nec ad baptizandum, per consequens Christus pro tunc nullam eis potestatem dedit, dato, quòd essent præsentes. Vnde etiam Matt. & Marc. vbi hoc referunt, scilicèt vlt. cap. solum de 11. discipulis qui intelliguntur Apostoli, faciunt mentionem, de alijs discipulis tacentes, quod non est

est, nisi aut quia non erant præsentes, aut si erant præsentes, ad solos Apostolos dirigegatur sermo Christi, & illis solis dabatur potestas modo suprà dicto. Magister etiam Nicolaus de lyra supra vlt.cap.Matt. & Mar. solùm de Apostolis intelligendo explanauit litteram illam. Et si queratur quid est de potestate, quam priùs ante passionem habuerunt? Respondit Dominus Petrus de palude in tractatu suo de potestate Ecclesiastica, quòd illa videtur defecisse in passione, quia non miserat eos simpliciter ad prædicandum in omnem locum, sed in omnem ciuitatem, & locum, quo ipse erat venturus, vnde postquam cessauit viaChristi cessauit eorũ potestas, sicut cessat virtus legaliũ adueniẽte veritate, vsq; ad cuius aduentũ erant imposita, vt ait Apostolus ad Gal. 4. & ad Hæbr. 9. Et eadem ratio, inquit, videtur de Apostolis specialiter, quia in passione omnes deuiauerunt à fide præter beatam Virginem, vt videtur dicere beatus Anselmus, potestatem, & auctoritatem, quàm habuerunt, perdiderunt, vnde post resurrectionem, de nouo, modo suprà exposito potestatem receperunt, & quasi contraria continentem, quia priùs dictum est: In via gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Postea verò dictum est Matth. vltimo: [Docete omnes Gentes,] & Marci vltimo: [Euntes in Mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.] Act. 1. [Eritis mihi testes in Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.]

Quod autem consequenter aduersarij dicunt 13. loco, quod sit hæreticum dicere, quòd 72. Discipuli, sicut & 11. Apostoli non fuerunt semper cum Christo, periculosè dictum est: quoniam oppositum dicere manifestè contradicit Euangelio in pluribus passibus. Nam Ioan. 4. habetur, [quòd Discipuli abierunt in ciuitatem, vt cibos emerent, quando inuentus est solus cum muliere;] vnde Apostoli mirabantur, quòd cum muliere loquebatur: aliàs non fuissent mirati; quia alijs præsentibus sæpè cum mulieribus, etiam extraneis loquebatur; sicut Chananeæ Matth. 15. Magdalenæ Luc. 7. & sic de alijs; vnde tunc non fuerunt Discipuli, nec Apostoli cum eo. Vnde Magister Nicolaus de Lyra super illo verbo: [Da mihi bibere,] dicit sic: Causa autem quare petijt à muliere, subditur. Discipuli autem eius abierunt in ciuitatem, & ideò non erant præsentes ad dandum sibi potum. Hæc ille. Similiter quando pernoctabat solus in oratione, Discipulis in mari laborantibus Matth. 14. Item in transfiguratione, & suscitatione puellæ non fuerunt secum nisi tres Matth. 7. & Luc. 9. nec in Cœna nisi 12. Matth. 16. & Marc. 14. & Luc. 22. aliàs frustrà illi soli nominarentur. Vnde etiam hoc Ecclesia testatur in Officio Corporis Christi, cùm sic cantat: [In supremæ nocte cœnæ recumbens cum fratribus: Obseruata lege plenè, cibis in legalibus: Cibum turbæ duodenæ se dat suis manibus.] Item in Resurrectione quando ostendit eis manus, & pedes, & latus, Thomas vnus ex Discipulis non erat cum eis, quando venit Iesus. Non ergo omnes Apostoli, & multò minùs omnes Discipuli semper fuerunt cum Christo. Quod ergo dicit Petrus: Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati omni tempore, quo intrauit, & exiuit Dominus Iesus, incipiens à baptismate Io: vsque in diem, qua assumptus est: non est intentionis suæ, quòd 72. ex quibus vnus erat eligendus in Apostolum, semper actu fuerunt cum Apostolis, & cum Christo in omni loco; quia hoc, sicut ostensum est, repugnat Euangelio in multis locis; maximè Matth. 20. vbi dicitur: [Ascendens Iesus Hierosolymam assumpsit 12. Discipulos secretò;] vbi ait Magister Nicolaus de Lyra, assignans rationem, quia secreta mysteria sunt tantùm maioribus reuelanda, & detegenda, cuiusmodi erant Apostoli: sed intentionis suæ fuit dicere, quòd semper fuerunt de eorum congregatione familiari cum Christo, non abeuntes retrò, sicut quidam ex toto, nec sicut turba Discipulorum omnium, qui ibant, & redibant quasi diceret Petrus non de cõmunibus Discipulis, nec de turba, sed de illis, qui erant de familia Christi, qui erant ab ipsomet Christo iam electi, & informati ad prædicandum, sicut Apostoli, in modo viuendi consimiles ipsis Apostolis: de illis, inquam, non de alijs erat meritò eligendus Apostolus, vnde sensus est: Qui nobiscum sunt congregati omni tempore, idest communiter, qui, vt exponit Nicolaus de Lyra, per experientiam nouerunt conuersationem Christi, & opera eius.

Quod autem consequenter 14. loco dicunt, quòd status curatorum, & status discipulorum sunt vnus status, sicut status Episcoporum, & Apostolorum; sicut status isti non sunt alij, quàm ante centum annos: licèt concedatur ità esse quodam modo: non tamen necessariò sequitur, sicut superiùs sæpè commemoratum est, quòd successores immediatè habeant potestatem ab eodem, à quo prædecessores: quoniam ad vnitatem status hoc non requiritur, sed sufficit, quòd habeant à Vicario illius, cui ius suum plenum commisit. Prætereà falsum est, quod dicunt, quòd Christus fecerit Discipulos curatos in locis illis: vnde nunquam in nouo Testamento legitur, quòd Discipuli à Christo facti sint curati: similiter nec Apostoli sint facti Episcopi, nisi Petrus, sed immediatè, vel mediatè à Petro facti sunt finaliter omnes alij Episcopi.

Quod verò 15. loco dicunt, quòd non potest dari ratio, quare potestas Petro data sit continuata in Summo Pontifice à Christo: & data Apostolis, & Discipulis non sit continuata in Episcopis, & Curatis: non est verum; immò ad hoc datur multiplex ratio, & assignatur multiplex differentia inter Papam, & alios Ecclesiæ Prælatos.

Prima quidem, quia Summus Pontifex in eadem Sede materiali succedit Petro in Ecclesia Romana, in qua Petrus sedit, & vltimò resedit: non est autem dare aliquem Episcopum alium, qui in eadem succedat alicui alteri Apostolo, nisi fortè Patriarcha Hierosolymitanus, qui succedit Iacobo Alphei: vnde non est simile.

Secunda ratio, quia potestas data Petro non potest dari ab homine puro: vnde oportet, quòd ab illo, à quo data est Petro potestas, idest Christo, continuetur cuilibet successori, sed potestas data alijs Apostolis, & Disci-

ſcipulis, cùm ſit limitata, & coarctata, poteſt dari ab homine, ſicut fit ſaltem quando Papa dat alicui Epiſcopatum, vel curam, vel de nouo inſtituendo nouum Epiſcopatum, vel curam nouam; quia tunc dat illi, quem promouet tantam poteſtatem, quantam habet alius Epiſcopus, vel Curatus, etiam ſi à Chriſto eſſet immediatè inſtitutus.

Tertia ratio; quia Vicarij particulares poſſunt inſtitui ab alio, quàm à principali, ſcilicet à Vicario Generali: Vicarius autem Generalis non poteſt inſtitui, niſi à principali Domino, & ideò neceſſarium non eſt, quòd Vicaria particularis inſtituatur, vel conferatur, aut continuetur immediatè à principali Domino, ſicut de Vicario Generali.

Quarta ratio; quia ſtatui Epiſcoporum, & Sacerdotum non eſt annexa poteſtas iuriſdictionis, ſicut eſt ſtatui Papatus. Cuius probatio eſt; quia illa, quæ ſunt annexa iure diuino, homo non habet ab inuicem ſeparare: ſecundùm illud Matth. 18. [Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet;] ſed Papa poteſt facere verum Epiſcopum, & verum Sacerdotem, qui nullum habet ſubditum, nec aliquam iuriſdictionem in aliquo foro, nec ex hoc, quòd aliquis eſt Sacerdos maior, ſicut Epiſcopus, vel Sacerdos minor, habeat aliquam poteſtatem iuriſdictionis, niſi cùm hoc aliunde ſibi detur, è conuerſo, vt patet, ſed papatui licèt ſimiliter poteſtas ordinis non ſit annexa, quaſi ex debito: nihilominùs poteſtatis plenitudo eſt ei annexa: Papatus enim dicit ſtatum prælationis ſuper totam Eccleſiam cum plenitudine poteſtatis; vnde annexa eſt hæc poteſtas ſibi inſeparabiliter à Deo, & ideò poteſtas papalis continuatur ad ſucceſſores, quod non ſit de alijs.

Quinta ratio, & differentia eſt propter determinationem communitatis ex vna parte, & indeterminatione ex alia, nam communitas, ad quam pertinet electio Papæ, eſt certa, & determinata, ſcilicet communitas vniuerſalis Eccleſiæ, communitas, ad quam pertinet electio Epiſcoporum, non ſic eſt determinata: quia expedit aliquando diuidere Epiſcopatus, vel multiplicare, acquiruntur etiam ſæpè nouæ Gentes, vbi oportet fundare nouas Sedes, ad quas pertineat eligere Prælatos ſuos propter quod oportuit committere hoc Vicario Generali, ordinare de talibus.

Sexta ratio, & differentia diſſimilitudinis eſt, quia non ſic ſuccedunt Epiſcopi Apoſtolis, aut Curati Diſcipulis, ſicut Papa Petro: quia Petro ſuccedit Papa indeterminata poteſtate, & certa, & quantum ad territorium, & quantum ad caſus, ſiue extenſionem poteſtatis, non ſic Epiſcopi Apoſtolis, nec Curati Diſcipulis, proùt eſt manifeſtum.

Septima ratio poteſt dari, quia magis pertinet, ſiue facit ad vnitatem Eccleſiæ ſeruandam, quòd poteſtates aliorum Prælatorum immediatè deriuentur à Generali Vicario immediato, quàm ſi immediatè eſſent à Chriſto: ſicut eſt poteſtas Papæ, ſicut ſupra oſtenſum eſt.

Quod autem conſequenter dicunt decimoſexto loco, quòd Curati ſunt veri Ordinarij habentes iuriſdictionem ordinariam, concedendum eſt, quòd ità ſit in foro conſcientiæ nec tamen propter hoc ſequitur, quin ſtatus eorum, & iuriſdictio ſit à Papa, qui poteſt dare ordinariam iuriſdictionem, non ſolùm perſonæ, ſicut Legato, ſed etiam Eccleſijs, ſicut Monaſterijs, etiam Monialium quarumdam, quæ habent officialem ſuum, quibus ſolus Papa poteſt dare claues iuriſdictionis, quamuis non claues ordinis.

Quod verò dicunt decimoſeptimo loco, quòd Curati habent iuriſdictionem ordinariam, non iure humano ſibi datam, ſed à Chriſto immediatè in prima inſtitutione Eccleſiæ: non videtur verum, quia ſi loquamur de iuriſdictione in foro exteriori certum eſt, quod hanc non habent Curati, niſi iure humano, quia nec niſi de conſuetudine, de qua in paucis caſibus excommunicant etiam iuris ordine non ſeruato de offic. ordin. cap. 2. nec illa poteſtas fuit eis data in prima inſtitutione, in qua nec Diſcipulis data fuit, vt ſupra dictum eſt. Eodem modo de iuriſdictione ordinaria in foro conſcientię non poteſt dici, quòd eam habeant à Chriſto in prima inſtitutione; ideſt in Diſcipulis, quia nec illam Diſcipuli habuerunt, cùm non eſſent Sacerdotes.

Quod autem dicunt decimo octauo loco, quòd Chriſtus hos ſolos ordines inſtituit, in parte videtur verum, & in parte falſum. Verum quidem, ſi referatur ad poteſtatem ordinis; quoniam Chriſtus ordinem ſimplicium Sacerdotum inſtituit in cœna, quando per ſe ipſum omnes Apoſtolos Sacerdotes fecit, ſimiliter ordinem Epiſcoporum inſtituit, quandò Petrum conſecrauit, qui in hoc omnibus Epiſcopis par fuit: non autem inſtituit ordinem Epiſcoporum in Apoſtolis alijs, ſicut in primis Epiſcopis à ſe factis, quia non ſunt ab eo facti Epiſcopi, vt dictum eſt, nec inſtituit ordinem Sacerdotum in Diſcipulis: quia nuſquam fecit eos Sacerdotes. Si autem conſiderentur iſti duo ordines quantum ad poteſtatem iuriſdictionis ſibi propriam; ſicut quòd Curatus in vna Parochia ſub Epiſcopo habeat populum ſubditum ad forum conſcientiæ, Epiſcopus ſub Papa ſuper ſuam Diœceſim habet poteſtatem in vtroque foro: ſic iſti duo ordines non ſunt inſtituti in prima inſtitutione Eccleſiæ: quando ſcilicet elegit 12. Apoſtolos, & 72. Diſcipulos, quaſi dederit Apoſtolis pro ſe, & futuris Epiſcopis poteſtatem iuriſdictionis in vtroque foro, & Diſcipulis pro ſe, & pro omnibus futuris Curatis, ſicut dedit Petro pro ſe, & pro ſuis ſucceſſoribus, ſicut intendunt illi, qui ſunt contrariæ opinionis, & quòd ita non fuerit, apparet ex præcedentibus; quia nihil iuriſdictionis eis contulit, ſed Petro ſoli pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus totam poteſtatem iuriſdictionis Eccleſiæ diſtribuendam Epiſcopis, & Curatis, & alijs ſicut expediens iudicaret.

Poteſt tamen dici ſtatus Epiſcoporum, & Curatorum inſtitutus à Deo dupliciter. Vno modo à Chriſto in generali, & implicitè, & in virtute in Petro, quia Petrus fuit verus Curatus, & cuiuslibet Parochiæ, & Diœceſis. Vnde ſicut in quaternario continetur binarius, & trinarius materialiter, etſi non formaliter: ità in Petro vtrumque ſtatum Chriſtus inſtituit materialiter. Item virtualiter: quia in ipſo fuit poteſtas Diœceſes, & Parochias Epiſcopis, & Presbyteris aſſignandi.

di. Secundo modo à Spiritu sancto, à quo inspirati Apostoli in primitiua Ecclesia per Diœceses, Episcopos, per Parochias, Presbyteros posuerunt, & ab illis primis verè, & propriè Episcopatus, & rectoriæ continuatæ fuerunt ad succedentes in illis. Quod ergo dicebatur de ordinibus illis duobus: quòd essent instituti à Christo, quòd si intelligantur instituti præfiguratiuè, vel præordinatiuè, & in generali, & implicitè, modo, quo suprà expositum est, conceditur, sed ex hoc non sequitur, quòd Papa in speciali, & expressè non instituerit tales potestates; sed solùm sequitur, quòd hæc habeat ex commissione, siue ordinatione Christi. Si autem intelligatur, quòd sint instituti explicitè, & quantùm ad propria, secundùm tales potestates determinatas, & quantum ad casus, & quantum ad territoria, falsum videtur, vt visum est suprà.

Quod autem decimonono loco dicunt, quòd si ità esset, quòd omnes aliæ potestates penderent à Papa, tunc vacante Sede, potestates illæ perirent: non est verum, nec hoc sequitur; quoniam duratio statutorum, & officiorum in Republica non mensuratur secundùm mensuram vitæ statuentis, siue statuat aliqua pertinentia ad mores, siue statuat aliqua pertinentia ad iurisdictionem: alioquin Principe, vel Prælato quocumque moriente, omnia statuta sua perirent, quod falsum est, sed duratio talium habet mensurari secundùm quod vult instituens, manente illa auctoritate in Republica, sicut etiam patet in Principibus, qui fiunt per electionem: quoniam non est dubium, quòd talibus Principibus morientibus adhuc manent statuta eorum in vigore suo, & quantùm ad mores, & quantum ad officia, & quantum ad gradus officiorum, vt per multa capitula patet, qu. 25. causa 25. vbi inter alia dicit Anacletus in cap. priuilegia. Priuilegia Ecclesiarum, & Sacerdotum intemerata, & inuiolata cunctis decernimus manere temporibus, & idem Leo Papa in cap. sequenti.

Quod autem dicunt 20. loco, quòd papa non possit auferre à prælatis inferioribus potestatem eis datam, & eam alijs non Prælatis conferre, & statum à Christo institutum mutare, verum est, sed quo ad potestatem, quam Episcopi receperunt immediatè à Christo, quæ est ordinis non autem iurisdictionis, sicut sepè superiùs repetitum est.

CAP. LXIV.

In quo respondetur obiectionibus aduersariorum sumptis ex parte inconuenientium, quæ dicuntur sequi ex conclusione præfata.

VLtimò argutum est contra præfatam conclusionem per aduersarios, ex parte inconuenientium, quæ affirmant sequi ex illa conclusione, quibus respondendũ iam est.

Ad primàm ergo dicitur; quòd si sic esset, tunc deficiente Papa, aut vacante sede, deficeret potestas aliorum prælatorum, respondetur dicendum, quòd hoc non sequitur, sicut superiùs iam diximus ad simile argumentum, quia cessante causa in fieri, tamen non oportet, quòd cesset effectus iam factus, sed solùm cessante causa in esse, non dicit ut autem Papa ratione personæ, quæ corruptibilis est, quòd sit causa in esse potestatis Ecclesiæ, quia tunc benè sequeretur, quod aduersarij dicunt, sed isto modo, scilicèt in esse sedes Papalis, quæ non moritur, extrà de rescript. cap. si gratiosæ lib. 6. & quæ fundata est à Deo, non potest destrui, & est causa omnium istorum in esse, persona autem non est causa, nisi in fieri, quandò ipse facit aliquem Episcopum, vel Curatum. Et satis apparet consequentia illa aduersariorum derisoria, quia isto modo probaretur, quòd constitutiones factæ per Papam non haberent vigorem sede vacante. Vndè argumentum concludit, quòd potestas Episcoporum, aut Curatorum non sit à Papa sicut à causa in esse, considerata persona sua. A sede autem papali sunt sicut à causa communi, quę semper permanet fundata super firmam petram. Vndè, & hoc argumentum benè probat, quòd potestas Curatorum non sit ab Episcopis, nec ab eorum sedibus, sicut à causa in esse, quia destructa etiam sede episcopali in aliqua ciuitate, adhùc remanet potestas Curatis. Simili modo probatur, quòd potestas Episcoporum non est à Metropolitanis, nec Patriarchis, nec ab eorum sedibus sicut à causa conseruante, quia manet etiam illis destructis, propter quod oportet omnem aliam potestatem Ecclesiæ institutam esse à sede immortali, & immobili, scilicèt Romana.

Ad secundã, cùm dicitur, quòd potestas Papæ sé haberet, &c. respondetur, quod potestas Papæ se habet ad potestates Episcoporum, & Curatorum nõ sicut potestas Regis ad potestates Principum habentium potestatem iure hæreditario, nec etiam sicut potestas regis ad potestas Iudicum habentium potestatem delegatam, vel commissariam, sed sicut potestas Imperatoris, vel Regis se habet ad potestates Iudicum in aliquo gradu regiminis regni, vel imperij simplicitèr institutorum ad regendum populum per se, vel per alium. Ista est sententia S. Thom. Vndè in 4. dist. 19. dicit, quòd potestas Papæ se habet ad potestates Episcoporum, sicut potestas Regis ad potestates Iudicum constitutorum per singulas ciuitates. Et in fine secundi sententiarum dicit, quòd ità se habet potestas Papæ ad potestates inferiorum, sicut potestas Imperatoris se habet ad potestatem proconsulis. Item in lib. de perfectione vitæ spiritualis dicit idem sanctus Thomas, quòd si quis rectè consideret hoc mod in regimine Ecclesiæ, comparantur Archidiaconi, & Plebani ad Episcopum, sicut in regimine temporali præpositi, & baliui ad regem. Et cum arguitur exaduersò, quòd hoc sit inconueniens, negatur hoc, & ad probationem respondetur, negando consequentiam, ratio patet ex dictis, quia isti Iudices non sunt commissarij, sed ordinarij ponuntur. Pro quo notandum, quòd ordinarium dicitur ab ordine, vndè ordinarium videtur importare id, quod secundùm communem ordinem in Republica sit semper, propter quòd, illud, quod competit diuersis gra-

gradibus, & statibus in Republica ordinatis, ordinarium dicitur, vndè potestates competentes statibus huiusmodi institutibus in Ecclesia, scilicèt Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & Parochiali, dicuntur ordinariæ, & illi, qui simplicitèr in talibus statibus, & gradibus statuuntur, vt regant populum per se, vel per alium secundùm statum, & gradum, in quibus statuuntur, dicuntur ordinarij. Potestas autem commissarij propriè loquendo videtur dici, quando alicui ab aliquo sic instituto committitur eadem potestas, quæ est sua ordinaria, secundùm quam vicem eius aliquid agat, vndè collatio talis potestatis non dicit nouum gradum potestatis, vel institutionem simplicitèr in aliquo gradu nouæ potestatis, sed dicit commissionem eiusdem potestatis ab instituto in ipsa potestate, ità quòd potestas commissaria est commissa ab instituto in gradu potestatis simplicitèr. Et ità patet, quòd Prælati isti à Papa positi non sunt commissarij, sed verè ordinarij.

Ad tertium obiectum cum dicitur, quòd si sic esset, tunc Iudices, siuè prælati non differrent à commissarijs, respondetur iuxtà dicta, quòd hoc sit falsum. Argumentum autem procederet, si potestas Prælatorum esset sicut potestas iudicum non simplicitèr positorum in aliquo situ, & gradu regiminis, constitutorum ad regendum populum per se, vel per alios: tunc enim non possent committere, nunc autem, quia non ponimus eos tales, sed sicut diximus, licèt potestas eorum sit à Papa immediatè, possunt tamen cõmittere.

Ad quartum cùm dicitur, quòd si ità esset, tunc Papa &c. respondetur, negando consequentiam, & ad probationem negatur vniuersalitèr assumptum. Et cum arguitur de legato, nòn est ad propositum, sicut patet ex dictis.

CAP. LXV.

Quòd Papa est immediatus Prælatus, & Iudex omnium fidelium, ac in toto terrarum Orbe facere possit quicquid inferiores Prælati facere possunt.

SAnè clarissimè colligere possumus ex præmissis, quòd Romanus Pontifex immediatus Prælatus, & iudex sit omnium Christianorum, possitque facere in toto Orbe terrarum, quicquid inferiores Prælati agere possunt. Quod licet tàm ex traditionibus Patrum, quàm ex rationibus in superioribus articulis satis apertum sit, nihilominùs, vt veritas clariùs elucescat, illud auctoritatibus, & rationibus remunire curabimus.

Primò sic: In quocumque ordine quando tota potestas inferiorum dependet, & originatur à potestate superioris, ad quæcumque se potest extendere potestas inferiorum, ad omnia illa se potest extendere immediatè potestas superioris, sed potestas iurisdictionis, de qua est sermo, omnium aliorum Prælatorum in Ecclesia à potestate Papæ deriuatur, ergo sequitur, quòd summus Pontifex potest in toto Orbe omnia facere immediatè, quæcumq; possunt alij Prælati consequentia patet, maior propositio est per se nota, quoniã secunda causa, siuè potestas non substantificatur, nisi ex prima, nec virtutem influendi accipit, nisi à prima, à qua secundùm totum esse suum potestatiuum dependet, vt ex commento primæ propositionis de causis habetur, minor verò demonstrata est suprà in cap. 60.

Secundo sic: Pro quo supponitur, vt dicit Sanctus Thomas 2. sententiarum dist. 9. quòd diuisio Hierarchiæ in ordines, est totius potestatiui in partes potentiales, cuius totius conditio est, quòd secundùm completam virtutem est in parte suprema: & quòd talis potentia, siuè potestas superior habet in se completiùs ea quæ, sunt inferioris ordinis, tunc sic: In ordine Hierarchico quicquid potest inferior virtus, siuè potestas potest superior, sed virtutes, siuè potestates inferiorum prælatorum in Hierarchia Ecclesiastica sunt inferiores potestate summi Pontificis, ergo quicquid potest virtus, siuè potestas cuiuscumque prælati inferioris in sua diœcesi, vel plebe commissa, potest ipse Papa, consequentia patet, maior verò est *Boetij dicentis*. Quicquid potest inferior virtus, potest superior, & non è conuersò. Item est Dionys. 5. cælestis Hierarchiæ, vbi dicit: Diuiniores virtutes, cum proprijs habent subiectas, idest subiectorum, siuè inferiorum operationes, minor verò notissima est.

Tertiò sic: potestas Papæ in Ecclesiastica Hierarchia, est potestas vniuersalis, potestas verò aliorum prælatorum est potestas particularis, sed potestas, & virtus vniuersalis efficaciùs agit in id, quod subijcitur virtuti particulari, quàm ipsa particularis virtus, ergo Papa, sua vniuersali potestate, potest in toto, & in omni plebe, quicquid possunt prælati inferiores, & ampliùs, & perfectiùs, consequentia patet, antecedens pro maiori parte patet, quoniam totius Orbis cura commissa est Papæ, Domino dicente sibi, [pasce oues meas.] In cuius signum Synodus Calcedonensis acclamauit Leoni Papæ: Leo sanctissimus, Apostolicus, vniuersalis Patriarcha per multos annos viuat, alij verò prælati vocati sunt in partẽ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Minor verò patet, quoniã vt dicitur in prima propositione libri causarum, causa primaria vniuersalis plus influit in causatum suum, immò secundę cuusę, quàm causa secundaria. Et dicitur vniuersalis hìc, non per prædicationem, sed extensionem influentis virtutis, quæ influit vniuersalitèr omnibus sub se existentibus.

Quartò sic: non minoris auctoritatis, & amplitudinis potestatis est Papa summæ regis Vicarius in Regno Ecclesiæ, quantùm ad immediatam executionem auctoritatis suæ, & extensionem suæ potestatis, quàm reges temporales, in regnis temporalibus in executione potestatis suæ: vt patet, sed quilibet Rex potest immediatè in regno suo facere, quicquid inferiores potestates possunt, etiam eis irrequisitis, vt patet, ergo multo fortiùs Papa ratione amplitudinis suæ potestatis, potest

in re-

in regno Ecclesiæ, vbicumque, & quandocumque sibi videbitur facere, quicquid inferiores Prelati possunt facere, consequentia patet, cum toto antecedente.

Quintò sic: Episcopi dantur Papæ in adiutores, & vocantur in partē sollicitudinis, sicut 70. Senes in adiutorium Moysi Num. 11. vndè Papa ordinando Episcopos dicit: Mandata cœlestia efficaciùs gerimus, si nostra cùm fratribus onera partiamur, sed ille, qui assumit aliquem in adiutorium, non ex hoc amittit potestatem operandi, cùm sibi vacauerit, aut voluerit: immò ipse est principalis operans, & adiutor secundarius, ergo Papa potest omnia agere circa plebes totius Orbis quæ inferiores prælati, quæcumque possint, etiam ipsis irrequisitis, consequentia patet, cum toto antecedente.

Sextò, Quicumque facit aliquid per alium, hoc etiam per se ipsum facere potest, sed dum inferiores prælati actus Hierarchicos exercent circa subditas plebes, hoc agere dicitur summus Pontifex per eos, ergo sequitur, quòd Papa in tota Hierarchia ecclesiastica potest per seipsum facere quemcumq; actum Hierarchicum, quem inferior prælatus facere potest, consequentia est nota, maior etiam est nota, cum agens secundarium, siuè ministeriale dependeat à principali in virtute agendi, minor vero est Dionys. dicentis 3. cap. cœlestis Hierarchiæ: Is, qui secundùm nos est summus Sacerdos per suos ministros, aut sacerdotes purgans, aut illuminans, ipse dicitur purgare, aut illuminare alijs in ipsum reponentibus proprias sacras operationes.

Septimò: Ordo ecclesiasticus tunc optimè ordinatur, cùm regimen diuinum imitatur, sed sic se habet regimen diuinum, quod Deus sic agit res mediātibus secundis causis, quòd eas potest agere immediatè, sicut quandoque facit, cùm suæ voluntati placet, ergo similitèr Papa actum regiminis Ecclesiarum, quem mediantibus inferioribus prælatis exequitur, potest cum sibi videbitur expedire, per seipsum exequi, consequentia patet, & antecendens pro vtraque parte. Nec potest allegari non esse simile, quia Deus non potest errare, Papa verò sic, & abuti potestate: quoniam licèt illud sit verum: verumtamen, cum æque inferiores prælati errare possint, & errent, & abutantur sua potestate, sicut, & Papa, argumentum manet in suo robore.

Octauò: Cuicumque committitur aliqua iurisdictio illi videntur commissa omnia, sine quibus iurisdictio explicari non potest, patet, frustrà aliàs esset commissio, sed Papæ est commissa iurisdictio totius Orbis omnium ouium Christi hæc autem iurisdictio executari non potest per eū in toto Orbe, nisi per seipsum valeat exercere omnem actum pastorali dignitati debitum; ergo idem quòd priùs, consequentia patet, maior patet. Tum quia aliàs frustrà esset commissio, quod in operibus Dei non est ponendum: Deus enim, & natura nihil faciunt frustrà. Tùm secundò, quia, qui vult voluntate perfecta, & vltimata aliquid, per consequens vult omne illud, sine quo scit illud non posse, vel non esse. Minor verò patet ex illo Ioan. vlt. [Pasce oues meas,] & ex dictis allegatis supra.

Nono: Papa instituens prælatos in Ecclesijs vocans eos in partem sollicitudinis, non expoliat se potestatis plenitudine, nec iurisdictio per commissionem, ità propria ordinario fit, quòd Papa ampliùs ibidem non habeat potestatem ad tanta, sicut ante commissionem, ergo sequitur, quòd Papa semper potest immediatè exercere, & exequi in toto terrarum Orbe, quicquid alij inferiores prælati possunt, consequentia videtur clarissima, antecedens etiam patet, tum auctoritate, & exemplo. Auctoritate quidem, quoniam Num 61. Moysi in constitutione Seniorum iudicum in adiutorium eiusdem, dicit Dominus: [Auferam de spiritu tuo,] vbi Glos. Origenis dicit, non tamen, quod Moyses minùs haberet. Exemplum verò est de potestate terrena regia, vbi Rex cōnstituens Prætorem in vna causa, non expoliet se iure, aut potestate sua, nec iniuriam pretori facere est dicendus, si de quocumque alteri commisso immediatè proferat sententiam.

Decimò sic. Papa tenet in Ecclesia locum Domini nostri Iesu Dhristi: cæteri verò prælati, aut Apostolorum locum, vt Episcopi, aut Discipulorum, sicut minores præsbyteri, sed ridiculum esset, & blasphemium, quòd Christus princeps Ecclesiæ suæ corporali præsentia non posset per Orbem totum immediatè, quicquid Apostoli, & Discipuli eius poterant in Ecclesia, ergo similitèr videtur blasphemiæ vicinum, quòd Christi Vicarius non possit immediatè exercere in toto Orbe, quicquid alij prælati possunt, vel quòd eorum licentia esset expectanda; consequentia est manifesta, qualis enim est ordo dependentiæ superioris in aliqua cōmunitate ad alias inferiores potestates, talis videtur esse locumtenentis eius cum plenitudine potestatis ad easdem, maior est manifesta, quo ad Papam: cùm Papa sit Vicarius Christi in terris, & Chrysostomus dicat super illud Ioann. vltim. [Pasce oues meas,] idest loco mei præpositus esto, & caput fratrum tuorum. Secunda pars patet per Glos. Luc. 4. minor verò est clara. Ex istis manifestè confutantur plures errores. Primus est dicentium, quòd Parochiani non possunt reduci in Deum per pœnitentiam, nisi mediantè parochialibus sacerdotibus. Secundus est, quòd licèt Papa, & Episcopi sint principaliores parochianorum, non sunt immediatè aliorum Curati, siuè, quòd non immediatè eorum curam habent. Tertius est: quòd nec Papa, nec Episcopus possunt audire confessiones Parochianorum, quin teneantur eadem peccata confiteri Parochialibus sacerdotibus. Quartus error est, quòd nec Papa, nec Episcopus possunt dare generalem potestatem audiendi confessiones aliquibus, quoniam confessi talibus, eadem peccata confiteri Parochialibus sacerdotibus teneantur. De errore istorum manifestè patet, & etiam colligitur ex extrauaganti Ioann. 21. quæ incipit. [Vas electionis,] in qua præfati articuli, qui fuerunt Ioann. de poliaco, fuerunt condemnati.

CAP. LXVI.

In quo obijcitur contra prædicta:

OBijciunt autem aduersarij contra conclusionem iam positam, licèt clarior sole esse videatur.

Et primò sic: Vnius, & eiusdem non possunt esse duo Iudices, vel Prælati ordinarij immediatè, vt videtur, sed Episcopi sunt Ordinarij in Episcopatu, & Curati in Parochia, ergo videtur non posse Papa concurrere cum Episcopo in Episcopatu, vt ordinarius, & Episcopus cum Curato in Parochia, vt sic.

Secundò sic ex similitudine Hierarchiæ Ecclesiæ Militantis ad triumphantem. Sicut in Hierarchia Angelica, siue Ecclesiæ triumphantis est, ita in Hierarchia Ecclesiæ Militantis esse debet, quia vna est exemplata ab alia, sed in Hierarchia Angelica diuersi ordines, vel illi, qui pertinent ad diuersos ordines, non possunt immediatè se habere ad vnum, & eumdem ordinem, ergo in Hierarchia Ecclesiæ Militantis Papa, Episcopi, & Curati non possunt se habere immediatè ad infimos, scilicet Parochianos, sed constat, quod Curati immediatè se habent ad eos, ergo non Papa; nec etiam Episcopi.

Tertiò ex similitudine ordinis, qui est inter membra corporis naturalis, sic: Sicut est in ordine membrorum corporis, quòd est impossibile vnum membrum pluribus coniungi immediatè membris, sic similiter in Ecclesia, quæ instar corporis naturalis corpus quoddam dicitur, Roman. 12.; illos, qui sunt vnius gradus, impossibile est coniungi pluribus gradibus immediatè, sed Parochiani, qui sunt infimi, constituunt vnum gradum, ergo impossibile est, quòd immediatè subdantur Curato, Episcopo, & Papæ, qui sunt diuersorum graduum.

Quartò sic: Potestas Papæ, aut se habet ad potestates Episcoporum, & Curatorum sicut potestas Regis ad potestates Principum aut sicut potestas Regis ad potestates iudicum institutorum per eum. Si primò modo, sequitur, quòd potestas Episcoporum, & Curatorum non sit à potestate Papæ, sicut potestas Principum non est à potestate Regis. Si secundò modo, sequitur, quòd Episcopi non sunt ordinarij, sicut iudices non sunt ordinarij, vt videtur.

Quintò arguunt sic: In cap. omnis vtriusque sexus extra, de pœn. & rem. præcitur, quòd omnis vtriusque sexus Fidelis cùm ad annos discretionis venerit, omnia peccata sua saltem semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, ergo sequitur, quòd Papa non sit immediatus singulorum Pastor, consequentia videtur nota, quia si alius est proprius, per consequens non Papa, & ideò non immediatus.

CAP. LXVII.

In quo respondetur obiectis aduersariorum iam factis.

HIs facilè est respondere benè intelligentibus, quæ iam diximus.

Ad rationem ergo primam cum dicitur, quòd vnius, & eiusdem, &c. respondetur, quòd maior illa non habet veritatem, quando vna potestas est ab alia totaliter, tunc enim duæ potestates ordinariæ immediatè possunt esse respectu eiusdem, & personæ, & casus, ita scilicèt, quod tam ista, quàm illa potestas possit exercere iurisdictionem immediatè in personam istam, & in tali casu, sed quòd duæ potestates ordinariæ sint, quarum vna non sit sub alia, nec subsit ei totaliter immediatè respectu eiusdem, est impossibile, quia cùm vna non refrenat aliam, nec ei imponeret legem, impossibile esset eumdem subditum vtrique satisfacere, sed quando vna potestas subest alteri, benè potest subditus satisfacere, quia potestas superior potest suspendere inferiorem, quoad executionem. Vel dicendum, vt dicit sanctus Thomas in 4. distinct. 17. quòd inconueniens esset, quòd duo æqualiter super eamdem plebem constituerentur, sed quòd duo, quorum vnus est principalior alio, super eamdem plebem constituantur, non est inconueniens, & secundùm hoc super eamdem plebem immediatè sunt Sacerdos parochialis, Episcopus, & Papa, & quilibet horum potest committere ea, quæ sunt iurisdictionis ad ipsum, pertinentia alteri.

Ad secundam, quæ sumitur ex similitudine Hierarchiæ Cœlestis, respondetur. Primò sic, negando minorem, dicimus enim, quòd potest ordo ille mutari, quia ordo ille non est necessarius, sed voluntarius quantù ad caput totius ordinis, scilicet Deum, qui omnia potest agere immediatè per seipsum, Angeli etiam superiores, quantùm est de potestate absoluta, possunt illuminare ordinem remotum obmisso ordine medio, quia probabile est, quòd quicquid potest inferior Angelus per virtutem datam sibi à superiori, instruendo alios, possit superior per seipsum, de facto etiam tenetur à multis Doctoribus, quòd aliqui de superioribus ordinibus missi fuerunt ad aliquos homines, qui sunt sub ordine Angelorum. Si ergo secundùm eos simile est de ordine Hierarchię Cœlestis, & Ecclesiasticæ, ergo ordo Ecclesiasticæ Hierarchiæ non est necessarius, sed voluntarius, & per consequens potest mutari prout placeat capiti totius ordinis, scilicèt Summo Pontifici. Secundò respondetur iuxta sanctum Thomam, quòd Ecclesiastica Hierarchia imitatur Cœlestem aliqualiter, sed non perfectè assequitur similitudinem eius, quia non in omnibus, & maximè in hoc, quoniam, vt ipse inquit in libro contra impugnantes religionem, in Cœlesti Hierarchia distinctio donorum gratuitorum, secundùm quæ ordines distinguuntur, sequitur distinctionem naturæ, non autem in hominibus, & ideò cùm Angelorum natura sit immutabilis, ordo inter eos habet immutabilitatem aliquam

quam, quæ in Hierarchia Eccleſiaſtica non eſt, & ideò ratio non procedit.

Ad tertiam rationem ſumptam ex ordine membrorum corporis naturalis; reſpondetur eodem modo, ſicut ad præcedentem, quia non eſt ſimile per omnia de corpore naturali, & corpore myſtico, quoniam licèt in vtroque ſit ordo, non tamen æquè neceſſarius, ſicut nec ordo, quo quis mouet lapidem mediante baculo, eſt æquè neceſſarius ſicut ordo, quo homo mouet manum mediante brachio, & ideò ſicut homo poteſt mouere lapidem mediante baculo; & ſine baculo mediante, & hoc abſque monſtruoſitate, ità poteſt Papa, vel Epiſcopus exercere actum poteſtatis ſuæ, ſiue Hierarchizare quemcumque infimum parochianum per ſe, vel per alium, ſiue Curatum, ſiue Commiſſarium inſtitutum ab eo, abſque monſtruoſitate aliqua, aut confuſione corporis myſtici, quod eſt Eccleſia.

Ad quartam patet reſponſio, ex reſponſione data ad ſecundum obiectum in cap.64.

Ad quintam reſpondetur, quòd, vt dicit ſanctus Thomas, & Dominus Albertus, & Dominus Bonauentura exponentes illam decretalem dicunt, quòd proprius Sacerdos non ſolus eſt Parochialis, ſed etiam Epiſcopus, vel Papa, ad quos etiam magis pertinet cura populi, quàm ad Sacerdotem parochialem, vt multipliciter eſt oſtenſum ſuprà. Vnde in decretali illa, proprium non accipitur ſecundùm quod diuiditur contra commune, ſed ſecundùm quod diuiditur contra alienum, vnde qui confeſſus eſt Epiſcopo ſuo, vel alicui habenti vicem eius, aut Papæ, aut Commiſſarijs ſuis, ſicut pœnitentiarijs, aut priuilegium habentibus ab eo audiendi confeſſiones, confeſſus eſt proprio Sacerdoti, & ità ratio non procedit.

CAP. LXVIII.

Quòd præter Romanum Pontificem ſunt in Eccleſia neceſſarij alij Prælati.

QVoniam fortaſſis ex hoc, quod diximus, Romanum Pontificem immediatum Paſtorem, ac iudicem omnium fidelium, omniaque poſſe, quæ ſinguli alij Prælati apud fideles ſibi ſubiectos perficere poſſunt, videretur aliquibus ſequi, quòd alij Prælati in Eccleſia, aut ſuperflui forent, aut non neceſſarij: opportunum duximus declarare, quòd non obſtante tanta amplitudine poteſtatis Romani Pontificis, quãtam nos eſſe diximus, adhuc præter eum, qui vniuerſalis Paſtor eſt, neceſſarij ſunt in Eccleſia alij Prælati, & hoc ratione multiplici.

Primò iuxta ſanctum Thomam in 4. diſtinct.19. ſic. Ea, quæ circa ſingularia oportet operari, non eodem modo omnibus competunt, vnde ſicut præter generalia medicinalia præcepta, oportet adhibere Medicos, quibus præcepta vniuerſalis medicinæ ſingulis infirmis ſecundùm quòd debent, aptentur: ità in quolibet Principatu præter illum, qui vniuerſaliter præcepta legis tradit, oportet eſſe aliquos, qui ea ſingulis ſecundùm quòd debent adaptent, & propterea etiam in Cœleſti Hierarchia ſub poteſtatibus, qui indiſtinctè præſunt, ponuntur Principatus, qui ſingulis Prouincijs diſtribuunt, & ſub his Angeli, qui ſingulis hominibus in cuſtodiam deputantur, vnde & ità debet eſſe in Prælatione Militantis Eccleſiæ, vt apud aliquem eſſet prælatio indiſtinctè in omnes, & ſub hoc eſſent aliqui, qui ſuper diuerſos diſtinctam poteſtatem acciperent.

Secundò hoc idem neceſſarium oſtenditur ex eo, quòd impoſſibile erat totum populum Chriſtianum per vnum ſolùm hominem immediatè regi, atque gubernari. Quocirca manifeſtè apparet pro bono Eccleſiæ regimine fuiſſe neceſſarium, vt præter Summum, ac vniuerſalem Prelatum Romanum Pontificem, alios in Eccleſia inſtitui Prælatos.

Tertiò hoc etiam luce clariùs apparet ex ipſa diuerſitate actionum neceſſarium in Eccleſia Dei, ad quas cùm vnus ſimul, & ſemel ſufficere ſit impoſſibile, neceſſe fuit diuerſos miniſtros in Eccleſia deputari ad hoc, quòd expedientiùs, & ſine confuſione omnia peragantur rectè. Qua ratione beatus Gregorius Papa inquit in capit. ſingula diſtinct. 89. Singula Eccleſiaſtici iuris officia à ſingulis quibuſcumque perſonis ſigillatim committi iubemus, ſicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ità in Eccleſiæ ſpirituali corpore conferendum eſt hoc officium vni, alij committendum eſt aliud, nec enim quantumlibet exercitatæ vni perſonæ, vno tempore duarum rerum officia committenda ſunt, quod ſi totum corpus, oculus vbi auditus. Hæc ille.

Quartò hæc conuenientia arguitur ex decentia, decens enim eſt, vt ſicut in vniuerſo inueniuntur diuerſæ cauſæ mediæ præter cauſam primam, licèt ipſa per ſe poſſet immediatè in effectum cuiuſcumque cauſæ efficientis, ita in vniuerſali Eccleſia præter poteſtatem Papalem, inſtitui debuerunt diuerſi gradus aliarum poteſtatum.

Quintò huiuſmodi conuenientia arguitur, quia ſic nobilior redditur Principatus Eccleſiaſticus, dum plures in eo diuinæ cooperationis participes fiunt diſpenſatores diuinorum myſteriorum.

Sextò hoc idem arguitur, quia ex tali varietate poteſtatum, & graduum, ſponſa Chriſti Eccleſia pulchrior, & ornatior conſurgit. Hanc rationem aſſignat beatus Gregorius in cap. ſingula diſtinct.89. ita dicens: Sicut varietas membrorum per diuerſa officia & robur corporis ſeruat, & pulchritudinem repræſentat, ità varietas perſonarum per diuerſa nihilominus officia diſtributa, & fortitudinem, & venuſtatem ſanctæ Dei manifeſtat Eccleſiæ.

Septimò, hoc factum eſt propter vtilitatem Eccleſiæ: cuius vniuerſitati ſatisfieri non poſſet, niſi præter Summum Paſtorem Papam forent aliqui alij.

CAP. LXIX.

Quòd omnes in Ecclesia Dei, aliæ à Papali, potestates Ecclesiasticæ subijciuntur potestati Romani Pontificis quantùm ad obedientiam præceptorum, quantùm ad correctionem, & quantùm ad subuentionem in necessitatibus.

APertè satis ex superius iam explicatis, tàm de summitate Apostolici Principatus, quàm de dependentia, & deriuatione omnium potestatum aliarum Ecclesiasticarum ab Apostolica Sede colligitur, quòd omnes Ecclesiæ Prælati, tàm maiores, quàm minores subijciantur Romano Pontifici, tàm quo ad obediētiam præceptorum, quo ad correctionem abusus, quam quo ad subsidiorum adminiculationem in casibus necessarijs.

Quo ad obedientiam præceptorum patet. Tum ex his, quæ dicta sunt supra in cap.48. & 50. Tum ex illo, quod sanctus Calixtus Papa scribens omnibus Episcopis dicit in c.non decet dist.12.Non decet mēbra à capite discedere,sed iuxta scripturæ testimoniū, omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est, quod Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, à cuius vos regulis nullatenus conuenit deuiare. Hæc ibi. Quam obedientiam debitam esse Romano Pontifici Imperator Iustinianus intelligens, ait in epistola scribens Papæ Ioann. qua habetur C. de sum.Trinit. & fid.cath. inter claras. Omnes Sacerdotes Orientalis tractus, & subijcere, & vnire Sedi vestræ sanctitatis properamus, eo quòd caput est omnium sanctarum Ecclesiarum. Et subdit. Per omnia properamus, vt dictum est, honorem, & auctoritatem crescere vestræ Sedis. Hæc ille. Quocircà Papa Ioann. vbi supra, Iustiniano scribens in epistola inter claras, ita ait. Inter claras sapientiæ, & mansuetudinis vestræ laudes, Christianissimè Principum, puriore luce tanquam aliquod sidus irradiat, quòd amore æternę fidei,quòd charitatis studio edocti,Ecclesiasticis disciplinis Romanæ Sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem,ad cuius auctorem Principem, hoc est Apostolorum primum, Domino loquente,præceptum est. [Pasce oues meas.] Quem esse verè omnium Ecclesiarum caput: & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant, & pietatis vestræ Reuerendissimi testantur affatus. Hæc ille.

Quo verò ad correctionem abusus,patet quidem. Primò quoniam ad supremum iudicem, apud quem suprema potestas residet, & maximè à qua omnium inferiorum iudicum auctoritas omnis pendet, spectat correctio abusus commisi per inferiores potestates, patet hoc, sed Papa est supremus iudex in Ecclesia, à cuius potestate tamquam à radice singulæ aliæ potestates originem sumunt, sicut in superioribus notum fecimus. Ergo omnes potestates inferiores,quo ad correctionem abusus potestatis,subiectæ sunt Romano Pontifici, consequentia bona. Hinc in cap. sola 9. quæst. 3. dicit textus. Romana Ecclesia sua auctoritate valet iudicare de omnibus, & in cap. cuncta ead. causa, & quæst. dicit textus. Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quòd Romana Ecclesia de omnibus fas habet iudicare. Vnde beatus Bernardus ad Eugenium scribens,hoc confirmans,ita dicit. Iuxta Canones tuos alij in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es, aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipsos, qui super alios potestatem acceperunt. Nonne si causa extiterit tui potestate Cęlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, & etiam tradere potes. Hæc ille.

Quod autem ad præstantionem adminiculi, ac subsidij in casibus necessitatis cæteris subijciantur Apostolicæ Sedi, facilè est ostendere. Cùm enim Respublica, & qualibet potestas in ea teneatur ad conseruationem illius potestatis, à qua totius reipublicæ bonum dependet,& bonum Reipublicæ Christianæ maximè pendeat ex Romani Pontificis potestate, quæ vniuersam Ecclesiam ordinare, regere, ac gubernare habet. Quocircà sanctus Bonifacius martyr.in cap.si Papa, dicit: Quod pro Papæ perpetuo statu vniuersitas fidelium tantò instantiùs orat, quantò suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertit perpensius pendere; ergo videtur, quòd omnes aliæ Ecclesiæ ad conseruationem, tuitionem, atque defensionem Ecclesiæ Romanæ adminiculari teneantur; vnde Symmachus Papa in cap. aliorum, rationem huius assignans, inquit Episcopis: Si hæc humiliatur, ad cuius confugietis auxilium? & vbi relinquetis gloriam vestram? Hoc etiam sanctus Thomas in 2.2. qu.87. art.4. ostendit tàm exemplo veteris Legis, quàm ratione naturali, ita dicens: In veteri Lege primitiæ debebantur Sacerdotibus,decimę autem Leuitis. Et quia sub Sacerdotibus Leuitæ erant, Deus mandauit, vt ipsi loco primitiarum, soluerent Summo Sacerdoti decimam decimæ; vnde nunc eadem ratione Clerici tenentur Summo Pontifici decimas dare, si exigeret: naturalis enim ratio dictat, vt illi, qui habet curam de communi multitudinis statu, prouideatur, vt possit exequi ea,quæ pertinent ad communem salutem. Hæc sanctus Thomas. Ad idem est Ioann.in nouella super cap. 1. extra de decim. vbi quærens: Nunquid à Clericis Summo Pontifici decimæ sint soluendæ? respondet, quod sic, quia cùm inferior teneatur soluere suo superiori spiritualia ministranti: Papa autem cuilibet intelligitur spiritualia ministrare: cum omnis anima immediatè subdatur ei. Tum etiam, quia Summus Sacerdos est, ipse tamen hoc iure non vtitur; forsan ideò, quia totum habet,9.qu.3. cuncta, & cap. per principalem; vnde quandocumque placet, decimam, vel vigesimam omnium prouentuum Ecclesiarum, vel aliam quotam partem pro subsidio Terræ Sanctæ, vel necessitatibus suis, vel alterius,exigit,sicut quotidiè experimur: Hæc ille. Præterea alia ratione probatur præfata conclusio, secundum legem naturæ, membra capiti debent præstare subsidium, & filij parentibus in necef-

ceſſitatibus, ſed omnes fideles ſunt membra corporis Eccleſiæ, cuius ipſe Romanus Pontifex caput eſt, ſunt etiam eius ſpirituales filij; vnde Pater Patrum nominatur: ergo non ſolùm Clerici, ſed etiam vniuerſi fideles tenentur Romano Pontifici in neceſſitatibus auxilium præſtare, & adminiculari quilibet ſecundum facultatem ſuam, cùm fuerit requiſitus, ſicut in fine huius ſecundi libri pleniùs dicetur.

Ex quibus apertè confutatur præſumptio diabolica eorum, qui Romano Pontifici patri, ac principi omnium fidelium, non modò in neceſſitatibus adminiculari refugiunt, ſed illius iura, & priuilegia prouentus, atque emolumenta ſolita violare, vſurpare, aut diminuere, temere quomodlibet præſumunt, quos videtur inuoluere ſententia illa Deuteron. 27. [Maledictus, qui non honorificat patrem ſuum, & matrem, & dicet omnis populus, Amen.]

CAP. LXX.

In quo obijcitur contra id, quod dictum eſt ſuperiùs, quod ſolus Romanus Pontifex in Eccleſia habeat plenitudinem poteſtatis.

QVamquam ſuperiùs habita concluſio in cap. 53. dicens, quòd apud ſolum Romanum Pontificem reſideat plenitudo poteſtatis Eccleſiæ, fuerit tàm ſanctorum Patrum teſtimonijs, quàm rationibus plenè demonſtrata, nihilominùs aduerſarij illam impugnare multipliciter nituntur, ponentes hanc concluſionem, videlicet, quòd plenitudo poteſtatis clauium, non ſolùm ſit in Papa capite, & paſtore vniuerſalis Eccleſiæ, ſed in ipſa vniuerſali Eccleſia, & in Concilio vniuerſali. Sed iſtorum duplex eſt modus dicendi.

Quidam enim numero Magiſtrorum, qui fuerunt in Concilio Conſtantienſi, prout ex eorum tractatibus colligitur, dicunt: quòd poteſtatis plenitudo eſt ſic in Papa, & in Eccleſia vniuerſali, & in Concilio vniuerſali illam repreſentanti, aliter tamen, & aliter. Pro quo diſtingunt, quòd aliquid tripliciter poteſt eſſe in aliquo. Primò, tamquam in ſubiecto, ſicut virtus eſt in anima, & accidens in ſubſtantia ſubiectiuè. Secundò, tamquam in obiecto, ſicut effectus dicitur eſſe in ſua cauſa, vel in ſuo fine, quia in illum tendit, tamquam in ſuum obiectum finale. Tertiò, tamquam in exemplo, ſicut res viſa dicitur eſſe in ſpeculo, vel aliqua doctrina in libro, quia ibi eſt repreſentatiuè. Primò, ergo modo vt aiunt, plenitudo poteſtatis eſt in Papa, tamquam in ſubiecto eam recipiente, & miniſtraliter exercente. Secundò modo eſt in Eccleſia tamquam in obiecto cauſaliter, & finaliter continente. Tertiò eſt in generali Concilio, tamquam in exemplo ipſam repreſentante, & regulariter dirigente. Primum patet, quia Papa propriè loquendo eſt miniſter hanc poteſtatem ſubiectiuè recipiens, & adminiſtratiuè diſpenſans, iuxta illud Luc. 22. [Qui præceſſor eſt in vobis, fiat ſicut miniſtrator.] Secundum patet, quia plenitudo poteſtatis non eſt cauſaliter, & finaliter propter Papam, ſed Papa, & eius poteſtas propter Eccleſiam, & ad eam ordinatur ſicut ad finem, id eſt ad eius ædificationem, quia ſecundum ſententiam Apoſtoli 2. Corinth. 10. & vlt. capitulis: hanc poteſtatem dedit Dominus in ædificationem Eccleſiæ, & non in deſtructionem. Tertium patet ex eodem verbo Apoſtoli, quia ſi Papa vteretur hac poteſtate ad deſtructionem Eccleſiæ, generale Conciliũ eſſet in exemplum, vel ſpeculum dictam vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, & eius vice, & nomine abuſus huiuſmodi plenitudinis poteſtatis coercens regulans, & dirigens, & etiam puniens. Hæc illi. Sed illorum poſitio, & imaginatio videtur nobis ſaluo ſemper meliori iudicio, omninò ſine intellectu, quia multa implicat, quæ ſimul ſtare non poſſunt: immò partes ad inuicem ſibi contradicunt. Implicant autem contradictionem. Primò, nam in ea parte, in qua dicunt, quòd plenitudo poteſtatis ſit in Papa, vt in ſubiecto adminiſtrante illam, & in Eccleſia ſicut in obiecto finali, & in Concilio ſicut in exemplo, contradicit eorum opinioni in ea parte, in qua dicunt, quòd plenitudo poteſtatis principaliùs, & excellentiùs ſit in Eccleſia, aut in Concilio, quàm in Papa. Patet, quia poteſtas quæcumque propriùs, & principaliùs dicitur eſſe, vbi eſt ſubiectiuè, & adminiſtratiuè, ſiue diſpenſatiuè, quemadmodum eſt in artifice, aut duce exercitus, aut magiſtro operis, quam ſit in obiecto, ſiue in exemplo, ſicut poteſtas medicandi propriùs, & principaliùs habet eſſe in medico, quam in corpore infirmo, ad cuius curationem ordinata eſt, quam in libro medicinæ: ars etiam ædificandi principaliùs, & propriùs habet eſſe in artifice, quam in domo ad cuius ædificationem ordinatur. Cæterum falſum dicunt, quòd Eccleſia ſit obiectum finale poteſtatis Papalis: quoniam licet poteſtas Papalis ſit ei data in ædificationem Eccleſiæ, non tamen ipſa Eccleſia dicitur finis vltimus intentus poteſtatis eius, ſed eſt ipſa beatitudo, ad cuius paſcua ipſa vniuerſalis Eccleſia per paſtorem ſuum, atque rectorem, qui eſt Papa, ſecundùm illud Ioann. vlt. [Paſce oues meas:] eſt dirigenda, & deducenda, ſicut inferiùs pleniùs oſtendemus. Præterea falſum eſſe videtur, quòd poteſtatis plenitudo ſit in Concilio, ſicut in exemplo, & ſpeculo, ſed potiùs hoc modo dicenda eſt eſſe in lege Chriſti, ſiue euangelica, ſecundùm quam tota Eccleſia eſt regulanda; vnde in perſona Eccleſiæ dicit Propheta de ea: [Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.] Secundò, poſitio illa implicat contradictionem, nam in ea parte, vbi in Papa, & in Eccleſia vniuerſali, & in Concilio ponunt vnam, & eandem poteſtatem, contradicit ei, quod dicunt, quòd Concilium vniuerſale poteſt corrigere, coercere, refrenare, & punire abuſus poteſtatis Papalis. Patet, nam cum huiuſmodi non poſſit in Papam, niſi qui ſit altioris poteſtatis, iuxta cap. inferior diſt. 21. impoſſibile eſt, quod Concilium iſta poſſet facere, ſi non habet niſi eandem numero poteſtatem, quam habet Papa. Tertiò, poſitio illorum implicat, nam in

in ea parte in qua dicunt plenitudinem potestatis in Concilio esse non sicut in subiecto, & administrante, sed sicut in exemplo, siue in speculo contradicit ei, quod dicunt, quòd Concilium potest coercere, refrenare abusus Papæ, & abutentem corrigere. Patet, quia licèt per modum Concilij auisare, & dirigere quis possit alium non habens aliquam auctoritatem iurisdictionis super eum, corrigere tamen correctione, quæ est actus iustitiæ, & coercere, refrenare, & huiusmodi, non potest nisi is, in quo est potestas iurisdictionis sicut in subiecto administrante, & exercente illam, vt manifestè patet, cuius enim est potestas, eius est actus, inquit Philosophus. Propter quæ sicut supra diximus, positio illa aduersariorum videtur nobis sine intellectu.

Alij verò de numero magistrorum nouellorum, qui Basileę fuerunt altiùs sapere præsumentes, quàm illi qui fuerunt in Constantia, vtpotè cupidi glorię, & principatus, dixerunt, quòd potestatis plenitudo esset in Ecclesia, nō modo sicut in obiecto finali, aut in Concilio, sicut in exemplo, sicut prædixerant supradicti; sed sicut in subiecto administrante, & exercente, sicut practica demonstrarunt, omnem Papalis potestatis administrationem, & exercitium sibi assumentes. Dicunt enim, quòd ipsi vniuersali Ecclesiæ, quæ dicitur collectio omnium fidelium in omnibus membris suis coniunctim, data sit ipsa potestas clauium in plenitudine, etiam principaliùs, quam Papæ, sicut si dicamus, quòd vni collegio data sit aliqua auctoritas alicuius iurisdictionis exercendæ, vel electionis celebrandę. Ad quam conclusionem probandam perlectis multis eorum tractatibus; reperimus eos multis medijs in varijs suppositionibus fundatis procedere.

Prima suppositio est, quòd ea, quæ dicta sunt Petro, aut Apostolis, trahenda sunt ad Ecclesiam. Hanc suppositionem probant per id, quòd dicit beatus August. in epistola ad Esitium de die nouissimo, ait enim sic: Verba, quæ locutus est Christus ad Apostolos, oportet de successoribus intelligere, sicut illud: [Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.] Et illud: [Eritis mihi testes in omni Iudæa, & Samaria, &c.] sicut & illud: [Ego vobiscum sum vsque ad consumationem seculi:] Quòd tamen cum vniuersæ Ecclesiæ promisisse, quæ alijs morientibus, alijs nascentibus, vsque in seculi consumationem futura est, quis non intelligat? Hæc ille. Item super Psalm. 108. idem August. ità inquit. Quædam dicuntur, quæ, etsi ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, non tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam. Ex hac suppositione, arguunt aduersarij sic: Si dicta Petro, & alijs Apostolis trahenda sunt ad vniuersam Ecclesiam. Ergo dicta Petro, per quæ designatur in eo plenitudo potestatis, intelligenda etiam veniunt de vniuersali Ecclesia, & per consequens potestatis plenitudo non tantùm apud Petrum fuit, sed etiam apud vniuersam Ecclesiam.

Secunda suppositio est, quòd omnia dicta Petro importantia auctoritatem eius, sunt etiam dicta alijs Apostolis, & in illis toti Ecclesiæ. Quam suppositionem ostendunt veram maximè in duobus, in quibus potissimè data Petro potestas exprimitur. Primò de illo Matth. 16. vbi Christus ait Petro: [Tu es Petrus, & super, &c.] Sequitur: [Tibi dabo, &c.] Quòd verò sit hoc dictum omnibus, probant ex eo, quòd cùm Petrus non solum fuerit interrogatus, sed etiam omnes Apostoli, & Petrus pro omnibus respondet, vt dicit gloss. sequitur, quòd cùm collatio clauium videatur fuisse ob meritum confessionis fidei, quòd non solùm pro Petro, sed etiam pro alijs Apostolis dictum sit illi: [Tibi dabo claues, &c.] Quòd ità confirmant auctoritate beati August. sermone 10. super Ioann. ità dicentis: Cùm esset ipse numerus duodernarius, idest quatripartitus in ternos, & omnes essent interrogati, solus Petrus respondit: [Tu es Christus filius, &c.] Et ei dicitur: [Tibi dabo, &c. tamquàm ligandi, & soluendi, solus acceperit potestatem:] Cùm & illud pro omnibus dixerit, & hoc cùm omnibus, tamquam personam gerens ipsius vnitatis accepit. Secundò hoc confirmant auctoritate Leonis Papæ, qui in sermone quodam Apostolorum tractans illud: [Quodcumque ligaueris, &c.] Ità dicit. In Apostolos alios ius huiusmodi potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes huius decreti constitutio commeauit. Tertiò auctoritate Rabani, qui gloss. Matth. 16. ità dicit: Quamuis soli Petro hæc potestas data videatur, cæteris tamen Apostolis datur. Consequenter præfatam suppositionem verificare nitūtur ex illo Ioann. vlt. vbi dictum legitur Petro: [Pasce oues meas.] Quòd verbum ad omnes etiam dictum esse probant per beatum August. qui in lib. de agone Christiano ità dicit: Non enim sine causa inter Apostolos Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus, huic enim Ecclesiæ claues datæ sunt, cùm Petro datæ sunt, & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur: [Amas me, pasce oues meas.] Item ad idem videtur esse beatus Ambrosius in principio pastoralis sui, ità dicens. A Domino dicitur Petro: Petre amas me.] Et ille: [Tu scis, quia amo te.] Et cùm responsio fuisset subsecuta, repetitum est à Domino: [Pasce oues meas;] quas oues, & quem gregem non solùm tunc suscepit beatus Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & nos cùm illo eas suscepimus omnes.

Tertia suppositio, quòd omnia dicta Petro ad potestatem expectantia, sint ei dicta in figura Ecclesiæ, idest in nomine, siue persona Ecclesiæ. Ad quàm suppositionem probandam*, inducunt multa dicta August. quoniam ipse solus videtur vsus hoc modo loquendi. Et in primis inducunt illud, quod August. dicit super Ioann. & habetur in cap. quodcunque 24. quæstione 1. vbi ità dicit: [Quodcumque ligaueris super terra, erit ligatum, & in Cœlis:] si hoc tantùm Petro dictum est, non hoc facit Ecclesia, si autem in Ecclesia fit, vtique, quæ in terra ligantur, & in Cœlo, & quæ soluuntur in terra, soluta sunt, & in Cœlis, si ergo hoc in Ecclesia fit, Petrus quandò claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit. Vbi Archidyaconus exponit, idest sub signo, & nomine Ecclesiæ Petrus claues accepit. Secundò ad idem inducunt illud August. in sermone, quodam Apostolorum

lorum Petri, & Pauli sic dicentis: Dominus Iesus discipulos suos ante passionem suam sicut nostis, elegit, quos fratres appellauit, inter hos penè, vbique Petrus solus totius Ecclesiæ gestabat personam, & propterea audire meruit: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum.] Has enim claues non ipse, vt homo vnus; sed vnitas accepit Ecclesiæ; hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius vnitatis, & vniuersalis Ecclesiæ curam gessit quando ei dictum est: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum, quod omnibus traditum est.] Nàm, vt noueritis, Ecclesiam recepisse claues Regni Cœlorum, audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apost. [Accipite Spiritum sanctum;] & cõtinuò subiungit: [Si cui remiseritis peccata remittuntur ei: Si cui tenueritis tenebuntur;] hoc ad claues pertinet, de quibus dictum est, quæ solueritis in terra, soluta erunt in Cœlis, & quæ ligaueritis in terra, ligata erunt in Cœlo. Tertiò inducunt illud August. in lib. 5. de vnico baptismo dum inquit: [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.] Hoc cum dixisset spirauit, & ait illis: [Accipite Spiritum sanctum cui remiseritis, &c.] Ergo si personam Ecclesiæ omnes gerebant Apostoli, & sic eis hoc dictum est, tanquam ipsi Ecclesiæ diceretur pax Ecclesiæ, dimittit peccata, & ab Ecclesiæ pace alienatio, tenet peccata non secundùm arbitrium hominum, sed secundùm arbitrium Dei. Quartò inducunt illud August. super Ioann. sermone 124. vbi de Ecclesia loquens, ità ait: [Huius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat, figurata generalitate personam, quantùm verò ad ipsum propriè pertinet natura, vnus homo erat, gratia vnus Christianus, abundantior gratia vnus, idemque primus Apostolus, sed quandò ei dictum est: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum: & quodcumque ligaueris super terram, &c.] vniuersam significat Ecclesiam, quæ in hoc seculo diuersis temptationibus quatitur.]

Quarta suppositio est, quod quæ dicuntur apud sanctos Doctores esse in vniuersali Ecclesia, aut vniuersali Ecclesiæ data, intelliguntur data vniuersali Ecclesiæ, vt vniuersitati, siue omnibus membris eius coniunctim, Quam suppositionem veram esse credunt, quia nomen Ecclesiæ, est nomen collectiuum, & quia signum vniuersale videtur distribuere pro omnibus. Qua suppositione præsupposita, pro conclusione eorum inducunt multas auctoritates sanctorum Patrum. In primis est illa Hieronymi in cap. omnibus 24. quæst. 1. vbi dicit sic: Omnibus consideratis puto me non temere dicere, aliquos ita esse in domo Dei, vt ipsi sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari supra petram. Et post pauca: Quæ domus etiam claues accepit, atque potestatem soluendi, & ligandi. Secundò inducunt illud August. de doctrina Christiana, vbi ità dicit: Est Ecclesia corpus Christi, sicut Apostolica doctrina commendat, quæ corpus etiam dicitur. Et sequitur infrà: Has ergo claues dedit Ecclesiæ suæ, vt quæ solueret in terra, essent soluta & in Cœlo, & quæ ligaret in terra, ligata essent in Cœlo, vt quisque in Ecclesia eius peccata dimitti non crederet, non ei dimitterentur. Tertiò inducunt illam auctoritatem August. super Canonicam Ioann. homilia 10. ità dicentis: Vbi fit remissio peccatorum, ibi est Ecclesia, quomodo Ecclesia: illi enim sunt datæ claues Regni Cœlorum, vt quæ solueret in terra, essent soluta in Cœlis, & quæ ligaret in terra, essent ligata in Cœlis. Quartò inducunt illud extrà de summa Trinitate, & fid. cath. in cap. firmiter, vbi dicit; quòd Sacramentum Eucaristiæ nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui fuerit ordinatus secundùm claues Ecclesiæ. Non dicit Petri inquiunt, nec concessæ Petro, ac per eum alijs, sed Apostolis, ac eorum successoribus. Vndè Ioann. An. in gloss dicit: quòd non soli Petro claues concessit, sed & cæteris Apostolis. Quintò inducunt illud Act. 20. [Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quàm acquisiuit sanguine suo.] Sextò inducunt illud, quod habetur in præfatione, quam in celebritate singulòrum Apostolorum cantat Ecclesia: Gregem tuum Pastor æternæ non deseras, sed per beatos Apostolos continua protectione custodias, quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores.

Quinta suppositio eorum est, quòd nunquam legitur aliqua potestas data Petro, nisi simul cùm alijs Apostolis. Probant hanc suppositionem sic; quoniam si de concessione potestatis promissæ Petro queratur, non reperitur alius locus aptior, quàm ille Matthæi 18. [Quæcunque alligaueritis.] Vndè videtur, quòd promissio illa: [Tibi dabo claues, &c.] debeat intelligi prout declarant verba concessionis, sed illa non ad solam Petri, sed ad Ecclesiam diriguntur principaliter; cùm dicit: [Amen amen dico vobis; quæcumque ligaueritis super terram, &c.] ex qua auctoritate dicunt aliqui aduersariorum notari aliqua. Primum, quòd claues Regni Cœlorum, de quibus dixerat Matthæi 16. [Tibi dabo, &c.] hìc Ecclesiæ sunt concessæ, cùm eadem verba, sub quibus facta est promissio, hic exprimantur; nec in toto sacro Canone bibliæ reperitur locus alius, vbi expræssiùs legatur, quòd potestas clauium sit data Petro, aut Ecclesiæ sub eisdem verbis, quibus promissa fuit. Secundò notatur, quòd concessio ista sit in omni stabilitate firmata, quia additur verbum iuramenti, vel assertionis, Amen. Tertiò, quòd in his verbis intelligitur potestas concessa Ecclesiæ non limitate, & in certis casibus, sed in omni plenitudine; quod probare nituntur ex signis vniuersalitatis: [Quæcumque alligaueritis, & quæcumque absolueritis;] sic arguendo: Si ex illo verbo, quodcumque ligaueris super terram, notatur in Petro plenitudo potestatis illimitatè. Ergo pariter ex alijs verbis notabitur plenitudo potestatis in Ecclesia, cùm non sint minoris continentiæ quæcumque, quàm quodcumque, ergo non solum in Rom. Pontif. residet plenitudo potestatis, sed etiam in ipsa vniuersali Ecclesia.

Sexta suppositio eorum est, quòd sicut Deus cuilibet creaturæ, cui dedit certam periodum, qua determinatur, quamdiù posset viuere, vel durare, dedit propriam virtutem innatam, & intrinsecam, qua possit se in suo esse

esse conseruare, & contra destructionem sui aduersantibus resistere, ità Ecclesiæ, quam voluit vsque in finem seculi durare, dedit virtutem, & potestatem, qua se in suo esse posset conseruare, & potestatem, qua posset se regere, & potestatem, qua aduersantibus, siue conantibus ad sui destructionem, resistere. Patet inquiunt hoc ex euidentia terminorum, immò à fortiori cùm Christus ipsam Ecclesiam plus alijs diligat. Hoc etiam videtur notari, inquiunt, in verbis de Ecclesia dictis in sua fundatione, &c. Cùm enim dixisset super se Petra ædificare Ecclesiam, subiungit statim: Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Ex hoc etiam, aiunt, dicitur in Canticis de Ecclesia, quòd est perfecta [terribilis, vt castrorum acies ordinata.] Quomodo autem, inquiunt, esset perfecta in se, & terribilis, si ad conseruandum se, & tuendum non haberet in terram virtute, ac potestatem, sed oporteret ab extrinseco subsidium quæritare? Nàm si Ecclesia ex se auctoritatem non haberet se conseruandi; tunc pro tempore, quo Ecclesia sine Papa esset, aut ipse nollet eam tueri, non posset se in esse conseruare; quod nemo sanę mentis assereret. Habet ergo Ecclesia virtutem à Christo fundatore eo ipso, quòd fundata est, ad se conseruandum in suo esse; nec per creationem Papæ eam perdit, quia principia essendi, & conseruandi intrinseca sunt cuilibet rei, sicut ergo Ecclesia propter creationem Papæ non deficit à virtute essendi, ità nec à virtute, & potestate se regendi, & cõseruandi in suo esse. Posteà verò declarantes, quæ sit ista virtus, & potestas se tuendi, dicunt, quòd est communis sententia doctorum, quòd est potestas clauium, videlicet scientia discernendi, & potentia iudicandi, ligandi, & soluendi. Ex hac suppositione arguunt concludendo, quòd potestas clauium, & eiusdem potestatis plenitudo, sit data ipsi communitati, siue corpori vniuersitatis Ecclesiæ.

Septima suppositio est, quòd plenitudo potestatis semper debet manere in Ecclesia, quia alias non videretur Ecclesiæ sufficienter prouisum, sed in Papa non potest semper manere, vt patet, cum ipse non semper maneat; ergo oportet dicere, quòd maneat in Ecclesia. Confirmatur hoc ab alijs dicentibus: quòd quemadmodum regimen Ciuitatis consistit penès congregationem Ciuium, vel ipsius congregationis partem valentiorem, vt dicunt haberi ex sententia Aristot. 3. polit. cap. 8. Et conformiter dicendum est, quòd regimen Orbis penès Congregationem hominum totius Orbis, vel ipsius partem valentiorem consistat: ita regimen vniuersalis Ecclesiæ vacante Papatu penès ipsam vniuersalem Ecclesiam, quæ repræsentatur per Concilium generale, & ipso Concilio congregato consistit penès ipsius Concilij partem valentiorem. Ex his omnibus concludunt, quòd potestatis plenitudo, non tantum apud Romanum Pontificem resideat, sed etiam apud vniuersalem Ecclesiam, & multò principaliùs, vtpotè quia in ea est immobiliter, & indefectibiliter. Vnde ad auctoritates sanctorum dicentium, quòd soli Petro data sit à Christo plenitudo potestatis, aut quòd solus Romanus Pontifex sit vocatus in plenitudinem potestatis, respondent, quod per ly solus fit exclusio inferiorum, siue particularium personarum, non autem ipsius communitatis Ecclesiæ, & etiam quod ly nullus, non distribuat pro communitate, sed pro singularibus personis.

CAP. LXXI.

In quo impugnatur præfata conclusio aduersariorum dicentium, quòd in alio, quàm in Romano Pontifice resideat plenitudo potestatis in Ecclesia.

QVoniam principalis, & quasi fundamentalis punctus huius materiæ est intelligere, qualiter potestas clauium data sit Ecclesiæ, siue qualiter sit in Ecclesia; ideò nos pro ampliori illustratione huius materiæ, & veritatis, quam de Apostolico principatu, vt suprà, tam auctoritatibus sanctorum, quàm rationibus firmauimus, talem ordinem tenebimus. In primis in hoc cap. positis quibusdam notabilibus, impugnabimus modum aduersariorum ponendi in Ecclesia vniuersali potestatem clauium, & per consequens plenitudinem potestatis. Secundò impugnabimus responsiones datas aduersariorum ad auctoritates sanctorum Patrum inductas pro conclusione nostra. Tertiò in sequenti capite explicabitur modus verus, & Catholicus, quo potestas clauium sit data vniuersali Ecclesiæ, siue sit in Ecclesia. Quartò, per diuersa capitula sequentia, pro pleniori danda responsione, respondebitur ad obiecta aduersariorum.

Circa primum, in primis est considerandum, quòd de Ecclesia, quæ dicitur claues recepisse, potest esse sermo duplex. Aut enim capitur ibi Ecclesia in sua vniuersalitate, prout, scilicet, dicitur vniuersitas, siue collectio omnium fidelium generaliter, prout in cap. Ecclesia de consecr. dist. 1. Aut capitur ibi sub minori vniuersalitate, scilicet, pro vniuersitate tantum omnium clericorum, siue sacerdotum, vt alij volunt. Secundò est notandùm, quòd potestas clauiũ est duplex, vt in lib. 1. distinximus, videlicèt potestas ordinis, quæ propriè, & immediatè, vt dicunt Doctores, dicitur clauis regni Cœlorum, quia immediatè extendit se ad ipsum Cœlum remouendo impedimenta introitus in Cœlum per dimissionem peccati, vt sanctus Tho. dicit in 4. dist. 19. in 1. arr. Alia est potestas iurisdictionis, & hæc est duplex, quædam in foro conscientiæ, alia in foro exterioris iudicij, siue causarum. Tertiò notandum, quòd de plenitudine potestatis possumus loqui dupliciter. Vno modo prout plenitudo potestatis includit tàm potestatem ordinis, quàm potestatem iurisdictionis. Alio modo prout solùm includit potestatem iurisdictionis. Quartò est notandum, quod licèt aliqua similitudo sit corporis mystici Ecclesiæ ad corpus naturale hominis, vt in multitudine membrorum, & aliquali vnione eorum adinuicem & in

& in officiorum diuersitate, iuxtà illud Apostoli ad Rom. 12. Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, itȧ multi sumus vnum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra, nihilominùs multiplex est differentia,& dissimilitudo. Vna quidem est, vt dicit sanctus Tho. in 3. parte, quòd membra omnia corporis naturalis sunt omnia simul, membra autem corporis mystici non sunt omnia simul, nec quantum ad esse naturæ, quòd corpus Ecclesiæ constituitur ex hominibus, qui fuerunt à principio mundi vsque in finem eius, nec quantum ad esse gratiæ, quia etiam eorum, qui sunt vno tempore, quidam gratia carent, alijs eam iam habentibus. Secunda differentia est, quia membra corporis humani constituunt aliquod vnum numero reale totum, quod subiectiuè in se toto capax est alicuius formæ, aut qualitatis, siue influxus realis, quod est ipsum corpus humanum, non autem sic membra, quæ dicuntur corporis mystici,quoniam licèt fideles fide, spe, & charitate, vt dicit August. vniantur: tamen cum distinguantur personis, & locis, non dicuntur constituere aliquod reale vnum numero totum,quod subiectiuè in se toto capax sit alicuius formæ, aut qualitatis, aut influxus alicuius effectus realis, vndè quando Ecclesia dicitur vna vnitate fidei,spei, & charitatis,non est intelligendum,quòd vnus numero habitus fidei, vnus numero habitus spei, & vnus numero habitus charitatis in toto ipso corpore sit, quoniam ipsum corpus Ecclesiæ non potest esse talium formarum subiectum; vndè etiam iuristæ dicunt, quòd vniuersitas non habet animam, glos. super cap. Romana, §. in vniuersitatem, sed sunt tot numero habitus distincti virtutum fidei, spei, & charitatis, quot numero sunt fideles. Quòd ergo dicitur: vna fides Ecclesiæ, vna spes, vna charitas, non accipitur vnitas ex parte vnius subiecti numero earum, quia nullum tale est, sed ex parte obiecti, quia videlicèt omnes fideles, qui numero, & meritò sunt in Ecclesiæ corpore, idem credunt, idem sperant, idem amant, sic dicit sanctus Tho. in 3. dist.13. Per hanc planè considerationem euanescunt multæ phantasiæ aduersariorum nouellorum Magistrorum, atque Doctorum Canonistarum sicut videbitur infra.

Quibus notatis restat ostendere, quòd positio aduersariorum falsa sit, quod vt plenius fiat,ponemus aliquas conclusiones, quas probando,improbabimus positionem ad plenum aduersariorum.

Prima conclusio sit ista: Potestas clauium ordinis, quæ propriè dicitur clauis Cœli, quia ea fit remissio peccatorum, non est data toti corpori Ecclesiæ sic, vt singulis eius membris data sit. Probatur ista conclusio: primò auctoritate beati Ambr. lib. de pœnitentia, & habetur à Magistro sententiarum in 4. dist. 19. & à Magistro Gratiano de pœnit. dist. 1. §. nemo, itȧ dicentis. Ius ligandi, & soluendi solis sacerdotibus permissum est. Patet etiam ex eo, quòd olim soli sacerdotes iudicabant inter lepram, & lepram, vndè Matth. 8. Dominus inquit leproso. Vade ostende te sacerdotibus, & Luc.17. vbi inquit etiam decem leprosis. Ite ostendite vos sacerdotibus, vbi dicit glos. interlin. Qui erant figura sacerdotij futuri in Ecclesia. Item patet ex eo, quòd Dominus non nisi Apostolis sacerdotibus iam constitutis, ait Io.20. Quorum remiseritis peccata,remittuntur eis. Ratione sic probatur iuxta sanctum Tho. & Albertum Magnum. Gratia,quæ in sacramētis datur à capite in mēbra descendit; ergo solus est minister sacramentorum, in quibus gratia datur,qui habet ministerium super Corpus Christi verum, sed hoc est solius sacerdoris, qui consecrare Eucharistiam potest; ergo solus sacerdos est minister sacramenti pœnitentiæ, & per consequens solus ipse habet potestatem ligandi, & soluendi à peccatis. Non enim est opus ad hanc conclusionem inducere plures probationes,quoniam itȧ nota est, quòd oppositum eius non tam est hæreticum habitum, & condemnatum in reprobatione errorum Valdensium, qui dicebant omnes bonos homines habere potestatem clauium, quàm derisorium.

Secunda conclusio. Potestas clauium ordinis, idest, potestas ligandi, & soluendi à peccatis, non est data vniuersali Ecclesiæ, vt vniuersitati siue omnibus eius membris coniunctim. Probatur ista conclusio ex præcedentibus sic. Prædicatȧ potestas clauium solis sacerdotibus conuenit; ergo non conuenit communitati Ecclesiæ, vt vniuersitati, siue in omnibus membris suis; consequentia patet, quia quod vni soli patri vniuersitatis cōuenit, non potest dici conuenire toti vniuersitati in omnibus membris suis. Secundò sic: Potestas prædicta datur in consecratione sacerdotij, vndè cum ordinantur sacerdotes, dicuntur eis illa verba, quæ Dominus dixit Apostolis Ioann.20. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; sed communitas Ecclesiæ non consecratur, nec insignitur sacerdotio; ergo non potest dici, quòd vniuersali Ecclesiæ, vt vniuersitati,sint datę claues ordinis, siue potestas ligandi, & soluendi à peccatis. Tertiò sic: Nulla vniuersitas potest dici cùm veritate habere perfectè, aut plenè aliquam potestatem, in cuius exercitium numquam per se potest exire. Istud assumptum patet,quoniam vt inquit Aristot. de somno, & vigilia, cuius est potentia, eius est actus, sed tota communitas Ecclesiæ non potest exire in actum potestatis ligandi, & soluendi à peccatis. Tùm quia solus sacerdos est minister sacramenti pœnitentiæ, vt in cap. omnis vtriusque sexus, extrà de pœnit. & remis. Tum quia actiones suppositorum sunt; ergo conclusio vera. Quod autem dicitur à quibusdam aduersarijs, quòd licèt Ecclesia vniuersalis non habeat exercitium potestatis clauium absoluendo aliquem à peccatis, potest tamen mandare, quòd fiat per aliquem sacerdotem, nihil valet,quoniam hoc cum sit imperatiuè facere, non elicitiuè, non arguitur, quòd communitas ipsa haberet potestatem, sicut nec potestatem consecrandi ex hoc, quòd mandaret alicui celebrare, sicut nec electus, aut Archidiaconus nondum in sacerdotio constituti, licèt possint mandare alicui sacerdori absoluere aliquem à peccatis, non propter hoc dicerentur habere potestatem clauium,de qua loquimur. Non est autem opus hìc multiplicare argu-

argumenta, quia conclusio clarissima est apud Theologos, vndè Albertus Magnus, sanctus Tho. & Dominus Bonauent. in 4. d. 19. quærentes, vtrum soli sacerdotes habeant claues, non solum dicunt, quòd soli sacerdotes habeant claues, quod diximus in prima conclusione, sed etiam quod non sit possibile, quòd conueniant alicui communitati, quod dicit ista secunda conclusio nostra. Pro hac etiam conclusione in primo libro aliquas rationes induximus.

Ex istis duabus conclusionibus sequuntur aliqua correlaria. Primum est, quòd prædicta potestas clauium, nec subiectiuè, nec formaliter, nec radicaliter, nec fundamentaliter, vt omnibus verbis vtamur aduersariorum, potest esse in Ecclesia vniuersali, nec in vniuersitate Clericorum, aut Collegio sacerdotum in quodam subiecto communi, patet correlarium manifestè ex dictis. Secundùm correlarium est, quòd omnes auctoritates sacræ Scripturæ, quæ de potestate clauium ordinis, quæ dicitur potestas ligandi, & soluendi à peccatis, loquuntur, non possunt veraciter exponi de vniuersali Ecclesia pro omnibus suis membris, siue diuisim, siue coniunctim, nec de aliqua alia quacumque communitate minùs vniuersali. Patet correlarium ex præfatis conclusionibus, & per consequens non potest de Ecclesia vniuersali exponi prædicto modo auctoritas illa Ioann. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, cùm loquatur de potestate præfata ordinis. Quod patet: Tum ex glos. interlin. quæ ità habet, idest, quos dignos remissione iudicaueritis, duabus videlicet clauibus, scilicet, potestatis, & discretionis, dimittentur eis. Tum ex eo, quòd huiusmodi verba omnibus sacerdotibus dicuntur, dum ab Episcopis ordinantur, quibus tamen omnibus non committitur aliqua potestas iurisdictionis. Tertium correlarium est, quòd auctoritates sanctorum dicentium, quòd Petrus in figura Ecclesiæ susceperit huiusmodi potestatem clauium, impossibile est eas intelligi cum veritate ad intellectum aduersariorum sæpè dictum, patet ex dictis. Quartum correlarium est: quòd plenitudo potestatis ecclesiasticæ, vt includit potestatem clauium ordinis, non potest esse in Ecclesia vniuersali ad intellectum dictum aduersariorum, patet ex superioribus.

Tertia conclusio: Potestas clauium iurisdictionis ecclesiasticæ, siue in foro conscientiæ, siue exterioris iudicij, non est sic data vniuersali Ecclesiæ, quòd singulis eius membris sit data, vt singulis. Ista conclusio licèt per se nota videatur, nihilominùs probatur sic. Inter Ecclesiæ membra, omnes fideles tàm Clerici, quàm Laici, tàm viri, quàm fœminę includuntur; vndè Apostolus ad Galat. 3. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Et vt ait August. ad Bonifacium, & ponitur in cap. nulli de consecr. dist. 4. in baptismate quisque efficitur membrum Christi, sed non omnibus fidelibus est data potestas clauium iurisdictionis spiritualis, patet, quia non fœminis, nec laicis, nec Clericis omnibus etiam sacerdotibus, vt patet; ergo conclusio vera.

Quarta conclusio. Potestas iurisdictionis Ecclesiasticæ, non est data toti Ecclesiæ, vt vniuersitati, siue omnibus membris Ecclesiæ simul iunctis. Probatur ista conclusio ex præcedenti sic: Nulla potestas potest conuenire alicui vniuersitati, siue in omnibus membris eius simul, ad quam est inhabilis magna pars illius vniuersitatis, sed ad potestatem iurisdictionis ecclesiasticæ, siue in foro conscientiæ, siue exterioris iudicij magna pars vniuersitatis Ecclesiæ est inhabilis, nec est capax illius; ergo talis potestas non potest dici conuenire vniuersitati Ecclesiæ vt sic, consequentia est bona, maior etiam nota, & potest colligi ex cap. cum dilectus extrà de consuet. & cap. constit. extra de appellat. minor verò patet. Tum ex conclusione præcedenti. Tum quia cùm Ecclesia, vt inquit Beda, in glos. super Luc. & etiam dicit Hugo de sancto Victore lib. de Sacramentis parte 2. duos complectatur ordines, scilicet, laicos, & clericos, quasi duo latera corporis vnius: maior pars, scilicet laicorum, est inhabilis, siue incapax iurisdictionis Ecclesiasticæ, vndè in cap. benè quidem dist. 96. tota synodus protestatur quòd laicis personis nulla facultas data est de disponendis ecclesiasticis officijs, idem in cap. sequenti. Patet etiam hoc manifestiùs de mulieribus, quæ quantaeumque polleant sanctitate, inhabiles sunt ad claues recipiendas, mulier enim non est subiectum idoneum principatus, sed magis subiectionis. Quàm ob rem dicit Apostolus 1. ad Corinth. 14. Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur glos. ab aliqua auctoritate eas loqui, sed subditas esse. Etiam dicit in polit. Philosophus, quòd corruptio vrbanitatis est, cum regimen, siue dominium ad mulierem peruenerit, non videtur autem intelligibile, quòd potestas clauium sit data Ecclesiæ, vt vniuersitati, siue in omnibus membris eius, & quod excludantur à participatione prædictæ potestatis fideles laici viri, & mulieres, quæ sunt non modo vera membra corporis Christi, quod est Ecclesia, sed etiam in maiori numero, siue maior pars. Secundò probatur sic præfata conclusio. In qualibet vniuersitate, cui data est aliqua potestas, vt vniuersitati, omnes de illa vniuersitate æqualiter se habent ad ius illius potestatis, patet, quia Canonici omnes æqualiter se habent in actu cuiuslibet potestatis, quam habent vt collegium, sed non omnes fideles, immò nec omnes clerici, immò nec omnes sacerdotes, qui includuntur infrà ambitum corporis Ecclesiæ æqualiter se habent ad ius potestatis clauium, vt patet manifestè, quoniam aliàs non fuisset distinctio potestatis inter Apostolos, nec fuisset distinctio inter sacerdotes maiores & minores, nec Petrus fuisset magis caput Ecclesiæ, quam aliquis cæterorum. Quæ omnia nedum falsa sunt, sed etiam tamquam heretica per Ecclesiam condemnata; ergo sequitur; quòd vniuersitati Ecclesiæ, vt tali, idest, vt in omnibus membris suis, simul non sit data potestas talis clauium à Christo, consequentia est bona, & formalis. Tertiò sic: Quandocumque alicui vniuersitati in communi, vt vniuersitati, est data aliqua potestas, siue aliqua clausula, non possint quicumque illius vniuersitatis exire in actum, siue in executionem potestatis, nisi simul omnibus concurrentibus, aut saltem vocatis, aut nullo con-

lo contempto omnibus illius vniuersitatis membris, hoc videtur manifestum, vt colligitur ex cap. quia propter, & cap. coram extrà de elect. sed si vniuersali Ecclesiæ in communi, vt vniuersitati, data esset potestas clauium iurisdictionis, sequeretur, quòd nec Papa, nec Ecclesiæ prælati possint exire in actum, siue exercitium eiusdem potestatis, nisi ad minus conuocatis omnibus fidelibus tàm laicis, quàm clericis, sed hoc est falsum, vt patet cum hoc non obseruetur in Ecclesia, nec etiam ad vniuersalia Concilia omnes fideles vocantur, nec omnes clerici, nec etiam omnes sacerdotes, nec tamen reputantur contempti, si non vocantur, nec etiam Papa requirit quorumcumque consensum ad executionem potestatis sibi datæ, nec etiam alij prælati, ergo falsum est, quòd toti Ecclesiæ in communi, aut toti collegio clericorum, aut sacerdotum data sit potestas clauium, vt vniuersitati. Quartò sic. Quandocumque omnibus membris alicuius vniuersitatis est data potestas aliqua, vt vniuersitati, cum omnes ad ius potestatis æqualiter se habeant regulariter, maior pars communitatis præponitur minori in iudicio. Arg. ex cap. quia propter extrà de elect. & cap. cum in cunctis, extrà de his, quæ fiunt à maior. par. cap. si ergo corpori vniuersalis Ecclesiæ data esset potestas clauium huiusmodi, aut collegio omnium clericorum, siue sacerdotium in communi, sequeretur, quo ad maiorem partem huius vniuersitatis, quæ est pars laicorum, vel ad minores sacerdotes, seu clericos, qui sunt maior pars collegij eorum, tandem posset deuolui regimen, & potestas iudicij totius Ecclesiæ, quod est absurdum, iuxtà cap. cum inferior, & cap. denique dist. 21.

Quinta conclusio: Plenitudo potestatis clauium iurisdictionis, non est data vniuersali Ecclesiæ, vt vniuersitati, siue in omnibus eius membris coniunctim. Hæc conclusio licèt pateat ex præcedenti, quia probato, quòd Ecclesiæ vniuersali, vt communitati, non sit data potestas clauium, probatum relinquitur, quòd nec plenitudo potestatis clauium illo modo sit data illi, nihilominùs probatur multipliciter. Primò sic: Regimen Ecclesiæ est à Deo institutum monarchicum, sicut suprà sæpe probatum est, patet, quoniam hoc regimen est nobilius reputatum tam à Philosophis, vt patet 8. ethic. & 3. polit. quàm à Theologis, & credendum est, quòd Deus instituerit regimen Ecclesiæ suæ in nobiliori specie regiminis, sed in principatu Monarchico plenitudo potestatis non est apud omnes, siue apud communitatem, sicut est in regimine politico, sed solum apud vnum, scilicet apud principem, qui solus principatur; ergo sequitur, quòd ex institutione Christi plenitudo potestatis non sit data vniuersitati Ecclesiæ in omnibus membris eius, sed tantum in vno, scilicet, Romano Pontifice, qui princeps Ecclesiæ à Christo institutus est, vt suprà ostendimus. Secundò sic confirmando rationem factam: Si plenitudo potestatis est apud vniuersalem Ecclesiam totam, sequitur, quod non est apud Papam, consequens est falsum, cum sit contrà apertissima testimonia sanctorum patrum, vt suprà visum est; ergo antecedens est falsum, cum ex verò non sequatur nisi verum, probatur consequentia, quia si apud totam multitudinem populi Christiani, quæ dicitur Ecclesia vniuersalis, quæ est collectio omnium fidelium, resideat, sequitur quod principatus Ecclesiæ sit politicus, & non monarchicus, & per consequens in nullo, quàm in ipsa tota communitate est ponenda potestatis plenitudo. Hæc autem differentia ponitur ab Aristot. 8. ethic. & 3. polit. inter tres species principatus, quas ponit, videlicèt monarchicam, quæ dicitur à monos, quod est vnus, & archos, quod est principatus, quasi principatus vnius, in quo solo residet plenitudo potestatis. Secunda dicitur Aristocrasya, quę dicitur ab aris, quod est virtus, & cratos, quòd est potestas, quasi potestas, siue principatus plurium secundùm virtutem imperantium, ità quod nullius. Tertia species communi nomine dicta politia, in qua multi, vt populus principatur, ità quod apud nullum residet plenitudo potestatis, sed apud omnes, vt ibidem dicitur, & sic patet consequentia. Tertiò sic. Nulli communitati, cuius cura, regimen, & gubernatio à superiori suo est commissa alicui particulari, est data potestas regiminis sui, & gubernationis, ista videtur nota, sed regimen vniuersalis Ecclesiæ est commissum Romano Pontifici, vt tota clamat sanctorum Patrum Doctrina, ait enim beatus Greg. ad Imperatorem Mauritium scribens: Cunctis Euangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippe dicitur: [Petre amas me, pasce oues meas:] ergo videtur, quòd vniuersali Ecclesiæ, vt communitati non sit data potestas vniuersalis regiminis totius Ecclesię, sed tantum Petro, & successoribus eius. Quartò confirmando hanc rationem arguitur sic. Illi soli videtur data potestatis plenitudo, qui solus est pastor totius gregis Dominici; sed solus Petrus est pastor totius gregis Dominici, & nullus alius, nec ipsa communitas Ecclesiæ, quæ est ipse grex pascendus, & gubernandus; ergo videtur, quòd solus Petrus, & ità solus Romanus Pontifex sit vocatus à Christo in plenitudinem potestatis clauium. Quintò sic. Impossibile est, quòd in aliqua vna vniuersitate prælatus, & subditi habeant eandem plenitudinem potestatis, patet, quoniam non capit ratio, quòd illud, per quod quis constituitur superior, & prælatus aliorum, sit commune prælato, & subditis in eadem plenitudine, sed in tota vniuersitate Christiana Rom. Pontif. est prælatus, & cæteri omnes alij fideles sunt subditi, vt in superioribus est demonstratum; ergo conclusio vera. Sextò confirmando præcedentem rationem arguitur sic: Plenitudo potestatis, quæ ponitur in Ecclesia, aut est vna, & eadem numero cum ea, quæ ponitur in Papa, aut est alia, sed non potest dici, quòd sit alia, quia sic essent duæ supremæ potestates, siue plenitudines potestatis, quod esse non potest. Tum quia quod per superabundantiam dicitur in vnoquoque genere vnum tantum est. Tum quia pluralitas principatuum non est bona, 12. metaphys. Tum quia duas supremas potestates non patitur vnitas Ecclesiæ. Non potest etiam dici, quod sit vna, & eadem nume-

numero plenitudo potestatis, quia si sic, tunc neque Papa esset superior, & prælatus Ecclesiæ, nec Ecclesia posset dici superior potestate ipso Rom. Pontif., quòd tamen aduersarij volunt, patet, quia si par inparem imperium non habet, multò minùs, vbi est idemptitas potestatis. Responsio autem, quam ad hanc rationem dant quidam aduersariorum dicentes, quòd licèt sit eadem, quia tamen, vt dicunt, illa potestas est excellentiori modo in Ecclesia, scilicet, inuariabiliter, & inobliquabiliter, quo modo non est in Papa, Ecclesia habet iurisdictionem suprà Papam, non valet aliquid. Tum primò, quia præsupponit falsum, quia vt iam probauimus, talis potestatis plenitudo non potest esse subiectiuè, & formaliter in vniuersitate Ecclesiæ, sed solum in Romano Pontif. & per consequens, sicut superiùs circa cap. 7. est probatum, non potest esse excellentiori modo in vniuersitate Ecclesiæ, quàm in Romano Pontif. Tum secundò, quia etiam dato, quod esset, scilicèt, vna, & eadem numero potestas Ecclesiæ in vtroque, sicut in vno subiecto, est impossibile intelligere, quòd Ecclesia habeat iurisdictionem super Romanum Pontif., nec è conuerso, nec potest circa vnam, & eamdem potestatem numero in vno, & eodem subiecto pro eodem tempore attendi talis comparatio, vt in vno dicatur esse excellentiori modo, quàm in alio. Præterea dato etiam quòd sit, cùm talis differentia, putà esse inuariabiliter, & variabiliter non augeat, nec minuat potestatem ipsam, non potest ex tali differentia argui, quod vnus habeat iurisdictionem super alium, aliàs, qui sanctior esset, aut diuturniorem haberet potestatem in Ecclesia, diceretur iurisdictionem maiorem habere, quod est falsum, immò inter errores Ioan. Hus, & Vicleff condemnatum. Septimò arguitur sic. Ex tota scriptura sancta non potest hoc haberi; quòd vniuersali Ecclesiæ in communi, siuè in omnibus membris eius simul sit data plenitudo potestatis, sed magis contrarium, ergò hoc non videtur asserendum, consequentia patet, quoniam vt ait: Hier. quod de S. Scriptura firmitatem non habet, eadē facilitate contemnitur, qua probatur antecedens; patet, quoniam si aliqua scriptura talis esset per aduersarios, esset inducta Quòd autem nulla earum, quas inducunt, faciat ad propositum positionis eorum, nos ostendemus infrà, cum ad argumenta eorum respondebimus. Ex his conclusionibus sequuntur aliqua correlaria. Primùm quod auctoritates sanctorum patrum, quæ videntur attribuere toti Ecclesiæ in communi potestatem clauium, aut auctoritatē iudicij; aut magisterij; non sunt accipiendæ sic, quòd omnibus fidelibus, nec omnibus clericis, aut vt singulis, aut in vnum simul coniunctis, vt vniuersitati, talis auctoritas, aut potestas, diuina ordinatione data sit. Patet quoniam; vt probauimus multipliciter, hoc non modo falsum est, sed etiam, vt videtur erroneum, cum contrà Euangelium Christi, & sanctorum patrum doctrinam videatur negare beatum Petrum fuisse caput vniuersalis Ecclesiæ; videatur etiam negare principatum Ecclesiasticum esse monarchicum. Item videatur negare principatum Ecclesiæ esse hierarchicè dispositum, & Rom. Pon. potestatis plenitudinem habere, quòd etiam sit positio illa quasi impossibilis, partim ostendimus suprà, & infrà in responsione argumentorum clariùs videbitur. Secundùm correlarium est, quòd auctoritates sacræ Scripturæ; & sanctorū, quas aduersarij inducunt intelligentes modo præfato, peruersè, & aliter, quàm spiritus sanctus efflagitat, illas interpretari videntur, patet ex dictis, & pleniùs ex dicendis in responsione ad argumenta. Tertium correlarium est, quòd falsum est, quod aduersarij in secunda parte conclusionis eorum dicunt, videlicèt, quòd potestatis plenitudo principaliùs sit in Ecclesia vniuersali, quàm in summo Pontifice. Patet Tu ex dictis sic: Potestatis plenitudo clauium non est in vniuersali Ecclesia ad intellectum eorum, vt probatum est, ergo nec est in ea principaliter, nec minoribus principaliter, ad intellectum eorum, videlicèt in omnibus membris Ecclesiæ simul. Præterea falsitas illius manifestissima patet ex forma absolutionis, qua sacerdos quilibet vtitur in Ecclesia in absolutione sacramentali: ait enim sic, Auctoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, non autem dicit auctoritate Ecclesiæ vniuersalis, & tamen fiendum necessariò esset, si potestas clauium esset principaliùs in vniuersali Ecclesia ad intellectum aduersariorum, quàm in Petro; siuè eius successore. Et hæc de primò principali.

Circa secundùm, in quo impugnanda est responsio aduersariorum, quam dant ad auctoritates sanctorum patrum dicentium, quòd solus Romanus Pontifex vocatus sit in plenitudinem potestatis, aut quòd nulli alteri sit data plenitudo potestatis à Christo, est sciendum, quòd responsio eorum stat in hoc: quòd per ly solus, non fiat exclusio communitatis Ecclesiæ, sed particularium personarum, siuè singulorum membrorum de Ecclesia, & similiter; quòd cum dicitur, quòd nulli, nisi Petro sit data plenitudo potestatis ly nulli, distribuat pro singulis particularibus non autem pro communitate. Sed quod ista responsio nulla sit, & sit contraria mentibus sanctorum patrum, quorum auctoritates inductæ sunt, patet: Tum primò, quia præsupponit, quòd potestatis clauium plenitudo possit esse subiectiuè, & formaliter, ac dispensatiuè in ipsa vniuersali Ecclesia, siuè in omnibus membris eius simul, quod superiùs est improbatum sufficienter. Tùm secundò quia doctores præfati dicentes soli Petro datam esse plenitudinem potestatis, ponunt Ecclesiæ principatum esse monarchicum: iuxtà Euangelium Christi, de ratione autem principatus monarchici, vt sępè repetitum est, est quod plenitudo potestatis resideat apud vnū scilicèt principem, & non apud omnes, Tum tertiò, quia præfati doctores ponunt, quòd Petrus sit Princeps, pastor, & caput totius Ecclesiæ vniuersalis, cùm quibus non potest stare, quòd in ipsa vniuersali Ecclesia; cui ipse præsidet, sit eadem plenitudo potestatis cùm eo: & maximè, cùm additione ista; & principaliùs, quàm in eo, vnde sanctissimus Leo Papa in cap. ità Dominus dist. 19. apertissima luce dicit, quòd ita Dominus huiusmodi muneris sacramentum ad omnium

Apo-

Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi à quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Hæc ille. Ergo ex intentione illorum patrum est; quod per ly solus & per ly nullus, non solum excluduntur alij particulares, sed etiam ipsa communitas ad intellectum aduersariorum. Et ità patet quod responsio aduersariorum nulla sit.

CAP. LXXII.

In quo datur verà intelligentia huius quod à sanctis Patribus dicitur, quòd Ecclesiæ vniuersali sint claues datæ.

IMprobata sufficienter prout nobis visum est, aduersariorum intelligentia huius, quod dicitur: quòd vniuersali Ecclesiæ claues datæ sint, iam restat explicare, quæ sit vera intelligentia huius.

Pro quo notandum, quod huius propositionis; Ecclesiæ vniuersali datæ sunt claues triplex potest esse intellectus. Vnus est, quòd claues datę sint Ecclesiæ in singulis suis membris diuisim. Et iste intellectus est falsus, & erroneus, & iam condemnatus inter errores Valdensium, qui dicebant singulos bonos homines habere claues, siuè potestatem absoluendi, & ligandi; Secundus est, quòd vniuersali Ecclesiæ in omnibus membris suis coniunctim, siuè simul, datæ sint claues, sicut dicitur de principatu politico, in quo potestas, siuè principatus dicitur esse apud communitatem. Sed iste intellectus, qui videtur esse aduersariorũ iam est improbatus non modo tanquam falsus, sed etiam quodammo impossibilis, nam ostensum est clarissimè; quod sit impossibile, quòd alicui communitati siuè congregationi fidelium simul, siuè omnium clericorum, siuè etiam omnium sacerdotum collegio conueniat habere claues regni cælorum, quibus peccatorum sit remissio, quoniam ostensum est, nullam communitatem, vt sic posse esse subiectũ talis potestatis. Item ostensum est, quod nec communitati vniuersalis Ecclesiæ, siuè vniuersitati omnium clericorum, nec omnium sacerdotum collegio, vt communitati, siue simul in omnibus membris datæ sint claues iurisdictionis, & minùs plenitudo potestatis. Tertiùs intellectus est: quòd vniuersali Ecclesiæ datæ sunt, claues non in omnibus membris eius, sed in aliquibus membris eius tantum, & plenitudo potestatis data sit illi in vno membro tantum scilicet principali: quod est caput in corpore, quod est Rom. Pont. Et iste est verus, & catholicus sensus, & quem habent sancti Doctores, cùm dicunt claues datas esse vniuersali Ecclesiæ. Vndè de potestate ligandi, & soluendi à peccatis dicit beatus Ambr. lib. de pæniten. quòd ius ligandi, & soluendi solis sacerdotibus est permissum. Et beatus Hieron. & habetur in gloss. Matt. 16. quòd datæ sunt claues omni Ecclesiæ in Episcopis, & præsbyteris. De potestatis verò plenitudine, dicunt sancti Doctores, quos suprà induximus, quòd soli Petro data sit, & in eo Rom. Pont. eius successori. Pro cuius intellectus pleniori notitia est sciendum, quòd potestas clauium, vt colligitur, ex Apostolo tàm 1. ad Corinth. 12. quàm ad Epeh. 4. ponitur inter gratias gratis datas, quas Christus dedit corpori Ecclesiæ, vndè ait. Dedit quosdam pastores &c. Gratiæ autem gratis datę non sunt ità datę corpori Ecclesiæ, quòd omnibus Ecclesiæ membris sint distributæ: sed quibusdam tantum aliquæ, & alijs aliæ. Vnde ait Apostolis 1. Corinth. 12. Diuisiones gratiarum, sunt, idem autem spiritus, vbi dicit glossa gratias, hìc appellat diuersos gradus; & ordines, qui sunt in officijs Ecclesiæ. Et infrà; inquit Apostolus. Posuit quidem Deus quosdam in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deindè virtutes, & exindè gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, numquid enim omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes habent gratiam curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? Hæc Apostolus qu. d. no. Et ad Rom. 12. postquam dixit, multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alteriùs membra, Sequitur. Habentes donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis differentes, siuè prophetia secundùm rationem fidei, siuè ministerium, glos. Ecclesiasticum, habentes in ministrando, gloss. assiduè, qui docet in doctrina &c. Ex quibus verbis Apostoli manifestum habetur. Primò, quòd huiusmodi gratiæ non infunduntur, nec sunt singulis membris Ecclesiæ corporis communes. Secundò, quòd huiusmodi gratiæ infunduntur singularibus membris corporis particulatim, non autem vniuersitati, aut communitati membrorum, nullus enim doctus ignorat, quòd talium [gratiarum subiectum capax, esse non potest ipsa communitas. Prætereà notandum est, quòd propter vnitatem ipsorum membrorum in ipso corpore Ecclesiæ, ipsum corpus Ecclesiæ dicitur sæpè recipere, habere, & exercere, siue operari; quæ officialia membra sua, vel aliquod etiam vnum membrorum recipit, habet, aut operatur, licèt illud tale conuenire non possit toti vniuersitati membrorum, nec propriè veraciter posse dici de ea, sed tantumper figurã synodochen denominando totum à parte: sicut in corpore naturali hominis exemplum est manifestum, homo crispus dicitur, vel casuus, licèt caluities; & crispitudo vni tantum membro hominis, scilicèt capiti intersint, ita similiter reperitur in corporibus per similitudinem dictum, plura namque attribuuntur vni populo, licèt toti non conueniant, sed tantum aliquibus illius populi, vnde glos. ordinaria super illud Apostoli 1. Corint. 10. Sedit populus manducare, dicit sic, Populus, idest quidam de populo, totum pro parte ponit: sic in proposito propter vnitatem in corpore Ecclesiæ multa, quæ quibusdam tantum conueniunt, attributa leguntur ipsi toti corpori Ecclesiæ, vt potestas ministerialis clauium ligandi, & soluendi à peccatis, quę solis sacerdotibus conuenit

nit, & in quibus subiectiuè, & dispensatiuè esse potest, dicitur Ecclesiæ data, cuius membra sunt ipsi sacerdotes. Vndè Ambr. vbi suprà: Ius ligandi, & soluendi habet Ecclesia, quæ veros habet sacerdotes, & similiter de alijs actibus. Vnde Archidyaconus super illud, Ecclesiæ charitas, de con. di. 4. dicit, Ecclesia dicitur facere, quod eius ministri faciunt secundùm instituta, puta paruulos baptismo offerre, baptizare, peccata dimittere. Hæc ille. Propter præfatam etiam vnitatem corporis mystici non solum dicitur Ecclesia habere illud, quod singulariter prælati in Ecclesia habent, sicut claues, & plenitudinem potestatis, quam solus Papa habet, sed etiam, quod Christus principale ipsi Ecclesiæ caput habet, vndè beatus Aug. tractans illud Apoc. 2. Qui vicerit, & seruat opera mea vsque in finem, dabo potestatem ei super gentes, & reget eos in virga ferrea, vt vas figuli comminuentur, sicut, & ego accepi à patre meo dicit, sic in Christo habet Ecclesia hanc potestatem, sicut dicit Apostolis, cum illo omnia nobis donauit. Vbi considerandum multùm vtiliter venit ad vitandos multos errores: quod cum aliqua legantur attributa Ecclesiæ est aduertendum respectu quorum, vel respectu cuius illa talia attribuantur ei, cum non omnia omnibus conueniant, sed quædam quibusdam, quædam alijs, & quædam vni aliàs faciliter quis posset errare. Cuius considerationis defectus videtur nobis, quòd fuerit causa aduersarijs multorum errorum, vndè valdè conuenienter venit in hoc loco notanda illa regula, quę ponitur in gloss. suprà 17. quæ originaliter est beati Aug. di. Attende regulam vnitatis capitis, & corporis, quasi enim vna persona est caput, & corpus, ideòque vna voce vtitur caput cum membris, licèt ea, quæ dicuntur, ad diuersa referantur, quædam enim soli capiti conueniunt, quędam solis membris, quędam capiti conueniunt, quædam capiti, & membris. Item quæ membris conueniunt, quædam præteritis, quædam præsentibus, quædam futuris, quædam perfectis, quædam imperfectis conueniunt, & tamen in tãta diuersitate, vna vox est, & quasi vna persona loqui videtur. Hæc gloss. Ex quibus omnibus manifestè patet, qualitèr intelligendæ veniant omnes auctoritates sanctorum dicentes, quòd Ecclesiæ catholicæ datæ sunt claues, quia non quidem in ipsa tota communitate, siue multitudine membrorum, sed in aliquibus tantum, scilicet in principalibus, scilicèt in Episcopis, & Præsbyteris: vt ait Hieron. & in istis. vt singularibus, non vt collegio, quoniam sicut apertissimè monstratum est, in communitate, siue vniuersitate non potest esse subiectiuè, nec dispensatiuè potestas ligandi, & soluendi à peccatis, de qua auctoritates sanctorum maximè loquuntur, vt patet ex ipsa litera.

CAP. LXXIII.

In quo respondetur ad rationes fundatas in prima suppositione.

EXposita veritate intelligentiæ, sub qua accipiendæ sunt auctoritates sanctorum patrum dicentes claues esse datas Ecclesiæ vniuersali, iam restat respondere ad obiecta aduersariorum, & iuxta numerum suppositionum illarum quibus veluti fundamentis vsi sunt arguendo, tot capitula subiungemus respondendo rationibus eorum.

Inprimis ergo respondentes ad primum præsppositum dicimus, quòd falsum est, quòd dicunt: videlicèt quod omnia dicta Petro, & Apostolis trahenda sint ad Ecclesiam ad intellectum, quem aduersarij prætendunt, videlicèt, quòd conueniant communitati Ecclesiæ, quoniam multa sunt, quæ dicta sunt à Christo Petro, & Apostolis, quæ nullo modo conuenire possunt ipsi communitati Ecclesiæ, nec etiam singulis fidelibus: non potest vniuersali Ecclesiæ, aut alijs fidelibus conuenire illud, quod Christus ait Petro, Matt. 16. beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit &c. vt est manifestum. Item nec potest trahi ad Ecclesiam illud Luc. 22. Tu conuersus confirma fratres tuos &c. Item nec illud Ioan. vlt. potest trahi ad Ecclesiam. Simon Ioan. [pasce oues meas &c.] Ecclesia enim grex est non pastor Item nec potest referri ad Ecclesiam illud Matt. 5. quod dictum est Apostolis. Vos estis sal terræ, quod &c. vbi, vt inquit Hilarius, & habetur in gloss. conti. Apostolorum designatur officium, vnde gloss. ait. Sunt Apostoli sal terræ, idest, hominum terrenorum, qui amando terram terra vocantur. Et Hieron. Sal dicuntur Apostoli, quia per illos vniuersum hominum conditur genus. Item nec potest referri ad Ecclesiam illud Matt. 19. Amen dico vobis vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis, & vos iudicantes 12. tribus Israel: vbi licèt, vt dicit August. 20. de ciuitate Dei, per numerum duodenarium significetur vniuersa multitudo indicantium, huiusmodi tamen non sunt omnes fideles, sed vt idem Aug. dicit, illi intelliguntur, qui propter Euangelium sua omnia diuiserunt, & secuti sunt Christum. Item nec potest referri ad vniuersam Ecclesiam illud, Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum, vt patet. Item nec illud potest conuenire communitati Ecclesiæ Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem, per quod verbum Apostoli dicuntur effecti sacerdotes. Item nec potest toti communitati Ecclesiæ conuenire illud Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quoniam sicut suprà sufficienter ostensum est, potestas ligandi, & soluendi à peccatis, nec omnibus fidelibus, nec ipsi communitati Ecclesiæ modo prædicto data est. Item nec illud Matth. 18. Quæcunque alligaueritis &c. quoniam potestas hæc non data est Ecclesiæ in omnibus eius membris, sed vt inquit gloss. in Episcopis

scopis, & presbyteris, & ita non potest referri ad ipsam communitatem Ecclesiæ modo prædicto. Item nec potest ad communitatem Ecclesiæ referri illud, Matth. vlt. [Euntes docete omnes gentes &c.] Clarissimum autem est, quòd officium docendi, & baptizandi non committitur toti Ecclesiæ, nec isti sunt actus, qui omnibus fidelibus conueniant. Item nec illud Ioann. 20. [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,] licèt enim hoc Apostolis dictum sit, & successoribus, qui dicuntur fungi legatione Christi, derisorium tamen videretur ad communitatem Ecclesiæ esse hoc referendum: itâ quòd Christus vniuersalem Ecclesiam miserit ad prædicandum, & sic de multis alijs, in sequenti verò cap. ostendetur hoc idem de eis, quæ dicta specialitèr leguntur Petro. Patet ergo falsitas suppositionis aduersariorum dicentium, quòd omnia, quæ dicta sunt Apostolis referenda sint ad Ecclesiam, tamquam toti communitati conuenientia. Et ad probationem primam quando dicitur, quòd quæ dicta sunt Apostolis, oportet intelligere de successoribus, concedimus hoc maximè de pertinentibus, vel ad officium Apostolatus, vel ad doctrinam veritatis, vel ad tolerantiam passionum. Quod verò dicitur consequentèr, quòd illud. Ego autem sum vobiscum vsque ad consummationem sæculi: promissum esse vniuersæ Ecclesiæ; nullus ambigat: concedimus, sed ex hoc non sequitur, quòd ea, quæ dicta sunt Apostolis pertinentia ad potestatem, siuè ad officium Apostolicum, sint communia ipsi toti communitati, siuè vniuersitati Ecclesiæ, siue omnibus fidelibus simul iunctim. Ad secundam probationem, cùm dicitur, quòd ea, quæ dicta sunt Petro, non habent illustrem intellectum, nisi cum referantur ad Ecclesiam, respondetur, quòd hoc non est sic accipiendum, quòd talia dicta Petro, ad auctoritatem, siuè potestatem clauium spectantia, ipsi communitati Ecclesiæ conueniant in communi, vt aduersarij prætendunt, quia vt suprà ostendimus, hoc non est possibile, sed intelligendum est sic, quòd illa, quæ dicta sunt Petro importantia auctoritatem, aut potestatem, non habent illustrem intellectum, nisi etiam ad eius successores per totum Ecclesiæ decursum referantur, & hoc verissimum esse, suprà ostendimus. Ex quibus patet, quòd ratio aduersariorum, quę fundabatur super suppositione prædicta, nulla sit, cum falso fundamento innitatur.

CAP. LXXIV.

In quo ponitur responsio ad rationes fundatas in secunda suppositione.

Evacuatis argumentis aduersariorum fundatis in suppositione prima, respondeamus ad ea, quæ super secunda suppositione fundantur.

In primis dicimus, quòd suppositio ipsa secunda, in qua aduersarij dicunt, quòd omnia dicta beato Petro, importantia, aut designantia auctoritatem, siuè potestatem, sint etiam dicta alijs Apostolis, & in illis toti Ecclesiæ; falsa sit, vt patet exemplariter de multis. Et primò de illa, quæ ponitur Ioannis 1. [Tu vocaberis Cephas,] quòd secundum sanctos Anacletum, & Isidorum, caput sonat, manifestum est autem, quòd hoc, nec alijs Apostolis, nec ipsi toti Ecclesiæ dictum est. Item nec illud Matth. 16. [Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis, & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] hoc autem soli Petro dictum est, & non alijs Apostolis, nec ipsi communitati Ecclesiæ, quæ super petram, aut Petri confessionem fundari dicitur, vndè beatus Chrisost. ait: Vide qualitèr Christus reducit Petrum ad excelsam de ipso intelligentiam: hæc enim ei promittit se daturum, quæ sunt propria Dei solius, scilicèt peccata soluere, & Ecclesiam immutabilem facere inter tot persecutionum, & temptationum procellas. Item Beatus Augustinus in sermone quodam Apostolorum Petri, & Pauli ita propositum nostrum apertissimè confirmat, dicens: Hic est Petrus in illa cęlestium discipulorum schola præcipuus, ac primus idoneus, quæ verba vitæ ex Christi ore suscipiens, interpres legis, assertor gratię, destructor Synagogæ, Ecclesiæ repatator, & ideò solus inter Apostolos meruit audire. [Amen dico tibi; quia tu es Petrus, & super hanc petram &c.] Quod verò aduersarij dicunt, quòd Petrus pro omnibus respondit: dicitur, quod verum est, quoniam vt ait beatus Ambrosius, licèt cęteri Apostoli siluerunt, Petrus tamen respondit pro omnibus, vndè Chrysostomus super Matth. itâ inquit. Quando verò Dominus de plebis opinione interrogat, omnes respondent, sed de omnibus Discipulis interrogatus Petrus, tamquam os Apostolorum, & caput pro omnibus respondet, vndè sequitur: Et respondens Simon Petrus, &c. Quòd verò aduersarij subiungunt, quòd non solum pro se, sed etiam pro alijs dictum sit Petro; [Tibi dabo:] respondetur, quod hoc est verum, sed differenter, quia Petro datæ sunt, seu promissæ claues immediatè, & in plenitudine, siuè in excellentia, alijs verò mediantè Petro, siuè in ordine ad eum, & iuxtâ mensuram dispensationis fiendæ per eum. Sicut enim principalior fuit in confessione, itâ principalior fuit in remuneratione, licèt enim receperit pro omnibus, nihilominùs, etiam præ omnibus, vndè glos. super hunc locum, itâ inquit; Quia præ cæteris confessus est, præ cæteris collatis clauibus donatus est. Hoc etiam manifestè patet ex dictis sanctorum, quæ inducunt pro se, si non truncatè, vt moris est eorum, sed integrè recitentur. Patet de Leone Papa, qui in sermone tertiò consecrationis suæ, itâ loquitur: Primus est in confessione Domini, qui primus est in Apostolica dignitate, propter quod dicitur beatissimo Petro, [Tibi dabo claues Regni Cœlorum, &c.] transiuit quidem in alios Apostolos ius potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huiusmodi constitutio commeauit: sed non frustrà vni commendatur, quod omnibus intimetur, Petro enim hoc singularitèr creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma proponitur hæc ibi. Item patet de Rabano, quem indu-

inducunt, si integrè ducantur in medium, aut enim, vt in glos. consequenti habetur. Hæc autem potestas ligandi, & soluendi, quamuis soli Petro videatur data à Domino, tamen cœteris Apostolis datur, necnon nunc in Episcopis, & præsbyteris, omni Ecclesiæ: sed ideò Petrus specialitèr claues Regni Cœlorum, & principatum iudiciariæ potestatis accepit, vt omnes per orbem intelligant, quòd quicumque ab vnitate fidei, vel societate eius, quomolibet seipsos segregant, tales, nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam Regni cœlestis ingredi possunt. Ecce, quòd dicta sanctorum inducta per aduersarios, cum integrè deducuntur in medium, manifestè cōfirmant propositum nostrum, videlicèt, quòd singularitèr, & specialitèr Petro dictum sit: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum.] Quod etiam aptissimè ostenditur ex eo, quòd solus inter Apostolos, cum clauibus depingitur. Item de solo eo cantat Ecclesia. [Deus qui beato Petro Apostolo tuo collatis clauibus Regni Cœlestis ligandi, & absoluendi Pontificium tradidisti, &c.] Prætereà, quòd suppositio aduersariorum, videlicèt, quòd dicta Petro importantia potestatem, sint etiam dicta alijs Apostolis, & illis toti Ecclesiæ, sit falsissima, patet de illo, quod Christus ait Petro; [Simon Io: diligis me plus his, pasce oues meas.] Planissimum est autem, quòd ista verba soli Petro dicuntur, quod etiam manifestè Sancti Patres attestantur: vndè beatus Chrysostomus super Ioann. tractans verbum hoc, ità inquit. Alios præteriens, & transcurrens huic de talibus loquitur: eximius Apostolorum erat Petrus, & os discipulorum, & vertex collegij: Hæc Chrysostomus. Ecce clarissimum testimonium, quòd soli Petro illud dictum fuerit à Christo. Prætereà, beatus Bernardus hoc idem testatur sic ad Eugeniū libro secundo de consideratione scribens. Tu es, cui traditæ sunt claues Regni Cœlorum, cui oues creditæ sunt, sunt quidem, & alij cœli ianitores, & gregum Pastores: sed tu tantò gloriosius, quantò, & differentiùs vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti, habent alij assignatos greges, singuli singulos: tibi vniuersi crediti sunt, vnus vni, non modo ouium, sed & pastorum, tu vnus omnium pastor, vndè id probem quæris? ex verbo Domini, [cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè, & indistinctè totæ commissæ sunt oues, si me, inquit, amas, pasce oues meas &c.] Quod verò aduersarij inducunt de B. Aug. li. de Agone Christiano, quòd Ecclesiæ, claues datæ sunt, cùm Petro datæ sunt, dicimus, quod verùm est, sed vt diximus suprà, & habetur in Glos. Matt. 16. in Episcopis, & præsbyteris non autē in tota communitate Ecclesiæ. Et similitèr id, quod consequentèr dicit Augustinus: quòd cum Petro dicitur, ad omnes dicitur, Amas me, pasce oues meas, non est intelligendum, quòd tunc per se, & immediatè ad omnes Apostolos Christus direxerit verbum illud, cùm dicat B. Chrys. vt visum est, quòd alios Apostolos præteriens Christus, Petro fuerit locutus. Et dicit Beatus Bernardus, quòd nulli Apostolorum, quàm Petrò, ità absolutè, & indistinctè oues commisit. Tum quia si Christus omnibus Apostolis illud dixisset, tunc plures pastores vniuersalis Ecclesię constituisset contrà illud Ioann. 10. Erit vnum ouile, & vnus Pastor. Prætereà, derisorium esset, quòd verbum illud intelligatur referri ad omnes fideles, cùm constent non omnes positos esse pastores. Inquit enim Apostolus ad Ephes. 4. Quosdā posuit pastores, quosdā dixit, non dixit omnes. Nec etiam potest referri ad totam communitatem fidelium, sicut suprà ostendimus: ipsa enim non pastor, sed grex Domini dicitur, cuius cura Petro commissa est, inquit Gregorius. Sed Augustini dictum est, sic accipiendum, iuxtà eiusdem sancti Doctoris sententiam, quod illud, quòd tunc soli Petro dictum est, in persona propria dictum sit, etiam in figura omnium aliorum Apostolorum, & futurorum prælatorum, quibus datas claues esse dicebat in Ecclesia, secundùm proportionem tamen sollicitudinis, ad quam vocandi essent per Petrum. Vndè idem Augustinus in sermone quodam Apostolorum Petri, & Pauli, qui incipit: Apostolorum Petrum primum omnium Apostolorum, &c. tractans illud verbum Ioann. [Petre amas me, pasce oues meas:] dicit sic: Per singula dicebat Petro, Dominus Iesus, dicenti [Amo te, pasce agnos meos pasce ouiculas meas;] in Petro figurabatur vnitas omnium pastorum. Hoc etiam vult dicere Beatus Ambrosius in principio pastoralis, cùm ait, quòd oues non solum tunc suscepit Petrus, sed nobiscum eas suscepit, & nos cum eo, loquitur de pastoribus, cuiusmodi erat ipse Ambrosius; vndè liber ille pastoralis dicitur, cū enim Christo fuerit cura de ouibus suis non solùm pro tēpore Petri, sed etiam pro toto decursu temporis vsque ad finem sæculi, certum est; quòd cum Petro commiserit oues suas, in eo etiam omnibus alijs eius successoribus, & prælatis in partem sollicitudinis suæ euocandis intelligitur commisisse, & per consequens verum est, quòd Petrus, cùm oues pascendas suscepit, cùm alijs, & alij cum eo suscepisse dicuntur, sed cum hoc stat, quòd Petrus pro tempore suo oues Christi vniuersas solus ipse absolutè, & indistinctè, sicut ait beatus Bernardus, pascendas susceperit.

Cæterùm, quòd suppositio præfata aduersariorum etiam falsa sit, patet in eo, quod Luc. 22. dictum est Petro à Christo: [Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos;] hoc autem soli Petro dictum est, non alijs Apostolis, vt est manifestum ex ipsa litera; & tamen in hoc plurimùm auctoritatis datum est Petro, quod patet ex illo beati Ambros. in cap. Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defleuit, ac ideò maiorem gratiam reperit, vt qui sibi antè infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, vt qui se interrogationis tentatione mutauerat, cęteros fidei stabilitate fundaret. Hæc Ambrosius. Ampliùs, quòd suppositio præfata falsa sit aduersariorum, patet in eo, quòd Petro legitur dictum Luc. 5. [Duc in altum.] Quòd autem hoc non sit dictum Apostolis, sed soli Petro, expressè glos. testatur, ita dicens: [Vndè etsi alijs imperatur vt laxent retia, soli Petro dicitur, duc in altum, id est, in profundum disputationum.] Et idem testatur beatus Ambrosius in cap. Est aliud, 24. quæst. 1. Ex quibus manifestè patet falsitas

tas suppositionis præfatæ aduersariorum, & per consequens rationes in eadem fundatas nullius esse roboris, vel momenti.

CAP. LXXV.

In quo respondetur ad rationes fundatas in suppositione tertia, vbi de multiplici modo, quo aliquid dicitur figurare, aut repræsentare personam alterius.

CÆterum videndum venit quid veritatis habeat suppositio tertia aduersariorum dicentium, quòd dicta Petro designantia auctoritatem, aut potestatem aliquam, sint ei dicta in figura Ecclesiæ. Et quoniam hæc suppositio potest esse vera in vno sensu, & in alio sensu non modò falsa, sed etiam erronea, & hęretica, opus est discernere in quo sensu vera sit, & in quo non. Pro quo notandum, quòd multipliciter reperitur aliquis figurare, aut repræsentare personam alterius. Vno modo similitudine, aut identitate eiusdem naturæ, hoc modo filius dicitur figura patris; filius enim, vt ait Chrysostomus super Matth. dicitur, quòd sit vt ille, scilicèt pater, & ideò dicitur Ecclesiastic. 30. [Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus;] similem enim relinquit post se, vbi glos. interli. dicit: [Qui eum dictis, & factis repræsentat,] de filio etiam Dei dicitur ad Hebr. 1. [Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, glo. id est patris.] Secundo modo dicitur aliquid figurare aliud conuenientia, aut similitudine alicuius proprietatis, sicut dixit Augustinus super psalm. 130 tractans illud: [Potabunt omnes bestiæ agri, id est gentes, quæ figura bestiarum intelliguntur,] vt patet ex Archa Noe, in qua omnes fuerunt, quæ figurant Ecclesiam, in cuius compaginis vnitate omnes gentes colliguntur. Hæc Augustinus: [Ecce quòd bestias, gentes, & Archam, Ecclesiam figurasse dicit.] Hoc modo figurationis multa in sacra Scriptura, & in dictis Sanctorum reperimus figurare, seu significare; sicut Gen. 20. habet glos. [Abraham in multis significauit Christum, & Sara Ecclesiam, & hoc modo ynum, & idem potest plura significare diuersis respectibus.] Tertio modo dicitur aliquis figurare, seu repræsentare alium, cuius scilicèt potestate, siue auctoritate, aliquid facit; sicut Ministri in Ecclesia dicuntur repræsentare, siue figurare Christum, cuius auctoritate funguntur. Hinc Apostolus inquit 2. Cor. 5. [Pro Christo legatione fungimur,] & 2. Cor. 2. [Si quid donaui, in persona Christi donaui;] dicitur enim de pœnit. dist. 3. §. Si quem: [Quem Sacerdos iudicat, Deus iudicat, cuius personam in Ecclesia gerit.] Hoc modo repræsentationis dicitur Vicarius repræsentare Episcopum, Legatus Papam, cuius vices gerit, vt in cap. Sanè de offic. deleg. & ita Papa Christum in tantum, vt dicitur: Hosti. in cap. Quantò, extrà de transl. Prælat. quòd Papæ, & Christi idem dicatur esse consistorium. Et idem satis apertè colligitur ex illo, quod ait Origenes, & inducitur in glos. cont. super Matth. 16. [Vide quantam potestatem habeat petra, super quam fundatur Ecclesia, vt eius iudicia maneant firma, quasi Deo iudicante per eam.] Hoc autem modo repræsentationis, siue figurationis, non potest dici sine errore, quòd Petrus significauerit Ecclesiam, quoniam ipse cùm non ab Ecclesia potestatem acceperit, sed à Christo immediatè, vt suprà monstratum est, & habetur in cap. Sacrosancta, dist. 22. non Ecclesiæ, sed Christi vices gerit, & non Ecclesiæ, sed Christi legatione fungitur; non Ecclesiæ, sed Christi Vicarius est; sicut cuius auctoritate fungitur. Et ideò hoc modo figurationis, non Ecclesiæ, sed Christi in Ecclesia Romanus Pontifex repræsentat personam. Quarto modo dicitur quis alium repræsentare, cuius nomine aliquid accipit, aut agit; sic Procurator in contrahendo matrimonium per verba de præsenti, repræsentat personam Domini, cuius nomine contrahit; vt in cap. vlt. de procurat. lib. 6. vndè is dicitur agere, cuius nomine agitur. Item Canonicus dicitur repræsentare personam Canonici, qui interesse non potuit in causa electionis, & sibi commisit vicem suam in eligendo. In quo casu iste poterit eligere vnum ex persona sua, & alium ex persona mandantis, quam repræsentat. Hoc autem modo repræsentationis, aut figurationis non potest dici sine graui errore, quòd beatus Petrus, quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit, quo tamen errore multi aduersariorum inuoluuntur. Illud tamen patet manifestè ex eo, quia cùm qui Procuratorio solo nomine agit, aut accipit, nihil auctoritatis, aut dignitatis sibi acquirat, sed tantùm illius, cuius nomine, aut accipit, vel agit. Sequeretur, quòd beatus Petrus ex collatione clauium sibi facta, non solùm præ cæteris Apostolis nihil habuisset auctoritatis, sed quòd nullum penitùs ius potestatis sibi esset acquisitum, sed tantùm Ecclesiæ, quam figurasse dicitur. Item nec ex collatione clauium aliquod dignitatis nomen, vt quòd esset caput Ecclesiæ, aut Princeps, ac Pastor, siue Papa, esset sibi acquisitum: sed tantùm Ecclesiæ, cuius nomine dicitur claues accepisse. Quæ omnia esse heretica, manifestum est, cùm sit contra sacram Scripturam expressè, & fidem sanctorum Patrum, ac sacras Canonum diffinitiones, sicut ex superioribus patet. Quintò dicitur aliquid aliud figurare, quod non habet veritatem illius, sed similitudinem solam, sicut dicitur, quòd agnus paschalis, & Manna fuerunt figura corporis Christi, vt inquit Apostolus 1. Cor. 11. [Et multa alia quę in veteri Testamento figura fuerunt eorum quæ in nouo per Christum sunt adimpleta;] secundùm illud 1. Cor. 10. [Hæc omnia in figura contingebant illis.] Hoc autem modo figurationis dici non potest sine errore maximo, quòd beatus Petrus claues susceperit in figura, quia cùm figura distinguatur hoc modo contra veritatem, sicut vmbra contra corpus; sequeretur ex illo, quòd Petrus non verè, sed figuraliter claues recepisset. Quod non modo falsum est, sed hæreticum, cùm manifestè sit contra illud Matth. 16. [Tibi dabo claues regni cœlorum, &

& quodcumque ligaueris, &c.] Sextò dicitur aliquis in receptione alicuius beneficij, gratiæ, aut auctoritatis, alium, vel alios figurare, in quem, vel in quos deriuanda est ex intentione donantis talis gratia, aut auctoritas; ficut qui à Rege accipit castrum pro se, & ab eo descendentibus, dicitur in receptione castri figurasse omnes ab eo descendentes. Hic autem figurationis, aut repræsentationis modus conuenit beato Petro in clauium receptione. Nam cùm Dominus, vt suprà dictum est, claues, quas Petro dedit, voluerit in Ecclesia vsque in finem seculi permanere, manifestum est, quòd Petrus non tantùm pro se, sed etiam pro omnibus, in quos esset deriuanda clauium potestas, claues accepit. Vndè beatus Ambrosius dicit, quòd omnes Sacerdotes in Petro claues susceperunt. Et Augustinus in sermone, quòd in vno Petro figurabatur vnitas omnium Pastorum. Hoc etiam modo figurationis est intelligendum cap. Quodcumque, 24. quęst. 1. vbi dicit Augustinus quòd beatus Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam figurauit, non quidem tamen in omnibus eius membris, sed vt inquit glos. videlicèt in Episcopis, & Presbyteris. Hoc etiam modo est accipiendum, quòd Archidyac. super illud cap. Quodcumque, dicit, quòd nomine, & signo Ecclesiæ Petrus claues accepit; quia non tantùm accepit nomine suo, sed omnium eorum, in quos per totam Ecclesiæ posteritatem esset clauium potestas deriuanda. Septimò dicitur aliquis alium figurare, siue repræsentare, in cuius honore succedit, pariter & dignitate. Hoc modo Episcopi dicuntur figuram gerere Apostolorum, & Presbyteri 72. Discipulorum, iuxta glos. Lucæ 10. & iuxta cap. In nouo, dist. 21. vndè successor intelligitur vna persona cum prædecessore, vt in c. Quoniam Abbas, in glos. super verbo, substitutum, de offic. deleg. Hoc autem modo figurationis nullo modo dicendum est, quòd Petrus significauerit Ecclesiam, sed Christum, cuius locum tenuit, & vices gessit in terris: sic Romanus Pontifex repræsentare dicitur & Christum, cuius Vicarius est, & Petrum, cui in honore, & Principatu succedit. Hinc beatus Bernardus ad Eugenium Papam scribens, inter alia dicit: [Tu potestate Petrus, vnctione Christus.] Octauò dicitur Princeps repræsentare Prouinciam, Rex Regum, caput corpus, & Episcopus Ecclesiam; dicuntur autem Principes continere populos, quibus pręsunt; vnde Sapientiæ 6. dicitur: [Audite Reges: glos. interl. Prælati intelligite; Iudices finium terræ præbete aures vos, qui continetis multitudines.] Vndè & beatus Augustinus libro Quæstionum veteris & noui Testamenti, dicit de beato Petro, quòd sicut in Christo omnes erant causæ magisterij, ita post Saluatorem omnes in Petro continentur; ipsum enim constituit caput, vt Pastor esset gregis Dominici. Hæc Augustinus. Hinc etiam dicit beatus Ambrosius, quòd nomine senioris, vndè cæteri pendent, tota domus intelligitur. Hac etiam ratione, vt dicitur 9. ethic. quod rector ciuitatis facit, dicitur tota ciuitas facere. Et simili ratione quod Papa facit, dicitur Ecclesia facere; vt in cap. Pia, extrà de except. lib. 6. Hac etiam ratione cùm Papa, & Prælati maiores Ecclesiæ congregantur, dicitur vniuersalis Ecclesia congregare, & quæ ibi stabilita sunt, vniuersali consensu, dicuntur firmata, iuxtà cap. Sicut, distin. 15. Nonò aliquis dicitur alium figurare, sicut Concilium ciuitatis dicitur repræsentare totum populum; vt Senatus populum Romanum; sic habetur glos. Iuris Ciuilis super Rubrica, quæ sit lon. consuet. Hoc autem modo figurationis, siue repræsentationis Consistorium Dominorum Cardinalium, quod est quasi Senatus vniuersalis Ecclesiæ, iuxtà cap. Ecclesia, 16. q. 1. dicitur repræsentare vniuersalem Ecclesiam. Decimò dicitur aliquis repræsentare alios, sicut Capitulum personam EpiscopiSede vacante in omnibus casibus notatis in cap. In his, & in cap. Cùm olim, de maiorit. & obed. & in cap. Episcopus, & in cap. vlt. Hoc modo Dominorum Cardinalium Collegium dicitur repræsentare Papam Sede vacante in aliquibus, vt in cap. In nomine Domini, dist. 23. cap. Ne Romani, extra de elect. in Clemen. & in casu in necessarijs, quorum expeditio sine grandi periculo spectare non posset creationem Summi Pontificis, vt notant Doctores ibidem. His notatis facilis patet responsio ad singulas auctoritates inductas per aduersarios, & ad omnes eis similes, vt patet per singulas discurrendo.

Ad primam ergo, quæ est beati Augustini super Ioan. & ponitur in cap. Quodcumque 24. quæst. 1. dicimus, quòd huiusmodi dicti Augustini non est intelligentia, quam aduersarij prætendunt, & in qua pro maiori parte fundant somnia sua; quoniam sicut sæpè repetitum est, beatus Petrus non ita nomine, aut signo Ecclesiæ dicitur claues suscepisse tamquam Procurator, aut Sindicus eius, cùm ipse præ cæteris omnibus, tamquam caput, pleniùs ea susceperit, nec etiam cùm claues suscepit, significasse Ecclesiam in omnibus membris eius, quia hoc est derisorium; sed tantùm in principalioribus, videlicèt Episcopis, & Presbyteris, vt suprà commemorauimus. Sed vera, & sana intelligentia illius dicti iuxtà Catholicam fidem hęc est, quòd data est Petro potestas clauium, non tantùm pro se, sed etiam vt significanti, & figuranti vniuersos Ecclesiæ Prælatos, in quos eius potestas deriuanda esset; quemadmodum qui suscipit à Rege castrum, aut aliquam potestatem in aliqua ciuitate pro se, & ab eo in recta linea descendentibus, dicitur in figura omnium talium castrum, aut potestatem suscepisse. Ita in proposito, quia Petrus pro se, & omnibus eius successoribus legitimè intrantibus, atque Prælatis futuris in Ecclesia claues accepit, Petrus cùm claues acceperit, dicitur Ecclesiam significasse, siue nomine, aut signo Ecclesiæ in principalioribus, scilicèt eius membris, Episcopis, & Presbyteris. Quòd verò hæc sit intelligentia Augustini, colligere possumus ex multis. Primò ex ipsa litera Augustini integrè deducta; dicit enim beatus Augustinus super Ioan. sermone 49. super illo verbo: [Me autem non semper habebitis,] sic intelligendum est, [me autem non semper habebitis, noli expauescere,] Iudæ dictum est. Quare non dixit, habes, sed habebitis, quia non vnus est Iudas,

das, vnus, malus corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorum, corpus Ecclesiæ, in vno corpus Ecclesiæ, sed in bonis; nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus: [Tibi tradam claues regni cœlorum, quæcumque solueris in terra, soluta erunt & in cœlo, & quæ ligaueris in terra, ligata erunt & in cœlo;] si hoc Petro tantùm dictum est, non hoc facit Ecclesia; si autem & in Ecclesia fit, vt quæ in terra ligantur, ligentur & in cœlo, & quæ soluuntur in terra, soluantur in cœlo; quia cùm excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus; & cùm reconciliatur ab Ecclesia, in cœlo soluitur excommunicatus; si ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significabat, si in Petri persona signati sunt in Ecclesia boni, in Iudæ persona signati sunt in Ecclesia mali, ipsis dictum est: [Me autem non semper habebitis.] Hæc Augustinus. Ex quibus manifestè colligitur, quòd intentio Augustini non sit, quàm aduersarij interpretantur, sed ea, quam nos explicauimus. Secundò, hoc idem patet ex eo, quod idem beatus Augustinus dicit in homel. 13. de verbis Domini tractans illud: [Absit à te Domine, ne fiat istud; vbi ita inquit, in eo quod dicit Petrus: [Tu es Christus filius Dei viui,] firmos significat, in eo, quòd trepidat, & titubat, & Christum pati, non vult, mortem timendo, vitam non cognoscendo, infirmos Ecclesiæ significat, In illo ergo vno Apostolo, id est Petro, in ordine Apostolorum primo, & præcipuo, in quo figurabatur Ecclesia, vtrumque genus significandum fuit firmi, & infirmi; quia sine vtroque non est Ecclesia. Hæc Augustinus. Ex quibus verbis clarissimè colligitur, quòd Petrus significando Ecclesiam, aliquando figurabat eam quo ad aliquos tantùm, non quoad omnes; & ita in proposito Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit, non quo ad omnes de Ecclesia, sed quoad aliquos tantùm, videlicèt successores eius, & alios Prælatos in Ecclesia sancta futuros, in quos ab eo deriuanda erat ipsa clauium potestas. Tertiò, quòd hæc fuerit sententia Augustini, patet per Archi. quòd exponens illud verbum: Si hoc tantùm Petro dictum est, ita dicit: [Id est, vt eius personam non transgrediatur, non hoc facit Ecclesia, id est eius auctoritas.] Hæc ille. Planè hæc est argumentatio beati Augustini, vt iste exponit, si potestas data Petro, soli eo data fuisset, ita quòd eius personam non transgrederetur, profectò potestas ligandi, & soluendi in Ecclesia non esset, cùm ergo in Ecclesia fit, quia continuè per Prælatos fit ligatio, & absolutio; sequitur manifestè, quòd Petrus quando claues suscepit, Ecclesiam sanctam in Prælatis suis significauit. Ex quibus omnibus patet, quòd auctoritas illa non fauet aduersarijs.

Ad secundam auctoritatem, quæ est eiusdem beati Augustini in sermone quodam Apostolorum Petri, & Pauli, respondetur, benè intellecta in nullo fauet aduersaris; nã quod inprimis dicit, qnòd solus Petrus vniuersalis Ecclesiæ gestabat personam, verùm est, quoniam cum ipse solus inter Apostolos esset Princeps, & caput ordinatus à Christo totius Ecclesiæ, ipsius solius erat vniuersalis Ecclesiæ gestare personam, sicut supra exposuimus in octauo modo repræsentationis. Et ex hoc magna excellentia commendatur beati Petri, vt infrà dicetur. Quod vero consequenter dicit, quòd claues non vnus homo, sed vnitas acceperit Ecclesiæ, verum dicit ad hunc intellectum, quoniam Petrus non singulariter pro se tantùm claues accepit, quod designat verbum, non homo vnus, sed etiam pro omnibus futuris Prælatis infrà tamen vnitatem Ecclesiæ constitutis, quod designat verbum, sed vnitas accepit Ecclesiæ, vt infrà pleniùs declarabitur. Quod vero subiungit, hinc Petri excellentia commendatur, quia ipsius vnitatis, & vniuersalis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum,] Quod omnibus traditum est, verum dicit ad intelligentiam datam, videlicèt in successoribus, & alijs Prælatis Ecclesiæ. Quòd autem subinfert, quòd Ecclesia suscepit claues, quando dixit Dominus Apostolis. [Quorum remiseritis, &c.] verum est ad intellectum datum, non scilicèt in omnibus membris suis, sed in illis, & eorum successoribus, quibus dictum est. [Quorum remiseritis peccata, &c.] Clarissimum est autem, quod illud non potest cum veritate intelligi dictum omnibus fidelibus diuisim, aut coniunctim consideratis, sed tantùm discipulis Christi, sicut suprà plenè ostensum est. Et licèt ista sufficiant pro auctoritate præfata, nihilominùs pro pleniori intelligentia mentis beati Augustini in illa auctoritate, & similibus est sciendum, quòd duo errores principales circa claues Ecclesiæ perniciosissimi fuerunt, contra quos beatus Augustinus in multis libris suis summo studio confutare, & eradicare curauit. Vnus error fuit Nouatianorum, qui vt dicit sanctus Thomas in tertia parte quæst. 83. art. 10. negabant pœnitentiam post baptismum, dicentes nullam apud Sacerdotes facultatem esse absoluendi à peccatis. Istum errorem tangit beatus Augustinus, & impugnat viriler libro primo de pœnit. vbi in principio 2. cap. ita dicit. Sunt quidam, qui credunt vsque in baptismum proficere, postea peccantibus, cassam perseuerare. Item in principio 3. cap. dicit sic. Adhuc sunt, qui reclamant non esse peccatorum remissionem baptizatis. Ad quem errorem radicitùs eradicandum beatus Augustinus, vtpotè subtilissimus argumentator nisus est ostendere, quòd non soli personæ Petri claues datæ sunt, sed in Petro etiam datæ sint toti posteritati Ecclesiæ in Prælatis ipsius Ecclesiæ. Vndè in cap. 40. præfati libri dicit sic; Scimus, autem, & primos Patres, & in omni tempore Ecclesiam Dei semper vsque septuagesies septies, quòd est semper peccata dimittere, quam potestatem isti ab Ecclesia auferre conantur. Cæterum de errore istorum in fine lib. 2. de Agone Christiano sic dicitur. [Nec nos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere, itaque miseri dum in Petro petram non intelligant, & nolunt credere claues Regni Cœlorum esse datas Ecclesiæ, ipsi eas de manibus amiserunt.] Hæc Augustinus. Hoc tamen sicut sæpè repetitum est, non est sic accipiendum, quòd ipsa vniuersalis Ecclesia,

quæ

quæ dicitur omnium fidelium collectio in alijs membris, quam in Sacerdotibus, hanc habeat potestatem dimmittendi peccata, sed ità, quòd toti posteritati Ecclesiæ in Sacerdotibus datæ sint claues Ecclesiæ. Secundus error fuit eorum, qui, in hæresi, & schimate constitutos, & ita ab vnitate Ecclesiæ diuisos, dicunt ligare, & absoluere posse à peccatis, qui error est communiter omnium schismaticorum. Contra quem errorem beatus Augustinus in præfato tractatu de pęnitentia ostendere volens necessariam esse vnitatem Ecclesiæ; tàm ad vsum, quàm ad fructum consequendum clauium, ita inquit. Nemo pænitere dignè potest, quem non sustineat vnitas Ecclesiæ, ideoque non petat Saccerdotes ab vnitate Ecclesiæ diuisos. Hæc ille. Ad destruendum ergo errorem primum dicentem nullam in Ecclesia apud Sacerdotes facultatem esse remittendi peccata, dicit Augustinus, [Petrus quando suscepit claues vniuersitatis Ecclesiæ, in Prælatis scilicèt, & Sacerdotibus figuram gessit.] Ad excludendum verò secundùm errorem dicentem, apud diuisos ab Ecclesiæ vnitate claues esse Ecclesiæ, dixit beatus Augustinus, quòd Petrus quando claues accepit, etiam gessit figuram vnitatis Ecclesiæ Et ita patet, quæ fuerit intelligentia beati Augustini in dictis suis. Quòd autem illa fuerit, etiam ostenditur ex processu, quo beatus Ambros. vsus est in confutatione præfatorum errorum in libro suo de pœnitentia, vbi in cap. 2. ita dicit. Sed aiunt, scilicèt Nouatiani, se Domino deferre reuerentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reseruāt, immò nulli maiorem iniuriam faciunt, quam qui eius volunt mandata rescindere, cassum munus refundere, idest euacuare. Nam ipse cum in Euangelio suo dixerit. [Accipite Spiritum sanctum, & cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei, & cui retinueritis detenta sunt.] Quis magis hoc horreat, vtrùm, qui mandatis obtemperant, an qui resistit? Ecclesia in vtroque obseruat obedientiam, vt peccatum, & alliget, & relaxet: hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare, quod non resoluat, non vult soluere, quod ligauit, in quo se, suamque damnat sententiam, Dominus enim par ius, & soluendi esse voluit, & ligandi, qui vtrumq; pari ratione permisit, ergo qui soluendi ius non habet, nec ligandi habet. Ita istorum assertio seipsam strangulat, & quia soluendi sibi ius negant, negare debeant, & ligandi, quomodo potest alterum licere, & non licere alterum, quibus vtrumque datur, vtrumque licere manifestum est, aut vtrumque non licere, certum est, Ecclesiæ autem vtrumque licet, hæresi autem vtrumque non licet, ius enim hoc solis permissum est Sacerdotibus. Rectè ergo Ecclesia vtrumque vendicat, quæ veros Sacerdotes habet, hæresis vendicare non potest, quæ Sacerdotes Dei non habet. Hæc Ambrosius. Ex quibus omnibus patet tàm, quæ fuerit mens beati Augustini in præfatis auctoritatibus, quàm quòd præfatæ auctoritates nihil faciunt ad propositum aduersariorū.

Ad tertiam auctoritatem, quæ est beati Augustini libro de vnico baptismo, patet responsio ex dictis, quoniam omnes illæ auctoritates beati Augustini eandem intelligentiam habent. Persuadere enim intendit duas conclusiones contra duos præfatos errores. Prima, quod claues sint apud Sacerdotes in Ecclesia, & esse debeant per totam posteritatem Ecclesiæ vsq; in finem seculi, & hoc contra primum errorem. Secunda conclusio sua est, quòd claues non sint apud omnes, sed tantum apud constitutos in vnitate Ecclesię, & hoc contra secundùm errorem. Istæ duæ conclusiones sequuntur ex hoc, quod dicit, quòd Apostoli quando eis dictum est. [Quorum remiseritis peccata, &c.] personam Ecclesiæ gestabant, quia si personam Ecclesiæ gestabant, tunc sequitur primò, quòd non tantum pro seipsis, sed pro suis successoribus erat eis dictum à Domino. [Quorum remiseritis, &c.] & sic error primus eliditur. Præterea secundò ex hoc, quòd personam gestare dicuntur Ecclesiæ, quando eis dictum est: [Quorum remiseritis:] Cum Ecclesia sit vna, extra quam non est salus, sequitur necessariò, quòd claues non sint, nisi apud in vnitate Ecclesiæ constitutos, & sic destruitur secundus error. Et hoc est, quod dicit, quòd cum illis dictum est. [Quorum remiseritis, &c.] idem est, ac si ipsi Ecclesiæ diceretur: [Pax Ecclesiæ dimittit peccata, &c.] Et hoc est, quod idem Augustinus dicit in libro de remissione peccatorum, & habetur in cap. Ecclesiæ charitas de consecr. dist. 40. quòd Ecclesiæ charitas dimittit peccata. Dicitur autem vnitas, siue charitas Ecclesiæ dimittere peccata, quia nec confitens consequitur fructum clauium, nec minister habet earum executionem, nisi infrà vnitatem Ecclesiæ fuerint ambo constituti, vt in capit. dicimus, in cap. schimat. 24. quæst. 1.

Ad quartam auctoritatem Augustini super Ioann. in sermone, vt dicitur cap. 8. respondetur sicut ad superiores auctoritates dictum est, quod verum est; quòd quando Petro dictum est. [Tibi dabo claues, &c.] vniuersam significat Ecclesiam, ad intelligentiam datam superiùs, scilicèt non in omnibus eius membris, sed in principalioribus solùm, scilicet Episcopis, & Presbyteris. Et si dicatur, quòd Augustinus dicit vniuersam significabat Ecclesiam, ergo in omnibus: Respondetur, & est benè notandum in huiusmodi auctoritatibus beati Augustini, quòd vniuersitas importata nomine vniuersæ Ecclesiæ, non est vniuersitas membrorum Ecclesię vt fiat distributio pro singulis membris Ecclesiæ, aut pro ipsa communitate fidelium, quoniam, vt in superioribus apertissimè demonstratum est, impossibile est, quòd Petro dicta sunt, de clauibus Ecclesiæ, siue diuisim, siue coniunctim consideratis conueniat, sed est vniuersitas locorum, & successionis, siue decursus etatis Ecclesiæ. Vnde est sensus, quòd quando Petrus claues accepit, accepisse designetur etiam pro omnibus successoribus suis, & alijs Ecclesiæ Prælatis, non tamen in vno loco, aut Prouincia vna, aut vno tempore, sed in vniuerso Orbe, & per totam ætatem; Ecclesiæ, scilicet vsque in finem seculi, & hoc est vniuersam figurare Ecclesiam, & hoc modo accipit vniuersalitatem gloss. Matth. 6. cùm ait, quòd claues datæ sunt omni Ecclesiæ in Episcopis, & Presbyteris. De hoc modo vniuersalitatis loquitur idem beatus

Augustinus homilia 6. super Apocalyp. exponens illud. Stellæ ceciderunt in terram, ita dicens. Hoc est stellæ Ecclesiæ, sed à toto pars intelligitur. Non enim tota Ecclesia, sed qui mali sunt in Ecclesia, ipsi cadunt de Cœlo. Tota autem dixit, quia in toto Orbe terrarum erit persecutio magna, & tunc qui iusti fuerint manebunt in Ecclesia tamquam in Cœlo. Hæc ille. Item super can. Ioann. in tractatu quarto inquit. Totus Mundus Christianus est, & totus impius, per totum enim Mundum impij, & per totum Mundum pij. Ecce quod totalitas Ecclesiæ non accipitur ibi à totalitate, siue vniuersitate membrorum eius, sed à totalitate locorum. Et ita in proposito nostro, planè visum est nobis, quòd inaduertentia huius diuisionis vniuersitatis dedit occasionem magnam aduersarijs malè intelligendi multa dicta sanctorum Patrum,& maximè Augustini de vniuersali, siue de vniuersa Ecclesia loquentium.

CAP. LXXVI.

In quo respondetur ad auctoritates, & rationes fundatas in quarta suppositione.

CONsequenter restat videndum de suppositione quarta aduersariorum, & de auctoritatibus, quas inducunt in fauorem eorum. Suppositio quarta eorum est, quòd quę dicuntur apud sanctos Doctores esse in Ecclesia, aut data Ecclesiæ vniuersali, intelligantur data Ecclesiæ vt vniuersitati, siue in omnibus eius membris simul iunctis. Planè, quòd ista suppositio non solùm est falsa, sed etiam derisoria sit, satis vnusquisque ex supradictis intelliget, maximè vbi improbando aduersariorum positionem ostendimus multa fore, quæ in Ecclesia esse, aut Ecclesiæ data dicuntur, quæ nullo modo ipsi communitati Ecclesiæ in omnibus membris suis conuenire possunt,immò illa communitati attribuere illo modo, esset omninò stultum. Nam sicut in superioribus diximus,quemadmodum in corpore naturali hominis,ad cuius similitudinem Ecclesia corpus nominatur,aliqua data sunt corpori sic in vno membro, quòd non in alio membro, nec in omnibus simul, sicut visus datus est homini in oculo, auditus in aure, odoratus in naribus, ità quòd non in alijs. Ità est in corpore Ecclesiæ,multa data sunt Ecclesiæ, sicut sunt gratiæ, quæ gratiæ gratis datæ dicuntur, de quibus Apostolus ad Roman. 12. & 1. ad Corinth. 12. & ad Ephes. 4. quas supra commemorauimus, quæ non sunt ità corpori Ecclesiæ datæ, vt omnibus membris eius simul conueniant,sed tantùm aliquibus aliqua & alijs aliæ, dicente eodem Apostolo. Diuisiones gratiarum sunt,vt superiùs plenè ostendimus. Falsa ergo est suppositio illa aduersariorum, nec probatio eorum est alicuius apparentiæ, cùm dicunt, quòd Ecclesia sit nomen collectiuum, quia ex hoc non sequitur, quòd quicquid dicatur esse in Ecclesia, aut datum Ecclesiæ, quod conueniat omnibus membris eius simul collectis. Vnde Apostolus 1. Corinth. 12. Si totum corpus oculus, vbi auditus? si totum corpus auditus, vbi adoratus? Veritas ergo est, quòd multa sunt data Ecclesiæ, aut in Ecclesia esse dicuntur, aut quòd Ecclesia illa habeat, quæ tamen non in omnibus membris simul collectis habet sed in quibusdam tantum. Quibus habitis dicendum est ad singulas auctoritates, quæ ex aduerso inducuntur.

Ad primam,quæ est de cap. omnibus 24. quæst. 1. respondetur, quod verum est, quòd Ecclesia claues recepit, & hoc nullus Christianus negat, sed dicitur, quòd non in omnibus eius membris,sed tantum in quibusdam, scilicèt Episcopis, & Presbyteris sicut sæpè commemoratum est.

Ad secundam, quæ est August. de doctrina Christiana, respondetur eodem modo, concedendo, quòd Christus dedit Ecclesiæ suæ claues, vt quæ solueret in terra, &c. sed istas claues dedit,sicut diximus,non in omnibus eius membris, sed in principalioribus, scilicèt Episcopis, & Presbyteris.

Ad tertiam, quæ est eiusdem Augustinus super cantic. Ioann. respondetur eodem modo.

Ad quartam, quæ est extra de summa Trinitate, respondetur primò, quòd auctoritas illa non videtur ad propositum facere, quoniam gloss. super verbo, secundùm claues, exponit secundùm formam Ecclesiæ. Secundò, respondetur, negando consequentiam istam: claues nominantur Ecclesiæ; ergo communitas Ecclesiæ in se, & in omnibus suis membris, atque principaliùs, quàm Petrus claues habet. Ista consequentia nulla est, hoc enim commune est, quòd claues dicuntur castri, aut ciuitatis, & tamen aperiendi facultas, nec castro, nec ciuitati propriè ascribitur, sed ostiario. Sic in proposito, licèt claues nominentur Ecclesiæ,sicut,& Sacramenta; nihilominus potestas absoluendi à peccatis, & Sacramenta dispensandi solis Sacerdotibus conuenit, & aliquorum dispensatio solis Episcopis, sicut alijs dictum est. Tertiò, respondetur, quòd claues non sic dicuntur Ecclesiæ, quòd communitas ipsa Ecclesiæ habeat in se subiectiuè, formaliter, & dispensatiuè illas, sicut aduersarij prætendunt; hoc autem modò benè fuerunt in Petro, & nunc sunt in eius Successoribus; vnde Sancti,Petrum nominantur Clauicularium & Ianitorem Regni Cœlestis. Verùm, quòd claues Regni Cœlorum, licèt solis Sacerdotibus conueniant, dicantur tamen datæ Ecclesiæ, & dicantur claues Ecclesiæ, possunt assignari plures rationes.

Prima est, propter vnitatem membrorum in corpore Ecclesiæ, sicut supra diximus, quia enim, vt ait Apostolus ad Roman. 12. [Multi vnum corpus sumus in Christo, immò quæ membris corporis data sunt, ipsi corpori, cuius partes sunt, data esse dicuntur.]

Secundò, quia claues datæ sunt potioribus partibus communitatis Ecclesiæ, quia sicut ait Hieronymus; datæ sunt omni Ecclesiæ in Episcopis, & Presbyteris, solitum est autem,vt quòd principaliores faciunt in communitate ipsa, tota communitas facere dicatur,quoniam vt inquit Philosophus 19.ethyc. [Ciuitas dicitur id, quod principalissimum est

est in ea, sicut homo dicitur suus intellectus, non quia intellectus sit totus homo, sed quia intellectus est principalior pars in homine in quo virtualiter consistit tota hominis dispositio.]

Tertiò, dicuntur claues Ecclesiæ, quia potestas, quæ non potest perpetuari in vno, aut in pluribus suppositis alicuius multitudinis, sed tantum per successionem, consueuit nominari potestas communitatis, licet non omnibus de illa communitate talis potestas conueniat, sicut est in priuilegio perpetuo dato dignitati alicuius Ecclesiæ, vel Religioni.

Quartò, dicuntur claues Ecclesiæ, quia ad bonum totius Ecclesiæ à Christo Petro, & eius successoribus datæ sunt; vnde Apostolus 2. Corinth. 13. dicit: [Secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem.]

Quintò, dicuntur claues Ecclesiæ, sicut dicuntur claues domus, quia per eas datur ingressus in Ecclesiam, vel excluditur quis ab Ecclesia.

Sextò, claues dicuntur Ecclesiæ, quia fides Ecclesię multùm operatur in ipsis, quomodo & Sacramenta dicuntur Ecclesiæ. Patet ergo, quòd auctoritas inducta ex parte aduersa nihil faciat ad propositum ipsorum aduersariorum. Quod verò præfati aduersarij dicunt, quòd in auctoritate illa non dicitur, quòd soli Petro concessæ sunt claues, nec quòd per ipsum alijs concessæ sint, non est dignum responsione: quoniam omnibus doctis notum est, quòd argumentatio ab auctoritate negatiuè nullius roboris est. Multa quippè beato Petro conueniunt, quæ negare esset hæreticum, licèt de eis nulla fiat mentio in cap. illo allegato per aduersarios extra de Summ. Trinit. & fide cath. Prætereà, si ibi non dicitur, alibi dicetur, vt in cap. fundamenta de elect. lib. 6. & in multis alijs locis, sicut supra commemoratum est.

Ad quintam auctoritatem, quæ de actibus Apostolorum inducitur, respondetur, quòd auctoritas illa non facit aliquid contra propositum nostrum, licèt enim Spiritus sanctus dicatur posuisse illos Pharisæos regere Ecclesiam Christi pro parte illa, in qua pastores, & rectores præfecti fuerunt, non propter hoc sequitur, quod apud illos esset potestas clauium in plenitudine sua, sed tantum secundùm potestatem sollicitudinis, ad quam essent vocati. Plenitudo verò potestatis, est tantum apud illum, cuius regimini ipsa tota vniuersalis Ecclesia toto Orbe diffusa commissa est, quod est Romanus Pontifex; vnde cùm alij à beato Petro dicuntur Principes, aut Rectores, aut Pastores gregis Dominici, non est intelligendum, quòd tales sint respectu totius Ecclesiæ, sed respectu partis, aut partium, cui, vel quibus præfecti sunt, vt putà respectu talis, vel talis Prouinciæ, aut Diœcesis, aut Parochiæ secundùm potestatem sollicitudinis, ad quam per vniuersalem totius Ecclesiæ Pastorem, & Rectorem vocati sunt; vnde gloss. super illo 1. Petri 5. Pascite qui in vobis est gregem, dicitur sic: Sicut Dominus Petrum totius gregis curam habere, iussit, ità Petrus sequentibus Ecclesiæ pastoribus iure mandat, vt eum quisque, qui secum est, gregem Domini, sollicita gubernatione tueatur.

Ad sextam auctoritatem, quæ sumitur de præfatione, quæ in festo Apostolorum dicitur, similis patet responsio: dicimus enim, quòd licèt alij Apostoli etiam fuerint Ecclesię pastores, sicut & modo Episcopi sunt, nihilominùs non vniuersaliter super totam Ecclesiam, sed tantū secundum illam potestatem sollicitudinis, ad quam vnusquisque vocatus est, solus autem Petrus pastor fuit vniuersalis Ecclesiæ, cui soli absolutè, & indistinctè dictum est Ioann. vlt. [Simon Ioannis diligis me, pasce oues meas,] in qua vniuersalitate solus Romanus Pontifex illi succedit.

CAP. LXXVII.

In quo respondetur ad obiectiones fundatas in suppositione quinta.

Suppositio autem quinta aduersariorum est, quòd nunquam aliqua potestas legatur data Petro, nisi simùl cum alijs Apostolis. Quòd autem hæc suppositio falsa sit, manifestè ostenditur. Primò, quoniam illud, quod Ioann. vlt. scribitur: [Simon Ioannis diligis me plus his, pasce oues meas,] in quo maximè tàm secundùm Doctores Theologos, quàm Canonistas Petro cura totius Ecclesiæ, & principatus committitur, soli Petro dictum est, vt supra ostensum est, tùm ex litera, cum ait Christus [Simon Ioannis diligis me plus his, &c.] tùm beati Chrysostom. testimonio, qui super Ioann. ità inquit: Alios, scilicet Apostolos, præteriens, huic de talibus loquitur, eximius Apostolorum erat Petrus, & os Discipulorum, & vertex Collegij. Ecce quod inquit, alios præteriens, ergo soli Petro est hoc dictum. Item Gregor. ibidem: Petro sancta Ecclesia est commissa, ipsi specialiter est dictum: [Pasce oues meas.] Et cùm dicitur ex aduerso, quòd non sit alius locus apertior concessionis potestatis Petro commissæ, Matth. 16. quam Matth. 18. vbi dicitur ei, & alijs simul: [Quæcumque alligaueritis, &c.] Dicimus, quod hoc videtur falsum, quia hìc non videtur aliqua facta concessio potestatis, sed tantum promissio, sicut quando Petro dictum est: [Quodcumque ligaueris, &c.] Quod ex tribus videtur colligi. Tum primò, quia si tunc Matth. 18. concessio fuisset potestatis clauium, quæ promissa erat Matth. 16. cùm dictum est Petro: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum,] profectò non indignati fuissent ad inuicem Apostoli, nec concertassent de primatu, infrà Matth. 20. cap. cùm iam certi essent de voluntate, & dispositione Christi, ac de potestate sibi concessa, & tamen Christus indignatis Discipulis aduersùs filios Zebedei ait. Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos, non ità erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, non ergo videtur, quòd Matth. 18. adimpleta fuerit promissio clauium facta Petro. Tum secundò, quia Matth. 16. vtraque clauis, scilicèt tàm ordinis, quàm iurisdictionis ad regimen, & tuitionem

tionem Ecclesiæ promissa fuit Petro. Vnde Chrysost. & habetur in glos. continua. Vide qualiter Christus reducit Petrum ad excelsam de ipso intelligentiam, hæc enim se promisit daturum, quæ sunt propria Dei solius, scilicèt peccata soluere, & Ecclesiam immutabilem facere inter tot persecutionum, & temptationum procellas, sed Matth. 18. tantum de claue iurisdictionis in exteriori iudicio fit mentio, vt patet ex litera, dicitur enim si Ecclesia non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, &c. Sequitur, [quæcumque alligaueritis, &c.] gloss. interlin. vinculo anathematis, non ergò tunc adimpleta fuisse videtur promissio facta Petro. Tum tertio, [quia claues Regni Cœlorum, quæ promissæ erant Petro, non dantur nisi Sacerdotibus.] Tales autem non erant Apostoli, quando dictum est eis, [quæcumque alligaueritis, &c.] cum facti fuerint Sacerdotes in die cœnæ, ergo falsum est, quòd id, quod promissum erat Petro Matth. 16. fuerit adimpletum Matth. 18. quantumcumque currat aliqua similitudo in verbis inter verba dicta Petro Matth. 16. & verba dicta omnibus Apostolis Matth. 18. Et si dicatur, quòd Hieron. dicit in gloss. Matth. 18 quòd potestatem tribuit Apostolis. Dicendum, quod debet exponi, idest designatur, vel insinuatur danda Apostolis, & eorum successoribus, & hoc in Petro, in quo sicut ait Augustin. figurabatur vnitas omnium Pastorum. Si quæratur autem quando data est potestas clauium Petro & alijs Apostolis? Ibi respondendum nobis videtur saluo meliori iudicio sub sex conclusionibus sequentibus.

Prima est, quod Matth. 16. cum dictum est Petro: [Tibi dabo claues Regni, &c.] non est Petro data potestas, sed promissa. Patet conclusio ex ipsa litera, dicitur enim dabo, quod est futuri temporis, patet etiam expressè ex superiùs dicto beati Chrysostomi, qui ait promittit, &c. hoc etiam patet testimonio beati Hieronymi, qui supra Matth. tractans præfata verba Christi Matth. 16. [Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.] dicit. Consideret, qui hæc quærit Petro illã benedictionem, & beatitudinem; atque potestatem, & ædificationem super eum, Ecclesiæ in futuro promissam, non in præsenti datam.

Secunda conclusio, promissio illa potestatis facta Petro, fuit promissio tàm potestatis clauium ordinis, quam iurisdictionis. Patet conclusio ex dictis. Hæc cõclusio videtur esse, tàm Alex. de Alis in 4. & S. Thoma, & Alberti, ac Bonauenturæ in 4. quoniam claues in sua plenitudine promissæ sunt tunc Petro.

Tertia conclusio, potestas iurisdictionis in foro exteriori designata Mat. 18. non videtur data tunc actu Apostol. sed benè insinuata dari, siue promissa cõcedi Apost. eorumq; successoribus. Patet conclusio ex superiùs dictis.

Quarta conclusio, potestas clauis ordinis fuit actu donata Petro, & Apostolis alijs simul; quando Ioann. 20. dictum est illis. [Accipite Spiritum sanctum, & quorum remiseritis peccata remittuntur eis.] Super quo verbo dicit beatus Gregorius in homilia, quòd hic Apostoli Primatum Diuini iudicij sortiuntur, vt vice Dei quibusdã peccata teneant, & quibusdam relaxent.

Quinta conclusio est, quod potestas iurisdictionis plena in vtroque foro data est Petro, cum ei dicitur Ioann. vlt. Simon Ioann. [diligis me, pasce oues meas.] Pascere enim propriè est Regiæ potestatis; Vnde olim Reges Pastores dicebantur. Pascere, vt inquit gloss. est oues credentes in Christo, ne à fide deficiant, consorfortare, terrena subsidia, si necesse est subditis prouidere, & exempla virtutum cùm verbo prędicationis impendere, aduersarijs obsistere, errantes subditos corrigere. Ex quo habetur, quòd hìc, vt dictum est, plenitudo potestatis iurisdictionis data sit Petro. Vnde beatus Gregorius inquit, quòd cura totius Ecclesiæ, & Principatus Petro committitur. Et beatus Chrysostomus super eodem loco, inquit: [Pasce oues meas:] negatione deleta committit Petro residentiam Fratrum.

Sexta conclusio, adimpletio promissæ, siue insinuatæ potestatis iurisdictionis dandæ alijs Apostolis à Petro, fuit facta mediantè Petro propter Ecclesiæ vnitatem seruandam. Patet conclusio tàm ex illo Leonis Papæ in cap. ita Dominus distinct. 19. quàm ex illo eiusdem in sermone 3. ordinationis suæ irà dicentis. Magnum, & mirabile est dilectissimi, huic viro, scilicet Petro, consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, & si quid commune cum eo cæteris voluit esse Principibus, numquam nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit.

Ad id verò, quod ex aduerso arguebatur ex prædicta suppositione, quòd cum sub eadem vniuersalitate dictum esset Petro, & Apostolis: [Quæcumque alligaueritis, &c.] Matth. 18. sub qua dictum fuerat Petro Matth. 16. [quodcumque ligaueris, &c.] non tamen plenitudo potestatis residere dicenda est apud Petrum, sed etiam apud alios, respondetur dupliciter.

Primò, quod falsum est, quòd sub eadem vniuersalitate, & cæt. quoniam cum Petro Matth. 16. promissio fiat vtriusque clauis, tàm scilicèt in foro conscientiæ, quàm in foro exterioris iudicij, & cùm dictum est Apostolis Matth. 18. [quæcumque alligaueritis, &c.] tantũ promissio sit iurisdictionis in foro exterioris iudicij, manifestum est, quod quodcumque dictum Petro est maioris vtilitatis, quàm quodcumque dictum Apostolis, & hoc notat etiam Origenes in gloss. quæ tractans illud Matth. 18. [quæcumque alligaueritis super terram, alligata erunt in Cœlo] sic ait, [in Cœlo dicit, non in Cœlis sicut Petro,] quia non sunt tantæ perfectionis sicut Petrus, loquimur autem de perfectione potestatis, & auctoritatis.

Secundò respondetur, quòd dato, quòd Matth. 18. data esset Apostolis potestas actu Petro promissa Matth. 16., non propter hoc sequitur, quòd in eadem vniuersalitate, aut plenitudine data esset Apostolis alijs dispersis, aut simul collectis, in qua Petro. Et ratio huius sumitur ex dictis Domini Alberti Magni, & beati Thomæ. Dominus autem Albertus Magnus respondens ad vnum simile argumentum in 4. dist. 17. dicit, quòd cum Dominus dixit Apostolis, [Accipite Spiritum sanctum, & quorum remiseritis, &c.] præsupponit esse ordinem in Discipulis, quoniam ante præfecerat,

cerat, siue ordinauerat Petrum super omnes esse Matth. 16. [Tibi dabo claues, & quodcumque, &c.] & Luca 22. [Et tu aliquando conuersus confirma Fratres tuos.] Cùm ergo hic ordo iurisdictionis à Domino ante fuerit institutus, præsupponit illum, vt secundùm illum conferret executionem officij, quando insufflauit, & dixit. [Accipite Spiritum sanctum, & quorum, &c.] Hæc Albertus. Sanctus verò Thom. in 4. distinct. 29. respondens quasi ad idem argumentum de æqualitate potestatis in Apostolis, dicit sic, quòd quamuis omnibus Apostolis communiter data sit potestas ligandi, & absoluendi, tamen vt in hac potestate significaretur aliquis ordo, primò soli Petro data est; vt ostendatur, quòd ab eo in alios debeat ista potestas descendere; hæc sanctus Thomas. Ex quibus verbis manifestè colligimus, quòd dato iuxtà aduersarios, quòd in verbo Matth. 18. daretur potestas Apostolis omnibus, quæ Petro promissa fuerat Matth. 16. verba tamen dicta Petro Matth. 16. cùm ei sicut capiti à quo in alios deriuanda erat potestas, dicta intelligantur, sunt extensioris vtilitatis, quàm dicta alijs Apostolis Matthæi 18. quibus non absolutè sicut Petro, sed supposito ordine ad ipsum Petrum, dicta necessariò intelligenda veniant.

CAP. LXXVIII.

In quo respondetur ad ea, quæ inducuntur in suppositione sexta.

Reliquum est explicare, quid veritatis, aut falsitatis aduersariorum suppositio 6. contineat; & ità videbitur, cuius ponderis sint obiecta, quæ indè sumpta sunt: In primis dicimus, quòd suppositio illa in omnibus eius partibus est falsa, quod nos sic ostendimus. Pro quo sciendum, quòd suppositio illa plures partes continet.

In prima eius parte aduersarij dicunt, quòd cuilibet creaturę, cui Deus dedit certam periodum, qua determinatur quamdiù possit videre, vel durare; dederit propriam virtutem innatam, & intrinsecam, qua possit in suo esse se conseruare, & contrà destructionem sui aduersantibus resistere. Ista pars videtur nobis falsa, quoniam conseruatio cuiuslibet creaturæ dependet ab extrinseco, ad ipso scilicet Deo, qui est causa subsistendi omni creaturæ, secundùm illud ad Hæbr. 1. Portans omnia verbo virtutis suæ, vbi dicit gloss. Sicut ab eo creata sunt, ità per eum immutabilia conseruantur. Item in lib. de causis dicitur: Omnis intelligentię fictio, idest permanentia est, per bonitatem puram, quæ est prima causa: Si ergo fictio intelligentie non est per virtutem aliquam innatam, aut intrinsecam ipsi intelligentiæ, sed per causam primam; multò fortiùs aliarum creaturam conseruatio dependet ab intrinseco. Pro cuius suppositionis aduersariorum euidentiori confutatione, & ostensione falsitatis, est sciendum iuxtà sanctum Thom. in prima parte, quæstione 104. artic. 3. quòd aliquid conseruatur ab alio dupliciter. Vno modo indirectè, & per accidens, sicut ille dicitur rem conseruare, qui remouet corrumpens, puta si aliquis puerum custodit, ne cadat in ignem, dicitur eum conseruare, & sic etiam Deus dicitur conseruare aliqua, sed non omnia, quia quedam sunt, quæ non habent corrumpentia, quæ necessè sit amouere ad rei conseruationem. Alio modo dicitur aliquis rem aliquam conseruare per se, & directè in quantùm scilicet, id, quod conseruatur, dependet secundùm esse à conseruante, vt sine eo esse non possit: & hoc modo, omnes creaturę indigent diuina conseruatione, dependet enim esse cuiuslibet creaturę ità, quòd nec ad momentum existere possunt; sed in nihilum redigerentur, nisi conseruarentur operatione diuinę virtutis in esse, vt dicit beatus Gregorius. Quo notato perfacilè colligitur falsitas illius partis suppositionis aduersariorum dicentium, quòd Deus dederit cuilibet creaturæ, &c. Nàm si loquamur de modo conseruationis, quo aliqui per se, & directè dicitur aliud conseruare, manifestè falsum est, quod dicunt aduersarij, quia hoc modo conseruationis nulla res dicitur conseruari nisi ab eo, à quo dependet secundùm esse, sed nulli creaturæ data est virtus, qua à seipsa dependeat secundùm esse; ergo nulli creaturæ est data virtus, qua seipsam conseruet. Consequentia est manifesta, & confirmatur dictis aduersariorum. dicunt enim, & benè, quòd eadem sunt principia essendi, & conseruandi, sed non est intelligibile, quòd aliqua creatura per quamcumque innatam virtutem sit principium sibi essendi. Ergo nec intelligibile est, quòd per aliquam innatam virtutem seipsam in suo esse conseruent. Ex hoc fundamento S. Thom. in prima parte summæ vbi supra, confutat suppositionem præfatam aduersariorum sub his verbis, cùm propriè causa conseruatiua sit sui effectus ab ea dependentis, sicut nulli effectui potest præstari, quòd sit causa suipsius, ità nulli effectui potest præstari, quòd sit conseruantius suipsius. Si verò loquamur de secundo modo conseruationis, scilicèt indirectè, & per accidens, quo aliquid per remotionem, & impedimentum actionis corrumpentis dicitur aliud conseruare. Suppositio etiam prædicta aduersariorum videtur esse falsa, quia licèt naturale sit vnicuique conseruare se quantùm potest, tamen, quòd cuilibet creaturæ etiam corruptibili insit aliqua virtus, siue potestas intrinseca, qua in esse suo se conseruet hoc modo conseruationis, scilicet resistendo aduersantibus, & corrumpentibus, non videtur verum, videmus enim quotidiè innumeras res destrui, corrumpi, aut consumi, in quibus nulla apparet virtus, aut potestas, quæ corrumpentium se actionem impedire, aut amouere posset. Et ità apparet, quòd suppositio aduersariorum in prima sui parte sit falsa.

Secunda pars eiusdem suppositionis, in qua dicitur, quòd Ecclesiæ Deus dederit virtutem, siue potestatem intrinsecam, qua in suo esse se conseruare possit, etiam, quòd sit falsa, facilè ostenditur. Et primò, de illo modo conseruationis, qua aliquid dicitur aliquid conseruare per se, & directè patet, quoniam dicere, quòd hoc modo conseruationis

Eccle-

Eccleſia habeat poteſtatem, & virtutem intrinſecam conſeruandi ſe in eſſe ſuo, non modo eſt falſum, ſed erroneum, patet, quoniam cùm hoc modo conſeruandi, Eccleſiam conſeruare in eſſe ſuo, non competat, niſi ei, à quo dependet ſecundum eſſe, dicere Eccleſiam habere virtutem, & poteſtatem intrinſecam ſe conſeruandi, eſt dicere Eccleſiam dependere à ſeipſa ſecundum eſſe, quod manifeſtè eſt hæreticum, & ſtultum. Planè ſicut ſolus Deus Eccleſiam fundauit in eſſe naturæ, & gratiæ, ità ipſe ſolus hoc conſeruationis genere conſeruat, & cuſtodit illam, hinc Propheta ſicut ait Pſalm. 126. [Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ędificant eam:] ità ſubiungit: [Niſi Dominus cuſtodierit Ciuitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam.] Vbi gloſs. ait: Pſalm. iſte docet, quòd ædificatio, & cuſtodia Eccleſiæ non niſi à Deo eſt: Patet ergo, quòd loquendo de hoc modo conſeruationis, quo ſcilicet directè, & per ſe dicitur aliquis conſeruare aliquid, falſum ſit, quòd Eccleſia ipſa per virtutem aliquam intrinſeca ſibi datam, ſe conſeruet in eſſe ſuo, ſed conſeruatio ſua hoc modo, ſoli virtuti diuinitatis attribuenda ſit. Ea verò, quæ per aduerſarios inducuntur ad probationem ſuppoſitionis ſuæ nulla ſunt: Non primum quidem, quia ſuppoſitio præcedens, ex qua arguunt hìc de Eccleſia, vt oſtendimus, falſa eſt: Nec ſecundùm, videlicèt illud, quod dicitur Matth. 16. quòd portæ inferi, non præualebunt aduerſus Eccleſiam, facit ad præpoſitum eorum; quia hoc, quòd portæ inferi non præualituræ ſint aduersùs Eccleſiam, non ſequitur, quod hoc ſit, eo quòd Eccleſia habeat aliquam talem virtutem, aut poteſtatem intrinſecam, qua ſeipſam conſeruet in eſſe ſuo, ſed hoc conuenit gratia fundamenti ſui, cui innititur, ſcilicèt Chriſti. Vnde ſi benè textus ille ex integro legatur, apparet clariſſimè, quòd tota fortitudo, & virtus perſiſtendi Eccleſiæ, pendeat non ex aliqua intrinſeca ſibi virtute, ſed ex virtute fundamenti, ſuper quod fundata eſt, quod eſt Chriſtus. Vndè ibidem ità dicitur: [Super hanc petram:] Gloſs. ideſt Chriſtum, in quem credis: [Ædificabo Eccleſiam meam.] Sequitur: [portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.] Gloſs. ideſt non ſeparabunt à charitate mea, & fide, fortitudo ergo tota Eccleſiæ, & firmitas eius pendet ex adhæſione eius per fidem, & charitatem ad Chriſtum fundamentum eius, & non ex alia virtute, aut poteſtate ſibi intrinſeca, quæ fingitur ab aduerſarijs. Vndè gloſs. ſuper illud Matth. 16. [Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.] Ità dicit: Portæ inferi ſunt peccata, minę blandimeta, hæreſes, quibus infirmi ruunt in mortem, qui non verè ſupra petram, ſed ſuper arenã domum profeſſionis ſuæ credendi ſunt ædificaſſe, qui enim intimo cordis amore fidem Chriſti percepit, quicquid ingruit extrà, facilè vincit, hæc gloſs. Hoc apertius declarat beatus Auguſt. tractans illud Pſalm. [Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam:] Ità dicit: firmauit terram, terram intelligo Eccleſiam, quæ eſt firmitas eius, ſuper quàm fundata eſt, niſi fundamentum eius. An incongruè intelligimus firmitatem Eccleſiæ, ſuper quam fundata eſt terra fundamentum, vbi conſtituta eſt Eccleſia, quod eſt illud fundamentum, inquit Apoſtolus, nemo poteſt ponere aliud præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Hæc Auguſt. Tertiò inducunt aduerſarij illud Cant. 6. vt dicitur de Eccleſia [Terribilis vt caſtrorũ acies ordinata.] Sed nec illud facit aliquid pro aduerſarijs, quoniam ex hoc non habetur, quòd Eccleſia per aliquam virtutem, aut poteſtatem ſibi intrinſecam conſeruet ſe in eſſe ſuo. Quòd maximè patet ex gloſs. eiuſdem textus, quæ ſic habet, terribilis, quia per vnitatem charitatis compacta, nullum locum aperit per malum diſcordiæ hoſtibus, ideſt hæreticis, vel immundis ſpiritibus. Quòd verò aduerſarij ſubiungunt, quomodò Eccleſia eſſet perfecta, & terribilis, ſi oporteret ab extrinſeco ſubſidium conſeruationis ſuæ quæritare? Videtur nobis valdè inſipienter dictum propter duo. Tùm primò, quia licèt opera Dei perfecta eſſe dicantur; Deuter. 31. nihilominùs conſeruatio eorum ab extrinſeco pendent, ſcilicet à Deo, ſicut dictum eſt, vnde dicit ſanctus Thom. in quæſtione de potentia; inter alia, quæ ad perfectionem eorum pertinent, eſt hoc, quòd à Deo contineantur in eſſe. Et ità dicendum eſt de Eccleſia, quòd quamtumcumque perfecta eſſe dicatur, hoc ad perfectionem eius pertinet, quòd continuè à Deo conſeruetur in eſſe, quoniam, vt inquit Propheta vbi ſupra: [Niſi Dominus cuſtodierit Ciuitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam.] Secundò, quia in hac ſua argumentatione videtur aduerſarius innuere vnum de duobus erroribus; videlicet, quòd conſeruatio rerum creatarum non dependeat à Deo, aut quòd Deus ſit principium intrinſecum rerum creatarum, quorum vtrumque eſt hæreticum. Quod verò aduerſarius dicit, quòd principia eſſendi, & conſeruandi ſunt intrinſeca, falſiſſimum eſt; principium enim primum, quod eſt Deus, à quo præcipuè eſſe, & conſeruatio rerum dependet, nulli creaturæ eſt intrinſecum, vnde etiam principium, ſiue cauſa æfficiens diſtinguitur contra principia intrinſeca, vt habetur 2. phyſic. & 5. methaphyſ. Secundùs autem modus conſeruationis, ſcilicèt indirectè, & per accidens, qui eſt per remotionem impedimentorum aduerſantium ſaluti alicuius rei reſpectu Eccleſiæ, benè poteſt attribui alijs à Deo, non tamen ſine Deo, videlicet Angelis, Prelatis, ac principibus ſecularibus fidelibus. De Angelis expreſsè dicitur Iſaia 62. [Super muros Hieruſale: Gloſs. interlin. [Eccleſiam, conſtitui cuſtodes tota die, & tota nocte:] ſuper quo verbo beatus Bernardus, ità dicit: [Benignus es domine, qui non es contentus noſtrorum fragilitate murorum, ſed ipſis hominium cuſtodibus, Angelorum cuſtodiam ſuperponis.] Planè hìc eſt ordo diuinæ prouidentiæ, vt Hierarchia humana iuuetur præſidijs Angelicæ Hierarchiæ. Cuſtoditur etiam Eccleſia hoc conſeruationis modo ab omnibus Sanctis, & Doctoribus, illam doctrinis illuſtrando, aut Deum continuis intereeſſionibus interpellando. Vnde ſuper illud Pſalm. 124. [Montes in circuitu eius:] dicit Auguſtin. [Magnum aliquid eſſe nos in ea Ciuitate, quam circunderunt montes, montes mirabiles, montes excelſi:] prædicatores

res veritatis, siue Euangelistæ, siue Apostoli, siue Prophetæ; ipsi sunt in circuitu Hierusalem, ambiunt illam, & quasi murum illi faciunt. De quo etiam Bernardus. Ità super Cant. homilia 78. loquitur: [Benè tecum agitur ô Mater Ecclesia; benè tecum agitur in loco peregrrnationis tuæ, de Cœlo, & de terra venit auxilium tibi, qui custodiunt te, non dormitant, neque dormiunt custodes tui Angeli Spiritus, & animæ iustorum, non errat. qui te ab vtrisque sentit custodiri.] Hæc Bernardus. Quòd verò etiam Prælatis tribuatur Ecclesiæ custodia, manifestum est, cùm Pastores eius esse dicantur; ad quorum officium nullus ambigit pertinere, tueri, ac conseruare greges sibi creditos. Vnde beatus August. super illud Psalm. [Nisi Dominus custodierit Ciuitatem, &c.] Dicit sic. [Habet Ecclesia custodes, quo modo habet ædificantes, quo modo habent laborantes, vt ædificetur, sic habet custodientes: Nam ad custodiam pertinet:] Quod dicit Apostolus: timeo ne sicut Serpens Euam seduxit astutia sua, sic & vestrę mentes corrumpantur, à charitate, quæ est in Christo, custodiebat, custos erat, vigilabat, quantum poterat super eos, quibus præerat, & Episcopi hoc faciunt, nam indè altior locus positus est Episcopis, vt ipsi superintendant, & custodiant populum. Hæc August. Hinc est, quòd Romano Pontif., vtpotè totius Ecclesiæ Pastori, maximè conuenit hoc conseruationis genere Ecclesiam tueri, & custodire, dicit beatus Bonifacius martyr. vt habetur in cap. si Papa, dist. 40. quod pro perpetuo statu Papæ vniuersitas fidelium, tantò instantius orat, quantò suam salutem post Deum ex illius incolumnitate animaduertit propensiùs pendere: verùm quia Papa, & alij Ecclesiæ Prælati non sunt principales conseruatores Ecclesiæ, sed solùm vt ministri; nec sunt conseruatores directè, & per se, tamquam hi, à quibus dependeat esse Ecclesiæ, sed indirectè, & per accidens. Hinc est, quòd si Prælati nolint, aut negligant custodire, non propter hoc Ecclesia deficiet, licèt interdum multipliciter molestetur, & varijs perturbationibus concutiatur, quoniam semper vigilat custos eius principalis, & conseruator, scilicèt Christus, qui custodit eam, secundùm illud Prophetæ [Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.] Vnde Aug. super illud Psal. 126. [Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum laborant, qui &c.] loquendo de Prælatis ad populum dicens sic: Quomodo ergo custodimus, quomodo homines quantum possumus, quantum accepimus, & quia nos sicut homines custodimus, & perfectè custodire non possumus, ideò sine Custode remanebitis? absit. Nam vbi est ille, de quo dicitur: [Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum laborant, qui custodiunt eam,] laboramus in custodiendo, sed vanus est labor noster, nisi ille custodiat, qui vidit cogitationes vestras, custodit ille, cùm vigilatis: custodit ille, cùm dormitis; ille enim dormiuit semel in Cruce, & surrexit, iam non dormit: estote Israel, quia non dormit, neque dormitabit, qui custodit Israel. Hæc Augustinus. Cæterùm hic modus conseruationis Ecclesiæ, & tuitionis aliquo modo etiam conuenit, sicut dicimus, Principibus fidelibus secularibus: vnde beatus Isidorus, & habetur in cap. principes 23. qu. 5. dicit: Cognoscant Principes seculi, Deo se debere esse reddituros rationem propter Ecclesiam, quam Christo tuendam suscipiunt. Vtrùm autem hoc conseruationis genere, scilicet indirectè, & per accidens, possit quis dici conseruare se in esse suo: dicimus, quòd sic, eo modo, quo quis naturalis rationis auxilio, aut alterius doctrina eruditus, aut diuinæ gratiæ præsidio munitus, præseruare se, & custodire se à malis potest: quæ ei, aut in esse naturali, aut morali, siue gratuito nocumenta inferre possunt, aut etiam vim vi repellendo: cùm vnicuique naturale est, conseruare se in esse quantùm potest, sed ex hoc modo conseruationis in esse, cùm communis sit omnibus, nihil sequitur ad propositum aduersariorum.

Tertia pars suppositionis aduersariorum est, quòd Ecclesia habeat virtutem intrinsecam, & potestatem regendi se ipsam, ac gubernandi se. Ista suppositio potest benè, vel malè intelligi, & secundùm vnum intellectum erit falsa. & secundùm alium erit vera, nihilominùs videtur nobis, quòd secundùm intellectum, quem prætendunt aduersarij, sit falsa. Prætendunt enim, vt sæpè visum est; quòd Ecclesiæ in omnibus suis membris data sit potestas spiritualis gubernandi, & regendi: more quo dicimus, quòd in principatu politiæ potestas gubernationis est apud populum, & non apud aliquem vnum, qui toti populo præsideat. Pro quo sciendum: quòd potestas regendi, & gubernandi dicitur dupliciter, vna scilicet, quæ dicitur potestas publicæ administrationis, de qua dicitur 3. Regum 21. Grandis auctoritatis es, & benè regis regnum Israel. Talis autem potestas regendi non est data cuilibet indifferenter, nec cuilibet conuenit, sed his tantùm, qui in communitate publicam habent administrationem regiminis secundùm diuersas species politiæ, siue principatus. Sanè sine huius ordinis differentia nulla vniuersitas subsistere posset, vt dicit Bonifacius in capit. ad hoc dist. 89. Ecclesia autem, cùm credatur à Christo in optima dispositione regiminis, & principatus constituta, incunctanter creditur regimen Ecclesiæ ab ipso Christo Monarchicum, siue Regale constitutum esse, ità quòd potestas suprema regiminis totius communitatis Ecclesiæ in vno tantùm, & non in pluribus, aut in ipsa vniuersitate locata sit, sicut superiùs multipliciter ostendimus. Et ita loquendo hoc modo de potestate regiminis, falsa est pars illa suppositionis aduersariorum. Alio modo dicitur potestas regendi se, & gubernandi facultas, qua vnusquisque ratione vtens potest virtuosè regere se in operationibus suis. De qua potestate dicit Prosper: Non caret Regia potestate, qui corpori suo nouit rationabiliter imperare, & Greg. in moralibus ait: Reges sunt, qui semetipsis præsident: Reges sunt, qui semetipsos regere sciunt, qui dum desideriorum motus in se temperant, super subiectas cogitationes lege virtutis regnant. Et Seneca: Vis regnum do tibi magnum, rege teipsum. Huius regiminis facultas, siue potestas, communis est omnibus rationabilibus creaturis, & de tali

veri-

veritatem habet suppositio aduersariorum: cùm Ecclesia collectio sit, siue conuocatio rationabilium creaturarum fidelium, sed ex tali potestate regiminis nihil est ad propositum aduersariorum.

Quarta pars suppositionis aduersariorum est, quòd Ecclesia habeat intrinsecam virtutem, siue potestatem aduersantibus ad sui destructionem resistendi. Pars ista, sicut superior, potest habere duplicem intellectum; quoniam vel loquitur de potestate resistendi per viam gladij spiritualis iurisdictionis, aduersantes compescendo, & puniendo, tunc dicimus, quòd Ecclesia benè habet hanc partem, sed in Prælatis suis, quibus dictum est Matth. 18. [Quæcumque alligaueritis, &c.] Maximè hanc habet in Prælato Prælatorum, cuiusmodi est Romanus Pontifex, in cuius Sede, vt habetur in cap. nolite errare dist. 11. Deus totius Ecclesiæ posuit principatum, in cuius signum Petrus ad defensionem Domini succensus, resistere volens turbæ venienti ad capiendum Christum, gladio percussit vnum de seruis Principis Sacerdotum, super quo verbo dicit Greg. & habetur in cap. si Petrus 24. qu. 1. Tollit Petrus aurem, quare Petrus quia ipse est, qui claues accepit Regni Cœlorum; ille enim condemnat, qui & absoluit; quoniam ligandi, & soluendi idem est adeptus potestatem. Resistere autem hoc modo, scilicet gladio spiritualis potestatis, non est cuiuslibet, cùm gladius spiritualis potestatis non sit datus cuilibet, nec etiam ipsi communitati Ecclesiæ simul in omnibus membris, sicut superiùs apertissimè demonstratum est. Vnde ad hunc sensum, videlicet, quòd ipsi corpori Ecclesiæ simul in omnibus membris suis data esset huiusmodi potestas, sicut videntur aduersarij prætendere, falsa est pars illa præfatæ suppositionis. Si verò potestas resistendi aduersantibus dicatur facultas quocumque modo contradicendi, & resistendi aduersantibus, & conantibus ad destructionem sui; suppositio aduersariorum vera est, sed non facit ad propositum: cùm talis facultas omnibus hominibus non modo fidelibus, sed infidelibus communis sit, naturale enim est vnicuique, vt supra diximus, quòd conseruet se in esse quantum potest. Hinc etiam secundùm iura: Vim vi repellere licet: cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ.

Quinta pars suppositionis aduersariorum est: circa quid sit illa intrinseca data virtus, siue potestas data Ecclesiæ, qua in esse suo se conseruare posset, ac tueri, dicunt enim quòd communis sententia Doctorum sit: quòd talis potestas sit potestas clauium, videlicet scientia discernendi, & potentia iudicandi. Quòd autem ista pars non modò sit falsa, sed stulta multipliciter ostenditur.

Tum primò: quia præfata potestas se conseruandi in esse suo, vt ex aduersariorum dictis colligitur, semper infuit, & inest, & inhærebit Ecclesiæ, cùm dicatur, quòd sit virtus eius intrinseca, potestas autem clauium non semper fuit in Ecclesia, patet, quia non tempore legis naturæ, quo tamen tempore Ecclesia erat, quæ ab Abel incæpisse dicitur, vt enim dicit beatus Augustinus, quamdiù Sancti fuerunt in terra, Ecclesia fuit, sicut pleniùs in primo libro disputauimus. Non fuit etiam potestas clauium tempore legis vt patet: quoniam cùm ante passionem Christi non esset apertum Regnum Cælorum, ad quod aperiendum ordinantur claues: Sacerdotes illius temporis non dicuntur habuisse claues, huius scilicet Regni Cælorum, sed claues tantùm templi materialis, & tamen pro illo tempore dictum est de Ecclesia, [quòd est terribilis, vt castrorum acies ordinata.] Cant. 6.

Secundò, quòd potestas conseruandi se in esse; inest cuilibet creaturæ rationali, vt dicit aduersarius, sed huiusmodi potestas non potest dici potestas clauium, ergo nec illa, quæ toti communitati Ecclesiæ dicitur inesse; consequentia patet, quia virtus partis, & virtus totius videntur esse eiusdem rationis, sicut Arist. 1. physic. de gleba terræ, & de tota terra arguit.

Tertiò: Angeli, vt dictum est, potestatem ministerialem habent custodiendi Ecclesiam, & tamen potestas illa non est potestas clauium.

Quartò, potestas se conseruandi in esse ad bonam intelligentiam capta: vt superiùs patuit, est pluribus communis in Ecclesia, quàm potestas clauium, vt per se patet; ergo non sunt idem. Quod verò dicitur exaduerso, quòd sententia esset omnium Doctorum, quòd talis potestas esset potestas clauium; manifestè patet falsum.

CAP. LXXIX.

In quo videndum est de veritate septimæ suppositionis aduersariorum; & de valitudine eorum, quæ inde concludebant.

Vltimo iam de septima suppositione aduersariorum, in qua aduersarij dicunt, quòd plenitudo potestatis semper debeat manere in Ecclesia: videndum est, quid veritatis habeat. Pro quo dicimus, quòd plenitudo potestatis semper manet aliquo modo in Ecclesia, etiam Papa mortuo, sed non ad mentem aduersariorum, Pro quo notandum, quòd de potestate ecclesiastica loqui possumus dupliciter. Vno modo quantùm ad ipsam potestatem, siue auctoritatem. Alio modo quantùm ad actualem administrationem plenitudinis eiusdem potestatis.

Loquendo primo modo, dicimus, quòd potestas, & dignitas ipsius Principatus Ecclesiæ semper manet in Ecclesia, etiam Papa mortuo, & hoc multipliciter. Primò quidem in principali, videlicet in Christo Sacerdote Summo, & Capite principali Ecclesiæ, est enim Christus Caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet ad Ephes. 1. vbi dicit gloss. Ideò dicitur esse omnia in omnibus; quia omnia ab ipso sunt in eis, cuius virtute sunt, quid sunt, licèt enim deficiat Vicarius, non deficit principalis, de cuius potestate dicitur Daniel. 7. [Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur & Regnum eius, quod non corrumpetur.] Secundò dici-

citur potestas papalis, etiam Papa mortuo, manere in ordinatione diuina, sicut dicimus, quòd dignitas episcopalis manet in aliqua Ecclesia, etiam Episcopo mortuo, quamdiù inuariata manet dispositio Apostolicæ Sedis, quæ instituit, quòd in tali Ecclesia dignitas episcopalis esse deberet, sed si Apostolica Sedes reuocaret dispositionem illam: iam dignitas episcopalis non diceretur ampliùs esse in præfata Ecclesia, sicut patet de ciuitate, quæ priuata est dignitate episcopali, vt in cap. ita nos 25. qu. 2. Exemplum etiam de priuilegio reali, quod in hoc dicitur distingui à personali, quod non extinguitur cum persona, vt habetur in l. sicut, ff. quod cuiusque vniuersit. & in l. proponebatur, ff. de iudic. Est autem institutum à Deo, vt quamdiù Ecclesia Catholica in hac peregrinatione durauerit, in ea sit vna suprema potestas regitiua cum ea plenitudine, quæ sufficere valeat ad regimen totius vniuersalis Ecclesiæ, vt superiùs circa principium huius secundi libri ostensum est, & ideò quantumcumque fiat variatio in personis præsidentium summorum Pontificum per mortem naturalem, siue ciuilem, semper summi Pontificatus potestas manet in Ecclesia. Tertiò dicitur eadem potestas, etiam mortuo Papa, manere in Sede Apostolica, quæ numquam moritur, extra de rescrip. cap. si gratiosè, lib. 6. vbi dicit gloss. & concordat Archid. & Io: Monachi. quòd licèt habens papatum, vel dignitatem sit corruptibilis: Papatus tamen, & imperium, & dignitas semper sunt, vt in auct. quomodo oportet Episcopos, §. licentiam, coll. 2. & ideò corrupto subiecto, hæc non dicuntur non existere, sed vacare; hoc est administratore iuris, vel facti carere, vt de concess. præben. cum nostris, vnde beatus Leo Papa in sermone secundo consecreationis suæ dicit, quòd in Sede Petri viuit potestas, & excellit auctoritas. Quartò dicitur, papalis potestas manere, etiam Papa mortuo, in Ecclesia in potentia, siue habitualiter ad istum sensum, quia in Ecclesia semper manet potestas ad eligendum personam, quæ succedat in tali dignitate.

Alio modo possumus loqui de hac suprema potestate, quoad actualem eius administrationem. Et tunc videtur dicendum iuxtà Doctores notabiles tam Canonistas, quàm Theologos; quòd quoad plenam administrationem plenitudinis potestatis, Papa mortuo, non manet in Ecclesia, vnde dicitur tunc Sedes vacare, idest carere administratore, sicut dictum est ex præfato cap. si gratiosè, nec propter hoc, quòd nullus succedit Papæ in plenitudine administrationis potestatis suæ, sequitur, quod aduersarij dicunt, quòd non esset sufficienter prouisum Ecclesiæ, quoniam nullum detrimentum patitur Ecclesia, si per paucos dies vacet administratio plenitudinis illius potestatis, maximè cùm tam per Officiales Curiæ Romanæ, quàm per Sac. Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium Collegium, quàm etiam per cæteros Orbis Prælatos, quos Apostolica Sedes in partem sollicitudinis suæ vocauit, sufficienter in necessarijs prouideri possit Ecclesiæ.

Id autem, quod in confirmationem aduersarij inducunt de potestate ciuitatis, aut communitatis terrenæ, non videtur facere ad propositum propter duo. Primò: quia potestas illa regiminis, de qua Philosophus loquitur in polit. est potestas, quæ ex donatione populi ortum habet. Potestas verò papalis non est ab Ecclesia, siue Populo Christiano, sed à Deo solo, vt supra declarauimus. Secundò: quia communitas ciuitatis, aut vrbis est capax potestatis, & regiminis ciuilis, siue terreni, Communitas autem Ecclesiæ, siue vniuersitas tota fidelium non videtur esse simul in omnibus eius membris capax potestatis ecclesiasticæ, sicut superiùs demonstrauimus, & ideò non est similitudo in hoc de potestate terrena, & de spirituali. Et ita patet quòd dicta aduersariorum nullam necessitatem habent, immò videntur in multis magis somnia; salua pace, quàm aliquid realitatis habentia.

CAP. LXXX.

Quòd Romanus Pontifex iurisdictionis auctoritate, ac potestate superior, ac maior existat tota vniuersali Ecclesia.

CONsideratis benè his, quæ in superioribus amplissimè dicta sunt: luce aperta quisque potest cognoscere, quòd Romanus Pontifex superior, ac maior iurisdictionis auctoritate sit tota ipsa residua vniuersali Ecclesia. Quam conclusionem de superioribus aliqua commemorando sic probamus.

Primò, omnis Pastor regiminis auctoritate, ac potestate iurisdictionis superior est grege, cuius est pastor, sed Romanus Pontifex est Pastor Ecclesiæ vniuersalis, ergo ipse est auctoritate, ac potestate iurisdictionis superior vniuersali Ecclesia, consequentia est bona, maior etiam patet ex superioribus, dictum est enim à Christo Petro, & in Petro Rom. Pont. [pasce oues meas.] Ioan. vlt. in quibus verbis, & beatus Petrus Pastor vniuersalis Ecclesiæ fuit constitutus, & in eo quilibet eius in Apostolica Sede legitimus successor. In cuius confirmationem Ecclesia pro Romano Pontifice orans, ita inquit: [Deus omnium fidelium Pastor, & Rector famulum tuum Nicolaum, quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, &c.] Et in oratione consecrationis Rom. Pont. dicitur: [Tribues ei Domine Cathedram pontificalem ad regendam Ecclesiam tuam, & plebem tuæ sortis intrà Mundi limites vniuersam.]

Secundò sic: Romanus Pontifex est Caput vniuersalis Ecclesiæ, ergo superior est vniuersali Ecclesia; consequentia est bona: quoniam caput supereminet toti corpori, & auctoritate regiminis, & amplitudine virtutis, antecedens autem ostensum est auctoritate multorum sanctorum Patrum supra à cap. 19. vsque ad cap. 24. Patet etiam ex illo, quòd sanctus Marcellus Papa, & martyr in cap. rogamus 24. qu. 1. scribens vniuersis Episcopis per Antiochiam constitutis ait: Rogamus vos fratres dilectissimi, vt non aliud doceatis, nec sentiatis, quàm quòd à beato Petro, & re-

& reliquis Apoſtolis, & Patribus accepiſtis, ipſe enim eſt Caput totius Eccleſiæ: cui ait Dominus: [Tu es Petrus, &c.] Idem teſtatur beatus Callixtus Papa, & martyr in cap. non decet, diſt. 12. Idem beatus Anacletus Papa, & martyr in capit. ſacroſancta diſtinctione 22.

Tertiò ſic: Romanus Pontifex eſt Prælatus, prelationem habens in totam Eccleſiam, ergo ſuperior eſt, atque maior auctoritate tota Eccleſia; conſequentia eſt bona, antecedens patet, cùm Prælatus ſit, ac Rector eiuſdem, vnde in Chalcedonen. Concilio legitur: quòd tota Synodus acclamauit Leoni Papæ: Leo ſāctiſſimus, Apoſtolicus, & Oecomenicus, ideſt vniuerſalis Patriarcha per multos annos viuat. Et Chryſoſt. ſuper Matth. inquit: [Filius quod patris eſt, & ipſius filij, poteſtatem Petro vniuerſaliter conceſſit, vbique terrarum, & homini mortali omnium, quæ in cœlo ſunt, dedit auctoritatem, dando ei claues ad hoc, vt Eccleſiam vbique amplificet.] Item idem ſuper Actibus Apoſtolorum: Petrus à filio ſuper omnes, qui filij ſunt, poteſtatem accèpit: non vt Moyſes in gente vna, ſed in vniuerſo Orbe. Hæc ille.

Quartò confirmando ſic: Romanus Pontifex eſt Princeps vniuerſalis Eccleſiæ, ergo habet Primatum vniuerſalis Eccleſiæ, & per conſequens maior eſt auctoritate illa; conſequentia eſt bona, antecedens patet ex illo primo, quòd Chriſtus legitur in Eccleſia Petro dixiſſe: Et ſuper plebem meam Principem te conſtitui, plebs autem Chriſti vniuerſalis Eccleſia eſt, vnde veraciter Romanus Pontifex eſt ſeruus ille, de quo Luc. 22. dicitur: [Fidelis ſeruus, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam:] gloſs. 1. Eccleſiam, vnde Leo Papa in 3. ſermone conſecrationis ſuæ ita dicit: Cùm itaque dilectiſſimi tantùm nobis videamus præſidium diuinitùs inſtitutum, rationabiliter, & iuſtè in duas, noſtri ſcilicet Petri meritis dignitate lętamur, gratias agentes Deo Redemptori noſtro, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Eccleſiæ Principem fecit, vt ſi quid etiam noſtris temporibus rectè per nos agitur, rectèque diſponitur, illius ſit gubernaculis deputandum, cui dictum eſt: [Confirma fratres tuos, &c.] Et Bernardus in epiſtola quadam ad Eugenium Papam, quæ eſt 31. ita inquit: Locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt: locus Petri Principis Apoſtolorum, vbi ſteterunt pedes eius, quem conſtituit Deus Dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Hæc ille. Conuenit etiam huic loco, quod Moyſes ante mortem ſuam orans Dominum, vt populo, in quo tunc erat Eccleſia Dei, dicebat Num. 27. [Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc.] Princeps ergo Eccleſiæ ſuper totam Eccleſiam primatum, & auctoritatem habet, hoc autem in tam immobili veritate ſtabilitum eſſe videtur, vt contrarium dicere, erroneum eſſe cenſeatur, vnde ſanctus Thomas in tractatu contra errores Gręcorum cap. 63. ita inquit ad propoſitum: Similis eſt error dicentium, Chriſti Vicarium Romanæ Eccleſiæ Pontificem, non habere vniuerſalis Eccleſiæ primatum: errori dicentium Spiritum ſanctum à filio non procedere, ipſe enim Chriſtus Dei filius Eccleſiam ſuam conſecrat, & ſibi conſignat Spiritu ſancto, quaſi ſuo charactere, & ſigillo, & ſimiliter Chriſti Vicarius ſuo primatu, & prouidentia vniuerſalem Eccleſiam tanquam fidelis miniſter, Chriſto ſubiectam ſeruat. Hæc ille.

Quintò ſic: Romanus Pontifex habet ſupremam poteſtatem in Eccleſia, ergo ipſe eſt ſuperior omni alio prælato, & tota ipſa vniuerſali Eccleſia, conſequentia eſt bona, cum poteſtas ſuprema non poſſet eſſe niſi vna, & non niſi in vno, antecedens eſt articulus definitus in concilio Conſtantienſi per Dominum Papam Martinum, vndè Nicolaus in epiſtola ad Patriarcham, & Clerum Conſtantinopolitanum, ità ſcribit: Iudicate cui potius reſiſtendum ſit, an poteſtati, quam in Petro Deus omnipotens ordinauit, quemque ſuper cunctam Eccleſiam extulit, an ordinationi Gregorij Syracuſani, cui miles, vè dicendum eſt huiuſmodi, per quem in Eccleſia Chriſti tot ſcandala venerunt, hæc ille. Item habetur in cap. nolite errare diſt. 11. quòd in Apoſtolica Sede totius Eccleſiæ Dominus poſuit principatum.

Sextò ſic: ſolus Romanus Pontifex habet in Eccleſia plenitudinem poteſtatis, ergo ipſe omnibus alijs de Eccleſia eſt ſuperior poteſtate, conſequentia eſt bona, & antecedens ſuperius eſt demonſtratum in c. 70. habetur etiam in cap. decreto, & in cap. qui ſe ſcit 2. quæſt. 6.

Septimò ſic, Romanus Pontifex eſt generalis Chriſti Vicarius in tota vniuerſali Eccleſia, ergo maior, & ſuperior eſt auctoritate vniuerſa Eccleſia, conſequentia eſt bona, quoniam cùm idem tribunal cenſeatur Chriſti, & Papę in terris, ſecundùm illud Matt. 16. [quodcumq; ligaueris ſuper terram &c.] ſuper quod dicit Origen. Vide quantam poteſtatem habet petra, ſuper quam fundatur Eccleſia, vt etiam iudicia maneant firma, quaſi Deo iudicante per eam: ſequitur, quòd Chriſtus ſuperior eſt tota Eccleſia auctoritate iuriſdictionis, ità videtur etiam eius Vicarius generalis.

CAP. LXXXI.

In quo per aduerſarios obijcitur contra prædicta.

Aduerſùs præfatam concluſionem obijciunt aduerſarij multipliciter.

Primò ſic: Eccleſia dicitur eſſe corpus quoddam, & ſinguli fideles membra illius; vndè Apoſtolus ad Rom. 12. Multi vnum corpus ſumus, ſinguli autem alter alterius membra. Tunc ſic: Papa eſt membrum Eccleſiæ non totum corpus, ergo ſequitur, quòd vniuerſalis Eccleſia, quæ ipſum corpus Eccleſiæ eſt, ſit amplioris virtutis, & poteſtatis, quàm ipſe Papa, conſequentia patet, quoniam membrum, cum dicat partialitatem, minoris eſt virtutis, & perfectionis ipſo toto corpore.

Secundò ſic: communis animi conceptio eſt, quòd totum eſt maius ſua parte, ſed Eccleſia dicit quoddam totum, Papa, autem non eſt tota Eccleſia, ſed pars eius, ergo ſequitur, quòd Eccleſia ſit maior, & ſuperior, aucto-

auctoritate, & potestate ipso Papa. Et confirmatur per illud Hieronymi, in cap. legimus dist.93. Si auctoritas quæritur Orbis, maior est Vrbe. Vbi glos. colligit argumentum, quòd statutum Concilij præiudicat statuto Papæ si contradicant. Hanc autem rationem de toto, & parte dicit quidam aduersariorum in Basilea in quodam tractatu suo, tantæ esse efficaciæ, vt ab aliquibus doctoribus inferatur, quòd cum Christus sit pars corporis, cuius est caput, quòd tota Ecclesia est nobilior Christo in quantum est homo,& in quantum ipse est,in membris corporis Ecclesiæ compræhenditur, secundùm illud Apostoli primò Cor.12. [Vos estis corpus Christi,& membra de membro,] Glos. dependentia de membro,idest Christo capite,& cum membro nostro.Dicit constantèr præfatus aduersariùs,quòd ratio dictorũ præfatorũ doctorũ potest assignari,quia cum Ecclesia includat assistentiam Dei,iuxtà illud: Vbi duo,vel tres congregati fuerint in nomine meo : ibi, ego sum in medio eorum, nec est possibile intelligi Ecclesiam sine hac assistentia, & affluentia gratiarum intranea, manifestum est quòd quicquid citrà Deum excogitari potest, non posse Ecclesiæ comparari in excellentia, & dignitate,hæc aduersarius.

Tertiò sic, Papa est propter Ecclesiam, sicut pastor propter gregem, secundùm illud 1. Corinth. 10.Potestatem nobis dedit Deus in ædificationem,non in destructionem,&non è conuersò, ergo&c. constantia patet, quia semper deterius est gratia melioris secundùm philosophum in polit.

Quartò,vbi videtur esse maior sapientia, & charitas, ibi videtur esse superioritas, sed in Ecclesia est maior sapientia, & charitas, quàm in aliqua alia persona, ergo Ecclesia est superior Papa.

Quintò arguitur sic : Ecclesia vniuersalis dicitur mater omnium fidelium, vndè Ecclesiastici 24. dicitur : Mater pulchræ dilectionis : & ad Galat.4. Illa autem quæ sursùm est hierusalem libera est,quæ est mater nostra : Glos.idest credentium. Et Prouerb.1.dicitur. Ne dimittas legem matris tuæ. Glos.idest Ecclesiæ, Papa verò filius Ecclesiæ dicitur, ergo Ecclesiæ vniuersalis excellentia dignitatis, & potestatis maior, atque superior est Papa filio suo, consequentia videtur bona, nec potest dici, quòd Papa sit pater Ecclesiæ,cum nullus sit pater suæ matris, vndè etiam Saluator Matth.23. dicit, quòd vnus est pater, videlicèt, qui in cælis est, sic autem in terris vna est Ecclesia omnium fidelium mater.

Sextò sic, Ecclesia vniuersalis dicitur,secundum illud Trenorum 1.Domina gentium. Tunc arguitur sic : maior est potestas in Domino,quam in seruo, sed Ecclesia est Domina, vt dictum est, Papa verò, & alij prælati non sunt Domini, sed, vt confitetur Apostolus 1.Corinth.4.ministri, & dispensatores misteriorum Dei. Vndè Christus, cùm de paruipendenda maioritate,doctrinam Apostolis daret, dixit : quicumque voluerit inter vos maior fieri,sit vester minister, videtur ergo quòd Papa non Dominus,sed inter ministros summus minister dicendus sit, vndè, & Bernardus lib. de consideratione dicit in fine quarti lib. Consideres omnia,sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore præes, matrem esse non Dominam : te non Dominum Episcoporum, sed vnum ex eis.

Septimò aduersarij arguunt sic: papa non est Dominus rerum Ecclesiç,sed hoc dominium videtur esse apud Ecclesiam: Papa enim solùm est dispensator, ergo idem quod priùs.

Octauò sic: Ecclesia dicitur esse regina secundùm illud Psal.44. Æstitit Regina à dextris tuis in vestituto Deaurato circumdata varietate. Tunc arguitur, potestas est in Ecclesia sicut in regina : in Papa autem non sicut in Rege, quia regimen Papæ respectu Ecclesiæ non videtur regale, sed politicum, dicente Domino Apostolis de primatu contendentibus Matth. 20. Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos, non ità erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit velut minister. Item Christus fugit, ne facerent eum regem.

Nonò sic, eadem Ecclesia Dei vniuersalis dicitur Sponsa Christi, vt patet in pluribus locis in lib.Cantic. Et Apoc.21. dicitur: [Vidi Ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de Cælo tamquam Sponsam ornatam Viro suo.] Papa verò non est Sponsus, sed Paranymphus Sponsæ, vt beatus Bernardus in lib. de consideratione ad Eugenium dicit. Tunc arguitur sic : maior est auctoritas in Sponsa, quàm in Paranympho Sponsæ,vt patet ; sed vniuersalis Ecclesia, vt iam ostensum est, est Sponsa Christi; Papa verò Paranymphus. Ergo Ecclesia,potestate, & auctoritate est maior, & superior Papa.

Decimò sic, Ecclesia non potest errare, & ità est indeuiabilis à rectitudine fidei. Papa potest errare, vt in cap. si Papa distinct. 40. Ergo videtur, quòd Ecclesia sit superior potestate ipso Papa.

Vndecimò arguitur sit, illius potestas est maior, ad quam vltimatè remittitur quilibet Fidelis, sicut quasi ad vltimum tribunal. Sed hæc est potestas Ecclesiæ, & non alicuius personæ, cuiuscumque dignitatis sit, etiam Papalis. Ergo Papa non est maior potestate ipsa Ecclesia, sed è conuerso. Consequentia est bona. Maior patet, minor probatur ex illo Matth.18. vbi Christus inquit Petro : [Si peccauerit in te frater tuus,&c. dic Ecclesiæ.] Hoc autem non potest intelligi de Papa, siue de Prælato; tùm quia Petro hoc dictum sit, qui Prælatus futurus erat Ecclesiæ, & ad se nullus remitti dicatur. Item, quia nomen Ecclesiæ est collectiuum, & per consequens per ly Ecclesiæ, non persona Prælati, sed congregatio ipsa Fidelium accipienda est; tùm tertiò, quia Glossa ibi inquit, [Dic Ecclesiæ,] idest toti Ecclesiæ. Et ità patet, quòd per Ecclesiam ipsa vniuersitas Fidelium veniat intelligenda.

CAP.

CAP. LXXXII.

In quo respondetur ad obiectionem primam.

DAturi responsa ad obiecta præcedentis capituli. Obseruabimus hunc ordinem pro pleniori illustratione veritatis, quia istæ rationes sunt potiores aduersariorum: respondebimus singulis obiectionibus per se per capitula distincta.

Ad primam ergo obiectionem, cùm dicitur, quòd Papa sit membrum Ecclesiæ,&c. respondetur dupliciter.

Primò, concedendo antecedens, & negando consequentiam, loquendo de maioritate potestatis iurisdictionis, de qua in præsenti loquimur. Quòd pro tanto dicimus, quia non dubitamus hìc an Ecclesia sit maior simpliciter Papa, putà perfectione gratiæ, & amplitudine virtutum: quoniam etiam vna vetula potest esse hoc modo perfectior, ac ipso Papa. Sed dicimus, quòd in potestate iurisdictionis, in qua vnus peccator potest esse maior multis iustis, Papa sit maior toto residuo corpore Ecclesiæ.

Et ad probationem, cùm dicitur, quòd membrum cùm dicat partialitatem minoris sit virtutis, & perfectionis toto residuo corpore.

Respondemus, quòd hæc probatio non probat consequentiam: & ratio est, quoniam licèt membra corporis partialiter se habent in participando virtutes totius corporis, quia non quodlibet membrum omnia potest habere, sed singula singulis sunt distributa, dicente Apostolo ad Rom.12. [In vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eũdem actum habent, & per consequens nullũ membrum potest simpliciter pręferri toti corpori: nihilominus in virtute, aut gratia, quã vnum membrum recipit, potest ità excellere omnia alia membra, vt licèt non simpliciter possit dici maius toto residuo corpore, possit tamen in tali gratia dici maius.] Quod faciliter patet ex verbis Apostoli, vbi supra, ait enim: [Singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis differentes, siue prophetiam secundùm rationem fidei, siue ministerium. Glos. ecclesiasticum, in ministrando, siue quę docet in doctrina, &c. non est dubium, quòd cùm hoc, quòd membra singula corporis Ecclesiæ, vt ait Apostolus, partialiter, & non vniuersaliter percipient donationes factas toti corpori Ecclesiæ: stat benè, quod aliquod membrum Ecclesiæ in donatione sibi facta excedat omnia alia membra Ecclesiæ. Sicut, quod in gratia prophetiæ vnus sit excellentior Propheta omnibus alijs, vnus Doctor maior omnibus alijs, siue toto residuo corpore.

Non ergo valet ista consequentia, Papa est membrum Ecclesiæ; ergo sequitur, quòd potestate iurisdictionis non possit esse maior toto residuo corpore Ecclesiæ. Quod etiam exemplariter ostendimus in multis.

Primò, in capite corporis naturalis, quod caput, etsi membrum sit corporis, nihilominus præstantius, & maius virtute sensitiua est toto residuo corpore: cùm in eo solo sit plenitudo sensuum, in alijs autem sit solus sensus tactus. Vnde Ambrosius libro 6. in Hexameron. cap. 29. inquit: [Caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimumque esse omnium, & ex illo omnibus membris vigorem, prudentiamque deferri.

Secundò, hoc patet in quolibet Principe respectu multitudinis, cui præsidet: non est dubium quin Princeps sit membrum vniuersitatis reipublicæ, quam Polycratus instar corporis dicit esse formatam; & tamen licèt non possideat omnes virtutes, & gratias, quæ possidentur ab omnibus alijs illius vniuersitatis; sed partialiter fortè aliquas earum; nihilominus potestate iurisdictionis superior vniuersis alijs, siue tota illa vniuersitate est.

Tertiò, insufficientia præfatæ consequentiæ ostenditur in Domino Nostro Iesu Christo, qui, cùm hoc, quòd caput super omnem Ecclesiam, vt inquit Apostol. ad Eph. 1. & dicatur etiam membrum Ecclesiæ ab eodem, qui de eo loquens, ait, 1. Corinth. 12. [Vos estis corpus, & membra de membro, Glossa dependentia de membro, idest Christo capite, & cum membro nostro.] Et nihilominus non modò falsum, sed hæreticum esset dicere Christum minorem esse perfectione, aut gratia, aut potestate ipsa Ecclesia, cùm ab ipso dependeat totum bonum Ecclesiæ, de plenitudine enim eius accepimus omnes Io. 1. Est tamen hic notandum, sicut supra tetigimus lib. 1. cap. 47. vbi notauimus, qualiter esse membrum Ecclesiæ conueniret Christo, & qualiter non, quòd membrum importat duo, scilicet, partialitatem virtutis respectu totius corporis, & distinctionem respectu aliorum membrorum, quæ duo explicantur, cum ait Apostolus, vbi supra, quod omnia membra non eumdem actum habent, Christus autem, vt dicit S.Tho. non dicitur membrum Ecclesiæ, vt membrum importat partialitatem, quoniam in Christo bonum spirituale, non est particularizatum, sed totaliter integrum, vnde ipse non totum bonum Ecclesiæ, nec est aliud maius cum alijs, quam ipse solus, sed dicitur membrum, prout dicit, siue importat distinctionem ab alijs, distinguitur autem ab alijs membris, & perfectionem, & officio. Perfectione quidem, quia vt inquit sanctus Tho. in quæst. de veritate, in ipso est vniuersaliter gratia, non autem in aliquo aliorum membrorum. Officio verò, quia vt idem sanctus Tho. dicit in 4. dist.49. influit alijs vitam. Simili autem modo videtur dicendum de Romano Pontif. in duobus. Primò, quia licèt Papa sit membrum Ecclesiæ, vt etiam partialitatem importat, quoniam virtus eius, siue bonum spirituale, non est vniuersaliter integrum, sicut est bonum totius corporis Ecclesiæ, sed est particularizatum, & ideò non potest dici maior perfectione simpliciter toto corpore Ecclesiæ: nihilominùs in donatione sibi specialiter præ alijs facta huius particularis gratiæ gratisdatæ, videlicèt potestatis iurisdictionis, ipse est maior toto residuo corpore Ecclesiæ, cum ipse solus sit voca-

vocatus in plenitudinem potestatis, quemadmodùm si alicui præ omnibus alijs membris Ecclesiæ donaretur gratia curationis infirmitatum, talis etiam veraciter posset dici maior in hac particulari gratia potestatis curandi omnibus alijs fidelibus, siue coniunctis, siue dispersis. Secundò posset dici, quòd Papa quoad potestatem iurisdictionis, non est membrum Ecclesiæ, vt importat partialitatem, cum potestas in eo, non sit particularizata, sed sit plena, & integra, sed dicatur membrum, prout dicit distinctionem. Distinguitur enim ab alijs membris Ecclesiæ in duobus, scilicèt, perfectione potestatis, & in officio. Perfectione quidem, quia in eo est plenitudo potestatis, vt sancti clamant, non autem in aliquo aliorum membrorum Ecclesiæ, neque in omnibus membris alijs ab eo etiam simul sumptis. Officio verò distinguitur, inquantum ipse influit in totum corpus Ecclesiæ potestatem iurisdictionis in eos, qui participes eius esse possunt, prout suprà in c. 54. multis sanctorum testimonijs, & rationibus ostendimus, & maximè habetur in cap. ità Dominus dist. 19.

CAP. LXXXIII.

In quo respondetur ad secundam obiectionem.

AD secundam rationem aduersariorum, quæ apud eos Achilles reputatur, respondetur dupliciter.

Primò, negando assumptum, si capiatur vniuersaliter, videlicèt, quòd communis animi conceptio sit, quod totum sit maius sua parte, dicimus enim, quod hoc verum est de toto integrali, non autem de toto potentiali; vndè magister sententiarum in lib. 1. dist. 3. comparando partes imaginis ad inuicem, & vnam ad omnes alias, dicit sic: Æqualia sunt non solùm singula singulis, sed etiam singula omnibus. Contrà quod sanctus Tho. in fine præfata tertiæ distinctionis ibi arguens ad probandum, quòd vna potentia animæ non sit æqualis omnibus alijs, vtitur hoc argumento. Omne totum est maius sua parte. Ad hoc ipse respondens, dicit sic, quòd hoc verum est de totalitate quantitatis dimensiuæ, vel numeralis, quæ eiusdem rationis sunt, & non de totalitate quantitatis virtualis, potest enim contingere, quòd vna virtus potest in tot obiecta, quot aliæ plures. Et simili modo ad idem argumentum respondit Dominus Petrus de Tarantasia, qui fuit Innocentius Quintus, vbi suprà, ità dicit, quòd id, quod dicitur, quòd omne totum est maius sua parte, verum sit de toto integrali, non autem de toto potentiali. Et ita secundùm hæc concedendo de toto integrali, quòd omne totum sit maius sua parte, argumentum aduersariorum nihil facit ad propositū, quoniam nos non loquimur de maioritate quantitatis dimensiuæ, vel numeralis, secundùm quam non est dubium, quòd quælibet congregatio maior sit suo Prælato, aut Rectore, sed loquimur de maioritate quantitatis virtualis, siue potentialis, secundùm quam stat, quòd vna virtus potestatiua sit maior omnibus alijs inferioribus, quæ in partem tantum vocatæ sunt sollicitudinis, vndè si ratio illa aduersariorum valida esset, pari modo militaret contrà Christum, sicut contrà Papam sic arguendo, sicut aduersarij arguunt. Communis animi conceptio est, quòd totum maius sit sua parte, sed Christus est pars Ecclesiæ; ergo Ecclesia est maior Christo. Quòd verò Christus dicatur pars Ecclesiæ, patet tum ex illo, quod supra induximus in præcedenti c. Apost. 1. ad Cor. 12. vbi dicitur membrum Corporis Christi, quòd est Ecclesia, tum ex eo, quod ait Bernardus in sermone quodam corporis Christi, qui sic ait. Est enim Corpus Christi vniuersa Ecclesia Caput, scilicet, cum membris. Inueniuntur autem in isto corpore, quasi tres partes, ex quibus totum corpus constat, vna pars est ipsum caput, caput enim caput est, & pars corporis &c. Et tamen his non obstantibus conclusio est falsa, & hæretica, scilicèt, quòd Ecclesia sit maior Christo. Vndè quod quidam aduersariorum in suo quodam tractatu dicit, vt in argumento tetigimus, quòd Ecclesia sit maior, siue nobilior Christo in quantum homo, & in quantum ipse comprehenditur in membris Ecclesiæ, erroneum est, & hæreticum, cùm manifestè sit contrà Scripturam sanctam, dicitur enim ad Ephes. 1. quòd Deus omnia subiecit sub pedibus eius, scilicèt Christi, vbi glos. inquit, quasi diceret, non solum præest hominibus dignitate, sed etiam sub eo sunt. Et sequitur infrà in glos. ad propositum, sub pedibus eius, idest, sub humanitate eius, quæ signatur per pedes. Sequitur in Apostolo. Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, glos. super omnem Ecclesiam, quæ in Cœlo, & in terra est. Item est contrà scripturam eiusdem Apostoli dicentis ad Ephes. 5. Christus caput est Ecclesiæ, ipse Saluator corporis eius, sequitur, Ecclesia subiecta est Christo. Prætereà quomodo animus fidelis concipere potest, quòd Saluator non sit superior saluatis, sponsus sponsa, vir vxore, & caput toto corpore. Quod autem dicit præfatus aduersarius, quòd aliqui Doctores hoc dixerint, falsum est, nisi fuerint aliqui hæretici, verùm reperiuntur aliqui Doctores, qui in 4. sententiarum dist. 13. super illo verbo, quod inducit magister, quid melius corpore, & sanguine Christi quærunt, vtrum Corpus Christi quærunt, vtrum Corpus Christi verum, sit melius corpore Christi mystico? Et respondentes dicunt, Dominus Guillus Altisiodorensis, Dominus Albertus, & sanctus Tho. quòd Corpus Christi mysticum, si accipiatur cùm ipso capite, est melius, quàm Corpus Christi verum. Si tamen accipiatur Corpus Christi verum sine diuinitate, cui est vnitum, aliàs non, quia Deus, & omnes creaturæ non sunt aliquid melius, quam Deus tantùm. Si autem accipiatur Corpus Christi mysticum, absque capite Christo, sic Corpus Christi verum non est nobilius, hæc sanctus Tho., formaliter, & eadem est sententia aliorum. Attendant Docti viri, quam contraria sit Doctrina horum Doctorum Doctrinæ aduersariorum. Prætereà id, quod inducit aduersarius pro ratione ad colorandum præfatum errorem, est omninò stultum,

Tum

Tum quia supponit, quòd humanitas Christi, quæ est in eodem supposito vnita diuinitati, cui non est datus spiritus ad mensuram, non includit assistentiam Spiritus sancti, sicut Ecclesia. Quod videtur omninò alienum, non modo à fide Catholica, sed à bono iudicio cuiuscumque hominis Docti. Cùm enim influentia gratiæ in Corpus Ecclesiæ proueniat à capite, magis intrinseca est assistentia Spiritu sancti, qui est fons omnium donorum, capiti Christo, qui est sanctus sanctorum corpori influenti, quàm recipienti ab eo sanctitatem. Quod autem dicit in fine aduersarius manifestum esse, quòd quicquid citra Deum excogitari potest, non posse in excellentia, & dignitate comparari Ecclesiæ, falsissimum est, & hæreticum iudicio nostro, quoniã humanitas Christi, quæ est citra Deum nobilitate, & perfectione, nobilior, & dignior est ipsa Ecclesia militante, de quo dicit Psal. 44. Quòd speciosus est forma per filijs hominum. Secundò Angelica, siue Cœlestis hierarchia citra Deum est, & nihilominùs excellentior, & dignior ecclesiastica. Item beata virgo, quæ exaltata legitur super choros Angelorum, excellentior, & dignior est tota residua Ecclesia, vndè de ea exponitur illud Apocal. 12. à Sanctis [Mulier amicta Sole, & Luna, idest, Ecclesia, sub pedibus eius, quoniam supereminet toti Ecclesiæ, & ità in proposito.

Secundò respondetur ad rationem, negando minorem, scilicèt, quòd Papa sit pars Ecclesiæ, si referatur ad rationem potestatis, quoniam in ratione potestatis est magis dicendus Papa tota Ecclesia virtualiter, cùm in eo solo sit totalitas, & plenitudo totius potestatis ecclesiasticæ, iuxtà dicta Leonis Papæ, beati Gregorij, Iulij, & beati Bernardi superiùs commemorata, sicut in solo capite corporis naturalis est plenitudo sensus, propter quòd, vt inquit beatus Ambrosius in hexameron, totus homo in capite dicitur esse. Quòd autem totalitas potestatis Ecclesiæ in Papa sit: facilè ostendimus, tam ex ordine potestatis Papalis, quàm ex conditione, & natura totius potestatiui. Ordo namque inter potentias hoc habet, vt dicit Boetius, quod quicquid virtutis potestatiuæ sit in inferioribus, est in superiori; vndè in suprema potentia quantitas omnium aliarum inferiorum potentiarum includitur, & ità cùm potestas Papalis sit suprema, in ea continentur virtute omnes aliæ potestates Ecclesiæ, & ità ipsa in ratione potestatis non habet rationem partis, sed potius tòtius, vndè beatus Dionys. in 6. Ecclesiasticæ hierarchiæ dicit. Ipsa autem hierarchica ordinis dispositio in omnibus locatur sanctis totalitatibus. Secundò hoc idem ostenditur ex natura totius potestatiui, potestas enim Ecclesiæ, non est arbitranda, siue existimanda, quasi sit aliquod totum integratum ex particularibus potestatibus, vt peruersè multi aduersariorum intelligunt, sed ad instar totius potestatiui. Cuiusmodi natura, vt ait sanctus Tho. in 4. dist. 24. talis est, quòd secundùm completam rationem est in vno, in alijs autem est quædam participatio ipsius. Et ponit exemplum in sacramento ordinis dicens, quòd tota plenitudo huius sacramenti est in vno, scilicèt sacerdotio, sed in alijs est quædam participatio ordinis, & hoc dicitur esse signatum in hoc, quòd Dominus dicit Num. 11. Moysi: Auferam de spiritu tuo, & tradam eis, vt sustentent tecum onus populi; hęc sanctus Tho. Secundùm exemplum ponit in sequenti responsione de Regno dicens, quòd in Regno quamuis tota plenitudo potestatis resideat pœnes Regem, non tamen excluduntur ministrorum potestates, quæ sunt participationes quædam Regiæ potestatis, in Aristocrachia autem apud nullum residet plenitudo potestatis, sed apud omnes, hæc sanctus Tho. Patet ergo, quòd loquendo de maioritate quantitatis virtutis, sicut caput in corpore naturali est maius toto residuo corpore, licèt non maioritate quantitatis dimensiuæ, siue numeralis, sic Papa maior est, maioritate potestatis toto residuo corpore Ecclesię, sicut pastor auctoritate vniuerso grege suo.

Restat iam respondere ad c. legimus d. 93. vbi dicit Hieron. quòd si auctoritas quæritur &c. Ad quod respondentes dicimus, quòd hoc dictum Hieron. licèt sæpè, & maximè inducunt illud aduersarij pro se, in nullo tamen fauet eis, nec præiudicat veritati positæ, nam Hieron. non loquitur ibi de auctoritate potestatis, aut iurisdictionis Orbis respectu Ecclesiæ Romanæ, siue Apostolicæ Sedis, sed loquitur de auctoritate consuetudinis, quæ tantò maioris auctoritatis esse dicitur, quantò generalior est, siue à pluribus obseruatur, sicut de Canonicis scripturis loquitur Augustinus, & habetur in cap. in Canonicis dist. 19. secundùm quàm regulam non est dubium, quin consuetudo Orbis maior sit consuetudine Vrbis, quam nec Apostolica Sedes seruat, nec obseruari mandauit. Quòd verò Hieron. non de auctoritate Orbis respectu Apostolicæ Sedis, sed de auctoritate consuetudinis Orbis respectu Vrbis loquatur, patet ex multis. Primò ex intentione ipsa loquentis, loquitur enim Hieron. contra consuetudinem, quæ in Vrbe Romana regnabat, qua quidem Diaconi præferebantur presbyteris. Ex qua consuetudine aliqui Diaconi per Orbem sumebant occasionem præferendi se presbyteris suis, cùm tamen contraria consuetudo esset per Orbem, de qua Hieron. ad Episcopum Euandrum scribens sic ait, vt patet ex text. allegati cap. Quid mihi profers vnius Vrbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in Ecclesiæ leges vendicas? omne quod rarum est, plus appetitur: Pulegium apud Indos pipere pretiosius est; Diaconos paucitas honorabiles facit, presbyteros verò turba contemptibiles facit, hæc Hieron. Sed hoc idem colligitur ex glos. cap. quæ sic ait: maior est, & ideò magis sequenda consuetudo generalis, vt hìc. Tertiò potest idem colligi ex cap. hæc est fides 24. quæst. 1. quod est ipsius Hieronymi. Ad glos. verò inductam, dicimus, quod glos. illa argumentando loquitur, vndè refert se ad ea, quæ dicitur 9. quæst. 3. nemo, sed de hac glos. & similibus in 3. lib. vbi de auctoritate Conciliorum, opitulante Deo, loquendum est, plenius dicetur.

CAP. LXXXIV.

In quo respondetur ad obiectionem tertiam.

AD tertiam rationem, qua sicut maxima quadam potissimè aduersarij vtuntur in confirmationem suarum opinionum, qua sic arguunt: quòd Papa sit propter Ecclesiam, &c. Respondetur negando consequentiam. Et cùm dicitur, quòd deterius est gratia melioris: respondetur, quòd dupliciter dicitur aliquid finis alicuius rei. Vno modo id, in quod tendit res illa ex ordine sibi dato naturali, aut supernaturali, siue id, quod est intentum ab agente. Alio modo dicitur finis id, ad cuius vtilitatem est ordinatum opus agentis.

Cuius exemplum possumus dare in potestatibus secularibus, in quibus finis ad quem tendit regimen præsidentis, & gubernantis est ipsa pax, & tranquillitas vniuersitatis, siue fœlicitas politica, cum hoc sit bonum principale, ad quod vniuersum regimen gubernatoris intendere, & respicere videtur, ipsa verò vniuersitas dicitur sicut finis regiminis, sicut ad cuius vtilitatem est ordinatum vniuersum opus præsidentis, & gubernantis.

Ità applicando proposito nostro dicimus, quòd finis propter quem est Papa constitutus, & ad quem ordinatur potestas Papalis, sicut principale intentum ab instituente, non est Ecclesia ipsa vniuersalis, sed est beatitudo ipsa Cœlestis, ad quam per vsum, & regimen potestatis Papalis, ipsa, scilicèt, vniuersalis Ecclesia est dirigenda. Est autem ipsa Ecclesia vniuersalis finis secundò modo, videlicèt sicut id, ad cuius vtilitatem est ordinatum opus Papalis potestatis. Hic duplex modus finis satis apertè designatur in diffinitione illa, quæ datur etiam per quosdam ex aduerso in tractatibus suis, ità dicentes: Quod potestas Ecclesiastica sit, quæ à Christo supernaturaliter,& specialiter collata sit Apostolis, & suis Discipulis, atque eorum successoribus legitimis ad ædificationem. Ecce vtilitatem Ecclesiæ, ad quam ordinatur potestas ecclesiastica. Et sequitur pro consecutione fœlicitatis æternæ, ecce finem vltimum, & principalem. Hac distinctione habita ad probationem consequentiæ, cum dicebatur, id, quod est deterius, sit propter melius, dicimus,quod hoc non sit verum, quando hac ratione aliquid dicitur propter aliud, sicut propter id, ad cuius vtilitatem est ordinatum opus, agentis, quemadmodum Papa, siue Papalis potestas dicitur esse propter Ecclesiam. Quod patet exemplariter in multis. Primò quidem patet in pastoribus, qui propter gregem dicuntur instituti, nihilominùs non minores, sed maiores, ac nobiliores sunt gregibus quorum pastores sunt. Secundò patet in principibus: Princeps enim tàm secularis, quàm ecclesiasticus dicitur esse propter vniuersitates sibi commissas regendas, & non è conuerso, & nihilominùs non sunt inferiores, sed maiores auctoritate subiectis sibi populis. Tertiò, Angeli, qui vt ait Apostolus ad Hebr. I. sunt in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, & tamen non sunt hominibus inferiores, sed superiores sunt, ac nobilitate naturæ præstantiores. Quartò patet in Christo, qui licèt aduenit de Cœlis in terram propter Ecclesiam, & mortuus fuerit propter Ecclesiam: ait enim Apostolus ad Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret, nihilominùs Christus non est inferior Ecclesia, sed omni maioritate perfectionis, & virtutis, & auctoritatis superior, vt in superiori capitulo ostensum est; vndè Bernardus in sermone de nuptijs, loquens de Christo sponso Ecclesiæ, dicit sic: Multò hæc sponsa inferior sponso suo, inferior genere, inferior specie, inferior dignitate. Ex quo patet, quòd hoc modo esse aliquid propter aliud, potest competere etiam superioribus, & nobilioribus respectu inferiorum, & minus nobilium, vt inquit Dominus Albertus in secunda parte summæ suæ, tractando de Custodia Angelorum, & etiam sanctus Tho. in 1. dist. 2. Respondetur etiam secundò, quòd licèt Ecclesia sit melior Papa maioritate gratiæ, aut perfectionis gratuitæ, non tamen maioritate auctoritatis iurisdictionis, de qua ad præsens loquimur, sicut pleniùs dicetur in responsione ad quartam obiectionem.

CAP. LXXXV.

In quo respondetur ad quartam obiectionem sumptam ex eo, quod apud Ecclesiam sit maior sapientia, & charitas.

QVarto loco arguebatur, vbi videtur esse maior sapientia, & charitas ibi &c. Ad hoc respondetur negando hoc assumptum, quoniam non modò falsum est, sed etiam sapit hæresim Valdensium.

Quòd sit falsum patet sic, vt enim in lib. 1. cap. 99. argumentati sumus, homo dicitur bonus, vel malus, sapiens, vel stultus, sanctus, vel impius, secundùm virtutem, vel vitium, quæ sunt habitus quidam. Habitus autem à potentia in hoc differt, quòd per potentiam sumus potentes aliquid facere, per habitum autem non reddimur potentes, vel impotentes ad aliquid faciendum, sed habiles, vel inhabiles ad id, quod possumus benè, vel malè, agendum; per habitum ergo, nec datur, nec augetur, nec tollitur à nobis aliquid posse, sed hoc per habitum accipimus, vt benè, vel malè aliquid agamus, non ergo ex hoc quòd aliquis homo, aut populus sit bonus, sapiens, & sanctus, aut malus, insipiens, & peccator, est aliquid potens, aut impotens, vt putà ad dispensandum sacramenta, vel ad regendum populum, sed idoneus, vel minùs idoneus ad huiusmodi dispensandum. Falsum est ergo illud assumptum aduersariorum, quòd vbi maior est sapientia, aut charitas, sit maior auctoritas iurisdictionis. Quod manifestè colligitur ex illo, quod habetur de pœnit. & remis. cap. noua quædam. Secundò idem ostenditur sic, si potestas ecclesiastica se-

ca ſequeretur gradum ſapientiæ, & ſanctitatis, cùm iſte gradus inter homines ſit incertus, ignoramus enim quis quo ſanctior ſit, aut ſapientior, ſitque gradus iſte ſæpè transmutabilis, quia qui hodie ſanctior eſt altero, cras, aut minùs ſanctus eſſe poteſt, nulla ſtabilitas, nulla certitudo eſſet poteſtatis eccleſiaſticæ in miniſtris Eccleſiæ, quod horret fides Chriſtiana, ſicut pleniùs diſputauimus lib. 1. cap. 99. Manifeſtè ergo patet falſitas præfatæ ſuppoſitionis aduerſariorum.

Quòd verò eadem ſuppoſitio ſapiat hæreſim Valdenſium patet, quoniam ſi vbi eſt maior ſapientia, & charitas eſt maior auctoritas, ſequitur quòd ſolum apud ſanctos viros eſſent claues Eccleſiæ, quod fuit error Valdenſium, & Ioannis Wicleff, conſequentia tamen patet. Contra quos eſt illud, quod ait Dominus. Matth. 23. [Super Cathedram Moyſi ſedebunt ſcribæ, & phariſæi, quæ ergo vobis dicunt ſeruate, & facite &c.] Quibus prælatis malis obediendum, non iuberet Deus, niſi etiam cùm malitia in eis integra maneret auctoritas poteſtatis. Secundò ſequeretur, quòd cùm Paulus ſapientiæ fuerit ſublimioris, vtpotè qui raptus eſt vſque ad tertium Cœlum, maioris fuiſſet auctoritatis, quàm Petrus, quod eſt falſum. Tertiò, etiam ſequeretur ex illo, quod apud laicos, qui ſæpè numero ſapientiores, atque ſanctiores ſunt multis Prælatis: maior auctoritas, ac plenior clauium poteſtas eſſet, quàm apud Prælatos minùs laicis ſapientes, aut ſanctos, quod etiam fuit error illorum Valdenſium. Præterea non eſt impoſſibile, immò poſſibile, quòd vnus pro aliquo tempore in Eccleſia eſſet ſapientior, & ſanctior toto reſiduo militantis Eccleſiæ, & quòd huiuſmodi eſſet Papa. Præterea apertiſſimè oſtendit fundamentum illud aduerſariorum eſſe falſum, ac erroneum illud, quod beatus Innocentius Papa dicit in cap. noua quædam de pœnit. & remiſ.

CAP. LXXXVI.

In quo reſpondetur ad quintam obiectionem ſumptam ex eo, quòd Eccleſia dicitur mater fidelium.

Quintò obiectum eſt per aduerſarios ex illa nominatione, qua Eccleſia Dei dicitur Mater omnium fidelium, & per conſequens Papæ. Ad quam obiectionem reſpondetur negando conſequentiam. Pro cuius intelligentia, duo faciemus. In primis oſtendemus pro pleniori illuſtratione veritatis, qualiter Eccleſiæ vniuerſali conuenit ratio maternitatis reſpectu Papæ, & aliorum fidelium. Secundò explicabimus, quòd ex tali maternitate nulla auctoritatis, aut poteſtatis iuriſdictionis ſuperioritas neceſſariò arguatur in Eccleſia ſuprà Papam.

Circa primum, notandum, quòd Eccleſia dicitur Mater fidelium, vt dicit beatus Auguſt. ſuper Pſal. 127. quia per baptiſmum continuè dicitur parere Chriſtianos, vbi ſecundùm quòd ait Auguſt. ſuper Ioann. tractans illud Ioann. 3. [Numquid poteſt homo in ventrem matris ſuæ iterato introire? Aqua baptiſmi locum materni vteri habet.] Et ideò baptiſmus dicitur, vt inquit Apoſtolus ad Timoth. 3. [Lauachrum regenerationis.] Sed nec hoc ità Eccleſiæ attribuitur, quòd ipſa vniuerſitas Eccleſiæ miniſterium baptiſmatis per ſeipſam alicui tribuat: hoc enim non videtur benè poſſibile, ſed pro tantò Mater dicitur, quia baptiſmus, quo quis regeneratur in filium Dei, & Eccleſiæ, à quocunque detur, in fide Eccleſiæ tribuitur, & efficaciam habet. Vbi aduertendum, quòd ſicut in regeneratione carnali hominis concurrit virtus patris principaliter, & virtus matris quaſi diſpoſitiuè, ſic in generatione iſta ſpirituali concurrit virtus diuina tamquam ſemen; Vndè Auguſt. ſuper Ioann. vbi ſuprà dicit: [Ex ſemine enim veri Abrahæ ſunt nati fideles, ſiue per liberam, ſiue per Ancillam.] Et in fine libri de Trinitate, inquit ipſe. [Sacri fontis irriguum illa, qua dudùm Mariam locupletauit virtute, fœcundat.] Hinc eſt, quod per baptiſmum dicuntur generati filij Dei Ioann. 1. & per conſequens conſortes naturæ diuinitatis, vt inquit beatus Petrus. 2. Petri 1. [Eſt ergo agens in generatione iſta ſpirituali ipſe Deus per auctoritatem, & ipſe Chriſtus ſecundùm quod homo meritoriè, cuius meritum in Baptiſmo operatur. Secundò concurrit tamquam virtus diſpoſitiua, fides Eccleſiæ, ſecundùm illud ad Rom. 3. Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti fides enim præcipuè operatur in ſacramentis, quoniam per illam quodammodò ſacramenta ſuæ cauſæ principaliter agenti continuantur, & etiam ipſi recipienti, vndè ſanctus Thom. in 4. d. 1 ad propoſitum ità loquitur, Inſtrumentum non recipit virtutem, niſi ſecundùm quòd principali agenti continuatur, & virtus eius quodammodò inſtrumentum transfundatur, principale autem, & per ſe agens ad iuſtificationem, eſt Deus, ſicut cauſa efficiens, & paſſio Chriſti, ſicut meritoria, huic autem cauſæ continuatur ſacramentum per fidem Eccleſiæ, quæ inſtrumentum refert ad principalem cauſam. vt ſignum ad ſignatum. Et ideò efficacia ſacramentorum, vel virtus eſt ex tribus, videlicèt ex inſtitutione diuina ſicut ex principali agente, ex paſſione Chriſti ſicut ex cauſa meritoria, ex fide ſicut ex continuante inſtrumentum principali agenti Et hoc eſt, quod dicit ſanctus Thom. in 3. parte: quòd virtus paſſionis Chriſti, quæ operatur in ſacramentis, copulatur nobis per fidem, ſecundùm illud Rom. 3. Quem propoſuit propitiatorem per fidem in ſanguine eius. Ex quibus hęc manifeſta luce colligimus quòd fides Eccleſiæ ſit diſpoſitio ad conſecutionem effectuum ſacramentorum, cuius Eccleſiæ fidem repræſentare videntur offerentes paruulos ad baptiſmum, qui interrogati, pro paruulis fidem Eccleſiæ in perſonam eorum profitentur, dicentes, credo, vndè Aug. in lib. de meritis, & remiſ. peccatorum, & habetur de conſecrat. diſt. 4. cap. mater. dicit ſic. Mater Eccleſia os maternum paruulis præbet, vt ſacris myſterij imbuantur, quia nondum poſſunt corde proprio credere ad iuſtitiam, nec ore proprio confiteri ad ſalutem Quare dicit beatus Thom. in 3. par. qu. 69. quòd pueri credunt non per actum proprium,

prium, sed per fidem Ecclesiæ, quæ eis communicatur, & huius fidei virtute conferuntur eis gratia, & virtutes. Et idem dicit in 4. quòd pueris pro dispositione ad salutem est fides Ecclesiæ, pro effectiuo salutis virtus passionis Christi. Cùm ergo gratia, qua iustificamur in baptismo, & efficimur filij Dei, à Deo infundatur disponente fide vniuersalis Ecclesiæ, vt sic sit quodammodò conformitas geniti ad gignentem, patet quod rectè dicatur, quod in generatione ista spirituali Deus sit Pater, & Ecclesia Mater. Vnde etiam si hæreticus, aut infidelis baptizet, dum tamen intendat facere, quod Ecclesia facit, Christo & Ecclesiæ dicitur parere filios, non autem hæresi, aut infidelitati suæ. Sicut enim Iacob genuit filios per liberas & Ancillas, ita Christus per Catholicos, & hæreticos, bonos, aut malos, vt Aug. dicit contrà Donatistas. Mater ergo omnium fidelium est Ecclesia, vnde Aug. lib. de symbolo dicit. Si quis ab Ecclesia iuuentus fuerit alienus, erit à numero filiorum Dei, nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluit habere Matrem. Et hoc sit pro primò.

Iam videndum est secundò loco, quòd ex præfata ratione maternitatis nulla necessitas sit dicendi: quòd vniuersalis Ecclesia superior sit auctoritate, siue potestate iurisdictionis Romano Pontifice, quod etsi satis de se appareat, ostenditur tamen ex hoc, quòd etsi ratio maternitatis attribuatur Ecclesiæ, vt dictum est, ministris tamen ratio paternitatis conuenit, vnde Aug. in sermone de epiphania, vt refert S. Thom. in 3. par. qu. 67. Locum Patris obtinet, qui baptizat, matris autem aqua baptismi. Et maximè ratio paternitatis conuenit summo ministro Dei, scilicèt Romano Pontifici, quocirca dicitur pater Patrum. Vnde clarè patet, quòd esse prædicto modo matrē, non arguit superioritatem potestatis iurisdictionis spiritualis super filios, immò stat benè, quòd aliquis sit filius Ecclesiæ, & alia ratione Pater Ecclesiæ. Sicut quod conuenit sæpè, quòd aliquis sit genitura filius alicuius mulieris, & sit cura spiritualis regiminis pater eius, & quod ità sit de Ecclesia exemplariter, ostenditur in multis. Primò quidem in Christo: Christus, enim quandoque, dictus est etiam filius synagogæ; vnde glos. super illud Iob. 1. Nudus egressus sum de vtero matris meæ, dicit sic. Mater Christi synagoga est, quæ in se eum opertum litera tenuit, nec nudum in diuinitate vidit, sed ab ea nudus ad gentes exiuit. Item Christus quandoquè est dictus filius Ecclesiæ. Vnde ipse ait Marc. 3. de discipulis suis ecce mater mea, & fratres mei, vbi dicit glo. soror, frater credendo, mater prædicando, dum per verba prædicationis amor Christi, quasi ipse Christus in corde auditoris generatur. Item hoc verbum pertractans beatus Aug. psalm. 157. dicit, quomodo mater eius est Ecclesia, nisi quia ipse Christus, est in Christianis, quos per baptismum continuè parit Ecclesia. Item ipse Christus est filius beatissimæ Virginis Mariæ, nihilominùs super omnes istas matres superior est auctoritate, & eminentia potestatis. Similiter non est inconueniens, quòd Papa, cùm hoc, quod sit filius Ecclesiæ, quia sacramento baptismi regeneratus, sit etiam Pater Ecclesiæ, vnde etiam pater patrum appellatur, & ipse vniuersitati fidelium scribens, ait in cunctis literis suis; dilectis filijs &c.

Nec hoc videtur magis inconueniens, quàm quòd dicatur princeps, caput Pastor, & magister Ecclesiæ, quæ à sanctis Patribus attributa leguntur Romano Pontifici. Verùm hoc etiam auctoritate Scripturæ firmamus, scribitur enim psalm. 44. & est dictum Prophetæ ad Ecclesiam, Audi filia, & vide &c. vbi dicens glos. Augustini. Sic alloquitur Prophera reginam istam: audi filia, vide: alloquitur eam tanquam vnus de Patribus. Item in eodem psal., super illud. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, dicit idem Aug. & habetur in ca. quorum vices dist. 68. Sic genuerunt te Apostoli: ipsi missi sunt, prædicauerunt, ipsi patres, sed nunquid nobiscum corporaliter esse poterant vsque in posterum? ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia, cui absit, pro patribus nati sunt tibi filij: patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, vndè nati sunt tibi ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus Patrum; non ergo putes te desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum quia non vides eos per quos natales, de prole tua tibi creuit paternitas: pro patribus tuis nati sunt tibī filij hæc, Aug. Ex quibus clarissimè patet simul ista stare, quod Rom. Pont. sit filius Ecclesiæ, quia per baptismum regeneratus, & sit pater Ecclesiæ ratione prælationis, & auctoritatis, qua præest Ecclesiæ vt rector, & gubernator, vnde beatus Bernardus scribens ciuitati Pisanæ in quadam Apostolica, ita inquit de Innoc. Papa: honora tuum, & vniuersitatis patrem, & ideò non mirùm si sicut ratione filiationis, Papa veneretur Ecclesiam, vt matrem, ità & ratione prælationis præferatur Ecclesiæ, vt pastor gregi, vt princeps plebi, & vt rector familiæ. Ad quod satis opitulatur illud, quod Apostolus ad Rom. vlt. salutando quosdam obseruauit, filium enim, quia erat in ordine Ecclesiastico constitutus, præponit in salutando matri suæ, sic dicens. Salutate mihi Rufum electum in Domino, & matrē scilicèt carne secundùm glos. & meam, scilicèt beneficijs, vbi gloss. ordi. dicit, quòd Apostolus filium matri præponit pro Ecclesiastico officio. Quod autem dicit aduersariùs, quòd Papa non potest dici pater Ecclesiæ, quia nullus potest dici pater suæ matris. Dicendum est, quod falsum est, diuerso enim respectu, & secundùm aliam rationem potest quis dici pater alicuius, & filius illius. Nam Christus dicitur, & filius Dauid & pater Dauid, & filius beatæ Virginis, & pater eius, & Christus filius est mulieris, cuius est pater spiritualis. Quod autem inducitur ex Saluatore Matth. 23. Vnus est pater &c. non est ad propositum, quoniam Christus in illis verbis, vt habetur ex glos. non vult dicere nisi, quòd vnus sit pater principalis auctor vitæ, naturæ, & gratiæ, & gloriæ, vtpotè in quo viuimus, mouemur, & sumus, non autem vult negare quin aliquo modo, participatione

ne, scilicet quadam aliquibus alijs nomen,& ratio paternitatis conueniat. vnde Iacobi 1 dicitur. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursùm est descendens à patre luminum,à quo est omnis paternitas in cœlo, & in terra. Præterea Scriptura sancta plena est de honore impendendo patri, & matri. Exod. 20. Et in proposito dicimus, quòd Papa participatione potestatis diuinæ sibi datæ à Deo, est pater omniumfidelium. Non est autem hic prætereundum, quòd Ecclesia Romana dicitur mater nostra; siue fidelium, vnde Matth. 7. super illud, mulier enim statim. vt audiuit eos dicit glos. Mulier est mater nostra Romana Ecclesia, quod ideo putamus dictum esse.

Tum primò, quia Ecclesia Romana est magistra fidei,per quam efficimur filij Dei,vt in cap. omnes di. 22.

Tum secundò, quia ipsa est mater omnium Ecclesiarum Christi,in quibus fit generatio filiorum Dei, vt in c. non decet dist. 12 dicit Calistus Papa.

Tum tertiò, quia veluti mater omnibus fidelibus subuenire solita est, vnde Zepherinus Papa in decretis suis inquit, Tantam à Domino huiusmodi sanctæ Sedis, & Apostolicæ Ecclesiæ fundatore beato Petro Apostolorum Principe accepimus fiduciam, vt pro vniuersali Christi sanguine redempta Ecclesia impigro vigilemus affectu, & omnibus Domino famulantibus succurramus, & cunctis piè viuentibus opem feramus. Hæc ille Quocirca Adrianus Papa in epistola quadam ad Basilium Imperatorem IV.inquit. O inquam, est laudabilis, & meritò à cunctis mortalibus afferenda Apostolica Sedes, quę semper catholicis subuenire consueuit, quæ semper gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus non cessauit: hæc ille. Propter quam rationem inquit suprà. Sixtus Papa in cap. omnes 2. qu. 6. Omnes Christi, qui in aliquibus pulsantur, vel criminantur grauioribus causis: quotiens necessè fuerit,liberè Apostolicam Sedem appellent,atque ad eam quasi ad matrem confugiant. Hæc ille. Et Papa Zepherinus in cap. ad Romanam Ecclesiam eadem causa & qu. ità ad propositum inquit, Ad Romanam Ecclesiam ab omnibus,maximè tamen oppressis,est appellandum,& concurrendum, quasi ad matrem, vt eius vberibus nutriantur, & auctoritate defendantur, & à suis oppressionibus releuentur, quia non potest, nec debet mater obliuisci filium suum. Hæc ille.

CAP. LXXXVII.

In quo respondetur ad Sextam rationem sumptam ex eo, Ecclesia quod dicitur domina.

AD sextam rationem, quæ inducitur,quòd Ecclesia sit Domina &c. & Papa non sit Dominus, sed minister &c. Respondetur negando vtramque partem antecedentis, videlicet primò, quòd Ecclesia vniuersalis sit domina.

Secundò quod Papa non sit Dominus. Et ad probationē primæ partis dicimus, quòd auctoritas illa Trenorum, primò ad literam intelligitur non de vniuersali Ecclesia; sed de Ciuitate Hierusalem & vniuersitate populi Iudaici, cuius ruinam lamentabatur Propheta, vnde glos. ita inquit. Quomodò sedet sola ciuitas Hierus. scilicèt populo expoliata ignominia plena i nter hostes humiliata,olim populosa, & inter hostes gloriosa,facta quasi vidua domina gentium, regibus destituta,sacerdotibus desolata,templo prophanata,&vasorum gloria spoliata &c. & ita secundùm literalem sensum. Vnde sumitur efficax argumentum,vt ait Aug. auctoritas illa non est ad propositum. Cæterùm licèt allegoricè auctoritas illa exponatur,& in gloss. de Ecclesia vniuersali, non tamen ad intelligentiam aduersariorum, videlicèt, quòd communitas Ecclesię per Orbem diffusa, aut collecta synodaliter, sit domina gentium, & princeps prouinciarum. Sed exponitur, & intelligitur sic, quòd Ecclesia sit domina, vt glos. interli. habet in prælatis, non enim Ecclesia dominatur instar vnius cōmunitatis in omnibus membris suis,sed in prælatis tantum, & maximè in sūmo prælatorū scilicèt Romano Pontifice Quoniam regimen, & principatus Ecclesiæ non est institutus, vt suprà declarauimus,ad modum regiminis aristocrachij, in quo summus principatus non est apud aliquem singulariter, sed apud multos, sed ad modum regiminis regalis, in quo summus principatus est apud vnum, videlicèt Romanum Pontificem, sicut habetur in capit. nolite errare di. 11. vnde ipse dicitur princeps Ecclesię, & vocatur Dominus noster. vndè synodus vniuersalis vocat Romanam Ecclesiam dominam in cap. oportebat di. 79. Vbi sciendum quomodo Romanus Pontifex possit, & debeat dici Dominus Ecclesiæ. & alij prælati suarum Ecclesiarum, & quomodo non est notandum, quod tangit S. Tho. in prima p. qu. 96. art. 4. dominium dupliciter accipitur. Vno modo secundùm quod opponitur seruituti, & sic Dominus dicitur, cui aliquis subditur,vt seruus, hoc modo prælati Ecclesiæ non sunt Domini aliorum. Alio modo accipitur Dominum secundùm quòd communiter refertur ad subiectum qualitercunque: & sic etiam ille qui habet officium gubernandi, & dirigendi liberos, Dominus potest dici, & hoc modo Romanus Pontifex cum sit vniuersalis gubernator, & director omnium fidelium,potest dici DominusEcclesiæ siuè fidelium, & ita appellatur ab omnibus. Qui modus dominationis etiā fuisset in statu innocentiæ sicut etiam est inter angelos inter quos vnus ordo donationum vocatur. Quod verò dicunt aduersarij, quod prelati Ecclesiæ sunt dispensatores, & ministri. & per consequens Papa, & ita non Domini. Dicendum est, quòd ista consequentia nulla est. Tum primò,quia benè stat cum Dominio, quòd aliquis sit minister alterius superioris Domini, sicut de Principibus tam spiritualibus, quàm secularibus, qui omnes sunt Ministri Dei, sicut Apostolus innuit ad Roman. 13. Tum secundò, quia benè stat

cum

cum dominio secundo modo dicto, quòd aliquis sit etiam Minister eorum, quorum dicitur Dominus, eorum vtilitati seruiendo; vndè Papa dicitur seruus seruorum Dei. Prætereà Christus, qui fuit Regum terræ Princeps, & Dominus Dominorum est, Ministrum nostrum se vocat; vndè Matth. 20. inquit: [Filius nou venit ministrari, sed ministrare. Stat ergo quòd Papa sit seruus seruorum Dei mysterio charitatis, & Dominus superioritate auctoritatis; vndè falsum est, quod aduersarij dicunt: quòd Papa sit Minister Ecclesiæ, sicut cuius vice, aut nomine agat; hoc enim modo solius Christi Minister est, & Vicarius, cuius vices agit in terra, vt in superioribus ostendimus in cap. 37. Ad id, quod inducitur de Bernardo libro de Consideratione, respondetur, quòd beatus Bernardus dicens, quòd Papa non sit Dominus, aut Romana Ecclesia, capit Dominium primo modo sumptum, videlicèt secundùm quod opponitur seruituti: Domini autem ad seruum, vt dicit Aristotel. 8. Ethic. est prælatio tyranni ad subditum. Differt autem tyrannus à Rege, vt ibidem dicit Philosophus; quia Rex ordinat prælationem suam ab bonum gentis, cui preest propter eorum vtilitatem, statuta, & leges faciens. Tyrannus autem dominatur ad vtilitatem propriam, & talis dominatus non est, nec esse debet in Ecclesia. Et iste est dominatus, qui prohibetur Apostolis à Domino Matth. 20. cùm ait: [Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos;] [non ita erit inter vos, & de tali dominio loquitur beatus Bernardus,] & non de dominio secundo modo dicto. Quod verò patet ex eo, quod dicit in epistola quadam ad Eugenium Papam, vbi de duplici dominio præfato distinguens, ita loquitur: [Si Christus te misit, æstimabis te non ministrari, sed ministrare venisse, & ministrare non solùm substantiam, sed ipsam quoque animam, verus successor Pauli dicet cùm Paulo: [Non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri; Petri hæres audiet Petrum dicentem, nec vt dominantes in Clero, sed forma facti gregis.] Ecce vbi primum modum dominij excludit à Papa. De secundo subiungit sic parùm post in eadem epistola: [Terribilis, prorsùs terribilis est locus iste; Locus, in quo stas, terra sancta est; locus Petri, locus Principis Apostolorum, vbi steterunt pedes eius, locus illius, quem constituit Dominus dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ.] Hæc ille. [Ecce quòd Petrum nominat dominum domus Dei.] Et ita patet quid dicendum sit ad dictum Bernardi. Prætereà ad dictum beati Bernardi respondit Archid. super cap. Fidel. extrà de Summ. Trinit. & Fide, cap. in 6. post recitatum præfatum verbum Bernar. in glos. dicentis [quòd Romana Ecclesia non est domina,] dicit sic: [Quidquid Bernardus dicat, Ecclesia Romana in Canone domina nuncupatur. [79. dist. Oportebat.

CAP. LXXVIII.

In quo respondetur ad obiectionem septimam sumptam ex eo, quod Ecclesia est domina rerum Ecclesiasticarum.

AD septimam aduersariorum obiectionem pari modo faciliter respondetur, in qua cùm dicitur, quòd Papa non sit dominus rerum Ecclesiæ, sed ipsa Ecclesiæ communitas, & per consequens quòd Ecclesia ipsa superior Papa dicenda veniat; Respondetur dupliciter. Primò negando antecedens pro vtraque parte, primò videlicèt, quòd Papa non sit dominus rerum Ecclesiæ, quoniam quemadmodùm dicitur Papa dominus Ecclesiæ, id est rector, atque gubernator eius; ita debet dici dominus rerum Ecclesiæ, vndè Bernardus in epistola ad Eugenium suprà commemorata, dicit, quòd Romanus Pontifex locum tenet eius, quem constituit Dominus dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ, sed bona oblata pertinent ad ius Sacerdotum, iuxtà cap. Nulli, 12. quæst. 2. Secundò respondetur ad obiectionem præfatam, negando consequentiam, quoniam dato quòd apud Ecclesiam vniuersalem dominium esset rerum Ecclesiasticarum, & non apud Papam, sed sola dispensatio, non sequitur propter hoc, quòd Ecclesia esset superior auctoritate prelationis, aut iurisdictionis ipso Romano Pontifice, hoc maximè considerato, quòd auctoritatem ipsam dispensandi, sicut & pascendi gregem ipsum dominicum, non ab Ecclesiæ communitate, sed ab ipso omnium summo Pastorum Christo habat, dicente sibi in Petro: [Pasce oues meas,] Ioan. vlt. aliàs quælibet Diœcesis auctoritate maior esset suo Episcopo, aut Parochia suo Presbytero Curato, cum Cõmunitatibus Ecclesiarum talia bona data sint, non singulari personæ; vndè fundatores Ecclesirum intenderunt dominium, & proprietatem bonorum illorum oblatorum transferre primò, & directè in Communitatem Collegij, scilicèt talis, vel talis Ecclesiæ, ad vsũ Deo seruientium, & non in aliquam personam singularem, vt satis colligitur ex c. Pontifices, 12. quæst. 3. & si singularis persona, scilicèt vt pars, & membrum Communitatis habeat in ipsis ius vtendi ad sustentationem sui status, sed auctoritas est in ipsis Pontificibus, quibus claues collatæ sunt. Et ita illa consequentia nulla est, apud Communitatem Ecclesiæ, est dominium rerum Ecclesiasticarum, & non apud Papam; ergo apud Cõmunitatẽ Ecclesię auctoritas superior iurisdictionis est, quàm apud Romanum Pontificẽ.

CAP. LXXXXIX.

In quo respondetur ad obiectionem octauam sumptam ex eo, quòd Ecclesia dicitur Regina.

IAm ad obiectionem octauam sumptam ex eo, quòd Ecclesia nominatur Regina, respondeamus. Dicimus autem hanc consequen-

sequentiam nullam esse: Ecclesia dicitur Regina, ergo est maior Papa auctoritate iurisdictionis. Pro quo, & multis similibus est notandum, quòd cur dona gratiæ gratumfacientis sint distincta à donis gratię gratis datæ; dona gratiæ gratumfacientis non arguunt dona gratiæ gratis datæ: patet, quoniam ex hoc, quòd aliquis est in charitate, non sequitur, quòd sit Propheta, Doctor, aut Prælatus, neque è conuerso ex hoc, quòd quis sit Propheta, Doctor, aut Prælatus, sequitur, quòd sit in charitate, aut ex hoc, quòd quis sit excellentior Doctor, aut Propheta, aut sublimior Prælatus, sequitur, quòd sit in maiori charitate; vndè sanctus Thomas in quæst. de Veritate, quæst. 12. art. 2. respondens ad auctoritatem illam Matth. 11. [Non surrexit maior Ioanne Baptista,] dicit, quòd etsi Ioanne Baptista nullus fuit simpliciter maior, propter hoc non sequitur, quòd nullus fuerit eo excellentior in gradu Prophetiæ. Et ratio sua est, quia cùm Prophetia non sit donum gratiæ gratumfacientis, potest esse maior Propheta, qui est minor in merito. Hæc sanctus Thom. Secundò notandum, quòd nomen Reginæ, sicut nomen Regis, potest attribui alicui dupliciter, Vno modo ratione virtuosi regiminis, quo quis benè se regit, secundùm illud Senecæ: [Si benè te rexeris, es dignus nomine Regis.] Et Cassiodorus dicit super Psalm. 37. [Reges terræ sunt, qui corporibus suis Diuinitatis munere dominantur.] Et Gregorius in Moralibus lib. 11. [Qui membrorum suorum motus benè regere sciunt, non immeritò Reges vocantur.] Hoc modo esse Reginam legimus attribui, & animæ rationali deuotæ, & Ecclesiæ vniuersali, quæ ex sanctis animabus vna colligitur, vt ait Augustinus super Psalmum 44. [Quod verò animæ sanctæ Reginæ nominentur, habetur Cantic. 6. vbi dicitur: Sexaginta sunt Reginæ,] vbi glos. interli. ait: [Filios ex amore sponsi, & regni generantes.] De Ecclesia verò vniuersali sequitur immediatè: Vna est Columba mea, perfecta mea,] vbi glos. Aymonis ita habet: [Vna Columba mea, hæc vna est Catholica per vniuersum Orbem diffusa Ecclesia, quæ ex Reginis, & adolescentibus constat.] De hoc satis, quoniã quomodo vniuersalis Ecclesia Regina dicatur, plenè diximus in primo libro cap. 43. Tertiò, considerando, quòd hoc modo esse Reginam, respicit dona gratiæ gratumfacientis, sicut patet ex ipso prophetico text. [Qui inductus est per aduersarios;] dicit enim Propheta, [Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate,] id est, auro charitatis decorata, & varietate circumdata meritorum, vt inquit glos. 2. Et hinc est quòd Ecclesia non dicitur Regina in omnibus membris suis, sed in illis, quæ in gratia, & charitate sunt; vndè glos. ordin. super illud Cant. 6. [Sexaginta sunt Reginæ, &c.] dicit sic: [Reginæ sunt, quæ intuitu Regni Cœlestis inseruiunt.] Et ideò dicuntur sexaginta, quia sola dilectione Præceptorum Dei perfectionem operum habent, vel quia corporeos quinque sensus ad regulam Apostolicæ doctrinæ obtemperant. Ex quibus patet, quòd Ecclesia in eis membris dicetur Regina, quæ quinque suorum corporum sensus ad regulam Diuinæ legis disponentes per gratiam, & charitatem thoro æterni Regis appropinquant. Ex quibus aptissimè colligitur, quòd sæpè contingit, quòd Ecclesia habet altiorem gradum auctoritatis, & potestatis Ecclesiasticæ, in quibus non habebit præfatum nomen Reginæ, vtpotè in Prælatis malis, siue malè viuentibus, malè se regentibus, & è conuerso in multis erit Regina, in quibus nihil habet auctoritatis Ecclesiasticæ, sicut patet de multis Sanctis.

Quocircà arguere ex hac appellatione Reginæ altiorem gradum superioritatis potestatis Ecclesiasticæ, videtur sapere errorem Waldensium, & Ioannis Wickff dicentium apud solos existentes ingratia gratumfaciente esse claues Ecclesiæ. Habemus ergo manifestum, quòd ista consequentia nulla est: Ecclesia est Regina, ergo superior est Papa auctoritate potestatis, maximè si attendamus, quòd etsi beatissima Virgo Maria non modo hominum, sed etiam Angelorum Regina sit, claues tamen regni cœlorum non sunt ei datæ, sed Apostolis, vt habetur extrà de pœnit. & remis. cap. Noua.

Secundo modo potest attribui Ecclesiæ nomen Reginæ ratione prælationis, aut principatus, & hoc in Prælatis qui sunt rectores eius, sicut sæpè diximus, & maximè in Romano Pontificce, cui omnes Primates Mundi iure Diuino caput inclinant, qui etiam Reges dici possent, sicut suprà in cap. 33. plenè ostendimus, secundùm illud Psalm. 44. [Delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo,] vbi dicit glos. ordin. [Reges dicit Apostolos, qui se, & alios in virtutibus regunt, quorum filiæ sunt omnes Ecclesiæ per eos in fide genitæ.]

Quod verò dicunt aduersarij, quòd Papa non possit vocari Rex, negatur tamquam falsum; quoniam sicut suprà ostendimus, cùm Rex à regendo dicatur, vt ait Isid. [Et Romanus Pontifex rector sit vniuersalis Ecclesiæ, Rex conuenientissimè posset appellari.] Et ad probationem cùm dicitur, quòd regimen Ecclesiæ respectu Papæ non sit regale, sed politicum, dicimus, quòd hoc sit falsum, sicut sufficienter probatum est in superioribus, maximè circa cap. 2. Et ad probationem, quam inducunt ex illo Matth. 20. [Scitis &c.] respondetur, quòd probatio illa nullius virtutis est, quoniam per illa verba Christi non negatur Principatum Ecclesiæ esse regalem, aut monarchicum; sed tantùm quòd Principatus, & dominium Prælatorum Ecclesiæ non debeat esse more Dominorum, seu Principum huius Mundi, qui ideò fiunt, vt dominentur in minoribus suis, Prælati verò vt seruiant; vndè beatus Chrysost. super illo verbo ita ait: [Principes Mundi ideò fiunt, vt dominarentur minoribus suis, Principes autem Ecclesiæ, vt seruiant minoribus suis, vt suas vtilitates negligant, & illorum procurent.] Hæc Chrysostomus.

Quod verò vltimò inducunt, [quòd Christus fugit, ne facerent illum Regem,] insipienter inductum est, nec facit ad propositum; quoniam ideò fugisse dicitur, ne facerent eum Regem, vt inquit sanctus Thom. super Ioann. 1. quia cùm ipse esset verè Rex, dero-

derogasset suæ dignitati, si regnum ab hominibus recepisset, qui sic Rex erat, vt eius participatione Reges omnes essent. Prouer. 8. [Per me Reges regnant.] Secundò, quia præiudicasset suæ doctrinæ, si claritatem, & robur ab hominibus accepisset; sic enim operabatur, & docebat, vt totum Diuinæ virtuti adscriberetur, & non fauori humano. Ioan. 5. [Claritatem ab hominibus non accepi.] Tertiò vt erudiret nos mundanas contemnere dignitates, Ioan. 13. [Exemplum enim dedi vobis &c.] Ecclesiastic. 7. [Noli quærere ab homine ducatum, & ità patet, quòd auctoritas nullo modo probat propositum aduersariorum.

CAP. XC.

In quo respondetur ad obiectionem nonam sumptam ex eo, quòd Ecclesia dicitur Sponsa Christi.

NOnò, arguebatur per aduersarios ex eo, quòd Ecclesia dicitur sponsa Christi, Papa autem non sponsus, sed paranymphus, &c. Ad hanc obiectionem respondentes dicimus, quòd ratio illa in nullo fauet propositio aduersariorum, quod ex multis colligitur; tum primò, quia Ecclesia, quæ dicitur sponsa Christi, non dicit aliquam personam, aut communitatem secluso Papa, cùm dicat Bernardus super Cantic. homelia 69. [Quid sponsa, nisi congregatio iustorum? quid ipsa, nisi generatio quærentium Dominum, quærentium faciem sponsi? Secundò, quia ratio, & dignitas sponsæ conuenit etiam personæ Papæ, si sit in amore Christi; vndè ipse Bernardus in sermone de Nuptijs, dicit sic: [Sponsa Christi ipsi nos sumus, & omnes simul vna sponsa, & animæ singulorum singulæ sponsæ.] Hæc Bernardus.

Tertiò, quia ratio huius sponsalitatis non arguit superioritatem auctoritatis, de qua loquimur; de quo rationem supra assignauimus in superiori capitulo, quia hoc respicit gratiam gratum facientem, cùm sponsa dicatur propter dilectionem.

Ait enim Bernardus super Cant. homilia 77. Ecclesia dicitur Ciuitas propter collectionem, sponsa propter dilectionem, oues propter mansuetudinem; superioritas autem, & excellentia auctoritatis innititur dono gratiæ gratis datæ.

Et indè est, quòd Ecclesia dicitur Sponsa Christi in omnibus membris, quæ in Christi amore florent, idest in his membris, quæ numero, & merito sunt Christi membra. Vnde glossa super illud 2. Cor. 11. [Despondi enim vos vni viro, &c.] dicit: quòd Ecclesia in omnibus veris membris virginitatem mentis seruat, etsi non corporis. Et infrà, singulariter dicit virginem, quia omnes sunt vna virgo propter fidei integræ vnitatem, solidæ spei, sinceræ charitatis. Virgo sunt, quia à prauitate erroris, & ab opere malo incontaminati. Casta, quia non habent æstum malæ voluntatis.] Hæc glossa.

Et nihilominus Ecclesia non habet in omnibus illis potestatem clauium, quinimò habet in multis, quæ non sunt inter membra vera Sponsæ, sed odientium Deum.

Esse ergo Sponsam Christi, licèt arguat fidem per dilectionem operantem, Oseæ 2. [Sponsabo te mihi in fide.] Non tamen arguit auctoritatem iurisdictionis, aut superioritatem Principatus; aliàs personæ sanctæ, quæ sponsæ Christi sunt, & vocantur, superiores essent, & potestate, & auctoritate iudicij multis prælatis, qui sunt peccatores; quod est error Valdensium.

Consequentia ergo aduersariorũ: vniuersalis Ecclesia est Sponsa Christi, ergo superior est auctoritate Romano Pontifice, nulla est. Vnde etiam tempore veteris Legis Ecclesia dicebatur Sponsa, sicut in multis locis habetur in libro Cantic. & nihilominus Moyses superior erat auctoritate tota illa multitudine Ecclesiæ; sicut in superioribus sæpènumero inductum est.

Et cùm dicitur, quòd maior sit potestas regiminis in Sponsa, quàm in Paranympho: dicimus, quod verum est, nisi Sponsus aliter ordinauerit, sicut factum est hìc: quoniam ipse Sponsus, scilicet Christus regimen, & gubernationem, ac curam Sponsæ suæ Romano Pontifice, tamquam Vicario suo plenè commisit.

Præterea falsum dicunt, quòd Papa non sit etiam Sponsus Ecclesiæ, sicut superiùs ostendimus cap. 27. Vnde Bonifacius in cap. Quoniam, extrà de immunit. Ecclesiast. lib. 6. dicit: [Nos iustitiam nostram, & Ecclesiæ Sponsæ nostræ nolentes negligere.]

CAP. XCI.

In quo respondetur ad obiectionem decimam sumptam ex eo, quòd Ecclesia errare non possit.

DEcimò obijciebatur sic: Ecclesia non potest errare, & per consequens indeuiabilis est; Papa errare potest, & deuiare à rectitudine tam morum, quàm fidei. Ergo Ecclesia est superior potestate, &c. Ad hoc respondentes dicimus, quod ratio ista nulla est; quoniam hæc argumentatio nullas vires habet: Ecclesia vniuersalis errare non potest in fide, Papa verò sic. Ergo Ecclesia est maior, & superior potestate clauium, aut auctoritate iurisdictionis Romano Pontifice.

Cùm enim, vt supra diximus, ista pertineant ad diuersas gratias gratis datas: distincta namque est gratia confirmationis à gratia potestatis clauium: vna non arguit aliam, vt est manifestum: aliàs quicumque esset in gratia confirmatus, non modò claues haberet, sed etiam in clauium potestate superior esset omni non confirmato; quod absurdum est, & à fide vniuersalis Ecclesiæ alienum. Vnde istæ consequentiæ aduersariorum non modò sunt nullæ, sed etiam videntur sapere errorem.

De hoc autem, quod dictum est, quòd Ecclesia vniuersalis errare non potest in fide, licèt plura dixerimus in libro 1. cap. 18. vbi apertissimè declarauimus, quod in Ecclesia Dei fides, sanctitas, doctrina, prælatio, & sacra-

ſacramenta vſque in finem eſſent duratura: nihilominus duximus hoc hìc explicandum, qualiter iuxta ſanctorum Patrum doctrinam ſit accipiendum, quòd Eccleſia errare non poſſit.

Dicimus autem hoc, quòd Eccleſia in fide, & moribus errare non poſſit, ſic accipiendum eſſe, quòd Deus ita aſſiſtet Eccleſiæ vſque ad conſummationem ſeculi, vt numquam vera fides deficiat in ea: nullum enim erit tempus vſque ad finem ſeculi, in quo non ſint aliqui, etſi non omnes, qui veram fidem per dilectionem, etiam operanrem, ſiue charitatem formatam non habeant.

Quod pulchrè oſtendit Auguſtinus ſuper illud Pſalm.108. [Ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque,] ſic dicit: [Ex ore ſuo quippè dicit, quòd vnitas corporis loquitur, in cuius membris etiam illi deputantur, qui defecerunt ad horam negando, ſed pœnitendo poſtea reuixerunt, vel etiam martyrij, quam perdiderunt palmam, reparata confeſſione ſumpſerunt. Non igitur vſque valdè, ſed ſicut quidam codices habent, non vſque quaque; hoc enim non omnimodè ex ore Petri, in quo erat typus Eccleſiæ, verbum veritatis ablatum eſt; qui etſi ad horam negauit timore turbatus, tamen flendo eſt reparatus, & confitendo poſtea eſt coronatus. Totum itàque corpus Chriſti loquitur, ideſt Eccleſiæ ſanctæ vniuerſitas, in quo toto corpore, ſiue quia negantibus plurimis, remanſerunt fortes, qui vſque ad mortem pro veritate certamen certarent: ſiue quia ex his, qui negauerunt, multi reparati ſunt: non eſt ablatum ex ore eius verbum veritatis vſq; valdè.] Hæc Auguſtinus.

De iſto etiam Eccleſiæ priuilegio habetur Matth.16. vbi Petro Chriſtus ità ait: [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam;] gloſs. interlin. [non ſeparabunt eam à charitate mea, & fide.] Super quo verbo Dominus Archidiaconus in cap. Ità Dominus diſtin.19. ità dicit: [Portæ inferi, peccata mortalia ſunt, quæ dicuntur portę inferi, quia per ea paratus eſt aditus ad inferos. Hæc autem non præualebunt contra Eccleſiam ſic, quòd non ſint aliqui boni ſemper in Eccleſia. Vel portæ inferi dicuntur hæreſes, & ſchiſmata, quia per ea ſimiliter eſt aditus ad infernum. Hæc ſimiliter numquam contra Eccleſiam præualebunt, ſic, vt eam totaliter polluant, diſt.24. q.1. à recta.] Hæc ille.

Item eodem modo exponit ſanctus Thomas in 4. diſtinct. 6. loquendo de Baptiſmo, vtrùm poſſit dari ab Hæreticis, dicit ſic: [Non requiritur fides perſonalis offerentium ad Baptiſmum, nec alicuius perſonæ determinatæ, ſed ſolùm fides Eccleſiæ Militantis, quam non eſt poſſibile deficere totaliter Deo ordinante, qui dicitur Matth.vlt. [Ego autem vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.]

CAP. XCII.

In quo reſpondetur ad vltimam obiectionem fundatam ſuper illo Matth. 18. Dic Eccleſiæ.

Reliquum iàm reſtat, vt vltimæ ſatisfaciamus obiectioni, qua aduerſarij potiſſimè fulciuntur ad probandum, quòd vniuerſalis Eccleſia auctoritate, & iuriſdictionis poteſtate ſuperior ſit Romano Pontifice, dicentes, quòd ad vniuerſalem Eccleſiam, ſicut ad ſupremum Iudicem quilibet Fidelis, & per conſequens ipſe etiam Romanus Pontif. remittatur. Ad quam reſpondentes, dicimus hoc eſſe falſum. Et ad probationem, quàm faciunt ex illo Matth. 18. [Dic Eccleſiæ;] dicimus, quod auctoritas benè, & catholicè intellecta non facit pro aduerſarijs. Alia nempè eſt intelligentia præfatæ auctoritatis, iuxtà Sanctorum, & clariſſimorum Doctorum interpretationem, quàm aduerſarij prætendant.

Pro cuius declaratione, quia hac auctoritate maximè aduerſarij armanrur, eſt notandum, quòd illud dictum Chriſti: [Dic Eccleſiæ,] exponitur dupliciter, iuxta gloſs. ordinar. & Expoſitores.

Primò ſic: [Dic Eccleſiæ,] ſcilicet tamquam Iudici denunciando illi peccatum fratris corrigendum.

Alio modo: [Dic Eccleſiæ;] ideſt coram Eccleſia obiurga fratrem delinquentem; vt, iuxta Hieron. in gloſſa ordinar. deteſtationi eum habeat; & qui non poruit pudore ſaluari, ſaluetur opprobrijs. Quo notato faciemus quinque.

In primò probabimus, quòd exponendo illud, [Dic Eccleſiæ,] tamquam Iudici, ſecundùm literalem ſenſum: ex quo ſolo efficax argumentum ſumitur, vt inquit tam Dionyſius, quàm Auguſtinus, per Eccleſiam non poſſit vniuerſalis Eccleſia per Orbem diffuſa intelligi.

Secundò probabimus, quòd etiam per hoc, [Dic Eccleſiæ,] non poſſit intelligi ad literam Vniuerſalis Eccleſia Conciliariter congregata.

Tertiò probabimus, quòd per Eccleſiam in prædicta auctoritate intelligatur Prælatus.

Quartò ſoluemus rationes inductas contra hanc intelligentiam.

Quintò oſtendemus etiam, quod ex ſenſu literali non poſſit rectè intelligi illud, [Dic Eccleſiæ,] iuxta ſecundam expoſitionem, qua exponitur, ideſt coram Eccleſia obiurga, de vniuerſali Eccleſia, ſiue diſperſa, ſiue ſynodaliter collecta.

Pro deductione omnium iſtorum, præſuppoiimus cùm omnibus ſacræ Scripturæ Doctoribus, quòd correctio fraterna, de qua in præfata auctoritate, datur generalis doctrina, cadit ſub præcepto.

Qua ſuppoſitione poſita, ſit iſta cõcluſio. Per Eccleſiam, cui tamquam Iudici præcipitur

tur denunciari cuiuslibet fratris delinquentis peccatum, ex sensu literali, aut ex intentione Christi, non potest accipi Ecclesia vniuersalis per Orbem diffusa.

Ista conclusio probatur multipliciter; & primò sic:

Nullus potest intelligi rectè assignatus ab aliquo sapiente Iudex in causa aliqua, cui est impossibile, vel quasi, denunciari culpam delinquentis. Hoc est manifestum, quia talis frustrà assignaretur Iudex. Sed Ecclesiæ vniuersali dispersæ per Orbem, non est quasi possibile simul denunciari posse peccatum cuiuslibet fratris delinquentis, vt patet. Ergo ex intentione Christi sapientissimi Legislatoris, non potest intelligi per Ecclesiam, cui tamquam Iudici est denuncianda culpa delinquentis fratris, vniuersalis Ecclesia per Orbem dispersa. Consequentia est bona. Et confirmatur, tùm quia de ratione legis est, quòd sit possibilis, vt in cap. erit autem lex distinct. 4. dicit Isidorus; tùm quia, vt inquit Hieronymus, anathema sit, qui Deum dixerit aliquid impossibile præcepisse.

Secundò sic: ad nullum tamquam ad Iudicem sapiens Legislator remittit aliquem, qui non potest exire in actum, siue exercitium iudicij, audiendo quetelas, condemnando reum, vel absoluendo innocentem; & ista videtur manifesta. Sed vniuersalis Ecclesia per Orbem diffusa non potest exire in actum iudicij, vt est manifestum, cùm non esset in vno loco congregata. Ergo Legislator Christus nullum hominem remittit ad Ecclesiam vniuersalem, quæ per Orbem diffusa est, tamquam ad Iudicem. Ergo per Ecclesiam, de qua Christus in Euangelio inquit, [Dic Ecclesiæ,] non potest verè intelligi Ecclesia vniuersalis.

Tertiò sic, vniuersali Ecclesiæ, quæ dicitur collectio omnium Fidelium, nec in singulis membris, nec in omnibus simul vt vniuersitati sunt datæ claues Regni Cælorum, aut potestas Ecclesiasticæ iurisdictionis, vt manifesta luce ostendimus in superioribus. Ergo ad eam, vt ad Iudicem nullus remittitur. Consequentia est bona, quoniam cuius non est potentia, eius non est actus, vt dicit Aristot. in libro de somno, & vigilia. Ergo falsum est, quòd ad Ecclesiam vniuersalem remittatur quis, sicut ad Iudicem. Et hęc de primo.

Secundum verò, quòd per Ecclesiam, ad quam, vt ad Iudicem dicitur remitti quilibet Fidelis, non possit intelligi ex intentione Christi, siue ex sensu literali vniuersalis Ecclesia concilialiter congregata, probatur ex multiplici capite.

Primò ex raritate congregationis vniuersalis Ecclesiæ. Planè non est credendum, quòd sapientissimus Legislator eum vniuersalem Iudicem, & supremum poneret in Ecclesia ad correctionem peccatorum, quæ quotidiè est necessaria in Ecclesia, quem rarissimè contingit pro tribunali sedere, & maximè eum, qui per plures annos non conueniret ad iudicium. Patet, quia sic periret iustitia, & correctio non haberet locum; sed vniuersalis Ecclesia raro congregatur; immò quandoque plus quàm per centum annos non fuit celebratum vniuersale Concilium. Ergo nullo modo credendum est, quòd ad talem Iudicem sapientissimus Christus Fideles suos remitti voluit, siue ordinauerit.

Secundò idem ostenditur: dato etiam, quòd semper celebraretur Synodus aliqua vniuersalis, ex eo, quòd insopportabili onere grauaretur populus Christianus, si pro adimplendo præcepto de correctione fraterna tenerentur Fideles venire ad Ecclesiam vniuersalem actu congregatam.

Planè huius insopportabilis grauitas repugnat suauitati legis Christi, iuxta illud Deuteronom. 30. [Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra, nec procul positum in Cælo situm, vt possis dicere, quis nostrum ad Cælum valet conscendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, & opere compleamus? nec trans Mare positum, vt causeris, & dicas: quis ex nobis transmeare poterit, & illud ad nos deferre, vt possimus audire, & facere, quod præceptum est? sed iuxta est valdè: glossa interlin. Mandata Dei temperata, & moderata sunt humanis viribus.]

Et Matt. 11. dicit ipse Legislator: [Iugum enim meum suaue est, & onus meum lęue,] planè non lęue esset præceptum Diuinæ legis de correctione fraterna, si fidelis quilibet illud adimpleturus ad vniuersale Concilium actu existens venire teneretur. Ad quod proculdubio obnoxius esset venire, si per Ecclesiam, cui denunciandum est peccatum fratris delinquentis, vniuersalis Ecclesia Synodaliter congregata ex Christi intentione veniret intelligenda. Quocirca manifestum videtur non esse de intentione Legislatoris Christi per Ecclesiam in prædicta auctoritate designare vniuersalem Ecclesiam, siue dispersam, siue congregatam. Quæ ratio maximè ex eo loco Diuinæ legis confirmatur vbi Deuter. 17. iudices in portis esse. Et primò Machab. 14. in plateis sedere leguntur, quod ideò à Deo stabilitum esse creditur, vt administratores iustitiæ in promptu, & sine difficultate haberi possent, quod de Concilijs vniuersalibus contingere non potest.

Tertiò sic, ita fœminæ tenentur ad correctionem fraternam, quemadmodùm viri, & pauperes sicut, & diuites, hoc est manifestum, sed fœminæ non remittuntur ad Ecclesiam, nec dispersam, nec Synodaliter congregatam, tamquam ad iudicem, cui proximi denuncianda est culpa commissa, vt patet, ergo sequitur, quòd per illud: [Dic Ecclesiæ:] non potest rectè accepi vniuersalis Ecclesia, etiam actu Synodaliter congregata, consequentia est bona, quia aliàs fœminæ tenerentur ire ad vniuersalia Concilia ad denunciandum delinquentium virorum, aut mulierum culpas, & maleficia, & ità omnes fideles, siue pauperes, siue diuites, quòd est absurdum.

Quartò nihil, quod est impeditiuum iustitiæ, perturbatiuum pacis Ecclesiæ, occasio multorum schismatum, & per quod ratione appellationum, quæ interuenirent in omni causa ad illum supremum iudicem, vacarent omnia tribunalia Prælatorum, & Iudicum: creditur institutum à Christo, qui est Rex iustitiæ, & pacis amator, sed omnia ista mala sequerentur, si Ecclesia vniuersalis cõgregata, esset instituta iudex, ad quem cum frater delin-

linquens non audiret fratrem corripientem esset recurrendum, patet, quia Ecclesia rarò congregatur, & congregata, nec ad eam possent omnes fideles Orbis concurrere, nec etiam mittere denunciationes omnium similium fratrum delinquentium, vt patet, ergo nullo modo est dicendum, quòd per Ecclesiam intelligatur vniuersalis Ecclesia congregata, etiam cum dicitur: [Dic Ecclesiæ.]

Quintò sic, Concilium vniuersale institutionem, & robur auctoritatis accipit à Papa, vt distinct. 17. per totum, & extrà de elect. cap. significasti, ergo sequitur, quòd Papa non remittatur ad Concilium vniuersale, sicut ad iudicem suum superiorem consequentia est manifesta.

Sextò arguitur sic, Concilia vniuersalia sunt humana institutione introducta, vt patet in cap. Canones distinct. 16. & 17. ergo non potest rectè intelligi secundùm sensum literalem per Ecclesiam, cum dicitur: [Dic Ecclesiæ:] Concilium vniuersale, patet consequentia, quia aliàs institutio, & celebratio Concilij vniuersalis esset diuina lege, & non tantum humana institutione, quod non videtur, ergo manifestum est, quòd per Ecclesiam, cui tamquam iudici peccatum delinquentis fratris incorrigibilis denunciandum est, ex sensu literali, & intentione Legislatoris Christi non posset intelligi Ecclesia vniuersalis, nec dispersa per Orbem, nec Synodaliter congregata. Et hæc de secundò.

Tertiò verò, quòd scilicèt per Ecclesiam, cui tamquam iudici denunciandum est peccatum fratris delinquentis, & incorrigibilis, ex intentione Christi sit intelligendus Prælatus, multiplici Sanctorum, & clarissimorum Doctorum testimonio probatur.

Primò ex eo arguitur manifestè, quòd Christus non vniuersali Ecclesiæ dispersæ, aut congregatæ, sed Apostolis, & eorum successoribus Ecclesiæ Prælatis, ait. [Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo.] Vbi gloss. Hieronym. dicit sic: [hic potestatem tribuit Apostolis, Prælati ergo vniuersitatum sunt, ad quos tamquam ad iudices fideles remittuntur, & non ipsæ vniuersitates.

Secundò hoc idem ostenditur auctoritate beati Chrysostomi, qui super Matthęum, vt habetur in glossa continua, exponit sic: [Dic Ecclesiæ:] idest his, qui Ecclesiæ præsunt.

Tertiò idem arguitur ex glossa decreti in capitulo si peccauit 2. quæst. 1. quæ ità habet: [Dic Ecclesiæ:] id est Sacerdoti.

Quartò idem ostenditur ex interpretatione Apostolicæ Sedis in cap. nouit. extra de iudic. vbi ly [Dic Ecclesiæ,] de Pastore, & Rectore vniuersalis Ecclesiæ interpretatur, & exponit.

Quintò ostenditur auctoritate B. Thom. qui tam in 4. distinct. 19. quàm in 2. 2. qu. 34. in materia de correctione fraterna exponit: [Dic Ecclesiæ,] id est Prælato in iudicio præsidenti.

Sextò auctoritate eiusdem sancti Thomę in tractatu de correctione fraterna, vbi exponens prędictam auctoritatem dicit, prędceptum de correctione potest pertinere ad omnes, vel ad Prælatos, si ad omnes communiter, tunc Ecclesia non vocatur hìc congregatio, sed Prælatus, si istud pertineat ad Prælatos, tunc sensus est: [Dic Ecclesiæ,] id est congregationi fidelium, & debet coram ea excommunicari, vt sit diuisus ab Ecclesia per sententiam excommunicationis, & donec redeat, ab Ecclesia debeat vitari, & haberi sicut Ethnicus, & Publicanus. Ad idem est sanctus Thomas super Matthęum, sic dicens, [Dic Ecclesiæ:] id est toti multitudini, vt confundatur, & qui noluit sine confusione corripi, cum confusione corripiatur, est enim confusio adducens gratiam. Vel [dic Ecclesiæ,] id est iudicibus, vt corrigatur, secundùm illud Deuteron. 22. Si genuerit homo, filium contumacem, & proternum, apprehendet eum, & adducet ad seniores Ciuitatis. Hęc sanctus Thomas.

Septimò patet ex sententia Domini Altisiodoren. in summa sua 3. lib. cap. 31. rubrica, quomodo sit intelligendum hoc præceptum, si peccauerit in frater, &c cuius sententia est, eadem quasi in forma cum illa, quę posita est sancti Thomæ in tractatu de correctione fraterna.

Octauò, ad idem est Dominus Hugo Cardinalis primus postillator Bibliæ, qui iuxta duas gloss. quæ ponuntur in gloss. continua. quarum vna dicit: [Dic Ecclesiæ,] id est his, qui Ecclesiæ præsident, & alia dicit: [Dic Ecclesiæ,] id est toti Ecclesiæ, vt maiorem erubescentiam habeat, dicit super Matth. sic. Si priuata persona corripit, sic exponendum est: [Dic Ecclesiæ,] id est coram Pręlato Ecclesiæ eum conuince per testes, quos noluit audire corripientes, & hoc iuxta primam gloss. Si verò Pręlatus corripit, sensus est: [Dic Ecclesiæ, coram Ecclesia, scilicèt congregatione fidelium excommunica.

Nonò, eadem sententia quasi formaliter venerabilis Magister Nicolaus Goram super Matth.

Decimò, ad idem est Dominus Albertus Magnus, qui super Matth. ita exponit: [Dic Ecclesiæ,] id est Prælato in conuentu, siue in Synodo, etsi Ecclesiam non audierit, vt secundùm arbitrium Prælati corrigatur, sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus. Hæc Albertus.

Vndecimò, ad idem est communis postillator Magister Nicolaus de Lyra, qui super Matth. ità exponit: [Dic Ecclesiæ,] id est Prælato.

Duodecimò confirmatur ex practica, & consuetudine obseruata à sanctis Patribus, & ab vniuersitate fidelium ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio. Manifestum est autem, quòd pratica obseruata in Ecclesia Dei circa obseruantiam pręcepti, siue ordinis de correctione fraterna, semper fuit, & est denuciare Pręlato, & non vniuersali Ecclesiæ, siue dispersæ, siue congregatæ fratris delinquentis peccatum. Cùm ergo consuetudo obseruantiæ sit interpres legis, vt dicit Augustinus in libro de mendacio, ex factis Sanctorum colligemus, quid in scripturis sentire debeamus. Manifestum est, quòd verus, & proprius, ac principalis intellectus pręfatæ auctoritatis sit, vt per ly Ecclesiam, cui tamquam iudici denunciatio fienda est, siue ad quem fidelis remittitur,

tur, Prælatus Ecclesiæ intelligi debeat, siue accipiendus veniat, & non vniuersalis Ecclesia, aut per Orbem dispersa, aut Synodaliter congregata. Quibus testimonijs consideratis, valdè ridiculum est, & satis abominabile, quòd aduersarij contemptis tantorum sanctorum, ac Patrum, & Doctorum testimonijs, & assertionibus, præsumant sacram Scripturam ad propriam voluntatem exponere, similes illis de quibus Clemens Papa in cap. perlatum distinct. 37. loquitur dicens. Perlatum nobis est, quòd quidam in partibus vestris commorantes sanis doctrinis aduersantur, & prout videtur non secundùm traditionem Patrum, sed iuxtà suum sensum docere videntur. Et hoc tantum dictum sit de tertio articulo.

Quartò restat respondere, ad rationes aduersariorum.

Ad primam cùm dicitur, quòd non possit per Ecclesiam intelligi Prælatus, quia Christus loquebatur Petro, qui futurus erat Prælatus Ecclesiæ, & nullus ad se remittatur, per consequens non Prælatus, sed vniuersalis Ecclesia sit intelligenda, eo modo, quo haberi potest, scilicèt Synodaliter. Ad hoc respondetur, quòd ratio non militat. Pro quo primò notandum, quòd hæc doctrina de correctione fraterna data à Christo, generalis est omnes fideles respiciens, & non solùm Petrum, licèt ad ipsum specialiter in figura totius Ecclesiæ directus sit sermo in signum Principatus sui, ad quem à Domino erat electus, & ità Legislator Christus tàm subditos, quàm Prælatos ad obseruantiam huius præcepti astringere voluit. Verùm, vt superiùs commemorauimus ex sententia beati Thomæ in tractatu de correctione fraterna, & Hugonis Cardinalis, & Magistri Nicolai Gorram super Matth. exponentes iuxtà duas gloss. ordin. dupliciter hunc text. Alia est intelligẽtia huius nominis Ecclesia, quando priuata persona corrigit, & alia quando publica persona. Nam si priuata persona corrigit, tunc est sensus: [Dic Ecclesiæ,] id est Prælato. Si verò publica persona corrigit, tunc est sensus: [Dic Ecclesiæ,] idest coram congregatione cum excommunica, vt sic, quemadmodum ait Hieronym. in gloss. multorum detestationi habitus, opprobrijs saluetur, qui pudore saluari non potuit. Sed cùm hoc modo Prælatum remitti ad Ecclesiam, non sit remitti ad superiorem, siue ad Iudicem, vt de se patet, manifestum est, quòd ratio aduersariorum, non probat intentum.

Prætereà secundò, ratio præfata non procedit, quoniam non videtur inconueniens, quòd quis remittatur ad seipsum secundùm aliam, & aliam habitudinem consideratum. Prælatus enim, vt ait S. Thom. in 4. dist. 19. q. 2. dupliciter potest considerari, aut secundùm quod in iudicio præsidet, & sic dicere Prælato, inquit, est dicere Ecclesiæ, per quem modum persona in prælatione constituta potest à se, vt est priuata persona remitti ad se, vt est persona publica, & tunc dicere Ecclesiæ, nihil aliud est, quàm exire in actum iudicij puniẽdo, & corrigendo fratrem delinquentem, qui denunciatus est. Quod beatus Gregorius scribens Ioanni Patriarchæ Constantinopolitano super vsurpatione vocabuli vniuersalis epistola 266. ostendit sic dicens. [Nos quidem, in quibus talis, tantaque per ausum nepharium culpa committitur, seruamus, quod præcipit veritas dicens. [Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum, si autem te non audierit, dic Ecclesiæ:] Si verò Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Ego itaque per responsales meos semel, & bis verbis humilibus hoc, quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui, per me scribo quicquid humiliter facere debui, non omisi, si in mea correctione despiciar, restat, vt Ecclesiam debeam adhibere. Hæc B. Gregorius. Vbi Ecclesiam adire, vel adhibere, est censuram Ecclesiasticam apponere, sicut fecit, non conuocando super hoc aliquod Concilium vniuersale. Prætereà, hoc modo ait Nicolaus Papa in cap. præcipuè, vbi ità dicit Regi Lothario. Cæterum caue, ne quando nos secundùm præceptum Domini duos, vel tres testes adhibeamus, immò verò hoc sanctæ Ecclesiæ dicamus, & quod non optamus, decreto cunctis fias Ethnicus, & Publicanus. Quòd verò ibi per Ecclesiam, non aliud Iudicem, quàm seipsum intelligat, patet ex gloss. quæ in eo loco dicit. Sic ergo in causa denunciationis idem potest esse iudex, & accusator, & testis, vt extra de symon. cap. licèt. Cæterum ipse beatus Petrus, in cuius persona, hæc constitutio diuina primò emanauit, absque hoc, quòd vniuersali Ecclesiæ diceret, aut vniuersale concilium conuocaret, Ananiam, & Saphiram eius coniugem sua auctoritate damnauit. Nimium planè foret periculosum asserere beatum Petrum, aliosque sanctos Patres transgressores esse diuini præcepti, qui ad correctionem peccatorum absque denunciando vniuersali Ecclesiæ, sua auctoritate processerunt. Et hæc ad primam rationem dixisse sufficiat.

Ad secundam rationem cùm dicit, quòd nomen Ecclesiæ sit collectiuum, & per consequens non possit per Ecclesiam intelligi Prælatus, sed vniuersitas. Respondetur, quòd ratio nulla est, quoniam sæpè nomine communitatis exprimitur, & intelligitur Prælatus, aut Princeps eius.

Et ratio est: quoniam vt inquit Aristotel. 9. ethyc. [Ciuitas est id, quod principalissimum est in ea; vnde quod facit Prælatus, dicitur facere Ecclesia.] Adde quòd intelligitur de ea parte vniuersitatis, quæ iurisdictionis est capax, non de tota, quæ non est capax. Vel de tota Ecclesia intelligi potest, prout Ecclesiæ sententia iudicis denunciatur.

Ad tertiam rationem cùm dicit, quòd gloss. ordin. dicit, dic Ecclesiæ, idest toti Ecclesiæ, & ità per consequens non est exponenda illa litera de prælato, respondetur, quod ratio illa non militat, quoniam gloss. illa non fauet proposito aduersariorum, sed magis eorum intentionem infirmat, si gloss. illa more eorum, qui non contentionibus, sed inquisitioni veritatis student, integrè legatur, gloss. autem illa ità habet, vt dic toti Ecclesiæ, vt maiorem erubescentiam patiatur, in quo verbo nihil auctoritatis attribuitur communitati, vnde sequitur in glossa: hæc omnia sequatur excommunicatio, quæ fieri debet per os Ecclesiæ, idest per Sacerdotem, vbi mani-

manifestè innuit, quòd non per communitatem illam Ecclesiæ, sed apud Prælatum, qui os, & vertex est Ecclesiæ, sit auctoritas iudicij, quo excommunicante, siue puniente, tota illa Ecclesia, quæ est corpus eius, cuius assensu, & approbatione in contumacem fratrem condemnationis sententiam profert, dicitur cum eo operari. Et ita patet, quòd illa glos. non intendit dicere, quòd quando communitati Ecclesiæ præcipitur denunciari fratris delinquentis peccatum, quòd denuncietur ei sicut iudici, sed sicut coram quo frater ipse contumax obiurgandus, aut excommunicandus veniret. Qualitèr autem etiam intelligenda veniat illa totalitas Ecclesiæ, de qua gloss. loquitur, cùm ait, dic Ecclesiæ, idest toti Ecclesiæ, infra in sequenti articulo explicabimus. Et hæc de quarto.

Restat iam declarare, quod quinto loco polliciti sumus, videlicèt probare, quòd ex sensu literali, illud, dic Ecclesiæ, idest coram Ecclesia obiurga, siue excommunica, non possit rectè intelligi de vniuersali Ecclesia dispersa, siue synodaliter collecta. Quod faciliter ostendimus ex rationibus, quibus probauimus, quòd etiam iuxtà expositionem primam non poterat vniuersalis Ecclesia accipi nomine Ecclesiæ, cùm dicitur, dic Ecclesiæ, scilicèt tamquam iudici.

Primò, ex impossibilitate denunciandi, aut obiurgandi aliquem coram tota vniuersali Ecclesia per Orbem dispersa; fidelibus enim in diuersis regionibus Orbis constitutis, hæc adimplere non esset possibile.

Secundò, ex insopportabili onere, quo grauaretur populus Christianus,& etiam Prælatorum, si fideles tenerentur venire ad vniuersalem Ecclesiam congregatam ad obiurgandum quemlibet fratrem contumacem, aut singuli Prælati ad excommunicandum illum, planè hoc esset insopportabile onus, quod non patitur suauitas diuinæ legis, sicut superiùs ostendimus.

Tertiò, quia ex huiusmodi difficultatibus periret iustitia, & omnis disciplina à republica Christiana, cùm raro posset fieri iustitiæ executio, non est ergo illa totalitas Ecclesiæ, de qua dicitur in glossa præfata, dic Ecclesiæ, accipiendum ità vniuersaliter, vt per totam Ecclesiam intelligatur vniuersalis Ecclesia, sed est accipienda strictè; videlicet, quandoque pro Collegio Dominorum Cardinalum, quandoque pro congregatione vna conuentuali, quandoque pro congregatione vnius communitatis vnius populi, quandoque pro congregatione vnius familiæ. Hoc enim modo accommodata locutione, sæpè numero sacra Scriptura vtitur nomine vniuersalis Ecclesiæ, sicut Apostolus ad Rom. vlt. ait: [Salutat vos Gaius hospes meus, & vniuersa Ecclesia;] vbi per vniuersam Ecclesiam solam prouinciam Gai intelligit, vt ait gloss. Et hoc de quinto articulo. Et per consequens de responsione ad auctoritatem illam Matth.18. Dic Ecclesiæ.

CAP. XCIII.

Quòd Romanus Pontifex extrà casum hæresis, non habeat Iudicem superiorem in terris.

DIlucidata in superioribus amplitudine, & superioritate primatus Romani Pontificis, luce clarissima patet, quòd Romanus Pontifex verus, & indubitatus, extrà casum hæresis, pro sublimitate principatus sui iudicem non habeat superiorem in terris. Quæ conclusio licèt in superioribus apertissima sequela habeatur, nihilominùs pro ampliori illustratione veritatis, multiplici via demonstratur, Primò, rationibus. Secundò, sacræ Scripturæ exemplis. Tertiò, sanctorum Patrum auctoritatibus. Quartò, sacrorum Conciliorum definitionibus. Quintò, Apostolicæ Sedis determinatione. Sextò, clarissimorum Doctorum sententia, & doctrina.

Circa primam viam, scilicèt per rationes arguitur.

Primò sic: ille qui est omnibus superior in terris, non habet iudicem superiorem in terris; ista patet, quoniam idem non potest esse respectu eiusdem, vel eorumdem esse superior, & inferior, sed Papa est omnibus Catholicis superior, cum sit Princeps, & Caput eorum, vt superiùs tàm ex sacræ Scripturæ, quàm sanctorum Patrum testimonijs ostendimus; ergo Romanus Pontifex non habet iudicem superiorem in terris; vnde gloss. super illud Psalm. [Tibi soli peccaui,] inquit, quia Rex est omnibus superior, ideò à Deo tantùm, qui est maior eo puniendus est, si quis de populo errauerit, & Deo peccat, & Regi: Rex verò non habet hominem, qui sua facta dijudicet, & ideò ait: [Tibi soli peccaui.] Confirmatur ista ratio: Si Papa haberet iudicem aliquem in terris extrà casum hæresis superiorem, iste iudex, aut esset potestas alicuius secularis Principis, aut potestas Concilij vniuersalis: hoc videtur manifestum à sufficienti diuisione. Non potestas secularis, vt patet, & aperta luce colligitur ex multis, vt ex cap. suscipitis dist. 10. quod est Gregorij Nazianzeni, & ex cap. definimus, quod est octauæ Synodi vniuersalis. Non potest etiam dici, quod sit Concilium vniuersale, patet, quia Concilium non habet potestatem superiorem potestate Papæ; immò potestas ipsa Concilij, cum sit à potestate Papæ, vt in cap. significasti de elect. & dist. 17. per totum, vna & eadem est cum illa, vnitate ordinis, & dependentiæ, sicut de lumine Stellarum, & Solis dicimus, & per consequens Concilium vniuersale non potest esse iudex Papæ veri, & indubitati, cum ordinarium iudicium non habeat fieri, nisi per potestatem superiorem, vt in cap. inferior dist. 21.

Secundò sic: in omnibus ordinatis ad inuicem, prima agunt in posteriora, & non è conuerso, sed Romanus Pontifex est primus, & supremus in toto ordine Ecclesiæ; ergo ipsius est corrigere, & iudicare alios, & non è conuerso, consequentia est manifesta, & antecedens patet.

Ter-

Tertiò sic: confirmando eamdem rationem, sicut in ordine totius vniuersitatis quo ad esse naturæ in genere mobilium, & mouentium non est processus in infinitum, nec ordinis retrogradatio, vt Aristotelis demonstrat, sed deuenitur ad vnum, quod sic omnia mouet, quod à nullo alio mouetur in genere illo, ità videtur dicendum in ordine vniuersitatis Ecclesiasticæ, quo ad esse disciplinæ, quod sit deueniendum ad vnum, qui omnes habet corrigere, & iudicare, & à nemine in ordine isto iudicari possit; consequentia videtur nota, quoniam non minùs resplendet pulchritudo Diuinæ sapientiæ in genere gratiæ, quàm in genere naturæ, hic autem est Romanus Pontifex, qui in genere rectorum, & iudicum habet supremum locum, vtpotè totius Ecclesiæ Princeps, & Rector; ergo in terris non habet iudicem superiorem.

Quartò sic: ille cuius auctoritate maius non est iudicium in terris, non habet iudicem superiorem in terris, ista est manifesta de se, & colligitur apertè ex cap. cùm inferior, dist.19. sed Romanus Pontifex est hic: dicit enim Nicolaus Papa in cap. patet 19. quæst.3. Patet profectò Sedis Apostolicæ, cuius auctoritate maius non est iudicium, à nemine fore retractandum, nec cuiquam de eius iudicio iudicare; ergo sequitur, quod Romanus Pontifex non habet iudicem superiorem in terris.

Quintò sic: ille qui solius Dei reseruatus est iudicio, non habet iudicem in terris, cuius iudicio sit subiectus, sed causæ Papæ sunt singulariter reseruatæ diuino iudicio; ergo quamdiù manet Papa, solùm Deum habet iudicem, consequentia est nota maior patet; minor habetur in cap. aliorum 9. quæst.3. vbi sic ait Symmachus Papa. Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, sed Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio, voluit beati Petri Apostoli successores cœlo tantū debere innocentiam, idest rationem de sua innocentia, vt exponit Archid.

Sextò sic: Romanus Pontifex est primus. & supremus Vicarius Christi, vices eius gerens in Ecclesia, vt superiùs ostensum est, & ità potestas sua non est primaria, sed delegata, seu vicaria, sed talis potestas non habet supra se, nisi potestatem principalem eius, à quo instituta est, nisi principalis illam alteri submiserit, sed non reperitur, quòd Christus, qui principalis est Ecclesiæ Rector, & Pastor, Romanum Pontificem Vicarium suum alicui personæ, aut communitati submiserit, sed vt sancti Patres dicunt, vt in cap. aliorum iam inducto, & in cap. facta subditorum: Deus reseruauit sibi iudicium illius; ergo sequitur idem, quod prius.

Septimò sic: ille, à quo non licet appellare, non habet superiorem in terris, patet, quia ab inferiori ad superiorem est licitum appellare. 2. qu.7. placuit, sed à Papa appellare non licet, 9. qu. 3. cap. ipsi sunt, & cap. cuncta; ergo Papa non habet iudicem superiorem in terris.

Secunda via, videlicet sacræ Scripturæ auctoritate, siue exemplis, patet eadem conclusio: dicitur enim Exodi 19. [Bestia, quæ tetigerit montem, lapidabitur.] Et 2. Reg.6. habetur, quòd Oza percussus est à Domino, quia arcam tetigit. Per arcam, & montem intelligitur Prælatus, per bestiam autem, & Ozam designantur subditi, vt notatur 2. qu. 7. §. Ex his, vbi manifestè ex ipsa animaduersione instruimur grauiter eos Diuinam Maiestatem offendere, siue dispersos, siue congregatos, qui Prælatum suum tactu correptionis tangere præsumunt. Prætereà hoc ipsum nos docet Regum historia, 1. Reg. 24. vbi habetur, quòd licet Saul iam à Domino reprobatus esset, & ex inuidia Dauid electum quæreret ad perdendum: nihilominùs Dauid grauiter dolens, percussit cor suum, quòd oram chlamydis præscidisset illius: dixitque ad viros, qui Saul extinguere moliebantur: Propitius sit mihi Dominus ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est; viuit Deus, quia nisi Christus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut descendens in prælio perierit, non mittam manum meam in Christum Domini. Per Saul, vt dicit Gratianus in loco prænominato, Prælati intelliguntur, per Dauid subditi. Chlamydem verò Regis præscidit, qui Prælatum suum sententia damnationis ferit, quod minimè subditis licet, quia facta pastoris oris gladio ferienda non sunt, quamquam reprehendenda rectè videantur, vt in cap. oues 2. quæst.7. quod inferiùs inducitur. Quæ historia maximè proposito nostro seruire censebitur, si Augustinum audiamus lib.1. quæstionum Noui, & Veteris Testamenti, ità quærentem, & respondentem, qua ratione Dauid Saul, postquam Deus ab eo recessit, Christum Domini vocat, & defert ei, non nescius Dauid, Diuinam esse traditionem in officio ordinis regalis, idcircò Saul in eadem adhuc traditione positum honorificat, ne Deo iniuriam facere videretur, qui his ordinibus honorem decreuit. Dei enim imaginem habet Rex, sicut & Episcopus Christi, quamdiù ergo in ea traditione est, honorandus est, si non propter se, vel propter ordinem. Vnde Apostolus omnibus, inquit, potestatibus sublimioribus subditi estote, non est enim potestas, nisi à Deo. Quæcumque sunt, à Deo ordinata sunt. Cæterum hoc confirmatur ex illo Luc.12. vbi ait Saluator: Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam; Gloss. interlin. idest Ecclesiam: Vt det illis in tempore tritici mensuram: Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, &c. Et sequitur: Si dixerit seruus ille in corde suo: moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere pueros, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari. Et sequitur: Veniet Dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, quam nescit; gloss. iudicij, vel mortis, & diuidet eum: gloss. à consortio fidelium, partemque eis cum infidelibus ponat; hæc ibi: Ecce, quòd Saluator iudicium sibi reseruat serui delinquentis, scilicet Summi Pontificis, quem super familiam suam, idest Ecclesiam, Pastorem constituit, atque Rectorem.

Tertia via, videlicet sanctorum Patrum, & Romanorum Pontificum auctoritatibus sic præfata conclusio demonstratur.

Est in primis ad hoc beatus Anacletus Papa,

Papa, & Christi martyr, qui vt habetur in Canone electionem, distin.79. ità dicit: Electionem Summorum Pontificum sibi Dominus reseruauit, licèt electionem eorum bonis Sacerdotibus, & spiritualibus populis concessisset, vbi inquit gloss. & ità fallit regula, ad quam spectat institutio, & destitutio, 16. qu.2. visis.

Secundò, ad hoc expressè est auctoritas B.Bonifacij Papæ,& mart. qui vt in c.si Papa, habetur dicit: Huius, scilicèt Rom. Pontif. culpas redarguere præsumit nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus,nisi depræhendatur à fide deuius. Ad id verò, quod dicit hìc gloss. respondebitur infrà.

Tertiò, ad idem est auctoritas Innoc. qui in cap. nemo 9. quæst. 3. sic dicit: Nemo iudicabit primam sedem iustitiam temperare desiderantem, neque enim ab Augusto: nec ab omni Clero; nec à Regibus; nec à populo Iudex iudicabitur. Quæ verba veniunt intelligenda diuisim, & coniunctim. Vnde gloss. hìc ait: Argumentum, quòd Concilium non potest Papam iudicare, vt extrà de elect. significasti.

Quartò, ad idem est Gelasius Papa ea cau. & quæst. in cap. ipsi sunt, vbi ità inquit: Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examem voluerunt deferre, ab ipsa verò nusquam prorsus appellare debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsamque ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam perceperunt iudicio iudicari, sententiamque eius constituerunt, nec oportet dissolui, cuius potiùs sequenda decreta mandarunt. Ex quibus manifestè datur intelligi, quòd Romanus Pontifex superior sit omnibus, & iudex totius Ecclesiæ, & non è conuerso.

Quintò, ad idem est Papa Gelasius, ea cau. & quæst. in cap. cuncta, vbi sic ait omnibus Episcopis scribens: Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quòd sacrosancta Romana Ecclesia de omnibus fas habet iudicandi, nec cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Ex quibus verbis habetur idem quod priùs, vbi tamen singulariter ponderandum est illud quod ait; cuncta per mundum nouit Ecclesia. Ex quo manifestè colligitur, quòd aduersariorum doctrina, sit contra antiquam vniuersalis Ecclesiæ fidem, & doctrinam.

Sextò, hoc colligitur ex allocutione tertia PP.Hadriani in Conc.Rom.quæ lecta fuit etiam in 8.Synodo, vbi ità inquit: Siquidem Romanum Pontif. de omnium Ecclesiarum præsulibus iudicasse legimus, de eo verò quēquam iudicasse non legimus, licèt enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema dictum sit: sciendum tamen est, quia super hæresi fuerat accusatus, propter quam solam licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistendi, vel prauos sensus eorum liberè respuendi; hæc ille. Nota tamen, quod dicit, quòd ab Orientalibus, & post mortem; quoniam Honorius ille numquam; nec dum viueret; nec post mortem repertus fuit, posuisse in Christo vnam tantùm voluntatem, & vnam operationem; vnde nec ab Apostolica Sede, nec à patribus occidentalibus talis iudicatus est. Immò Agatho Papa, sub quo sexta Synodus illa celebrata est, cùm condemnauit ponentes vnam voluntatem tantùm in Christo, & vnam operationem, videlicet Sergium,Pyrrum,Paulum, & Tytum nullam mentionem fecit de illo Honorio, quem Orientales dicunt, fauisse erroribus Sergij,vnde creditur hoc,quòd fecerāt Orientales ex mala, & falsa, ac sinistra informatione præfato Honorio decepti. Vnde Emanuel Caletus, & gręcus vir magnæ sapientiæ, frater Ordinis Prædicatorum in tractatu suo contra Græcos dicit, quòd beatus Maximus, qui fuit eo tempore, quo sexta Synodus conflata est, in disputationibus aduersùs Pyrum Constantinopolitanum Patriarcham,qui in eadem Synodo damnatus fuerat, Honorium præfatum, quem aliqui, vt Hæreticum causabantur, purgat, cùm hæreticus Pyrrus Constantinopolitanam tunc Ecclesiam regeret, & munimen erroris sui Honorium proferret; ei verò iste respondit: Honorium pietatem tollere, sibique ipsi in his, quæ dixit, illius sensum congruere, simulque, & illius Pyrro verba proposuit, quosdam, asserens, illius sensum ignorantes,siue etiam calumniantes,falsam de illo seminasse famam; hæc ille.

Septimò, idem testatur Innocentius III. qui in sermone consecrationis Romani Pontif. qui incipit: Quis putas fidelis est seruus: ità inquit:In tantum mihi fides est necessaria, vt cùm de cæteris peccatis Deum iudicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia iudicari, nam qui non credit, iam iudicatus est; hæc ille.

Octauò, testatur idem dominus Innoc. in sermone alio eiusdem solemnitatis, cuius principium est: Qui habet sponsam sponsus est; vbi ità inquit: Propter solam fornicationem non dico carnalem, sed spiritualem, quia non est carnale, sed spirituale coniugium, idest propter infidelitatis errorem, quoniam qui non credit, iam iudicatus est, & hoc intelligitur in Euangelio, quod audistis, vos estis sal terre, quòd si, &c. Hæc ille.

Nonò, testatur hoc idem sanctus Eusebius Papa, qui in cap. oues 2. quæst. 7. ità inquit: Oues, quæ suo pastori commisse sunt, eum, nec repræhendere, nisi à fide exorbitauerit, nullatenùs accusare possunt, quia facta pastoris,gladio ferienda,non sunt,quamquam repræhendenda rectè videatur. Ex quibus manifestè patet, quòd quamdiù Romanus Pontif.à fide non exorbitauerit, à nullis fidelibus, quantumcumque simul congregatis, cum omnes sint oues curæ suæ commissæ, potest iudicari.

Consequenter præfata conclusio ostenditur quarta via, scilicet Sacrorum Conciliorum diffinitionibus.

Primò quidem patet hoc ex diffinitione Concilij vniuersalis Romani, in quo beato Siluestro præsidente, ità legitur definitum, & est canon vltimus eiusdem Concilij. Nemo iudicabit primam Sedem, quoniam omnes à prima Sede iustitiam desiderant temperari, quoniam; nec ab omni Clero; nec ab omni populo Iudex iudicabitur, & subscripserunt 284.Episcopi, & 42.Presbiteri,& 5. Diaconi, & Augustus Constantinus, & Mater eius Helena.

Secundò, hæc eadem sententia colligitur ex professione Synodi, quæ occasione beati Marcellini Papæ, qui mortis timore idolis thurificasset, Romæ copiosa conuenerat. De qua in cap. nunc autem, dist. 21. vbi Papa reatum suum confitente, & se offerentem paratum suscipere, quicquid Patres Concilij sibi voluissent imponere: Synodus non est in eum ausa poferre sententiam. Et rationem assignans ait, quoniam prima Sedes non iudicatur à quoquam, vbi Archid. ait: nisi de hæresi dist. 40. cap. si Papa.

Tertiò, eadem confirmatur ex Calcedonensi Concilio in sententia contra Dioscorum, in qua sancti Patres grauissimè notarunt Dioscori præsumptionem, qua ausus fuit in secunda Synodo dare excommunicationem in Leonem Papam, de qua in cap. tantum, dist. 21.

Quartò, hæc eadem sententia roboratur profesione Synodi illius, quæ super obiectis contra Symmachū Papam mandato Regis Theodorici stetit Romæ congregata, in qua cum præfatus Rex iuberet, vt sancta Synodus iudicaret de his, quæ venerabili Symacho ab aduersarijs impingebantur, concorditer Synodus ipsa respondit, Apostolicæ Sedis antistem minorum non subiacere iudicio. De quo in §. hinc etiam, dist. 17. vbi dicit Hug. super verbo subiacere, nisi in crimine hæreseos, vt dist. 40. si Papa.

Quintò, hæc eadem sententia confirmatur diffinitione Synodi illius, quæ super criminibus, quæ quidam mali homines obijcere contra Sixtum Papam temptarunt Romę legitur conuenisse, vbi cum præsens Imperator Valentinianus audisset Synodum dicentem, non licere aduersus Romanum Pontif. sententiam, dare surrexit, & in arbitrio præfati antistitis tribuit iudicarcare iudicium suum, de quo in §. prædicto nunc autem, dist. 21.

Sextò, hæc eadem sententia Synodaliter definita, habetur ex Synodo Romana 219. Episcoporum Præsidente sanctissimo Papa Symmacho temporibus Theodorici Regis; vbi ità habetur: Non est necesse super his noua condere, sed vetera recitare, atque firmare. Et enim à multis ex nostris antecessoribus Synodaliter decretum, atque firmatum, vt oues, quæ pastori suo commissæ fuerunt, eum, nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitauerit, præsumant.

Septimò, hæc eadem sententia roboratur definitione octauæ Synodi vniuersalis Constantinopolitanæ, in qua inter alia, ità legitur difinitum: Porrò si Synodus vniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit de sancta Romanorū Ecclesia quęuis ambiguitas, oportet venerabiliter, & cùm conuenienti reuerentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, & proficere, vel profectum facere, non tamen audaciter sententiam dare contra summos seniori Romæ Pontifices. Vbi notanda sunt verba huius sanctæ Synodi, dicit enim, quòd non sit audendum, siue pręsumendum dare sententiam contra Romanum Pontif. & hæc rationabiliter valdè dicit, quoniam si Romanus Pontif. ab alio, quàm à Christo extrà casum hæresis iudicandus veniret, iam non Summus Pontifex, nec summus, & Generalis Christi Vicarius esset cùm superiorem iudicem haberet in terris.

Octauò, eadem sententia colligitur ex Concilio illo vniuersali Lateranensi, in quo Alexander III. vt in cap. licèt extrà de elect. ità inquit: In Ecclesia Romana aliquid specialiter constituitur, quia non potest ad superiorem haberi recursus; vbi glos. Hosti. quia nulla superior est, sed ipsa super omnes est. Et idem Io. An. addens: Ideò iudicio Dei relinquitur 9. quæst. 3.

Nonò, hæc eadem sententia definitione habita in Concilio Constantiensi, per omnes Patres vtriusque obedientiæ, & confirmata per Papam Martinum, in qua vt habetur in epistola, quam præfatus Martinus edidit, habetur, tamquam pro articulo fidei habendo, quòd Papa Canonicæ electus habeat supræmam auctoritatem in Ecclesia Dei. Ex qua determinatione clarissimè habetur, quòd Romanus Pontif. extrà casum hæresis, in quo à Papatu decidit, nullius potestatis, quàm solius Dei subiaceret iudicio, aliàs non esset supræma potestas Ecclesiæ in eo, sed in alio, cuius iudicio subijceretur; quoniam, vt habetur in cap. inferior, dist. 21. Sola potior sedes inferiorem conuenienter absoluit; nec potest quisquam, qui minoris auctoritatis est, eum, qui maioris potestatis est, iudicijs suis adijcere, aut proprijs diffinitionibus subijcere. Hæc ibi.

Quinta via, videlicèt Apostolicæ Sedis determinatione probatur eadem veritas, Papa namque Bonifacius VIII. in epistola sua decretali extrauagante, quæ incipit: Vnam sanctam: inter alia definita, ità inquit: Si deuiat terrena potestas, iudicatur à spirituali, si deuiat spiritualis, iudicatur minor à superiori, si verò suprema, à solo Deo, & non ab homine potest iudicari. Hæc ibi. De sanctionibus autem Apostolicæ Sedis, dicit Agatho Papa in cap. sic, dist. 19. quòd sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendę sunt, tamquam ipsius dè diuina voce Petri firmitatæ.

Amplius via sexta, videlicet clarissimorum Doctorum doctrina, & apertissimis sententijs, & determinationibus. Ait enim in Psalm. venerabilis Hug. de sancto Victor. literis, & religione clarissimus, secunda parte de Sacramentis sic: Potestas Summi Pontificis à Deo primùm instituta est, vt cùm deuiat, à solo Deo iudicari potest. Eandem sententiam sequuntur alij clarissimi, & præcipuè in Theologica facultate Magistri, vt dominus Albertus, sanctus Thomas in 4. dist. 19. Alexander de Ales in 3. dominus Bonauentura Cardinalis in 4. Petrus de Tarantasia. Innocentius V. in 4. dominus Vlricus in sum. sua; dominus Ricardus de Alta Villa in 4. dominus Petrus de Palude Patriarcha Hierosolymitanus in tractatu suo de potestate Ecclesiastica. Magister Herueus in tractatu suo de Ecclesiastica potestate. Magister Augustinus de Anchona in summa sua de Ecclesiastica potestate. Frater Alexander de Alpidio in tractatu suo de Ecclesiastica potestate. Qui omnes aperissimè tradunt, & attestantur Romanum Pontif. verum, & indubitatum extrà casum hæresis strictæ sumptæ nullum in terris iudicem habere superiorem, sed tantùm Deum in Cœlis, cuius vices gerit

in

in terris. Sunt prætereà huius concluſionis omnes præcipui Doctores iuris Canonici, vt Hoſtienſi. Ioannes Andreas, Guido, Archidyaconus, Innocentius in diuerſis paſſibus, & etiam Dominus Aluarus in libro de ſtatu, & planctu Eccleſiæ: Qua ſententia tantis, & tam irrefragabilibus teſtimonijs firmata, manifeſtè conuincitur aduerſariorum præſumptuoſa aſſertio, qua contra rationes manifeſtas, contra ſanctorum Patrum traditioues, contra Sacrorum Conciliorum, & Apoſtolicæ Sedis diffinitiones, nec non contra clariſſimorum Doctorum, ac præcipuorum iu tota Dei Eccleſia ſententias dogmatizare, non ſunt veriti Romanum Pontif. verum, & indubitatum extrà caſum hæreſis, pro quocunque peccato martali, de quo incorrigibilis apparet, hominum ſubiacere iudicio.

CAP. XCIV.

In quo obijcitur contra prædicta, & primò, quòd Imperator ſit Iudex ordinarius Papæ.

VEritatis aduerſarij multiplici via nituntur infringere concluſionem prædictam, quorum quidam præ cæteris magis à fidei veritate exorbitantes aſſerunt, quòd Impeſator, vel Princeps ſecularis, aut populus ſit Iudex ordinarius Summi Pontificis: Quorum rationes ſunt, quæ ſequuntur.

Prima, Papa nõ eſt magis exemptus à iuriſdictione Imperatoris, quàm fuerit Chriſtus, in quantùm homo mortalis fuit, ſed Chriſtus in quantùm homo mortalis fuit ſubiectus iuriſdictioni Imperatoris, ergo & per conſequens Imperator eſt Iudex ordinarius Papæ, conſequentia videtur bona, maior etiam patet; quoniam Vicarius non eſt maior eo, cuius eſt Vicarius, minor verò probatur auctoritate Chriſti dicentis Pilato Ioan. 19. [Non haberes poteſtatem aduersùs me vllam, niſi eſſet tibi datum deſuper, &c.] Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, quòd Pilatus iuriſdictionem habuit coactiuam ſuper Chriſtum.

Secundò ſic: ille eſt Iudex ordinarius Papæ, à quo Papa habet ſuper alias Eccleſias principatum, ſed Papa ab Imperatore videtur habere huiuſmodi principatum: ſcilicet per priuilegium Conſtantini Imperatoris conceſſum Romano Pontifici, de quo habetur diſt. 96. cap. Conſtantinus, ergo &c.

Tertiò ſic: Imperator fuit ordinatius Iudex ſancti Petri, ergo Imperator eſt Iudex ordinarius Papæ; conſequentia videtur euidens: quia Papa non videtur magis exemprus, quàm fuit beatus Petrus, antecedens probatur, quia omnes Apoſtoli quantum ad hoc, quòd eſſent ſubiecti, vel uon ſubiecti iuriſdictioni Imperatoris, fuerunt pares, ſed bearus Paulus fuit ſubiectus iuriſdictioni Imperatoris, quia ad Cæſarem tamquam ad ſuperiorem appellauit, ergo & beatus Petrus fuit ſubiectus eidem.

Quartò ſic: ſicut in nouo Teſtamento poteſtas Summi Sacerdotis pendet immediatè à Deo; ſic etiam in veteri Teſtamento præeminentia Summi Sacerdotis fuit à Deo inſtituta: ſicut patet Exod. 18. ſed non obſtante prædicta eminentia Summus Sacerdos in veteri lege potuit ab homine iudicari, immò & deponi, ſicut patet de Abiathar, qui erat verus, & legitimus Summus ſacerdos, & tamen fuit depoſitus, & eiectus de ſummo ſacerdotio per Salomonem, non propter crimen hæreſis: ſed quia conſpirauerat cum Adonya: vt patet 3. Reg. 1. & 2. ergo ſimiliter in nouo Teſtamento Summus Sacerdos ſubiectus erit in caſibus criminalibus poteſtati ſeculari.

Quintò, arguitur ex illo, quod Leo Papa ſcribit Imperatori Ludouico in cap. nos 2. qu. 7. vbi ita inquit: Nos ſi incompetenter aliquid agimus, & in ſubditis iuſtæ legis tramitem non ſeruauimus, veſtro, ac miſſorum veſtrorum cuncta volumus emendare iudicio, vbi Papa miſſorum ab Imperatore voluit ſubire iudicium, ergo videtur, quòd Papa ſubdatur iudicio poteſtatis ſecularis.

CAP. XCV.

In quo præfatus error dicentium, quòd Imperator, aut ſecularis poteſtas ſit Iudex ordinarius Papæ confutatur.

LIcèt luce clariſſima ex ſuperioribus tam in primo lib. circa cap. 90. quàm in hoc ſecundo libro circa cap. 38. & manifeſtè appareat præfati erroris ſtultitia, vt non ſit opus ad illius improbationem alia inducere: maximè cùm iam condemnatus ſit per Apoſtolicam Sedem in Extrauagante Ioannis 22. quæ incipit: Licèt iuxtà doctrinam Apoſtoli: nihilominùs pro ampliori veritatis illuſtratione aliquibus auctoritatibus, & rationibus, paucis tamen illum improbare curauimus.

Primò occurrit nobis definitio octauæ Synodi vniuerſalis, quæ vt in cap. definimus, diſt. 22. habetur, ità ait: Definimus neminem protsùs potentum quemquam eorum, qui patriarchalibus Sedibus præſunt, inhonorare, aut amouere à proprio throno temptare, præcipuè quidem ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, &c. Ex qua definitione manifeſtè colligitur, quòd ordinarius Iudex Papæ non ſit Imperator, aut poteſtas ſecularis.

Secundò, ad idem eſt beatus Gregorius Nazianzenus, qui ſcribens Imperatoribus Conſtantinopolitanis, ità inquit; vt habetur in cap. ſuſcipitis, diſt. 10. Suſcipitis ne libertatem verbi Dei libenter, accipitis, quòd lex Chriſti ſacerdotali vos ſubijcit poteſtati, atque iſtis Tribunalibus ſubdit, dedit enim & nobis poteſtatem, dedit principatum multò perfectiorem principatibus veſtris. Ex quibus manifeſtè patet præfati erroris ſtultitia; quoniam ſi lege Chriſti principatus ſecularis ſpirituali poteſtati ſubijcitur; impoſſibile eſt, quòd poteſtas ſecularis ſit iudex ordinarius poteſtatis ſpiritualis.

Tertiò, ad idem eſt, quod in cap. continua 11. quæſt. 1. legitur de Conſtantino, qui cùm in ſancta Synodo, quæ apud Nicænam congregata eſt, quærelam quorumdam cleri-

corum conspiceret coram se deferendam ait: Vos autem à nemine diiudicari potestis, qui ad solius Dei iudicium reseruamini. Eadem etiam historia ponitur in c. Sacerdotibus 11. qu. 1. Ex quibus manifestè patet, quòd Constantinus Imperator Christianissimus non fuit illius opinionis, quòd Imperator esset Iudex ordinarius Papæ, aut clericorum. Ex qua ratione concludit Nicolaus Papa in cap. satis, dist. 96. Satis euidens est à seculari potestate non solui prorsùs, nec ligari Pontificem, quem constat à pio Principe Constantino, quem longè superiùs nominauimus, Deum appellatum, cùm nec posse Deum ab hominibus iudicari manifestum sit. Hæc ille.

Quartò, contra præfatum errorem sunt omnes auctoritates sanctorum Patrum, & sacrorum Conciliorum, quæ ponuntur 11. qu. 1. quæ sunt plures, quibus strictissimè prohibetur Episcopos, aut reliquos clericos in sacris constitutos apud iudicem secularem pertrahi, aut accusari, vnde in cap. placuit, 11. q. 1. expresè Canon Concilij Aphricani dicit: Placuit, vt quicumque clericus ab Imperatore cognitionem publicorum iudiciorum petierit honore proprio priuetur: Quæ prohibitio iusta, & rationalis, cùm à sanctis Patribus edita sit, manifestè ostendit stultitiam erroris præfati dicentium Imperatorem, aut potestatem secularem iudicem esse ordinarium Papæ, & clericorum.

Quintò contra præfatum errorem est, cap. si Imperator, dist. 96. vbi Papa Ioannes ità inquit: Si Imperator Catholicus est; quòd salua pace ipsius dicimus, filius est, non Præsul Ecclesiæ, quod ad religionem competit: discere ei competit, non docere. Ex quibus etiam manifestè patet præfati erroris stultitia; quia si Imperator Catholicus est filius Papæ, non potest esse Iudex ordinarius patris sui; filius enim patrem non corrigit, sed è contra. Erubescit enim lex filios correctores parentum in auct. de nup. §. si verò. Quocircà beatus Gregorius ad Hermanum Episcopum Metensem scribens in cap. quis dubitat, distinct. 96. ad propositum dicit: Quis dubitat Sacerdotes Christi Regum, & Principum, omniumque fidelium Patres, & Magistros censeri? nonne enim mirabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, si discipulus magistrum conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subijcere, à quo credit non solùm in terra, sed & in Cœlis se ligari posse, & solui? Hæc Gregorius.

Sextò, fatuitatem præfati erroris apertissimè, ac sapienter confutat Innocentius in cap. solitæ, extrà de maiorit. & obed. vbi scribens Constantinopolitano Imperatori post multa, ita subiungit: Præterea nosse debueras, quòd fecit Deus duo magna Luminaria in Firmamento Cœli, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti; vtrumque magnum, sed alterum maius. Ad Firmamentum ergo Cœli, hoc est vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo Luminaria, idest duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas, & regalis potestas, sed illa, quæ præest diebus, id spiritualibus maior est, quæ verò nocti, idest carnalibus minor, vt quanta est inter Lunam, & Solem, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur. Hæc ille.

Septimò, ratione sic argui potest contra præfatum errorem; inferior non est Iudex ordinatius superioris sui, sed Papa est superior Imperatore, & omni seculari potestate, ergo Imperator, siue potestas secularis non potest esse iudex ordinarius Papæ, consequentia est bona, maior est manifesta, dicit enim Papa Nicolaus in cap. inferior, dist. 21. Sole clariùs exhibuimus non posse quemquam, qui minoris auctoritatis est, eum, qui maioris est potestatis, iudicijs suis adijcere, aut proprijs definitionibus subiugare. Minor etiam patet ex capitulis supra inductis, maximè extrà capit. si Imperator, & cap. duo sunt, dist. 96. & in cap. solitæ, extrà de maior. & obed.

Octauò sic: potestas spiritualis habet iudicare terrenam potestatem, si bona non fuerit, ergo terrena potestas non est iudex ordinarius Papæ, in quo spiritualis potestas in plenitudine residet, consequentia est bona, antecedens patet in cap. duo, & in cap. si Imperator, dist. 96. & in cap. alius 15. quæst. 1. Item patet auctoritate venerabilis Hugonis de sancto Victore lib. 2. de Sacramentis, ita dicentis: Spiritualis potestas iudicat terrenam, si bona non fuerit, ipsa verò spiritualis à Deo primò instituta est, & cùm deuiat, à solo Deo iudicari habet, & potest, sicut scriptum est infrà, 1. Cor. 2. [Spiritualis homo omnia iudicat, & ipse à nemine iudicatur.]

Nonò: sicut Papa non est de foro Imperatoris, nec ratione Papatus, quem non tenet ab Imperio, sed à solo Deo Ioan. vlt. [Pasce oues meas,] & dist. 21. in nouo, nec ratione alicuius rei terrenæ, quam ab Imperatore teneat. Nam etsi Imperator donationem fecit Ecclesiæ de temporalibus, ipsam tamen donationem liberam eam fecit, nec fecit Papam feudatarium, aut emphyteutam, aut vassallum, vt est expressum dist. 63. ego Ludouicus dist. 96. Constantinus. Si ergo Papa non est de foro Imperatoris, falsum est, quòd Imperator sit Iudex ordinarius eius, extrà de foro compet. per totum.

CAP. XCVI.

In quo respondetur obiectionibus aduersariorum dicentium, quòd Imperator, aut secularis potestas non sit Iudex ordinarius Papæ.

IMprobato sufficienter præfato aduersariorum errore; reliquum est respondere obiectionibus eorum.

Ad primam cùm dicitur, quòd Christus subiectus fuerit iurisdictioni Pilati, & Cæsaris, respondetur dupliciter. Primò negando consequentiam: Tum primò, quia subiectio illa, qua Christus subfuit iurisdictioni Cæsaris, non fuit ordinaria, sed voluntariè assumpta, ex summa enim charitate, & humilitate Christus ei subijci voluit, vt in hoc ostenderet quantam ad humanum genus charitatem habuit, quia à non suo iudice iudicari voluit, & absque causa morte turpissima condemnari, vnde Isa. 53. dicitur: [Oblatus est, quia ipse

ipse voluit.] Simile habetur circa obseruantiam legalium, quibus voluntariè subijci voluit, vt alios ab horum onere liberaret, dicente Apostolo ad Galat. 4. [Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum de muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.] Clarum est autem, quòd ex opere supererogationis non arguitur debitum in eo, nec in eius Vicario, aut eius Discipulis.

Secundò, ratio illa non procedit; quoniam vt Dominus Aluarus in libro de hæresibus parte quinta responder: Pilatus non iudicauit Christum vt personam publicam, aut dignitate præeminentem, sed tamquam personam priuatam accusatam sibi à principibus synagogæ, & à populo Iudæorum tamquam malefactorem, quia in hoc erat de foro Cæsaris, & Pilati, quia præses erat in Iudæa pro Imperatore, vnde ipse Pilatus ait Luc. 23. [Obtulistis mihi hunc hominem; hunc in quantùm hominem quasi priuatum, & non Pontificem, non in dignitate constitutum,] tunc enim, vt dicit Dominus Aluarus, Christus non gerebat personam Papæ, sed simpliciter hominis coram suo iudice accusati, nec in hoc Papa Christo succedit, aut vices eius gerit, sed in pontificatu, in potentia, & in auctoritate; non autem in maligna accusatione facta de eo. Cùm ergo Christus nec coram suo iudice fuerit, vt Sacerdos, vel vt Pontifex accusatus, nec à iudice suo, vt talis iudicatus; in isto exemplo nihil potest concludi de subiectione Papæ, aut cleri, potestati Cæsaris, aut principatus secularis, sicut si laicus iudex ferat sententiam mortis contra clericum, cùm putans eum non esse clericum, vt putà, in quo nulla clericalis disciplinę vestigia apparent, non potest ex hoc actu acquirere in clericos aliquam iurisdictionem.

Secundò, potest responderi ad prædictam obiectionem, negando minorem, videlicet quòd Christus secundùm quod homo mortalis fuerit ordinaria subiectione subiectus iurisdictioni Imperatoris; Christus enim ab instante conceptionis constitutus est iudex vniuersalis viuorum, & mortuorum, vnde Act. 10. dicitur de eo: [Hic est, qui constitutus est iudex viuorum, & mortuorum.] Et Matth. vlt. dicit ipse: [Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra,] hoc autem licèt post Resurrectionem Christus dixerit, quia tunc eius potestas manifestata est, & notificata; nihilominùs potestatem ipsam ab instante conceptionis, in quo erat homo mortalis, auctoritatem habuit, vt tam Magister sententiarum, quàm sanctus Thomas in 4. dicunt. Quò circa manifestum videtur, falsum esse, quòd aduersarij dicunt, Christum subiectum fuisse iurisdictioni Cæsaris tamquam sui iudicis ordinarij. Hoc etiam manifestè videtur colligi extrà Matth. cap. 17. vbi Christus ostendit, & probat, se non esse obnoxium, siue obligatum ad soluendum tributa Cæsari, ad quod tamen videtur fuisse obnoxius, si Cæsar eius ordinarius iudex fuisset, census enim signum est subiectionis, extrà de censib. omnis anima, ait autem sic Christus Petro: Quid tibi videtur Simon: Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filijs suis, an ab alienis? At ille dixit, ab alienis. Dixit illi Iesus: ergo liberi sunt filij, vt autem non scandalizemus eos, &c. vbi gloss ità inquit, Dominus noster, &c. secundum carnem filius Regis erat ex Dauid natus, & omnipotentis Verbum, ergo vt filius Regum, tributa non debebat, sed pro humilitate carnis: decet enim implere omnem iustitiam. Hæc ibi. Et ad probationem aduersariorum, quam inducunt ex illo Ioannis 19. [Non haberes potestatem aduersùs me, &c.] respondetur, quòd ex hoc loco non habetur, quòd Pilatus, aut Cæsar fuerit iudex Christi ordinarius; quoniam licèt Pilato dicenti: Mihi non loqueris? qui potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te: Christus respondit: [Non haberes potestatem aduersùs me vllam, nisi esset tibi datum desuper;] puta à Cæsare, cuius erat Vicarius in Iudæa, vel à Deo permissiuè, non sequitur ex hoc, quòd Cæsar fuerit Christi iudex ordinarius, sicut nec alij Imperatores, ac Iudices seculares per hoc, quòd permissi sunt à Deo perimere multos martyres, sequitur, quòd fuerunt ordinarij iudices sanctorum martyrum. Et ità in proposito; quoniam concessio illa potestatis à Deo, intelligenda est per permissionem, vt dicit Chrysost. & habetur in gloss. continua, nisi tibi desuper datum esset, idest concessum, ac si diceret, permisit hoc fieri. Hæc Chrysost. Nec facit ad propositum aduersariorum, quod inducunt de Bernardo ad Archiepiscopum Senonen. quoniam dato, quod ità dicat beatus Bernardus; magna differentia est inter ordinatum, & ordinarium; cùm enim omnia, quæ à Deo fiant, aut fieri permittantur, necesse est omnia esse ordinata; nihilominùs tamen non omnia dicuntur ordinaria. Dicitur enim ordinarium, non tantùm quòd sit ordinatum, sed quòd sit ordinatum secundùm communem legem, aut ordinem institutum in Republica. Clarum est autem, quòd tali lege, aut ordine vniuersitatis, Christus, in cuius fęmore scriptum est: [Rex Regum, & Dominus dominantium.] Apoc. 19. non fuit subiectus Cæsari, sed Deo Patri, de quo ait Ioan. 14. [Pater maior me,] scilicet homine est, vt inquit gloss.

Ad secundam obiectionem de priuilegio Constantini; respondetur, negando minorem. Romanus enim Pontifex primatum suum non habet à Constantino, sed à Christo, qui beato Petro, & in Petro suis successoribus ait Ioan. vlt. [Pasce oues meas.] Et ad probationem de cap. Constantinus, distinct. 96. respondetur, quòd in toto cap. non habetur, quòd Romanus Pontifex habuerit primatum à Constantino, immò Constantinus asserit, quòd beatus Petrus, cui succedit Romanus Pontifex habuit à Christo primatum, vnde ait sic: Sicut beatus Petrus in terris Vicarius filij Dei dicitur esse constitutus, &c. vnde ipse non dedit priuilegium primatus, sed id, quod à Christo credidit donatum esse Romano Pontifici, præcepit obseruari, & venerari per omnes Orbis Ecclesias, & ità non fuit institutor primatus, sed magis executor legis, & ordinationis Christi; prout etiam dictum est supra circa cap. 42.

Ad tertiam respondetur, negando assumptum, videlicet quòd Imperator fuerit iudex ordinarius beati Petri. Et ad probationem re-

respondetur dupliciter. Primò, negando assumptum, in quo dicitur, quòd omnes Apostoli fuerunt quoad subiectionem pares. Dicimus enim, quòd beatus Petrus, in quo erat summa potestas spiritualis, & Vicarius Christi, magis repugnabat sibi, esse subiectum iurisdictioni Imperatoris, quàm cæteris Apostolis, qui non erant assumpti ad vniuersalem principatum, & generalem Christi Regis Regum Vicariatum. Et ità non est simile de Petro, & de alijs Apostolis. Secundò respondetur, negando, quòd Paulus fuerit subiectus iurisdictioni Imperatoris, sicut iudicis ordinarij. Et cùm dicitur, quòd ad Cæsarem appellauit tamquam ad superiorem; dicimus, quòd appellauit contrà iniuriam sibi factam, ad Cæsarem tamquam ad superiorem ordinarium, non suum, sed iudicis illius, à quo adpellauit, à quo patiebatur iniuriam, & ità ratio non procedit. Posset tertiò responderi negando consequentiam; quoniam si consequentia illa esset bona, sequeretur, quòd potestatibus, siue principibus infidelibus cuiusmodi fuerunt Cæsar, & Pilatus, tàm Papa, quàm totus Clerus subiectus esset, quod est fatuum dicere; licèt enim, vt dicit S.Thomas in 2. 2. qu. 10. art. 10. in principio; Ante perfectam diuisionem fidelium ab infidelibus, Cæsaris, & aliorum infidelium prælatio non cessasset in totum propter conuersionem aliquorum conuersorum ad fidem; nihilominùs post aucta multitudine fidelium non sequitur, quòd idem sit, vndè 1. ad Cor. 6. in principio reprehendit Apostolus fideles Corinthos, quòd auderent prouocare proximos suos coram iudicibus infidelius, dicens: Audet aliquis vestrum habens negocium aduersùs alterum iudicare apud iniquos, idest infideles, & non apud Sanctos, idest fideles.

Ad quartam de sacerdotio veteris legis, respondetur iuxtà Magistrum Alexandrum de Ales, & suprà inducta est similis responsio ex Domino Bonauentura, quòd non est simile de sacerdotio veteris Testamenti, & noui, sacerdotium enim veteris legis erat carnale: & per carnalem propagationem succedebat, & continuabatur, quamuis esset ordinatum ad spirituale obsequium, scilicèt, diuinum cultum, & figuram spiritualis sacerdotij noui Testamenti, & ideò ex parte illa, in qua carnale erat, & terrenum subiectum erat terrenæ potestati, scilicèt Regali; sicut enim dicit Augustinus, ideò dicitur vetus Testamentum, propter promissionem terrenam, quæ pertinet ad veterem hominem, & ideò in veteri Testamento summa potestas, erat potestas terrena, in nouo autem Testamento, non vbi est spirituale sacerdotium, & promissio spiritualium. In nouo enim Testamento, non promittuntur terrena in mercedem, sed adducuntur ad sustentationem, & necessitatem, iuxtà illud Matth. vlt. [Primum quærite Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis:] vndè non subditur status ecclesiasticus temporali, & multòminus princeps status spiritualis principi cuicumque terreno. Concordat sanctus Tho. lib. 2. de regimine principum.

Secundò respondetur, quòd Salomon hoc fecit ex speciali Dei præcepto, qui ei hæc prædixerat: vndè 3. Reg. 2. sic dicitur: [Eiecit igitur Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem locutus est, super domum Heli in Sylo.] Et ità ratio non est ad propositum.

Ad vltimam obiectionem de Leone Papa, respondetur iuxtà Magistrum Alexandrum de Ales, quòd Leo Papa se submiserat iudicio Ludouici Imperatoris, siue nunciorum eius, hoc fuit opus supererogationis, & non debiti; vndè ex tali opere argumentum non procedit, sicut superiùs dictum est.

CAP. XCVII.

In quo ponuntur aduersariorum rationes ad probandum, quòd Papa extrà casum hæresis habeat iudicem in terris, videlicet Ecclesiam vniuersalem.

Svnt alij aduersarij, qui licèt non asserant Papam subiectum iurisdictioni Imperatoris, aut alicuius potestatis secularis, nihilominus affirmare contendunt, quòd Romanus Pontifex non tantùm pro hæresi, sed pro quocumque notorio crimine, de quo incorrigibilis appareat, aut Ecclesiam scandalizaret, iudicem habeat ecclesiam vniuersalem, quæ ipsum iudicare, & punire posset. Et circa hoc faciunt duo.

Primò enim nituntur respondere ad omnes auctoritates, quæ dicere videntur, quòd Papa à nemine potest iudicari, nisi à fide deuiet, dicentes primo, quòd ista nomina distributiua nemo, nullus, sumuntur pro singulis hominibus ipsius Congregationis fidelium, non autem pro ipsa Congregatione, quæ vnita plurificari non potest, & ideò vt dicunt, nomen distributiuum ei competere non potest, sicut non potest dici propriè omnis Deus, cum non possit esse, nisi vnus. Concludunt ergo, quòd in prædictis auctoritatibus, aut similibus fiat comparatio Papæ ad alias personas Ecclesiæ, tamquam membri, & partis ad alia Ecclesiæ membra, & partes, non autem ad ipsum corpus totum, quod est Ecclesia.

Secundò dicunt, quòd præfate auctoritates, non militant, quia iudicium vniuersalis Ecclesiæ dicitur iudicium Dei, prout dicitur Act. 25. Secundò loco nituntur hanc eorum opinionem multiplici via veram ostendere. Primò, auctoritatibus sacræ Scripturæ. Secundò, auctoritatibus Conciliorum. Tertiò, auctoritatibus Doctorum. Quartò, rationibus. Quintò, exemplis.

Prima via sic. Et primò ex illo Matth. 18. vbi Christus sic ait Petro: [Si peccauerit in te frater tuus &c. Si autem te non audierit &c.] Sequitur: Dic Ecclesiæ. Certum est autem, quòd Papa frater noster est, cùm vnus Pater, scilicèt Deus, & vna Mater, scilicèt Ecclesia omnibus fidelibus sit; ergo sequitur, quòd ad ipsum se extendat præfata auctoritas: [Si peccauerit &c.] vbi ergo de peccato correctus emendare se noluerit, dicendum est Ecclesiæ: sicut sic alijs confratribus, & hoc nonnisi, vt iustitia fiat, quia alijs frustrà

dice-

diceretur, ſed iudicium fit per ſuperiorem; ergo videtur, quòd Papa habeat in terris iudicem ſuperiorem, ſcilicèt, Eccleſiam vniuerſalem, quæ ipſum incorrigibilem exiſtentem iudicare, & punire valeat.

Secundò, argumentatur ex illo ad Galat.2. vbi Paulus legitur Petro in faciem reſtitiſſe, quia reprehenſibilis erat; ergo ſi hæc egit Paulus, multò fortiùs poterit Eccleſia vniuerſalis reſiſtere Papæ, vbi eum contingeret errare, & Eccleſiæ immineret periculum, alias eſſet in poteſtate vnius hominis Eccleſiam deſtruere, aut confundere, quod eſt abſurdum.

Tertiò, arguitur ex illo Act. 11. vbi legitur, quòd illi, qui ex circumciſione venerant reprehenderunt Petrum, diſceptantes cùm eo dicentes, [quare intraſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?] Ergo multòmagis hoc poſſet facere vniuerſalis Eccleſia.

Secunda via, arguunt auctoritate, vt aiunt ſacrorum Conciliorum: dicunt enim quòd contra præfatam concluſionem ſit decretum Concilij Conſtantienſis, in quo dicunt eſſe decretatum, quòd generalis Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis etiamſi papalis exiſtat, obedire tenetur &c. Item ſecundò, eſt Concilium Baſileenſe, in quo tàm in ſecunda ſeſſione, quàm in duodecima reſumitur decretum præfatum Concilij Conſtantienſis. Ex quibus manifeſtè ſequitur, quòd Papa ſuperiorem iudicem habet in terris.

Tertia via, ſcilicèt, auctoritate Doctorum, arguunt. Et primò auctoritate beati Petri, qui ità dicitur locutus ad beatum Clementem, vt dicitur in epiſtola eiuſdem Clementis ad Iacobum. Si enim mundanalibus curis fueris occupatus, & te ipſum decipies, & eos, qui te audiunt; non enim poteris ea, quæ ad ſalutem pertinent pleniùs quibuſcumque diſtinguere, & ex eo fit, &c. vt tu tamquam qui non docueris, quæ ad ſalutem hominum pertinent, deponaris.

Secundò, arguunt ex auctoritate gloſ. in cap. ſi Papa diſt. 40. quæ ità habet. Credo, quod ſi notorium ſit crimen eius, ſcilicèt, Papæ quodcumque, vndè ſcandalizatur Eccleſia, & incorrigibilis ſit, quòd poſſit indè accuſari, nam contumacia dicitur hæreſis, vt 81. diſt. ſi qui Presbyteri.

Tertiò, arguunt hac via, auctoritate beati Gregorij, quæ habetur in cap. ſi quis 2. quæſt. 7. ità dicentis: Si quis ſuper hoc nos redarguere voluerit, vel extrà auctoritatem facere nos contenderit, veniat ad Sedem Apoſtolicam, vt ibi ante confeſſionem beati Petri mecum iuſtè diſceptet, quatenùs vnus ibi ex nobis ſuſcipiat ſententiam ſuam; ergo videtur, quod Papa habeat iudicem ſuperiorem in terris.

Quartò, arguunt eadem via, auctoritate beati Thomæ de Aquino, dicunt enim, quòd idem Doctor dicit libro de regimine Principum, quòd ſi ad ius alicuius communitatis pertineat ſibi prouidere de Rege, ab eadem Rex inſtitutus, ſi fuerit in tyrannum conuerſus, poterit deſtitui, & refrenari eius poteſtas, ſi poteſtate Regia tyrannicè abutatur, ſed ad communitatem Eccleſiæ ſpectat per Cardinales ius eligendi Papam; ergo ad eandem ſpectat corrigere, & punire eum, ſi Eccleſiam ſcandalizaret. Et ità apparet, quod Papa habet iudicem ſuperiorem in terris.

Rationibus autem arguunt. Primò ſic: Papa ſi eſt deuius à fide, poteſt iudicari ab Eccleſia, per cap. ſi Papa diſt. 40. ergo paritèr ſi aliquo alio crimine, de quo Eccleſia ſcandalizetur fuerit deprehenſus. Probatur conquentia. Tum quia non legitur in ſacra Scriptura, quòd in cauſa fidei Deus dederit maiorem poteſtatem Eccleſiæ, quàm in alijs caſibus, Chriſtus enim in datione poteſtatis generalibus terminis vſus eſt, dicens: [Quecumque alligaueritis, &c.] Matth. 18. Tum ſecundò, quia qui poteſt maius, poteſt, & minus, & vbi maius conceditur, minus conceſſum videtur, vt dicitur text. in cap. ex parte, extrà de decim.

Secundò arguunt ſic: nulli corpori videtur ſufficientèr prouiſum, niſi membrum putridum, quod totum corpus valet inficere, poſſet abſcidi, ſed tota Eccleſia militans eſt vnum corpus ordinatum per Chriſtum: dicente Paulo ad Rom. 12. [Omnes vnum corpus ſumus in Chriſto:] iſtius autem corporis Papa eſt vnum membrum, quia caput, ſi ergo illud ſit damnoſum ſcandalizans notoriè Eccleſiam: ſequitur, quòd non eſt ſufficienter prouiſum corpori Eccleſiæ, niſi per ipſam abſcidi poſſet, cum ergo Chriſtus non defecerit in neceſſarijs Eccleſiæ militanti: ſequitur quòd per Eccleſiam Papa, nedum ſi ſit hæreticus, ſed etiam vbi aliquo alio crimine notorio ſcandalizat Eccleſiam, iudicio vniuerſalis Eccleſiæ eſt ſubiectus.

Tertiò ſic: ſi Papa peccans non poſſet per alios, putà per Eccleſiam corrigi, & puniri, ſequitur, quòd non perfectè, ac ſufficienter eam Chriſtus ordinaſſet, nec ei debitè prouidiſſet, ſed hoc eſt hæreticum: cum Dei perfecta ſint opera, Deuteronom. 32. probatur tamen conſequentia, quia illa communitas non videtur ſufficienter ordinata, aut prouiſa, quæ ſuæ perditioni, aut demolitioni non poteſt occurrere, ſic autem eſſet de Eccleſia poſita in caſu, quo Papa præter hæreſim manifeſtam, aut tyrannidem notoriam, aut aliud crimen notorium Eccleſiam ſubuertere, aut ſcandalizare conaretur, & vniuerſalis Eccleſia ei reſiſtere non poſſet ipſum corrigendo, & deponendo, hoc enim eſſet concedere poteſtatem datam eſſe in deſtructionem contra Apoſtolum, & Act. 10.

Quartò ſic: omne, quod debemus Papæ pro vitanda morte corporali, debemus ei pro vitanda morte ſpirituali, ſed in caſu vbi Papa iniuſtè, & ſine cauſa quacumque vellet proximum interficere, quilibet tenetur, & poteſt de iure Papam impedire: ergo vbi Papa notoriè ſcandalizat Eccleſiam, vbi animas fidelium ducit ad baratrum inferni, poteſt, & debet quilibet eum impedire.

Quintò ſic: ſi Papa vellet vxorem alicuius cognoſcere, vel propria illius rapere, licitum eſt ei reſiſtere; ergo vbi Eccleſia videt ipſum Papam malis moribus ſcandalizantem fideles, poteſt ei reſiſtere, & ipſum impugnare: maximè cum dicat Apoſtolus 1. Thimoth. 4.

moth. 4. [Peccantem coram omnibus argue.]

Sextò sic: si Papa infamatur per viros prouidos, & honestos de aliquo crimine, vndè Ecclesia scandalizatur, quæro an Papa teneatur purgare se de hoc, an non? Si dicas, quòd non: Contrà: qui tenetur scandalum vitare, tenetur suscitatum tollere, & sedare si potest; ergo debet se purgare, sicut legitur de Papa Damaso accusato à subditis de adulterio, vt refert Hieron. libro de viribus illustribus, sed purgatio pertinet ad sententiam iudiciorum; ergo sequitur, quòd in terris Papa habeat iudicem superiorem.

Septimò, arguitur sic confirmando rationem factam: Prælatus, qui tenetur subditos à minori damno, vel periculo liberare, à fortiori tenetur à maiori, sed Papa tenetur suos subditos à damno, & periculo temporali eripere, secundùm illud: Eripite egenum, & pauperem: ergo multò fortiùs à spirituali, vtputa à scandalo de ipso habito, sed hæc se purgando, ergo idem, quod priùs, vndè ita fecerunt Sixtus, Leo, & Symmachus Romani Pontifices, vt habetur 2. quæst. 7.

Quinta via, scilicet, exemplis, aduersarij etiam ostendere nituntur, quòd Romanus Pontifex in terris iudicem habeat, quoniam vt aiunt, Ecclesia vniuersalis sæpe numero summos Pontifices, siue à fide delirantes, siue prauis moribus notoriè Ecclesiam scandalizantes, correxit, iudicauit, & puniuit.

CAP. XCVIII.

In quo reprobantur responsiones aduersariorum, data ad auctoritates sanctorum Patrum, & iura inducta pro conclusione nostra, & respondetur obiectionibus ipsorum aduersariorum sumptis ex auctoritatibus sacra Scriptura.

Conclusio superiùs posita, videlicèt, quòd Romanus Pontifex, pro sui Principatus excellentia extra casum hæresis iudicem non habeat in terris; tantis est supra sanctorum Patrum roborata testimonijs, tàm irrefragabilibus fulcita rationibus, & sanctorum Canonum luminibus illustrata, vt superuacuum censeatur alia inducere testimonia, vndè non restat, nisi aduersariorum obiectionibus respondere. Faciemus autem hic duo.

In primis ostendemus, quòd responsiones datæ per aduersarios ad iura, & dicta sanctorum Patrum dicentium Papam à nemine iudicandum, intelligenda sint de singulis personis, & non de tota communitate Ecclesiæ, quod ex multis facilè colligitur. Tum primò ex eo, quòd ratio superioritatis, & dependentiæ Papatus à solo Deo assignata per Doctores, quare à nemine Papa est iudicandus, ità currit de ipsa communitate, sicut de singulis personis, nam Romanus Pontifex, non modò est singulis personis auctoritate superior, sed etiam toto Ecclesiæ corpore vtpotè, qui Pastor, & Caput est totius Ecclesiæ. Tum secundò, responsio illius ostenditur vacua, ex text. cum glos. ait enim sic text. Nemo iudicabit primam Sedem, sequitur: Non enim ab Augusto, nec ab omni Clero, nec à Regibus, nec à populo iudex iudicabitur. Ecce quòd textus excludit à potestate iudicandi Papam singulas personas, & omnem communitatem, tàm spiritualem, quæ designatur nomine Cleri, quàm secularem designatam nomine populi. Præterea glos. super verbo, ab omni Clero, ait: argumentum, quod Concilium non potest Papam iudicare, vt extrà de elect. significasti, hæc glos. Ex quo patet, quòd ly nemo in auctoritatibus præfatis, non solùm accipiendum est pro singulis personis diuisim, sed etiam pro singulis coniunctim, siue collectiuè.

Quod autem dicunt aduersarij, quod nomina distribntiua propriè competere non possunt Congregationi fidelium, quæ vnica, & implurificabilis est, parum valet, quia nomina, siue signa talia addita nominibus collectiuis, vt sunt populus, Clerus, domus, Ecclesia &c. non distributiuè, sed collectiuè tenentur, significant enim id, quod totum, sicut est illud, quod habetur ad Hebr. 3. Sicut Moyses: supple fidelis, fuit in omni domo sua, quod exponitur; id est in tota domo, scilicèt Synagoga Iudæorum. Item eodem modo videtur sumi illud 3. Reg. 8. [Conuertitque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ.] Item illud 1. Paralip. 19. Præcepit autem vniuersæ Ecclesiæ benedicite Deo nostro, & benedixit omnis Ecclesia domino Patrum suorum. Item illud Matth. 2. [Turbata est cum illo omnis Hierosolyma: idest tota. Et ità in auctoritate supradicta, illud, nec ab omni Clero: exponitur, idest nec à toto Clero, iuxtà etiam glos. quæ dicit argumentum, quòd Concilium non potest iudicare Papam. Tertiò, quod talis intellectus sit præfatorum iurium, luce clarius colligitur ex confessione, & testimonio tàm Concilij congregati Romę tempore Marcellini, de quo dist. 22. in cap. nunc autem, quàm Concilij congregati ratione Symmachi Papæ, de quo dist. 17. in §. hinc etiam, quæ manifestè confessa sunt, à nemine Præsulem Romanum posse iudicari includendo etiam Concilium vniuersale, alias non loquerentur ad propositum. Quartò, colligitur idem ex cap. si Papa dist. 40. vbi dicit text. quòd Papa à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius. Clarum est autem, quòd non est cuiuscumque singularis personæ Papam iudicare, etiamsi deprehendatur à fide deuius, sed solius Concilij vniuersalis; ergo per ly neminem, non solum excipiuntur singulares personæ; sed etiam ipsa vniuersitas fidelium, quod etiam ex hoc manifestè habetur, vt scilicet sit conformitas huius text. ad iura alia, & determinationes Conciliorum, de quibus parum ante factus est sermo.

Præterea secunda responsio aduersariorum, in qua respondentes ad auctoritates dicentes, quòd Papa reseruatur iudicio diuino, dicunt, quòd iudicium Ecclesiæ congregatæ est iudicium Dei, & ità non videtur absolutus Papa à iudicio vniuersalis Ecclesiæ, nulla est, quia licèt iudicium Ecclesiæ sit etiam Dei, sicut etiam de quolibet sacerdote dicitur de pœni-

pœnitentia distinct. 3. §. sed quam, quòd quem sacerdos iudicat, Deus iudicat, cuius personam gerit, & in cap. nemo 11. quæstione tertia, dicit beatus Chrysostom. [Nemo contemnat Ecclesiastica vincula: non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit; & Dominus fecit homines tanti honoris, est tamen hoc iudicium Dei per homines.]

In auctoritatibus autem supradictis loquentibus de Papa, excluduntur omninò homines à iudicio suo. Vnde in cap. aliorum distin.9. quæst.3. habetur, quod aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari: sed Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio, voluit beati Petri successores sibi tantùm debere innocentiam. Nota verbum [tantùm.]

Item in cap. eiectionem distin. 79. dicit beatus Anacletus papa, & mart. [Eiectionem Summorum Pontificum sibi Dominus reseruauit, licèt electionem eorum bonis Sacerdotibus concessisset.]

Ecce, quòd manifestè responsio aduersariorum non respondet auctoritatibus sanctorum Patrum; sed manifestè est opposita. Et hoc idem ostenditur per alias auctoritates, quas supra induximus. Et hoc de primo.

Reliquum autem est aduersariorum obiectionibus respondere, quibus pro pleniori illustratione veritatis, distinctè per quinque capitula, iuxtà quinque vias, quibus procedunt, respondebimus.

Ad primam ergo obiectionem sumptam ex illo capitulo Matth. 18. [Si peccauerit in te frater tuus, &c.] respondetur negando consequentiam. Et ad probationem, cùm dicitur, quòd Papa sit frater, dicimus, quòd hoc non militat, quoniam cùm hoc, quòd Papa est frater noster natura, conformitate, & fidei religione, est etiam Princeps, & caput totius vniuersalis Ecclesiæ, supremam potestatem habens in Ecclesia ratione primi, videlicet, quia est frater noster, extendit se ad eum auctoritas præfata in ea parte, in qua simplex tangitur fraterna correctio, quæ dicit simplicem quamdam admonitionem, quæ cùm sit actus charitatis, extendit se ad omnem proximum, siue superiorem, siue æqualem, siue inferiorem, sicut & ipse charitatis effectus.

Ratione verò secundi, videlicet, quòd Princeps, & caput est, supremam potestatem habens in Ecclesia, non extendit se ad eum auctoritas præfata in ea parte, in qua contra non suscipientem correctionem fraternam iubetur denunciationem fieri, quia cùm denunciatio non acquiescentis fraternæ correctioni ordinetur ad finem, vt talis punitione corrigatur, qui per simplicem admonitionem non corrigitur, non fiat nisi superiori, non potest denunciari Prælatus, qui superiorem non habet, nisi sit tale peccatum eius, per quod à superioritate cadat, cuiusmodi est peccatum hæresis. Quare consequentia illa aduersariorum, quæ apud eos Achilles existimata est, nulla prorsus est, processus enim positus in Euangelio de correctione fraterna non habet locum in eo, qui non habet in terris superiorem.

Clarissimum est autem ex superioribus, quòd nullus in Ecclesia est superior Papa, nisi Christus, cuius generalis Vicarius est in terris, nec potest dici, quòd congregatio subditorum suorum, aut ouium suarum superioritate auctoritatis sit illo maior, nisi quis vellet euertere, vt aliàs deductum est, doctrinam Christi, & diceret, quod licèt Christus dicat, Matth. 1. [Non est discipulus supra magistrum, nec seruus supra dominum suum; nihilominus discipuli sunt supra magistrum, & subditi supra prælatum suum. Hinc est, quòd, vt clarissimè Sanctorum, & sacrorum Conciliorum, ac Doctorum excellentissimorum apertissimè testimonia proclamant Pontificum Romanorum causas Deus dicitur suo reseruasse iudicio. Vnde Dominus Albertus Magnus in 4. dist. 19. vbi quærit, vtrùm correctio fraterna sit omnium, respondens, ità dicit: [Omnis homo omnem hominem cùm reuerentia, & mansuetudine tenetur admonere, & corrigere de delicto, sed non vlterius potest denunciare si est inobediens, quando prælatus supremus est, quia non habet iudicem.] Hæc Albertus Magnus.

Ad idem est sanctus Thomas in 4. ead. distin. sic dicens: [Quamvis prælati sint corripiendi à subditis, non tamen est eis pœna infligenda, sed recurrendum est ad superiorem denunciando, vel, si non habet superiorem, ad Deum, vt eum emendet, aut de medio tollat.

Idem Magister Vlricus in summa sua excellentissima Theolog. qui libro 6. tract.3. cap. 15. de accusatione loquens, ità inquit: [Accusari etiam non possunt aliqui propter excellentiam dignitatis, vt Papa non potest accusari, nisi de crimine hæresis,] vt dicitur in gestis Bonifacij martyris, & ponitur auctoritas dist. 40. cap. si Papa. Tamen apparatus dicit ibi, quòd licèt specialiter dicatur de hæresi, eo quòd de illo potest accusari, etiamsi occulta sit, cùm non vult corrigi; aliàs enim non posset accusari: tamen etiam de alio crimine potest accusari, si sit notorium, per confessionem, vel facti euidentiam, & incorrigibilis sit, & Ecclesia inde scandalizetur, probat per hoc, quòd contumacia dicitur hæresis, distin. 91. qui Presbyteri: & contumax dicitur infidelis, distin. 27. nullus. Ideò quidem dicunt idem de quolibet crimine notorio, de quo ipse non corrigit se propter correctionem fraternam. Sed hoc non credo verum esse, quia cum stabilis maneat sua auctoritas, quamdiù in Petra, quæ Christus est fundator, & hoc etiam sit per informem fidem, ipsa sola fide, manente non habet superiorem, à quo iudicari possit.

Insuper, quòd soli infidelitati tribuitur, de alijs criminibus negatur. Symbolica autem, & transumptiua locutione contumacia dicitur infidelitas, vel hæresis, & argumenta ex talibus tamquam sint propriè dicta, nihil valent.] Hæc Dominus Vlricus.

Item idem lib.6. tract.3. cap.17. vbi de denunciatione Euangelica loquens, dicit sic: [Primùm, scilicet admonitio priuata habet locum etiam in prælato non habente superiorem, sed sequentia membra non habent ibi locum, quia non habet superiorem, cui ipse denuncietur, vel coram quo communi-

catur, vel à quo excommunicetur; & ideò si per admonitionem non corrigitur, non restat nisi orare pro eo, vel vt emendetur, vel vt subtrahatur de medio, ne Ecclesiam suo exemplo perdat.] Hæc ibi.

Item hac de causa dicit Hostien. quòd denunciari non potest crimen Papæ, si corrigi vellet.

Item Ioannes in summa Confessorum lib.3. tit.9. §.9. vbi dicit, quod licèt principium, scilicèt admonitio locum habeat in prælato non habente superiorem, tamen sequentia non habent ibi locum, quia superiorem non habet, &c. sicut dicit Dominus Vlricus.

Ad idem plures alij illuminatissimi Doctores, sicut Dominus Petrus de Palude, Dominus Heruæus, Magister Augustinus de Anchona in libris suis de potestate Ecclesiastica.

Præterea, hæc sententia manifestè colligitur ex beato Bernardo, qui scribens Domino Innocentio Papæ, ità dicit: [Quis faciet mihi iustitiam de vobis, si haberem Iudicem, ad quem vos trahere possem? iàm nunc ostenderem vobis, vt parturiens loquor, quod mihi eminet; extat quidem tribunal Christi, sed absit, vt ad illud appellem vos, &c.]

Ecce, quàm manifestè innuit beatus Bernardus, quod Papa Iudicem non habet in terris. Et ità patet, quòd ratio aduersariorum nulla erat, quia cùm Papa aliquid plùs habeat dignitatis, quàm cæteri homines; quia cùm hoc, quod est frater, est etiam Pater, & Princeps, non est mirùm, si plùs se extendat ad alios fratres auctoritas præfata: [Si peccauerit in te frater, &c.] quàm se extendat ad Papam.

De vera autem intelligentia præfatæ auctoritatis in ea parte, in qua dicitur, [Dic Ecclesiæ,] amplissimè superiùs contrà minùs benè sapientes, circa illam disputatum est.

Ad secundam obiectionem, quæ sumitur ex illo Galath. 2. vbi Paulus dicitur restitisse in facie Petro. Respondetur, quòd auctoritas illa nihil facit pro aduersarijs: aliud quippè est resistere, & se opponere Papæ, vbi immineret periculum fidei, aut si aliquid præciperet contrà legem Domini: & aliud est iudicare per coertionem pœnæ, siue punire; quia primum potest esse inferioris, secundum autem nonnisi superioris, iuxtà cap. inferior. dist.21. Ad Corinth. 4. dicitur: [Qui autem iudicat me, Dominus est.] Vndè concedimus, quòd vbi immineret periculum fidei manifestum, posset vniuersalis Ecclesia, siue Synodus vniuersalis resistere Romano Pontifici, sicut Paulus Petro, sed ex hoc nulla superioritas auctoritatis arguitur in Ecclesia super verum Romanum Pontificem, sicut nec in Paulo ex præfata correctione suprà Petrum; sed benè arguitur, & commendatur in Paulo charitas, & libertas, & in Petro in susceptione patienter correctionis humilitas.

Vndè Glossa, quæ est Augustini in epist. ad Hieronymum super illud, [Dixi Cephe coram omnibus,] dicit sic: [Ipse Petrus, quòd à Paulo fiebat vtiliter libertate charitatis, sanctę, atque benignę, pietate humilitatis accepit, atque ità exemplum posteris tribuit, quòd non dedignaretur, vbi fortè rectè tramitem reliquissent, à posterioribus corrigi, laus vtique iustę libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro.] Hæc Glossa.

Item idem Augustin. super epistolam ad Galath. de obiurgatione ista Pauli coram omnibus facta Petro loquens, ità dicit: [Quod autem hæc ei coram omnibus dixit, necessitas coegit, vt omnes illius obiurgatione sanarentur: non enim vtile erat, errorem, qui palàm noceret, in secreto emendare, hùc accedit, quòd infirmitas, & charitas Petri, cui ter à Domino dictum est: [Amas me, pasce oues meas,] obiurgationem talem posterioris pro salute gregis libentissimè sustinebat.] Hæc Augustinus.

Hanc Augustini doctrinam secutus beatus Thomas dicit in 4. sententiarum dist. 19. quòd beatus Paulus Petro in facie resistit excedit modum fraternæ correctionis, quæ prælatis à subditis debetur, non enim prælati à subditis coram multitudine, sed humiliter in priuato corripiendi sunt, nisi vbi immineret periculum fidei.

Ad tertiam obiectionem, quæ sumitur ex obiurgatione facta Petro, Act. 11. quod ad gentes diuertisset: respondetur, quod auctoritas illa nihil facit pro aduersarijs, sicut manifestè colligitur ex dictis beati Gregorij, qui, vt habetur in cap. Petrus dist.2. quæst.7. sic inquit: [Petrus potestatem tegendi acceperat, & tamen idem Apostolorum primus, quærimoniæ contra eum factæ: cur ad gentes introisset: non ex potestate officij, qua posset dicere, oues pastorem suum non accusent, nec reprehendant: sed ex auctoritate Diuinæ virtutis, qua Gentiles acceperant Spiritum sanctum, respondit dicens: [Eamdem gratiam, quàm vobis, dedit eis Dominus.] Hæc Gregorius.

Ex quibus patet, quòd cùm, vt ait Gratianus ibidem, beatus Petrus ex officio potuerit repellere querelas illorum, & sola dispensatione humilitatis illas sustinuerit, non potest accipi argumentum ex illorum reprehensione, quod prælati cogantur reprehensionem subditorum suscipere, & minùs ex hoc potest accipi argumentum, quòd vniuersalis Ecclesia extra casum hæresis possit Papam iudicare.

CAP. XCIX.

In quo respondetur aduersariorum obiectionibus fundatis in Decretis Conciliorum Constantiensium.

Data responsione ad auctoritates sacræ Scripturæ, quas aduersarij in eorum fauorem inducunt: consequens est, vt responsa demus ad ea, quæ inducunt secunda via, videlicet ex Decretis Conciliorum Constantien. & Basilien. Ad quæ respondentes, dicimus, quòd nihil eorum, quæ inducunt, militat contra conclusionem præfatam. Quod verò non militant ea, quæ inducuntur de Concilio Constantien. apertissimè ex multis ostenditur.

Primò quidem, quia non est verum, immò falsum, quod aduersarij dicunt, videlicet,

licet, quòd Constantiæ declaratum sit, siue decretatum, quod vniuersalis Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem à Christo habet immediatè, cui quilibet cuiuscumque status, siue dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur, &c.

Planè numquam in Constantia sub hac forma legitur aliquod Decretum factum. Declaratio autem facta per Patres illos sub obedientia Ioannis XXIII. congregata, emanauit sub hac forma:

Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis Schismatis, & vnione, ac reformatione Ecclesiæ in capite, & in membris fienda, declarat, quod ipsa in Spiritu sancto congregata, generale Concilium faciens, & Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo habet immediatè, cui quilibet, &c.

Ecce manifestè, quod Decretum illorum Patrum non loquitur vniuersaliter de qualibet Synodo vniuersaliter, sed de illa singulariter, pro cuius tempore non erat in Ecclesia vnus Pastor totius Ecclesiæ indubitatus. Et ità patet primum, videlicet, quod falsum sit, quod tale Decretum in forma, qua proponitur, fuerit factum Constantiæ.

Secundò, non militant, quæ inducuntur de Concilio Constantien.; quoniam dato, quòd tale Decretum, sicut dicitur per aduersarios, ibi fuisset factum, non habet necessitatem: quoniam hoc, quod aduersarij præsupponunt, videlicet, quòd fuerit ab vniuersali Concilio legitimè congregato, & repræsentante vniuersalem Ecclesiam militantem, est valdè dubium apud multos, immò plurimorum iudicio, scilicet eorum, qui fuerunt de obedientia Gregorij, & Benedicti, falsum; quoniam sicut apertissimè patet ex gestis illius Congregationis, Decreta illa, si ità sint appellanda, facta sunt solùm à Patribus aliquibus obedientiæ Ioannis XXIII.

Pro quo notandum, quòd Congregatio illa Constantiæ celebrata, tria tempora habuit:

Primum fuit, in quo sola obedientia præfati Ioannis Balthasar Constantiæ conuenerat.

Secundum tempus fuit, in quo Angelus Corarius vocatus in obedientia sua Gregorius XII. iurisuo cedens, præfatæ Congregationi sub certis modis, & formis se coniunxit.

Tertius tempus est, in quo Reges, & Principes, ac Prælati obedientes Petro de Luna, Benedicto XIII. vocato in obedientia sua, per suos Oratores noua facta conuocatione Concilij, se vnierunt præfatæ Congregationi ad pacem dandam vniuersali Ecclesiæ; & fuimus nos tunc præsentes in minoribus constituti; pro quo solo tempore conuenientibus omnibus simul tribus obedientijs, fuit certum dicere, quòd vniuersalis Ecclesia repræsentatiuè congregata esset Constantiæ: nullus autem dubitat, quin asserere, quòd sola obedientia Ioannis faceret Concilium vniuersale, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, esset temerarium, & scandalosum alijs duabus obedientijs.

Tertiò, ea, quæ inducuntur de Decretis Concilij Constantiensis, non militant: quoniam auctoritati illius aliæ duæ obedientiæ, scilicet Gregorij, & Benedicti, apertissima contradictione in plena Congregatione se opposuerunt, & eorum contradictio fuit acceptata. Contradixit, ac reclamauit in primis Gregorius, ità in sua obedientia vocatus, qui verum se Romanum Pontificem asserens, & scribens, mittens post præfatam declarationem factam ab illis de obedientia Ioannis Oratores suos ad Constantiam, committit eis Dominis, scilicet Cardinali sancti Sixti, Ioanni electo Patriarchæ Constantinopolitano, Archiepiscopo Treuerensi, Comiti Palatino Carolo de Malatesta, auctoritatem, Cõgregationem ipsam Constantiensem; in quantum per Serenitatem Regiam, & non per Balthassar, se nuncupari facientem Ioannem XXIII. vocatam, vice sua conuocandi, & auctorizandi in generale Concilium, remota tamen omnimodè indè prædicti Balthassar præsidentia, & præsentia ab eisdem, &c. Verba sunt formalia Bullæ datæ auctoritatis præfatis Oratoribus, quæ inserta est in gestis præfati Concilij.

Quod autem hæc verba, & gesta Domini Gregorij præfato Decreto contradicant, & opponantur, manifestum est.

Contradixit prætereà eidem Decreto obedientia Dominorum Regum, Prælatorum, & Principum, & Communitatum, qui Petro de Luna Benedicto XIII. vocato, tamquam vero Summo Pontifici vniuersalis Ecclesiæ adhærebant.

Nàm, vt ex gestis eiusdem Concilij patet, pro eo, quòd tenebant præfatos Patres Constantiæ congregatos sub obedientia Ioannis, siue etiam Gregorij, non facere Concilium vniuersale, nec eorum Congregationem repręsentare Ecclesiam Dei Catholicam, noluerunt se vnire illi, nisi priùs, iuxtà compacta in Narbona cum bo. memor. Domino Imperatore Sigismundo, noua fieret per eos, apud quos veram esse arbitrabantur Dei Ecclesiam, Concilij conuocatio, sicut & factum est nobis præsentibus in minoribus constitutis.

Quæ omnia ità facta esse, & ab omnibus acceptata, Synodus ipsa Constantiensis, per diuersas sessiones apertissimè testatur.

Quibus tribus obedientijs tandem, ità in nomine Christi Constantiæ conuenientibus sub intentione celebrandi Concilium vniuersale, habita est certitudo, & fides apud omnes Christi-fideles, vniuersale Concilium vniuersalem Ecclesiam repræsentans Constantiæ celebrari, & non antè concurrente ambigua inter Fideles concertatione, apud quem trium pro Romanis Pontificibus se gerentium Apostolicæ Sedis auctoritas resideret, & Principatus, vt enim testatur deuotissimus Bernardus lib. 5. de consideratione: [Fides ambiguum non habet, aliàs si habet, fides non est, sed opinio.]

Ex qua contradictione aliarum duarum obedientiarum clarissimè percepit quisque doctus, quàm præsumptuosa sit illa assertio, quod

quod obedientia illa Balthassar Constantiæ conueniens facceret Concilium vniuersalem, Ecclesiam repræsentans.

Quartò, ea, quæ inducuntur de Decretis Concilij Constantiensis nullius sunt roboris, aut momenti: quoniam in illorum determinatione non modò non interuenit vniuersalis Ecclesia, sed obedientia vna tantùm, scilicet Ioann. XXIII. vt dictum est; sed etiam non integrè tota illa obedientia: quoniam plures Patres doctissimi illius obedientiæ illis non præstiterunt consensum, aut assensum suum. Item nec ipse in sua obedientia vocatus Ioann. XXIII. quoniam cum post recessum suum à Constantia Scaphusę constitutus, audiret prefatam declarationem, Dominis Oratoribus Christianissimi Regis Franciæ visitantibus eum, videlicèt Domino Duce Bauariæ, Domino Nicolao de Calauilla, alijsque eorum collegis, amaro animo conquestus est, falsa quædam, & erronea aduersùs auctoritatem Romani Pontificis decreta per emulos suos post recessum eius esse conclusa.

Quintò, præfata decreta Concilij Constantiensis non militant, quoniam nunquam fuerunt per omnes alias obedientias simul approbata, immò nec repetita, immò tota Synodus ex tribus obedientijs congregata, statutis suis videtur designasse decretum illud nunquam in mente sua insedisse. Quòd patet ex duobus.

Primò, ex eo, quòd in sessione 36. ità dicitur. Sacrosancta Constantiensis Synodus statuit, & decreuit, quòd futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus cùm hoc sacro Concilio, vel deputandus, per singulas nationes, debeat reformare Ecclesiam in capite Romanæ curiæ secundùm æquitatem, & bonum regimen Ecclesiæ, &c. Et sequitur in 13. articulo, propter quæ, & quomodo Papa possit corrigi, vel deponi. Ecce quòd manifestè datur intelligi, quòd Synodus illa hoc discernens non approbauerit, aut mente habuit illa decreta prima Constantiæ.

Secundò, ex illo, quod præfata Synodus Constatiensis postquam Papa Martinus fuit creatus, morem obseruando antiquorum Conciliorum, humiliter petiuit ab eo confirmationem, & roborationem omnium, quæ fecerat, cùm autem confirmare, & roborare superioris auctoritatis sit, planissimum est, quòd Synodus illa integra ex omnibus obedienrijs Christianitatis non erat huiusmodi fidei, quòd Concilium vniuersale habeat à Christo immediatè potestatem, cui etiam Papa obedire teneretur.

Sextò, præfatum decretum Constantiense non militat, quoniam per Apostolicam Sedem non fuit approbatum, immò videtur per Dominum Martinum reprobatum, siue anullatum in condemnatione erroris Ioannis Vicleff, & Ioannis Hus, inter quos, vt patet in bulla, quam approbante Concilio Constantiensi Dominus Martinus misit vniuersis Prælatis nationis Germaniæ, vnus articulus condemnatus est. Quòd Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ.

Secundus articulus, de quo mandat præfatus Dominus Martinus Prælatis, & Inquisitoribus fidei, vt inquirant suspectos de prefatis erroribus, vtrùm credant, quòd Papa Canonicè electus, qui pro tempore fuit, eius proprio nomine expresso, sit Successor B. Petri habens auctoritatem supremam in Ecclesia Dei. Hæc ibi. Clarissimum est autem, quòd hi duo articuli per Dominum Martinum, assentiente, & approbante Concilio plenario Constantiensi, videlicèt, quòd Papa sit caput sanctæ Sedis Catholicæ, idest vniuersalis, & quòd habeat supremam potestatem in Ecclesia Dei, non possunt simul stare cum decreto illo, quod Constantiæ factum legitur per quosdam de obedientia Io: Balthasar de superioritate Conciliorum suprà Papam, quoniam vt habetur in cap. inferior distinct. 21. sola Sedes potior inferiorem conuenienter absoluit, nec potest quisquam, qui inferioris auctoritatis est, eum, qui maioris potestatis est, adijcere, aut proprijs subiacere diffinitionibus. Si Papa, manens Papa, alteriùs iudicio, præterquam Dei subiacet non potest stare in veritate articulus illę diffinitus Constantiæ per Dominum Martinum, quòd Papa habeat supremam potestatem in Ecclesia, vt in superioribus etiam deduximus.

Septimò, præfata decreta, quæ inducunt aduersarij de Concilio Constātiensi, non militant, quoniam expresè sunt contrà sacrorum Conciliorum Canones, & Apostolicæ Sedis diffinitiones, sicut in superioribus est demonstratum, quare quicquid diffinitum sit in contrarium, quibuscumque viribus caret iuxtà cap. hæc est fides Pater beatissimè.

Octauò, decreta illa non militant, quoniam sanctorum Patrum sententijs, quorum Doctrinam in his, quæ fidei sunt, vniuersalis iam approbauit Ecclesia, manifestè contradicunt, sicut patuit exemplariter in superioribus, vbi pro Principatu Romani Pontificis testimonia induximus de beatis Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Cyrillo, Chrysostomo, Theophilo, & Cypriano, atque Leone Primo, quorum sententiæ in materia fidei, cùm iam ab vniuersali Ecclesia sint firmatæ, vt patet in quinta Synodo, nulla auctoritate, nulla hominum diffinitione possunt repelli. Omnis quippè contradictio facta horum Patrum sententijs, fieret profectò fidei ipsius vniuersalis Ecclesiæ: prima namque salus, vt habetur in cap. prima 25. qu. 1. est rectę fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare.

Nonò, præfata decreta locum non habent, quoniam contradicunt communi Doctrinæ clarissimorum Doctorum, tàm iuris Diuini, quàm humani, qui, vt in superioribus declaratum est de venerabili Hugone, de sancto Victore, de Alberto Magno, de sancto Thoma, de Magistro Alexandro de Ales, de sancto Bonauentura, &c. qui testimonijs Scripturam sanctarum, & Canonum reuerentia totius Orbis consecratorum, & auctoritatibus Summorum Pontificum clarissima luce demonstrant, Romanum Pontificem ità Principatum habere in vniuersa Ecclesia, vt extra casum hæresis, in quo à Papatu cadit, solum Deum Iudicem superiorem habeat, cuius Vicarius immediatus existit. Est autem mirabile, quòd Patres illi Constantiæ congregati voluerunt vno ictu non solùm delere, sed hæreticare tantorum Patrum Doctrinam.

nam. Eſt autem hic non prætereundum, quod habetur in cap. placuit 36. qu. 2. quòd auctoritas Concilij non præiudicat auctoritati Hieronymi, & maximè cùm Diuinæ Scripturæ innitatur, vbi dicit gloſs. quòd hæc ratio eſt, quia roboratur auctoritate veteris Teſtamenti, & Concilij Meldenſis. Si autem vnius Doctoris ſancti auctoritas roborata auctoritate ſacræ Scripturæ, & auctoritate vnius Concilij præiudicat auctoritati vnius Concilij vniuerſalis, vt ibidem dicitur, quantò magis auctoritas tantorum Doctorum, & ſanctorum roborata, & ſacra Scriptura, & Concilijs vniuerſalibus, & diffinitionibus Apoſtolicæ Sedis præiudicare debet decreto vnius obedientiæ tantum, & tempore ſchiſmatis? Ex quibus omnibus liquidò colligitur, quòd præfata decreta, quæ exaduerſo allegantur à Patribus aliquibus Conſtantiæ; edita vnius obedientiæ tantùm tempore ſchiſmatis, nec neceſſitatem habent, nec virtutem euertendi fidem, quam de Romani Pontificis Principatu ſemper ſeruauit ſanctorum Patrum auctoritas, & vniuerſalis Eccleſiæ pietas venerata eſt.

CAP. C.

In quo reſpondetur obiectionibus aduerſariorum ſumptis ex decretis Concilij Baſilienſis.

AMpliùs ſecundò, ea, quæ inducuntur de Concilio Baſilienſi ex diuerſis ſeſſionibus eius, minimè etiam militant propter multa.

Primò, cum dicunt, quòd ſancta Catholica Eccleſia in ſancto Conſtantienſi Concilio, &c. præſupponunt duo. Quorum primum eſt manifeſtè falſum, vbi dicunt, quòd in Concilio Conſtantienſi fuerit vniuerſaliter, definitum, quòd Concilium generale, &c. quoniam non vniuerſaliter, aut indefinitè, ſed ſingulariter facta fuit illa definitio, ſiue declaratio, vt in reſponſione ad ea, quæ inducuntur de Concilio Conſtantienſi, plenè in præcedenti capitulo dictum eſt.

Secundò, ſupponunt, quod illum decretum factum ſit à ſancta vniuerſali Eccleſia, hoc enim ſalua pace eorum, qui ita opinati ſunt, nullo modo poteſt probari verum eſſe, ſicut iam ante diximus, immò temerarium videtur, plurimumque ſcandaloſum, velle diffinire, quòd obedientia ſola Ioannis Balthaſar, quæ ſola Conſtantiæ conueniens fecit id decretum tempore ſchiſmatis, eſſet vniuerſalis Eccleſia Catholica, legitimè à verò, & indubitato Paſtore vniuerſalis Eccleſiæ congregata, ſanctum vniuerſale Concilium faciens, hoc enim eſſet dicere, quòd ſola obedientia Ioannis Balthaſar inter tres obedientias fuiſſet Eccleſia, & thalamus Chriſti, & aliæ obedientiæ, ſcilicèt Gregorij, & Benedicti fuiſſent proſtibula, & ſynagoga Sathanæ, & hoc non eſt aliud, quàm ſuſcitare antiquum ſchiſma in Eccleſia Dei.

Secundò, non militant præfata decreta Baſilienſis Concilij, eo quòd Concilium illud noluit recipere præſidentes Papæ in auctoritate ſua debita iuxtà morem antiquorum Conciliorum vniuerſalium, de quorum auctoritate in actione ſexta Concilij Chalcedonenſis, vt refert Iſidorus in libro Conciliorum: ità habetur, in omnibus Synodis Apocriſarij Apoſtolici, decretas ſententias, primò propter ſummam auctoritatem ſanctæ eiuſdem Sedis confirmabant, & ſubſcribebant, quia aliter nullum robur habebant, vndè ſcribit Paſchaſius, &c. Ex quibus patet decreta illa omninò vacua eſſe auctoritate.

Tertiò, patet idem, quia non fuerunt concluſa vnanimi conſenſu totius Synodi. Si autem Concilium non agant, vt inquit Iſid. 6. Ethic. & in cap. 1. diſt. 15. Qui non conſentiunt in vnum, non poteſt dici concluſio Concilij vniuerſalis, maximè in materia fidei, cuius vnitas maximè requiritur in corpore Eccleſiæ, quæ ex vniuerſali conſenſu non emanat. Quòd autem vniuerſalis conſenſus in decretis illis Baſilien. non interuenerit, patet. Tùm quia multis Prælatis, & Doctoribus in vtroque iure graduatis, ſapientia, & virtutibus clariſſimis, non conſentientibus, edita ſunt, quorum plurès eorum attendentes prędicta decreta aduerſa eſſe ſanctorum Patrum Doctrinis, non modo in diſputationibus ſuis contradixerunt, & reclamauerunt, verùm etiam in ſeſſionibus ipſius Concilij, in quibus talia decreta ad furorem quorumdam hoſtium Apoſtolicæ Sedis cùm multitudine populi parui præcij, & nullius auctoritatis publicata ſunt, intereſſe noluerunt. Secundò, non fuerunt vnanimitate vniuerſali concluſa, quia non expectata plenè vniuerſali Eccleſia, nec integrè Synodo connregata, non enim expectatis plurium Regum, & Principum oratoribus concluſa fuerunt, licèt aliquos eorum nouerint iam in via conſtitutos, vndè Baſilienſe cupidi renouare decreta ſua, poſtquam ſanctæ memoriæ Dominus Eugenius ad Principum preces reuocauerat diſſolutionem Concilij, quam fecerat, timentes Dominorum Caſtellæ, & Angliæ oratores, quos iam propinquos nouerant, pro eorum ſapientia, & zelo ad fidem, & Apoſtolicam Sedem concluſionibus eorum non præbituros conſenſum, praticauerunt, vt ante aduentum præfatorum Dominorum oratorum innouatio fieret ſuorum decretorum, quod factum eſt in ſeſſ. 18. Nullus profectò ſanę mentis vir, qui nouit cum quanta grauitate, integritate, & modeſtia fidei iudicia tractanda ſunt, iudicabit eſſe vniuerſali conſenſu totius Eccleſiæ concluſa, Spirituque ſancto dictata, in quibus huiuſmodi factiones, & practicę interuenerunt.

Quartò, decreta Baſilienſium inualida eſſe, monſtratur eo, quòd in eis non interuenit aſſenſus Apoſtolicæ Sedis, quæ vnanimquanquam Synodum ſua auctoritate confirmat, vt in cap. conſideremus 25. qu. 1. Quod, verò ad hoc dicunt aduerſarij Baſilienſes quòd in ſeſſione 17. quando præſidentes Domini Eugenij fuerant admiſſi, iurauerunt, defendere decreta præfati Concilij, & ſpecialiter decretum de auctoritate Conciliorum nullius eſt ponderis, & inter alia ex hoc, quod vt in geſtis eiuſdem Concilij habetur præfati

Domi-

Domini iurauerent nominibus proprijs, vt scilicèt particulares personæ, & hoc necessitate maxima compulsi, quia aliter in maximum scandalum totius Ecclesiæ non admittebantur ad præsidentiam, non autem iurauerunt illa tenere, vt Nuncij Apostolici, immò in quantùm huiusmodi protestati sunt in contrarium, nec interesse voluerunt sessionibus, in quibus talia concludebantur. Quis autem iam, etiam Patrum, in sanctorum Patrum literis doctus dicet vnanimi consensu vniuersalis Ecclesiæ esse conclusa, quæ, Apostolica Sede, in qua Dominus totius Ecclesię Principatum posuit, non consentiente, sed potiùs contradicente, per suos Oratores, & reclamante, conclusa sunt, sicut patet ex distinct. 17. per totum. Sed replicant aduersarij Basilienses, quòd immò in decretis eorum interuenit consensus Apostolicæ Sedis, quoniam Dominus Eugenius per Bullas suas de Concilio, & assensu Dominorum Cardinalium tunc secum in Curia existentium decreuit, & declarauit multa circa præfatum Basiliense Concilium.

Primò, quòd generale Concilium Basiliense fuerit pro extirpatione hæresum, pro pace populi Christiani, ac generali reformatione Ecclesiæ in capite, & in membris, & pertinentibus ad ea legitimè inchoatum.

Secundò, quòd à tempore suæ inchoationis legitimè inchoatum extiterat, & esse, prosecutionemque semper habuisse, & habere, &c.

Tertiò, prædictam dissolutionem irritam & inanem declarauit.

Quartò, quòd ipsum generale Concilium purè, & simpliciter, & cùm effectu, ac omni deuotione, & fauore prosequi intendebat.

Quintò, reuocauit, quicquid per eum, aut eius nomine in præiudicium, & derogationem prædicti Concilij Basiliensis, seu contrarius auctoritatem attemptatum esset. Ad ista facilis est responsio, maximè si vera sunt, quę à pluribus magnę probitatis, & grauitatis viris dicta sunt in Curia, videlicèt, quòd præfatæ Bullæ magis extortæ fuerunt minis, quàm de mente Dñi Eugenij emanauerint.

Nam, vt fertur Dominus Andreas Venetus Dominij Venetorum tunc Orator, & aliqui Domini Cardinales tunc aqud Dominum Eugenium præsentes, timentes futurum magnum scandalum in Ecclesia, minati sunt præfato Domino Eugenio, quòd nisi bullas illas adhæsionis concederet, ipsum solum, recedentes, relinquerent, vndè præfato Domino in lecto decubente, præfati Domini referuntur bullas illas talitèr, qualitèr expediuisse, & misisse Basileam.

Sed dimissis istis, nos aliter respondemus dicentes: quòd nihil eorum, quæ in præfatis bullis continentur, suffragatur aduersarijs, quoniam Dominus Eugenius numquam præbuit consensum decretis Concilij Basilien. nec ipse, vt Basilienses fabulantur, & garriunt, cum sancta Catholica Ecclesia fuit complexus Doctrinam, quam aduersarij de auctoritate conciliorum fingunt: quoniam nec ipse Summus Pontifex, nec vnquam vniuersalis Ecclesia complexa est talem doctrinam, sed ipse semper tenuit cum sancta Catholica Ecclesia, quòd scriptura sancta, & sacrorum antiquorum Canonum firmat auctoritas, & sanctorum patrum ac clarissimorum doctorum ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio communis tenet doctrina. Et ad probationem, quam inducunt ex partibus bullarum adhęsionis, respondetur negando, quòd ex aliqua illarum partium cum veritate potest argui, quòd Dominus Eugenius complexus fuerit, aut approbauerit præfatam Basilien. doctrinam. Quòd, per singulas partes discurrendo, facimus manifestum.

Non quidem ex prima, in qua dicit consilium Basiliense congregatum esse legitimè pro extirpatione hæresum, patet: quoniam ex hac concessione nullo modo sequitur, quòd ipse summus Pontifex complectatur, aut approbet quicquid per illud Concilium fuerit institutum, aut diffinitum, licèt enim vniuersale Concilium Ephesinum secundum extirpandi hæresis gratia fuerit legitima auctoritate inchoatum, nihilomiùs Leo Papa non complexus est præfati Concilij definitiones: immò illas in Concilio Chalcedonen. sequenti tamquam hæreticas reprobari instituit, & damnauit. Præterea licèt sancti patres in concilijs vniuersalibus legitima continuatione processerint: nihilominùs pro suorum canonum robore, atque firmitate ad Apostolicam sedem leguntur semper habuisse in fine recursum, sicut liber conciliorum, & Summorum Pontificum apertè testatur, quòd etiam nos in tertio sequenti libro ostendemus.

Cæterùm, nec ex secunda parte bullarum adhęsionis, aduersarij habent intentum: quoniam licèt Dominus Eugenius declararet præfatum concilium fuisse continuatum, & continuari debere, propter hoc non sequitur, quòd decreta sua, aut statuta, super quibus eius sedes numquam fuerat consulta, approbauerit: & tamen, vt fœlicis, & sanctæ meriæ Nicolaus Papa in epistola, quam Michaeli Imperatori scribit, à sanctis Patribus in Concilijs obseruatum extitit, vt absque Romani Pontificis consensu nullius insurgentis deliberationis terminus daretur, ipse, videlicèt Eugenius, Florentiæ in disputatione publica, de qua nos in minoribus constituti respondebamus alleganti in fauorem Basilien. reuerendissimo Domino Iuliano de Cęsarinis sanctæ Sabinæ Presbytero Cardinali, pręsentibus Dominis Cardinalibus, pluribusque alijs prælatis, & officialibus curiæ, ad argumentum de huiusmodi bullis respondit, ità dicens. ¶ Nos quidem benè progressum Concilij approbauimus, volentes, vt procederet, vt inceperat non tamen approbamus eius decreta, & in hoc sapientissimè fecit. Quis enim, nisi imprudentissimus Princeps approbaret decreta, quæ numquam vidisset, aut quæ priùs non examinasset si quod in eis minus expediens contineretur. Vnde mos fuit summorum Pontificum, cùm confirmaturi essent decreta conciliorum vniuersalium, quibus personalitèr non interfuerant, congregare Synodum prælatorum, qui erant sub patriarchatu Romano, & ibidem diligenti examinatione facta, illa confirmabant, sicut de beato Siluestro legitur, cum decreta Concilij Nicæni approbasset. Item duobus posterioribus

Papa

Papa Clemens Quintus ità fecisse legitur: vt Ioann. an. in principio Clem. ponit de constitutionibus factis in concilio Viennen. quæ quia, vt inquit, aliquæ earum erant ineptæ, aliquæ prolixæ, aliquæ defectiuè compositæ, aliquæ etiam non expediebant, fecit illas Clemens recenseri per peritiores, qui aliquas illarum in toto reseruauerunt, aliquas in totum resecarunt, aliquas mutarunt, quo ad verba mente seruata: aliquibus verò earum quibusdam detractis quo ad verba, & quo ad mentem, aliqua sunt addita. Præterea quòd Dominus Eugenius approbando processum Concilij, non approbauerit decreta illius, exindè manifestè colligitur, quòd licèt Basilien. cum maximo studio repetitis vicibus supplicauerunt, exorauerunt, ac requisierunt per oratores suos, vt Dominus Eugenius eorum decreta approbaret, & confirmaret, numquam tamen talem approbationem, aut confirmationem habere ab eo potuerunt. Et meritò, quia Sedes Apostolica, in qua religio christiana semper immaculata permansit, & permanebit, talia decreta, quæ ab Euangelica veritate, & sanctorum Patrum doctrina aliena videbantur, nullo modo ab eo passa fuit confirmare.

Cœterum, nec ex tertia particula bullarum prædictarum habent aduersarij intentum. Tùm quia, non ideò Dominus Eugenius dissolutionem factam concilij irritam esse declarauit, quia ipse, qui Princeps erat Ecclesiæ facere illam non potuerit, sed quia agnouit, ex non veris causis, licèt veris autem æstimatis, ex aliquorum relatione illam fecisse, vndè cognita non existentia causarum, & quòd, vt in bulla inquit, ex prædicta dissolutione ortæ erant graues dissensiones, & grauiores oriri poterant, necnon quòd præstabat impedimentum executioni sanctorum operum, ad quæ Synodus fuerat congregata data promissione à Synodo, & securitate à Principibus, quòd Apostolicæ sedis honor, & sanctitatis suæ illibatus seruaretur, mutauit sententiam, & voluit dissolutionem factam pro bono pacis Ecclesiæ nullam haberi: nec habuisse firmitatem, reuocans illam, ac irritans.

Non enim est nouum, quòd sententiæ summorum Pontificum pro consideratione temporum, & locorum, & personarum, ac grauium occurrentium necessitatum in melius commutentur. Ait enim Papa Nicolaus in cap. sententiam. 25. quæst. 7. Sententiam Romanæ Sedis non negamus in melius posse commutari, cùm aut surreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum, & temporum, seù grauium necessitatum dispensatoriè quedam ordinare decreuit: quoniam, & egregium Apostolum Paulum quædam fecisse dispensatoriè legimus, quæ posteà reuocasse legitur. Ampliùs, nec ex quarta particula cedit aliquid fauoris aduersarijs, quoniam licèt Dominus Eugenius diceret se velle prosequi, cum omni deuotione, & fauore illud Concilium: hoc tamen intelligendum est in his, quæ iustè, & rationabilitèr, salua fide, salua sanctorum Patrum doctrina salua Apostolicæ sedis auctoritate, & reuerentia, per concilium constituerentur.

Præterea, dato quod Papa tunc promisit Concilium illud, cum omni deuotione, & fauore prosequi, intelligatur approbasse illius decreta: illa intelligitur approbasse, quæ iurisdictionem, & auctoritatem papalem non offendunt, & honori, atque præeminentiæ Apostolicæ sedis non repugnant, seu obuiant, quæ, vt suprà repetitum est, superiorem nullum præter Deum recognoscit de elect. cap. licèt.

Item nec ex quinta particula aduersarij habent propositum suum quoniam ex tali reuocatione, & cassatione eorum, quæ attemptata fuerunt in præiudicium Concilij Basilien. non sequitur, quòd Dominus Eugenius asserere voluerit, aut credere voluerit ea de Concilio Basiliensi, aut quocumque alio, quæ cùm veritate Concilijs non conueniunt, nec contrà auctoritatem Concilij fit negando ei conuenire, quæ iuxtà sanctorum Patrum Doctrinam ei non competunt. Cæterum nec per illam reuocationem voluit Dominus Eugenius à se, & à sede sua abnegare, quæ iuxtà scripturas sanctas, & Sanctorum Patrum sententias Apostolicæ sedi diuinitùs sunt concessa, cùm hoc non posset facere: inter quæ est illud de dependentia auctoritatis Conciliorum à Papa, & non è conuersò, vt patet dist. 17. per totum, de quo, etiam duce Christo, plenior tractatus erit in sequenti huius summæ libro tertio.

Quintò, decreta Basilien. prædicta non sunt valida: quoniam sicut de decretis factis Constantiæ per patres aliquos obedientiæ Ioannis Balthassar, qui dictus est apud illos Ioann. 23. dictum est: sunt sanctorum Patrum sententijs, & præstantiorum doctorum in tota schola theologica doctrinæ aduersa, & contraria. Vbi non parum admirandum aduersarios Basilien. tanta caligine mentis inuolutos, & excœcatos malitia, vt in materijs fidei definiendis, & declarandis maluerunt sequi homines ab Ecclesia Dei in doctrina sua damnatos, sicut fuit Marsilius de Padua, OKan cum complicibus suis, ex quorum doctrina extracta sunt pro magna parte decrera illa præfata Basilien. & quosdam alios nouellos doctorellos præfati OcKan, & aliquorum fraticellorum opiniones erroneas renouantes, quam Doctores Sanctos ab Ecclesia appobatos, & alios præstantissimos doctores antiquos, & reputatissimos in schola theologica, quorum Doctrina fulget Ecclesia, vt Sol, & Luna. Contrà quos ait Hieronym. & habetur in canone non afferamus 24. q. 1. Non afferamus stateras dolosas, nec appendamus, quod volumus pro arbitrio nostro, dicentes, hoc graue, hoc leue est, sed afferamus diuinam stateram ex scripturis sacris tamquam de thesauris dominicis, & in illa quid sit grauiùs appendamus, hæc Hieronymus.

CAP.

CAP. CI.

In quo respondetur aduersariorum obiectionibus sumptis ex auctoritatibus Doctorum.

IAm respondeamus ad auctoritates Doctorum, quas aduersarij in eorum fauorem inducunt.

Et Primò ad illam, quæ dicitur esse beati Petri ad Clementem, respondetur, quòd auctoritas illa non militat contra conclusionem nostram propter multa. Tùm primò, quoniam cùm beatus Iacobus multo tempore fuerit mortuus ante beatum Petrum bene scilicèt ad minus octo annis, vt colligitur ex Chronicis non videtur verisimile, quòd beatus Clemens scripserat illam epistolam, post mortem beati Petri, beato Iacobo. Tùm secundò, quia multi tex. habent, vbi aduersarij ponunt deponaris: puniaris: & hoc intelligitur à Deo, & non ab alijs. Etiam si dicatur deponaris, intelligendum est scilicèt à Deo. Et quòd ità sit intelligendum, patet satis testimonio beati Anacleti, qui immediatè secutus est beatum Clementem, qui ait in capit. eiectionem dist. 79. Eiectionem Summorum Pontificum sibi Deus reseruauit.

Tum tertiò, quia dato, quod dicatur in auctoritate prædicta, deponaris, & intelligatur per Ecclesiam: non sequitur, quòd extrà casum hæresis veniat deponendus per Ecclesiam, vndè solus casus hæresis tangitur in auctoritate prædicta, cum dicitur: Ex eo fit, quòd & tu tamquam, qui non docueris, quæ ad salutem hominum pertinent, deponaris, vel puniaris, huc enim concedimus, quòd si Papa non docuerit, quæ ad salutem hominum pertinent, sed errores, & hæreses, meritò puniendus est tamquam hostis Christi, & euersor fidei eius veniat. Et ità ratio non procedit contrà conclusionem nostram.

Ad secundam, quæ sumitur ex glos. c. si Papa, dist. 40. respondetur, quòd de glos. illa parum curandum est. Tum primò, quia vt patet ex modo loquendi non assertiuè, sed opinatiuè loquitur, ait enim credo. Secundò, quia non firmatur aliqua ratione, contumacia enim non propriè dicitur hæresis, sed symbolica, & transumptiua locutione, vndè argumẽta sumpta ex talibus, tamquã sint propriè dicta nihil valent, vt dicit Aug. ad Vicen. Tum tertiò, quia manifestum est contrà textum vnius summi Pontificis, & martyris, qui multo præstantioris auctoritatis est, quàm glosator ille. Quartò, quia est contrà multos tex. & canones sacrorum Conciliorum, & sanctorum Patrum, de quibus superiùs in capit 93. multa commemorata sunt. Tum quintò: quia contraria est doctrina Doctorum, sicut patet ex superioribus, vndè etiam Archidiac. in Rosario super illud glos. Numquid potest denunciari crimen Papæ dicit: quòd denunciatio fit ad correctionem, ad quam compelli non potest, cum superiorem non habeat. Tùm sextò, quia contraria est multis alijs glo. vt illi in cap. mandastis 2. qu. 5. quæ dicit, quòd Papa non potest ab aliquo iudicari, nec etiam ab vniuersali Concilio. Item illi in cap. nemo 9. quæst. 3. super verbo ab omni clero, quæ dicit argumentum, quòd Concilium non potest Papam iudicare, vt extrà de Eiect. cap. significasti, vndè si totus mundus sentiret in aliquo negotio contrà Papam, videtur sententiæ Papę standum esse, vt 34. quæst. 1. hæc est fides, hæc glos. prædicta. Item contraria est glos. in cap. si quis pecuniam dist. 79. quæ vult, quòd tantum pro stricta hæresi papa possit iudicari, & deponi, scilicèt si peccat contrà articulos fidei. Quarum glos. contradictione visa, siue sint vnius glosatoris, siuè diuersorum, illa sententia magis tenenda est, pro qua maior numerus glosatorum facit.

Secundò potest responderi ad illam Gloss. vt quidam Theologi respondent, & maximè Magister Augustinus de Anchona in summa sua, de potestate Ecclesiastica, quòd Papam esse incorrigibilem potest intelligi dupliciter. Vno modo continuatione criminis, putà, quia admonitus non desistit peccare peccato fornicationis, aut alio accusatione digno, absque hoc, quod crederet licitè facere. Secundò modo per ipsius criminis pertinacem defensionem, vt dicat, & defendat tale crimem, quòd circumuolatam habet malitiam non esse peccatum. Gloss. verò non habet locum in primò modo, sed benè in secundò; tunc enim concordat cùm Gloss. cap. si quis pecuniam, dist. 79. de qua parum ante. Si autem dicatur, quòd Papa sit incorrigibilis, tantùm primò modo, per continuationem scilicèt in peccatis, adhuc scandalizaret: & ità videtur, quod veniret iudicandus, respondetur, quòd non propter hoc veniret iudicandus. Tùm quia illud non esset scandalum periclitationis Ecclesiæ, hinc est, quòd licèt talia scandala præuideret Dominus in sua Ecclesia, nihilominùs dicit Dominus de Prælatis Matth. 23. Super Cathedram Moysi, &c. Et hoc est, quod apertè dicit, cap. si Papa. Tùm secundò, quia vt ait Gregorius, vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur. Cùm autem iuxtà Canones, sanctorum Patrum, & sanctorum Doctorum doctrinam; Papa, nisi in fide deuiet à solo Deo iudicandus veniat propter quodcunque scandalum veritas doctrinæ, tantis inconuulsis sanctorum Patrum radicibus fundata, non est aliquo modo relinquenda. Præterea vt inquit Apostolus, mala non sunt facienda, vt eueniant bona, malum est autem facere contra diuinam dispensationem, aut vsurpare diuinum iudicium. Cùm autem ista sint paccata mortalia, ergo hæc facienda non sunt propter quæcunque alia bona.

Ad tertiam obiectionem sumptam ex auctoritate beati Gregorij, respondetur, vt dicit Magister Alexander de Alis in tertiò, quod hoc, quod fecit Gregorius, factum est ad examplum humilitatis, non ex necessitate iuris, quod enim Papa se voluerit subijcere in aliqua causa aliorum iudicio supererogationis est, & tale non infert necessitatem. Vndè ex hoc non arguitur, quòd habeat iudicem ordinarium superiorem eo.

Ad quartam auctoritatem, quæ dicitur esse beati Thomæ in libro de regimine principium; respondetur, quòd nõ facit ad proposi-

tum

tum, dato, quòd liber sit sancti Thomæ, si benè intelligantur ea, quæ idem Doctor ibi posuit, non enim loquitur ibi sanctus Thomas, nisi de communitate, quæ ius habet prouidendi sibi de Rege per institutionem, siue donationem iurisdictionis, sicut est communiter in istitutione Regum, & principum secularium, secùs est de Principe Ecclesiæ, cuius auctoritas ab ipso Deo immediatè pendet, & non à communitate Ecclesiæ, sicut iura multa dicunt, vt in cap. quamuis, dist. 21. & in cap. omnes, dist. 22. & in cap. sacrosancta. Prætereà hoc etiam patet ex eo, quòd licèt aliquod Collegium Canonicorum alicuius Ecclesiæ Cathedralis expectet prouideri sibi per electionem de Episcopo, nihilominùs, quamtumcumque conuersus in tyrannum, aut scandalizet Ecclesiam, non pertinet ad eum deponere illum, sed oportet recurrere ad superiorem. Ex his patet deceptio eorum aduersariorum, qui ex conditione cummunitatis mundanæ, ad quam spectat, vt dicunt, Principis correctio, vel totalis destitutio, si inemendabilis perseueret, arguunt de communitate Ecclesiæ, quòd ità sit, aut debeat esse in ea respectu ipsius Principis Ecclesiæ, decipiuntur autem turpiter, cùm nullo modo sit simile hìc, & inde, vt dictum est.

CAP. CII.

In quo respondetur aduersariorum obiectionibus sumptis ex rationibus, & qualiter Papa per hæresim publicè prædicatam, & contumaciter defensatam cadat à Papatu.

Consequenter respondendum est ad obiectiones quartæ viæ, scilicet ad rationes.

Ad primam rationem sumptam de cap. si Papa, respondetur negando cõsequentiam. Et ratio est, quoniam per hæresim Papa cadit à Papatu, quod non fit per alia peccata, & ità cùm per hæresim Papa fiat omnibus fidelibus minor, vt dicit sanctus Thomas in 4. & habet Gloss. in cap. achatius 24. quæst. 1. per Ecclesiam iudicari poterit, siue iudicatus à Deo declarari, quod non potest propter alia peccata: Quòd verò Papa per hæresim notoriam, & contumaciter defensatam cadat à Papatu, & ità ipso iure sit priuatus, patet ex multis. Tùm ex eo, quod fide perdita, per quam fit prima vnio ad corpus Christi, quod est Ecclesia, membrum Ecclesiæ esse desinit, & per consequens esse caput, quomodo enim intelligi potest, vt aliquis sit caput corporis Ecclesiæ, cuius non modo membrum non est, sed nec etiam in corpore ipso, sed extrà est.

Secundò, quia Ecclesia est fundata super Petram, & scilicèt Fidem Christi, Matth. 16. [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Ergo qui cadit à petra, scilicèt Christo, siue fide eius notoriè, & contumaciter, cadit omninò ab Ecclesia Christi, & per consequens à Principatu eius, qui importatur nomine Papatus.

Tertiò patet ex his, quæ sanctus Thomas dicit in 2. 2. quæst. 39. artic. 3. vbi quærens, an Schismatici habeãt absoluendi potestatem, & distincta duplici potestate, scilicèt Sacramentali, & iurisdictionali: respondet, quòd potestatem Sacramentalem non perdunt, quo ad essentiam potestatis, licèt benè, quoad legitimum vsum: Potestatem verò iurisdictionalem, quæ non per consecrationem, sed per solam commissionem datur, prædunt, quo ad essentiam potestatis Schismatici, & Hæretici. Vnde non possunt absoluere, vel excommunicare, nec indulgentias dare, nec aliquid huiusmodi, quod si fecerint nihil est actum. Inducit ad hoc auctoritatem Cypriani, qui in cap. nouatianus 7. quæst. 1. ita inquit: Qui nec vnitatem spiritus, nec communicationem pacis obseruat, se ab Ecclesiæ vinculo, & Sacerdotum Collegio separat, nec Episcopi potestatem habere potest, nec honorem.

Tùm quartò, hoc colligitur ex eodem sancto Thoma in 4. dist. 19. vbi inquit, quòd si Papa in hæresim labitur, minor efficitur quocumque fideli, & hoc idem habet gloss. super cap. achatius 24. quæst. 1. quæ ità habet: Hic est casus, in quo Papa Papam ligare potest, in quo Papa Canonem latę sententiæ incidit. Nec huic obuiat regula; par parem soluere, vel ligare non potest, quia si Papa hæreticus est, minor est quolibet Catholico. Hæc gloss.

Tùm quintò, hoc videtur colligi ex capitulis multis in decreto, sicut ex cap. quòd autem, & cap. Achatius, & ex cap. audiuimus 24. quæst. 1. Vnde in cap. audiuimus, ità expræsse habetur: Si autem in corde suo nouam hæresim confinxerit, ex quo talia prædicare ceperit, neminem damnare potuit, quia non potest deijcere quenquam, iam prostratus.

Item ex cap. omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, &c. eadem causa, & quæst. & ex cap. didicimus ibidem, vbi beatus Cyprianus ità ait: Dicimus omnes omninò Hæreticos, & Schismaticos nihil habere potestatis, aut iuris.

Item ex §. his auctoritatibus eadem causa, & quæst. vbi sic habetur: His auctoritatibus perspicuè monstratur, ex quo aliquis contra fidem ceperit aliquid docere, nec deijcere quenquam valet, nec damnare, vnde propriè loquendo, nec propter hæresim Papa deponitur à Concilio, sed potiùs declaratur non esse Papa, cùm ostenditur, quòd in hæresim fuit collapsus, & incorrigibiliter in ea obstinatus perseuerat; vnde gloss. in cap. 1. extrà de schismaticis super verbo careant firmitate, dicit, quia dum Ecclesia Pastorem habet Hæreticum, vel Schismaticum, vacare intelligitur, suprà de præscrip. cap. 1. verùm, quòd quis in hæreticam prauitatem pertinaciter lapsus sit ipso iure omni Ecclesiastica potestate priuatus, pleniùs opitulante Deo ostensuri sumus in quarto libro huius operis, cum de hæreticis erit sermo.

Ad probationem autem primam consequentiæ, respondetur: Primò, quòd dato, quòd Scriptura Sancta apertè non expræsserit, ius tamen Canonicum hanc differentiam satis sufficienter expræssit, vt in cap. si Papa, & in multis alijs, vt cap. oues. Magnam faciens differentiam, in hoc loco de peccato hæresis, & de

& de peccatis aliorum generum, & hoc sufficit.

Secundò, potest responderi negando, quòd in Sacra Scriptura talis differentia inter hæresim, siue infidelitatem, & alia peccata non reperiatur expressa: De peccato enim infidelitatis dicitur Matth. 10. [Qui negauerit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.] Item Ioann 3. [Qui non credit iam iudicatus est.] Item 2. Ioann. 1. [Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non afferte, nolite eum recipere in domo, nec aue ei dixeritis: Qui enim dixerit ei aue, communicat operibus eius malignis.. Vbi inquit gloss. nolitè; idest non tantùm non assentiatis, sed nec ad horam recipiatis. Et ista ità se extendunt ad Prælatos Christi, doctrinam non accipientes, sicut ad subditos. De alijs autem peccatis, non sic loquitur Scriptura Diuina, sed ait Matth. 23. [Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite, secundùm opera eorum nolite facere. Ecce quòd Dominus non dicit abijciendos malos Pastores, qui bonam doctrinam habent, vitam verò malam, sed audiendos in doctrina, in operibus verò non imitandos.] Vnde August. in epistola ad Generosum assignans rationem, quare Pralatis etiam malis, vtpotè Papæ, etiam malo moribus, obediendum esset, sic dicit: Ab ipso Petro numeramus Episcopos, & infrà: in hoc ordine successionis Episcoporum, qui deducitur ab ipso Petro, vsque ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedram sedet, etiam si quisquam traditorum per illa tempora surrepisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ, & innocentibus, quibus Dominus prouidens ait de præpositis malis, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere, vt certa sit spes fidelium, quæ non est in homine, sed in Deo collocata, nunquam tempestate sacrilegij schismatis dissipetur. Hæc ille Item colligitur ex Apostolo ad Rom. 13. [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:] Gloss. bonis, vel malis, primæ Petri 2. [Obedite præpositis vestris, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam dischólis.] Ecce quàm clara dicta ex Sacra Scriptura colliguntur inter peccata infidelitatis in pastoribus, & alia peccata.

Ad secundam probationem respondetur, quòd falsum præsupponitur; videlicèt quòd maius sit iudicare Papam in casu hæresi, quàm in casu aliorum peccatorum. Et ratio est, quia in primo cadendo à Petra fidei, cadit à Papatu, vt dictum est, & ità efficitur minor quocumque fideli, & ità minùs est in hoc casu iudicare illum, quod non est in alijs peccatis, in quibus non cadit à superioritate officij. Quòd autem dicitur, quòd vbi conceditur maius, &c. respondetur, quòd hoc verùm est, vbi maius, & minus sunt eiusdem ordinis, siue rationis, vt de se patet.

Ad secundam rationem, vbi dicitur, quòd nulli corpori, &c. respondetur, quòd ratio non procedit propter multa.

Tùm primò, quia maior illa deficit in veritate de membro capite, quia ab illo pendet sensus motus, & virtus corporis, & sine quo corpus non viuit. Hinc est quòd Christus Matth. 18. inter membra ratione scandali abscindenda, non nominat caput, sed membra illa, cùm quorum abscissione stat vita sensus, & motus corporis. A Papa autem, vt habetur in cap. si Papa, dist. 40. post Deum salus vniuersitatis fidelium specialiter pendet.

Tùm secundò, ratio non videtur ad propositum inducta, quia quamtumcunque Papa efficitur malis moribus membrum putridum, non potest totum corpus inficere, non permittente hoc ipso Spiritu sancto, quo Ecclesiæ corpus, & viuit, & vegetatur, & à quo salus eius principaliter dependet, maximè cùm Christus pollicitus sit semper cùm corpore suo manere, dicens: [Ego vobiscum sum, vsque ad consumatione seculi.] Matth. vlt.

Tùm tertiò, ratio non procedit, quia etsi huiusmodi membri abscissionem alijs de Ecclesia, vel Ecclesiæ non commisit, sibi tamen reseruauit, secundùm illud Symmachi in cap. aliorum 9. quæst. 3. dicentis: Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, sed sedis istius præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Stultum autem esset cogitare, quòd minus sit prouisum corpori Ecclesiæ per hoc, quòd Christus Vicarij sui causas suo sine quæstione arbitrio reseruauit, quàm si aliorum iudicio voluisset terminari. Nec etiam mirandum est, si aliqua in hac vita remaneant impunita, & iustitia aliquotiens exulet; quia multa diuino examini reseruantur, quæ in hoc seculo manent impunita, vt in cap. si ostenditur 6. quæst. 1.

Ad tertiam rationem, quasi similis patet responsio; dicimus enim, quòd consequentia illa aduersariorum nulla est: Immò Christus instituendo, quòd Papa eius Vicarius generalis extrà casum hæresis propter alia quæcunque peccata, propter quæ non cadit à Papatu, & Vicarius eius non possit corrigi ab alijs, quàm ab eo, ordinatissime fecit: quia sic relucet in ordine Ecclesiæ ordo Diuinæ prouidentiæ, quæ habet, quòd in ordinatis ad ipsum, prima agunt in posteriora regendo, mouendo, corrigendo, & non è conuerso; vnde cum Romanus Pontifex sit primus, & supremus in toto ordine Ecclesiæ, secundùm debitum ordinem ipsius, ità debuit institui, vt ipse alios corrigeret, & ipse à solo Deo veniret corrigendus; vnde gloss. super illud Psalm. [Tibi soli peccaui,] inquit, quia Rex est omnibus superior, ideò à Deo tantùm, qui maior est eo puniendus est. Et ad probationem respondetur, quòd nulla est. Tum primò, quia aliud est in casu hæresis, & in alijs peccatis, vt sæpè repetitum est. Tum secundò, quia aliud est resistere volenti demoliri communitatem, & aliud est punire volentem demoliri, aut aliquid iniustè attentare, primum potest conuenire inferioribus, secundum non. Tum tertiò, quia vt in prima responsione dictum est, casus ille non est possibilis de communitate Ecclesiæ, sicut de alijs, pollicente Christo Matth. 16. quòd aduersus Ecclesiam, etiam portæ inferi non præualebunt.

Ad quartam rationem, cum arguitur: Omne quod debemus, &c. respondetur, quòd ratio illa nihil facit ad propositum, aliud enim est impedire aliquem hominem volentem alterum iniustè interficere, aut tenendo eum,

cum, vel remouendo ſibi gladium de manibus, vel aliquid huiuſmodi, & aliud eſt eſſe ſuperiorem iudicem illius, & poſſe contra illum procedere via iuris ad eum puniendum. Vnde ſi argumentum procederet omnes homines poſſent ſuos quoſcumque ſuperiores, cum malè agerent, iudicare, & punire, etiam laici clericos. Vnde iſta argumenta fuerunt Bohemorum ad probandum, quòd eorum communitas diſſolutum Clerum corrigere poſſet.

Ad quintam, cum arguitur, ſi Papa vellet vxorem alterius, &c. reſpondetur ſicut ad præcedentem, quòd ratio non militat. Aliud enim eſt reſiſtere, & aliud eſt punire, ſiue impugnare, primum poteſt conuenire in caſu, inferiori, ſicut Paulus reſtitit Petro, ſed ſecundum non niſi ſuperiori.

Ad ſextam rationem, & ſeptimam, in quibus obijcitur, quòd Papa diffamatus ad vitandum ſcandalum debeat ſe purgare; reſpondetur, quod rationes illę non militant in aliquo, quia dato, quòd Romanus Pontifex diffamatus, teneatur ſe expurgare ex debito conſcientiæ ad tollendum ſcandalum, non ſequitur ex hoc, quòd aliquis ſit iudex eius ſuperior in cauſis, quoniam poterit ſe expurgare abſque hoc, quòd purget ſe coram aliquo iudice ſuperiori, ſicut apertè colligitur ex purgationibus factis aliquibus ſuperioribus temporibus per Summos Pontifices. Sicut de Leone legimus in cap. auditum 2. qu. 7. quam tamen non fecit coram iudice ſuperiore, vel Concilio vniuerſali, ſed coram duodecim Epiſcopis tantùm, vt in cap. omnibus ead cauſa 2. qu. vnde ait: Auditum eſt fratres chariſſimi, qualiter mali homines in me grauia crimina confinxerunt, quamobrem ego Leo Papa Pontifex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ purifico me in conſpectu veſtro coram Deo, & Angelis eius, &c. Item Sixtus Papa ſe purgauit in Concilio, ſed non tamquam ſuperiore iudice, vnde cap. mandaſtis, 2. qu. 5. ſcribens omnibus Epiſcopis, ità ait: Scitote me criminari à quodam baſſo, & iniuſtè perſequi, quod audiens Valentinianus Auguſtus noſtra auctoritate Synodum congregari iuſſit. Nota noſtra auctoritate, & facto Concilio cum magna examinatione, ſatisfaciens omnibus, licèt euadere aliter potuiſſem, quia vt ait gloſs. ibi Papa à nullo poteſt iudicari, 19. qu. 3. aliorum, nec ab vniuerſali Concilio, 17. diſt. §. Hinc etiam, ff. de lege princ. ſuſpitionem tamen fugiens, expurgaui me, ſcilicet à ſuſpitione, & æmulatione liberans, ſed non alijs, qui noluerint, aut ſpontè hoc non elegerint, formam faciendi dans. Hæc ibi. Item patet idem de Damaſo Papa, qui non coram ſuperiori Iudice, ſed coram 42. Epiſcopis ſe purgauit, vt in capit. nos ſi. 2. quæſt. 7. in fin. Collige ergo ex dictis beati Sixti in præfato cap. mandaſtis, quòd Papa non tenetur ſe purgare de obiectis ſibi criminibus; ſiue de aliqua infamia à quibuſcumque exorta bonis, vel malis ſi, non vult, etſi aliqui, vt ipſe ex humilitate, hæc leguntur feciſſe.

CAP. CIII.

In quo reſpondetur obiectionibus aduerſariorum ſumptis ex geſtis, & exemplis Superiorum temporum.

AD ea, quæ aduerſarij quinto loco dicunt ad oſtendendum, quòd Papa habeat iudicem ſuperiorem in terris, & quòd vniuerſalis Eccleſia ſæpè numero Summos Pontifices, ſiue à fide delirantes, ſiue prauis moribus Eccleſiam ſcandalizantes correxit, iudicauit, ac puniuit: licèt vno verbo poſſemus nos expedire dicendo, quòd licèt vbi deficit ius, recurrendum eſſet ad hiſtorias Eccleſiæ, non tamen vbi iura non deficiunt, ſed multa ſunt, & clariſſima dicentia, quòd Papa in ſolo caſu hæreſis, etiam ſtrictè ſumpto iudicem habeat in terris, nihilominùs reſpondentes dicimus, quòd id, quod aduerſarij dicunt non habet veritatem: quoniam nullo exemplo poteſt probari, quòd aliquis vnquam Catholicus Romanus Pontifex verus, & indubitatus quantumcumque repertus fuerit moribus deprauatus, fuerit per vniuerſalem Eccleſiam, ſiue per Concilium vniuerſale depoſitus, ſiue punitus, quod patet per omnes Romanos Pontifices, de quorum depoſitione ſit aliqua mentio in geſtis, ſiue Chronicis antiquis. Non quidem Marcellinus Papa, qui licèt propter idolatriæ ſcelus commiſſum, vniuerſalem Eccleſiam ſcandalizaſſet, non Concilij, ſed ſuipſius iudicio ſententiam accepit. Nam vt etiam ſupra commemoratum eſt, cum confeſſus eſſet errorem ſuum, & iudicio ſe ſubmitteret Concilij, Concilium dixit: Abſit vt à nobis Summus Pontifex iudicetur, negaſti tu; negauit, & Petrus magiſter tuus, & quis Apoſtolus auſus fuit, indè eum iudicare? ſed egreſſus foras fleuit amare; tu ergo in ſinu tuo cauſam collige tuam, tuo proprio ore te iudica. Audiens hæc Marcellinus, inquit: Ob idolatriæ ſcelus, quod infœlix commiſi, me iudico deponendum. Quæ tamen depoſitio executionem non habuit, ſed in Pontificatu vſque ad mortem permanſit; vndè in Chronica Bernardi Guidonis, ità legitur: Huius Papæ tempore tanta vis perſecutionis efferbuit, vt infra triginta dies, decem, & ſeptem milia hominum promiſcui ſexus per diuerſas Prouincias martyrio coronarentur; vndè Marcellinus capite truncatus eſt, à quo die inter perſecutiones ceſſauit Epiſcopatus annis ſeptem, menſibus ſex. Ecce quod dicit, quòd à die, quo capite truncatus eſt, ceſſauit Epiſcopatus; vndè manifeſtum eſt, quòd priùs per depoſitionem non deſierat. Cæterum, nec de Felice poteſt verificari, quod aduerſarij dicunt, quia etſi legatur depoſitus, non tamen ab Eccleſia, nec propter ſua demerita, ſed quia hæreticis communicare nolebat, immò excommunicauit illis communicantes, à Conſtantino conuocato Concilio, cum Hæreticis Arianis in exilium miſſus eſt, & loco eius Liberius factus hæreticus, ſubſtitutus eſt.

Item, nec facit ad propositum aduersariorum, quod legitur de Anastasio in cap. Anastasius, dist.19. & in glos. quoniam licet, ibi dicatur, quòd aliqui Presbyteri recessissent ab eo, eo quòd communicasset Photio, & Achatio, non tamen legitur, quòd per vniuersalem Ecclesiam fuerit sententiatus, aut condemnatus, sed benè legitur, quòd fuerit Diuino iudicio percussus, & ita à Deo depositus. Prætereà, nec fauet aduersarijs, quod legitur de Constantino quodam, quem Stephanus congregato Concilio Episcoporum Italiæ de Ecclesia eiecit, quoniam ille non fuit verus Pontifex, sed tyrannus, qui laicus existens præsumpserat inuadere Apostolicam Sedem. Similiter, nec facit pro aduersarijs, quòd Christophorus, de quo dicunt, qui mensibus sex sederat in Apostolica Sede, legitur, eiectus de Papatu fuerit, & illo facto monacho, Sergius institutus sit: quoniam ille non verus Papa, sed inuasor Apostolicæ Sedis fuit.

Item, nec facit pro aduersarijs, quod legitur de Benedicto IX. qui successit Stephano, qui eiectus est à Papatu, & factus est Episcopus Sabinen. qui vocatus est Siluester, qui cum per simoniam esset promotus, eiectus est, & Benedictus restitutus est, qui iterum eiectus est, & datus est Papatus Ioanni Archipresbytero sancti Ioannis ante portam Latinam, qui Gregorius VI. vocatus est, qui tandem ab Henrico Imperatore depositus, vltrà montes fuit translatus, quoniam ista de facto procedebant, vel à tyrannide Imperatoris, vel à proteruia Romanorum, à quibus exempla non sunt sumenda. Nec ista consequentia est bona: factum fuit sic, ergo legitimè factum fuit; nos enim non debemus respicere, quid factum est in prateritò, sed quid iuridicè fieri debuit in futurum, vt in cap. cum ad causam de elect.

Item, nec fauet aduersarijs, quod de Ioanne XII. dicitur: diuersæ enim historiæ, diuersimodè narrant gesta huius Ioannis. In quibusdam enim legitur, quòd non fuit depositus, sed ad admonitionem Othonis, & Collegij Cardinalium, ac Cleri Romani renunciauit Papatui, & sic non est ad propositum aduersariorum factum huius Papæ, quoniam non negamus Romanum Pontificem posse renunciare Papatui, Aliæ historiæ dicunt, quòd iste non fuerit verus apostolicus, sed magis apostaticus, cum non intrauerit canonicè, dicitur enim, quòd adhuc viuente Agapito Papa, pater suus, qui potens erat, prece, & pretio induxit nobiles, & potentes Romanos, & iuramento astrinxit, vt mortuo Agapito, procurarent filium suum fieri Papam, sicut factum est, contra cap. nullus Pontifex dist. 79. vnde cum iste, iuxta cap. si quis pecunia: magis censendus veniret Apostaticus, quàm Apostolicus, non mirùm si per Concilium fuit prouisum, attenta maximè sua scandalosissima vita, & ità si hoc sit verùm, ratio etiam aduersariorum non est ad propositum. Cæterum etiam non fauet aduersarijs, dato, quòd ita sit, sicut inductum est, quòd ipse Ioannes XII. ob turpem, & scandalosam eius vitam per Othonem Imperatorem congregato à tota Italia Episcoporum Concilio, legatur depositus, & communi voto Leo illi substitutus est: quoniam hoc videtur actum, non de iure, sed de facto per Imperatorem, congregatis non totius Ecclesiæ, sed tantum Italiæ Episcopis, nec talia facta sunt attendenda, quia non exemplis, sed legibus iudicandum est, C. de sent. nemo. Quòd verò illud de facto processerat non de iure, patet, quoniam ipse, post recessum Othonis à Romanis, receptus, Synodum congregauit Romæ, in qua Leonem, & omnia eius gesta damnauit. Nam vt refert Vincentius lib.25. cap. 86. in hoc Romano Concilo publicè omnium iudicio fuit statutum, Synodum à Leone habitam, in qua ipse Leo assumptus fuerat, Ioanne deposito, non nominandam Synodum, sed postribulum, & ab ipso Leone ordinati, fuerunt degradati, & deordinati, iussi etiam singuli præsentare in carta scripturam hanc: Episcopus meus, scilicet Leo, qui eos ordinauerat, nihil sibi habuit, nihil mihi dedit, sed tamen, quia vita ipsius Ioannis erat detestabilis, & Christiano populo plurimum scandalosa, Dominus Iesus Christus non est passus ampliùs Ecclesiam suam scandalizari, in eum damnationis sententiam intulit, vtpotè, qui solus in eum potestatem habebat; nam cum vxorem cuiusdam obleciaretur, subitò à diabolo in tempora percutitur, & ità sine pœnitentia moritur, cui Benedictus subrogatur, & deindè Leo.

Item, nec suffragatur opinioni aduersariorum, quod factum est in Constantia de Ioanne XXIII. & Benedicto XIII. sic in suis obedientijs nominatis. Tum quia nullus eorum fuit indubitatus Romanus Pontifex habitus ab vniuersali Ecclesia. Tum etiam, quia vt ex eorum gestis patet, pro hæresi inter alia damnati sunt, & ità ad propositum nostrum non facit. Ex quibus manifestum habemus, quòd id, quod aduersarij dicunt, videlicet, quòd sæpè numero vniuersalis Ecclesia Summos Pontifices, siue à fide delirantes, siue prauis moribus notoriè Ecclesiam scandalizantes, correxerit, & punierit, non consistat in veritate, & mirùm sit, quòd multi aduersariorum non sint veriti huiusmodi fictionibus, & mendacijs tractatulos suos in deceptionem simplicium replere.

CAP. CIV.

Quod Romanus Pontifex non possit se submittere alteri, aut potestatem concedere, vt aliquis tamquam Iudex eius possit in eum claue vti exterioris iudicij.

POstquam ostendimus, quod Romanus Pontifex extra casum hæresis ratione suæ superioritatis, iudicem in terris non habeat: nunc perscrutandum, an per submissionem, siue subiectionem, aut potestatis collationem alteri factam, possit aliquis effici iudex eius, qui eum iudicare possit, ac in eum depositionis sententiam, vbi demereretur inferre. In qua re consideratis dictis sancti Thom. in 4. dist. 19. ac aliorum Doctorum, ac his, quæ dicta sunt in superioribus, de superiori-

rioritate Apostolicæ Sedis, & eius prerogatiuis, nobis videtur, quòd nullo modo Romanus Pontifex potest facere huiusmodi submissionem alicui personæ, aut Collegio talem potestatem dare, immò si tempraret, & cum iuramento consentientibus Cardinalibus, nihil faceret. Quod nos ex multis ostendere curabimus.

In primis beatus Thomas in 4. vbi suprà ad quæst. vtrum quis possit concedere potestatem alicui, vt vtatur in eum potestate clauis in foro exteriori, ita vt aliquis possit eum excommunicare, respondet, quòd non Et rationem assignans in responsione vnius argumenti, dicit sic. Iudicium exterius, est secundùm homines, sed iudicium confessionis, est quo ad Deum, apud quem quis redditur minor ex hoc, quod peccat, non autem apud hominum prælationes, & ideò in exteriori iudicio nullus in seipsum sententiam dare potest excommunicationis nec alteri committere, vt se excommunicet, sed in foro conscientiæ potest alteri committere, absolutionem, qua ipse vti non posset. Hæc sanctus Thomas. Eiusdem sententię est Dominus Albertus, & Dominus Bonauentura, qui ità ait, Quia prælatus, scilicèt Papa, super omnes est prælatio, quæ attenditur quantùm ad prælationem super homines, in eum haberi non potest, nec ipse alteri dare, saluo iure suæ dignitatis, ratione cuius potest dicere. Tibi soli peccaui, & ideò non potest alij dare potestatem se excommunicandi. Hæc ille.

Secundò, arguitur ex eo, quod Beda inquit in cap. sola 14. qu. 3. vbi ait. Sola Romana Ecclesia sua auctoritate de omnibus valet iudicare, de ea verò nulli iudicare permittitur. Ex qua auctoritate manifestè colligitur, quòd Romanus Pontifex nullius se potest iudicio submittere, quoniam si Papa posset se submittere alicui, tanquam iudicia iam de Romana Ecclesia iudicare permitteretur.

Tertiò, idem arguitur ex cap. patet eadem causa; & qu. 5. vbi Nicolaus Papa ità inquit. Patet profectò, Sedis Apostolicæ, cuius auctoritate maius non est, iudicium à nemine fore retractandum, nec de eius cuiquam liceat iudicare iudicio, contrà hoc veniret, si Papa se submitteret alicui tanquam iudici super eum, ergo &c.

Quartò, Papa non potest agere id, quod derogat dispositioni diuinæ, patet, quia ius diuinum impermutabile est, distinct. 5. sed dispositio diuina est, quòd Papa sit omnibus superior, vtpotè prælatus, & Iudex omnium & nullus illius, nisi Deus, vt patet per multa capitula, ergò non potest personam suam submittere iudicio alteriùs, iam enim desineret esse prælatus omnibus, Confirmatur hæc ratio ex cap. in nomine Domini dist. 21 vbi Papa Nicolaus arguit, quia Sedes Apostolica cunctis in Orbe terrarum præfertur Ecclesijs. ideò suprà se metropolitanum habere non potest.

Quintò sic. Nullus habens potestatem commissam ab alio, potest facere aliquam aliam immutationem circa illam, siue iniuria cõmittentis, nisi de beneplacito suo, patet hoc sed Papa potestatem, quam habet, habet commissam à Christo, cuius Vicarius est, ergo illam, nec alterare potest alteri, committendo sine speciali commissione Dei, sed talis commissio non legitur facta ergo &c.

Sextò, arguitur sic. Vicarius Episcopi non videtur se posse subijcere iudicio cuiuscunque alteriùs non superioris eo sine licentia Episcopi sui, ad quem expectat iudicium eius, sed Papa est immediatus Vicarius Christi, & generalis, ergo videtur, quod nullius iudicio sine licentia Christi potest se submittere, consequentia videtur bona.

Septimò arguitur confirmando rationem factam sic, Nullus causam, quæ est reseruata iudicio sui superioris, potest submittere iudicio alteriùs, sed causas præsuli Romani Deus reseruauit arbitrio suo, vt in capit. aliorum 24. qu. 3. cap. facta ibidem ergo Papa non potest ratione cuiuscunque causæ tangentis personam suam se submittere alteriùs iudicio.

Octauo sic, Non minùs adhærere videtur Papæ priuilegium superioritatis suæ. quæ tanta est, vt non nisi Deum habaet superiorem, quàm simplici clerico priuilegium clericale, sed simplex clericus non potest se submittere iurisdictioni alteriùs, vt in cap. significasti de foro compe. etiam si sit persona Ecclesiastica, sine licentia Episcopi, qui iudex suus est, ergo nec Papa potest se submittere iudicio cuiuscunque sine expressa licentia Christi, qui superior eius est.

Nonò, Clericus non potest facere, quòd aliquis eum percutiat. vel puniat sine excommunicationis pæna, vt in cap. contingit de sentent. excommunica. Et ratio huius est, quia iuri publico derogari non potest, de for. compet. si diligenti, ergò similiter per locum à minori in Papa dicendum est, quòd non possit submittere se iudicio alteriùs, hoc enim esset derogare iuri publico, cùm enim priuilegium Apostolicæ Sedis non sit inductum solùm in fauorem Papæ, sed in fauorem totius Ecclesiæ est, ius publicum 1. dist. ius publicum, & respicit personam Christi.

Decimo sic. Papa non potest facere id quod implicat contradictionem, sed quòd Papa, manens Papa, hoc est in prælatia, & superioritate super omnes fideles, si submittat se alicui fideli, aut aliquibus fidelibus, qui possent ipsum Papam Prelatum omnibus, & superiorem omnibus, iudicare, punire, & deponere, implicat contradictionem; patet, quia simul veniret dicendus Iudex omnium, & subiectus alicui, & superior omnibus, & subiectus alteri, & omnis & quidam non contradicunt.

Vndecimò, Papa non potest facere aliquid, quod vergat in potestatis suæ diminutionem, aut derogationem dignitatis Apostolicæ suæ, sed submittendo se iudicio alteriùs, constituendo aliquem Iudicem suprà se, diminueret auctoritatem suam, & derogaret superioritati suæ, vt patet, ergo Papa non potest se submittere iudicio cuiuscunque, qui eum iudicare valeat. Ex quibus manifestè confutatur error dicentium, quòd Papa potest committere vniuersali Concilio, aut etiam Imperatori, vt eum à Papatu deponere possit.

CAP.

CAP. CV.

In quo ponuntur aliquæ obiectiones aduersariorum, & respondetur eisdem.

Contrà prædictam iam conclusionem aduersarij inducunt aliqua, ad quæ venit respondendum.

Arguunt enim primò, ex illo, quod Leo Papa IV. scribit Ludouico Imperatori II. quæst. 7. cap. nos. Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis iustè legis tramitem non seruauimus, vestro, ac missorum virorum volumus emendare iudicio, vbi dicit glos. hìc Papa se subijcit aliorum iudicio, quod facere potest, non tamen eum possunt deponere 9. quæst. 3. nemo secundùm Hu. possunt, quia & seipsum potest deponere, vt 21. di. vt autem.

Secundò, arguunt ex glos. in c. si Papa d. 40. vbi sic dicitur, Papa à nemine potest iudicari vt 9. qu. 3. nemo: quod intellige, nisi se subijciat alteri vt 2. qu. 7. nos si.

Tertiò, ex glos. in cap. in synodo, vbi quòd Papa posset dare tantum Imperatori, quòd deponeret ipsum, & de consensu Cardinalium, imò in omnibus potest se subijcere vt 2. qu. 7. nos.

Item arguitur quartò, ex eo, quòd summi Pontifices de obiectis criminibus coram Concilio se purgasse leguntur, vbi videbantur se iudicio Conciliorum submittere, vt in cap. mandastis 2. q. 5. & per alia cap. eiusdem quæstionis.

Quintò, arguitur ex cap. cum ex iniuncto, quasi ad finem de hæreticis, vbi habetur quòd Prælatus spontè de sua ignorantia confessus subditorum se accusationi supponit, & ita in simili videtur dicendum de Papa.

Sextò, ratione sic, Adrianus Papa propter hæreticorum, & scismaticorum, ac tyrannorum terrores vitandos, se & totam Ecclesiam subiecit Carolo Magno Imperatori, quo ad ordinationem Sedis Apostolicæ, & inuestituras Episcopum, vt in cap. Adrianus dist. 63. Cuius exemplo Leo Papa idem fecit in synodo generali 63. dist. cap. in synodo, quia se supposuit iudicio Ludouici Imperatoris 2. qu. 7. nos si, quod maximè confirmatur per glos. ibidem, quæ suprà in tertio argumento inducta est. Ad ista facilè respondetur.

Ad primam de cap. nos si. 2. qu. 7. respondetur tripliciter.

Primò: quòd verbum illud, iudicio exponitur, id est discretioni, secundùm Vincentium, & Archidya. & non iurisdictioni, seù, potestati Imperatoris. Ad discretionem enim illorum dicebat Papa se velle omnia illa emendare, non autem ait, quòd iurisdictione illorum emendaret. Item licèt dicat, quòd mittat nuncios, qui inquirant; & examinent, quæ iudicata erant, non tamen dicit, quòd illorum auctoritate reuocarentur.

Secundò respondetur, quod Papa ibi loquitur sic ex quadam humilitate, vt dicit Dominus Aluarus libro de statu, & planctu Ecclesiæ artic. 33. non autem ex debitò.

Tertiò, potest responderi iudicio nostro & bene, quòd aliud est sobmittere causas aliquas; super quibus Papa habet controuersiam contrà aliquem, vt puta super iuribus ita licis, aut causarum particularium respicientium personam Papæ in quantum est homo priuatus, & singularis persona, aut etiam concernentia singulariter iura Ecclesiæ Romanæ, aut etiam in quibus ipse Papa priùs iudicauit, & benignitate sua, aut humilitate vellet reuocare arbitrium aliquorum, quod dicimus, pro tanto, quia ipse ad hoc non obligaretur iudicio aliquorum submittere vt eorum sententia terminarentur. Et est aliud submittere se: sine causam tangentem personam suam, & dignitatem Papalem, iudicio alicuius, qui posset iudicare eum, aut punire, aut deponere.

Primùm potest; & de hoc intelligitur, cap. illud nos si. & similia non autem secundùm nec de tali loquitur præfatum cap.

Ad Secundam glos. de cap. si Papa respondetur, quo ad ipsam glos. quòd intelligenda est sicut dictum est de cap. nos si.

Ad tertiam glos. de cap. in synodo breuiter resondemus cum Domino Aluaro vbi suprà, quòd falsa sunt ibi notata per Ioannẽ, qui certè in multis alijs malè loquitur, & sentit de Ecclesia.

Ad quartam, quæ sumitur de purgationibus factis per summos Pontifices, vt in ca. mandastis, & in cap. auditum 2. qu. 5. cap. nos si. 2. q. 7. suprà respondimus. Etiam constat, quòd ex huiusmodi purgationibus, quas sponte fecisse, aliqui Pontifices leguntur non sequitur, quòd personas suas submiserint iudicio cuiuscunque concilij, quod eos posset punire, aut deponere. Cum etiam purgationes illæ licèt sunt factæ in præsentia prælatorum, non tamen coram eis sicut coram iudice superiore, cui se Papa submiserat. vnde benè considerata argumenta illa, nihil faciunt ad propositum aduersariorum.

Ad quintam de cap. cum ex iniuncto. respondetur primò, quòd in illo cap. non habetur; quòd prælatus sine licentia Papæ possit non suo iudici submittere se sed tantum, quòd possit se purgationi subditorum supponere, & illos ad sui accusationem admittere, sed hoc non est se illis submittere, vndè non est ad propositum.

Secundò, respondetur, quòd illud cap. non loquitur de Romano Pontifice. sed de alijs inferioribus prælatis, tales enim non habent supremam potestatem in Ecclesia, nec apicem principatus eius, nec illud inconueniens, & absurditas sequeretur ex eorum submissione, quæ sequeretur in Papa, si se submitteret, vt patet ex dictis.

Ad sextam de cap. Adrianus, respondetur negando consequentiam, quia ex subiectione illa, quam rationibus prædictis de Apostolicæ Sedis ordinatione fecit Carolo magno dando ei, vt ipse etiam cum alijs in electione interesset, non sequitur propter hoc, quòd Papa potestati, aut iudicio Imperatoris subiecerit personam suam. sicut nec hodie est Papa subiectus Dominis Cardinalibus, quamuis vocem habeant in electione ipsius Papæ. Ad cap. autem nos si incompetenter

2. qu.

2. q. 7. suprà responsum est, quòd ly iudicio exponitur, id est discretioni, secundùm Vincentium, & Archi. & non iurisdictioni, vel potestati Imperatoris. Ad glos. cap. si Papa cum alijs respondetur, quòd Papa non potest se subijcere iudicio alteriùs, quamuis se submittat de necessitate, stare non tenetur, nec etiam de iure ad illud teneretur per iura, & rationes superiùs allegatas. Ex quibus omnibus habetur, quòd de iure concilium etiam congregatum auctoritate Papæ nullo modo potest se intromittere de persona Papæ, non tantùm in ciuilibus, puta aliquid statuendo, quod teneatur de necessitate seruare, vel etiam de criminalibus, de persona eius iudicando, aut condemnando, nisi in casu hæresis strictæ sumpto, sicut dictum est. Et si hoc concilium non potest facere, etiam Papa voluntarie se submittente, nulli dubium, quòd minùs potest, Papa illud expresse prohibente, quòd aliquid contra eius personam statuat, aut se intromittat, aut aliquid contra Sedis Apostolicæ priuilegia agat, aut disponat.

Ad septimam de renunciatione; respondetur negando consequentiam, quoniam non est simile, nec sequuntur illa inconuenientia, nec repugnantia ibi, quę hìc. Ex quibus manifestè confutatur præsumptio, & temeritas Basiliensi, qui verum, & indubitatum Romanum Pontificem Dominum Eugenium sanctæ memoriæ citare, suspendere, ac deponere tentauerunt, in quo imitati sunt Dioscorum, qui Concilio congregato excommunicare pręsumpsit Leonem Romanum Pontificem. Quam præsumptionem in tantùm sancti Patres apud Chalcedoniam detestati sunt, vt inquit Nicolaus in epistola ad Michaelem Imperatorem, vt in cap. in tantum distinct. 27. habetur, vt Dioscorum Alexandrinum antistitem inter cætera sine vlla restitutione, idcircò potissimum damnarent, quia ponens in cælum os suum, lingua eius transeunte per terram excommunicationem in sanctum Leonem Papam dictauit, ita vt in sententia contra eum prolata hoc videntur præcipuè commemorare. scilicèt Patres Concilij Chalcedonen. dicentes, quantùm in secundis excessibus, præcipuè priorem iniquitatem valdè transcendit, præsumpsit enim excommunicationem dictare aduersùs sanctissimum, & beatissimum ArchieEpiscopum Ecclesiæ Romanæ Leonem &c.

CAP. CVI.

De remedijs contra Papam, moribus suis prauis scandalizantem Ecclesiam.

Audientes tam aduersarij, quàm etiam alij fideles simplices id, quod dictum est, videlicèt quòd Romanus Pontifex extrà casum hæresis, pro sui Principatus sublimitate iudicem non habeat in terris, qui facta sua mala iudicet, aut puniat. Quærunt quid fiendum sit contra Papam, si contingeret eum, aut moribus cum scandalo etiam fidelium incorrigibiliter deformatum, aut potestate sua abutentem, & dilapidatorem esse Ecclesiæ, aut non nisi per simoniam velle Beneficia Ecclesiastica conferre? Quibus respondemus, plura ad hoc esse remedia.

Primum est, humilis admonitio, & fraterna charitatiua correctio, quæ vt in superioribus diximus, etiam ad superiores se extendit; deberet autem ipse in tali casu, tam per Dominos Cardinales Prælatos, quàm per alios notabiles Prælatos, & Dominos, ac Viros religiosos dulciter admoneri, exhortari, & obsecrari, vt dignaretur vitam suam, quæ multis est in scandalum, corrigere, & emendare, & vt tenetur, sic viuere, vt eius vita cunctis sit in exemplum sanctitatis, commemorando etiam exhortationis gratia aliqua dicta de sacra Scriptura, sicut est illud quod Dominus ait Apostolis Matth. 18. [Qui autem scandalizauerit vnum ex his paruulis, qui me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria collo eius, & demergatur in profundum maris;] quantò magis in damnatione est, qui vniuersam Ecclesiam scandalizat. Item aliqua de sanctis Patribus, & Doctoribus, sicut est illud beati Gregorij, quod habetur in cap. Præcipuè, 1. quæst. 3. [Scire debent Prælati, quòd si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt.] Vndè necesse est, vt tantò se cautiùs à culpa custodiant, quantò per praua, quæ faciunt, non soli moriuntur.

Secundum remedium est, vbi præcedens locum non inueniret, deuota oratio. Orandus enim est Deus in illo casu pro Domino Papa, per totam vniuersitatem fidelium, hoc constituentibus Prælatis Ecclesiæ, vt illum Dominus, aut illuminaret, aut de medio tolleret. Hoc remedium communiter assignant Doctores, quod remedium non paruæ virtutis censendum est, quoniam si iuxtà Scripturam Sanctam Iacobi 5. [Deprecatio vnius iusti assidua multum valere dicitur,] quantò magis oratio iustorum omnium, qui per Orbem diffusi, Christi Sponsam exornant. De hoc ponit exemplum sanctus Thomas in lib. de Rege, & Regno, dicens: [Quòd si omninò contrà tyrannum, auxilium humanum non possit haberi, recurrendum ad Regem omnium Deum, qui est adiutor in opportunitatibus, & tribulatione;] eius enim potentiæ subest, vt cor tyranni conuertat in mansuetudinem, iuxtà illud Salomonis: [Cor Regis in manu Dei est, & à quocumque voluerit, vertet illud. Ipse est, qui cor Regis Assueri crudele, conuertit in mansuetudinem, quia Iudæis mortem parabat. Ipse est, qui Nabuchodonosor crudelem in tantam deuotionem conuertit, quòd factus est Diuinę potentiæ prædicator.] Hæc ille. Hoc remedio adiuta est Ecclesia contrà Anastasium Secundum, qui orationibus iustorum percussus, interijt; dum enim assesaret, emisit intestina; de quo in cap. Anastasius dist. 19. cum glos. Item hoc remedio vsus est beatus Hilarius, qui contrà Leonem Papam, secundùm alios, Liberium, orando pręualuit.

Tertium remedium, vbi præcedentia occulto Dei iudicio non iuuarent, hoc superesset, videlicèt resistentia; resistendum enim esset in faciem per Dominos Cardinales, mala eius opera exprobrando, ac rationibus con-

conuincendo, & etiam scandalis, & quæ Papa vellet attentare, se opponendo; sic Paulus restit Petro, quia non ambulabat ad veritatem Euangelij, ad Galat. 2. Et sicut Episcopo, vel Abbati, seu Priori dilapidatori Ecclesiæ subditi resisterent, & contrauenirent. Et ità in proposito, vt si Papa prout exemplificat Dominus Petrus de Palude, thesaurum Ecclesiæ vellet dare parentibus suis, aut Ecclesiam sancti Petri destruere, & ædificare Palatia parentibus suis, aut dare patrimonium sancti Petri, quod non licet, vel aliquid huiusmodi, quod tamen non est verisimile posse contingere, non esset ei permittendum, sed esset ei resistendum, & non obediendum, sine tamen ipsius depositione. Similiter si vellet contra Statum vniuersalis Ecclesiæ aliquid attentare, sicut si vellet omnes Episcopos deponere, aut similia, ex quibus vniuersalis turbaretur Ecclesia. Et hoc modo dicunt Hostien. & Innocentius, & Archidiac. quòd non esset Papa sustinendus, id est permittendus hoc facere: sed ei, cùm tamen humilitate, & reuerentia resistendum foret.

Quartò, attento quòd, vt dicit sanctus Thomas in 2.2.q. 100. art. 2. [Papa potest incurrere simoniam, sicut & quilibet alius homo, & oppositum dicere sit erroneum;] vt idem dicit in 4. dist. 25. [Tale remedium posset dari, videlicèt non acceptare ea, quæ malè, & contrà reuerentiam, & legem Dei gesta essent per eum, vt promotiones, prouisiones, Beneficiorum collationes manifestè simoniacè factas; quoniam cùm tales in Ecclesiam, non per Christum, qui est ostium, sed aliundè intrare præsumpserint, non Pastores Ecclesiarum, sed fures, & latrones arbitrandi sunt,] ipsa veritate testante Io. 10. [Amen, amen dico vobis, quòd qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliundè, ille fur est, & latro:] vndè Gregorius Papa septem falsas talium iudicat ordinationes, in cap. Ordinationes 1. quæst. 1.]

Quintum remedium est, conuocare Concilium generale, quæ conuocatio esset fienda per Cardinales, vbi ipse Papa id nollet congregare, aut per alios illis negligentibus; & hoc non ad deponendum Papam, quia iuxtà superius probata, talem potestatem habere non posset. Sed ad tria prędicta faciendum cum maiori solemnitate, & auctoritate, videlicèt primò admonendum, & exhortandum Papam de correctione sua, denunciando ei qualiter perniciosę vitę suę exemplo vniuersam Ecclesiam scandalizaret, & conturbaret, quæ exhortatio sic à tota Ecclesia facta, non dubium quin magnæ efficaciæ, & virtutis esset ad eius animum in bonum commouendum. Hoc remedio vsum videtur esse Concilium congregatum contrà Marcellinum, de quo habetur dist. 21. in cap. Nunc autem, qui cùm audiret Patres congregatos cum Dei charitate sciscitantes, si res ita se haberet, sicut fama ad eos deduxerat, quòd Idolis thurificasset; ille cum omni humilitate confessus est reatum suum, adijciens se paratum obedire quid illi voluissent imponere. Secundum, quod Concilium facere deberet, vbi primum non sufficeret, est deuotissimis præcibus, & ieiunijs, & operibus rectis, Diuinæ clementiæ aures propulsare, vt dignaretur Ecclesiæ suæ misereri, vt eorum Pontificem, aut illuminare dignaretur, aut auferre de medio. Hoc planè remedium maximè esset virtutis. Tum quia si Dominus pollicetur Matth. 18. [Quòd si duo consenserint super terram de omni re, quęcumque petierint, fiet eis à Patre meo, qui est in cœlis;] quantò magis, vbi tot, & tanti Patres Ecclesiæ congregati vno animo, & vna communi intentione consentientes, concurrerent, & potissimè de re maximè necessaria Ecclesiæ ipsi vniuersali. Credendum namque est, quòd nisi peccata nostra obsisterent, quòd Deus preces Ecclesię suæ non despiceret, nec pateretur Sponsam suam, pro qua mortem amarissimam pertulit, per vnius hominis malitiam funditùs demoliri, aut in tanta necessitate relinquere. Tertium, quod Concilium deberet facere, vbi priora occultis nobis causis vsquequaque non proficerent, etiam cum inuocatione brachij secularis, vtputa Imperatoris, vel aliorum Principum, prouidere de modo, & forma resistendi malis, quæ Papa tentaret facere, nè Ecclesia periclitaretur, vt dictum est.

Sextum remedium, vbi occulto Dei iudicio omnia præcedentia non haberent locum, esset, ad tempus patienter tolerare, quod Diuina iustitia tolerat; quoniam non est verisimile, quòd talis diù à Deo toleraretur. Sicut exemplum de Ioanne 12. de quo suprà locuti sumus, experientia nos docet; vnde psal. 36. [Inimici verò Domini mox vt honorificati fuerunt, & exaltati, defi. quemadmodum fu. defi.] Huiusmodi autem habendæ patientiæ, causa posset assignari, quoniam vt inquit Gregorius libro 25. Moralium: [Pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, vt sæpè pro malo gregis, etiam boni viri, delinquat vita Pastoris, quia secundùm meritum plebium, disponuntur corda regentium.] Vndè idem Gregor. in cap. Ex merito 7. quæst. 1. ait: [Ex merito plebis nonnumquam Episcopi deprauantur, & secundùm merita, aut demerita populorum disponitur à iusto Iudice vita Prælatorum.] Vndè in vltionem peccati populorum quoque permittitur regnare malos, secundùm illud Oseæ 13. [Dabo vobis Regem in furore meo.] Et Iob 34. dicitur: [Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Item Hieron. & habetur in cap. Audacter 8. q. 1. [Audacter fortassè aliquid dicimus, tamen quod scriptum est, non semper Princeps populi, & Iudex Ecclesiæ per Dei arbitrium datur: sed proùt merita nostra deposcunt.] Meritò ergo tolerandum esset, tum quia fortè tale malum in Capite in Ecclesia, meritis subditorum eueniret; tum quia vt dicit Augustinus: [Non est magnum tolerare, qui à Domino toleratur;] nec etiam timenda videtur ex huiusmodi tolerātia imminere periclitatio totius Ecclesiæ vniuersalis, sicut aduersarij aliquando arguunt. Tum quia non est verisimile, quòd ob turpem vitam, aut mores vnius Summi Pontificis, Ecclesia ipsa, cū qua Christus pollicitus est esse tamquam protector fortis vsque ad consummationem seculi, debeat omninò perire. Sicut enim ait Leo Papa Sanctissimus scribens ad Pulcheriam Augustam: [Non deserit Ecclesiam suam Diuina protectio, dicente Domino: Ec-

cè ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.] Idem scribens Clero, & Plebi Ciuitatis Constantinoqolitanæ, ait: [Nolite arbitrari dilectissimi, quòd sanctæ Ecclesiæ suæ desit, aut defutura sit Diuina protectio.] Tum etiam, quia non est diffidendum in simili articulo de clementia Saluatoris, qui etsi aliquando permiserit nauiculam Ecclesiæ suæ multis persecutionum procellis agitari, numquam tamen passus est, nec passurus est illam perpeti naufragium, assecurante, & dicente Matth. 16. [Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.

Ecce remedia, ad quę cōuenientiùs, & cōsultiùs in articulo necessitatis, siue casus prędicti confugiendum foret, quàm vsurpando Diuinum iudicium, & inuoluendo se infinitis difficultatibus, multiplicando scandala scandalis, tentare ad veri, & indubitati Pontificis Romani depositionem; cuius rei practica non modò Diuinæ Maiestatis, cuius iudicium vsurparet, esset offensiua: sed etiam nimis difficilis, & schismatis introductiua, quę longè scandalosior, & damnosior Ecclesię esse posset; quàm vita turpis vnius Pontificis.

Quocircà sancti Patres maximo studio prohibuerunt, nè oues Pastorem suum, nisi ex fide exorbitauerit, repręhendere audeant; vndè sanctus Anacletus in epistola, quam omnibus Episcopis, & Sacerdotibus Christi scribit, ità ait: [Doctor, vel Pastor Ecclesiæ si ea fide exorbitauerit, erit à fidelibus corrigendus: sed pro reprobris moribus magis est tolerandus, quàm distringendus. Idem Fabianus Papa omnibus Episcopis scribens: Idem Papa Eusebius, vt in cap. Oues 2. q. 7. Quorum omnium Patrum sententiam beatus Gregorius complexus, ità ait in Moralibus, vbi suprà. Certum verò est, quòd ità sibi inuicem & Rectorum merita connectantur, & plebium, vt sæpè ex culpa Pastoris deterior fiat vita plebium, & sæpè ex merito plebium mutetur vita Pastorum. Sed quia Rectores habent Iudicem suum, magna cautela subditorum est, non temerè iudicare vitam regentium; neque frustrà per semetipsum Dominus ęs nummulariorum fudit, & Cathedras vendentium Columbas euertit, nimirùm significans, quia per Ministros quidem vitam iudicat plebium: sed per semetipsum vitam examinat Ministrorum. Et infrà: [Dum igitur salua fide, res agitur, virtutis est meritum, si quid prioris est toleratur; debet tamen humiliter suggeri, si fortassis valeat, quòd displicet emendari.] Hæc Gregorius. Et hæc pro nunc sufficiant.

CAP. CVII.

Quod ad Romanum Pontificem pertineat determinare ea, quæ fidei sunt, & sacræ Scripturæ sensus interpretari, atque aliorum Patrum Ecclesiæ dicta, vel opuscula approbare, vel reprobare.

E Lucidata superioritate principatus, quā Romanus Pontifex habet in Ecclesia Dei, facile est intelligere ad Romani Pontificis auctoritatem spectare, tamquam ad Generalem totius Orbis principalem Magistrum, & Doctorem, determinare ea, quæ fidei sunt, & per consequens edere Symbolum fidei, sacræ Scripturæ interpretari sensus, & Doctorum singulorum dicta ad fidem spectantia approbare, vel reprobare. Quod nos, & rationibus, & auctoritatibus ostendimus.

Primò commemoramus, quod aliàs circa principium huius secundi probauimus, quòd quemadmodum in omni Republica, benè ordinata dandus erat vnus præsidens in ea, qui totam Rempublicam possit auctoritate sua mouere ad omnia, maximè sine quibus salus Reipublicæ stare non posset: ità etiam in communitate Ecclesiæ necessariò erat dandus vnus Princeps, qui ea, quæ maximè conferunt ad salutem fidelium, & consecutionem vltimi finis, cuiusmodi est notitia credendorum, & agendorum sua auctoritate, & magisterio totam ipsam Christianam rempublicā moueret, & dirigeret, cùm Romanus Pontifex sit huiusmodi Præsidens super totam rempublicam Christianam, ipsius erit ea, quæ fidei sunt, sine qua impossibile est placere Deo, ad Hebræos 11. Christiano Populo insinuare, & determinare. Ostenditur etiam hoc, quia primum in vnoquoque genere, iuxtà Aristot. sententiam 10. metaph. est metrum, & mensura omnium sequentium, & Romanus Pontifex primus, & maximus sit Prælatorum in Ecclesia, ad ipsum maximè pertinebit, vt sit metrū, & regula, ac scientia credendorum, ac omnium, quę ad directionē fidelium in vitam æternam necessaria sunt. Quocircà dicit Nicolaus Papa in Epistola, quam scribit Photio Patriarchæ. Constat enim sanctam Romanam Ecclesiam per beatum Petrum Principem Apostolorum, qui Dominico ore primatum Ecclesiæ suscipere promeruit, omnium ecclesiarum Caput esse, & ab ea rectitudinem, atque ordinem in cunctis vtilibus, & ecclesiasticis institutionibus, quas secundùm Canonicas, & Synodicas, sanctorumque Patrum sanctiones inuiolabiliter, atque irrefragabiliter retinet, requirere, & sectari. Hæc ille. Hinc Apostolica Sedes per sanctos Patres magistra, ac mater fidei nominatur: vndè in cap. omnes dist. 22. inquit, gloriosæ memoriæ, Nicolaus Papa: [Fidem quippè violat, qui aduersùs illam agit, quæ est mater fidei, & illi contumax inuenitur, qui eam cunctis Ecclesijs pretulisse cognoscitur.] Vndè, & ipse sanctus Ambrosius in se omnibus sequi Magistram sanctam Romanam profitetur Ecclesiam. Item hac ratione dicit Stephanus Papa V. in cap. enimverò, dist. 19. Enimverò in speculum, & exemplum sancta Romana Ecclesia posita est omnibus, quicquid statuit, & quicquid ordinauit, perpetuò, & irrefragabiliter obseruandum est.] Cuius priuilegij Apostolici throni gratia, inquit beatus Cyrillus in libro thesaurorum, vt membra maneamus in capite, in nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere teneamus, ipsum rogantes, ipsum venerantes præ omnibus, quoniam ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, dispone-

ponere, soluere,& ligare loco illius, qui ipsum ædificauit, & elegit, & nulli alij, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit. Hæc ille. Cæterum hanc Romani summi Pontificis prærogatiuam designatam legimus. Exod. 18. vbi Moysi, qui Dux, & Rector Iudæorum fuit, sicut Papa Christianorum, secundùm illud Bernardi ad Eugenium lib. 2. cap. 6. Quis es &c. Et inter alia dicit,potestate Moyses, dictum legitur: [Esto tu in populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt ostendas eis cærimonias, & ritum colendi Deum.] Sicut ergo omnes quæstiones emergentes de lege, & cultu Dei reseruabantur Moysi determinandæ, sic omnia, quæ sunt fidei Christianæ, reseruantur Romano Pontifici determinanda, diffinienda, & emendanda teneri, ac obseruari, hinc est, quòd cum Christus alijs Apostolis imperaret, vt laxarent retia, soli Petro inquit, Duc in altum Lucæ 15. idest, in profundum disputationum, vt ait glos. Ambrosij, & hoc in cap. non turbetur 25. q. 1. Vndè quia causa fidei ad Sedem Apostolicam est referenda, Paulus super quæstione legalium detulit ad Petrum, vt habetur Act. 15. Item beatus Hieron. mittit ad Romanum Pontificem Damasum Papam professionem fidei suæ examinandam, corrigendam, & emendandam dicens in cap. hæc est fides 24. quæst. 1. Hæc est fides Papa beatissime, quam in Catholica Ecclesia didicimus, quamquam semper tenuimus, in qua si minùs peritè, aut parum cautè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri Sedem tenes,& fidem: si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobetur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, aut maliuolum, vel etiam non Catholicum, sed hæreticum comprobabit.

Secundò præfatæ Apostolicæ Sedis prærogatiua, sic ratione ostenditur. Vna fides debet esse totius Ecclesiæ, secundùm illud 1. Cor. 1. Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, hoc autem seruari non posset, nisi quæstio fidei exorta determinaretur tenenda per vnum, qui toti Ecclesiæ præest, vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. Hinc Innocentius Papa Siluano Seni, Valentino, & cæteris, qui in Milmitana Synodo interfuerunt, scribens, inquit. [Dilectissimi Fratres in Domino Salutem, diligenter, & congruè Apostolici consulitis honoris arcam super anxijs rebus, quę sit tenenda sententia antiquæ, scilicèt,regulæ, formam secuti, quòd totum semper ab Orbe mecum nostis esse seruatum; verùm hæc missa facio, nec enim hoc vestram credo latere prudentiam, quod etiam actione firmatis, scientes, quòd per omnes prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent: præsertim quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros Coepiscopos, non nisi ad Petrum, idest sui nominis, & honoris auctoritatem referre debere,veluti, & nunc retulit vestra dilectio:] hoc habetur in cap. quotiens 24. quæst. 1. Hinc etiam Maximus in epistola missa Orientalibus dicitur. Omnes fines Orbis terræ, qui Dominum sincerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in potestatem Romanorum Pontificum, tamquam in solem respiciunt, & ex ipso lumine Catholicæ, & Apostolicæ fidei respiciunt veritatem, nec immeritò, quia Petrus legitur primò perfectam fidem esse confessus, Domino reuelante, cùm dicit Mthæi 16. [Tu es Christus filius Dei viui. Hæc ille. Item hoc testatur Nicolaus Papa in epistola, quam scribit Photio Patriarchæ Monacho: vt habetur in quarta actione Concilij Oecumenici, quā vniuersitas credentium ab hac sancta Romana Ecclesia, quæ caput est omnium Ecclesiarum, Doctrinam exquirit,integritatem fidei deposcit,criminum solutionem, qui digni sunt, & gratia Dei redempti, exorant: oportet nos, quibus commissa est,sollicitos esse, & ad speculationem Dominici gregis tantò feruentiùs anhelare, quamtùm hunc auidi lupi ad dilaniandum hinc, indè patentia ora exquirunt, &c. Amplius de hac Apostolicæ Sedis prærogatiua Maximus Papa ait: Decebat tantæ dignitatis, & sapientiæ virum non ab alio Mysterij Cœlestis arcana requirere, nisi ab eo potissimùm, quem non potuit caro, & sanguis instruere, sed cui Dominus ipse sua decreta dignatus est aperire: beatus es, inquit, Simon Bariona: [Quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in Cœlis.] Hunc enim præ cæteris mortalibus de toto terrarum Orbe, conditor Orbis elegit, cui Cathedram magisterij principaliter possidendam tenere, perpetuò priuilegij iure concessit, vt quisquis diuinum aliquod, aut profundum nosse desiderat, ad huius præceptionis oraculum, doctrinamque recurrat, nec illi humiliter offerre, quod soluendum est, erubescat, etiamsi, & ipse, quod quæritur non ignorat. Numquid enim Angelus de Cœlo veniens erat nescius docere Cornelium, quomodò videlicèt, id, quod sibi agendum esset, addisceret, destinauit ad Petrum? [Mitte, inquit, viros in Ioppen, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi, quid te oporteat facere.] Poterat planè sanctus Angelus docere hominem gentilem, quid sibi oporteret ad salutem, sed eius nolebat vsurpare officium, cui docendi nouerat fuisse commissum.

Quid ergo mirum, si Sacerdos, licèt sanctitate conspicuus, licèt eloquijs diuinis vehementer instructus, ad Apostolorum Principis magisterium misit, ad quem etiam Angelus docendi gratia primitias gentilium Cornelium destinauit? Pauli enim ad Galat. hæc sunt verba. [Paulus, ait, Apostolus non ab hominibus, aut per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis: hic itaque, qui non ab hominibus, sed ab ipso Christo, & Deo Patre fuerat factus Apostolus, atque ab auctore sapientiæ sufficienter instructus, ad Petri tamen magisterium venit, & non in transcursu, sed per plures dies apud eum veluti in schola permansit:] veni, inquit, Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum 15. diebus, per mysticum hebdoadis, & octoadis numerum veteris testamenti, simul noui didicit sacramentum. Hæc ille. Præterea in testimonium huius prærogatiuæ Romani Pontifici est, quòd vbicumque erat Petrus præsens, omnes Apostoli illi, in prædicando, & dubia determinando, deferebant; vndè

vndè in die Pentecosten primum Sermonem fecit Act. 2. [Stans Petrus cum vndecim eleuauit vocem suam, & locutus est &c.] In quæstione etiam de obseruantia legalium Petrus quæstionem determinauit, licet Paulus pronunciauerit Act.15. vbi dicitur, quòd cum magna inquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: glos. interlin. præ omnibus priùs loquitur, & vt ait glos. omnes alij in sententiam Petri transierunt: ita vt Hieronym. dicat scribens ad beatum Augustinum epistola 12. quòd Petrus Princeps fuerat illius decreti, legem post Euangelium non esse seruandam.

Cæterum huius prærogatiuæ argumentum capitur manifestè ex eo, quod beatus Hieronym. in epistola ad Augustinum ait, quæ incipit: simul tres epistolas. Tantæ Petrus auctoritatis fuit, vt Paulus in epistola sua scripserit, deindè post tres annos veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim. Rursùm in consequentibus: Post annos 14. ascendi iterum Hierosolymam cum Barnaba assumpto, & Tito; ascendi autem secundùm reuelationem, & exposui eis Euangelium, quod prædico inter gentes, ostendens non habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri, & qui cum eo erant, sententia roboratum fuisset, statimque sequitur. Seorsùm aut his, qui videbantur, ne fortè inuacuum currerem, aut cucurrissem. Hæc Hieronym. Item eiusdem prærogatiuæ argumentum colligitur ex eo, quod beatus Hieronym. librò de viris illustribus lib.5. cap.8. dicit: Marcus, inquit, Discipulus, & interpres Petri, iuxta quod, Petrum audierat referentem, rogatus Romæ à fratribus breue scripsit Euangelium, quod cum Petrus legisset, approbauit, & Ecclesijs legendum sua auctoritate tradidit. Hæc ille. Ecce quòd Apostolica Sedes habet approbare, & auctorizare scripta Doctorum. Ampliùs, testimonium huius insignis prærogatiuę magisterij Apostolicæ Sedis habetur ex beato Augustino. Tum ex eo, quod dicit contra epistolam fundamenti cito post principium: Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas. Tum ex eo, quod dicit in lib. de qu. ve. & no. test. qu. 79. quòd sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ità, & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Tum ex eo, quod scribit ad Glorium, & Eleusium, quòd in Romana Ecclesia Apostolicæ Cathedræ semper viguit principatus.

Omnibus iam dictis, & benè consideratis, & Catholicè ponderatis, manifesta luce sequuntur correlariè sequentes propositiones. Primò quidem elicitur correlarie, quòd ad Romanum Pontificem, pro sublimitate magisterij Apostolicæ Sedis pertineat Symbolum fidei ordinare. Hoc autem iuxtà beatum Tho. in 2. 2. quæst. 2. art. vlt. sic probatur; Quoniam noua editio Symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores, ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cuius auctoritatem pertinet sententialiter determinare ea, quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur, hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis, vt dictum est, ad quem maiores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, vt in cap. multis dist.17. habetur, & in cap. rogamus 24. quæst. 1. ergo ad solam auctoritatem Romani Pontificis pertinet noua editio Symboli. Ostendit etiam præfatum correlarium: sanctus Tho. vbi suprà ex eo, quòd editio Symboli facta est in Synodo Generali, sed huiusmodi Synodus auctoritate solius summi Pontifici potest congregari, vt habetur in decretis dist. 17. ergo editio Symboli ad auctoritatem Romani Pontificis pertinet. Hæc ille.

Ex præfatis infertur secundò correlariè, quòd ad Romanum Pontificem pertineat interpretari sacram Scripturam, & dubia declarare, quæ emergunt circa ius naturale, siue diuinum. Hoc autem correlarium sic ex superioribus deducitur. Pro quo, primò notatur, quòd determinare dubia in talibus, potest esse dupliciter. Vno modo, scilicet inquisitiuè; sicut potest quilibet ex ingenio, vel habitu inquirere de dubijs alicuius scientiæ, & isto modo declarare, potest pertinere ad quemcumque doctum in aliqua scientia, & vocatur determinatio, siue declaratio magistralis. Alio modo, potest accipi, declarare cum aliqua auctoritate sic, scilicet, quòd declaratio debeat pro vera teneri, vel opinari, ità quòd non liceat oppositum tenere, vel opinari. Et isto modo, potestas, siue auctoritas declarandi prædicta dubia, est solùm apud Summum Pontificem simpliciter. Similiter est distinguendum de interpretatione diuinæ legis, aut sacræ Scripturæ; quia quædam fit per modum disputationis, & inquisitionis scholasticæ perquirendo, quis sit sanus intellectus ipsarum, nihil ad verba legis, vel scripturæ adijciendo, vel subtrahendo. Alius est interpretationis modus, per modum determinationis obligatoriæ ad tenendum intellectum, siue sensum datum per interpretationem. Primus modus est magistrorum, quorum tamen interpretatio neminem cogit ad sic tenendum. Secundus verò modus interpretationis est Romani Pontificis, cuius determinatio obligat omnes ad sic tenendum, & obseruandum.

Quod ratione potest sic ostendi; oportet ponere in Ecclesia vnum Caput, ad quod pertineat determinare, & declarare, & interpretari illa, quæ sunt dubia circa quæcumque ad fidem pertinentia, siue sint speculatiua, siue agibilia; sed constat, quòd in Ecclesia non potest esse aliquod tale Caput, nisi solus Papa, ergo, &c. Minor patet ex superioribus, maior probatur, quia oportet ponere Ecclesiam sic dispositam à Deo, quòd tota communitas vniuersalis Ecclesiæ maneat in vnitate fidei, & in vna sententia de fide, vnde Apostolus 1. Corinth. 1. [Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.] Sed hoc non potest esse, nisi tota communitas Ecclesiæ recursum habeat ad vnum Caput, scilicet ad Præsidentem, apud quem esset auctoritas declarandi, & interpretandi dubia circa ea, quæ sunt fidei; pertinet ergo ad Romanum Pontificem declarare dubia, & interpretari circa ea, quæ fidei sunt, siue iuris naturalis, & diuini, vnde Au-

Augustinus contra Manichæos, & habetur in cap. palàm dist. 11. Palàm est, quòd in re dubia ad fidem valeat auctoritas Ecclesiæ Catholicæ, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum vsque in hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione confirmatur. Hæc Augustinus. Hinc est, sicut superiùs dictum est, quòd orta quæstione, an legalia deberent obseruari cum Euangelio, consuluerunt Petrum, & alios Apostolos, qui erant in Hierusalem, & Petrus sicut Princeps Apostolorum, & Præsidens supra totam communitatem Ecclesiæ decreuit, & declarauit legalia non esse obseruanda, vt patet Act. 15. Cæterùm ex superioribus elicitur tertiò correlariè, quòd ad Romanum Pontificem pertineat dicta, siue opuscula Doctorum singulorum in his, quæ ad fidem pertinent, approbare, vel reprobare, patet manifestè ex dictis, habetur etiam hoc expressè in cap. si Romanorum dist. 19. vbi sic ait Nicolaus Papa: Si Romanorum Pontificum decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur, ità quod verè Sedes Apostolica approbauit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenùs inefficax habeatur, &c. vbi gloss. Argumentum, quod approbat, vel reprobat, & nos approbare, vel reprobare debemus, 24. quæstione prima, hæc est fides, & 35. qu. 9. veniam.

CAP. CVIII.

Quòd decreta, siue decretales Romanorum Pontificum sunt à cunctis fidelibus venerabiliter suscipienda.

Ex his, quæ de Apostolicæ Sedis iudicio, & magisterio multis sanctorum Patrum testimonijs firmauimus, apertissimè confutatur error aduersariorum, qui Apostolicæ Sedis decretales, siue decreta contemnunt, quæ in Canonibus Conciliorum non includuntur. Contra hunc errorem, cùm sit perniciosissimus, & ad infinita schismata ianua; sunt multa sanctorum Patrum argumenta præter ea, quæ in superioribus diximus in hoc secundo libro circa cap. 48. & 50.

In primis est argumentum, quod clarissimæ memoriæ Papa Nicolaus omnibus Archiepiscopis per Galliam constitutis scribens facit, vt in cap. si Romanorum, dist. 19. ita dicens: Si Romanorum Pontificum decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur, ità quod verè Sedes Apostolica approbauit, hodiè teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur; quantò ergo potiùs, quæ Papa pro Catholica Fide, pro sanis dogmatibus, pro varijs, & multifarijs Ecclesiæ necessitatibus, & fidelium moribus diuerso tempore scribit, omni honore debent præferri, & ab omnibus prorsùs in quibuslibet opportunitatibus, discretione, vel dispensatione magistra reuerenter assumi; quamquam quidam nostrum scripserint, non esse decretalia priscorum Pontificum in toto canonum codicis corpore descripta, & ideò inter Canones non assumenda, cùm ipsi, vbi suæ intentioni hæc suffragari conspiciunt, omnibus illis indifferenter vtantur, & solùm nunc ad diminutionem Sedis Apostolicæ potestatis, & ad suorum argumentum priuilegiorum minùs accepta esse prohibeant. Item si ideò non esse decretales epistolas priscorum Pontificum Romanorum admittendas esse dicant; quia in codice canonum non habentur adscriptę; ergo nec Sancti, Gregorij, nec vllius alterius, qui ante ipsum fuit, vel post ipsum est, aliquod institutum, vel scriptum recipiendum est, eo, quòd in codice canonum non habeatur adscriptum ergo doctrinam eorum, & sanctiones, quæ ab omni lingua venerantur, quia in codice canonum habentur adscriptæ, de codicibus eradant suis, vt quid membranas occupant, postquam non habentur receptæ? Sed quare multùm immoremur? cùm nec ipsas Scripturas diuinas veteris, & noui Testamenti iam recipiemus, si istos duxerimus audiendos, etenim neutrum horum in codice canonum ecclesiasticorum habetur insertum. Sed responsuri sunt isti, qui ad resistendum potiùs, quàm ad obediendum parati sunt asserentes, quòd inter canones inueniatur, cap. sancti Papæ Innocentij; cuius auctoritate doceatur à nobis vtrumque testamentum esse recipiendum, quamquam in ipsis priùs canonibus nullum eorum ex toto contineatur insertum, quibus ad hoc asserendum est; quoniam si vetus, nouumque Testamentum sunt recipienda, non quòd codici canonum ex toto habeantur annexa, sed quòd de his recipiendis sancti Innocentij Papæ prolata videatur esse sententia.

Restat nimirùm, quòd decretales epistolæ Romanorum Pontificum sint recipiendæ, etsi non sint canonum codici compaginatæ; quoniam inter canones ipsos vnum beati Leonis capitulum constat esse permixtum, quo ità omnia decretalia constituta Sedis Apostolicæ custodiri mandantur, vt si quis in illa commiserit, nouerit sibi veniam denegari; ait in capitulo quinto suorum decretalium: Ne quid verò sit, quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decreta constituta tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium prædecessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ità à vestra dilectione custodiri mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi nouerit denegari deinceps; dicenda verò omnia decretalia constituta, nullum de decretalibus constitutis prætermisit, quod non mandauerit esse custodiendum, & rursùs asserendo omnium prædecessorum nostrorum, nullum Pontificum Romanorum, qui ante iam fuerunt excepit; cuius ità non præceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari. Itaque nihil interest, vtrùm sint omnia decretalia Sedis Apostolicæ constituta, nec ne inter canones Conciliorum immixta, cùm omnia in vno corpore compaginari non possint, & illa eis intersint, quæ finitatem his, quæ desunt, & vigorem suum assignant; præsertim cùm syno-

nodalia gesta, inter quæ, ipsi canones statuti sunt, in codice canonum non habentur, sed à nobis omni cultu debito venerantur.

Consonat autem huic beatissimo Leoni Papæ, & facundissimus, & sanctus in decretis suis Gelasius Papa, ità inquiens: Decretales epistolas, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab Vrbe Roma pro diuersorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decreuimus. In quo notandum, quòd non decretales dixit epistolas, quæ inter canones habentur, vel quas moderni Pontifices ediderunt, sed quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab Vrbe Roma dederunt, dicens autem diuersis temporibus, & illa tempora vir sanctus comprehendit, quæ crebrescentibus Paganorum persecutionibus ad Sedem Apostolicam deferri causas Episcoporum difficillimè permittebant. His ità diuina fauente gratia prælibatis, ostendimus nullam esse differentiam inter illa decreta, quæ in corpore canonum habentur Sedis Apostolicæ Præsulum, & ea, quæ præ multitudine vix per singula voluminum corpora reperiuntur; cùm omnia, & omnium prædecessorum suorum decretalia constituta, atque decretales epistolas, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab Vrbe Roma dederunt, fore venerabiliter venerandas, suscipiendas, & custodiendas, eximios Præsules, Leonem scilicet, & Gelasium mandasse, probauimus.

Secundò contra præfatum errorem aduersariorum est Dominus Aymarus Archiepiscopus Rhemensis in libro suo de Synodis, cap. 3. vbi pro auctoritate decretalium summorum Pontificum multa sanctorum Patrum testimonia inducens, ità ait: De auctoritate autem ipsorum pontificalium decretorum nulla nobis dubitatio relinquitur, cùm & ipsa vniuersalia Concilia auctoritatem exinde perceperint, nec aliunde synodicam firmitatem obtinere potuerint. Hoc ergo & nos irretractabiliter obseruare debemus, vt Apostolici Patres nobis ex Apostolica auctoritate præceperunt, per quam & aliorum statuta nobis ad seruandum canonizasse leguntur. Nempè beatissimi Patres nostri Damasus, & Leo Papa Magnus, quorum alter, secundum vniuersale Concilium, alter, quartum, idest Chalcedonen. Apostolica auctoritate firmauerunt; ipsi inquam eadem auctoritate, eadem etiam auctoritate, & voce, ità generaliter decreuerunt: Omnia inquiunt decretalia prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ità omnibus Episcopis, & generaliter à cunctis Sacerdotibus custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari. Idem Damasus alibi omnibus Episcopis scribens: Obseruetur, inquit, ab omnibus, vt illa semper, quæ Apostolica institutione, & Patrum traditione sunt constituta, sub metu irrefragabili auctoritate teneantur.

Item Papa Gelasius scribens vniuersis Episcopis per Siciliam constitutis, ait: Cùm decreta venerabilium sanctionum nos quoque magnoperè custodire nitamur, atque sine eorum dispendio, etiam illa, quæ pro alicuius vtilitatis fortasse compendio videantur laxanda, credamus; cùmque nobis contra salutarium reuerentiam regularũ cupiamus temerè nihil licere, & cùm Sedes Apostolica superior his omnibus, fauente Domino, quæ paternis canonibus præfixa pio, deuotoque studeat tenere proposito; satis indignum est, quemquam, vel Pontificum, vel ordinum subsequentium hanc obseruantiam refutare, quam beati Petri Sedem, & sequi videat, & docere: satisque conueniens sit, vt totum Corpus Ecclesiæ in hac sibi obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciat, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum, dicente Scriptura: Ordinate in me charitatem. Item omnia cum ordine fiant. Hæc ille.

Item Agapito Papa, qui sextam Synodum vniuersalem per Legatos suos instituit, & institutam Apostolica auctoritate firmauit; omnibus Episcopis eadem auctoritate nunciauit, sic inquit: Omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tamquam ipsius Petri diuina voce firmata. Item successor eius beatus Nicolaus Papa Primus Synodo vniuersali præsidens, generali eiusdem Synodi iudicio decreuit, vt etiam anathema esset quicumque decreta à Romano Pontifice contempsisset. Sanctus quoque Hadrianus Papa etiam Reges anathematizauit, quicumque Sedis Apostolicæ decreta violare non formidat. His ergo testimonijs satis edocemur, quàm indubitanter Apostolicis institutis obedire debemus. Hæc omnia præfatus Dominus Aymarus.

Tertiò, contra præfatum errorem aduersariorum arguit Papa Nicolaus scribens ad Photium Patriarcham Constantinopolitanum, cuius epistola in sancta octaua vniuersali Synodo fuit recepta, & approbata cum omnibus gestis eius circa Constantinopolitanam, & contra dictum Photium, ac Michaelem Imperatorem fautorem eius. In qua epistola, prout colligitur ex ipsa Actione 8. Concilij, sic habetur: Decretalia autem, quæ à sanctis Pontificibus Sedis Romanæ Ecclesiæ sunt instituta, cuius auctoritate, atque sanctione omnes Synodi, & sancta Concilia roborantur, & inde stabilitatem sumunt: cur vos non habere, vel obseruare dicitis, nisi quod vestræ ordinationi contradicunt? Et infrà; & si ea non habetis de neglectu, atque incuria, estis arguendi, si habetis, & non obseruatis, de temeritate estis corripiendi, & increpandi, & habetur in cap. si decreta, distinctione 20.

Quartò, contrà præfatum errorem est cap. in canonicis Scripturis dist. 19. quod est beati Augustini, in quo videtur inter canonicas Scripturas Epistolas Apostolicæ Sedis annumerare.

Item quintò, contrà eumdem errorem est cap. Decretales dist. 20. vbi habetur, quòd decretales epistolæ Canonibus Conciliorum pari iure exequantur, glos. Archidiac. In obseruantia, & auctoritate exequantur, scilicèt in auctoritate, in reuerentia, in obseruatione huius.

Sextò, contrà præfatum errorem videtur esse articulus condemnatus in Concilio Constantiensi, vbi inter alios articulos, Ioannes Wicleff fuit condemnatus ille. Decretales epistolæ sunt Apocryphæ, & seducunt à fide Christi, & Clerici sunt stulti, qui student eas.

Quia

Quia plura dicta sunt de præceptis Apostolicis suscipiendis, sicut circà cap. 48. ista pro nunc sufficiant.

CAP. CIX.

Quòd Sedis Apostolicæ iudicium in his quæ fidei sunt, & ad humanam salutem necessaria, errare non possit.

EX his quæ in superiori capitulo dicta sunt, datur nobis luce clarissima intelligi, quòd tanta soliditate veritatis Apostolicum thronum clementia Diuinitatis firmauerat, quòd iudicium eius in his, quæ fidei sunt, errare à veritate non possit; decebat sanè, vt Sedes illa, quæ superni dispositione Concilij, magistra fidei, & cardo omnium instituebatur Ecclesiarum, in his quę fidei sunt, hominumque necessaria saluti, ab ipso omnium auctore Deo, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, hoc singulari infallibilitatis, munere donaretur, in cuius rei Sacramentum primo illius Sedis Pontifici, Diuinæ dispensationis nomen firmitatis imponitur, scilicèt Petrus, quod Syra lingua rupes interpretatur; vndè beatus Gregorius Eulogio Episcopo Alexandriæ scribens epist. 181. [Quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmaram, qui firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur,]cui veritatis voce dicitur: [Tibi dabo claues regni cœlorum,] cui rursùm dicitur: Et tu aliquando conuersus conuersus confirma fratres tuos.] Hæc Gregorius. Quòd autem hoc, quod diximus sit priuilegium, & munus amplissimum Apostolicæ Sedis, multipliciter, & etiam efficaciter probamus. primò auctoritatibus, secundò rationibus in sequenti capitulo.

Auctoritate primò, illa Saluatoris promissione, quæ cassa esse non potest, qua Petro locutus est, dicens: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam;] quam Christi promissionem de firmitate fidei Apostolicæ Sedis accipiendam esse, sancti Doctores in religione, & sapientia clarissimi contestantur. Ait enim beatus Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, vt inducitur in glos. continua, secundùm hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, & hæretica circumuentione immaculata, manet super præpositos, & Episcopos, & super omnes Primates Ecclesiarum, & populorum, in suis Pontificibus, in fide plenissima, & auctoritate Petri, & cùm aliæ Ecclesiæ quorumdam errorum verecundatæ sint, stabilita ipsa, impassibiliter regnat, silentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum, & nos necessitate salutis non decepri superbia, nec vino superbiæ ebriati, typum veritatis, & sanctæ Apostolicæ traditionis vnà cum ipsa confitemur, & prædicamus. Hæc Cyrillus. Secundò, beatus Chrysostomus dictus os aureum, ibidem super Matth. hoc idem confirmans, ait: [Vide qualiter Christus reducit Petrum ad excelsam de ipso intelligentiam; hoc enim promittit, quæ sunt propria Dei solius, scilicèt peccata soluere, & Ecclesiam immutabilem facere inter tot persecutionum, & tentationum procellas.] Item ad idem Origenes, qui vt deducit sanctus Thomas super Matth. tam de Petro, quàm de Ecclesia vniuersali præfatum Christi verbum Matth. 16. [Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam,] exponens ita dicit. Non autem exprimitur vtrum Petro non præualebunt, aut Ecclesiæ, quam ædificat super petram, tamen manifestum est, quòd nec aduersus Petrum, nec aduersùs Ecclesiam portæ præualebunt inferorum. Hæc ille. Quod autem de Petro petra verbum Christi intelligatur, idem manifestat, dicens: [Vide quantam potestatem habet petra, super quam ædificatur Ecclesia, vt eius iudicia maneant firma, quasi Deo iudicante per eam.]

Secundò, Apostolicæ Sedis iudicium in his quæ fidei sunt, esse indefectibile, manifestè probatur ex promissione illa Christi, qua Petro pro Sede sua loquens, ait Luc. 22. [Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Quod autem de fide Petri in Apostolica Sede indefectibiliter semper mansura, intelligendum sit, sancti testantur Doctores. In primis beatissimus Leo in sermone secundo ordinationis suæ, eamdem Christi pollicitationem pertractans: [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, &c.] ita ait: [Specialis cura à Domino Petri suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit in Petro; ergo omnium fortitudo munitur, & Diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quę per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.] Hæc ille. Item ad idem est Agapto Papa in suggestione, quam Constantino Imperatori scribit, quæ à tota sexta Synodo vniuersali fuit venerabiliter acceptata, hæc Apostolica Christi Ecclesia per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit: sed vt ab exordio norrum fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fidetenùs manet secundùm ipsius Domini saluatoris dictam pollicitationem, qua suorum Discipulorum Principi in sacris Euangelijs fatus est: [Petre, inquiens, ecce sathan expetiuitir, vt cribaret vos, sicut qui cribrant triticum, ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus, & Saluator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quòd Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.] Hæc ille. Eadem sententia etiam est Lucij Papæ, cuius pars ponitur in cap. A recta 24. 1. Aliqua hic dicit glosator. qui si vidisset ad longum textum Lucij, non ita fuisset interpretatus; & iste frequenter est error istarum glosarum Decreti, qui error potissimè indè contingit, quia originalia sanctorum Patrum per glosatorem non sunt

sunt visa, sed detruncata, prout iacent in Decreto. Item beatus Bernardus Domino Innocentio Papæ scribens, hoc insigne Apostolicæ Sedis priuilegium ex eodem Saluatoris verbo attestatur his verbis: [Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt; dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi fides defectum habere non posset; hæc quippè prærogatiua est huius Sedis, cui enim alteri dictum est: [Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.] Hæc Bernardus. Item idem Bernardus, vel Ioan. Damian. in sermone Ioannis Baptistæ, qui incipit: [Hodiè dilectissimi,] dicit sic: [Decimus honor est assertio matris Ecclesiæ, texitur ora clamydis, vnguentumque profusum in capite, extremamque vestimenti fimbriam inundanter effundit; illa enim magistra, & Regina omnium Ecclesiarum Romana Ecclesia, cui dictum est: [Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua,] in honore beati Ioannis Baptistæ, post Saluatoris nomen consecrata est, & signata; dictum namque erat, vt Sponsæ sequeretur auctoritas, & singularem amicum eius illuc proueheret, vbi Principatum ipsa conscendit. Item hoc idem ex præfata Redemptoris nostri promissione ostendit Leo Papa nonus in libro, quem contra Michàelem Constantinopolitanum fecit, vbi cap. 7. ita dicit: [Taliter sancta Ecclesia suprà petram, id est Christum, & super Petrum Cepham filium Ioannis, qui primò Simon dicebatur, ædificata est, quòd inferi portæ disputationibus, scilicèt hæreticorum, qui vanos ad interitum introducunt, nullatenùs foret superanda;] sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera quæcumque sunt vera, [Portę inferi non præualebunt aduersùs eam, cuius promissionis effectum se precibus impetrasse à patre, ipse filius protestatur, dicendo ad Petrum: [Simon ecce sathanas expetiuit, vt cribraret vos, sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Erit ergo quisque tantæ dementiæ, qui orationem illius, cuius velle, est posse, audeat in aliquo vanam putare? nonne à Sede Principis Apostolorum, Romana videlicèt Ecclesia, tam per eumdem Petrum, quàm per successores suos reprobata, atque conuicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ nec deficit, nec vsque in finem deficiet, sunt confirmata? Hęc ille. Item in Synodica eiusdem Leonis ad Petrum Antiochenum Patriarcham sic scribitur: [Ab Apostolica Sede nostram Catholicam consulendo, perpendimus tuam prudentiam nolle deuiare à Dominico, & omnium sanctorum Patrum concordi Decreto, quo inuiolabiliter cunctis in toto Orbe terrarum Ecclesijs, sancta Romana Ecclesia, & Apostolica Sedes caput præponitur, ad quam maiores, & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum diffiniendæ referantur.] sic omnia veneranda Concilia, sic leges humanæ promulgant; sic ipse Sanctus Sanctorum, & Rex Regum Dominus dominantium confirmat, quatenùs ibi principalis dignitatis, & totius Ecclesiæ disciplinæ venerabilis apex præfulgeat, & præcellat, vbi ipse vertex & cardo Apostolorum Petrus, carnis suæ resurrectionem beatam in nouissimo die spectat, nimirùm solus est ille, pro quo nè desiceret eius fides, Dominus, & Saluator asseruit se rogasse, dicens: Simon, ecce sathan expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum, ego autẽ rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquãdo cõuersus confirma fratres tuos.] Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quòd hactenùs fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius in seculum seculi: sed confirmabit corda fratrum varijs concutienda fidei periclitationibus, sicut huc vsque confirmare non cessauit. Hæc ille. Item patet hoc professione octauæ Synodi, in qua lectus est libellus Adriani Papæ, qui acceptus est cum omni laude, in quo sic dicitur: [Prima salus, est rectè fidei regulam custodire, deindè à constitutis Dei, & Patrum nullatenùs deuiare; vnum quippè horum ad fidem pertinet, alterum ad opus bonum; sicut enim scriptum est: Sine fide impossibile est placere Deo, sic rursùs legitur: Fides sine operibus occisa est. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam; hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper Catholica seruata relligio, & sancta celebrata doctrina.] Hæc ibi.

Item ipsa Synodus octaua acceptans doctrinam, & sententiam Apostolicæ Sedis ita inquit: [Quoniam sicut prędiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & obseruantes omnia eius Statuta, speramùs, vt in vna Communione quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est vera, & integra, & vera Christianæ Religionis soliditas, promittentes etiam sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria.] Hęc ibi. Item quòd prædicta promissio Christi Luc. 22. [Ego pro te rogaui, &c.] intelligenda sit de fide Petri pro Sede sua, testantur Doctores famosiores in Ecclesia Dei, qui exposuerunt Bibliam. Vndè Magnus Albertus super Luc. tractans verbum prædictum, ita formaliter dicit: [Vt non deficiat fides tua, scilicet finaliter.] Hìc argumentum efficax pro Sede Petri, & successore ipsius, quia fides eius finaliter non deficiet. Naum. 1. [Non adijciet vltrà, vt pertranseat per te, Belial vniuersus interijt.]

Item Dominus Hugo Cardinalis super eumdem locum ait: Argumentum pro Ecclesia Romana.]

Item ad hoc esse glos. in cap. Quodcumque 24. quæst. prima, quæ dicit sic: [Nisi erraret Ecclesia Romana, quod non credo posse fieri, quia Deus non permitteret.] Hęc glos.

CAP.

CAP. CX.

In quo responsionibus præfatum Apostolicæ Sedis priuilegium probatur, & confirmatur.

POstquam sacræ Scripturæ auctoritatibus, iuxtà sanctorum Patrum, & Doctorum expositiones ostendimus Apostolicam Sedem in iudicio eorum, quæ fidei sunt, & ad salutem Fidelium necessaria, stante Diuina pollicitatione, errare non posse: reliquum est, vt etiam rationibus illud confirmemus.

Primò sic ex superioribus, Sedis illius iudicium, in his, quæ fidei sunt, credendum est indefectibile, ad cuius auctoritatem, & magisterium pertinet determinare, & definire ea, quæ credenda, proponenda sunt populo Christiano, Symbolum edere fidei dubia, quæ in sacra Scriptura emergunt, declarare, & interpretari. Hoc patet: immò tamquam primum principium videtur clarissimum: quia aliàs nihil, quod illius Sedis auctoritate, & iudicio esset, de fide, de condemnatione errorum, de Sacramentis, de Canonizatione Sanctorum, & de interpretationibus dubiorum difficilium, foret firmum, aut certum; sed dubium, aut fallibile, quod inconuenientissimum, & periculosissimum in religione Christiana esset. Sed Apostolica Sedes est, ad quam pertinet determinare ea, quæ fidei sunt, Symbolum fidei edere, & dubia in sacra Scriptura emergentia interpretari, vt supra in capit. 7. patet. Ergo sequitur, quòd eius iudicium, in his, quæ fidei sunt, errare non possit.

Præterea confirmatur ista ratio sic: Assensus omnis, qui est circa aliquid cum possibilitate ad oppositum, includit formidinem, nec est assensus firmus, nec firmiter, quis assentit per illum, quia assentit cum possibilitate ad oppositum. Vnde firmus, & inuariabilis assensus circa aliquid requirit, quod oppositum eius non possit esse verum, sed omninò falsum: propter quod demonstratio, quæ causat assensum inuariabilem, est ex necessarijs, & quæ non possunt aliter se habere.

Similiter fides virtus Theologica ex necessarijs, & cui non possunt subesse falsum, quia innititur primæ veritati, aliàs non faceret assensum firmum, & inuariabilem. Si ergo Sedes Apostolica, siue Ecclesia Romana, cuius auctoritas, & Principatus in Sede Apostolica locatus est à Christo, in his, quæ fidei sunt, errare posset, & deuiare, tunc credentes illud, crederent possibile, tamen falsum esse, & non necessariò infallibiliter verum, & per consequens cum formidine, & cum dubio erroris possibilis; & ità credentes fluctuarent, & essent dubij in fide, & ità infideles; & sic multa inconuenientia sequerentur, quæ vnusquisque cognoscere potest.

Secundò sic, illius Sedis iudicium, quod numquam in fide defecit, nec defectuosum est, videtur esse indefectile iudicium in his, quæ fidei sunt. Sed Sedis Apostolicæ iudicium numquam in fide defecit, nec defectuosum est. Ergo Sedis Apostolicæ iudicium indefectibile est in his, quæ fidei sunt. Consequentia patet, maior etiam, minor verò patet multorum sanctorum Patrum testimonijs.

Inquit enim Eusebius Papa in capit. in Sede distinct. 24. qu. 1. [In Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata religio.]

Item beatus Sixtus Papa, & habetur in cap. memor distinct. 24. qu. 1. idem testatur dicens: [Memor sum me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius à Domino Iesu Christo est glorificata confessio, & cuius fides nullam hæresim fouet, sed quidem omnes hæreses destruit.] Hæc illæ.

Item beatus Hieronymus in cap. Hæc est fides distinct. 24. quæst. 1. ad idem est ità dicens: [Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata permansit, Domino prouidente, & beato Petro opem ferente, in futurum manebit, sine vlla Hæreticorum insultatione, scilicet præualente, atque firma, & immobilis omni tempore persistet.]

Hoc etiam Pelagius Papa in cap. quamuis distinct. 21. testatur dicens: [Est ergo prima Apostoli Petri Sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, nec rugam, nec aliquid huiusmodi.]

Hoc etiam apertissimè testantur auctoritates sanctorum Patrum positæ in præcedenti capitulo.

Tertiò confirmando iam factam rationem sic: Illius Sedis iudicium in his, quæ fidei sunt, est indefectile, quod nulla malitia hominis valet extinguere. Sed Sedes Apostolica, siue Romana Ecclesia nulla hominum malitia valet extingui. Ergo Sedis Apostolicæ iudicium est indefectibile. Consequentia est bona, maior verò manifesta, minor autem probatur auctoritate Pelagij Papæ, qui, vt habetur in capit. pudenda 24. quæst. 1. ità ait: [Cùm Ecclesia vna sit, nulla alia esse constat, nisi quæ in Apostolica est radice firmata, & fundata.] Et infrà, recitans verba Augustini, sic subiungit: [Sed nullo modo potest dici Ecclesia, in qua schisma est, restat, vt, quoniam Ecclesia nulla esse non potest, ea sit, quam in Sedis Apostolicæ successiones Episcoporum radice constitutam, nullorum hominum malitia, etiamsi nota, excludi non possit, sed pro temporis ratione toleranda iudicetur nullo modo valeat extingui.] Hæc illæ.

Quartò sic, Sedis illius iudicium in his, quæ fidei sunt, est indeuiabile, cui quicumque repugnans quocumque tempore, censendus est Hæreticus. Sed quicumque repugnat in his, quæ fidei sunt, Apostolicæ Sedi, Hæreticus est censendus. Ergo Apostolicæ Sedis iudicium in his, quæ fidei sunt, est indeuiabile. Consequentia videtur bona, maior patet, minor verò est beati Hieronymi in capit. hæc est fides distinct. 24. quæst. 1. qui ad Damasum scribens, ità dicit: [Hæc est fides, Papa Beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia, quamque semper tenuimus: in qua si minùs peritè, aut parum cautè, & fortè aliquid positum est, à te emendari cupimus, qui Petri & Sedem, & fidem tenes. Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me incul-

culpare voluerit, ſe imperitum, & maliuolum, vel non etiam Catholicum, ſed Hæreticum comprobabit.] Hæc illæ.

Item minor illa probatur auctoritate beati Cypriani martyris; quoniam, vt habetur in cap. aduocauit 24. quæſt. 1. ſic dicit: [Aduocauit ad ſe Cyprianus Epiſcopum Satyrum; nec vllam putauit veram Eccleſiam, niſi veræ fidei gratiam, percunctatuſque eſt ex eo, vtrùm nàm de Catholicis Epiſcopis eſſet? hoc eſt, ſi cum Romana Eccleſia conſentiret.] Hæc illæ.

Quintò ſic: Illius Sedis iudicium credendum eſt in Eccleſia eſſe indefectibile in his, quæ fidei ſunt, à qua quiſque diuiſus efficitur extrà Eccleſiam Dei. Sed diuiſus ab Apoſtolicæ Sedis iudicio efficitur extrà Eccleſiam. Ergo, &c. Conſequentia eſt bona. Maior non indiget probatione. Minor verò eſt beati Cypriani, & habetur in capit. qui Cathedram diſtinct. 93. [Qui Cathedram Petri, ſuper quam Eccleſia fundata eſt, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe non confidat.]

Item minor illa eſt beati Hieronymi in cap. Oriens 24. quæſt. 1. vbi ſcribens Damaſo Papæ, ità dicit: [Cùm ſucceſſore Piſcatoris, & Diſcipulo Chriſti loquor: ego nullum præmium, niſi Chriſtum ſequens Beatitudini Tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſentior, ſuper illam petram Eccleſiam fundatam ſcio; quicumque extrà hanc Domum Agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in Arca non fuerit, peribit regnante Diluuio.] Et infrà: [Non nouimus Vitalem, Miletum reſpuo, ignoro Paulinum: quicumque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſtus eſt.] Hæc Hieronymus.

Item eadem ſententia colligitur ex cap. ſchiſma 24. quæſt. 1.

Sextò ſic: Illius Sedis iudicium eſt cenſendum in his, quæ fidei ſunt, indefectibile, ad quod ſummarum definitiones cauſarum, grauioreſque queſtiones, cuiuſmodi ſunt queſtiones fidei, ſunt referendæ, & indè terminationem ſumpturę. Sed ad Apoſtolicam Sedem ſunt omnes cauſæ fidei referendæ, & definiendæ. Ergo Apoſtolicæ Sedis iudicium in fide deficere non poteſt. Conſequentia eſt bona; & maior eſt manifeſta; quoniam ſicut in diſciplinalibus fit reſolutio vſque ad prima principia, quæ falſa eſſe non poſſunt: ità cauſæ fidei referendæ ſunt ad Thronum, qui in iudicio ſuo errare non poteſt; quia aliàs nihil definitum per Apoſtolicam Sedem, aut terminatum, teneretur firmum, & indubitatum. Et ità ſequeretur ſchiſma, & hæreſis inter Fideles: & ità fides prima periret. Minor verò patet ex cap. quotiens 24. quæſtione 1. vbi ità inquit text. [Quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres Coepiſcopos noſtros, nonniſi ad Petrum, ideſt ſui nominis, & honoris auctoritatem referre debere, veluti nunc retulit veſtra dilectio, quòd per totum Mundum poſſit Eccleſijs omnibus in commune prodeſſe.]

Item eadem ſententia eſt Papæ Pelagij in quadam epiſtola, in qua in capit. multis diſtinct. 17. ità inquit: [Maiores verò, & difficiliores quæſtiones, vt ſancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudine exegit, ad Apoſtolicam Sedem ſemper referantur.]

Item beatus Gregorius, & habetur in capit. præceptis diſtinct. 12. [Nulli dubium eſt, quòd non ſolùm Pontificalis cauſatio, ſed omnis ſanctæ religionis relatio ad Sedem Apoſtolicam, quaſi ad caput Eccleſiarum debeat referri, & indè normam aſſumere; vndè ſumpſit exordium, ne caput inſtitutionis videatur omitti: cuius auctoritatis ſanctionem omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apoſtolicæ Petræ ſoliditate diuelli.] Hæc Gregorius.

Idem etiam habetur in capit. maiores, extrà, de Baptiſm. & eius effect. vndè in Chalcedonen. Concilio, audita epiſtola, quam Leo Papa ſcripſit Flauiano Epiſcopo contra errorem Eutycheti Epiſcopi, ità clamauerunt: [Hæc eſt Patrum fides, hæc Apoſtolorum fides, omnes ità credimus Orthodoxi, ità credimus anathema, qui non ità credit, Petrus per Leonem ità allocutus eſt.] Hæc ibi.

Septimò ſic: Illius Sedis iudicium eſt indefectibile in his, quæ fidei ſunt, cuius ſanctiones omnes accipiendæ ſunt, tamquam ipſius Petri Diuina voce firmatæ; ſed ſic eſt de Apoſtolicæ Sedis ſanctionibus. Ergo, &c. Conſequentia eſt bona. Maior eſt manifeſta. Minor verò eſt forma beati Agathonis in cap. ſic diſtinct. 19. Ad hoc etiam facit cap. in canonicis eadem diſtinct.

Item, Hadrianus Papa ſcribens Imperatori Baſilio, dicit ſic: [Quoniam tranquilliſſimè Imperator audiſtis vocem Dei per Apoſtolicæ Sedis officium tibi delatam, &c.]

Octauò ſic: Illius Sedis iudicium credendum eſt in his, quæ fidei ſunt, indefectibile, ad quod omnes Doctores, quantumcumque docti, aut ſancti, dicta ſua referunt, & examini, & correctioni ſubmittunt. Sed Sedis Apoſtolicæ iudicium eſt huiuſmodi. Ergo, &c. Conſequentia eſt bona. Maior manifeſta. Aliàs ſancti Doctores hoc facientes poſſent grauiter errare. Minor verò patet ex multis.

Primò ex ſubmiſſione, quam facit beatus Hieronymus in cap. hæc eſt fides diſt. 24. quæſt. 1. de qua ſupra.

Secundò ex ſubmiſſione, quam facit beatus Auguſtinus, ſcribens ad Papam Bonifacium libellum, quem contra duas Pelagiorum epiſtolas intitulauerat, vbi ità dicit: [Hæc ergo, quæ in iſtis, vt dixi, duabus epiſtolis eorum, iſta diſputatione, reſpondeo ad tuam potiſſimè dirigo ſanctitatem, non tam diſcenda, quàm examinanda: vbi ſi fortè aliquid diſpliceat, emendanda conſtitui.

Item, idem legimus beatum Anſelmum feciſſe in epiſtola de Incarnatione Verbi, vbi ità ſcribit Vrbano Papæ: [Domino, & Patri vniuerſæ Eccleſiæ in terra peregrinationis Summo Pontifici Vrbano, Anſelmus vita peccator, habitu Monachus debitam ſubiectionem, &c.] Et infrà: [Quoniam Diuina Prouidentia Veſtram elegit Sanctitatem, cui & fidem, & viam Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam committeret, ad nullum rectiùs refertur, ſi quid contra Catholicam fidem in Eccleſia, vt eius auctoritate corrigatur: nec vlli alij tutiùs, ſi quid con-

contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentia examinetur: quapropter sicut nulli digniùs possum, ità nulli libentius præsentem epistolam, quàm vestræ destino sapientiæ: quatenus si quid in ea corrigendum est, vestra censura castigetur; & quod regulam veritatis tenet, vestra auctoritate roboretur.] Hæc Anselmus.

Idem beatus Bernardus fecisse legitur, vt patet in capitulo præcedenti.

Item patet ex his, quæ inducit in fine epistolæ cuiusdam, quam super celebratione Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ scribit ad Canonicos Lugdunen.

Idem etiam beatus Thomas facit, vt patet in principio glosſ. continuę super Euangelia: [Hanc etiam obseruantiam reuerentiæ ad Apostolicam Sedem, quasi omnes Doctores Scholastici tractatores Diuinarum Scripturarum legimus tenuisse, & tenere, vt omnia dicta sua correctioni Apostolicæ Sedis submittant.

Nonò sic: Illius Sedis iudicium est in his, quæ fidei sunt, indefectibile, per quod approbata non licèt reprobare, sed ab omnibus sunt reuerenter suscipienda, sed Sedis Apostolicę iudicium est huiusmodi: ergo, &c. Consequentia est bona. Maior etiam patet. Minor verò habetur in capit. si Romanorum distinct. 19. vbi sic dicitur: [Si Romanorum Pontificum decreto cæterorum opuscula Doctorum approbantur, vel reprobantur, ità, quod verè Sedes Apostolica approbauit, hodiè teneatur acceptum.] Hæc ibi.

Inducit etiam glossa in capit. hæc est, fides distinct. 24. quæst. 1. & in cap. veniam distinct. 35. quæst. 9 in fine.

Decimò sic: Illius Sedis iudicium credendum est his, quæ fidei sunt, esse indeuiabile, quam omnes sancti sequuntur, & vniuersales Synodi amplectuntur, & venerantur, vt magistram fidei regulam, & apicem totius Ecclesiasticæ disciplinæ, sed Sedes Apostolica est huiusmodi, ergo, &c. Consequentia est bona, maior videtur clarissima, quoniam aliàs videtur sanctorum Patrum fides vacillare, nisi Sedis illius magisterium, & iudicium in fide firmum esset, & inobliquabile, minor verò colligitur ex Agatonis Papæ epistola ad Imperatorem Constantinum, quæ lecta est in sexta Synodo, vt suprà retulimus, acceptata est, in qua post superiora verba, ità de Sede Apostolica loquens, inquit. Cuius actoritatem, vt puta Apostolorum Principis, sem per omnis Catholica Christi Ecclesia, & vniuersales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesque venerabiles Patres Apostolicam eius doctrinam amplexi, per quam, & probatissima Christi luminaria claruerunt, & sancti quidem Doctores, orthodoxi venerati, atque secuti sunt, hæretici autem falsis criminationibus, atque derogationum odijs insecuti. Hæc ille. Item in gestis Chalcedonensis Concilij, sic legitur. Vndè Reuerendissimi Episcopi clamauerunt, vt Leo sic credimus, qui contradicunt anathema sunt, Leo rectè exposuit; & infrà vniuersi Reuerendissimi Episcopi clamauerunt, iustæ persuasioni acquiescimus vniuersi, hoc omnes credimus, hoc sequimur, hoc tenemus, quod Patris omnium nostr um Leonis confessio habet. Hęc ibi. Item hoc profitetur octaua Synodus, in qua Patres lecto decreto à Romano Pontifice Hadriano eis transmisso, ità aiunt. Quoniam sicut prędiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & obseruantes omnia eius constituta, speramus, vt in vna communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra, & vera Christianæ Religionis soliditas. Hæc ibi. Item, huius rei testimonium faciunt Patres in Concilio vniuersali Lugdunensi, vt habetur in cap. fideli de Summa Trinitat. & fid. cap. lib. 6. in quo sic dicitur. Hoc firmiter tenet, & prædicat, & profitetur, & docet sancta Romana Ecclesia Mater omnium fidelium, & magistra, vndè in cap. omnis distinct. 22. beatus Ambrosius se in omnibus sequi Magistram sanctam Romanam profitetur Ecclesiam.

Vndecimò arguitur sic: Illius Sedis iudicium est inobliquabile in his, quæ fidei sunt, cuius auctoritate, & iudicio roborantur, & firmantur Canones sanctorum Conciliorum, sed auctoritate, & iudicio Sedis Apostolicæ firmantur, & roborantur Canones sacrorum vniuersalium Conciliorum, ergo necessariò videtur asserendum, quòd iudicium Apostolicæ Sedis in his, quæ fidei sunt, sit indefectibile, consequentia est bona, maior videtur manifesta, minor patet etiam ex cap. confidimus 25. quæst. 1. & ex §. his ergo, ibidem, & ex cap. significasti extrà de electione. Patet etiam ex illa laudabili obseruantia sanctorum Patrum in Concilijs vniuersalibus, qua semper soliti sunt petere confirmationem Canonum suorum à Romano Pontifice, vtpotè Principe totius Ecclesiæ, sicut nos in tertiò huius operis, dante Christo, explificabimus de multis.

Duodecimò arguitur sic: Cùm impossibile sit sine fide placere Deo, vt inquit Apostolus ad Hebr. 11. sitque fides primum fundamentum totius Christianæ Religionis, vt ait Chrysost. necesse est, vt illa sit stabilis, & incommutabilis, sicut firma petra in ædificio Ecclesiæ, vndè suprà petram Ecclesia dicitur fundata Matth. 16. quoniam diuersæ quæstiones insurgunt, & emergunt dubia inter fideles circa fidem, & impugnationes hæreticorum, necessarium fuit dare vnum tribunal, siue vnum supremum iudicium notum, & certum in Ecclesia Dei, & duraturum cum ea vsque ad consummationem seculi, quamdiù scilicèt nobis est colluctatio aduersùs potestates tenebrarum, ad quod iudicium in omnibus arduis, & maximè circà fidem, & doctrinam posset facilè haberi recursus, cuius iudicio, & determinationi omnes firmiter parere deberent. Hoc etiam patet, quoniam aliter nulli determinationi, siue definitioni, vel declarationi, quæ in ea fieret circa ea, quæ fidei sunt, firmiter adhæreretur, & ità non videretur Ecclesiæ sufficienter fore prouisum in his, quæ necessaria sunt ad salutem, contra illud Isa. 5. Quid est, quòd debui facere vineæ meæ, id est Ecclesiæ, & non feci, sed hoc tribunal, siue supremum iudicium, non videtur posse regulariter esse vniuersale Concilium. Ergo videtur, quòd Sedes, siue Cathedra Apostolica sit huiusmodi tribunal, cuius iudicio omnes causæ maiores determinandæ

nandæ veniant, & finiendæ in Eccleſia Dei. Conſequentia eſt bona, maior etiam probata eſt, minor verò oſtenditur ex multis.

Primò, quia multa Concilia etiam vniuerſalia in his, quæ fidei ſunt, & neceſſaria ad ſalutem, erraſſe leguntur, & habuiſſe iudicia defectibilia, ſicut patet de Ariminenſi Concilio, quod fuit numeroſiſſimum, vt puta 830. Epiſcoporum, patet idem de Epheſino ſecundo, quòd Leo Papa condemnauit, & in eius correctionem Chalcedonenſe Concilium inſtituit. Sedes autem Apoſtolica, nunquam in his, quæ fidei ſunt, erraſſe perhibetur, vt ſancti Patres firmiter, ac multipliciter atteſtantur, ſicut ſuperiùs induximus in hoc capitulo, & præcedenti. Dicit etiam beatus Ambroſius ſuper Marc. & habetur in cap. non turbatur 24. quæſt. 1. Non turbatur nauis, quæ Petrum habet, turbatur autem, quæ Iudam habet. Item Auguſtinus in ſermone quarto de ſancto Petro, hanc prærogatiuam Apoſtolicæ Sedis luce clariorem faciens, dicit ſic. Nauis Petri in altum huius ſeculi, ità natat, vt prætereunte mundo, omnes, quos ſuſcipit, ſeruat illæſos, cuius figuram iam videmus in veteri Teſtamento. Sicut enim Noe arca, naufragante mundo, quos ſuſceperat, cunctos incolumes ſeruauit, ita & Eccleſia Petri, confragante ſeculo, omnes, quos amplectitur, ſeruabit illæſos. Hæc Auguſtin.

Secundò, quòd tribunal præfatum ſit Apoſtolica Sedes regulariter, & non vniuerſale Concilium, ex eo colligitur, quòd tale tribunal debet eſſe fixum in Eccleſia, & continuè permanens, cùm quaſi omni die ſit neceſſarium, hoc autem non poteſt vniuerſali Concilio conuenire, quoniam rarò, & non modo nunc, ſed etiam antiquo tempore leguntur celebrata, Sedes autem Apoſtolica ſemper fuit fixa, non enim moritur, vt ſuprà oſtendimus, iuxta cap. gratioſè extrà, de reſcript.

Tertiò, hoc idem colligitur ex illa ſanctorum Patrum profeſſione Catholica, qua ſuper Apoſtolicam Sedem dicunt, & prædicant Eccleſiam eſſe fundatam, vt Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, quos ſuperiùs induximus. Ergo magis videtur congruere diſpoſitioni diuinæ, quòd Eccleſia iudicium ſumat à Cathedra Petri, quam Cathedra ipſa ab Eccleſia.

Quartò, hoc idem colligitur ex eo, quòd ſancti Doctores, & Canones, etiam ſummarum diſpoſitiones cauſarum, & maximè fidei, ad Apoſtolicam Sedem, vt ſuprà oſtendimus, mandant, eas ad vniuerſale Conciliũ deferri.

Quintò, quia quæſtio fidei meliùs videtur determinari per Principem, qui Eccleſiæ præeſt, quàm per multitudinem, quòd ſanctus Thomas in 2.2. quæſt. 1. artic. 10. & in 4. contrà gentiles probat ex eo, quia vna debet eſſe fides totius Eccleſiæ, ſecundùm illud 1. Corinth 1. Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, quæ fidei vnitas ſeruari non poſſet, niſi quæſtio de fide exorta determinaretur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt, vt ſic eius ſententia à tota Eccleſia teneretur firmitèr. Hæc ſanctus Thomas. Hinc beatus Maximus in epiſtola Orientalibus directa dicit. Omnes fines Orbis, qui Deum ſincerè receperunt, & vbique terrarum Catholici Chriſti fidem confitentur, in Eccleſiam Romanorũ Pontificũ tamquam in Solem reſpiciunt, & ex ipſo Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei recipiunt veritatem, nec immeritò Petrus legitur primò perfectam fidem eſſe profeſſus, Domino reuelante, Matth. 16. [Tu es Chriſtus Filius Dei viui, vnde & ei Dominus dicit, ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.] Hæc ille. Item Nicolaus Papa in epiſtola, quam ſcribit Photio Patriarcæ, vt habetur in actione quarta octaui Concilij Oecumenici, ad propoſitum dicit, quia vniuerſitas credentium ab hac ſancta Romana Eccleſia, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei depoſcit, criminum ſolutionem, qui digni ſunt, & gratia Dei Redempti, exorant, oportet nos, quibus commiſſa eſt, ſollicitos eſſe, &c. Item Gelaſius Papa in epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem: Vna eſt Chriſtiana fides, quæ eſt Catholica, Catholica autem veraciter illa eſt, quæ ab omnium perfidorum, atque ab eorum ſucceſſoribus cõſorribus, ſincera, pura, immaculata communione diuiſa eſt, hoc eſt, quod Sedes Apoſtolica magnoperè taxauit, vt quia Mundo radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio, nulla rima prauitatis, nulla prorsùs contagione macularetur, nàm niſi, vt Deus auertat, quod fieri non poſſe confidimus, tale aliquid proueniret, vel cui iam reſiſtere auderemus errori, vel vndè correctionem errantibus poſceremus? Hæc ille. Ex quibus patet, quàm temeraria, quamque à Chriſti, & ſanctorum Patrum doctrina aliena aſſertio aduerſariorum ſit aſſerentium Apoſtolicæ Sedis iudicium in his, quæ fidei ſunt, non eſſe certum, non eſſe firmum, ſed defectibile, ſed deuiabile, & de facto quandòque deficere, & errare. Qui error pernicioſiſſimus, vtpotè qui Sedis Apoſtolicæ definitiones, fidei declarationes, hæreticorum damnationes, Canonum confirmationes, Sanctorum Canonizationes, dubias, & ambiguas, & per conſequens ſuſpectas de falſitate reddens, fidem eneruat, & Chriſtianam Religionem maculat. Hic error fuit communis omnibus hæreticis, vt depreſſa Apoſtolicæ Sedis auctoritate, licentiori præſumptione, & audacia, in ſuis craſſarentur erroribus.

CAP. LXI.

In quo obijcitur contra ea, quæ dicta ſunt, tàm de infallibilitate iudicij Apoſtolicæ Sedis in his, quæ fidei ſunt, quàm de firmitate fidei ſemper futura in Eccleſia Romana.

ADuersùs præfatam concluſionem, quam de priuilegio Apoſtolicæ Sedis, & Romanæ Eccleſiæ auctoritatibus, & rationibus efficacitèr firmauimus, eſt multa turba aduerſariorũ, & inimicorum Apoſtolicæ Sedis, qui nituntur illam multis rationibus impugnare. Et primò nituntur infirmare fundamenta concluſionis noſtræ præfatæ.

Primò ſic: Quia auctoritas illa Luc. 22. in qua Chriſtus oraſſe dicitur, ne fides defi-

ceret, non poteſt de fide perſonali Petri intelligi, quia ſtatim illa defecit in ipſo negando Chriſtum. Et ſi dicatur, quòd intelligatur de perſeuerantia finali Petri, non valet, quia dubium eſt, quòd talis perſeuerantia finalis in fide competat ſemper aliјs Summis Pontificibus, vndè videtur, quòd auctoritas illa accipienda ſit de fide vniuerſalis Eccleſiæ quæ nunquam deſinit, & nō de fide perſonali Petri. Ergo fàlsò fundatur in auctoritate pręfata aliqua firmitas iudicij Sedis, aut alicuius Eccleſiæ Petri, conſequentia videtur bona.

Secundò ſic: Auctoritas illa non poteſt intelligi de fide Eccleſiæ Romanæ. Ergo concluſio prefata non habet firmitatem veritatis; conſequentia eſt bona; antecedens probatur, quoniam quando Chriſtus dixit illa verba Petro, Petrus non magis erat caput Eccleſię Romanę, quàm Antiochenę, ſed tunc habiturus erat primò Sedem in Antiochia, & poſteà in Roma, cùm ergo in prædictis verbis non plùs fiat mentio de Roma, quā de Antiochia, quia verba generalia ad omnia particularia equè ſe habent, ſed verba prędi- non debent intelligi, de Antiochia, quia fides illius Eccleſię iam defecit, ergo nec de Romana Eccleſia debent intelligi.

Tertiò ſic: Doctores exponentes verba illa Scripturę, non exponunt ea de Eccleſia Romana, prout Eccleſia Romana eſt pars diſtincta contrà alias Eccleſias, ſed exponunt verba Scripturę de materia illa, loquentia de Eccleſia Catholica, & Apoſtolica, quę comprehendit omnem Eccleſiam tenentem fidem Apoſtolorum, ſiue ſit Romę, ſiue in Hiſpania, ſiue in Gallia, vndè non dicunt Doctores, inquiunt aduerſarij, quòd Romana Eccleſia non poſſit, vel nunquam errabit contra fidem, licèt aliquando affirment, quod nunquam inueniatur erraſſe ſecundùm ſe totam, quamuis aliquando pro maiori parte errauit, ſicut tempore Liberij poſtquam conſenſit perfidię Arrianorum.

Quartò, illud, quod promittitur toti, & non alicui parti, non debuit alicui parti etiā principali, ſed nunquam errare contra fidem toti congregationi fidelium promiſſum fuit à Chriſto, & nulli parti fuit hoc promiſſum, ergo non debet hoc alteri Eccleſię particulari Catholicorum attribui; cùm ergo Romana Eccleſia, ſit pars Eccleſiæ, non tota Eccleſia non poſſe errare contra fidem, non eſt attribuendum Romanę Eccleſię.

Quintò ſic, Cum dicis, quòd Romana Eccleſia non poteſt deficere in fide, quæro à te, quid intelligis per Eccleſiam Romanam? Aut enim intelligis papam, ſeu multitudinem Romanorum, ſiue clericorum, ſiue laicorum in partibus Romanis degentium. Et hoc modo non eſt verum, quia omnes Romani habentes domicilia Romę poſſunt contra fidem errare, ſicut & omnes hieroſolymorum errauerunt. Aut vocas Eccleſiam Romanam, clericos titulos habentes in Roma; hoc modo etiam non videtur verum, quòd Eccleſia Romana non poſſit errare in fide, quia tales clerici habentes titulos Romæ non videntur eſſe magis electi à Deo, quàm qui habuerunt titulos Hieroſolymis, ſed omnes iſti errauerunt, ergo, &c. Aut tertiò vocas Eccleſiam Romanam Papam cum Cardinalibus, vel Papam ſolum, vel Collegium ſolum Cardinalium. Nec hoc videtur verum, quòd Eccleſia Romana non deficiet in fide, immò videtur temerarium dicere, quòd Papa, cum duobus Cardinalibus, ſi non eſſent plures, non poſſit contra fidem errare. Aut quartò, vocas Eccleſiam Romanam illos, qui tenent fidem, quam Apoſtoli fundauerunt, & prædicauerunt Romæ, tunc benè verum videtur, quòd Eccleſia Romana hoc modo ſumpta, quæ eſt Eccleſia vniuerſalis, errare non poſſit, ſed hoc, cùm non plùs compræhendat Romanos, quā Hiſpanos, non eſt ad propoſitum.

Sextò ſic: Papa poteſt errare in fide, & hæretica pollui prauitate, hoc manifeſtum eſt. Tùm ratione, quia Papa, cùm ſit viator, & non ſit per papatum in fide confirmatus, poteſt errare. Tùm auctoritate, vt in cap. ſi Papa diſt. 40. Tum exemplis, ſicut patet de Marcellino, & Anaſtaſio ſecundo, ergo ſequitur, quòd, & poſſit in iudicio errare, & ità non eſt verum, quòd iudicium Apoſtolicæ ſedis ſit indefectibile, & indeuiabile in his, quæ fidei ſunt.

Septimò arguitur: Poſſibile eſt, quòd Romanus Pontifex incidat in hæreſim damnatam, & quòd talem hæreſim definiat in iudicio cum complicibus ſuis, ergo Apoſtolicæ ſedis iudicium in tali caſu errabit in fide.

Octauò arguitur de declaratione illa, quam Anaſtaſius fecit, de qua habetur diſt. 19. in cap. 1. ſecundùm Eccleſiæ catholicę conſuetudinem, in qua, quos Achatius poſt ſententiam in ſe prolatam ſacerdotes, vel leuitas ordinauerat Anaſtaſius, acceptis beneficijs, ritè fungi debere decreuit. Hæc autem reſcripta dicit Gratianus illicita, & non canonicè, ſed contra decreta ſuorum prædeceſſorū eſse data, & videtur Apoſtolica Sedes hìc erraſſe.

Nonò, arguitur ex hiſtoria Stephani Papę, qui collecto Concilio Formoſum Papam condemnauit, & omnes ordinationes eius irritas eſſe decreuit. Et de Ioanne Nono, qui confirmauit ordinationem, & collecta ſynodo, Rauennæ ſynodum, quam fecerat Stephanus contrà Formoſum, reprobauit.

Decimò arguitur de Ioanne 22. nulla videtur tergiuerſatione negari, quin doctrina ſua de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum eius, & de abdicatione proprietatis omnium temporalium in ſpeciali, & in communi, & de paupertate euangelica doctrinæ Nicolai tertij, aliorum ſummorum Pontificum aduerſari, cùm ergo illa ad fidem pertineant, vel ad bonos mores, notum eſt, quòd altera iſtarum doctrinarū, contineatur, ſub hętetica prauitate, quodcumque autem detur, eſt contrà concluſionem præfatam, ergo, &c. Quòd verò doctrina Ioannis 22. de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum, &c. aduerſetur doctrinæ Nicolai tertij, patet: Nam Papa Ioannes 22. in declaratione quadam ſua, quæ incipit: Cū inter nonnullos: declarat primò, quòd pertinacitèr aſſerere redemptorem noſtrum, & dominum Ieſum, eiuſque Apoſtolos in ſpeciali non habuiſſe aliqua, nec in communi, ſit Hæreticum, hæc declaratio videtur manifeſtè repugnare declarationi, & determinationi Domini Nicolai tertij, qui in decretali ſua, quæ incipit. Exijt qui ſeminat, quæ declaratio per Bonifacium Papam eſt inſerta in ſex-

in sexto libro decretalium, & ab vniuersali Ecclesia recepta, in qua declaratione præfatus Dominus Nicolaus, ità dicit: Porrò cum ipsa regula expræssè contineat, quòd fratres nihil sibi approprient, nec vinum, nec aliquam rem: sitque declaratum per eundem antecessorem nostrum Gregorium Nonum, & nonnullos alios hoc obseruare debere, tàm in speciali, quàm in communi, quam sic artam abdicationem venenosis obtrectationibus aliquorum insensata deprauauit astutia, ne fratrum eorumdem claritas talium imperitis sermonibus laceretur: dicimus, quòd abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerũ, tàm in speciali, quam in communi propter Deum, meritoria est, & sancta, quam, & Christus viam ostendens docuit, & exemplo firmauit, quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ prout ab ipso fonte hauserunt, ità volentes perfectè viuere, per vitæ, atque doctrinæ ipsorum alueos deriuarunt. Hæc ibi. Sed huic declarationi, in qua asserere videtur Dominus Nicolaus, & definire, quòd Christus, & Apostoli perfectionis ostendentes viam, non habuerunt aliqua iure proprietatis in speciali, nec etiam in communi, manifestè videtur repugnare declaratio præfata Ioannis 22. ergo, &c. Præterea Dominus Ioannes videtur reuocasse in constitutione sua, quam determinauit Dominus Nicolaus tertius: videlicèt, quòd fratres minores in rebus oblatis eis, nihil iuris, & dominij habent, nisi solum vsum fructum denudatum ab omni iure, & Dominio, ac proprietate tàm in speciali, quàm in communi.

CAP. CXII.

In quo obiectionibus præfatis aduersariorum respondetur.

Præfatis aduersariorum obiectionibus nõ obstantibus, quibus non erit difficilè respondere, tenendum videtur saluo semper meliori iudicio: quòd si cut suprà probauimus, Apostolica Sedes, ad quam pro principatus sui sublimitate pertinet, quæ ad fidem, & totius Christiani populi doctrinam, & religionem expectant, sententialitèr definire, & interpræetari, non possit errare, attentò diuinæ pollicitationis impermutabili decreto, in his, quæ de fide tenenda, & credenda apostolatus sui iudicio publicè Christiano populo decerneret, siuè definiret. Tum, quia vt argutum est, aliàs non esset firma, & indubitata credulitas in his, quæ circà fidem per Ecclesiam statuerentur, cùm omnia huiusmodi per Romanos Pontifices statuta sint. Tum quia constat, quòd auctoritate Ecclesiæ, quæ maximè in Romano Pontifice, vtporè ipsius Ecclesiæ capite, & principe, collata est, libri canonis habent robur, vndè, quòd illis verbis sit credendum firmitèr, non constat, nisi per auctoritatem Ecclesiæ, vndè Augustinus contra epistolam fundamenti, Euangelio non crederem, nisi auctoritas Ecclesię Catholicæ me moueret credere, quòd Ecclesia in electione sacræ scripturæ canonicæ fuerit Spiritu sancto directa, ergo similitèr credendum est, quòd Romanus Pontifex in Iudicio eorum, quæ fidei sunt, spiritu Sancto regatur, & per consequens in illis non erret, aliàs posset quis eadem facilitate dicere, quòd erratum sit in electione quatuor euangeliorum, & epistolarum canonis, & in approbatione vniuersalium Conciliorum, & aliorum librorum doctorum, approbando aliquos, & aliquos reprobando, quod tamen, vt patet dist. 15. per Romanos Pontifices, scilicèt Gregorium, & Gelasium determinatum legitur, & ità nulla fides maneret certa credendorum, quo nihil periculosius, aut etiam absurdius posset in Christiana religione excogitari. Non ergo videtur: quòd Romanus Pontifex in his, quæ Apostolatus sui iudicio credenda fide, aut detestanda definit, aut iudicat, errare possit. Quare dicendum est ad rationes in oppositum.

Ad primam cum dicitur, quòd auctoritas illa Lucæ 22. Ego pro te rogaui, &c. non accipienda venit de fide Petri, respondetur, quòd hoc falsum est, quod patet manifestè, tàm ex ipsius Domini saluatoris verbo, quàm ex sanctorum Patrum, & Doctorum expositionibus. Ex textu quidem euangelij patet, ait Christus ad Petrum, [Ego pro te rogaui Petre,] Ecce quòd dicit pro te in speciali, [vt non deficiat fides tua.] Ecce quòd dicit fides tua, [& tu aliquado conuersus confirma fratres tuos.] Clarum est autem, quòd pro illius fide personali rogabatur, qui post lapsum conuersus, confirmare iubetur fratres suos, hic autem Petrus erat, & non alius, nec congregatio ipsa vniuersalis Ecclesia, quia verba illa non possunt adaptari illi. Tum quia, fides illius non deficit. Tum quia, ipsa non dicitur aliquando conuersa. Tum quia, ipsa non dicitur propriè fideles fratres habere, sed potiùs in filios. Quod verò aduersarij dicunt, quòd fides Petri statim defecit, respondetur, quòd si ad horam defeci, non tamen finalitèr, & hoc est, quod Christus rogauit, vndè non dixit ei Dominus; [Ego pro te rogaui Petre, vt non neges, seù vt non cadas, sed non deficiat fides tua, scilicèt finalitèr;] vndè Beda in glos. non dicit, non tempteris, sed non deficiat fides tua, vt post lapsum negationis, ad pristinum statum pænitendo resurgas. Hæc ille.

Hoc etiam innuitur manifestè in verbis sequentibus Saluatoris, cum ait: [Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos,] in quo casu manifestè innuit Saluator, quòd aliquando Petrus erat casurus, siue negaturus, non ergo rogat, ne caderet, sed ne in casu maneret, quod ipsius rogatu adimpletum est, quòd posteà numquam ampliùs cadat. Et ità patet ex ipso euagelij textu, & Saluatoris verbo, quòd ad literam loquitur Dominus de fide personali Petri. Hoc etiam apertissimè ostenditur ex sanctorum Patrum expositionibus, quas induximus suprà in cap. 109. vndè Leo Papa exponens textum hunc sermone secundo consecrationis suæ, ità inquit. Specialis cura à Domino Petri suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit, in Petro ergo omnium fortitudo munitatur, &c. Ecce testimonium clarissimum huius, quod diximus. Quod verò con-

rò consequentèr dicunt aduersarij, quòd expositio data de fide personali finali Petri non valeat, quia, vt aiut fides personalis in alijs Pontificibus successoribus Petri non semper habuit, aut habet finalem in fide perseuerantiam, est stultum dictum, quoniam textus præfatus de personali fide Petri loquitur, non de fide personali aliorum Pontificum. Pro quo notandum, quòd Romanus Pontifex succedit beato Petro non in gratijs, & prærogatiuis personalibus, sed in sede, & officio Pontificatus, & per consequens in priuilegijs sedis, & officij. Habuit autem Petrus priuilegium post resurrectionem Christi, vt in fide finalitèr non deficeret, siue erraret: & non solùm ipse hoc habuit, sed etiam cœteri Apostoli, qui cum Christo manserunt, vndè vt dicit beatus Chrysostomus, quòd pro omnibus etiam rogauit, cum ait Ioannis 18. [Pater sancte serua eos in nomine meo, vndè communis doctrina Sanctorum habet, quòd omnes Apostoli confirmati fuerint post resurrectionem, vndè glofs. super illud Psalm. 74. Ego confirmaui columnas eius, dicit sic: quæ in Passione nutauerunt: id est Apostolos, qui. confirmati sunt in Resurrectione.

In hoc autem priuilegio Romanus Pontifex non succedit Petro, sicut nec alij Episcopi alijs Apostolis. Et ideò quod aduersarij inducunt de fide, aut oratione personali Romanorum Pontificum, non facit ad propositum, habuit autem ampliùs singularitèr Petrus super omnes alios Apostolos, vt priuilegium non errandi in fide se extenderet ad sedem, siue cathedram eius, ità quòd in cathedra sua semper catholica vigeret doctrina, & in sede sua iudicium in his, quæ fidei sunt, ab omni macula erroris esset alienum: prout superiùs multis Sanctorum Patrum sententijs firmauimus. Hæc autem prærogatiua non est data sedibus aliorum Apostolorum, quorum omnes aliquo modo verecundatæ sunt: sicut patet de Achaia, vbi prædicauit beatus Andræas: de Asia, vbi prædicauit Ioannes Euangelista, de India, vbi Thomas, de Æthiopia, vbi Mattheus, de alia India, vbi beatus Bartholomęus, de Hierosolyma, vbi Iacobus. Omnes istæ, quasi funditùs defecerunt à fide: sola Romana Ecclesia immaculata permanet, & opitulante Deo, permanebit semper.

Ad secundam obiectionem cùm dicitur, quòd præfata auctoritas non potest intelligi de Ecclesia Romana, &c. respondetur negando hoc assumptum, quoniam falsum est. Et ad probationem cum dicitur, quòd quando Christus dixit illa verba Petro, [Petrus non erat magis Caput Romæ, &c.] respondetur, quod probatio illa nulla est: quoniam licèt Petrus tunc nullius Ecclesiæ caput actu esset, sed esset benè futurus caput: nihilominùs quando Christus orauit pro fide Petri, orauit pro fide Ecclesiæ suæ, quæcumq; futura esset, cui Petrus tamquam Princeps, & caput præesse deberet, vndè cum Petrus præsedit Ecclesiæ Antiochenæ, Ecclesia Antiochena habuit eam prærogatiuam, cùm verò Petrus indè transtulit sedem suam, translata est in Ecclesiam Romanam dicta prærogatiua, quæ sedem ipsam Petri, diuina prouidentia disponente, interuenientibus ipsius [beati Petri meritis, inseparabilitèr sequitur, & comitatur, vndè beatus Leo, in sermone secundo consecrationis suæ, ità inquit: Manet ergo dispositio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine perseuerans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non relinquit: sic enim est ordinatus, vt antè petra dicatur, dum fundamentum pronunciatur, dum Regni cœlorum ianitor constituitur, dum ligandorum, soluendorumque arbiter mansuram, etiam in cœlis iudiciorum suorum definitionem præficitur, qualis ipsa mihi esset societas per ipsa appellationum eius misteria, nosceremus, & infrà.

Si quid itàque à nobis rectè agitur, recteque discernitur, si quid à misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operum, atque meritorum, cuius in Sede viuit potestas, & excellit auctoritas, hoc enim obtinuit dilectissimi illa confessio, quæ à Deo Patre Apostolico inspirata cordi, omnium humanarum operationum in terra transcendit, & firmitatem, quæ nullis impulsionibus quateretur recepit. Hæc ille. Item Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem, sic scribit: Petrus confirmatæ petræ, quæ Christus est, structuram vniuersalis Ecclesiæ inconcussam, & fide clarè solidatam, ità præcibus suis munire non cessat, vt errantium vesaniam rectæ fidei norma reformare festinet, vt non intrepidè eam consolidantes, remunerare procuret quatenus porrę inferi malignorum spirituum, suggestiones, atque hæreticorum impetus non præualeant eiusdem Ecclesiæ vnitatem infringere.

Ad tertiam obiectionem cùm dicitur, quòd Doctores exponentes verba illa Christi, non exponunt ea de Ecclesia Romana, &c. Respondetur negando hoc tamquam falsum, & iniquum, quod patet ex testimonijs superius inductis pro veritate conclusionis sanctorum Patrum, scilicèt Cyrilli, Chrysostomi, Hieronymi, Leonis Agathonis, Bernardi, Anselmi, Alberti Magni, sancti Thomæ, & aliorum plurium Doctorum, omnes enim isti loquuntur de Ecclesia Romana, prout est pars distincta, tamquam Caput, & Magistra contrà alias Ecclesias.

Ad quartam obiectionem cùm dicitur, illud, quod promittitur toti, & non parti: respondetur negando, quòd non errare contrà fidem non sit promissum Ecclesiæ Romanæ, hoc enim falsum est, vt iam ostendimus in responsione ad secundam. Vndè beatus Cyrillus, vt suprà induximus, ita ait. [Secundùm hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, & hæretica circumuentione immaculata manet super omnes postpositas, &c.] vt suprà.

Ad quintam, cum quæritur, quid vocatur Ecclesia Romana, cum dicitur, quòd in fide errare non possit? Respondetur in primo, quòd non accipitur hic Ecclesia Romana ità extenso vocabulo, pro fidelium illorum congregatione, qui tenent fidem, quam Apostoli Romæ prædicarunt; iste enim modus vocandi Ecclesiam Romanam videtur esse improprius. Tum quia, alibi, quàm Romæ Apostoli prædicauerunt fidem, quàm fideles per Orbem dispersi tenent, & obseruant. Tum quia, confessio etiam ipsa fidei, qua Petrus Christum Deum, & hominem confessus

ait:

ait: [Tu es Christus filius Dei viui &c.] super quam dicitur Christus Ecclesiam suam ædificasse, non primò Romæ, sed in Cæsarea Philippi facta est, vt dicitur Matth. 16. [Secundò dicitur, quòd Ecclesia Romana, in qua Religio Christiana à tempore Apostolorum Petri, & Pauli semper immaculata dicitur perstitisse, & vsque in finem seculi debere persistere, vocatur congregatio populi fidelis Romani cum suo Pastore. Quod verò dicitur ex aduerso, quòd omnes Romani possunt errare, sicut omnes Hierosolymitani. Respondetur, quod hoc falsum est; hæc enim gratia data est Romanæ, quæ non fuit data Hierosolymitanæ, de qua gratia Agato Papa in suggestione, quam Constantino Imperatori scribit, ità dicit: [Hæc Apostolica Christi Ecclesia, per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse perhibetur, &c.] vt superiùs est inductum.

Ad sextam obiectionem, in qua arguitur: Papa potest errare in fide tenendo malam opinionem circa ea, quæ fidei sunt: ergo similiter potest errare in iudicio, malè sententiando de fide: respondetur negando consequentiam, quia licèt primum sit possibile, secundùm tamen non. Et ratio diuersitatis est: quia assistentia Spiritu sancti promissa à Christo, non respicit personam Papæ, sed officium, siue sedem, & ideò cum opinari sit personæ, iudicare verò sit officij: licèt esset possibile Papam malè opinari, errare tamen sententiando in iudicio de his, quæ sunt fidei, non est possibile, stante diuina promissione. Pro quo notandum cum sancto Thoma in quodlibeto octauo: in quo quærens vtrum omnes canonizati per Ecclesiam sint in gloria, vel aliqui eorum sint in inferno, dicit: [quòd aliquid potest iudicari secundùm se consideratum, quod relatum ad aliquid extrinsecum, impossibile inuenitur;] dico ergo quòd iudicium eorum, qui præsunt Ecclesiæ potest errare in quibuslibet, si personæ eorum tantum respiciantur. Si verò consideretur diuina prouidentia, quæ Ecclesiam suam Spiritu sancto dirigit, sicut ipse Christus promisit Ioannis XIV. Docebit vos omnem veritatem, scilicèt, necessariam ad salutem, certum est, quòd iudicium Ecclesiæ vniuersalis in his, quæ ad fidem pertinent, errare est impossibile: vndè magis standum est sententiæ Papæ, quam de fide in iudicio profert, quàm quorumcumque hominum sapientum in scripturarum opinionibus, nam & Cayphas cum esset Pontifex, licèt nequam, prophetauit Hæc sanctus Thomas.

Planè huiusmodi dignitates in Ecclesia, sicut multùm tributum est eis honoris, & reuerentiæ, ita plurimum virtutis sortita sunt, & gratiæ singularis. Vndè Chrysostomus super illo verbo Ioann. 11. valdè pulchrè ad propositum loquitur: Vide, inquit, quanta Pontificalis potestatis sit virtus: quia enim qualitercumque dignus effectus est, Pontificari, & si indignus existens, ore prophetauit, nesciens quid dicebat: ore enim illius solùm vsa est gratia Spiritus sancti, contaminatum autem cor non tetigit, & infrà: Vides quanta Spiritu sancti virtus à mente perniciosa voluit verba proferri prophetiæ plena magnæ, & mirabilis. Item beatus Augustinus hunc locum tractans libro quæstionum Veteris, & Noui Testamenti, & habetur in cap. dictum est à Domino 1. quæst. 1. ita ad propositum loquitur: Quanta autem sit dignitas sacerdotalis ordinis, hinc aduertamus: dictum est de nequissimo Caypha interfectore inter cætera, hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Princeps Sacerdotum illius anni, prophetauit, per quod ostenditur Spiritum sanctum gratiarum datorem non personam sequi, aut digni, aut indigni, sed ordinem traditionis.

Vbi cæterum in hoc loco benè aduertendum, quòd non dicitur, quòd Papa errare non possit, aut malè sentire, aut iudicare in his, quæ fidei sunt, cum error, vt dicit Augustinus nihil aliud sit, quàm pro vero approbare falsum, sed dicitur, quod sententia, quam in iudicio Romanus Pontifex profert in his, quæ fidei sunt, errare non possit, aut quòd Sedis Apostolicæ iudicium, quod idem est, errare non possit. Ita enim loquitur Hieronymus in cap. hæc est fides 24. quæst. 1. cum ait: quòd si Apostolatus tui iudicio &c. Eodem modo loquitur sanctus Thomas in præfato quodlibeto cùm dicit: quòd magis standum est sententiæ Papæ, quam de fide in iudicio profert, quam &c. Hinc etiam Agato Papa in cap. sic dist. 19. inquit: Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tamquam ipsius diuina voce Petri firmatæ. Super quo dicit Archidiac. Cautè dicit Apostolicæ Sedis, & non dicit Apostolici: Sedis autem Apostolicæ sanctiones, siue sententia in iudicio pro lata à Romano Pontifice intelligitur, non quæ occultè, malitiosè, aut inconsultè per solum Romanum Pontificem, aut etiam quæ per ipsum cum paucis sibi fauentibus, alijs in fraudem contemptis, siue non vocatis, ad partem profertur, sed quæ à Romano Pontifice, qui maturo, & graui virorum sapientum, & maximè Dominorum Cardinalium primo Concilio digesta, & maturata sancitur, & profertur. Nam vt ait Albertus Magnus in quæstione de iustitia, & legibus; habentibus auctoritatem secundùm consulta sapientum est determinare, & interpretati, vel exponere, & quòd ita sit in rebus arduis dicitur ab Apostolica Sede emanare, secundùm illud, quod beatus Gregorius ait in cap. Apostolicæ Sedis 35. quæst. 9. Apostolicæ Sedis sententia tanta semper Concilij moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tantaque deliberationis grauitate profertur, vt nec mutari necessarium ducat, nisi fortè sic prolata sit, vt retractari possit &c. Quibus omnibus consideratis, videlicèt infallibilitate diuinæ promissionis, efficacia orationis Christi, meritorum affluentia beatissimi Apostoli Petri, & maturitate Consilij, quòd in huiusmodi arduis materijs, quæ fidem tangunt, cum Dominis Cardinalibus, & alijs doctis Patribus Romanus Pontifex semper habet, sine dubio tenendum est hoc, quod de Apostolicæ Sedis iudicio dictum est: videlicèt quòd in his, quæ fidei sunt, deficere non possit.

Ad septimam obiectionem cum arguitur de Papa facto hæretico, & deficiente pro hæresi sua &c. respondetur. Quidam enim volunt

volunt dicere, quòd casus non est possibilis quoad hoc, quòd Papa possit definire hæresim, dicunt enim, quod in hoc casu Deus non permitteret eum definire hæresim, aut aliquid contra fidem, sed prohiberet eum, aut per mortem, aut per aliorum fidelium resistentiam, aut per aliorum instructionem, aut per internam inspirationem, aut per alios modos, secundum quos Dei Ecclesiæ sanctæ, & fidei veritati multipliciter prouideri potest, ad quod inducunt exempla aliqua.

Primo de Balaam Propheta malo, cum non minoris curæ sit Christo de vitanda maledictione infidelitatis, quàm de maledictione verbali Prophetę talis à populo Iudæorum, sed Deus sic prouidit illi populo, vt patet Num. 22. quòd malus Propheta veniens ad maledicendum populo Iudæorum prohibitus est à Deo sic, quòd non potuit maledicere populo, quem Deus benedixerat; ergo multò fortiùs si Papa esset hæreticus propter immutabilem veritatem fidei datam à Deo toti Ecclesiæ, non permitteret eum Dominus determinare hæresim, aut errorem contra fidem, sed prohiberet aliquo dictorum modorum.

Secundum exemplum de Caypha, qui nesciens prophetauit ob dignitatem Pontificalem, multò magis credendus est Romanus Pontifex prohiberi, ne errorem determinaret, tàm propter dignitatem Pontificalem, quàm propter honorem Dei, & salutem populi Christiani.

Tertium etiam hìc inducunt exemplum de Anastasio, qui licèt voluerit reuocare Achatium, non tamen potuit, quia diuino nutu percussus est; vt in cap. Anastasius, & in glos. dist. 19. Nobis autem aliter videtur dicendum: videlicèt, quòd ratio illa non sit ad propositum nostrum, quia si Romanus Pontifex efficitur hæreticus ipso facto, quo cadit à fide Petri, cadit à Cathedra, & Sede Petri, & per consequens iudicium, quod faceret talis hęreticus, non esset iudicium Apostolicæ Sedis, immò nec iudicium alicuius auctoritatis est dicendum, aut momenti, quia cùm per hæresim cecidisset à prælatione, per consequens auctoritate iudicandi priuatus esset: vt in cap. Nouatianus 24. q. 1. & cap. factus 7. q. 1. & extra de offic. Vicar. cap. nos in text. & in glos. Prælatio autem, vt ait Archidiaconus in cap. quamuis dist. 21. consistit in tribus. In iudicijs, vt in cap. inferior, in præceptis, vt in cap. nunc autem, in sententijs, vt in cap. denique ear. dist. Et ità patet, quòd obiectio illa aduersariorum nulla sit.

Ad octauam obiectionem cùm dicitur, & arguitur de declaratione facta per Anastasium: respondetur, quòd falsum est, quòd declaratio præfata non fuerit Canonica, & vera. Pro quo notandum, quòd circa hanc materiam, quæ tangitur in prædicta declaratione, scilicet, an hæretici, & præscisi vera sacramenta conferant? sunt quatuor opiniones, sicut tangit Magister sententiarum in 4. dist. 24. & sanctus Tho. Prima quòd hæretici, & præscisi non conferunt sacramenta; sed ista opinio non tenetur. Alia opinio est dicentium, quòd conferunt, sed promoti non recipiunt, hæc opinio etiam non tenetur. Alia opinio est dicentium, quòd possunt conferre, dum tamen Ecclesiæ formam seruent, & intentionem, & quantum ad primum effectum, qui est collatio sacramenti, & quantum ad vltimum, qui est collatio gratiæ, sed hæc opinio etiam stare non potest, quia ex hoc, quòd aliquis communicat hæretico præscisso ab Ecclesia in sacramentis, peccat, & ita fictus accedit, & per consequens gratiam consequi non potest, nisi fortè in baptismo, in articulo necessitatis. Alia opinio est, quòd hæretici vera sacramenta conferunt, sed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis contra Ecclesiæ prohibitionem. Iste verò Anastasius in hac sua declaratione quantum colligi potest ex forma, & seriè literæ, quicquid dicat Gratianus, non videtur aliud dicere, nisi quod dicit ista quarta opinio, videlicet quòd pręscisi ab Ecclesia etiam vera sacramenta conferant, & hoc generaliter quo ad omnes, quantum autem ad effectum gratiæ, contrarium est de his, qui impedimentum gratiæ, siue obicem non præstarent. Quod verò talis fuerit opinio huius Romani summi Pontificis in hoc cap. & verum dicat, patet ex his, quæ inducuntur in glos. secundùm Hug. glos. autem sic ait, Varijs modis ponitur casus huius cap. Gratianus inducit quasi sit abrogatum, & Maldensis consentit cum eo, & omnes, qui dicunt veritatem sacramentorum non esse apud hæreticos, vt 24. qust. 1. schisma. & 1. qu. 1. extra Ecclesiam. Hug. dicit quòd nec cap. est reprobatum, nec auctor pro his, quæ continentur hìc, condemnatus fuit, quia nihil hìc continetur, quod non canonicè dicatur &c. Item dicit Dominus Archidyaconus in §. quod verò, immò dicit, quòd ipse Gratianus fuit opinionis illius, quòd vera sacramenta non essent apud hęreticos, quod falsum est, & ita verè videtur errasse & non Anastasius in illo, vndè Gratianus cum ait in §. præcedenti, quòd hoc est, quod dicitur, quòd decretales epistolę sunt paris auctoritatis cum canonibus, siue quòd semper sunt accipiendæ, intelligendum sit de his sanctionibus, vel decretalibus epistolis, in quibus nec præcedentium patrum decretis, nec Euangelicis præceptis aliquid contrarium inuenitur, videtur malè dicere in duobus. Primò vt dicit Archidyaconus in hoc, quod videtur innuere, quòd Papa non possit facere contra decreta prædecessorum suorum, quod non est verum de const. cap. 1. lib. 6. Secundò in hoc, quod præsupponit, quòd à Sede Apostolica possent emanare epistolę decretales præceptis Euangelicis contrariæ, quod est falsum, iuxtà pędicta, & expresè contra cap. sic. dist. 29.

Ad nonam obiectionem, quæ sumitur de factis Formosi Papę & Stephani Papæ, respondetur, quòd obiectio illa non militat contrà propositum, quoniam altercatio illa non fuit in materia fidei, aut circa ea, quæ sunt necessaria ad salutem, sed in quibusdam mundanis processibus & iudicijs, vndè Papa Formosus, cum essem Cardinalis, degradatusque fuisset vsque ad habitum laicalem, & iurasset, nec ad Episcopatum nec ad Romam se reuersurum, Stephanus VI. Papa credens, quòd talis non potuisset reassumi ad Papatū nec per consequens esse verus Papa, condem-

nauit

nauit eum, & ordinationes eius, & ſententias decreuit per conſequens irritas eſſe, ſucceſſor verò ſcilicèt Ioan. Nonus credens præfatum formoſum non, obſtantibus illis, verum fuiſſe Pontificem confirmauit ordinationes illius, & geſta contra illum in Concilio Rauennæ reprobauit. Iſta erant in facto, non erat materia fidei, in illis enim, quæ ſunt facti Eccleſia errare poteſt, vt dicit ſanctus Tho. tàm in quodlibeto 8. quà in 4. ſententiarum diſt. 6. vbi ait, quòd quamuis Eccleſia dono, & auctoritate diuina fulciatur, tamen in quantum eſt hominũ congregatio, aliquid ex defectu hnmano in actibus ſuis prouenit: quod non eſt diuinũm.

Ad decimam obiectionem, quæ ſumitur ex declarationibus Ioann. 22. quæ videntur contraria declarationi factæ per Dominum Nicolaum Tertium, reſpondetur, quòd in veritate non opponuntur, immò declaratio Ioan. 22. optimè ſtat ſimul cum determinatione Nicolai. Pro quo notandum, quòd diligenter perſcrutati Textum Euangeliorum cum expoſitionibus ſanctorum patrum, & Doctorum catholicorum, duas paupertates legimus Chriſtum ordinaſſe congruentes diuerſis exercitijs perfectorum. Vnam videlicèt, & primam pro filijs, qui prædicaturi mittendi erant in iudæam ad annunciandum aduentum Regis; quæ eſt nihil proprium habere ſub cælo, nec in ſpeciali, nec in communi, de qua Dominus mittens diſcipulos ad prædicandum Matt. 10. dicit ſic Nolite poſſidere aurum, nec argentum, nec pecuniam, in Zonis] veſtris non peram nec duas tunicas nec calciamenta neque virgam, dignus eſt enim operarius cibo ſuo; hæc ibi. Hoc autem Chriſtus præcepit vt ait Hieronymus in gloſ. ne cauſa lucri. & non cauſa ſalutis prædicare viderentur. Item gloſ. ſuper illud dignus eſt enim operarius &c. dicit ſic. Ecce quare præcipit nihil ferre, quia omnia debetur eis Et gloſ. Luc. 10. dicit. Ecce qui ſaccum, & peram prohibuit, ſumptus ex prædicatione conceſſit De Chriſto etiam dicitur Matth. 8. Filius hominis non habet, vbi caput reclinet, gloſ. inquit Hieronymus. Quid me propter lucra ſæculi vis ſequi cum ita pauper ſim, vt nec hoſpitiolum quidem habeam, nec neceſſariò vtar tecto. Secunda paupertas eſt pro illis, qui fixi erant manſuri in congregatione, & iſta eſt nihil habere in proprio, ſed benè in communi, de qua Act. 4. ſic dicitur. Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum, quæ poſsidebat ſuum eſſe dicebat, ſed erant eis omnia communia, vbi gl. Bede pulchrè ita ait. Qui ita viuunt, vt ſint omnia communia in Domino Cenobitæ vocantur, quæ vita tantò felicior, quantò ſtatum futuri ſæculi imitatur, vbi omnia communia, quia Deus eſt omnia, & in omnibus hæc ibi: Ergo Chriſtus volens vtramque approbare paupertatem, aliquando tenuit primam nihil penitùs habens, nec in ſpeciali, nec in communi, viuens tamen ex his, quæ deuotæ feminæ ſequentes eum adminiſtrabant ei; & Apoſtolis, vt habetur Luc. 8. ſuper quo verbo ita dicit gloſ. & creditur eſſe Bedæ, Antiquus mos erat Iudeorum, nec ducebant in culpam, vt mulieres ſua ſubſtantia paſcerent, & veſtirent doctores, quia verò in gentibus hoc poterat facere ſcandalum, Paulus memorat ſe abſtinuiſſe, miniſtrabant ergo Domino carnalia, cuius metebant ſpiritualia vt formam daret prædicatoribus, quia victu & veſtitu debent eſſe contenti, Hæc gloſa.

Secundam autem paupertatem approbauit aliquando, & verbo & exemplo Verbo, vndè Luc. 22. inquit Apoſtolis. Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calciamentis nunquid aliquid defuit vobis, at illi dixerunt, nihil dixit ergo eis. Sed nunc qui habet ſacculum tollat ſimilitèr, & peram &c. vbi glo. interli. dicit. In hoc quoque vobis datur exemplum, vt non nunquam cauſa inſtante de noſtri præpoſiti rigore, ſine culpa intermittere poſsimus: Ex qua gloſ. manifeſtum accipitur argumentum, quòd illud præceptum Matt. 10. de non portando aurum, & argentum &c. ſuper quo fit diſpenſatio non pertinet eſſentialiter ad perfectionem vitæ ſpiritualis, quia in tali non haberet locum diſpenſatio, quod multum militare videtur contra fraticellos. Præterea etiam Chriſtus exemplo firmauit præfatam paupertatem habens loculos, in quibus ſeruabantur ea, quæ ei dabantur ad ſui: & eorum neceſsitates ſubleuandas, de quibus Ioan. 13. vbi ſic habetur, Chriſtus dicit Iudæ. quod facis fac citius. Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium, ad quid dixerat, & quidam putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixiſſet ei Ieſus. Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, aut vt egenis aliquid daret. Super quo dicit beatus Auguſtinus ſuper Ioan. & habetur in cap. habebat 12. qu. 1. Habebat ergo, & Dominus loculos, à fidelibus oblata conſeruans, & ſuorum neceſsitatibus, & alijs indigentibus tribuebat. Tunc primùm Eccleſiæ pecuniæ forma eſt inſtituta, vt intelligeremus, quòd præcepit non cogitandum eſſe de craſtino, non ad hoc fuiſſe præceptum vt nihil pecuniæ ſeruaretur a ſanctis, ſed ne Deo propter iſta ſeruiatur, & propter inopiæ timorem iuſtitia deſeratur. Hæc Auguſtinus. Item idem Auguſt. & habetur in cap. exemplum ea. cau. & q. Exemplum Domini accipite conuerſantis in terra, quare habuit loculos; cui Angeli miniſtrabant niſi, quia ipſius Eccleſia loculos habitura erat. Non poteſt autem dici, quòd hic paupertatis modus perfectis non conueniat, tanquam habere aliqua in communi, deroget Euangelicæ perfectioni. Patet, tam ex eo, quòd Chriſtus perfectiſsimus, & Apoſtoli eius ſanctiſsimi eam obſeruauerunt, & obſeruandam Eccleſiæ reliquerunt, iuxta iam dicta beati Auguſtini. Tum patet ex communi obſeruantia omnium ſanctarum religionum: Baſilij. Auguſtini Benedicti: quæ omnes aliqua habent in communi. Tum patet ex declaratione, quam Gregorius 9. in quadam decretali ſua facit extrà de exceſ. prælat. cap. nimis iniqua, vbi expreſſe aſſerit, fratres prædicatores, & minores in altiſsima paupertate Chriſto pauperi famulari, & tamen conſtat ipſos prædicatores habere aliquid in communi etiam, quo ad proprietatem aliqua, quod eorum regulę, & ſtatui non repugnat. Hoc etiam Alexander Quartus in condemnatione libelli contra ſtatum prędicatorum, & minorum videtur ſen-

sensisse : in quo loquendo de dictis fratribus, ita subiunxit. Cum insuper ijdem fratres omnia propter Deum reliquerunt, exilia, vitę subsidia mendicantes, ipsum Christum imitentur pauperem, perfectionem Euangelicam amplexando, propter quod euidenter patet eos non solum in statu saluandorum existere, sed etiam perfectorum, & per suę religionis obseruantiam, quæ quidem ipsius perfectionis Euangelicę tenet formam in eternę retributionis prĕmio præcellentem gloriam promereri. Hæc ibi. Vbi quidem expresse dicit prædicatores Christum pauperem imitari, ipsiusque perfectionem Euangelicam amplexari, & in statu existere perfectorum, quodcumque ipsius religionis obseruantia perfectionis Euangelicæ tenet formam : & tamen constat ipsos habere posse, quo ad proprietatem aliqua, iuxtà eorum regulam in communi. Et ita patet, quòd habere aliquid in communi non derogat perfectioni Euangelicæ, quod etiam sanctus Thomas determinat in 2. 2. qu. 188. art. 7. inducens illud Prosperi de vita contemplatiua : & habetur in cap. expedit facultates Ecclesiæ possidere & proprias perfectionis amore contemni, & infrà. Quo facto satis ostenditur, & propria debere propter perfectionis contemni, & sine impedimento perfectionis posse Ecclesię facultates, quæ sunt profectò communes, possidere. Attēto ergo quod Christus has duas paupertates, & vtrasque Euangelicę perfectionis diuersis temporibus docuit verbo, & firmauit exemplo, patet quòd declaratio Ioannes 22. non contradicit declarationi domini Nicolai III. sed stant benè simul ad diuersa tempora dicta eorum referendo. vno enim tempore, Christus, & Apostoli nihil habuerunt in speciali, nec in communi, à mulieribus, quæ Christum sequebantur necessaria sumentes, vt dicit dominus Nicolaus Papa. Alio verò tempore habuerunt in communi aliqua, vt puta loculos, sicut dominus Ioannes Papa 22. Et ita patet quid dicendum sit breuiter ad dictam obiectionem in quantum spectat ad præsentem locum. Quòd verò secundò loco de eodem Ioannis verbo inducitur : quòd reuocauerit, quod Nicolaus determinauit : dicimus, quod non est verum quòd Ioannes reuocauerit scilicèt habent declarauit id, quod dominus Nicolaus dixerat, videlicèt, quòd fratres minores in rebus oblatis eis nihil iuris, & dominij habent, nisi solum simplicem vsum fructum denudatum ab omni iure, & dominio, atque proprietate tàm in speciali, quàm in communi, debere intelligi in rebus, in quibus vsus potest separari à dominio : & proprietate, sicut sunt res immobiles : & multæ mobiles, non autem in rebus, quæ vsu consumuntur, & declarat quòd dominus Nicolaus intelligit, quòd fratres minores in rebus, quibus vtuntur, habent ius vtendi. Et certè absque præiudicio domini Nicolai, dominus Ioannes 22. potuit hoc declarare. Tùm quia, dominus Nicolaus in sua constitutione expressè dicit, quòd in dubijs, quæ circa determinata per eum occurrerent, habeāt dicti fratres recurrere ad Sedem Apostolicam per eam declarandis. Tùm etiam quia, Papa declarat Euangelium, sicut est, de iuramento &c. Sicut ergo Romanus Pontifex absque præiudicio Saluatoris declarauit, quòd præceptum de non iurando non se extendat, vt perhibeat in omni casu iurare, imò damnat hæreticos, qui dicunt, quòd non licet omninò iurare. Sic potuit magis dominus Ioannes dictum domini Nicolai declarare, videlicèt, quòd Christus, Apostoli, & fratres minores habentes iustum vsum, habent ius vtendi. Et de bonorum collatorum fratribus minoribus intelligitur dominus Nicolaus dominium sibi, & Romanę Ecclesiæ recepisse, quo ad omnes res illas, in quibus potest separari vsus à dominio, quales non sunt res necessariæ ad vitam, & quæ vsu consummuntur. Tum etiam, quia vt dominus Ioannes XXII. dicit. Id non pertinet ad fidem specialiter, quid, & qualiter fratres minores habeant, istud enim non pertinet ad fidem & in talibus, quæ non sunt de necessitate fidei, & bonorum morum generaliter successor reuocare, & mutare potest, quæ statuit prædecessor, prout visum sibi fuerit expedire: cum in his par in parem habeat Imperium. Illam insuper paupertatem, qua Christus noluit vt pauper, cùm Apostolis habere immobilia, nec multa mobilia in communi commendat Dominus Nicolaus, non illam, quæ excludit ius vtendi, & iustum vsum, nec illam, quæ priuat habere iure, & dominio res vsu consumptibiles, cum sit impossibilis. Et in hac ratione fundant se Doctores, tàm Sancti, quàm Scholastici, quare pro pecunia mutuata, aut alia re, cuius vsus est eius, consumptio, vsura licitè accipi non potest, siue merces pro domo, vel re alia non consumptibili locata potest licitè recipi, vt ostendit sanctus Thomas in 2. 2. quæst. 78. artic. 1. Et patet etiam huiusmodi sententia ex sententia beati Chrysostomi super Matth. & habetur in cap. ejiciens, dist. 78. Et hoc de ista materia tantùm dictum sit pro præsenti; quia forsan aliàs in alijs Scripturis nostris plenior sermo habebitur.

CAP. CXIII.

De iurisdictione, quàm Romanus Pontifex habet in temporalibus.

Consumatis his, quæ de amplitudine Romani Pontificis in spiritualibus visa sunt nobis; venit in animo nostro hunc librum claudere consideratione illa, an scilicèt principatus Romani Pontificis non solum ad spiritualia, sed etiam ad temporalia se extendat, ità quod in toto Orbe Christiano iurisdictionem habeat temporalem. Perlectis autem diuersis modis dicendi, modos extremos inter alios reperimus.

Primus est dicentium, quòd Romanus Pontifex ratione sui principatus in solis spiritualibus consistat, ità quòd nullo modo iure Papatus ad temporalia se extendat. Iure Papatus dicunt, quia aliàs benè concedunt eum in temporalibus iurisdictionem aliquam posse habere, vtpotè in his, quæ donatione fidelium, aut principium permissione acquisita sunt Ecclesiæ.

Se-

Secundus modus dicendi eſt aſſerentium totaliter oppoſitum, ſcilicèt quòd Romanus Pontifex iure ſui Principatus, ſiue Vicariatus Chriſti habeat in toto Orbe terrarum plenam iuriſdictionem, non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiã in temporalibus, adijcientes, quòd omniũ Principum ſecularium iuriſdictionalis poteſtas à Papa in eos deriuata ſit. Nos verò declinantes quantum in nobis fuerit fas prædictas vias, quæ nobis videntur minùs probabiles, ſaluo ſemper Apoſtolicæ Sedis iudicio, cuius ea, quæ nunc, & aliàs ſcripſimus, emendationi, & correctioni ſubmittimus. Incedentes ergo media via, ponemus has duas concluſiones.

Prima eſt contra primùm modum dicendi, quòd Romanus Pontifex iure Principatus ſui habeat iuriſdictionem aliquam in temporalibus, in toto Orbe Chriſtiano. Hæc concluſio colligitur primò ex cap. omnes diſt.22. in quo Papa Nicolaus, inquit, quòd Chriſtus beato Petro vitæ æternæ clauigero terreni ſimul, & Cœleſtis Imperij iura commiſit, vbi gloſs. inquit: Argumentum, quòd Papa habeat vtrunque gladium, ſpiritualem ſcilicet, & temporalem 63. diſt. tibi Domino, & 15. quæſt. 6. alius, & cap. nos ſanctorum, & cap. iuratos.

Secundò, patet concluſio auctoritate, & teſtimonio beati Thomæ, qui in fine ſecundi libri ſuper ſententias dicit, quòd ſpirituali poteſtati, poteſtas ſecularis in Papa coniungitur, qui vtriuſque poteſtatis apicem tenet, ſcilicèt ſpiritualis, & ſecularis; hoc illo diſponente, [qui eſt Rex, & Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, & Dominus damnantium, cuius poteſtas non auferetur, & Regnum eius non corrumpetur.] Hæc ſanctus Thomas.

Secunda concluſio contram ſecundùm modum dicendi eſt; quòd licèt Papa habeat aliquo modo iuriſdictionem in temporalibus in toto Orbe Chriſtiano; non tamen ità amplam, ſiue plenariam, aut extenſam, ſicut illi de ſecundo modo aſſerunt, ſiue dogmatizant, ſed quantum neceſsè eſt pro bono ſpirituali conſeruando ipſius, & aliorum; ſiue quantum Eccleſiæ neceſſitas exigit, aut debitum paſtoralis officij in correctione peccatorum expoſcit, prout pleniùs explicabimus. Iuxtà ergo has duas noſtras concluſiones, pro ampliori veritatis illuſtratione, duo in præſentiarum faciemus. In primis aſſignabimus modos, ſecundùm quos Romanus Pontifex non videtur dicendus habere iuriſdictionem in toto Orbe Chriſtiano in temporalibus.

Secundò, explicabimus modos, ſecundùm quos verè Romanus Pontifex vbique, etiam in temporalibus habeat iuriſdictionem, vt in cap. proximo.

Circa primum, ſit iſta propoſitio: Papa non ſic eſt dicendus habere iuriſdictionem in temporalibus iure Papatus, vt ſic dicendus ſit totius Orbis Dominus: Iſta propoſitio licèt noſtro iudicio ſit ſatis clara; nihilominùs poteſt ſic probari: Nihil, quod eſt interdictum Apoſtolis, poteſt dici conuenire Romano Pontifici iure Apoſtolici Principatus; patet, quia cùm Romanus Pontifex ſuccedat Petro in poteſtate, & officio, non poteſt habere iure Papatus id, quod Petro, & omnibus Apoſtolis fuit prohibitum, & interdictum, ſed Apoſtolis eſt interdictum dominatus in temporalibus. Ergo Romanus Pontifex iure Apoſtolici Principatus non ſic habet poteſtatem, aut iuriſdictionem in temporalibus, quòd ſit Dominus Orbis, conſequentia eſt bona. Maior patet, minor verò habetur Matth. 20. vbi Chriſtus ait Apoſtolis: [Scitis quia Princeps gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos, non ità erit inter vos, ſed quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter, & quicunque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus, ſic filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam dare in Redemptionem pro multis:] Et ſimile per omnia legitur Lucæ 22. [In quibus verbis, quòd dominatus fuerit interdictus Apoſtolis, patet.] Ait enim beatus Bernardus in ſecundo libro de conſideratione ad Eugenium Papam ſic: Nàm quid tibi aliud dimiſit ſanctus Apoſtolus? quòd habeo, inquit, tibi do; quid illud? vnum ſcio, non eſt aurum, nec argentum, cum ipſe dicat aurum, & argentum non eſt mecum, eſto vt alia quacunque ratione hoc tibi vendices, ſed non Apoſtolico iure; nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit, quod habuit, dedit ſollicitudinem, vt dixit, ſuper Eccleſias, numquid domminationem? audi ipſum, non dominantes autem in Clero, ſed forma facti gregis, & ne dictum ſola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt in Euangelio: [Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur.] Et infert; vos autem non ſic. Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus, iſtum quomodo tu, & tibi vſurpare audes, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolatus dominatum; planè ab alterutro prohiberis, ſi vtrunque ſimul habere voles, perdes vtrunque, alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus quæritur Dominus: Ipſi regnauerunt, & non ex me, & Principes exiſterunt, & non cognoui, at ſi interdictum audiamus, forma edictum, qui maior eſt veſtrum, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut qui miniſtrat, forma Apoſtolica hæc eſt, damnatio interdicitur, indicitur miniſtratio; hæc Bernard. Item idem Bernardus infrà: Exi inquam in agrum, ager mundus eſt, tibi creditus eſt, exi in illum non ſicut Dominus, ſed tanquam villicus videre, & probare, vnde exigendus es reddere rationem. Hæc ille. Patet etiam propoſitio prædicta ex donatione temporalium in Italia, quam Conſtantinus dicitur feciſſe beato Silueſtro Romano Pontifici; quoniam ſi Romanus Pontifex iure ſui Principatus fuiſſet Dominus temporalium, non fuiſſet aliqua donatio facta Silueſtro, ſed potiùs reſtitutio eius, quod ſuum erat, cuius tamen contrarium Romanus Pontifex confitetur, & Imperator Conſtantinus; de Conſtantino habetur in cap. Conſtantinus, diſt. 96. de Romano Pontifice habetur in cap. futuram 12. quæſt. 1.

Secunda propoſitio: Romanus Pontifex non dicitur ſic Principatum, ſiue iuriſdictionem plenariam in temporalibus in toto Orbe

Orbe Christiano habere, vt nomen Regis, aut Imperatoris Orbis possit sibi verè in temporalibus vsurpare. Patet ista propositio ex prima; patet etiam testimonio Papæ Nicolai in cap. cùm ad verum dist. 96. vbi sic inquit: Cùm ad verum ventum est vltra sibi, nec Imperator iura Pontificatus arripiat, nec Pontifex nomen Imperatoris sibi vsurpet; quoniam idem mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discernit; hæc ille. Et idem ponitur in cap. quoniam, dist. 10.

Tertia propositio: Romanus Pontifex non dicitur sic habere potestatem secularem, aut iurisdictionem plenariam in temporalibus, vt quemadmodum omnes dignitates Ecclesiasticæ à Sede Apostolica pendere dicuntur ab ea iurisdictionem sumentes, iuxtà cap. omnes, dist. 22. & cap. ità Dominus, dist. 19. ità Principatus, & iurisdictiones Regum, & Principum secularium dependent ab ea. Patet ista propositio auctoritatibus, & ratione. Auctoritate primo sic: de Imperio, quod sit à solo Deo, & non à Papa, ait enim Ioannes Papa sic in cap. si Imperator, dist. 96. Si Imperator Catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ, quòd ad Religionem competit, discere ei competit, non docere; habet priuilegia potestatis suæ, quæ administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est; vbi dicit gloss. ergo non à Papa; nam Imperium à solo Deo est. Secundò idem confitetur Papa Innocentius in cap. quæsitum 21. quæst. 4. Item tertiò, idem confitetur Papa Innocentius III. in cap. solitę, de maior. & obed. Vbi Imperatori Costantino, ità scribens, inquit. Prætereà nosse debueras, quòd fecit Deus duo luminaria magna in firmamento Cœli; hoc est vniuersalis Ecclesię, idest duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis Maiestas. Hoc etiam habetur in auc. quomodo oportet Episcopos, coll. 1. in princ.

Item Iustinianus Imperator scribit. C. de veteri iure enu. in princ. Deo auctore nostrum gubernante Imperium, quod nobis à Cœlesti Maiestate traditum est, &c. Ecce, quòd à Cœlesti Maiestate sibi traditum dicit Imperium, nullus autem istorum, aut Pontificum, aut Imperatorum confitentur, quòd potestas Imperialis absolutè dependeat à Papa, & ità dicendum est de alijs dignitatibus secularibus. Ratione verò præfata propositio probatur sic: Nullum priùs dependet in esse à suo posteriori, sed potestas Principum secularium, siue Regalis, siue Imperialis præcedunt tempore Papatum, siue Principatum Apostolicum ergo non potest dici cùm veritate, quòd à Principatu Apostolico dependeat potestas iurisdictionis Principum secularium, consequentia est bona. Maior est manifesta. Minor etiam patet ex illo Apostoli primò ad Corinth. 15. Non priùs, quod spirituale, sed quod animale est. Tùm ex eo, quòd priùs fuerunt Reges, & Imperatores antequam Petrus fuisset factus Papa, & etiam antequam claues Regni Cœlorum datæ essent Ecclesiæ, vt manifestum est. Prætereà fortificatur ista propositio, quia si sic omnes Principes Christiani, qui dominia sua non recognoscunt à Romano Pontifice, cuiusmodi est Rex Franciæ, vt ipsemet testatur Innocent. III. in cap. per venerabilem, qui fil. sint legit. superiorem in temporalibus minimè recognoscit, non essent in statu salutis, cùm bona fide illa non possideant, quod esset grauissimum dicere, & totum Mundum conturbare.

Quarta propositio, Romanus Pontifex, iure Papatus non sic potestatem, siue iurisdictionem in temporalibus habet, quòd de fœudis Principum secularium, aut de possessionibus directè se intromittere, aut iudicare valeat regulariter. Patet hæc propositio, tàm ex præcedenti, quàm ex confessione Romani Pontificis Innocentij III. vt in cap. nouit. extrà de iudic. vbi ità ait: Non enim intendimus iudicare de fœudo, cuius ad ipsum, scilicèt Regem, spectat iudicium, nisi fortè iure cummuni per speciale priuilegium, vel cotrariam consuetudinem, aliquid sit detractum. Patet etiam hæc propositio testimonio Alexandri III. qui in cap. causam extrà, qui fil. sint legit. dicit sic: Nos attendentes, quòd ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus iudicare, ne videamur iuri Regis Anglicorum detrahere, qui ipsarum iudicium ad se asserit pertinere, fraternitati vestræ mandamus, quatenùs Regi possessionum iudicium reliquentes, de causa principali, &c. Hoc etiam apertissimè ostendit beatus Bernardus in libro de consideratione ad Eugenium Papam dicens: In criminibus, non in possessionibus potestas vestra, propter illa siquidem has accepisti claues Regni Cœlorum. Et infrà infert: Habet hæc infima terrena iudices suos Reges, & Principes terræ.

Quinta propositio: Papa non ità iurisdictionem in temporalibus habet, quòd à quocunque iudice seculari passim, & regulariter ad eum possit appellari.

Ista propositio patet testimonio Alexandri Papæ, qui in cap. si duobos, extrà de appell. ad quæst. qua quæritur, si à ciuili iudice ante iudicium, vel post ad Papam fuerit appellatum, an huiusmodi appellatio teneat, respondet: tenet quidem in his, qui sunt temporali iurisdictioni subiecti: in alijs verò, nisi de consuetudine teneat, secundùm iuris tamen rigorem credimus non tenere, vbi gloss. inquit: Et ità patet, quòd iurisdictio temporalis non pertinet ad Ecclesiam.

Sexta propositio: Papa non habet ità iurisdictionem in temporalibus, vt ipse liberè disponere possit ad arbitrium suum de bonis Ecclesiasticorum. Ista propositio probatur. Pro quo notandum, quòd bona Ecclesiastica sunt concessa communitatibus, & non personæ singulari, & ideò in bonis Ecclesiacis nulla persona singularis habet potestatem, & dominium liberum, sed sola communitas, vt Ecclesia Vallisoletan. vel Toletan. habet dominium, & proprietatem in ipsis locis sibi proprijs, persona autem singularis, non vt singularis, sed vt pars, & membrum communitatis habet potestatem in illis vtendi ad suã sustentationem secundùm exigentiam, & decentiam personæ, & status, in quo tamen est differentia, quia aliquod membrum est simplex, vt simplex Canonicus, & illud non habet

bet nisi vsum in bonis communitatis secundum exigentiam sui status modo prædicto.

Est autem aliquod membrum, quod habet administrationem, & dispensationem generalem omnium bonorum communitatis appropriaus cuilibet, quod ei debetur secundum debitam iustitiæ proportionem, disponens etiam pro communi bono Collegij bona fide, vt sibi videtur expedire, & iste est Episcopus in qualibet Ecclesia Cathedrali, vnde in cap. Episcopus 12. qu. 1. ex Concilio Antiocheno, ità habetur: Episcopus Ecclesiasticarum rerum habet potestatem ad disponendum erga omnes, qui indigent cum summa reuerentia, & timore Dei; verùm quia non solùm quælibet Congregatio Ecclesiasticorum virorum est vna spirituali vnitate: immò omnes Ecclesiasticæ Congregationes habent quandam generalem vnitatem, in quantum sunt vna Ecclesia habens connexionem ad vnum principale membrum, cui vtpotè omnium capiti incumbit cura Ecclesiæ generalis, scilicet dominum Papam: ideò ipse tamquam caput, & supremum membrum est principalis, ac vniuersalis dispensator omnium generaliter bonorum Ecclesiasticorum spiritualium, & temporalium: non quod sit dominus, sed sola communitas Ecclesiæ vniuersalis, vt comprehendit caput, & alia membra, scilicet Prælatos, & simplices personas Ecclesiasticas est domina, & proprietaria.

Ex quibus non solùm patet veritas propositionis præfatæ, sed etiam falsitas dicentium, quòd nulla persona singularis alia à Papa, nec Collegium aliquod, vel communitas habet ius, siue dominium in bonis Ecclesiæ, sed dominus Papa, qui non solùm est administrator, & dispensator, sed verus dominus, & proprietarius bonorum Ecclesiæ, & de his ordinare, & distrahere potest, prout vult. Nam, vt ait Apostolus vniuersaliter de omnibus Prælatis loquens, 1. ad Cor. 15. [Sic nos existimet homo, vt ministros, & dispensatores, &c.] Ministros, & dispensatores dicit, non dominos; vnde sanctus Thomas in 2. 2. quæst. 100. artic. 1. dicit: Quòd quamuis res Ecclesiæ sint Papæ, vt principalis dispensatoris, non tamen sunt eius, vt domini, & possessoris. Et in quæst. 175. artic. 8. ponit, quòd Prælatus bona Ecclesiastica dispensationi suæ commissa, quæ sunt eroganda pauperibus, vel in vsum ministrorum, aut in cultum Diuinum exponenda, si infideliter dispensat, non dubium, quòd contra fidem dispensationis agat, & mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur. Vbi considerandum, quòd Papa, non solùm pro statu vniuersalis Ecclesiæ, aut sustentatione Ministrorum, & pauperum, sed etiam pro conuenienti statu personæ potest dispensare de bonis Ecclesiæ, sicut declarauimus libro 2. cap. *69*.

Septima propositio, quòd Papa non habet potestatem, siue iurisdictionem in temporalibus, vt Reges in bonis temporalibus habent dominium, nec ità vt sit regulariter eorum dispensator. Patet propositio, primò quo ad dominium ex præcedenti, quia si in bonis clericorum Papa non est dominus, minus in bonis laicorum.

Pro declaratione secundæ partis est considerandum, quòd bona laicorum non sunt collata communitati, sicut bona Ecclesiastica, sed sunt acquisita singulis personis arte, labore, industria propria, & personæ singulares, quarum sunt, habent in eis ius, & potestatem, & verum dominium, & potest quilibet de suo ordinare, dispensare, retinere, alienare pro libito suo sine alicuius iniuria, cum sit dominus, & ideò talia non habent ordinem, & connexionem inter se, nec ad vnum commune caput, quod habeat ea ordinare, & dispensare, sicut in Ecclesiasticis, cùm quilibet rei suæ sit ordinator pro libito; & ideò nec seculares Principes, nec Papa habent dominium, nec dispensationem in talibus; vnde Imperator, licet sit princeps summus, & quasi caput inter seculares, vt in cap. in apibus 7. q. 1. non tamen habet potestatem sic liberam dispensandi, siue administrandi bona temporalia secularium, sicut Papa bona Ecclesiastica. Et ità patet propositio, quòd licèt Papa habeat auctoritatem, & rationem capitis, non solùm respectu clericorum, sed etiam respectu secularium, non tamen sic liberè potest dispensare, vel disponere de secularibus, sicut de clericis.

Octaua propositio, Romanus Pontifex non habet ità plenam iurisdictionem in temporalibus, sicut in spiritualibus, ità quòd sicut deponere potest Prælatum Ecclesiasticum, etiam sine culpa sua, ità possit deponere Principem secularem, siue laicum. Istam propositionem declarat dominus Petrus de Palude in libro suo de potestate Ecclesiastica, hoc modo: Vnde sciendum, quòd cum Papa possit deponere Principem laicum, & Prælatum Ecclesiasticum, non tamen æqualiter, quia Principem laicum, siue vassallum, vel extraneum non potest deponere sine iusta causa, & rationabili, ità quòd ille sit indignus illo principatu, & meruerit perdere, & priuari, & si sine tali causa priuat ipsum, non solùm peccat conando, sed etiam nihil agit priuando; sicut non valet sententia à non suo iudice lata, sed in Prælatis Ecclesiæ secùs est, quia non sunt domini, sed procuratores; vnde sicut administrator superior, qui plenam potestatem habet, potest instituere, & destituere inferiores administratores, & tenet quicquid facit, etiam quando minus bonum instituit, licèt in hoc ipse peccet, ità Papa ponendo, & deponendo personas Ecclesiasticas, licèt peccet, nisi pro meliori Ecclesiæ hoc faciat, tamen tenet, quod facit. In tantum autem procedit ratio, quæ dicit, eos esse procuratores, non dominos, quòd sine omni peccato suo, & alieno potest Papa deponere minùs bonum, & ponere meliorem, quia in officijs reipublicæ quæritur vtilitas publica, non priuata; vnde si Prælatum non delinquentem, & bonum amoueat, & ponat meliorem, non peccat, nec ille conquæri potest, sicut nec procurator quando à Domino reuocatur, quia ab onere releuatur. Sed secùs in Principibus laicis, qui sunt veri domini eius, quod habent: res autem sua non est alicui auferenda sine culpa sua; vnde nec feudum à vassallo, & multò minùs, quod aliquis habet, à nullo alio potest sibi auferri sine culpa sua. Hæc dominus Petrus de Palude.

CAP.

CAP. CXIV.

In quo exponitur, qualiter Romano Pontifici iure principatus sui competat iurisdictionem habere temporalium in toto Orbe Christiano.

POstquam explicauimus, quibus modis iudicio nostro non competat Romano Pontifici iure papatus iurisdictionem habere in temporalibus, iam perscrutandum est, quod secundo loco polliciti sumus, videlicet qualiter sibi competat.

Dicimus autem, quòd Romanus Pontifex, licet non habeat potestatem regulariter, siue directè, ità plenam in temporalibus, sicut in spiritualibus: nihilominùs etiam habet potestatem in temporalibus ex consequenti, & hoc proprio iure, quantùm scilicet necessarium est ad conseruationem rerum spiritualium, ad directionem fidelium in salutem æternam, & ad correctionem peccatorum, & conseruandam pacem in populo Christiano. Quod manifestè, atque irrefragabiliter ex multis demonstramus, pro quo duodecim propositiones, tamquam duodecim testimonia veritatis huiusmodi ponemus.

Prima propositio est: Romanum Pontificem potestatem, & iurisdictionem iure papatus sui habere in temporalibus aliquo modo, colligitur ex eo, quòd eius principatus directiuus, & præceptiuus sit potestati seculari in administratione sui officij secundum exigentiam finis vltimi, qui est ipsa beatitudo suprema, ad quam omnes fideles dirigendi sunt. Quod sic ratione ostenditur: In omnibus artibus, & potestatibus ordinatis, ars, siue potestas, ad quam pertinet vltimus, & principalis finis, est præceptiua, & imperatiua omnium aliarum artium, siue potestatum, quarum fines ad finem illius ordinanrur, sicut habetur 1. ethyc.

Præterea patet, quia finis præcipit, & dominatur, atque legem imponit his omnibus, quæ sunt ad finem, vt secundum exigentiam finis debito ordine se coaptent, & ad inuicem ordinentur secundum vniuscuiusque mensuram, & modum, sed proprius finis, qui intenditur per principatum papalem, est fœlicitas suprema, ad quam ordinatur homo per virtutes theologicas, finis autem, quem intendit potestas secularis, est fœlicitas politica, ad quam ordinatur homo per virtutes morales, sed nulli dubium, quin finis spiritualis potestatis potior, superior, ac principalior sit fine, ad quem dirigit, & tendit potestas secularis; vnde ista ordinatur ad illam: ergo potestatis spiritualis, & maximè Papæ, qui est vniuersalis Dux, & Rector populi Christiani, & dirigere, & regulare, præcipere, atque leges dare potestati seculari, quibus in administratione sui officij dirigatur in finem vltimum fœlicitatis æternæ. Et secundùm hoc Romanus Pontifex se habet ad Reges, & Principes, tamquam architectonicus ad artifices: ille enim propter quid, & regulas iudicandi scit: isti autem, scilicet artifices mechanici, tamquam experti in multis ipsum, quia sciunt, propter quid autem ignorant: propter quod debet illis Papa leges dare, secundùm quas debent iurisdictionem suam exequi, & populum regere in ordine ad beatitudinem supernaturalem; vnde beatus Augustinus hanc potestatem cognoscens, & admirans in beato Petro Apostolo in sermone quodam Apostolorum Petri, & Pauli, quæ incipit: Fortis, & humilis; ità inquit: O mira potentia, & ineffabilis gratia Saluatoris, quis plebium piscatorem, Apostolorum facilè crederet Principem, & Regibus obsistere, Reges sanctificare, regnis omnibus imperare, mundum refrenare legibus, dæmones calcare pedibus, iubere virtutibus, Cœlum hominibus aperire cum vellet, claudere cum placeret, immortale regnum conuersis donare, negare peruersis, merita mundi cognoscere, culpas, & crimina hominibus relaxare. Hæc ille.

Propter hanc rationem diximus supra primo libro huius summæ cap. 90. quòd potestas temporalis, siue secularis in populo Christiano dependebat quodammodo triplici genere causalitatis à potestate spirituali, scilicet efficientis, formalis, & finalis; vide ibi plenè. Hac argumentatione vsus videtur Innocentius III. in cap. solitæ de maiorit. & obed. vbi scribens Imperatori Constantinopolitano, ità dicit: Potuisses autem prærogatiuam Sacerdotij ex eo intelligere potiùs, quod est dictum non à quolibet, sed à Deo non Regi, sed Sacerdoti, non de Regia stirpe, sed de Sacerdotali prosapia descendenti, de Sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot: Ecce constitui te super Reges, & regna, vt euellas, & dissipes, ædifices, & plantes. Ex quibus omnibus patet, quòd veraciter Romanus Pontifex apicem habeat potestatis, tàm spiritualis, quàm secularis, vel temporalis, licet temporalis non in omnibus secundùm eumdem modum, secundum quem habetur à Principe seculari, sed modo digniori, superiori, & perfectiori; non enim sic habet eam, vt exerceat eius opera immediatè, nisi in aliquibus casibus, qui tanguntur inferiùs, sed agit opera eius meliori modo, scilicet imperando, dirigendo, & regulando, & ad suum finem operibus eius vtendo.

Secunda propositio: Romanum Pontificem iure Vicariatus sui habere in temporalibus iurisdictionem suam, aliquo modo ostenditur ex eo, quòd omnium fidelium generaliter est à Deo Pastor constitutus, dicente Domino beato Petro, & in eo successori suo: [Pasce oues meas,] Ioann. vltim. super quo verbo, dicit gloss. sic: Pascere, est oues credentes, ne à fide deficiant, confirmare, terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidere, & exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere, aduersarijs obsistere, errantes subditos corrigere. Hæc gloss. Clarum est autem, quòd pascere gregem Dominicum, terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidendo, aduersarijs resistendo, & errantes corrigendo, non solùm exigit in Pastore spiritualem potestatem, sed etiam temporalem, vnde cum concesso alicui aliquo officio, aut regimine censeantur etiam con-

concessa, sine quibus officium, siue regimen rectè expediri non potest, de offic.deleg. c. 1. & cap. præterea, manifestum est, quod Romanus Pontifex apicem potestatis secularis aliquo modo dicendus sit habere. Hac argumentatione vsus videtur fuisse Innocentius Tertius in cap. solitæ de maiorit. & obed. vbi ad ostendendum Imperatori Constantinopolitano, quòd iure poterat eum reprehendere, & increpare, itá ait: Nos autem, etsi non increpando scripsimus, potuissemus tamen rationabiliter increpare; nobis enim in beato Petro sunt oues Christi commissæ, dicente Domino: [Pasce oues meas:] non distinguens inter has oues, & alias, vt alienum se à suo demonstraret ouili, qui Petrum, & successores ipsius magistros non recognosceret & pastores. Hæc ille. Ex cura ergo pastorali, quam Romanus Pontifex habet super omnes fideles cuiuscumque status, dignitatis, vel conditionis existant, statim datur intelligi, quòd apicem non tantùm spiritualis potestatis, sed etiam temporalis aliquo modo habere dicendus sit.

Tertia propositio: Romanum Pontificem temporalem etiam iurisdictionem iure principatus sui ostenditur habere ex eo, quòd omnis potestas se extendit ad cognoscendum de omnibus peccatis, non solùm de his, quæ sunt contra articulos Fidei, & Sacramenta, in quibus principaliter Christiana fundatur religio, sed etiam de omnibus peccatis mortalibus circa quascumque actiones personales etiam seculares, commissis. Quod ratione ostenditur, & auctoritate. Ratione sic: Cuius est finem considerare, eius est iudicare de his, quæ debent ad finem ordinari, quia ratio eorum, quæ ordinantur ad finem, ex fine sumitur, sicut enim ad intendentem in aliquem finem spectat eligere ea, quæ sunt congrua fini: itá tollere ea, quæ finis consecutioni impedimenta præstant, sicut patet in medico, cuius non solùm est iudicare, & prouidere de adiuuantibus ad salutem, quam inducere intendit, sed etiam remouere ea, quæ impediunt, & similiter itá est in alijs, sed itá est, quod corpus ordinatur ad animam, etiam secundùm gentiles Philosophos, & temporalia ordinantur ad spiritualia, & omnes actiones Christianorum debent ordinari ad consequendum vitam æternam, tamquam nostrum finem vltimum, secundùm fidem Catholicam nobis expositam: ergo cuius, vel quorum est considerare de salute animarum, & de spiritualibus, sicut est Prælatorum curam, & regimen animarum habentium, vt sunt Papa, Archiepiscopi, & Episcopi; eorum est iudicare de actionibus spiritualibus hominum, per quas possunt deuiare à salute sua peccando circa quamcumque materiam, siue contra Articulos Fidei, siue Sacramenta, siue contra bonos mores, peccando in seipsum, vel proximum verbo, vel facto, seu quocumque alio modo. Secundò, patet idem auctoritate Domini Matth. 18. vbi sic dicitur: [Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum; si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos testes, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum, quod si non audierit, dic Ecclesiæ, si verò Ecclesiam non audierit sit tibi, sicut Ethnicus, & Publicanus, idest excommunicatus.] Et constat, quòd loquitur de iurisdictione Ecclesiæ, quam habent Prælati, nam ibidem subditur: [Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo:] Ergo sine vlla dubitatione ad Prælatos Ecclesiæ, & maximè ad Prælatum Prælatorum pertinet iure sibi à Deo collato recognoscere, & iudicare de peccato quocumque, vnde beatus Paulus excommunicauit fornicatorem notorium, vt legitur 1. Cor. 5. [Cùm ergo peccata huiusmodi contingant circa actiones personales hominum, & contractus eorum etiam in temporalibus de omnibus his pertinet ad Ecclesiam iudicare, maximè si attenderetur actio per modum iniuriæ, vel cuiuscumque alterius peccati tam inter laicos, quàm inter clericos, vel inter clericum, & laicum, quicumque eorum sit actor, vel reus.]

Nec potest dici in prædictis, quòd reus trahatur extrà forum suum, quia omnes Christiani, in quantùm Christiani sunt, pertinent ad forum Ecclesiæ, & hoc est, quod expressè dicitur in can. 11. qu. 1. quæcumque: vbi sic dicitur: Quæcumque contentiones inter Christianos ortæ sunt, ad Ecclesiam deferentur & ab Ecclesiasticis viris terminabuntur, & si obedire noluerint, quousque obediant, à liminibus Ecclesiæ excludantur. Hæc ibi. Præterea nec propter hoc impeditur principum secularium iurisdictio. Tum quia Ecclesia non impedit, quin potestas secularis exerceat iudicium suum in reum secularem, si ad iudicium suum sit euocatus. Est enim in optione actoris euocare reum ad hoc, vel illud iudicium, & non ad vtrumque simul. Tum secundò, quia multæ actiones sunt purè seculares, quæ cùm respectum non habeant ad finem vltimum, aut promouendo, aut impediendo, ad principes seculares tantùm pertinent, sicut de feudis, & possessionibus, & non ad Ecclesiam, vt in cap. nouit, extrà de iudic. Tum tertiò, quia alia correctionis censura vtitur Ecclesiasticus Iudex, & alia Iudex secularis, quarum vtraque est populo Christiano ad correctionem vitiorum necessaria. Est verum, quòd, vt dicit Dominus Durandus, quamuis hoc sit ius Ecclesiæ sibi à Deo collatum, tamen ipsa non semper vsa est isto iure, nec vbique, partim ad vitandum scandalum, ne putaretur, quòd Ecclesia magis quæreret emolumentum pecuniæ, aut gloriæ temporalis, quàm correctionem vitiorum, partim propter audaciam aliquorum tyrannorum, in quorum terris plures Ecclesiæ sunt fundatæ, qui propter suam violentam potentiam non permiserunt Ecclesiam vti iure suo. Hac argumentatione est vsus Papa Innocentius Tertius in cap. nouit, extrà de iudic. vbi scribens Prælatis Regni Franciæ, & ostendere volens, quòd Dominus Rex Franciæ non debebat sibi reputare ad iniuriam in controuersia, quæ erat inter eum, & Regem Angliæ Apostolico iudicio se submittere, itá dicens: Nullus, qui sit sanæ mentis, ignorat, quin ad nostrum iudicium spectat de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Christianum, & si correctionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticæ censuræ coercere.

Quarta propositio: Romanus Pontifex vide-

videtur iurisdictionem etiam in temporalibus habere, quia non solùm principes seculares circa vsum suæ iurisdictionis delinquentes, potest per censuram Ecclesiasticam coercere, verùm etiam eos notabiliter negligentes à dignitate deponere. Hæc propositio patet in cap. alius 15. qu. 6. vbi Gelasius Papa Imperatori Constantino ità scribit. Alius item Pontifex Zacharias, scilicèt Regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quàm pro eo, quòd tantæ potestati erat inutilis, à Regno deposuit, & Pipinum Caroli Imperatoris patrem in eius loco substituit, omnesque Francigenas à iuramento fidelitatis absoluit. Hæc ille. Pro cuius propositionis pleniori intellectu est considerandum, iuxtà Dominum Petrum de Palude in tractatu suo de potestate Ecclesiastica, quòd licèt Papa non habeat confirmare omnem Regem, qui consensu populi à principio regimen sumpsit; nihilominùs potest omnem talem deponere, non solùm propter hæresim, aut schisma, aut aliquod crimen intolerabile in populo, sed etiam propter insufficientiam, vtpotè idiota sensu, vel impotens viribus in Regno præesset, propter cuius insufficientiam Regnum fidelium periclitaretur, talis certum est, quòd demeretur deponi, quia bonum commune est præferendum priuato, debet deponi per superiorem, & quia illi de Regno, siue sint proceres, siue alij, sunt inferiores eo, & inferior non potest iudicare superiorem, ideò non potest ab eis deponi, sed quia Papa est superior eo in spiritualibus, & per consequens in temporalibus, in quantùm necesse est pro bono spirituali conseruando ipsius, & aliorum, & ad minus ratione delicti, & ille sana conscientia non potest retinere Regnum, ad quod est insufficiens, & indignus, per consequens Papa potest eum monere, vt Regno cedat, quod sine peccato non potest retinere; quòd si nolit facere, excommunicet eum, quia ad officium Papæ spectat de quocumque peccato mortali corripere quemlibet Christianum, & si correctionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coercere, de iudic. cap. nouit, quòd si in excommunicatione perseueret, potest, vt dictum est deponere, & subditos eius ab eius subiectione absoluere sicut schismaticum propter contumaciam, & inobedientiam pertinacem.

Et ex hoc etiam, quia excommunicatus legitimis actibus, & officijs publicis non debet fungi, & schismatici cingulo militiæ sunt nudandi, 19. qu. 1. qui contra 15. qu. 6. cap. penultimo. Sed si proceres, siue electores prædicti non meruerunt perdere ius eligendi, non potest sine eis Papa alium substituere. Hæc ille. Verum gloss. super illud cap. alius exponens; à Regno deposuit; dicit, idest proceribus deponentibus consensit, omninò falsa videtur, quoniam contradicit textui, & intentioni Pelagij, qui inducit illud cap. ad ostendendum excellentiam potestatis Papalis, quæ non ostenditur per hoc, quòd dicitur consensisse proceribus deponentibus, nisi consensus ille intelligatur dando auctoritatem, vnde Dominus Petrus de Palude, vbi supra dicit, quòd illud, quod dicit gloss. consensit, intelligendum sit quo ad institutionem, quæ per proceres fieri potuit, sed depositio auctoritate Papæ, & non procerum facta fuit, quæ à solo superiore fieri potuit, sed electio potuit ab inferioribus fieri. Confirmatur etiam propositio prædicta exemplo Innocentij IV. qui Regi Portugalliæ, qui prodigus, & dilapidator erat, & Ecclesias, Monasteria, pia loca, & personas Ecclesiasticas, Viduas, Pupillos, & Orphanos grauabat, & grauari sinebat, dedisse adiutorem, & sibi administrationem Regni interdixisse legitur, vt in cap. grandi, de supplen. neglig. prælat. lib. 6. Et sic Sacerdos Apostolicus se habet ad Reges, & Principes, sicut Architectus ciuilis ad alios Artifices in Ciuitate, vt inquit Henricus de Gandauo quodlibeto 6. art. 23. sicut enim Architectonici est præcipere, qui & quales debent exercere scientiam medicinalem rhetoricam, & sic de alijs in Ciuitate, & quosdam admittere, & quosdam repellere; sic Sacerdos Apostolicus debet considerare, qui & quales Regna, & principatus regere debeant, & bonos honorare, malos autem, & malè regentes deponere, & alios loco illorum substituere. Hæc ille. De hac conclusione talis est Domini Vlrici in summa sua sententia, ait enim: Si Rex esset manifestè hæreticus, vel si interpellatus ab Ecclesia, negligeret; nihilominùs regimen Regni sui quantùm ad ea, quæ sunt fidei scilicet, si non intenderet extirpationi hæreticorum, potest ab Ecclesia deponi à regia dignitate. Hæc ille.

Quinta propositio: Romanum Pontificem indè iurisdictionem temporalem habere manifestè ostenditur, quòd non modò excommunicare potest seculares principes, sed etiam ipsis in contumacia perseuerantibus subditos eorum à sacramento absoluere ne eis fidelitatem obseruent. Hæc propositio patet ex canone Gregorij VII. in Synodo præsidentis, qui habetur in cap. nos sanctorum 15. qu. 6. & ex canone Vrbani II. in cap. iurat. ead. caus. & qu.

Sexta propositio: Romanum Pontificem habere iurisdictionem in temporalibus ex eo ostenditur, quòd vtrumque gladium habere dignoscitur. Quòd autem gladius materialis quodammodò ad Romanum Pontificem pertineat, patet Ioannis 18. vbi dicit Christus Petro: [Conuerte gladium tuum in vaginam,] quod verbum pertractans deuotissimus Bernardus ad Eugenium Papam sic inquit: Quid tu denuò gladium vsurpare tentas, quem semel iussus es ponere in vaginam? quem tamen, qui tuum negat, non satis videtur mihi attendere verbum Domini dicentis: [Conuerte gladium tuum in vaginam,] Ioan. 18. & Matth. 26. Tuus ergo, etsi ipse tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus; alioquin si nullo modo ad te pertineret; & de his dicentibus Apostolis: Ecce gladij duo hìc, non respondisset Dominus satis est, sed nimis est; vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus; ille scilicet Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussu Imperatoris. Hæc ille. Nutus verò dicitur non tantùm exhortatio, sed etiam dispositio, vnde Leo Papa IV. vt in c. ergo 23. qu. 8. contra Saracenos iubet populum congregari, & eis ad littus maris occurrere. Item

vt

vt in cap. hortatu, ead. caus. & qu. Hortatu, & precibus Hadriani Papæ exhortatus Carolus Rex contra Longobardos bellum suscepit. Ad idem beatus Gregorius quosdam hortatur nobiles, vt milites congregent contra hostes, & arma viriliter præparent, vt in cap. quidem, cad. caus. & quæst. Item in registro etiam legitur, quòd beatus Gregorius ciuibus Tusciæ, vt contra Longobardos arma pararent mandauit, & militantibus stipendia decreuit.

Quòd etiam huius gladij materialis dispositio, licèt non materialis exercitatio conueniat clericis, sanctus Thomas in 2.2.qu.40. art.2. declarat, ità dicens: Omnis persona, vel ars, vel virtus, ad quam pertinet finis, habet disponere de his, quæ sunt ad finem: bella autem carnalia in populo fideli, sunt referenda, sicut ad finem, ad bonum spirituale diuinum, cui clerici deputantur; & ideò ad clericos pertinent disponere, & inducere alios ad bellandum bella iustà: hæc S.Thom. Pertinebit ergo dispositio, etiam auctoritatiua gladij materialis aduersus infideles, hereticos, schismaticos, & tyrannos maximè ad Romanum Pontificem, qui Dux, & Pastor, & Pugil est Populi Christiani. Hac argumentatione vtitur Papa Bonifacius Octauus in extrauaganti sua: Vnam sanctam, vbi sit ait: In hac æquidem, scilicèt Romani Pontificis potestate, duos esse gladios, spiritualem scilicèt, & temporalem, euangelicis dictis instruimur, nam dicentibus Apostolis, [Ecce duo gladij, &c.] sicut priùs inductum est de Bernardo, sequitur: oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subijci potestati, nam cum dicit Apostolus: Non est potestas nisi à Deo: quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt, non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tamquam inferior reduceretur per alium ad suprema, nam iuxta beatum Dionysium, lex diuinitatis est infima per media in suprema reduci.

Septima propositio: Romanus Pontifex iure diuino habere videtur iurisdictionem temporalem aliquo modo, videlicèt nobiliori, & excellentiori, quàm potestates sæculares, quoniam ad eum iure summi Sacerdotij spectat declarare definire, & iudicare dubia, & ambigua circa quascumque actiones hominum personales, quæ inter iudices inferiores, siue clericos, siue sæculares variantur. Hoc probat Innocentius Tertius in cap. per venerabilem extrà, qui fil. sint legit. ex sacra scriptura, irà dicens: [Non solùm in Ecclesiæ patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem; verùm etiam in alijs regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem causalitèr exercemus non quòd alieno iuri præiudicare velimus: sed quia: Deuteron. 17. continetur: Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram, & iudicium intrà portas videris variari, veniens ad sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, qui iudicabunt iudicij veritatem, & facies quæcumque dixerint tibi, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, sequerisque eorum sententiam, qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, decreto Iudicis moriatur.

Octaua propositio. Romanus Pontifex iurisdictionem habet temporalem, ex consequenti adiunctã spirituali, eo quòd occurente casu euidentis necessitatis pro defensione fidei contrà hæreticos, aut contrà inuasionem paganorum iure principatus sui, quia Caput est omnium fidelium, & Pater; potest exigere decimas, vel decimatas portiones à singulis fidelibus, secundùm tamen debitam proportionem, ne aliqui sine ratione plus grauarentur, quàm alij, ad succurrendum communi Ecclesiæ necessitati: & possit rebelles contradicentes, per censuram ecclesiasticam compellere. Quod ratione probari potest sic: Quilibet Christianus ex perfectione Christianitatis, siue Christianæ religionis tenetur honorare Patrem, & Matrem, non solùm reuerentiam exhibendo, sed etiam necessaria ministrando, & si necesse fuerit pro eorum salute, omnia temporalia exponendo. Et si in hoc patrem, & matrem carnales debeat honorare, multò fortiùs spiritualem, scilicèt Christum, & eius Vicarium, & Matrem Ecclesiam, quando necessitas incumbit periculosa Ecclesiæ, siue Romano Pontifici, si pro salute eius indigeat bonorum temporalium administratione, quilibet Christianus requisitus subuenire, & assistere tenetur. Vbi considerandum, quòd fideles non solùm tenentur subuenire Romano Pontifici in necessitatibus status sui Apostolici, & personæ: cum enim sit Princeps totius vniuersitatis Christianæ, multis opus habet.

Nona propositio, Romanus Pontifex arguitur habere temporalem iurisdictionem, quia ipse iure suo legitimat ad sæculares honores, & dignitates, vt habetur in cap. per venerabilem, extrà, qui fil. sint legit. vbi Papa ità loquitur nobili N. Montispessolani. Per venerabilem fratrem nostrum Attrebaten. Archiepisopum, tua nobis humilitas supplicauit, vt filios tuos legitimationis dignaremur titulo decorare, quatenus eis, quo minùs succederent, natalium obiectio non noceret. Quòd autem super hoc Apostolica sedes plenam habeat potestatem, ex illo arguitur, quòd diuersis causis inspectis cum quibusdam minùs legitimè genitis non naturalibus tantum, sed adulterinis etiam dispensauit: sic ad actus sprituales illos legitimans, vt possent in Episcopos promoueri: ex quo verisimiliter creditur, & probabilitèr reputatur, vt eos ad actus legitimare valeat sæculares.

Decima propositio: Romanus Pontifex arguitur, indè habere iurisdictionem temporalem, quia ipse iure pontificatus sui, negligentibus Dominis temporalibus facere iustitiam subditis suis iniuriam patientibus, potest supplere negligentiam illorum, & iustitiam reddere quibuscumque subditis negligentium dominorum. Ista propositio colligitur manifestè ex Innocentio Tertio de foro compe. c. licèt: vbi Innocentius ità loquitur Vercellensi Episcopo. Mandamus, si quando à laicis vercellensibus literas super rebus, præcipuè, quæ forum sæculare contingunt, à sede Apostolica contigerit impetrari, eas surreptitias, appellatione omissa, decernas

aucto-

authoritate nostra irritas, & inanes, dummodo consules, & commune de se conquærentibus in iudicio sæculari exhibeant iustitiæ complementum, hæc ibi: Super quo glos. dicit. Iste casus est, in quo Iudex ecclesiasticus potest immiscere se iurisdictioni sæculari, cùm Iudex sæcularis negligens sit facere iustitiam. Planè cùm, teste beato Augustino 4. de Ciuit. Dei, remota iustitia regna non sint, nisi latrocinia magna, spectat ad Romanum Pontificem, ne iustitia pereat.

Vndecima propositio: Romanum Pontificem habere potestatem, & iurisdictionem temporalem inconuincibili testimonio arguitur ex eo, quòd Imperium Romanum à Græcis transtulit in Germanos, & potestatem, ac ius eligendi Regem Imperatorem postmodum certis Principibus contulit: sicut manifestè testatur Innocentius Tertius in cap. venerabilem, extrà de elect. sic dicens. Cum ad eos, scilicèt principes ius, & potestas huiusmodi ab Apostolica sede peruenerit, quæ Romanum Imperium in personam Caroli à Græcis transtulit in Germanos, vbi dicit glos. Legimus in Chronicis, quòd cum Romana Ecclesia opprimeretur ab Astulpho Rege Longobardorum, petijt auxilium à Constantino, & Beroe filio eius Imperatoribus Constantinopolitanis, & cum nollent patrocinari Ecclesiæ, Stephanus Papa Secundus, natione Romanus transtulit imperium in Carolum Magnum, qui fuerat filius Pipini, quem Zaccharias prædecessor eius substituerat loco Regis Francorum, quem deposuerat, de quo 15. quæst. 6. cap. alius. Hæc gloss.

Duodecima propositio: Romanus Pontif. arguitur habere iure suo, iurisdictionem temporalē in radice, quia vacāte Imperio, ipse habet iurisdictionē in temporalibus, vt in c. licèt de for. comp. dicit Innoc. III. & in gloss. etiam notatur. Et est hodie declaratū extrà de re iudic. pastoralis in Clementin. Et ex hoc clarè patet quòd Papa iure suo iurisdictionem habeat temporalem, quia aliàs executionem in prædicto casu, & in alijs non haberet, nisi ei concederet Imperator.

De potestate, quam habet circà infideles sit ista 13. propositio: Papa potest auferre Dominium, siue ius quodcumque, quod habent infideles prælationis super fideles. Ista propositio est beati Thom. in 2. 2. quæst. 10. art. 10. ità dicentis. Considerandum, quòd dominium, & prælatio introducta sunt ex iure humano: distinctio autem fidelium, & infidelium ex iure diuino, ius autem diuinum, quòd est ex gratia, non tollit ius humanum, quòd est ex naturali ratione. Distinctio fidelium, & infidelium secundùm se considerata non tollit Dominium, & prælationem infidelium suprà fideles, potest tamen iustè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis, tale ius dominij, vel prælationis tolli: quia infideles meritò suæ infidelitatis merentur potestatem amittere suprà fideles, qui transeunt in filios Dei, sed hoc quidem Ecclesia quandóq; facit, quandóque non facit.

In illis enim infidelibus, qui temporali subiectione subijciuntur Ecclesiæ, & membris eius, hoc ius Ecclesia statuit, vt patet in c. mancipia. & cap. fraternitatem dist. 54. quæ ambo sunt Gregorij Papæ, vt seruus iudæorum statim factus Christianus à seruiture liberetur, nullo prætio dato, si fuerit vernaculus, idest in seruitute natus. Similitèr si infidelis existens fuerit emptus ad seruitium, siue causa seruiendi, si autem fuerit emptus ad seruitium, si autem fuerit ad mercationem, siue causa mercimonij puta, vt venderet eum alteri, tenetur eum exponere ad vendendum infrà tres menses, nec iniuriam facit Ecclesia, cum ipsi Iudæi sint serui Ecclesiæ, Ecclesia potest disponere de rebus eorum: sicut etiam Principes sæculares multas leges ediderunt erga suos subditos in fauorem libertatis: in illis verò infidelibus, qui temporalitèr Ecclesiæ non subiacent, prædictum ius Ecclesia non statuit, licèt posset instituere de iure, & hoc facit ad scandalum vitandum: sicut, & Dominus Matth. 17. dicit, quòd poterat se à tributo excusare, quia liberi sunt filij, sed ideò mandauit tributum solui ad scandalum vitandum. Ità etiam Paulus, cum dixisset 1. ad Thimot. 5. quòd serui suos Dominos honorarent, subiunxit ne nomen Domini de doctrina blasphemet. hæc S. Thom.

Decimaquarta propositio: Papa ostenditur habere potestatem in temporalibus, quia potest punire Iudæos fore facientes tàm pœna temporali, quàm etiam indirectè pœna spirituali. Ista propositio manifestè habetur primo in c. postulasti, extrà de Iudæis, vbi Innoc. mandat quendam Iudæum, qui manus violentas iniecit in quendam clericum pœna pecuniaria puniri: & clerico læso satisfactionē congruam temporalem fieri, quòd si non fecerit, Christianis præcipit, ne cum præfato Iudæo antequam satisfaciat præsumant commercia exercere, vbi glos. dicit: Excommunicantur indirectè Iudæi. Secundò idem colligitur ex cap. sæpe 28. quæst. 1. vbi ex Concilio Toletano præcipitur, vt Iudæi, qui consortia cum Christianis non vitauerint, publicis cædibus deputentur.

Decimaquinta propositio: Papa arguitur habere iurisdictionem in temporalibus, quia potest Principes apostatantes à fide priuare dominio temporali, quòd habent super fideles. Ista propopositio licèt pateat ex his, quæ dicta sunt in quarta proportione, nihilominùs sic ostenditur ex dictis S. Thom. 2. 2. quæst. 12. art. vlt. sic dicentis: Ad Ecclesiam autem non pertinet punire infidelitatem in illis, qui fidem numquam perceperunt, secundum illud Apostoli 1. ad Cor. 5. Quid enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare, sed infidelitatem illorum, qui fidem priùs ceperunt potest sententialitèr punire, & communitèr in hoc puniuntur, quòd subditis fidelibus dominari non possunt, hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem, quia, vt dicitur Prouerb. 6. Homo Apostata, in corde suo machinatur malum, & iurgia seminat, intendens homines separare à fide: & ideò quantò citiùs aliqui per sententiam denunciantur excommunicari propter Apostasiam à fide, ipso facto, ipsi subditi sunt absoluti à Dominio eorum, & iuramento fidelitatis, quo eis tenebantur, hæc Sanctus Thomas. Hoc etiam colligitur ex cap. absolutos extrà de hæretic. & ex cap. nos Sanctorum, & cap. iuratos 15. quæst. 6.

Deci-

Decimasexta propositio: Papa ostenditur habere etiam in temporalibus iurisdictionem, quia potest contra infideles hæreticos, aut tyrannos contumeliosos fidei Christianæ, aut occupatores bonorum Ecclesiæ, aut perturbatores pacis, & quietis populi Christiani, indicere bellum: non quidem, vt occidant, vulnerent, vel mutilent: sed vt fidem defendant, Ecclesiam, & patriam liberent, & terram ab infidelibus occupatam reducant ad Christum, & super hoc potest licitè, & iustè dare indulgentias magnas arma ad hoc sumentibus. Hæc propositio satis patet, tàm auctoritatibus, quàm ratione, ex his, quæ inducta sunt circà sextam propositionem.

CAP. CXV.

In quo ponuntur aliquæ obiectiones aduersariorum contra ea, quæ dicta sunt de potestate, & iurisdictione Papæ in temporalibus.

ADuersarij, qui ab Ecclesia omninò auferre potestatem in temporalibus moliuntur, multipliciter arguunt contrà prædicta nitentes probare, quod Romani Pontificis auctoritas, siue potestas non in temporalibus, sed in spiritualibus tantùm sit: quorum rationes potiores sunt, quæ sequuntur.

In sola, & mera commissione Regni cœlorum non venit, nec cadit commissio regni terrenorum, cum Regnum Cęlorum, & terrenorum ex opposito diuidantur, sicut Regnum carnale, & spirituale, sed Christus commisit Petro, & eius successoribus in persona ipsius claues Regni Cœlorum, & non claues Regni Terrenorum, prout patet Matth. 16. cap. vbi legitur, quòd Petro dixit: [Et tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque, &c.] Claues inquit Regni Cœlorum, & non claues Regni Terrenorum, nec vmquam in scripturis euangelicis, aut Apostolicis reperitur, quòd Christus commiserit Petro claues Regni terrenorum, & quod non est scriptum, non est nouis adinuentionibus præsumendum. Vndè non videtur, quod Romanus Pontifex habeat potestatem vniuersalis iurisdictionis, nisi in spiritualibus tantum.

Secundò sic; Vicarius non habet maiorem plenitudinem potestatis, quam habuit homo Christus, sed Christus non hauuit, nec habere voluit huiusmodi potestatem; siue dominium in temporalibus, ergo nec eius Vicarius, consequentia est bona, maior est manifesta, minor probatur multipliciter.

Primò, ex illo, quod Christus respondit cuidam Luc. 12. dicenti sibi. [Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.] Cui Christus, sic respondit. [Homo quis me constituit Iudicem, aut Diuisorem super vos,] quasi dicat nullus.

Secundò, ex illo, quod legitur Ioann. 6. [Iesus cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperunt eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus] Quòd vtique non fecisset, si Regnum terrenum quæsiuisset.

Tertiò, ex illo, quòd homo Christus, ait Ioann. 18. [Regnum meum non est de hoc Mundo.]

Tertiò arguitur sic; Hæ duæ potestates, scilicèt temporalis, & spiritualis non possunt in vna, & eadem persona conuenire, siue concurrere; ergo Romanus Pontifex cum potestate in spiritualibus, non potest habere potestatem in temporalibus, consequentia videtur bona, antecedens patet, quia duæ species eiusdem generis non se compatiuntur in eodem subiecto, sicut homo, & asinus, albedo, & nigredo. Hæ autem duæ potestates sunt huiusmodi. Ergo, &c.

Quartò sic; Officia debent esse omninò impermixta, alioquin sequeretur confusio; sed aliud est officium iurisdictionis spiritualis, & aliud est officium iurisdictionis temporalis: ergo hæc officia non debent misceri in vna, & eadem persona. Quæ ratio apertè confirmari videtur per ea, quæ Nicolaus Papa in cap. cùm ad verùm dist. 96. dicit, quòd Christus actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit.

Quintò arguitur ex illo Matth. 22., vbi dicit Christus. [Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.] In quo innuere videtur distinctionem prędictarum iurisdictionum spiritualis scilicèt, & temporalis, & personarum, in quas cadunt; quia temporalis cadit in Cęsarem, spiritualis verò in Pręlatos, qui sunt vice Dei in terris; ergo prædictæ duæ dignitates non debent esse in eadem persona.

Sextò arguitur ex lege illa Imperatoris, in qua dicitur. Sic enim magna dona à Deo collata sunt Sacerdotium, & imperium, vt Diuinis Sacerdotium, & Imperium humanis pręesset, ergo potestas Ecclesiæ se extendit solùm ad diuina, & spiritualia, secularis verò ad temporalia, termini autem antiqui transgredi non debent, secundùm illud prouer. 22. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.

Septimò sic, ad Thym. 2. dicitur. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, sed nemo in Ecclesia magis debet militare Deo, quàm Papa, ergo minùs implicare se debet negotijs secularibus, ergo Papa non habet iurisdictionem temporalem.

Octauò sic; Iudex secularis de re spirituali iudicare non potest, de iudic. cap. decernimus, sic videtur, quòd Iudex Ecclesiasticus de temporalibus se intromittere non potest, vt contrariorum eadem sit disciplina secundùm Philosophum, & ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris lib. 1. §. videmus.

Nonò: Habere iurisdictionem in temporalibus contradicit perfectioni Apostolicæ, ergo videtur, quòd habere iurisdictionem in temporalibus nullo modo conueniat Romano Pontifici, qui singulariter dicitur Apostolicus, consequentia bona videtur, antecedens patet ex illo Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me; & illud Luc. 14.

Omnis ex vobis, qui non renunciauerit omnibus, quæ possidet non potest meus esse discipulus.

Decimò sic: Si iurisdictio temporalis esset in Romano Pontifice, sequeretur, quòd superflueret, aut in eo, aut in principibus secularibus, sed neutrum est dicendum, cùm Deus, & natura nihil faciant frustra 3. de anima, ergo videtur, quod Romanus Pontifex solùm in spiritualibus, & non in temporalibus habeat iurisdictionem, sed solùm Princeps seculares, consequentia tamen videtur bona.

CAP. CXVI.

In quo respondetur obiectionibus præfatis.

SAnè considerantibus nobis ea, quæ in superioribus de ordine, & vnitate Ecclesiæ enucleauimus, necessarium dicendum videtur, saluo semper meliori iudicio, quòd ante diximus, videlicèt, quòd in Hierarchia Ecclesiastica militantis Ecclesiæ potestas spiritualis Principetur seculari potestati. Cùm enim, vt inquit Philosophus 1. Polit. quandocunque aliquid constituitur ex pluribus ordinatis adinuicem, siue ex coniunctis sicut, homo ex corpore, & anima, siue ex diuisis, sicut exercitus ex militibus, in omnibus est inuenire principans, & subiectum, quemadmodum in armonica musica est vnus sonus principalis, & in mixto vnum elementum prędominans, & in homine anima corpori, & intellectus appetiti sensibili, & in domo vir vxori, & vniuersaliter masculus fœminæ, & homo bestijs, sed cum ex spiritualibus, & temporalibus, quasi duobus lateribus, compaginetur totum corpus vniuersæ Reipublicæ Christianæ, vt inquit Hugo de sancto Victore lib. 2. de sacramentis, & spiritualia pręferantur terrenis, sicut anima corpori, necesse est dicere, quòd potestati seculari principetur potestas spiritualis, ità quòd ad Hierarcham huius Hierarchiæ Ecclesiæ militantis, qui post Christum est Romanus Pontifex, cui in beato Petro Christus tradidit ambas claues, & regimen totius Ecclesiæ, non tàm in spiritualibus, quàm etiam in temporalis, aliquo modo pertineat iuxtà id, quòd dicitur dist. 22. cap. omnes. Vbi Nicolaus Papa dicit, quòd beato Petro æternæ viræ clauigero terreni simul & cœlestis Imperij iura commisit, vbi gloss. dicit: Argumentum, quòd Papa habet vtrumque gladium, scilicèt spiritualem, & temporalem, quod verum est prima auctoritate, & superiori, sed iurisdictionis executionem habet in spiritualibus, in temporalibus autem non nisi in casibus, de quibus superius dictum est. Vndè dicendum est ad obiectiones aduersariorum.

Ad primam, negatur assumptum simpliciter positum, & maximè, in eo, in quo est potestas spiritualis regiminis Ecclesiæ secundùm plenitudinem, sicut in Papa dicimus, sicut in parte exposuimus suprà, quòd sicut in collatione principalis intelligitur accessorium, etiam si de illo nulla fiat expressa mentio, & in collatione maioris intelligitur collatio minoris, quod ordinatur ad illud, & in collatione regiminis intelliguntur collata omnia ea, sine quibus rectè expediri, siue exequi non potest regimen illud; ità in collatione potestatis spiritualis Papæ, sicut capiti, & Rectori totius politiæ Christianæ necessariò venit subintelligenda collatio potestatis secularis, quantùm necessarium est ad conseruationem bonorum spiritualium, & directionem fidelium in Regnum Cœlorum. Vndè in collatione clauium cœlestium, maximè quo ad clauem iurisdictionis interuenit traditio clauium terrenorum, in vim cuiusdam necessarię consequentiæ, modo, quo dictum est superiùs, nec oportebat aliquid exprimere de collatione Regni terreni, siue iurisdictionis temporalis; quia vt diximus in collatione principalis, scilicèt potestatis Regni Cœlorum, satis intelligebatur. Quod verò dicitur, quòd hęc duo ex opposito diuiduntur, respondetur, quòd non est verùm sicut infrà videbitur in responsione ad tertiam obiectionem.

Ad secundam obiectionem, in qua dicitur, quòd Christus non habuit potestatem, nec dominium, respondetur, quòd falsum est, quoniam, qui dicit Christum non habuisse potestatem temporalem, & spiritualem, sicut etiam dicit Dominus Ioann. 22. in decretali illa: quia vir reprobus; contradicit sacræ Scripturæ in multis locis, sed maximè illi Matth. vlt. vbi legitur Christus dixisse. Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra. Et Apocalyp. 1. dicitur, quòd Princeps rerum terræ. Et ad Hebr. 1. dicitur, quòd sumptum est de Psal. 8. Constituisti eum super opera manuum tuarum, vbi dicit gloss. Ecce potestas Christi ostenditur, vt enim in operæ Domini nihil excipitur, ità nec à Christi potestate, hæc gloss. Verùm sicut Dominus Durandus benè contingit, quòd habens potestatem, & auctoritatem iurisdictionis non vtitur ea in propria persona, nec decet quantùm ad omnia, immò minora debent committi minoribus, & mediocra mediocribus, & maiora supremis, sicut consultum fuit Moysi à Ietro, Exod. 18. quòd constitueret Iudices, quòd minora, & faciliora tantummodo iudicarent, & difficiliora remitterent Moysi iudicanda. Et Apostoli dixerunt Act. 6. cap. Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrar mensis. Et per hunc modum Christus, licèt haberet omnem potestatem, tamen Summum opus, ad quod venerat, fuit nos instruere de vita sua, & Redemptione nostra, per ipsum facienda, propter quòd circa ista, quasi totaliter vacauit dimittendo minora, quæ per alios fieri poterant. Vndè Ambrosius super illud Ioann. 18. Regnum meum non est de hoc Mundo, dicit: Benè terrena declinat, quia propter cœlestia descendit.

Ad probationes, quòd Christus non habuerit potestatam, respondetur ad primam, quæ est Luc. 12. dicendo, quòd illa non probat propositum aduersariorum, quoniam illud Christus non dixit, quia negaret, se habere potestatem omnium; sed propter duo.

Primò, quia dedignabatur executorem habere in tàm paruis rebus, & ille poterat recur-

recurrere ad minores, quorum erat talia immediatè exequi. Hanc rationē tangit beatus Ambrosius, in gloss. ita dicens. Non dignatur esse Iudex litium, aut arbitrer facultatum, qui viuorum, & mortuorum habet iudicium, & meritorum arbitrium ad 1. Corinth. 6. Secularia iudicia, si habueritis, &c.

Secundò, quia diuidere communitatem officium erat diaboli, non Christi, Oseæ 13. Ipse inter fratres diuidit, scilicèt diabolus 1. Corinth.19. Non enim dissensionis est Deus, sed pacis. Hanc rationem tangit gloss. quæ super illud: [Quis me constituit,] dicit: Non sum dissensionis Deus, sed pacis, & vnitatis, qui veni hominem pacificare cùm angelis, vt multi vnum corpus, & omniam vnam habeant, vt non diuidatur, sed vt habeant omnia communia, ne quis sit egens inter eos, ille, qui non colligit mecum, est fraternitatis diuisorum, dissensionis Auctor, hæc gloss. Ex quo patet, quòd auctoritas præfata, in qua aduersarij plurimum confidunt, in nullo suffragatur eis.

Ad secundam probationem, quæ sumitur ex illo Ioann. 6. quòd fugit Christus, ne facerent eum Regem: Respondetur, quòd nihil facit pro aduersarijs, quod patet sic ex expositione sancti Thomæ, super hunc locum. Querit enim sanctus Thomas, cùm ipse Christus esset Rex, quare fugit? ad hoc, inquit, triplex ratio assignatur. Vna, quia derogasset dignitati eius, si Regnum ab homine accepisset, qui sic erat Rex, vt eius participatione Reges omnes essent Prouerb. 8. Per me Reges regnant. Alia ratio, quia præiudicasset suæ doctrinæ, si claritatem, & robur ab hominibus accepisset, sic enim operabatur, & docebat, vt totum diuinæ virtuti ascriberetur, & non solùm fauori humano Ioann. 5. Claritatem ab hominibus non accipio.

Tertia ratio est, vt erudiret nos mundanas contemnere dignitates, Ioann. 13. exemplum enim dedi vobis, &c.

Ad tertiam probationem, quæ sumitur ex illo Ioann.18. [Regnum meum non est de hoc Mundo:] Respondetur, quòd auctoritas ista benè intellecta in nullo suffragatur aduersarijs, quoniam per illam non negat se Christus Regem esse, immò postea expressè concessit. Nàm cùm Pilatus dixisse ei. Ergo Rex es tu, respondit. Tu dicis, quia Rex sum ego, ego enim, inquit, ad hoc natus sum, & ad hoc veni in Mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Nec dicit, Regnum meum non est in hoc Mundo, cùm Regnum eius sit in Cœlo, & in terra, sed dicit non est de hoc Mundo, non scilicèt electione mundana, nec successione humana.

Pro cuius auctoritatis pleniori intelligentia, vt intelligant aduersarij nihil habere fauoris, est notandum, quòd, vt dicit S.Thom. super Ioann. exponens hunc locum, quòd Regnum dicitur quandòque populus illius, qui regnat, quandòque ipsa Regia potestas.

Primò ergo modo accipiendo Regnum, exponit Augustinus, dicens, Regnum meum, idest fideles mei, Apocal. 5. [Fecisti nos Deo nostro Regnum, non est de hoc mundo,] scilicèt per effectum, & imitationem, erepti quidem per gratiæ collationem, sic enim nos eruit de potestate tenebrarum, & transtulit nos in Regnum charitatis suæ. Chrysost. autem exponit accipiendo Regnum secundo modo dicens, Regnum meum, idest potestas mea, & auctoritas, qua sum Rex non est de hoc Mundo, idest non habet originem ex causis mundanis, & electione hominum, sed aliunde, scilicèt ab ipso Patre, Daniel. 7. Potestas eius, quæ non auferetur, & Regnum eius, quòd non corrumpetur.] Et infrà concludit. Regnum meum non est hinc, idest non habet principium de hoc Mundo, est tamen hìc, quia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Et Psalmus: [Postula à me, & dabo tibi gentes, & possessionem tuam, &c.]

Patet ergo, quòd in Christo fuit potestas, & auctoritas iurisdictionis temporalis, licèt parùm vsus fuerit iurisdictione tēporali. Et dico parùm, quia quando fecit flagellum de funiculis, & eiecit vendentes, & ementes de templo, & nummulariorum mensas euertit Io. 2. videtur vsus fuisse potestate. Vndè Iudæi dixerunt ei. In qua potestate hoc facis.

Verum tamen est, quia principaliter venerat nos redimere, & saluare, quasi omnes actus eius versabantur circa eruditionem nostram, & pauci, aut nulli circa exercitium cuiuscumque iurisdictionis, non quia vtramque potestatem non haberet, sed vt saluti nostræ totaliter intenderet, sicut dicitur Ioann.3. Non enim misit Deus filium suum in Mundum, vt iudicet Mundum, sed vt saluetur Mundus, per ipsum. Expleto autem Sacramento nostræ salutis per mortem Christi, & ius Resurrectionem, Christus commisit Petro regimen Ecclesiæ totum, quòd necessarium erat, & expediebat ad regimē totius Ecclesiæ.

Et quia vtraque potestas spiritualis, & temporalis est ad hoc necessaria, & ideò vtramque potestatem contulit Petro, & de potestate quidem spirituali nullus Christianus dubitat, de potestate temporali, patet Act. 5. vbi legitur, quòd Petrus damnauit iudicialiter Ananiam, & Saphiram pro crimine furti, & mendacij. Vnde super illud: Dixit autem Petrus ad Ananiam, dicit gloss. quasi Princeps omnium loquitur. Et super illud: Quare posuisti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, sed Deo. Dicit glossa, quæ est Bedæ, sic: Non causa quæstus tàm seueram præuaricationis dedit sententiā; sed præuidens futura zizania, quæ simplicitatem Ecclesiæ prauis moribus adulterarent, nulla reos passus esse principia curari; sed ad timorem posterum, noxium germen radicitus amputauit. Hæc Glossa.

Item beatus Augustinus in lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ, tractans hoc verbum, dicit: Ecce quanta est Apostolica virtus in Christo, sanum Ananiam, dūm Petrus arguit per sermonis tantùm imperium, morte ligauit; & Tabitam mortis vinculo ligatum, eadem imperij potestate dissoluit. Ideòque priùs Ananias, & Saphira in conspectu Ecclesiæ citò mortui sunt, vt Apostolica auctoritas quanta esset ostenderetur. Hæc ille.

Ratio autem alibi legitur, quòd ipse Petrus vsus fuerit hac potestate; quia propter paucitatem credentium, super quos fuit sibi data

data potestas, tota intentio Petri, & aliorum Apostolorum, & Discipulorum fuit ad conuertendum alios ad fidem per prædicationem, & miraculorum operationem. Vndè Matth. vlt. dicitur: Illi autem profecti prædicauerunt, vbique Domino cooperante, & sermonem, &c. Multiplicatis autem Fidelibus posteriores, & successores non indebitè, & incongruè aliquando exercuerunt, & vsi fuerunt, quando hoc expedire iudicabant. Vndè Christus, & Apostoli multa exequenda, & ordinanda dimiserunt suis successoribus secundùm diuersa tempora, & diuersos status Ecclesiæ, quæ ipsi per seipsos tunc non executi sunt, nec ordinarunt, quia tunc opus non erat, sicut pulchrè ostendit Augustinus in epistola ad Comitem Bonifacium.

Ad tertiam obiectionem, cùm dicitur, quòd hæ duæ potestates nō possunt conuenire in vna persona; respondetur, negando hoc. Et ad probationem, cùm dicitur, quòd duæ species eiusdem primi, &c. Respondetur, Quòd hæc ratio deficit, quia hæc propositio non est vniuersaliter vera; sed solùm in illis, in quibus ex speciali ratione reperitur repugnantia essendi simul. Verbi gratia, in omnibus naturis per se existentibus est repugnantia essendi in eodem subiecto; quia quælibet ex natura sua nata est constituere proprium suppositum, vt homo, & asinus.

Item in oppositis, vbi repugnantia ex natura oppositionis est, ità vt non solùm sint distinctæ, sed contrariæ. Et ideò in quocumqne genere inuenitur oppositio inter aliquas species: omnes species illius generis sunt incompossibiles, sicut in albedine, & nigredine, & de omnibus medijs coloribus, quia omnes habent oppositionem inter se, saltem imperfectam. Natura enim contrariorum est, vt inuicem se expellant; vndè contraria sunt, quæ maximè inter se distant, & eidem susceptibili vicissim insunt, non simul, sicut Philosophus dicit in prædicamentis. Sed illæ formæ, quæ sic sunt distinctæ, quòd non sunt contrariæ, sed disparatæ, sunt compossibiles in eodem subiecto; sicut quantitas, & qualitas, quæ distinguuntur in genere generalissimo in homine.

Species etiam generis proximi possunt esse simul, vt patet in virtutibus tam moralibus, quàm intellectualibus. Potest enim idem homo simul habere virtutes, scilicet, temperantiam, iustitiam, & fortitudinem, & sic de alijs. Immò, qui habet vnam perfectè, & complectè, habet omnes: sic vt patet 6. Ethic.

Patet ergo, quòd non est bonum argumentum: Istæ formæ sunt distinctæ. Ergo non sunt compossibiles in eodem subiecto. Sic ergo in proposito, quia iurisdictiones, temporalis scilicet, & spiritualis, licèt sint distinctæ, non sunt tamen contrariæ; quòd patet, quia vnum contrarium non ordinatur ad aliud, immò corrumpit ipsum. Iurisdictio autem temporalis ordinatur ad spiritualem, sic vt supra ostendimus.

Item vna iurisdictio iuuat, & confortat aliam, & per consequens non sequitur, quòd propter earum distinctionem sint incompossibiles in eadem persona.

Quòd etiam patet de facto, quia in eadem fuit persona Christi vtraque iurisdictio; quia dictum est: Domini est terra, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo, Ps. 23.

Patet etiam ex alio, quia si non essent compossibiles, sequeretur, quòd nulla persona Ecclesiastica posset habere aliquam iurisdictionem temporalem, nec castrum, nec villam, nec aliquod aliud, quòd est valdè absurdum.

Patet ergo, quòd istæ iurisdictiones sunt compossibiles, non obstante earum distinctione adinuicem. Vndè tempore legis naturæ simul ambæ concurrebant Regnum, & Sacerdotium; & omnes primogeniti Regum Sacerdotes erant, & Reges, & iurisdictionem in temporalibus, & spiritualibus exercebant; sic ambæ simul concurrerunt in lege Mosayca, vsque ad Samuelem, sub quo populus petiuit sibi Regem, quem quantum erat ex potestate populi, Dominus concessit eum in onus propter peccata eorum. Vndè dixit Dominus Samueli: Non abiecerunt te, sed me ne regnem super eos; disponente æterna prouidentia, quæ etiam mala nostra, & ea, quæ concedit pro peccatis nostris, in bonum conuertit.

Hoc factum est in præsagium eius, quod erat futurum, Deo ordinante, in noua Lege, vt Sacerdotes, expediti à iudicijs temporalium, assuescerent imminente tempore aduentus Christi, vacare spiritualibus, qui veniens Rex, & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, qui simul erat Rex, & Sacerdos Dei Altissimi, Sacerdotium, quod per accidens secundùm prædicta seruile factum erat in lege Mosayca, in qua Sacerdotes subditi erant Regibus, ad libertatem Sacerdotij legis naturæ reduxit, in qua, in eadem persona vtraque dignitas iuxtà cursum legis naturæ debuit residere. Sed post Christi aduentum, cùm tempus erat vacandi spiritualibus: dispositiuè à Deo regimen, & auctoritas temporalium, & iurisdictio omnis circa illa, & executio, commissa est Imperatoribus, & Principibus secularibus, remanente sola prima auctoritate, vt dictum est, apud Sacerdotes, tamquam apud illos, quorum debet esse nobilior exercitatio, & qui sunt in gradu maiori, & altiori, agentibus Regibus, & Principibus temporalia negotia, qui tamquam minores, & inferiores occupati sunt circa inferiora, vt supra illud 1. Corinth. 6. Si secularia negotia habetis contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum; dicit glossa, maiores spiritualibus intendere debent.

Sunt ergo dignitates prædictæ distinctæ non ex natura rei; sed propter Diuinam dispositionem, & tamen non sic penitùs distinctæ sunt, quando superior iurisdictio remaneat penès Papam, licèt differenter, vt diximus, in spiritualibus, & in temporalibus; quia in spiritualibus habet executionem regulariter, & immediatè: in temporalibus verò non regulariter, sed in casibus assignatis.

Ad quartam rationem, cùm dicitur, quòd officia debeant esse distincta, &c. Respondetur, quòd illud habet locum, quando plures intromittunt se simul de eodem

dem negotio, quod non est in proposito, quia de spiritualibus nullus potest se intromittere, nisi Iudex Ecclesiasticus. De temporalibus verò non intromittunt se simùl Iudex Ecclesiasticus, & laicus Iudex, quia nullus pro eadem causa debet trahi ad diuersa iudicia; sed in optione actoris est recurrere ad vnum eorum, & ille solus habet tunc cognoscere de illo negotio, & iudicare: & sic nulla est confusio.

Ad quintam, quod Dominus ait: Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, &c. Dicendum, quòd auctoritas illa in nullo fauet aduersarijs, quoniam secundùm veritatem text. Euangelij, non fuit intentio Christi in illo loco facere distinctionem prædictarum iurisdictionum, nec assignare personas, in quas cadunt; sed respondere tentatiuæ quæstioni Iudæorum; qui cùm reputarent se solos esse de populo Dei, alijs existentibus Paganis, & Idolatris, non credebant aliqui eorum, quòd tenerentur Cæsari Pagano Imperatori ad soluendum censum, sed immunes esse à censibus, & tributis, qui vacabant cultui Dei veri. Et ideò cùm Herodianis, qui erant de gente Imperatoris, venerunt ad Christum, proponentes ei hanc quæstionem: Licet censum dare Cæsari, vel non? vt si diceret non: accusarent eum apud Imperatorem, si diceret sic: accusarent eum apud Principes Sacerdotum, tamquam dicentem contrà libertatem cultus Dei. Iesus autem sciens nequitiam eorum, ostenso sibi numismate census insculpto imagine Cæsaris, respondet: Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo; idest, reddite Cæsari censum sibi debitum, & Deo cultum in oblationibus, & sacrificijs, secundùm ritum legis loquebatur. Ergo de redditione debitorum, & non de distinctione iurisdictionum, & personarum, in quas cadunt.

Ad sextam, cùm dicitur, quòd imperium humanis præest, &c. Respondetur, quòd verum est, quòd Sacerdotium est adeò, vt præesset Diuinis, & spiritualibus, quantum est de prima, & principali intentione Sacerdotij: sed quia Diuina, & spiritualia perturbantur, & quandòque impediuntur per abusum hominum circa temporalia; ideò ad Sacerdotium secundariò, & ex consequenti pertinet impedimenta, & perturbationes tollere; & impeditores, & perturbatores gladio spirituali ferire.

Isti sunt enim veri termini iurisdictionis spiritualis, & temporalis à fundatione, quos transgredi non licet, quia iurisdictio temporalis nullo modo se extendit ad spiritualia, de quibus nihil nouit.

Iurisdictio verò spiritualis se extendit primò, & principaliter ad spiritualia, secundariò, & per quandam consequentiam se extendit ad actiones hominum circa temporalia, quæ ordinantur ad spiritualia tamquam ad finem, quatenus abusus hominum circa ea potest impedire finem.

Ad septimam respondetur, quòd ratio non procedit, quoniam licèt secundùm sanctum Thomam in 2. 2. quæst. 7. cap. 86. art. 2. causa cupiditatis ingerere se negotijs secularibus Religiosis, & Clericis sit prohibitum, causa tamen charitatis; se negotijs secularibus, cùm debita moderatione ingerere possunt secundùm superioris licentiam, & ministrando, & dirigendo. Vndè in decretis distinct. 88. cap. decreuit, inquit Melchiades Papa. Decreuit sancta Synodus nullum deinceps clericum, aut possessiones conducere, aut negocijs secularibus se immiscere, nisi propter curam pupillorum, aut orphanorum, aut viduarum, aut si fortè Episcopus ciuitatis Ecclesiasticarum rerũ sollicitudinem eum habere præcipiat. Non ergo derogat dignitati Summi Pontificatus si causa charitatis, & vrgente necessitate ad cõseruationem spiritualium, ad correctionem vitiorum, ad punitionem malefactorum, ac manutentionem pacis, & iustitiæ in populo Christiano, aliquando de negotijs secularibus, se intromittat, vt director, & præceptor.

Ad octauam cùm dicitur, quòd iudex secularis, &c. respondetur, quòd ratio non procedit, quia non est similis ratio de Iudice seculari, & Ecclesiastico, quia Iudex secularis est omninò incapax Ecclesiasticæ, vel spiritualis iurisdictionis, vt in cap. decernimus de iudic. allegato ex opposito. Vndè nec spiritualia possidere potest c. causam de rescrip. Vndè punitus est lepra Ozias, qui officium Sacerdotum sibi vsurpare voluit, Paralipp. 26. iudex autem Ecclesiasticus est benè capax iurisdictionis temporalis.

Primò enim ab initio causæ, etiam temporalis iurisdictionis omnes tractabantur coram Sacerdotibus, vt in cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi; nec etiam istæ duæ iurisdictiones contrariantur adinuicem: imò, vt supra diximus, simul concurrere possunt in vna, & eadem persona.

Ad nonam obiectionem, cùm dicitur, quòd habere iurisdictionem in temporalibus repugnat Ecclesiasticæ perfectioni; respondetur, quòd falsum est. Et ad probationem cùm inducitur illud Matth. 19. [Si vis perfectus esse, &c.] respondet sanctus Thomas in 2. 2. quæst. 184. artic. 7. quòd abrenunciatio propriarum facultatum, dupliciter considerari potest.

Vno modo, secundùm quòd est actu: & sic in ea non consistit essentialiter perfectio; sed quoddam perfectionis instrumentum. Et ideò nihil prohibet statum perfectionis esse sine abrenunciatione propriorum.

Alio modo potest considerari secundùm præparationem animi, vt scilicèt homo sit paratus, si opus fuerit, omnia dimittere, vel distribuere; & hoc directè pertinet ad perfectionem.] Hæc sanctus Thomas.

Cùm autem potestas iurisdictionis possit stare in persona Domini Papæ, cùm hac animi præparatione: patet, quòd possit stare cum Apostolica perfectione. Vndè Christus perfectissimus fuit, & tamen in eo vtraque potestas fuit, vt dictum est.

Multi enim sancti Prælati ex deuotione Fidelium habuerunt multam temporalem iurisdictionem; quorum tamen perfectioni, & bonitati nihil ex hoc derogatum esse creditur.

Ad decimam cùm arguitur, quòd superfluerent iurisdictiones secularium Principum; respondetur, negando hoc, quòd superfluerent

rent iurisdictiones; immò sunt necessariæ, sicut aliàs in primo libro ostendimus.

Tùm quia, cùm iurisdictio temporalis plenaria non ponatur in Romano Pontifice, regularitèr quantùm ad immediatam executionem, siue exercitationem; sed in aliquibus casibus, vt dictum est: ad bonum, & perfectum regimen populi Christiani necessariæ sunt potestates sæculares, quarum est intendere immediatè istis temporalibus, ea administrando, & gubernando. Vndè 1. Petri 2. dicitur de potestate sæculari, quòd est ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.

Tùm secundò, vt potestas spiritualis absoluta in vilioribus, & sæcularibus negocijs, liberior sit ad vacandum spiritualibus, & ne propter administrationem temporalium, & inferiorum à gubernatione impediantur spiritualium, & superiorum. Vndè hac ratione, distincta dicitur à Deo esse harum dignitatum officia, vt in cap. cùm ad verum distinct. 96. habentur.

Et tantùm dictum sit pro isto secundo libro huius præsentis Summæ de Ecclesia.



LIBER



LIBER TERTIVS.

DE CONCILIIS.

CAPVT PRIMVM.

Quid Concilij nomine importetur.



Ecursis pro nostri paruitate ingenij, primis duobus libris huius nostri operis, videlicèt primo libro de Vniuersali Ecclesia, & secundo de Ecclesia Romana, & eiusdem Pontificis primatu. Reliquum est iuxtà propositi nostri formam opitulante nobis gratia Saluatoris librum tertium subiungere de Vniuersalibus Concilijs. Præmittimus in primis, quid Concilij nomine importetur. Pro quo sciendum, quòd prout ex Isidoro nostro lib. ethic. & cap. Canones dist. 15. colligere possumus, triplex est huius nominis Concilij interpretatio.

Primò quidem Concilium dicitur à consedendo, quasi considium, d. litera in l. mutata, & hoc quia in Concilio consident maiores secundum morem tractantium grauiter, & maturè res ad vniuersitates pertinentes; hinc dicit Isidorus vbi supra. Synodus ex Græco interpretatur comitatus, vel cętus Concilij verò nomen tractum est ex more Romano. Tempore enim quo causas agebant, conueniebant omnes in vnum, communique intentione tractabant; scribitur etiam 1. Machab. 14. quòd seniores in plateis sedebant, & de bonis terræ tractabant.

Secundò Concilium dicitur à communi intentione; vnde Isidor. vbi suprà, vel Concilium dictum est, ea communi intentione, eo quòd in vnum dirigant omnem mentis intuitum. Cilia enim secundum Papiam sunt velamina oculorum dicta à celando oculum. Concilium ergo dicitur à con & cilium, quia omnes in Concilio congregantur, vt in vnum conueniant, omnemque mentis intuitum dirigentes ad vnum, scilicet, ad vtilitatem publicam; vndè Synodus dicitur à Syn, quod est simul, & odos, quod est via, quia omnes ad eumdem finem tendunt: vndè sequitur in decreto. Cętus conuentus est, vel congregatio à coeundo, vel à conueniendo in vnum; hinc etiam conuentus est nuncupatus, quia ibi homines conueniunt, sicut conuentus est cętus, sic & Concilium à societate multorum in vnum appellatur. Hæc ibi.

Tertiò dicitur Concilium à consulendo, quasi consilium, & hoc rectè quoniam consilium Concilij antonomaticè dicitur Concilium. Ad hoc enim viri sapientes ad Concilia vocantur, vt super agendis consulant. Cùm enim in rebus agendis multa incertitudo inueniatur, quia actiones sunt circa singularia contingentia, quæ propter sui variabilitatem incerta sunt, & in dubijs, atque incertis, ratio non proferat rectè iudicium absque inquisitione præcedente; ideò necessaria est inquisitio rationis antè iudicium de eligendis, & hæc inquisitio Coocilium vocatur. Ex hac triplici nominis Concilij interpretatione posset vna definitio magistralis elici communis ad omnia Concilia tàm Ecclesiastica, siue generalia, siue particularia, siue sęcularia, aut laicalia, quæ Imperatores, aut Reges cum maioribus proceribus, aut Principibus, & Magistratibus regnorum, pro arduis causis agunt; vndè 1. Paralipom. in cap. 3. ita legitur. Misit quoque Rex Ezechias ad omnem Israel, & Iudam, & scripsit epistolas, vt venirent in domum Domini in Hierusalem, & infrà; Inito ergo consilio Regis, & Principum, & vniuersi cętus Israel decreuerunt, vt facerent, &c. vndè etiam in cap. canones dist. 15. inquit Isidorus, quòd nomen Concilij tractum est ex more Romano; tempore enim, quo causas agebant, conueniebant omnes in vnum, communique intentione tractabant. Descriptio verò magistralis talis esse potest. Concilium est congregatio, siue conuentus hominum prudentium publica auctoritate conuocatorum, ad tractandum communi intentione de rebus necessarijs, siue commodis Reipublicæ, siue vniuersitatis. Tanguntur autem in hac definitione quatuor causæ ipsius Concilij.

Primò materialis, ex qua corpus Concilij consurgit, cum dicitur, quòd est congregatio, siue conuentus hominum, idest, habentium rationem. Solius enim rationalis naturæ est ratiocinari, & inquirere de agendis. Bruta autem animalia, non consilio, sed naturæ impetu se mouent. Vndè Tullius in Rectoricis definiens Concilium, inquit: Concilium est aliquid faciendi, vel non faciendi rectè excogitata ratio. Additur autem prudentum, quoniam hominum imprudentum congregatio non est digna nomine Concilij. Cum enim prudentia recta ratio sit agibilium, vt sextò Ethicorum dicitur, maximè ad prudentiam pertinet Concilium; vndè prudens, vt ibidem Aristotiles dicit, est benè

benè consiliatiuus. E conuersò verò imprudens, siue fatuus malè consiliari potest, propterea dicitur Ecclesiastici 8. Cum fatuis consilium non habeas, non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent, propria ergo materia, ex qua corpus Concilij instituendum venit, est conuentus virorum prudentum, quo circa sapiens ecclesiasticus inquit capitulo sexto. In multitudine presbyterorum prudentium sta. & sapientiæ illorum ex corde coniungere.

Secundò tangitur causa effectiua auctorizans Concilium, cum dicitur auctoritate publica conuocatorum, profectò, cum ad potestatem publicam potissimè pertineat eorum consideratio, quæ vniuersitatem respiciunt, ad ipsam maximè pertinet, siue in vno resideat, sicut in regno, siue in pluribus, vt in alijs politiæ speciebus, Concilium conuocare efficere, & auctorizare.

Tertiò tangitur quasi causa formalis, cum dicitur communi intentione: planè, quemadmodum forma dat esse rei, & nomen, ità communis intentio dat esse, & nomen Concilij ipsi congregationi; vndè vt ait Isidorus, vbi supra, qui sibimet dissentiunt, non agunt consilium, quia non consentiunt in vnum.

Quartò tangitur causa finalis Concilij, cum dicitur ad tractandum de rebus necessarijs, siue commodis vniuersitatis; hic profectò esse debet principalis finis Synodalis Congregationis virorum prudentum, siue Patrum, hæc duo præcepta Plato dedisse legitur teste Tull. libro de officijs volentibus prodesse Reipublicæ, vnum est, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quæcumque agunt, ad eam referant obliti commodorum suorum. Alterum præceptum est, vt totum corpus Reipublicæ curent, nec partem tueantur, & alias deserant.

CAP. II.

De origine celebrationis Conciliorum in Ecclesia.

PErcurrentibus diligenter Scripturam sanctam facilè erit reperire, vndè Conciliorum celebratio in Ecclesia Dei originem habuerit, exemplum inuenimus, siquidē quòd à Patribus in veteri Testamento, quod & ab Apostolis in nouo deriuatum esse exemplum celebrationis Conciliorum in Ecclesia. De Veteri quidem Testamento exemplum colligitur ex illo num. 16. vbi dicitur viri proceres Synagogæ, qui tempore Concilij per nomina vocabantur. In Nouo verò Testamento exemplum celebrationis Conciliorum ab Apostolis habemus, qui vt colligitur ex libro actuum, & ex traditione Patrum plures Synodos ad nascentis Ecclesiæ informationem instituisse referuntur.

Prima autem Synodus ab Apostolis celebrata fuit illicò post Ascensionem Domini super electione Mathiæ, subtracta enim corporali. & visibili præsentia Saluatoris nostri ab Ecclesia: Intelligens beatus Petrus adesse tempus, quo Pontificatus sui fungeretur officio à maioribus incipiens, curauit in primis, ne sacer ille numerus duodenarius, quo consecratus erat numerus Apostolorum diminutus maneret, vndè Apostolorum collegium, & Christi Discipulos alloquitur, vt Lucas Euangelista, & sciptor veridicus testatur Actuum 1. Viri fratres oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit Dux eorum, qui comprehenderunt Iesum, qui annumeratus erat nobis, & sortitus est nomen ministerij huius, & infrà. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, sequitur, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis &c. Vbi notandum pro in posterum dicendis, quod in hac prima Synodali congregatione, quam Apostolos legimus celebrasse, non solùm Apostoli interfuerunt, sed etiam laici, & etiam fœminæ, quæ communi nomine dicebantur Discipuli Domini, quod apertè habetur ex textu eiusdem, cap. vbi enumeratis Apostolis, sequitur; Hij omnes erant perseuerantes in oratione, cum mulieribus, & Maria Matre Iesu; & fratribus, sequitur in diebus illis; glos. interlinearis cum essent Apostoli in Cœnaculo superiori. Exurgens Petrus in medio fratrum dixit. Erat turba hominum quasi centum viginti.

Secunda Synodus ab Apostolis celebrata fertur, cum septem Diaconi electi dicuntur ad dispensationis quotidianæ ministerium, de quo Actuum 6. sic dicitur. In diebus illis crescente numero Discipulorum factum est murmur Græcorum aduersùs hebræos, eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum, conuocantes autem Apostoli multitudinem Discipulorum dixerunt, non est æquum relinquere nos verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus, vbi aduertendum, quòd conuocati per duodecim Apostolos ad hanc Synodum, siue ad hoc Concilium fuerunt laici, qui Discipuli Domini vocabantur, quibus Apostoli libertatem dederunt eligendi eos, qui necessariorum dispensationis ministerio superintenderent.

Tertiam Synodum Apostolos Hierosolymis celebrasse legimus, quando audientes, quòd Samaria ad prædicationem Philippi, qui erat vnus de septem Diaconibus, recepissent verbum Dei, miserunt ad eum Petrum, & Ioannem, vt acciperent Spiritum sanctum, scilicet, in visibili signo, non enim in quemquam eorum venerat, scilicet visibiliter, vt habetur Act. 8. Circa quam Synodum, si Synodus appellanda veniat, vt nunc loquimur de Synodo, est etiam aduertendum, quòd in ea non legitur aliqua conuocatio facta quorumcumque aliorum, qui absentes essent Hierosolymis.

Quartam Synodum ab Apostolis celebratam dicunt, vbi cum fidelium populus Apostolica prædicatione coalesceret, augereturque in dies, congregatur Ecclesia, & Apostolis Concilium agentibus, primò Discipuli vocati sunt Christiani, qui priùs communi nomine Discipuli appellabantur, de hac Synodo mentionem facit gloss. decreti in

cap.

cap. sacrosancta dist. 22. Intra quam Synodum hoc venit notandum primò, quòd in ea non fuerunt, nisi Paulus, & Barnabas Apostoli.

Quintam Synodum, siue quintum Concilium celebrasse dicuntur super quæstione de obseruatione legalium, de qua Act. 15. vbi sic dicitur. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt dicentes, quod oportet circumcidere eos, præcipere quoque seruare legem Moysi, conueneruntque Apostoli, & Seniores Iudææ, vbi dicit glos. hìc datur exemplum faciendi conuentus ad discernendum ea, quæ sunt fidei sequitur, cum autem magna inquisitio fieret surgens Petrus dixit ad eos, vbi dicit glos præ omnibus, quasi Princeps Petrus loquitur.

Circa quam Synodum est notandum, quòd vt colligitur ex litera ipsa, ad hanc Synodum, licèt grauis esset quæstio in materia fidei, non tamen conuenerunt, nisi quatuor Apostoli, scilicet, Petrus, Paulus, Barnabas, & Iacobus, vt colligitur ex cap. 2. ad Galat. nec etiam alij seniores, quàm prouinciæ Iudææ.

Sexta Synodus, quæ ab Apostolis Hierosolymis celebrata dicitur, fuit super abolenda suspitione quorumdam Iudæorum, qui Paulum legales cærimonias, quasi idolatriam respuere putabant, de qua sicut Act. 20. habetur. Cum Paulus venisset Hierosolymam, & introisset ad Iacobum, omnes collecti sunt Seniores, qui dixerunt illi; vides frater, quot milia sunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis, audierunt enim de te, quia dissentionem doceas à Moyse, eorum, qui per gentes sunt Iudæorum, dicens, non debere eos circumcidere pueros suos, nec secundùm consuetudinem ingredi debere, quid ergo est? vtique oportet conuenire multitudinem, audient enim te superuenisse, hoc ergo fac, quod tibi dicimus, sunt nobis viri quatuor votum habentes super se, his assumptis, sanctificare te cum illis, & impende cum illis, vt radant capita sua, & sciant omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulans, & ipse custodiens legem; hæc ibi. Circa quam Synodum aduertendum est primò, quod in ea non videtur interfuisse Petrus, nec alij discipuli nisi, isti duo, scilicet Iacobus Episcopus Hierosolymitanus, & Paulus, secundò, quòd ista congregatio facta est per Iacobum, & sub eo, & non nisi sub senioribus, qui erant Hierosolymis; tertiò quòd solum videtur facta pro tollenda suspitione, quam ex Iudæis credentes habebant de Paulo.

Septima Synodus legitur congregata sub Paulo in Mileto super regimine Ecclesiæ, in qua congregasse dicitur maiores natu Ecclesiæ, idest Presbyteros Ephesios, quos ipse Paulus ibi venerando nomine appellat Episcopos, quibus ait Act. 20. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus, posuit regere Ecclesiam Dei, quàm acquisiuit suo Sanguine. Circa, quam Synodum est aduertendum, quòd in ea solus Paulus interfuit de numero Apostolorum, & sub eo celebrata est, ad quam tantùm Presbyteros Ephesi legitur conuocasse.

Octaua Synodus, quam Apostoli celebrasse dicuntur, fuit in illa, in qua Apostoli in vnum conuenientes Symbolum ediderunt, vt enim ex maiorum traditione accepimus, Apostoli discessuri ab inuicem, cum vellent, iuxta præceptum Domini, ad singulas proficisci nationes, normam sibi futuræ prædicationis, & fidei regulam credentibus statuere curarunt. Vnde conuenientes in vnum, & singuli singulas proferentes sententias, Symbolum fidei tradiderunt, quòd vniuersalis tenet Ecclesia. Sic enim beatus Clemens Discipulus, & successor Apostolorum in decretis suis testatur. Item Leo Papa primus Pulcheriæ Augustæ scribens, ità inquit: Catholici Symboli breuis, & perfecta confessio XII. Apostolorum totidem signata est sententijs. Item beatus Ambrosius clauem Regni Cœlorum reputans esse fidem Apostolorum. Clauem, inquit, istam arbitror 12. artificum operatione conflatam, XII. enim Apostolorum Symbolo Fides Sancta concepta est, qui veluti periti artifices in vnum conuenientes, claues suo Concilio conflarunt. Clauem enim quandam ipsum Symbolum dixerim, per quod referantur Diaboli tenebræ, vt lux ipsi adueniat, &c. Hæc ille.

Notandum est, quòd glossa ordinaria super Act. Apostolorum, non ponit nisi quatuor Synodos ab Apostolis celebrata. Quarum prima, vt habetur super cap. 21. est habita pro electione alterius Apostoli loco Iudæ. Secunda, super electione septem diaconorum. Tertia, de circumcisione non imponenda illis, qui credebant de Iudæis, vel gentibus. Quarta, de non prohibendis primo tempore Iudæis legalibus ceremonijs initiari, vbi necessitas exigeret.

CAP. III.

De multiplici specie Conciliorum in Ecclesia.

TRes communiter species apud Doctores inuenimus distinctas Conciliorum Ecclesiasticorum; quorum forma, & exemplum præcessit in Concilijs per Apostolos celebratis, videlicet vniuersale, siue Generale, Prouinciale, & Episcopale. Generale autem, siue vniuersale Concilium inuenitur quandoque distingui dupliciter, secundùm quòd ratio vniuersalitatis potest dupliciter accipi; vno modo videlicet ex parte conuocandorum, siue conuenientium ad Concilium, & sic vniuersale Concilium dicitur, quod est plenarium, quod iuxtà beatum August. libro de vnico baptismo dicitur, quod celebratur conuocatis Episcopis de Orbe Christiano, & de tali vniuersali Concilio militat illa definitio, quæ ponitur in gloss. cap. primi dist. 17. vbi dicitur, Concilium vniuersale est, quod à Papa, vel eius legato cùm omnibus Episcopis, idest cùm Episcopis de vniuerso Orbe Christiano congregatis constituitur. Et loquendo hoc modo de vniuersali Concilio, plenitudo illius dicebatur consurgere ex quinque sedibus Patriarchalibus, videlicèt Constantina, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana,

tana, & Romana, quando omnes illas fidei lumen irradiabat; vnde in nona actione octaui Concilij legitur: Patres eiusdem Concilij in receptione Patriarchæ Alexandrini, qui vltimo venit dixisse. Glorificamus Deum vniuersorum, qui quod deerat vniuersali Concilio suppleuit,& nunc eam perfectissimam demonstrauit. Forma verò huiusmodi Concilij vniuersalis præcessisse videtur aliquo modo in Concilio primo ab Apostolis celebrato Act.1. quod beatus Petrus vniuersalis Ecclesiæ Pontifex omnibus Apostolis præsentibus celebrauit. Alio modo ratio vniuersalitatis in Concilio accipitur non ex parte conuocandorum, sed ex parte auctoritatis in eo Præsidentis, quæ tanta est, vt legem ponere, & præcipere possit toti vniuersitati fidelium, & hoc modo Concilium vniuersale dicitur, quod papa totius Ecclesiæ Princeps, & Rector per se, aut legatum suum speciali commissione pro rebus totam Ecclesiam concernentibus, conuocatis Prælatis Ecclesiæ, & si non omnibus, quia hoc semper non benè possibile est, nec etiam necessè, vt infra ostendemus, celebrat, & hoc modo loquendo de vniuersali Concilio, vniuersalia Concilia multa dicuntur, quæ celebrata sunt per Summos Pontifices cùm Episcopis tantùm Italiæ, sicut patet in gestis Conciliorum, de Concilio celebrato per beatum Siluestrum Papam post Nicænam Synodum 270. Patrum. In quo confirmata est fides Nicæni Synodi,& arrius condemnatus. Item patet de Synodo celebrata Romæ per Symmachum Papa, in qua dicitur Symmachus Papa in generali Concilio Præsidens,& sic de multis alijs ad quæ,& si de toto Orbe Christiano Prælati non conuenerint, nec fuerint vocati, sed tantùm de Patriarchatu Romano; nihilominùs vniuersalia veraciter dicuntur propter auctoritatem Rom.Pontif. siue Patriarchæ, qui cùm non tantùm sit Romanus Patriarcha,sed etiam totius Orbis. Vnde in Concilio Calcedonensi beatus Leo Papa vocatus est Oecumenicus, idest Patriarcha, quare in cap. conuenientibus 1. quæst.7. gloss. definiens Synodum vniuersalem dicit sic: vniuersales Synodi dicuntur, in quibus Rom. Pontif. vel eius legatus interest, quocircà talium vniuersalium Conciliorum Canones, siue Synodicæ definitiones, non tantum subditos Romano Patriarchatui ligant, sed vniuersos fideles, qui mediatè alijs Patriarchatibus, & potestatibus subsunt. Forma verò huius Concilij generalis processit in secundo Concilio Apostolorum, quod beatus Petrus,præsentibus solùm tribus alijs Apostolis, scilicèt Paulo, Iacobo, & Barnaba legitur celebrasse. Est autem hìc aduertendum, quòd & si Concilium plenarium tempore, quo Catholicæ fidei lumen partes Orientales illustrabat, diceretur, quod ex quicunque Patriarchalibus Sedibus consurgebat, à tempore, tamen quo fidei splendor occubuit in partibus Orientalibus, Concilium Patriarchatus Romani, in quo Christianæ Religionis claritas sincera semper perseuerat, vniuersale est, non tantùm ex parte auctoritatis Rom. Pontif. quæ ad vniuersam Ecclesiam extenditur, sed etiam ex parte conuocatorum, siue conuenientium: quia ex vniuerso Orbe Christiano congregantur, cum ad solum Patriarchatum Romanum Ecclesia redacta sit, dicente beato Hieronym. super Psalm. cap. 33. Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate; vbi vera fides est, ibi est Ecclesia. Et Chrysost. super Matth. vbi fides est, ibi Ecclesia, ibi Sacerdos, ibi Baptismus, ibi Christianus: vbi Fides non est, ibi Ecclesia non est. Et Ambros. super epistola ad Titum primam cap. 1. Scribo tibi, vt scias quam Ecclesiam ordines, quæ est domus Dei, vt cùm totus Mundus Dei sit Ecclesia, tamen domus eius dicatur, cuius hodie rector est Damasus. [Mundus enim in præuaricatione, est diuerso turbatus errore.] Ideò illic necessè est, dicatur dumus Dei, & veritas; vbi secundùm voluntatem suam timetur. Non est autem prætereundum, pro pleniori notitia huius nominis vniuersalis Concilij, quòd cum vniuersalis Ecclesia Catholica dicatur largo modo loquendo Catholicum, siue vniuersale potest dici Concilium, quod ab eius vnitate non discessit. Quocircà dicit Dominus Aymarus Archiepiscopus: Remensis in libro suo de Synodis, cùm duarum, aut trium Prouinciarum Episcopi conueniunt, & ea statuunt,quæ Catholicæ Ecclesiæ conueniunt, fortassis tale Concilium vniuersale dici potest, quamuis non sit ab vniuersis præsulibus actum: sufficit enim,quòd ab vnitate diuersorum fide, & traditionibus non discrepat; hæc ille. Sed hoc in loco, cum distinguamus species Conciliorum non loquimur ità generaliter de vniuersali Concilo, quia hoc modo omnia Concilia Patriarchalia,& etiam multa prouincialia dicerentur vniuersalia, quæ ab vniuersalis Ecclesiæ traditionibus non discreparunt. Prætereà non obuiat prædictis, quòd aliquando reperiatur Concilium vnius nationis,aut regionis dici vniuersale, sicut in Concilio Aphricano dicitur, quòd ne fatigandis sit anniuersaria congregatione necessitas, placuit, vt quotiens causa communis totius Aphricæ hoc exigeret, tunc vniuersale congregemus. Causæ autem cum communes non fuerint, in suis Prouincijs iudicentur; quoniam tale non dicitur Concilium vniuersale simpliciter vniuersalis Ecclesiæ. Nec quo ad congregatos, cum non de vniuerso Orbe congregentur, nec quo ad auctoritatem,cum non auctoritate speciali Rom. Pontif. per ipsum Papam,aut eius legatum Præsidentem fulciatur, sed vniuersale dicitur secundum quid, scilicet vnius nationis, aut regionis.

Secunda species Conciliorum nominatur Concilium Prouinciale, vt in cap. porrò dist.3. Et hoc subdiuiditur: quia aliquod est Prouinciæ decretæ, siue delegatæ Legato à Latere Papæ, siue alteri ad hoc misso, quod ipse iure legationis, aut specialis commissionis celebrat cum Primatibus, & Metropolitanis, & Episcopis, & Clericis etiam exemptis Prouinciæ, seu Prouinciarum infra suæ legationis terminos contentarum iuxtà ea, quæ leguntur, & notantur de offic. deleg. cap. vlt. & eodem tit. cap. 2. in 6. Aliud dicitur Concilium Prouinciale limitatæ Prouinciæ, scilicet cui præest Patriarcha, vel Legatus maior natu,seu Primas, aut Metropolitanus, qui tale debet celebrare Concilium cùm Episcopis sibi subiectis, Abbatibus, & Clericis suæ Prouinciæ non exemptis, vt in cap. 1. de offic.

offic.deleg. cum notatis ibidem per Hostiens. & Ioann. Andr. Vnde de hoc Prouinciali Concilio loquens gloss. 1. cap. dist.17. dicit, Concilium Prouinciale est, quod Metropolitanus, vel Primas facit cum suis Suffraganeis, vt dist.18. cap.5. & 92. dist. 100. cap. si quis Episcoporum. Sub hac specie Concilij Prouincialis compræhenditur Conciliũ Patriarchale, quod ab alijs Patriarchis celebratur, quàm à Romano Patriarcha; quia cùm Papa non solum sit Patriarcha Vrbis, sed Orbis, Concilium eius cum solis Episcopis Patriarchatus Romani celebratum habet rationem vniuersalis ex parte auctoritatis, vt supra diximus: Forma autem huius Concilij Prouincialis præcessisse videtur in Concilio, quod Paulus in Mileto conuocatis maioribus natu Prouinciæ Ephesinæ dicitur celebrasse, de quo Act. 2. cap.

Tertia species Conciliorum dicitur Concilium Episcopale, siue Synodus Episcopalis, quam celebrat Episcopus in Diœcesi sua cùm Abbatibus, & Clericis sibi subiectis, de quo in cap. quando dist.38. & 18. quæst. 2. Abbates. Forma autem huius Concilij præcessisse videtur in Concilio, quod beatus Iacobus dicitur celebrasse Hierosolymis cum senioribus pro abolenda suspitione orta contra Paulum, de quo Act.20. & supra in præcedenti cap. dictum est: Est autem hìc aduertendum, quòd gloss. in cap. conuenientibus, 1. quæst. 7. omnes Synodos reducens ad duas species dicit, quòd Synodorum aliquę sunt vniuersales, quibus interest Rom. Pontif. vel eius legatus, aliæ sunt locales, quas congregant Primates, vel Metropolitani absque præsentia Papæ, vel eius legatis; vbi nota, quòd gloss. præfata omnia Concilia præter vniuersalia, quæ dicit esse, quæ Rom. Pontif. per se, vel eius legatum celebrat, vocat localia, quod ideò iudicio nostro facit, quia auctoritas illorum Conciliorum localium certis limitibus artatur, vltra quos non extenditur. Non sic autem de vniuersalibus, cum auctoritate illius fulciantur, qui totius Orbis Christiani caput, & Antistes est.

CAP. IV.

De tempore, quo vniuersalia Concilia in Ecclesia celebrari inceperunt.

Consequenter videndum relinquitur de tempore, quo in Ecclesia celebratio Conciliorum ceperit. Pro cuius pleniori notitia memorari necessè est distinctionẽ Conciliorum vniuersalium, quam in superiori cap. designauimus. Diximus autem, quòd Concilium vniuersale, vno modo dicebatur ab vniuersitate Orbis, quod scilicèt Papa cum Episcopis de toto Orbe Christiano celebrat, quod plenarium Concilium vniuersale iuxtà beatum August. appellauimus. Alio modo dictum est Concilium vniuersale ab vniuersitate auctoritatis, quia scilicèt tantę auctoritatis est, vt de vniuersalibus rebus tractet, & omnes fideles ad legum suarum obseruantiam astringat, & hoc est, quod Papa celebrat cum Prælatis alicuius Prouinciæ, aut Prouinciarum, & si non de toto vniuerso Christiano euocentur.

Qua distinctione memorata, dicendum videtur, quòd si fiat sermo de Concilijs vniuersalibus primo modo, scilicet, quæ plenaria dicantur, & quo tempore incæperint: tunc dicendum est, quòd talium Conciliorum celebratio à tempore Constantini Imperaroris incæperit: Nullo quippè tempore per ante, aliquod Concilium legitur celebratum, ad quod omnes Episcopi Orbis conuenerint, aut conuocati sint, licèt aliqua similitudo præcesserit in aliquibus Synodis celebratis per Apostolos; vnde beatus Isidor. lib.6. ethic. cap. 17. Et habetur in cap. Canones dist.15. de hoc loquens, ità dicit: Canones Conciliorum à tempore Constantini Imperatoris cæperunt; in præcedentibus namque annis, persecutione feruente, docendarum plebium minimè dabatur facultas; vnde Christianitas in diuersas hæreses scissa est, quia non erat Episcopis licentia conueniendi in vnum, nisi tempore supradicti Imperatoris. Ipse enim dedit facultatem Christianis liberè congregari. Hæc ille. Si verò fiat sermo de Concilijs vniuersalibus secundo modo dictis: tunc dicendum est, quod non à tempore Constantini Imperatoris incæperunt, sed multo tempore ante celebrari cæperunt, vt partim in 2. cap. supra ostendimus de tempore Apostolorum.

Post tempora etiam Apostolorum ante tempus Constantini Imperatoris plura Concilia celebrata fuisse, antiquæ historiæ nos docent; vnde tempore Victoris Papæ super quæstione illa, qua scilicet die Paschalis solemnitas celebranda foret, vt ex historia Ecclesiastica colligitur lib.5.

Tres Synodos legimus celebratas, vnam in Asia, in qua iussu eiusdem Papæ nimia multitudo Episcoporum congregata est, vt Policrates Ephesi Episcopus per epistolam suam ad Victorem Papam insinuata, ità dicens: Nos intemeratum Paschæ colimus diem, nec addentes, nec auferentes aliquid, & infra. Poteram etiam præsentium Episcoporum facere mentionem, quos ipse voluisti, vt vocarem, sicut, & feci, quorum nomina si scribam, nimia multitudo est, qui omnes scientes paruitatem meam sensu suo confirmant, quæ scripsimus.

Secunda Synodus tempore eiusdem Pontificis, etiam ipso Præsidente celebrata est Romæ super eadem materia, de qua Synodo scriptum est illud, cap. decreti celebritatem, de consecrat. dist.3.

Tertia Synodus celebrata dicitur in Cæsarea Palestinæ, vt in eodem lib. Ecclesiasticæ historiæ habetur, cui frater Martinus in historia sua Summorum Pontificum dicit, eumdem Papam Victorem interfuisse. Cæterum tempore Cornelij Papæ, qui præcessit tempora præfati Constantini Imperatoris, leguntur duo Concilia celebrata contra Nouatum Presbyterum, qui negabat lapsos per pœnitentiam posse salutem consequi, quorum vnũ celebratum est Romæ, quod dicitur fuisse celeberrimum, vt refert Cæsarien. lib.6. Ecclesiasticæ historiæ, in quo præfatus Nouatus damnatus est, & definitum est inter alia eos, qui lapsi fuerunt, per pœnitentiæ Sacramentum posse consequi medelam salutarem.

Secun-

Secundum Concilium super eadem materia celebratum est auctoritate eiusdem Papę Cornelij, de quo florentissimæ memoriæ Dionysius Alexandrinus commemorat in epistola ad præfatum Papam Cornelium, vt idem Eusebius refert lib. suprascripto, vt dicat se ad illud inuitatum à multis Episcopis, eo quòd ibi Nouati dogma quidā asserere conarentur.

Prætereà tempore Dionysij Papæ duo leguntur celebrata præclara Concilia contra Paulum Samosetanum asserentem Christum tantum hominem esse.

Primum celebratum est Antiochiæ, in in quo Apostolicæ Sedis Legatus fuit Episcopus Ostien. vt ex 6. lib. Ecclesiasticæ Historiæ habetur.

Secundum etiam celebratum est Antiochiæ, in quo præfatus Paulus arguitur, manifestèque conuincitur. Item tempore Marcellini Papæ, qui iussu Diocletiani, & Maximiani Imperatorum compulsus Deorum templum ingressus, metuque pœnarum, Idolis thura obtulit. Congregata est Romæ solemnis Synodus, de qua in cap. nunc autem, distinct. 21. Ista sufficiant ad ostendendum, quæ Concilia generalia, & quæ non à tempore Constantini Imperatoris incæpisse dicantur

CAP. V.

Quid per definitionem dicatur vniuersale Concilium Caoholicæ Ecclesiæ.

QVoniam tantùm de Concilijs vniuersalibus instituimus loqui, relictis alijs Conciliorum speciebus, quid per definitionem sit Concilium vniuersale Catholicæ Ecclesiæ explicemus, iuxta autem ea, quæ in 1. cap. superiùs dicta sunt, talis potest magistralis descriptio Concilij vniuersalis Catholicæ Ecclesiæ dari.

Concilium vniuersale Catholicæ Ecclesiæ est congregatio maior Prælatorum Ecclesiæ auctoritate Romano Pontifici speciali conuocata, ad aliquid communi intentione solemniter tractandum in religione Christiana, Papa ipso in Concilio præsidente, vel aliquo loco sui. Ista definitio, siue descriptio videtur conueniens, ac sufficiens, cum contineat ea, quæ ad integritatem essentialiter faciunt vniuersalis Ecclesiastici Concilij, & ea, per quæ congregatio vniuersalis Concilij distinguitur à quacumque alia congregatione.

Tangitur autem in primis materia, ex qua principaliter corpus vniuersalis Concilij consurgit, & constituitur, cum dicitur Congregatio Prælatorum, cuiusmodi sunt Episcopi, & alij superiùs ascendendo, quoniam vt infra pleniùs ostensuri sumus, soli tales Prælati pro eorum singularitate dignitatis, & auctoritatis in Ecclesia pertinent ad corpus vniuersalis Concilij. Cuius rei illustre satis testimonium est, quòd cum de vniuersalibus Concilijs fiat mentio in corpore decreti, vt distinct. 15. per totum, tantum Episcoporum Concilia esse dicuntur. Ex quo satis apertè colligitur, quòd minus conuenienter definitum sit Concilium vniuersale, cum dicitur, quod sit congregatio ex omni statu Hierarchico Ecclesiæ Catholicæ, &c. quoniam non requiritur ad esse Concilij vniuersalis hoc, quòd de omni statu Hierarchico Prælati vocentur, sed sufficit, quòd maiores Prælati vocentur, sicut infra pleniùs demonstrabimus. Ex hac etiam parte colligitur non sufficienter definiri Concilium vniuersale, cum à quibusdam magistris definitur, quòd Concilium sit societas fidelium in vnum propositum, & propter vnam communem intentionem congregatorum; patet, quoniam hæc definitio ità conuenit congregationi laicorum fidelium, sicut, & Prælatorum, vt quilibet doctus videre potest.

Secundò, tangitur causa efficiens auctorizans Concilium, cum dicitur auctoritate Papæ speciali conuocata. Ità quòd apud Apostolicam Sedem regulariter singulariter residet auctoritas conuocandorum Conciliorum vniuersalium, vt nulla Prælatorum congregatio, quæ non fuerit Apostolicæ Sedis auctoritate conuocata, siue fulta, nomen Concilij vniuersalis mereatur habere; vnde beatus Marcellus Papa, & martyr scribens Maxentio Episcopo, vt habetur in cap. 1. dist. 17. dicit. Synodum Episcoporum absque huius Sedis auctoritate quamquam quosdam Episcopos possitis congregare, non potestis regulariter facere, vbi gloss. inquit, arg. quòd talis Congregatio Episcoporum non dicitur Synodus. Dicitur autem speciali auctoritate ad differentiam aliorum Conciliorum Patriarchalium, siue Prouincialium, quæ de licentia Generali, & dispositione iuris, sine alia licentia Papæ celebrantur certis temporibus designatis, distinct. 18. quasi per totum.

Tertiò, tangitur quasi causa formalis Concilij vniuersalis, cum dicitur communi intentione, sicut supra tetigimus, cap. 1. Et beatus Isidor. inquit in cap. Canones dist. 15. qui sibi dissentiunt, non agunt Concilium.

Quartò, tangitur in prædicta definitione causa finalis vniuersalis Concilij, cum dicitur ad aliquid tractandum in Religione Christiana, quod scilicet sit vtile, & salutare toti vniuersali Ecclesiæ vt puta, quod ad fidei illuminationem, ad componendos mores, ad augmentum Religionis Christianæ, ad decorem, & incrementum Diuini cultus, & pacem Populi Christiani pertineat.

Quintò, tangitur ritus Ceremonialis, qui obseruatur in definitionibus, & Constitutionibus Synodalibus, cum dicitur solemniter, per quod distinguitur congregatio Concilij vniuersalis à Congregatione Consistoriali, siue aliorum Prælatorum Congregationibus, quas quandòque Romanus Pontifex facit in curia arduis rebus concurrentibus sine solemnitate, & ceremonijs in Synodis generaliter consuetis obseruari.

Sextò, tangitur director, atque gubernator Concilij cum subditur Papa in Concilio, &c. Necessè quidem est, vt multitudo congregata ad aliquid agendum habeat aliquem directorem, & ducem, & per hanc particulam distinguitur vniuersale Concilium à Congregationibus acephalis, quæ sine Præsidente, aut Capite aliquo legitimo congregantur. Distinguitur etiam per hoc à Congre-

gregationibus Prælatorum, in quibus præsident., aut Patriarchæ, aut Primates, aut Metropolitani, siue Episcopi, qui non specialiter destinati sunt ad præsidendum loco Papæ, sed præsident iure legationis, vel propriæ dignitatis, vt notatur dist.17. in summa.

CAP. VI.

Cuius auctoritate Concilium vniuersale congregandum sit.

SI quis attentè Diuinam Scripturam,& sanctorum Patrum Canones, ac instituta perlegerit, manifestè intelliget ad solius Rom. Pontificis auctoritatem spectare regulariter vniuersalem Synodum congregare.

Sacra autem Scriptura in primis, hoc nos docet, 1.Machabæorum 4. vbi inter alia, quæ Simoni Sacerdoti Magno totius populi, & omnium Sacerdotum consensu attributa sunt, hoc est tamquam singulare Summi Pontificis priuilegium, vt conuentus sine ipso non fieret in regione. Cum autem iuxta Apostolum Sacerdotium veteris Legis figura sit noui Testamenti, & Summus Sacerdos noui Testamenti excellentioris sit dignitatis. Credendum est, quod simile priuilegium Diuina institutione habeat ipse Summus Sacerdos in noua Lege, scilicet Romanus Pontifex, vt scilicet absque eius auctoritate conuentus non fiat vniuersalis in Ecclesia.

Secundò, idem ostenditur ex Canonibus sacrorum Conciliorum. Vnde Synodus Alexandrina, in qua fuit Athanasius, scribens Papæ Felici de huiusmodi priuilegio Apostolicæ Sedis celebre testimonium faciens, ità inquit. Scimus in Nicæna magna Synodo circa 318. Episcoporum ab omnibus esse concorditer roboratum non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari, nec Episcopos condemnari.

Tertiò, hoc patet auctoritate multorum sanctorum Patrum, quæ Gratianus inducit dist. 17. per totum; quorum sanctorum Patrum testimonia venerabilis memoriæ dominus Aymarus Archiepiscopus Rhemensis in libro suo de Synodis cap. 18. aliqua commemorans, ità inquit. Ne mireris, quòd ipsorum Conciliorum auctoritatem Romano Pontifici ascribamus; nam nulla Concilia rata leguntur, quæ Apostolica auctoritate fulta non fuerint, vt Damasus Papa in decretis suis cap. 9. asserit, cui Athanasius, & Iulius Papa, Nicænum quoq; Concilium, & reliqui quoque Patres astipulantur. Sanctus quoque Marcellus Papa, & martyr in decretis suis cap.5. Ipsi, inquit, Apostoli, & eorum successores Domino inspirante constituerunt, vt nulla fieret Synodus præter Romanæ Sedis auctoritatem. Nam illius Sedis Episcopus Iudex est totius Ecclesiæ, nec aliquod iudicium valet absque legitimo iudice; vbi nota, quòd Domino inspirante Apostoli illud constituerunt.

Quartò, idem testatur Pelagius Papa scribens omnibus Episcopis, qui illicita vocatione Ioannes Constantinopolitani Episcopum vniuersalem vocauerunt, qui ità inquit. Relatum est ad Apostolicam Sedem Ioannem Constantinopolitanum Episcopum vniuersalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum conuocare generalem, cum generalium Synodorum conuocandi auctoritas Apostolicæ beati Petri Apostoli Sedi singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta, quapropter quicquid in prædicto vestro conuenticulo, quia Synodus totaliter præsumpta esse non potest. Statuistis ex auctoritate sancti Petri Apostolorum Principis, & Domini Saluatoris voce, qua beato Petro potestatem ligandi, atque soluendi ipse Saluator dedit, quæ etiam potestas in successoribus eius indubitanter transiuit; præcipio omnia, quæ ibi statuistis vana, & cassa esse, &c.

Cæterum quòd ad Romani Pontificis maximè auctoritatem pertineat congregatio vniuersalis Concilij. Rationibus clarissimè ostendimus sic. Illi soli videtur competere omnia agere, & disponere, quæ vniuersam Ecclesiam respiciunt, sicut est congregatio, & conuocatio vniuersalis Concilij, in qua de vniuersali cura Ecclesiæ tractatur. Sed soli Pontifici Romano est commissa huiusmodi cura vniuersalis Ecclesiæ, vtpotè Principi, & Pastori totius Populi Christiani patri; ergo sequitur, quòd ad illius solius auctoritatem regulariter spectat vniuersalis Concilij conuocatio, siue congregatio. Hac ratione vtitur ad idem probandum Felix Papa in epistola, quam Synodo Alexandrino scribit, ità dicens: Solummodò Iesus Christus huic sanctæ Sedi Apostolicæ hoc facere commisit, vtpotè, qui solus, atque præ omnibus Princeps Apostolorum creditus est, atque percipere meruit à Rege Regum Christo Deo claues Regni Cœlorum. Hæc ille.

Secundò, confirmatur ista ratio sic, vt ait Arist. 1. ethyc. secundùm ordinem finium est ordo actuum, & agentium, respectu ergo finis vltimi totius populi Christiani consideratio pertinet ad eum, qui toti Reipublicæ Christianæ præsidet: sed solus post Christum Romanus Pontifex præsidet vniuersali Ecclesiæ, vtputa Princeps, Pastor, & Rector illius; ergo illius solius erit regulariter vniuersalia Concilia congregare, cum illorum congregatio maximè concernat bonum vniuersitatis Christianorum, hac ratione vtitur ad hoc idem probandum beatus Tho. in 2. 2. quæst.1. cap. vlt.

Tertiò arguitur sic, ad illius solius auctoritatem videtur pertinere congregare vniuersalia Concilia, cui omnes de tota Ecclesia obedire tenentur, patet, quia alias conuocatio redderetur illusoria, nisi conuocanti deberetur obedientia, sed soli Romano Pontifici omnes de Ecclesia tota ad vniuersalia Concilia conuocanti obedire tenentur, vtpotè superiori, & inter omnes primatum habenti, vt in cap. obedientiam dist.93. ergo &c. hac ratione vtitur Iulius Papa ad idem probandum in epistola Orientalibus directa, in qua, vt habetur in cap.dudum 3. quæst. 6. sic ait: dudum à sanctis Apostolis, successoribusque eorum in antiquis decretum est statutis, quæ hactenùs sancta, & vniuersalis Ecclesia tenet Apostolica, non oportere, idest, non con-

conuenire sine sententia Romani Pontificis, Concilia celebrari, vel Episcopum condemnari, quoniam sanctam Romanam Ecclesiam primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt, & sicut beatus Petrus primus fuit omnium Apostolorum, ità, & hæc Ecclesia suo nomini consecrata Domino instituente prima sit, & caput cæterarum.

Quartò sic. Illi soli videtur conuenire auctoritatiuè congregare vniuersalia Concilia in Ecclesia Dei, qui in omnes Prælatos euocandos ad Concilia potestatem habet coercendi eos ad veniendum, & puniendum negligentes, aut contemnentes venire 18. dist. per totum; sed solus Romanus Pontifex est huiusmodi, cũ ipse loco Christi Iudex sit ordinarius super omnes Ecclesiæ Prælatos iurisdictionem habens, vt testatur beatus Gregor. in cap. de Constantina dist. 22. & in cap. si Episcoporum cap. 21. quæst. vlt. ergo &c.

Quintò sic. Ad solius Principis auctoritatem pertinere videtur, omnes alios primates, aut maiores sui principatus, ad generalia Concilia conuocare, hoc nos docet experientia; patet etiam ex primo Machab. cap. 30. in principio, quod suprà in primo cap. inductum est: sed Romani Pontificis est Princeps Episcoporum, qui principaliter aduocandi sunt; ergo solius Romanus Pontifex, auctoritate illi conuocandi sunt, & Synodaliter congregandi, consequentia est manifesta.

Sextò sic. Ad eum, qui maioris dignitatis est in Ecclesia particulari, pertinet particularis capituli conuocatio, vt notat Innoc. de maioratu, & obed. cap. 1. & ad eum, qui maioris est dignitatis in Prouincia, pertinet prouincialis Concilij conuocatio, vtputà ad Metropolitanum, vt colligitur ex cap. propter Ecclesiasticas, & cap. si Episcopus, & cap. si quis Episcoporum dist. 18. ergo pariformiter ad eum, qui maioris dignitatis est, in Ecclesia vniuersali, pertinet iure singulari vniuersalis Concilij conuocatio, sed talis est solus Romanus Pontifex, ergo &c.

Septimò hoc idem ostenditur manifestè ex eo, quòd si non soli Romano Pontifici esset reseruatum conuocare vniuersale Concilium, sed quilibet in Ecclesia ex maioribus posset congregare Concilium, facillimè schisma oriri posset in Ecclesia Dei; ergo pro seruanda Ecclesiæ vnitate, credendum est, ità diuinitùs ordinatum esse, vt vni, qui totius Ecclesiæ Caput, & Rector est, conuocandorum Conciliorum auctoritas singulariter reseruaretur. Et hæc ratio videtur assignari à beato Hieronym. ad Euandrum presbyterum, & habetur in cap. legimus dist. 93. & ideò in schismatis remedium factum est à diuina sapientia, vt vnus electus sit, qui cæteris præponitur, ne vnusquisque ad se trahens, Ecclesia Christi rumperetur in frusta. Ex quibus clarissimè colligitur, quòd congregatio, quæ auctoritate Papæ conuocata, aut fulta non fuerit, vno, & indubitato Papa in Petri Cathedra existente, nec nominari vniuersale Concilium posse, nec auctoritatem aliquam habere; vndè Papa Pelagius in cap. multis dist. 17. scribens Episcopis, qui conuenerant ad illicitam vocationem Ioann. Constantinopolitani, ità inquit, multis denuò Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis instituris instruimur regulis, non debere absque Romani Pontificis sententia Concilium celebrari. Quapropter, vt iam dictum, est rectè non Concilium, sed vestrum conuenticulũ, vel conciliabulũ cassatur, & quicquid in eo actum est, irritum habeatur, & vacuum. Hæc ille.

CAP. VII.

In quo ponuntur aliquæ obiectiones contra prædicta in præcedenti cap. de auctoritate conuocandorum vniuersalium Conciliorum.

Arguunt quidam aduersariorum, & obijciunt plurima circa ea, quæ de auctoritate Romani Pontificis in congregandis vniuersalibus Concilijs dicta sunt.

Primò sic ex illo Act. 6. vbi dicitur: Conuocantes autem 12. multitudinem Discipulorum dixerunt; Non est equum &c. vbi manifestè inquiunt probari, quòd auctoritas conuocandi Concilium non erat solius Petri, sed totius Collegij Apostolici, & per consequens patet, quod non solius Romani Pontificis sit congregare Concilium vniuersale.

Secundò sic, multa vniuersalia Concilia in Dei Ecclesia, vtpotè Nicænum, Constantinum, Ephesinum, Chalcedonense, leguntur Imperatores congregasse, sicut patet in cap. canones dist. 15. & in cap. sexta dist. 16. sed de hoc non reprehenduntur Imperatores, tamquam vsurpatores auctoritatis alienæ, sed potius leguntur commendari, quia illud fidei, aut Christianæ Religionis zelo succensi, egisse creduntur; ergo non videtur, quòd solius Romani Pontificis auctoritate vniuersalia Concilia congregentur.

Tertiò sic, casu occurrente, in quo Ecclesiæ imminenti periculo obuiare non posset, nisi mediante vniuersali Concilio, & Papa nollet id in veritate conuocare, nulli dubium esse debet, quin alius à Papa Concilium vocare posset, aliàs in manu vnius hominis esset fidem Christianam, & statum vniuersalis Ecclesiæ subuertere, quod minimè est dicendum, ergo &c.

Quartò sic, in casu, quo Papa de hæresi vehementer infamatus, & suspectus esset, alteri, quàm Papæ videtur competere conuocare vniuersale Concilium, quia non videtur conueniens, quòd Papa in proprio facto tribueret auctoritatem, ergo &c.

Quintò sic, in casu, quo Papa efficeretur reticus, non dubium, quin ad alium spectaret conuocatio Concilij vniuersalis, sicut patet tempore Marcellini Papæ, de quo fama decurrente per Ecclesiam, quòd thurificasset idolis, illicò congregati sunt Episcopi ad videndum de hoc, vt habetur in cap. nunc autem dist. 21. ergo idem quod prius.

Sextò sic, in casu, quo duo contenderent de Papatu. iuxta cap. si duo dist. 79. necessaria videtur congregatio Concilij vniuersalis, vt sit Iudex, quis eorum sit verus Papa, & tamen non videtur ad contendentes spectare con-

congregatio Concilij vniuersalis; ergo ad alios, & ideò id, quod priùs.

Septimò sic, dato, quòd Papa esset mortuus naturaliter, aut ciuiliter, aut renunciasset, & Cardinales nolentes procedere ad electionem, non prouiderent Ecclesiæ, videtur, quòd Concilium vniuersale deberet conuocari, vt huic Ecclesiæ necessariò prouideretur, & tamen non auctoritate Papæ congregaretur, cum Papa non esset; ergo idem, quòd priùs.

Octauò sic: possibile est, quòd Papa incurreret amentiam, ità vt amens factus, inhabilis redderetur ad regendum vniuersalem Ecclesiam, sed in tali casu videtur vniuersale Concilium congregandum ad consulendum vniuersali Ecclesiæ, & non per Papam, patet ex casu: ergo idem, quod prius.

Nono sic, possibile est, vt post mortem Papæ simul cum eo omnes Cardinales morirentur, possent enim simul occidi, & tamen ad prouidendum Ecclesiæ necessarium videtur, vt fieret vniuersale Concilium, & non posset per Papam, nec Cardinales, vt patet ex casu; ergo auctoritate alterius, & ità idem quod prius.

Decimò sic, contingit quandòque super diuersis agitari causas contrà Papam, sed videtur, quòd tunc eius auctoritate non esset congregandum Concilium, sed ab alio; ne in causa propria &c. ergo idem, quod prius.

CAP. VIII.

In quo respondetur ad obiectiones iam factas.

PRæfatis obiectionibus perfacilè est respondere, si sanctorum dicta rectè accipiantur; Patrum enim sanctorum dicta attribuentia Romano Pontifici auctoritatem congregandi vniuersale Concilium accipienda veniunt, cum vnus, & indubitatus Romanus Pontifex residet in Apostolica Sede, & de congregatione non locali ad certum locum tantùm, sed de congregatione auctorizatiua ad disponendum, & ordinandum aliquid in vniuersali Ecclesia ab omnibus fidelibus obseruandum, quod iuxta sanctorum patrum sententias, vt prædiximus in præcedenti cap., ad eum, qui præsidet Reipublicæ Christianæ, & cui creditum est regimen, & gubernatio illius, cuiusmodi est Romanus Pontifex, singulariter spectare videtur. Ait enim Pelagius Papa in epistola, quam scripsit vniuersis Episcopis Synodorum congregandarum, auctoritas Apostolicæ Sedi priuata commissa est potestate. Nec vllam Synodum generalem ratam esse legimus, quæ eius non fuerit auctoritate congregata, vel fulta, hoc attestantur Canones, hoc historia ecclesiastica roborat, hoc sancti Patres confirmant. Hæc ille. Dicendum ergo est ad rationes in oppositum.

Ad primam respondetur, negando consequentiam; quoniam ad hoc, quòd alij Apostoli cum Petro dicuntur turbam Discipulorum ad Synodum conuocasse, sicut nunc faceret Papa cum Cardinalibus, non sequitur, quòd Petri auctoritate principaliter facta non fuit illa conuocatio, licèt non exprimatur exprefsè, maior planè fuit reuerentia Apostolorum ad beatum Petrum, vtpotè ad Caput, & Principem eorum, quod Scriptura illa commemorat. Maximè cum beatus Cyrillus in lib. thesaurorum dicat, quòd Apostoli in Euangelijs, & Epistolis affirmarunt in omni Doctrina Petrum esse loco Domini in eius Ecclesia, eidem dantes locum in omni Capitulo, & Congregatione, in omni electione, & confirmatione.

Ad secundam rationem respondetur, quòd Imperatores illi non congregarunt vniuersalia Concilia, nisi priùs habitis consensu, & auctoritate Romanorum Pontificum: vndè Archid. in Rosario in cap. mandastis 2. quæst. 5. vbi dicit text. Valentinianus Augustus nostra auctoritate Synodum congregari iussit super verbo: nostra auctoritate, dicit sic, vbicumque inuenies Imperatorem Concilium congregasse, intellige secundum istud; vndè Imperatores magis fuerunt executores voluntatis, & auctoritatis Romani Pontificis in Congregatione Conciliorum, quàm ex eorum auctoritate congregatores; vndè in cap. sexta Synodus dist. 16. dicitur sic. Synodus vniuersalis Constantinopoli celebrata est, & Græco Sermone conscripta temporibus Papæ Agathonis, exequente pijssimo Principe Constantino, Ecclesia enim illis temporibus non erat ità potens, vt de facto posset compellere nolentes venire, & securum accessum dare de longinquis partibus vocatis, & congregandis, & ideò Apostolica Sedes per Principes faciebat sæpè, quod per seipsam facere commodè non poterat, posteà verò cum disponente Domino potuit per se, non per Principes, sed per ipsam fecit, & facit. Nec obstat, quod in cap. Hadrianus dist. 54. dicitur, quòd Carolus Rex Francorum constituit Synodum cùm Hadriano Papa, quia non est intelligendum, quòd Rex Carolus concurrerit auctoritatiuè cùm Papa ad constitutionem Synodi, cùm ad hoc nullam haberet auctoritatem, sed benè concurrit deliberatiuè, vt sit sensus, quòd Rex, & Papa simul deliberarunt, vt Synodus congregaretur, sed tamen solius Hadriani Papæ auctoritate constituenda, & celebranda; vndè Archidiac. in Rosario super hunc locum, super verbo constituit, dicit sic. Constituit de auctoritate Papæ art. 2. quæst. 5. mandastis, & dist. 17. cap. hinc; vndè meliùs dixisset è conuerso, scilicèt, Hadrianus constituit cùm Carolo. Hæc ille.

Cæterum etiam notandum, quòd & si aliquando Imperatorum iussu legatur conuenisse Episcopos, non tamen talium Episcoporum conuentus Concilia vniuersalia veniunt dicenda, nisi fulta essent auctoritate Romani Pontificis, apertè colligitur ex cap. benè quidem dist. 96. & ex cap. multis dist. 17. Et ideò optimè dicit Pelagius Papa in auctoritate suprà posita, quòd nullam Synodum generalem ratam legimus, quæ non fuerit Apostolica auctoritate congregata, vel fulta. Nota alternatiuam, vndè Episcopi, qui conuenerant Romæ ad præceptum Regis Theodorici tempore Symmachi Papæ, videntes quòd congregatio illa ad præceptum Regis facta non poterat dici Synodus, nisi auctori-

tate Romani Pontificis fulciretur, dixerunt oportere ipsum Symmachum Papam Synodum conuocare, quæ conuocatio, siue congregatio non potest intelligi, nisi auctoritatis suæ interpositio, cùm iam localiter essent, vbi debebant congregari, aliud enim est præcipere, vt congregentur prælati ad aliquem locum, quod quandoque leguntur fecisse Imperatores, & frequenter faciunt Reges in suis regnis, & aliud est congregare Concilium vniuersale, hoc enim non solum dicit congregationem prælatorum ad certum locum, sed auctorizationem quamdam, siue influxum auctoritatis ad definiendum, disponendum, & ordinandum ea, quæ sunt Ecclesiæ commoda, & necessaria eis dare, quam auctoritatem Imperatores dare non possunt, quibus cùm sint laici, de disponendis ecclesiasticis rebus non est data facultas, vt in dicto cap. benè quid, dist. 96.

Ad tertiam rationem plura dicenda veniunt. Primò, quòd casus ille non videtur admissibilis, non enim videtur possibile, quòd possint pericula talia in Ecclesia contingere, quibus prouideri non posset, nisi per Concilium generale, siue vniuersale. Quod patet ex duobus.

Primò, quia vt aduersarij arguunt, sequeretur, quòd in potestate vnius hominis, putà vnius principis potentis impedire ne celebraretur Concilium vniuersale, esset Christianam fidem, & vniuersalis Ecclesiæ Statum subuertere. Tum secundò, quia cùm propter bellorum diffidia impediri posset celebratio vniuersalis Concilij, sicut Isidor. dicit, factum esse ante tempora Constantini, vt in cap. canones, dist. 15. habetur, tunc possibile esset fidem, & Ecclesiæ Statum periclitari, quod maximè falsum est, cùm sit contra illam Christi pollicitationem dicentis. Ego autem vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, Matth. vlt. vnde dicitur, quòd nullus casus posset contingere in Ecclesia, cui per Romanæ Ecclesiæ diligentiam prouideri non posset, in cuius manifestissimum testimonium sancti Patres docuerunt ad Apostolicam Sedem in maioribus causis recurrendum esse, vt in cap. rogamus, 24. qu. 1. Et etiam cùm ratio fidei ventilanda venit, vt in cap. quotiens ead. caus. & qu. vnde beatus Thomas in qu. de potentia, qu. 10. art. 4. dicit, quòd ad explanationem fidei faciendam non est necessarium, quòd Papa vniuersale Concilium congreget, cùm quandoque id prohibeant bellorum diffidia.

Secundò respondetur, quòd difficile valde esset pijs mentibus ad credendum, quòd aliquis verus Romanus Pontifex certificatus periclitari fidem, & vniuersalis Ecclesiæ Statum, nisi Concilium generale celebraretur, nollet Concilium vniuersale congregare, cùm de Romano Pontifice semper benè præsumendum sit, vt in cap. non nos 40. dist. & Papa dicat in cap. officij nostri, 24. qu. 1. sibi maiorem cunctis Christianæ Religionis zelum incumbere.

Tertiò dicitur, quòd dato, quòd talis casus immineret Ecclesiæ vniuersali, tunc si Papa requisitus per Dominos Cardinales, & per alios Catholicos, maximè Ecclesiæ Prælatos, & Principes, nollet congregare vniuersale Concilium, nec dare auctoritatem congregandi, talis habendus esset suspectus de hæresi, & per consequens dubius in papatu, iam ad alios pertineret vniuersale Concilium congregare, sicut in responsione ad quartam rationem dicturi sumus, quòd verò Papa in prædicto casu suspectus in fide redderetur, probatur apertè ex cap. error 83. dist. vbi dicit Innoc. Error, cui non resistitur, approbatur, & veritas, cùm minimè defensatur, opprimitur, negligere quippè, cùm possis perturbare peruersos, nihil aliud est, quàm fouere, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. In hoc ergo casu quando Papa nollet Concilium congregare, ad Cardinales spectaret conuocatio Concilij vniuersalis ad faciendum ea, quæ in tali casu necessariò essent facienda.

Ad quartam respondetur, quòd ratio non videtur facere ad propositum; quoniam, vt diximus, nos loquimur de congregatione vniuersalis Concilij super facto Papæ, sed super definitione, & constitutione canonum, & legum ad regimen vniuersalis Ecclesiæ, & directionem, & reformationem omnium fidelium, quorum Princeps, Pastor, & Director, ac Magister est Romanus Pontifex, vnde ad eius tantùm auctoritatem spectat, sicut ad Principem Ecclesiæ congregare vniuersale Concilium. Ad huiusmodi nihilominùs respondemus, quòd in casu, in quo Papa diffamatus esset vehementer, & maximè apud graues, & doctos viros de heres. quæ infamia sine scandalo Ecclesiæ, vel periculo fidei dissimilari, aut tolerari non posset. Talis videtur nostro iudicio practica seruanda, vt primò per Cardinales requireretur, aut per aliquos alios fideles, illis negligentibus, vt aboleret à se prædictam infamiam, publicè Catholicam Fidem confitendo, maximè circa articulum, siue articulos, de quo, vel de quibus diffamabatur, & huiusmodi confessionem per Bullas denunciaret illis, apud quos eius infamia decurrit. Istam practicam pro parte principaliori legimus obseruatam circa Apostolum Paulum Act. 20. qui cùm diffamatus esset apud credentes ex Iudæis, quòd prædicaret, legem Moysi non esse seruandam, consilio beati Iacobi, & seniorum, qui Hierosolymis congregati erant cum eo, ingressus templum, & purificatus more Iudæorum, aboleuit infamiam suam, sicut supra commemoratum est cap. 2. Si verò contingeret, quòd Papa requisitus, nollet hoc facere, tunc requirendus esset, vt congregaret Concilium vniuersale, aut auctoritatem daret illud congregandi. Si hoc faceret tunc Concilium congregatum inquireret de veritate. Si verò nec congregare, nec congregandi auctoritatem dare vellet; tunc iudicio nostro Domini Cardinales, qui præstantiora membra Ecclesiæ Romanæ sunt, quibus potissimè incumbit necessitatibus Ecclesiæ vniuersalis prouidere, & imminentibus periculis obuiare, deberent conuocare, & congregare Prælatos Ecclesiæ ad inquirendum de veritate infamiæ, an scilicet Papa veraciter esset hæreticus, an non?

Vbi verò Cardinales hoc nollent facere, Imperator, aut Principes Christiani possent hoc facere, vel etiam ipsimet Prælati Ecclesiæ intelligentes talem vehementem suspicionem

nem de Papa, possent seipsos congregare, sicut factum est tempore Marcellini Papæ, vt habetur in cap. nunc autem, dist. 21. Congregatis autem Prælatis, & alijs, qui vocati essent in aliquo loco, requirendus esset Papa, vt auctoritate sua auctorizaret illam congregationem, sicut factum legitur in præcedenti casu Symmachi Papæ, de quo in cap. hinc etiam, dist. 17. Si verò Papa vellet auctorizare congregationem, sicut fecit Symmachus Papa benè. Si verò nollet, tunc congregatio Prælatorum illa deberet procedere ad inquisitionem veritatis, etiam Papa nolente. Et si quæras, qua auctoritate. Respondetur, quòd tam auctoritate iuris diuini, quàm humani, diuini quidem, quod habetur Ioan. 12. vbi dicitur. [Qui spernit me, & non accipit verba mea: habet, qui iudicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.] Vide S. Thomas super epistolam ad Galatas super illud Apostoli in 1. cap. [Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit,] quærit, cùm par in parem non habeat imperium, & multò magis non habeat in superiorem, videtur, quòd Apostolus non potuerit excommunicare Apostolos, qui erant sibi pares, & Angelos, qui sunt superiores, & respondendo dicit ad hoc, sic dicendum, quòd Apostolus protulit hanc sententiam non propria auctoritate, sed auctoritate Euangelicæ doctrinæ, cuius doctrinæ auctoritas habet, vt quicumque contra illam dicunt, excludendi, & repellendi sunt, ad hoc inducit auctoritatem illam Ioan. 12. supra positam.

Secundò, auctoritate iuris humani, siue canonici, cap. si Papa, quod est sancti Bonifacij Papæ, & martyris dist. 40. quia cùm huius criminis, scilicet hæresis in Papa, competens Iudex videatur esse Concilium vniuersale dumtaxàt, vt colligitur dist. 17. cap. hinc, ipso facto, quòd Papa non vult dare auctoritatem congregationi; ipsum ius intelligitur dare sibi auctoritatem, aliàs frustratoria esset prouisio iuris, quod in casu hæresis disposuit, quòd Concilium vniuersale possit iudicare Papam hæreticum, si per negationem Papæ pertinaciter in hæresi sua persistente auferreretur. Nam frustrà essent iura, nisi eis assignaretur minister, vt dicit text. de elect. vbi periculum lib. 6. Auferetur autem proculdubiò iuris dispositio, si in casu illo Concilium procedere non posset. Inquisitione autem debitè facta, & inuento, quòd Papa veraciter in hæresim lapsus fuerit, tunc Concilium deberet illum informare de veritate, ostendendo per sacram Scripturam, aut per vniuersalis Ecclesiæ determinationem errorem esse, quod teneret, & requirere illum charitatiua admonitione, vt dictum errorem abiuraret, siue reuocaret, fidei veritatem publicè confitendo. Et fortassis expediret ad maiorem cautelam assignare sibi terminum, infrà quem reuocaturus esset præfatum errorem, quod si infrà terminum sibi assignatum fecerit, nihil potest Concilium vlteriùs contra ipsum, vt expresè notauit Hugo in cap. nunc autem dist. 21. & in cap. si Papa dist. 40. super verbo, à fide deuius. Sed ipsemet Papa in foro conscientientiæ, quantùm culpabilem se fuisse cognosceret, per Confessorem suum animæ suæ prouideri faciat de pœnitentia salutari arg. dist. 21. nunc autem. Si verò hoc agere Papa noluerit, tunc procedendum est contra eum, vt in sequenti responsione dicetur.

Ad quintam rationem respondetur sub tali distinctione, aut est notorium, Papam esse hæreticum, vt putà quòd inciderit in hæresim damnatam, illam publicè asserendo, & prædicando, aut non est notorium. Si notorium, vt diximus, tunc videtur iudicio nostro talis practica obseruanda; debent enim Domini Cardinales, aut etiam alij Catholici illum monere, vt abneget prædictum errorem, in quem lapsus est, fidem Catholicam inuiolatam, integramque profitendo; sicut tenetur facere quilibet bonus fidelis, ostendendo illi per sacram Scripturam, aut vniuersalis Ecclesiæ determinationem, quod id, quod tenet, sit erroneum, & à fide Catholica alienum, & si paratus sit corrigi; & abnegatis erroribus fidem Christi tenere, & confiteri: tunc, vt in responsione præcedentis rationis diximus, vniuersale Concilium non habet in eum aliquam auctoritatem. Si verò nollet reuocare errorem, sed pertinax, & incorrigibilis in eo persisteret.

Tunc primò, Cardinales ab eo recedere debent, iuxtà illud Ioan. in canone 2. cap. 1. de Christi fide loquentis. Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam, scilicet Christi, non habet, nolite eum recipere in domum, nec ei aue dixeritis, vbi glos. ordin. dicit, nolite, &c. idest, non tantùm assentiatis, nec ad horam recipiatis, hoc etiam colligitur ex cap. Anastasius dist. 19.

Secundò, ipsi Cardinales debent denunciare Prælatis Ecclesiæ casum præsentem, & conuocare eos, vt veniant, sicut tenentur ad succurrendum Ecclesiæ in hoc horribili casu, & prouidendum Ecclesiæ, quia iam ille à petra fidei, super quam fundata est Ecclesia Matth. 16. pertinaciter, & incorrigibiliter cadendo cecidit, tunc verò, vt in præcedenti casu diximus, Concilium Prælatorum congregatum debet iuris auctoritate procedere ad depositionem illius, vt quibusdam placet, vel vt nobis plus gratum est, iuxtà iam dicta ad declarationem, quòd ille non sit ampliùs Papa, & quòd vacet Apostolica Sedes; huiusmodi enim criminis proprius iudex est vniuersale Concilium, vt dictum est. Si verò non sit notorium Papam esse hæreticum, sed solùm apud aliquos graues tantùm, & bonæ fidei homines fama, siue præsumptio processerit, tunc procedendum videtur, vt in responsione ad quartam rationem.

Ad sextam rationem respondetur dupliciter. Primò, quod si certum sit, quòd alter contendentium sit verus, & Apostolicus, vt putà quia à duabus partibus Cardinalium electus, cùm alius per consequens esse non possit, nisi intrusus, & per consequens non Apostolicus, sed apostaticus, siue prophanus, vt in cap. factus st, 7. qu. 1. tunc cùm non occurrat dubitatio rationalis, quis sit verus Papa, non est necessaria vniuersalis Concilij conuocatio ad iudicandum de electione illius, quæ præsumitur iam canonica, sed ad condemnationem intrusi, & ad mandandum, quòd omnes fideles pareant, & obediant vero

Apostolico, iuxtà cap. si quis pecuniam distinct. 79. sicut factum legitur, tam tempore Damasi Papæ contra Vrsinum, quàm tempore Cornelij contra Nouatianum, & de tali contentione non intelligitur, cap. si fortè duo, vt dicit Gratianus, & benè in §. sequenti ibidem.

Secundò respondetur, si fiet contentio inter aliquos super iure electionis, quæ illarum electionum fuerit canonica, tunc iudicio nostro, si contendentes vellent se submittere iudicio alicuius sapientis, vel aliquorum, vt scilicèt staretur iudicio illorum, tunc non videretur necessaria Concilij vniuersalis conuocatio, sicut factum est tempore, quo Symmachus, & Laurentius contendebant de papatu, vbi cùm neutra pars alteri cedere vellet, constituerunt, vt lis iudicio Regis Theodorici finiretur, qui Rauennæ positus, dum vtriusque partis Legatos audisset, decreuit, vt qui prior ordinatus esset, aut quem maior pars Cleri, & populi simul elegisset, in Sede Apostolica sederet, vbi verò contendentes nollent se submittere iudicio aliquorum sapientum tunc congregandum foret Concilium generale, vt de iure electionis discernat, & iudicet, quia, vt in præfato cap. si fortè, dicit glos. Concilium est iudex in isto casu. Hic autem insurgit quæstio. Si ambo contendentes essent in possessione papatus, ità quòd vterque pro Summo Pontifice haberetur à Catholicis viris, videtur nobis, saluo meliori iudicio, quòd ambo deberent congregare Prælatos suarum obedientiarum ad aliquem locum, & ex ambobus congregatis Concilium constitutum iudicaret. Si verò præfati contendentes hoc facere nollent; tunc Domini Cardinales deberent, etiam contradicentibus contendentibus, Concilium congregare. Vbi verò ipsi nollent, aut negligentes forent, ipsi Prælati Ecclesiæ habentes zelum Dei possent se congregare ad incendium Ecclesiæ extinguendum, aut ipse Imperator, cuius interest, vt pax sit in Vrbe, & fortiùs in toto Orbe, quæ esse non potest stante contentione super summo Pontificatu, dicente Christo Matt. 11. [Omne Regnum in se diuisum desolabitur.] Sed de his fortassis aliquid plus dicemus, auxiliante Domino, in sequenti libro, vbi de schismate erit sermo.

Ad septimam rationem respondetur, quòd in illo casu vbi Cardinales ad electionem procedere non vellent, iam prouisum est à iure sufficienter in c. Fundamenta de elect. lib. 6. & cap. Nè Romani e. t. in Clementin. Nihilominùs vbi Cardinales fugerent, vel deficerent, tunc pro maiori securitate videretur conuocandum vniuersale Concilium, & hoc per Imperatorem, aut Clerum Romanum, & ibi prouidendum esset necessitati Ecclesiæ, cùm in talibus necessitatibus, quæ respiciunt totam Rempublicam, deficientibus ordinarijs, ad ipsam Rempublicam spectare videatur prouisio.

Ad octauam rationem respondetur, quòd cùm in casu, in quo Papa factus esset demens dementia incurabili per naturam, iudicandus veniat quasi mortuus, cùm non possit agere, siue exercere actus officio summi Pontificatus incumbentes, art. de Clero ægro. cap. 1. lib. 6. Tunc Domini Cardinales debent hoc demandare Prælatis Ecclesiæ, & inuitare eos, vt conuenientes in vnum, consulent quid agendũ sit, an, scilicèt alius eligendus sit, cùm Ecclesia quasi vacare videatur in præfato casu vel dandus sit illi adiutor.

Ad nonam respondetur sicut ad septimam.

Ad decimam videtur respondendum, quòd in casu illo auctoritate Papæ, Concilium conuocandum esset, si sine Concilio illa terminari non posset, iuxtà ea causa quæ legimus de Papa Sixto in cap. Mandastis, 2. quæst. 6. & de Papa Symacho §. Hinc etiam, dist. 17.

CAP. IX.

De causis congregationis vniuersalium Conciliorum.

Postquam ostendimus, qua auctoritate regulariter vniuersalia Concilia congreganda sunt, iam videndum est, quibus de causis congreganda veniunt, cum non leui causa, sed pro grauissimis, & arduis Prælati à suis Ecclesijs & euocandi, & fatigandi sint. Decursis autem pluribus historijs, inuenimus Patres Ecclesiæ multis de causis conciliariter conuenisse.

Primò quidem, vt super tractandis, & disponendis in vniuersali Ecclesia maturiùs, & saniùs Concilium haberetar. [Si enim, vt inquit sapiens Ecclesiastici 37. ante omnem actum præcedere debet Concilium stabile, multò ampliùs hoc obseruandum est, vbi de maximis rebus, & vniuersam Rempublicam Christianam tangentibus, agendum venit. Ad habendum autem maturum, sanumque Concilium super huiusmodi rebus plurimùm operatur multitudo sapientum, secundùm illud prouerb. 11. [Vbi multa Concilia, ibi salus.] Et Ecclesiastici 6. [Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum.] Et maximè hoc obseruatum à Patribus legimus in materijs fidei, quia in his periculosissimè erratur, vt ait beatus Augustin. [Hanc causam celebrationis Concilij tangit beatus Cyprianus in epistola, quam ad Stephanum ipse, & Synodus quædam scribit, dicens: Cyprianus, & cæteri, Stephano fratri salutem: Ad quædam disponenda, & Concilij communis examinatione limanda, necesse habemus conuenientibus in vnum plurimis Sacerdotibus cogere, & celebrare Concilium.] Item Theodosius Imperator mandato dato, vt Episcopi conuenirent ad celebrandum secundam Synodum Ephesinam, rationem assignans, dicit: [Quia sanctus Leo Papa cogitabat non esse tutum absque sancta Synodo, & vbique sanctarum Ecclesiarum Præsulibus huiusmodi quæstionem de fide enodare, necessarium duximus vestram conuenire fraternitatem.] Vndè & glos. in cap. Anastasius, dist. 19. dicit, quòd vbi de fide agitur, Papa debet requirere Concilium Episcoporum, quod potissimum venit intelligendum, quando ipsa fidei quæstio priùs non fuerit per Ecclesiam, per se, vel in simili determinata, siue diffinita, foretq; tantę difficultatis, vt Papa cũ Collegio

suo

ſuo non videret plenè quid in ea parte tenendum eſſet. Et ſic in his ſemper tenēda eſt illa regula, c. de quibus cauſis, diſt. 20. vbi Innocentius ita conſulit, de quibus cauſis nulla ſoluendi, ligandique auctoritas in libris noui, & veteris Teſtamenti, vel 4. Euangeliorum, in ſcriptis Apoſtolorum non appareat, ad Diuina recurrite Scripta Græca, ſi nec in illis, ad Catholicæ Eccleſiæ hiſtorias Catholicas à Doctoribus Catholicis ſcriptas, manum mittite; ſi nec in illis, Sanctorum exempla perſpicaciter recordamini; quòd ſi in omnibus his inſpectis, huius quæſtionis qualitas non lucidè inueſtigatur; Seniores Prouinciæ congrega, & eos interroga; faciliùs namque inuenitur, quod à pluribus quoque ſenioribus quæritur. Verus etiam promiſſor ait: [Si duo ex vobis, vel tres in vnum conueniunt ſuper terram in nomine meo, de omni re, q. p. n. a. p. me. qui in cœlis eſt.] Hæc ille. Hac de cauſa beatus Petrus, & aliqui Apoſtoli celebraſſe leguntur Concilium Hieroſolimis, cùm quæſtio de obſeruatione legalium mota eſſet, quæ ibi gratia Spiritus ſancti aſpirante, diffinita eſt, vt habetur Act. 15.

Secundò, congregata leguntur Concilia vniuerſalia ad ſolemniorem, & abundantiorem auctoritatem reprobationis hæreſum, & condemnationis hæreticorum, planè cum de publicis latronibus, & hoſtibus Reipublicæ venit iuſtitia exequenda, ſolitum eſt, tam ad eius pleniorem notitiam, quàm ad maiorem malefactorum confuſionem, & aliorum, tuba, aut campana populum conuocare; ita conuenienter conuocatur Concilium vniuerſale, quando reprobationis, & condemnationis iudicium contrà hæreticos exercendum eſt, quorum errores, & potentes habent actores, & plures fautores per diuerſas orbis partes; qua de cauſa plura Concilia, & potiſſimè ſeptem præclara, & principalia celebrata leguntur; quorum primum eſt Nicænū 318. Patrum, in quo Arij Epiſcopi Alexandrini, qui tres gradus poſuit in Trinitate, ſcilicet Patrem maiorem, Filium minorem, & Spiritum Sanctum creaturam, vel ſeruum, error condemnatus eſt. Secundum fuit Conſtantinopolitanum 150. Patrum, in quo error Macedonij Conſtantini Epiſcopi conuincitur, qui negabat Spiritum ſanctum eſſe Deum. Tertium eſt Epheſinum primum 300. Patrum, in quo Neſtorij impietas iudicatur, qui dicebat beatam Virginem Mariam non Dei, ſed tantummodò hominis genitricem, vt aliam perſonam carnis, aliam perſonam faceret Deitatis. Quartum Concilium fuit Chalcedonenſe 530. Patrum, in quo error Eutichij reprobatus eſt, qui aſſerebat Chriſtum poſt humanam aſſumptionem non ex duabus naturis exiſtere, ſed ſolam Diuinam naturam permanere. Quintum fuit Conſtantinum, in quo perfidia multorum hæreticorum condemnatur, maximè Theodori Moſothoni, qui aſſerebat alium eſſe Verbum, & alium Chriſtum. Negabatque ſanctam Virginem Mariam Dei Genitricem fuiſſe. Sextum fuit etiam Conſtantinum 150. Patrum, in quo ſtultitia Macharij Antiocheni Epiſcopi, & ſociorum eius, qui vnam tantùm voluntatem, & operationem in Chriſto falſa ſuſpicione aſtruebant, confutatur. Septimum Concilium eſt Nicænum ſecundum 367. Patrum, in quo hæreſis execrantium imagines Sanctorum in Eccleſia dicentium illas nec colendas, nec venerandas fore, abraſa eſt.

Tertiò, Concilia leguntur congregata gratia ſchiſmatis extirpandi, ſicut octauum Concilium vniuerſale 300. Patrum, Conſtantinopoli celebratum, in quo ſchiſma de depoſitione Ignatij, & ordinatione Phocij ortum, Patres congregati extirparunt, Phocium anathematizantes, & Ignatium reſtituentes, Hac etiam ratione legimus Romæ congregatum Concilium, cum de Papatu contenderet Vrſinus quidam cum Damaſo Papa, in quo confirmato in Apoſtolica Sede Damaſo, Vrſino depulſo, ſedatum eſt ſchiſma, vt Euſebius in Eccleſiaſtica tradit hiſtoria. Item eadem ratione congregata legitur Synodus tempore Regis Theodorici, in quo de contendentibus de Papatu Symacho, & Laurentio, ſchiſma ortum eſt, quod in cap. Symmachus, 2. quæſt. 7. fuit extirpatum. Præterea ætate noſtra tribus contendentibus de Papatu, ſcilicèt Benedicto XIII. & Ioanne XXIII. & Gregorio XII. Synodus congregata eſt Conſtantiæ in natione Germanica, in quo vno, ſcilicèt Gregorio renunciante ſi quid iuris habebat, alijs duobus depoſitis, ſcilicèt Ioanne, & Benedicto, data eſt pax Eccleſiæ.

Quartò, congregata leguntur Concilia ad reductionem, ſiue confutationem hæreticorum per viam diſputationis, qua de cauſa tempore, & conſenſu beati Silueſtri Papæ, iuſſu Conſtantini Imperatoris, dicitur Romæ conueniſſe magnum Epiſcoporum conuentum, vt cum Iudæis diſputaretur de lege, vtrum ſcilicèt Chriſtianorum fides legi Iudæorum præferenda eſſet? vbi longa concertatione expleta, cùm pro fide Chriſti erat concluſum, Auguſta Helena cum tribus millibus Iudæorum ad fidem Chriſti conuerſa, Baptiſmum ſuſcepit. Hac etiam de cauſa diebus noſtris congregata eſt Synodus Baſilienſis pro reductione Bohemorum, vbi data Bohemis licentia diſputandi, & dicendi libertate quidquid vellent in defenſionem errorum ſuorum, aſſignatiſque per Synodum 4. Doctoribus Catholicis, qui in publica congregatione illis reſponderent, longiſſima concertatio facta eſt, nobis ibi ſemper præſente, ſed quamquàm manifeſtiſſimè conuicti eſſent, foretque condeſcenſum illis in multis cauſa lucrificandi eos, nihilominùs receſſerunt peccatis eorum promerentibus, ita ſordidi ſicut venerunt. Hac etiam de cauſa congregata eſt Florentiæ Synodus ampliſſima diebus noſtris, ſub ſanctæ memoriæ Eugenio, pro reductione Græcorum, vbi interfuit Imperator Græcorum, & Patriarcha Conſtantinopolitanus cum multis alijs Prælatis Orientalis Eccleſiæ, vbi operante Saluatore noſtro, qui vera pax eſt, ſublato de medio pariete, qui Occidentalem, Orientalemque diuidebat Eccleſiam, vnio, & concordia concluſa eſt inter eos, licèt heù ab omnibus in partibus Orientalibus non fuerit acceptata.

Quintò, Concilia leguntur congregata, cùm Eccleſia habet magnos, & potentes hoſtes, & perturbatores. Tunc enim Summus Pontifex Eccleſiæ Princeps, & Rex Regum

terræ,

terræ Dei Vicarius solitus est congregare conuentum Patrum, & Principum Ecclesiæ, de quibus in psal. [Constitues eos Principes super omnem terram ad punitionem illorum.] Hac de causa Gregorius III. cùm Imperatorem Leonem huius nominis tertium hæreticum incorrigibilem comperisset super depositione imaginum Christi, & beatæ Virginis, ac Sanctorum, quas omnes destrui, ac incendi fecerat in Vrbe Constantinopolitana, congregato Concilio Romæ, quasi mille Episcoporum, Romam, & Italiam totam ab eius obedientia, & potestate discedere fecit, & vectigalia interdixit, & illum anathematizans, venerationem Imaginum confirmauit. Item hac de causa Gregorius VII. contra Imperatorem Henricum huius nominis III. quia Romanæ Ecclesiæ scindere vnitatem moliebatur, congregauit Romę Concilium 110. Episcoporum, & illum ibi excommunicauit. Item hac de causa Innocentius IV. Imperatorem Fredericum huius nominis II. hostem rebellem, contumacem, & incorrigibilem comperiens, Concilium congregauit Lugduni, & ibi illum ab Imperio deposuit,

Sextò, legitur congregatum vniuersale Concilium gratia supernæ reuelationis impetrandæ à Deo super arduis in Ecclesijs constituendis. Hac de causa congregata legitur Synodus prima ab Apostolis, vt scilicèt quis ad integritatem Apostolici Collegij loco Iudæ proditoris assumendus esset, orationibus à Deo cognoscerent, vndè dicitur Act. 1. [Et statuerunt duos, scilicèt Ioseph, qui cognominatus est iustus, & Matthiam, orantes dixerunt: Tu Domine, qui nosti corda hominum, ostende quem elegeris.]

Septimò, congregata leguntur Concilia, cùm magna imminet Christianæ Reipublicæ necessitas, aut persecutio, cui non nisi à totius Ecclesiæ auxilio subueniri posset. Hac quidem causa inter alias maximè Vrbanus II. audiens Ciuitatem sanctam Hierusalem ab infidelibus captam in Christiani populi dedecus, & confusionem, Concilium generale conuocat in Claromonte Aluerniæ, & in subsidiũ illius passagium transmarinũ ordinatur

Octauò, leguntur Concilia congregata ad maiorem firmitatem fidei, & acceptationem plenariam, tam constitutionum, quàm diffinitionum factarum in præcedentibus Concilijs, vndè post Nicęnam Synodum congregata est Romæ per beatum Syluestrum Synodus 277. Patrum, in qua roborata est fides Synodi Niceni, & Arrius condemnatus, in qua sic ait beatus Syluester: [Quidquid in Nicęna Synodo constitutum est, ad robur sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ à sanctis Sacerdotibus 318. nostro ore consortes, firmamus, & omnes, qui ausi fuerint dissoluere diffinitionem sancti magni Concilij, quod apud Nicęnam congregatum est sub præsentia pijssimi, & venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus, & dixerunt omnes Episcopi, placet. Item sexta Synodus apud Constantinopolim celebrata, vt habetur dist. 16. cap. Quoniam, sic inquit: [Confirmamus, & cæteros, scilicèt, sanctorum Patrum Canones, & Synodos, scilicèt Nicęnam, Anthiritanam, Antiochenam, &c.]

Nonò, congregata leguntur generalia Concilia inquirendę veritatis super suspicione hæresis orta de Romano Pontifice. Hac de causa congregatum legitur Concilium, tàm tempore Symachi, Papę, de qua in §. hinc etiam distinct. 17. quàm tempore Marcellini Papæ, qui sacrificauerat idolis, de qua in c. Nunc autem dist. 21.

Decimò, congregatum legitur Concilium purgationis gratia, quàm Papa voluit facere, vt quia si infamia fuit publica, purgatio etiam omnibus nota esset. Hac ratione Damasus Papa, & Leo IV. & Sixtus Romani Pontifices bonæ famæ suæ curam gerentes ad sedandum scandalum Concilia congregasse leguntur, sicut de beato Damaso habetur 2. qu. 7. nos circa finem. De Leone IV. habetur 2. qu. 5. omnibus circa finem. De Sixto Papa in cap. mandastis 2. qu. 7.

Vndecimò, congregandum venit vniuersale Conciliũ, quando vehemens dubitatio, curreret de iure electionis alicuius in summum Pontificem, iuxta glos. in cap. si fortè duo. dist. 79. hac de ca. plura congregata sunt concilia à sanctis, patribus, quæ suprà gratia extirpandi scismatis descripsimus.

Duodecimò, concilia aliquando celebrata leguntur, & celebranda rationabiliter veniunt, ad efficaciorem, ad solemniorem, & vniuersaliorem reformationem Ecclesiæ fiendã, quamq. enim summus Pontifex, pro singularite principatus sui omnem legem condere, & dare posset toti Ecclesiæ, iuxta capit. sunt quidam 25. q. 1. Nihilominùs sæpè, & hoc rationabiliter, patres Ecclesiæ synodaliter conuocat, vt leges ad reformationem pertinentes condendæ illorum consilio, & approbatione formatæ; plùs habeant auctoritatis, & apud fideles acceptabiliores fiant. Hac de causa plura sunt congregata concilia, in quibus canones continentes plura vtilia ad correctionem vitiorum, ad conponendos mores, ad honestatem vitæ, ad pacem populi Christiani, sunt instituti. Ex quibus pro magna parte corpus decreti conflatum est, intra quæ est synodus illa singularis, quam Romæ Gregorius 7. celebrauit ad reformationem Ecclesiæ, in qua anathematizauit, symoniacos clericis vxorem habentibus interdixit: diuina laicis eorum missas audire prohibuit, & inuestituras ne à laicis susciperentur, sententiam excommunicationis adhibuit.

CAP. X.

De vtilitate celebrationis Conciliorum.

QVanquam ex supradictis satis perspicuum sit, quòd plurimum vtilitatis afferat sanctæ Ecclesiæ ipsa vniuersalium Conciliorum celebratio. Nihilominùs ad pleniorem huius rei notitiam aliqua, quasi repetentes ex præcedenti cap. dicimus maximè valere ad sex.

Primò quidem valet celebratio vniuersalium conciliorum ad conseruandam christianam religionem in vnitate fidei, quæ primum vinculom est societatis christianæ, vt dicit

dicit beatus Chrysost. Hanc vtilitatem Conciliorum vniuersalium assignat beatus Isid. in cap, Canones dist. 15. ità dicens. Canones generalium conciliorum à temporibus Constantini Imperatoris cæparunt. In præcedentibus namque annis persecutione feruente docendarum plebium minimè dabatur facultas, vndè christianitas in diuersas hæreses scissa est, quia non erat eis licentia conueniendi in vnum, nisi tempore suprà dicti Imperatoris. Ipse enim dedit facultatem christianis liberè congregari. Item hac de causa Martianus Imperator scribens ad omnes vbique terrarum Episcopos, vt ad synodum calcedonen. veniant, ita ad propositum loquitur, omnia ad veram fidem christianam orthodoxam religionem tunc præponenda alijs rebus existimauimus: Deo enim propitio existente, et nostrum Imperium, & omnes causas meliores fore contendimus. Quia ergo dubitationes quædam circa orthodoxam fidem motę sunt, sicut indicant etiam literæ sanctissimi Archiepiscopi felicissimæ ciuitatis Romæ, placuit nobis propere sanctū Concilium fieri, quatenus concordantibus Patribus, & veritate examinata, & vacante omni studio, quo quidam iam abusi religionem turbauerunt orthodoxam, vera; atque saluberrima fides sit omni mundo manifestissima, & decreto omnis quæstio, & dubitatio auferatur, & infrà quisquis enim in generalem futuram synodum, & omni mundo vtilem, peccat æquidem contra Deum, & diuinitatem nostram offendit. hæc ille.

Secundò valet ad faciliorem, & firmiorem illucidationem veritatis in dubijs; faciliorem quidem, quia quod à pluribus sapientibus quæritur, faciliùs innenitur, vt ait Innocen. in cap. de quibus dist. 20. Firmiorem etiam dicimus, quia tantò firmiùs, siuè grauiùs est iudicium, quantò plurium sententijs confirmatur, & approbatur assensu. vndè in cap. extrà conscientiam dist 63. dicit Inno. Integrum iudicium est, quod plurimorum sententijs confirmatur. Vnde beatus Aug. dicit lib. 1. de bapt. contra Donatistas, antiquos patres fluctuasse in fide, quòusque totius Orbis Concilio firmarentur. Ait enim sic: Iam ne videar humanis argumentis illud agere, quoniam quæst. huius obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante scisma donati, magnos viros, & magna caritate præditos patres Episcopos, ita inter se compulit salua pace, disceptare, atque fluctuare, vt conciliorum in suis quibusque regionibus diuersa statuta mutarent, donec plenario orbis concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur hæc ille.

Hinc etiam Theodosius Imperator scribens Dioscoro Archiepiscopo Alexandrino, vt conueniret cum suis metropolitanis Ephesi sine dilatione: sic inquit, festinesque cum vniuersis sanctis Episcopis, quos conuenire per sacras nostras epistolas sanximus ad prædictam ciuitatem, & subtilissimè inuestigantibus, & quærentibus, omnis de medio error contrarius auferatur, catholica autem doctrina, & orthodoxa fides solidetur, & quietè fulgeat, quod vniuersi in posterum inconcussum, & intemeratum custodiant. Planè cum congregatio tantorum patrum Ecclesiæ, quibus ait Dominus in Euangelio Matth. 5. vos estis lux mundi, nil aliud videatur esse quàm multorum luminarium congregatio, benè facit ad illuminationem populi Christiani, & decorem vniuersalis Ecclesiæ synodalis patrum congregatio, vndè bene conuenit proposito illud Eccle. 43. species cæli, idest Ecclesiæ, gloria stellarum: idest doctorum mundum illuminans, vbi glos. ordinaria ita dicit. Species cæli, idest ornatus Ecclesiæ, sanctorum plenitudo, quos Deus excelsus ordinauit, vt prædicatione Euangelij mundum illustrarent.

Tertiò, Conciliorum vniuersalium celebratio vtilis est ad culturam agri dominici; vt canon Concilij Constantien. dicit frequens. Sunt quidem patres in Concilio congregati ministri operarij agricolæ illius, de quo Dominus ait Ioan. 15. pater meus agricola est, quorum ministrorum officium est errorum vepres de agro Dominico euellere, plantare fidem, & euulsis vitiorum radicibus, virtutes inserere, vndè dominus Ieremiæ in figura Romani Pontificis, qui congregator, & director conciliorum vniuersalium est, videtur dixisse illud Ierem. 1. Ecce constitui te super gentes, & regna, vt euellas, & destruas & disperdas, & dissipes, ædifices, & plantes vt testatur Papa Inno. in cap, solitæ extra de maior. & obed. vndè Adrianus Papa loquens patribus in Concilio, quod Romæ congregauit, ita ait ad propositum. Cum debeamus ô fratres, & filij dilectissimi dominici agri strenui & fideles esse cultores, & spiritalibus ad purgationem ipsius celestium præceptorum vti legionibus oportet, vt si qua in eo spinosa si qua germinare venenosa conspicimus: pari laborum; vnanimique zelo hæc radicitus extirpare studentes arripiamus examinis rostrum, & falcem iudicij, concordi sententia proferamus, ne quæso in nos exprobranter dicatur, Messis quidem multa operarij autem pauci hæc ille.

Quartò, celebratio conciliorum vniuersalium vtilis est ad tyrannorum, & infidelium superbiam humiliandam, plurimùm profectò, vt intelleximus à fide dignis, qui fuerunt infideles in orientalibus potestatibus, scilicèt, Turchi. terrentur audientes apud Christianos vniuersalia concilia congregari, & ita faciunt vbicumque latiteut, & hoc rationabiliter, quoniam Ecclesia Dei, vt dicitur can. 6. Terribilis est vt castrorum acies ordinata. Castra sunt doctores patres Ecclesiæ congregati quibus tanquam militibus Christi, & propugnatoribus munitur, protegitur, & defensatur Ecclesia, de quibus dicitur Zacha. 9. Circumdabo domum meam: idest Ecclesiam, ex his, qui militant mihi, videlicèt prælatis doctoribus, & principibus fidelibus, qui eam defendendo, Christo militare perhibetur: vnde Paulus Apostolus scribens Thimoteo ait, labora sicut bonus miles, glos. in prædicando Euangelium contrà hostes, ad Timoth. 2. cap. 2.

Quintò, celebratio conciliorum est vtilis ad refrenandum exorbitantias quorundam Pontificum, qui pontificatum suum: aut spretis sanctorum patrum regulis pro voluntate exercent, aut symoniaca prauitate dehonestant, aut seculi vanitate, & vita scan-

scandolosa confundunt: huius cau. congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contrà Ioan. Papam Duodecimū, qui venerator, & lubricus publicus & incorrigibilis erat, vt enim ait. Hormisda Papa in epistola decretali ad Episcopos per Hispaniam constitutos, difficile est, vt cuiuscunque cor sic prauis cogitationibus induretur, vt in se patiatur culpandus fieri, cum nouerit se iudicium subeundum Concilij.

Sextò valet vniuersalium Conciliorum celebratio ad omnium quasi scandalorum, quę suscitantur in Ecclesia extinctionem. Istud planè, vt priora exempla nos docent, vltimum refugium Ecclesiæ in omnibus magnis angustijs suis sicut, in præcedenti. cap. exemplariter deductum est in multis, tàm de scandalis occasione hæreticorum, aut scismaticorum, quàm aliundè exortis, vndè propter has multiplices vtilitates prouenientes Ecclesię sanctæ Dei ex celebratione sacrorum Conciliorum posset optimè adaptari misticè proposito, tanquam dictum summo Pontifici illud Isa. 16. Ini Concilium, scilicèt cum sapientibus. Coge Concilium idest congrega. vt exponit magister Nicolaus de Lira qu. di. spiritus sanctus Romano Pontifici imminentibus grauissimis periculis in Ecclesia. Ini Concilium & coge. idest congrega vniuersale Concilium, quoniam si in medio duorum, vel trium in nomine Christi congregatorum ipse est vt spirator, doctor, & adiutor. vt habetur Mat. 18. multò ampliùs vbi sanctorum Patrum multorum societas in nomine conuenerint Iesu Christi, maximè pro rebus vniuersitatem christianæ religionis respectiuè concernentibus interesse credendum est. verùm est hic aduertendum, quod hæc, quæ dicta sunt, accipienda veniunt, cum in Concilijs vniuersalibus proceditur canonicè, & sanctè quoniam aliàs melius foret supersedere à celebratione Conciliorum, quoniam quemadmodum Concilia ritè celebrata saluberrimos fructus operata sunt, ita non ritè celebrata maximis scandalis vniuersam perturbarunt Ecclesiam, sicut patrum traditiones, & venerabiles hystoriæ nos docent. Quo circa Eusebius religiosissimus Episcopus dorilei ciuitatis, qui damnatus fuerat cum Flaniano iniustè à Dioscoro. vt habetur in prima actione Calcedonen. Concilij synodi, ad synodum loquens: ita dicit. Adimus vestram pietatem supplicantes iustitiam promererì, causa autem hæc est nupèr facto Concilio in epheso metropoli, quod vltimū fuit, non futuram, &c. vt non tantis malis, & perturbationibus vniuersum mundum replesset:

CAP. IX.

Quod Romani Pontificis præsentia personaliter non necessariò requiratur in Concilijs vniuersalibus.

Licèt vniuersalia Concilia, vt prędiximus, non nisi per Rom. Pont. regulariter conuocanda sint, & auctoritate fulcienda, nihilominùs non est necessarium, nec semper conueniens, vt super illis personaliter intersit, sed sufficit, quod legati, aut Vicarij, siuè Apocrisarij eius insersint, quòd ex illo apertissimè ostenditur, quod nulli octo Conciliorum vniuersalium, quę in Ecclesia, vt præstantioris auctoritatis describuntur, Roman. Pont. personaliter interfuit, sed per legatos suos, vnde Leo Papa huius nominis primus ab Imperatore Christianissimo Martiano ad Calcedonense Concilium deuotissime inuitatus, hac ratione inter alias se excusauit, quod nullum inde exemplum à prædecessoribus acceperit, vt ipse scribit tam patribus Concilij Calcedonen. quàm pulcherrimæ August. vnde hanc excusationem præfati beati Leonis legati sui assignantes in Concilio Chalcedonensi sic dixerunt, gloriosissimi, & christianissimi nostri Imperatores caritatē catholicam fidem, & affectum tenentes, beatissimum nostrum Leonem Apostolicæ Sedis præsulem, vt ad hoc venerabile, & sanctum concilium adesset, dirigentes venerabiles epistolas, supplicarunt: cuius pietati placere posset, si in hac re probaretur aliquod simile à prædecessoribus factum. Nam melius vestra potest cognoscere sanctitas, quia nec in Nicæna, nec in Ephesina synodo, nec alio tali sancto Concilio Papa sanctæ Sedis affuit, pro qua re huius formæ sequens consuetudinem nos direxit, qui sanctissimus non dubitans se in nobis hìc adesse quos præcipuè cognoscit omnia, quæ ad fidei catholicæ sinceritatem, & quæ ad sancti Petri Apostoli pertinent reuerentiam, agere, quæ etiam per nos ad vestram beatitudinem congruas sanctorum patrum Concilijs direxit epistolas; quas recipere, & recenseri præcipite. Hoc autem quòd præsentia Romani Pontificis non necessariò requiritur in Concilijs vniuersalibus sed benè eius auctoritas, satis videtur apertè colligi ex eo, quod forma auctoritatum sanctorum Patrum, de quibus, dist. 17. per totum: superiùs inductarum in cap. 6. non habet, quòd absque præsentia Romani Pontificis non debeant vniuersalia Concilia celebrari, sed benè, quòd absque eius auctoritate, aut sententia celebrari non debent. & hoc benè ostendit glos. decreti in cap. 1. distinct. 17. vbi diffiniens Concilium vniuersale dicit illud esse, quod à Papa, vel eius legato cum omnibus Episcopis constituitur, id est celebratur, huiusmodi verò consuetudinis, quia antiquis superioribus temporibus summi Pontifices præsentialiter non intererant vniuersalibus Concilijs, maxime tempore, quo Imperatores plurimùm dominabantur in orbe, triplex ratio assignari potest.

Pri-

Prima, ne Romanis Pontificibus inferretur aliqua violentia in Concilijs per Imperatores, aut alios tyrannos, sicut de Papa Felice legimus, quòd quia celebrato Concilio excommunicauit Vrsacinum, & Valentem Constantino Imperatori in perfidia Ariana consentientes, depulsus de sede, & ab ipso Imperatore decollatus, martyrio coronatus est.

Similisque violentia legitur facta in secunda Synodo Ephesina Legatis Apostolicæ Sedis, vbi Fabianus, qui vices beati Leonis Papæ a gebat, interfectus fuit.

Secunda ratio, vt Romanus Pontifex, qui solitus est vniuersalium Conciliorum confirmare sententias, & Canones, vt infrà ostensuri sumus ex gestis Conciliorum, cùm plena libertate, quæ plurimùm est necessaria in hac parte, in propria Sede existens, quæ sibi confirmanda viderentur, confirmaret, & quæ non confirmanda essent, libera potestate vacua auctoritate relinqueret, aut cassaret.

Tertia ratio est propter necessitates incumbentes tam Ecclesiæ, quàm Ciuitati Romanæ, quibus Romani Pontificis præsentia maximè est præsidio, & auxilio.

Hanc rationem assignat Leo Papa Patribus in Concilio Chalcedonensi congregatis, sic loquens de Imperatore Martiano: [Amplectendum est clementissimi Imperatoris plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruẽdas insidias Diaboli, & ad reformandum Ecclesiasticam pacem maluit conuenire beatissimi Petri Apostoli iure, atque honore seruato à Deo, vt nos quoque ad hoc inuitaret, vt venerabili Synodo nostram sententiam præbeamus. Quod quidem nec necessitas temporis, nec vlla poterat consuetudo permittere, me tamen in his fratribus: hoc est Paschasio, & Licentio Episcopis, Bonifacio, & Basileo Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt Synodo vestræ. Vestra fraternitas confidat præsidere, nec iniunctam vobis præsentiam meam existimet.

Item præfati Legati ad Synodum præfatam ità dixerunt: [Notum est, nempè ab hoc amabili Concilio ad beatum, & Apostolicum, & Catholicum Papam Leonem sacras esse literas destinatas, quæ habent, vt huic sacro Concilio se præsentare dignaretur. Sed quoniam nec antiqua consuetudo, neque generalis temporis necessitas permitteret nostram paruitatem, huic sancto Concilio pro se præsidere præcepit. Ideòque necessarium est hæc, quæ in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari.

CAP. XII.

Qui ad vniuersalia Concilia necessariò vocandi sunt.

Causis, & vtilitatibus celebrationis generalium Conciliorum iàm explicatis. Inquiramus, qui ad generalia Concilia sint euocandi? In qua quæstione dicendum est, solos Ecclesiæ Prælatos maiores necessariò ad illa vocandos esse. Quod primò multis Patrum testimonijs ostendemus; secundò rationibus.

Primò, hoc colligitur ex illa definitione Concilij generalis, quam ponit Glossa in cap. 1. distinct. 17. vbi dicitur: [Concilium vniuersale est, quod à Papa, vel eius Legato, cum Episcopis celebratur.

Item hoc ostenditur ex Canonibus, vbi de Synodis vniuersalibus antiquis fit mentio; in quibus omnibus soli Episcopi videntur nominari. Vndè in capit. omnia, distin. 12. dicit beatus Augustinus: [Omnia talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur: nec in Concilijs Episcoporum statuta inueniuntur.]

Item in cap. Canones distin. 15. habetur, quòd prima Synodus, scilicèt Nicæna, fuit 318. Episcoporum. Secunda, scilicèt Constantina fuit 150. Episcoporum. Tertia, quæ fuit prima Ephesina 200. Episcoporum. Quarta, quæ fuit Chalcedonen. fuit 500. & triginta Sacerdotum: quod exponendum est; idest, Episcoporum; quia hi, vt habetur infrà, Patres vocantur; Patres autem Conciliorum soli Episcopi dicuntur, vt patet eadem distinct. cap. sancta Romana, & in cap. sexta Synodus distinct. 16. vbi Patres vocantur, qui in cap. Canones nominati sunt Episcopi; & hoc conuenientissimè, quia ità Spiritu sancto nominati leguntur Psal. 44. vbi ità inquit Ecclesiæ militanti: [Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.] Vbi glossa Hieronymi de Episcopis hoc exponens, ità inquit: [Fuerunt in Ecclesia Apostoli Patres tui, quia ipsi te genuerunt. Nunc autem, quia ipsi recesserunt à Mundo, habebis pro his Episcopos, qui à te creati sunt. Sunt enim, vt hi, Patres tui, quia ab ipsis regeneraris.]

Item huius testimonium colligitur apertissimè ex capit. Synodum distinct. 17. vbi beatus Marcellus Papa Synodum vniuersalem vocat Synodum Episcoporum.

Item hoc habetur expressè ex illo, quod in gestis Chalcedonen. Concilij legitur, quòd Catholici Episcopi videntes quosdam Ægyptiacos non Episcopos, qui de Alexandria cum Dioscoro Hæretico Chalcedoniam venerant tentantes interesse Concilio, clamauerunt dicentes, quòd Concilium Episcoporum esset, & alij expelli deberent.

Cæterùm hoc etiam arguitur ex eo, quòd Leo Papa Ephesino Concilio scribens, postquàm de Eutychet. errore, & suorum complicum locutus est, sic subiunxit: [verùm quia & talium non est intelligenda curatio: piè, ac religiosè Christianissimus Imperator habere voluit Episcopale Concilium, vt pleniori iudicio omnis posset error aboleri.]

Item in epistola, quam Christianissima Pulcheria Augusta ad Consulem Bithyniæ Stratigium, vt curam haberet circa disciplinam Synodi prohibendam, antequàm placeret ei, & Patribus de Nicæna ad Chalcedoniam mutare Concilium, sic dicitur: [Quidam autem, sicut agnouimus, cùm sint solliciti conturbare, & confundere Deo placitam disciplinam, superuenientes in Nicæna Clerici, ac Monachi, ac laici tumultus facere tentant: necessariò has pias literas ad tuam dire-

direximus claritatem: quatenùs cùm omni virtute eos, qui præter nostram euocationem, aut permissionem suorum Episcoporum ibidem commorantur; Clericos, Monachos, atque laicos, quos nulla ratio ad Concilium vocat, omninò valeas remouere, & ab ipsis locis expellere.] Hæc ibi.

Item, vt habetur in prima actione Chalcedonen. Synodi, Abbas Martinus requisitus ab Euthyco, vt se subscriberet in gestis Concilij Ephesini, non acquieuit, dicens: [Non est meum subscribere; Episcoporum tantùm est, & eorum, qui digni sunt.]

Præterea, secundò loco clarissimè demonstratur rationibus: solos Episcopos, siue Prælatos maiores necessariò conuocari debere ad Concilia vniuersalia.

Primò sic: Illi soli veniunt necessariò conuocandi ad vniuersalia Concilia, cum quibus tractanda veniunt, quæ vniuersitatem Christiani populi respiciunt, qui constituti singulariter leguntur Christiani Populi Principes, & rectores. Patet hoc, quia statuere, corrigere, & reformare, cùm sint actus iurisdictionis, vt de reb. Eccles. non alienan. cap. fin. ad superiores pertinent. Sed Episcopi soli sunt huiusmodi, vt patet ex auctoritate inducta Prophetæ cum glos. Psalm. 44. [Constitues eos Principes super omnem terram.] Ergo ipsi soli Episcopi ad vniuersalia Concilia veniunt vocandi.

Secundò sic confirmando rationem iàm factam: Illi veniunt solùm vocandi necessariò super rebus vniuersitatis, qui maiores sunt de vniuersitate, cùm vniuersitas ipsa tota conuocari non possit, quia in maioribus minores contineri videntur, vt notatur extrà, de his, quæ fiunt à maior. par. cap. quasi per totum. Sed Episcopi soli sunt huiusmodi in republica Christiana, vndè Patres Ecclesiæ vocati sunt, vt in cap. Canones distinct. 15. & Columnæ Ecclesiæ Dei, & Legati, & Apostolorum successores, vt ait Anacletus in cap. accusatio 2. quæst. 7. Ergo ipsi soli necessariò, &c.

Tertiò sic: Illi soli veniunt ad vniuersale Concilium vocandi, quibus specialiter à Christo credita est potestas iudiciaria in causis discernendis. Patet. Sed Episcopi soli, qui Apostolorum sunt successores, eorum loca tenentes in Ecclesia, sunt huiusmodi iuxtà cap. in nono distinct. 21. Ergo ipsi, &c. Quibus solis dictum est, Matth. 18. [Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in Cælis.] Ergo hoc idem, quod priùs.

Quartò sic: Illi soli videntur vocandi necessariò ad vniuersale Concilium, qui ex iuramento tenentur ad illud venire, & quibus pœna iuris venit infligenda, si venire contemnant. Sed soli Episcopi sunt, qui ad vniuersale Concilium vocati iurant venire, vt in capit. ego enim extrà, de iure iurando. Ipsi etiam sunt, quibus venire negligentibus pœna infligitur, vt cap. placuit distinct. 18. Ergo ipsi soli videntur necessariò vocandi.

Quintò, Abbates, & alij inferiores Prælati non sunt necessariò vocandi ad Concilium Prouinciale; nec tenentur ad illud venire, nisi ex aliqua magna causa, & specialiter vocati; sed Archiepiscopus, vel Episcopus infrà sex menses tenetur omnibus Abbatibus Prouinciæ suæ, vel Diœcesis denunciare, vt ea seruent, quæ in Concilio statuta sunt, vt in cap. si Episcopus, & in cap. discernimus distinct. 18. Ergo multò minùs euocandi veniunt ad vniuersale Concilium. Consequentia est manifesta.

Sextò sic: si inferiores Prælati essent necessariò vocandi ad Concilium vniuersale, sequeretur, quòd ipsis non vocatis redderetur Concilium, siue Synodus nulla. Sed hoc est manifestè falsum. Ergo illud, &c.

Septimò sic: Si inferiores Prælati essent de necessitate vocandi ad Concilium vniuersale, vt habentes voces definitiuas; sequeretur, quòd cùm ipsi essent plures numero, quam Episcopi: si differentia esset inter eos, & Episcopos, tota auctoritas Synodi vniuersalis deueniret, siue resolueretur ad inferiorum vota Prælatorum, cùm à maiori parte concluderetur. Sed hoc absurdum, & inconuenientissimum esset. Ergo illud etiam, ex quo sequitur.

Octauò, non parùm fauet proposito, quòd Prælati maiores, iuxtà Theologorum sententias, superiores Angelos habent custodes, & illuminatores; & per consequens illorum iudicia maiori, & pleniori credenda sunt firmari veritate, & auctoritate.

CAP. XIII.

In quo ponuntur obiectiones contrà iàm dicta.

ADuersùs ea, quæ iàm de euocandis necessariò ad vniuersalia Concilia dicta sunt, ab Aduersarijs multipliciter objicitur.

Primò, ex illo act. 15. in Synodo per Apostolos celebrata Hierosolymis, dicuntur tam Apostoli, quàm Seniores conuenisse. Et ità videtur, quòd ad Concilium vniuersale non solùm Episcopi, & qui loco Apostolorum sunt; sed etiam Presbyteri, qui ibi videntur dicti Seniores vocandi sunt.

Secundò sic, ex cap. conuenientibus 1. quæst. 7. vbi quidam Petrus Archidiaconus, & quidam Petrus Presbyter, & quidam Abbas interfuisse dicuntur secundo Synodo Nicænæ tenentes locum Hadriani Papæ.

Tertiò, ex cap. Hadrianus distinct. 43. vbi Papa Hadrianus dicitur celebrasse Synodum cum 153. Episcopis, Religiosis, & Abbatibus.

Quartò, ex cap. sequenti in Synodo eadem distinct. vbi Synodo celebrata Romæ sub Leone Papa, dicuntur interfuisse totus Clerus, & Populus Romanus.

Item quintò sic objiciunt: Presbyteri Curati sunt Prælati, & habent curam Animarum sicut Episcopi. Et sicut præsidet Episcopus in suo Episcopatu, ità Archidiaconus in Archidiaconatu suo, & Curatus in Parochia sua. Ergo videtur, quòd ipsi ità sint vocandi ad Concilium sicut Prælati maiores; & confirmatur ex cap. Concilia dist. 17. vbi Concilia dicuntur Synodi Sacerdotum; & in §. hinc etiam eadem distinct. dicitur, quòd Imperator Sacerdotes conuenire præcepit ad Vrbem.

Sextò,

Sextò sic: Domini Cardinales Presbyteri, & Diaconi non sunt de numero Prælatorum maiorum, vt colligitur tam ex textu, quàm ex gloss. cap. quamquàm 2. quæst. 7. & tamen si verum est, quòd soli Prælati maiores vocandi essent necessariò ad Concilium vniuersale: Cardinales præfati non venirent vocandi, quod videtur esse falsum.

Septimò sic: vbi est eadem ratio, ibi videtur esse idem ius. Sed causa, & ratio quare in antiquis Concilijs soli Episcopi vocabantur, erat ex eo, quòd in fide, & doctrina religionis Christianæ ampliùs essent eruditi, & in moribus plùs compositi, ac in regimine subditorum pleniùs circumspecti. Sed hæc quandòque, & frequenter concurrunt abundantiùs in alijs Prælatis inferioribus, in Doctoribus, & eruditis Religiosis, Abbatibus, Prouincialibus, Ministris, atque Prioribus. Ergo videtur, quòd tales eodem iure vocandi essent.

Octauò: quæ in vniuersali Concilio agenda sunt, omnes Fideles videntur respicere, & tangere. Ergo videtur, vt ab omnibus approbentur, quæ in eis constituenda sunt, & omnes debeant conuocari; cùm regula iuris sit: quòd omnes tangit, ab omnibus approbari debet.

Nonò: Concilium vniuersale repræsentat vniuersalem Ecclesiam; sed vniuersalis Ecclesia dicitur collectio omnium Fidelium, vt in cap. Ecclesia, de consecrat. distinct. 1. Ergo videtur, quòd ad hoc, quòd tale Concilium veraciter vniuersalem Ecclesiam repræsentans, rectè celebretur, omnes Fideles, aut saltèm de quolibet statu aliqui debeant necessariò ad illud vocari.

Decimò arguitur, quòd in Concilijs vniuersalibus primis leguntur non modò Episcopi, sed etiam Monachi, & Presbyteri, & etiam laici subscripsisse leguntur; sicut potest colligi ex sexta, & octaua Synodo. Ergo videtur ità esse obseruandum in alijs.

CAP. XIV.

In quo ponitur solutio ad obiecta facta,

VT plenior habeatur veritatis notitia, & clariùs satisfiat obiectionibus factis ex aduerso: consideranda sunt, quæ in superioribus tetigimus, vbi descripsimus Concilium vniuersale. Synodus vniuersalis congregatur principaliter ad ordinandum auctoritatiuè aliquid in Ecclesia Dei. Et quia ad hoc rectè faciendum necessariò præire oportet maturum consilium. Quoniàm, vt dicit quidam sapiens: Diù deliberandum est, quod constituendum est semel.

Hinc duæ voces distinguuntur in Concilio, scilicèt, vox consultoria, siue consultiua; & vox decisiua, siue definitiua.

Prima vox est propriè eorum, qui prudentia præcellunt, quæ mater est consiliorum, & sapientia, quæ ad altissimarum rerum, quæ in Concilijs vniuersalibus sæpè considerandæ veniunt, cognitionem illustrat.

Secunda vox est eorum, qui potestate clauium auctoritatem in Ecclesia superiorem tenent, & quoniam Prælati maiores in Ecclesia vtrumque habent, vtpotè, qui Apostolis succedunt; quibus Dominus ait, Mat. 18. [quæcumque ligaueritis super terram, &c.]

Ipsi ergo de iure conuocandi sunt ad vniuersale Concilium, vtpotè, quibus ex officio conuenit interesse: quod nulli alij licitum esse videtur. Quoniam, vt in cap. satis euidenter dicitur distinct. 96. [Illicitum namque est, eum, qui non sit in ordine sanctorum Episcoporum Ecclesiasticorum, interesse tractatibus.] Et sunt verba Theodosij Imperatoris sanctæ Synodo Ephesinæ scribentis.

Secundò considerandum, quòd licèt Prelati maiores vocandi sint de iure ad Concilium vniuersale: possunt etiam alij vocari per Summum Pontificem ad voces consultiuas; qui, aut pro singularitate prudentia eorum, & experientia in agendis dubijs occurrentibus; aut doctrina Diuini, vel humani iuris idonei: quemadmodùm multi Magistri, & Doctores excellentes in Ecclesia sunt, siue sint seculares, siue Religiosi, qui non sunt Prælati. Quemadmodùm non tantùm factum tempore præterito legimus; sed etiam in diebus nostris tàm in Concilio Constantiensi, quàm Basiliensi vidimus practicatum, quibus interfuimus; quòd etiam opportunum erit continuare plùs, vel minùs, secundùm causas, propter quas congreganda veniunt talia Concilia. Et hoc, quia in his nostris diebus proh dolor multi Domini Episcopi, siue Prælati maiores, non tanta prudentia, & sapientia splendent, quanta pro singularitate dignitatis, qua cæteris eminent refulgere deberent. Et ità hoc modo plures non Prælati vocantur ad consiliandum super rebus agendis, vel inquirendis veritatibus ad Concilium vniuersale, qui de iure nec venire, nec interesse habent. Et tales solam vocem consultiuam habere debent. Episcopi verò & consiliatiuam, & decisiuam.

Non negamus tamen quin Papa vocans aliquas personas notabiles inferioris status ad Concilium vniuersale, vt putà Prælatos minores, aut alias personas doctas: posset illas gratiosè honorare, dando eis auctoritatem, vt etiam habeant vocem definitiuam cum Episcopis. Sicut fortè factum est cùm Abbatibus, vt in cap. Hadrianus, & in cap. in Synodo distinct. 63.

Sed hoc nec regulariter fiendum est, nec ex consuetudine prætendant ius habere in definitionibus vniuersalis Concilij.

Nec etiam cum multis hoc agendum est, aliàs iudicio nostro, saluo semper meliori, plura inconueniencia sequi possent.

Primum est, quia, vt dictum est in præcedenti cap. frequenter contingeret, vt iudicium vniuersalis Ecclesiæ non ad vota Dominorum maiorum Prælatorum, sed inferiorum resolueretur; & tota vniuersalis Concilij auctoritas sederet apud inferiores, & minores in Ecclesia. Quod quantum esset periculosum, & quàm absurdum vnusquisque benè doctus, & sanus mente intelligit.

Intelleximus tamen cùm in Basiliensi Concilio fuimus, quosdam nouellos Magistros,

ſtros, non ætate, ſed doctrina ad hoc ſumma violentia intendere: cognoſcentes, quod admiſſis nouellis doctrinis eorum de auctoritate Conciliorum, & admiſſione inferiorum Prelatorum ad voces definitiuas: maior pars Eccleſiæ eſset ſemper apud eos quotieſcumque celebrarentur vniuerſalia Concilia; à quo periculo dignetur Eccleſiam ſuam ſanctam Chriſtus cuſtodire.

Secundum inconueniens, quod ſequeretur, ſi alij, quàm Epiſcopi admitterentur in multitudine ad voces definitiuas eſt. Quia hoc dato, eſset in poteſtate vnius Principis, in cuius terra celebraretur Concilium vniuerſale, definire quicquid vellet in Concilio, ſiue aduersùs Papam, ſiue Clerum, ſiue alios Principes ſeculares; cùm mittere poſset tot Doctores, Magiſtros, & Abbates, Parochos, & Curatos, qui ſupergrederentur multitudinem Epiſcoporum.

Practicam hanc ſacrilegam partim oculis noſtris aſpeximus dolenter in Baſilien. Concilio. Quid autem hoc magis inimicum fidei, & vnitati, ac paci Eccleſiæ eſse poteſt planè nihil.

Præterea tertium inconueniens, quòd ſequeretur eſt, quòd ſi inferiores Prælati in Concilijs vniuerſalibus haberent voces definitiuas, quemadmodùm Domini Epiſcopi, iam in regimine vniuerſalis Eccleſiæ inferiores æquarentur ſuperioribus, quod nec natura patitur, nec ratio admittit, nec diſpoſitioni Diuinæ conſonare poteſt.

Tenendum eſt ergo, & diligenter obſeruandum, vt ad Concilium vniuerſale, nonniſi Prælati ad voces definitiuas regulariter admittantur.

His habitis, ad rationes iàm deueniendum eſt.

Ad primam reſpondetur, negando conſequentiam, ſi ex illo vellet aduerſarius arguere, quòd Seniores illi, qui cum Apoſtolis conueniſſe dicuntur, habuerint voces definitiuas in illo Concilio, maximè, quia Seniores illi, qui etiam ibi dicuntur Presbyteri, dubium eſt, an fuerint laici, vel Sacerdotes, cùm gloſſa ſuper verbo [Presbyteros,] dicit ætate, vel gradu.

Sciendum ergo videtur, quòd Seniores illi, licèt conuenerint cum Apoſtolis in Concilio conſultando; nihilominùs determinatio, & definitio facta fuit per Apoſtolum Petrum. Nàm, vt ait Hieronymus in epiſt. ad Auguſtinum, [Petrus Princeps fuit illius decreti.] Vndè gloſſa ſuper verbo [tacuit omnis multitudo,] dicit, [concordans Petro.] Et ità etiam exponit Magiſter Nicolaus de Lyra.

Nec obſtat, quod ſequitur: [Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis;] quia hoc non arguit, quòd omnes habuiſſent in decreto auctoritatem definiendi, quod ſolis maioribus conuenit; ſed benè, quòd omnes concurrerint in conſultando, & diſcernendo, quod conueniebat.

Prætereà, nec obſtat, quòd in perſona omnium ſcripta legatur epiſtola, quam ad fratres Antiochiæ exiſtentes mittebant. Quoniàm, vt ibidem dicit gloſſa, & commemorat Dominus Hugo Cardinalis in expoſitione.

Ideò titulus communis ponitur in epiſtola, ne aliqua diſſenſionis occaſio relinqueretur; ideſt, vt daretur intelligi, quòd omnes in illa ſententia conuenirent, ratione cuius communis ſenſus nomine omnium ſcripta eſt epiſtola illa; non autem ex hoc, quòd omnes habuerunt voces definitiuas in illo Concilio.

Ad ſecundam rationem reſpondetur, quòd textus præfatus non eſt ad propoſitum, quoniàm illi dicuntur ibi à Papa miſſi tamquàm eius Legati, vt locum eius tenerent in Concilio. Hoc autem fieri benè poteſt auctoritate Papæ, quemadmodùm etiam alij etiam minores, vt Diaconi, loca tenere poſſunt aliorum Patriarcharum in Concilijs, vt colligitur in capit. præcipimus diſtinct. 92. quòd eſt factum in ſexta Synodo, & ex cap. 1. diſt. 94. quòd eſt Symmachi Papæ.

Ad tertiam reſpondetur, negando conſequentiam: quia licèt Abbates leguntur interueniſſe in præfato Concilio generali cum Epiſcopis, differenter tamen: Primò, quia Epiſcopi ſunt hi, qui de iure, & officio intereſse debebant: Abbates verò ſunt hi, qui de gratia Summi Pontificis vocabantur. Secundò, quia in Concilio Epiſcopi habebant voces conſultiuas, & definitiuas: Abbates verò conſultiuas tantùm; vel ſi etiam definitiuas, hoc erat ex beneplacito Rom. Pontif. quod fieri poteſt, ſicut ſupra diximus.

Ad quartam, quòd nullo modo facit ad propoſitum; quoniam Clerus totus, & populus non eſt vocatus ad conſulendum, ſiue definiendum aliquid Synodaliter; ſed ad hoc, quòd ipſis præſentibus, & gratum habentibus, Leo Papa cum maiori ſolemnitate daret Regi Carolo Patriciatus dignitatem, & ordinationem Apoſtolicæ Sedis, & ità non eſt ad propoſitum.

Ad quintam reſpondetur, negando aſſumptum: non enim videtur concedendum iuxtà ſanctum Thomam tam in 2. 2. quàm in quodlibetis, & vt nos ſupra induximus lib. 1. huius noſtræ Summæ cap. 78. quòd Archidiaconi, & Presbyteri Curati ità Prælati veniant dicendi, ſicut Epiſcopi: quia Epiſcopi ſunt, qui principaliter habent curam populi; Presbyteri autem, vel Archidiaconi habent aliquas ſubminiſtrationes, ſub Epiſcopis.

Vndè ſuper illud 1. Corinth. 12. [Alij opitulationes, alij gubernationes,] dicit gloſſa ſic: [Opitulationes, ideſt, eos, qui maioribus ferunt opem. Vt Titus Paulo, vel Archidiaconi Epiſcopis, gubernationes, ideſt minorum perſonarum, vt Presbyteri, qui plebi documento ſunt. Vndè & hoc ipſum oſtenditur in ordinatione Sacerdotum, de quibus Epiſcopus ità dicit: [quantò fragiliores ſumus, ſcilicèt Apoſtolis: tantò magis his auxilijs indigemus.] Vnde in cap. cunctis, ex auctoritate Clementis Papæ, omnibus Presbyteris, & Diaconibus, & reliquis Clericis attendendum præcipitur; vt nihil abſque proprij Epiſcopi licentia agatur; & idem in capit. non debere diſtinct. 80. Vnde patet, quòd ad Epiſcopos principaliter pertineat regimen Eccleſiæ, ipſi ſunt veri, & principales Prælati; & ideò ipſorum tantùm eſt habere voces definitiuas in Concilijs vniuerſalibus.

libus, in cuius signum cùm definitio aliqua fienda est in Concilio vniuersali, ipsi soli regulariter ornamentis Pontificalibus induuntur; vtpotè, ad quos iudicium illius tribunalis tantùm expectat.

Ad confirmationem autem inductam ex cap. Concilia, respondetur, vt ibi glossa exponit, quod per Sacerdotes intelliguntur Episcopi.

Ad sextam de Cardinalibus, respondetur, quòd licèt omnes ipsi non sint Episcopi, sunt tamen quasi vnum corpus cum Romano Pontifice Summo Episcoporum. Vndè cum persona Papæ, qui caput Conciliorum est, intelligendi veniunt ipsi Cardinales, cùm sint spiritualia membra eius, vt notat Hostiensis in cap. antiqua, de priuileg. Et non minùs, quàm ipsi Episcopi vocem definitiuam habent in Concilijs habent. Vndè simùl cùm Episcopis, fdest Pontificalibus vestibus, & mitris in definitionibus Synodalibus concurrunt.

Prætereà, licèt non omnes Cardinales sint Episcopi, vt dictum est, nihilominùs habent Episcopalem iurisdictionem; vndè in cap. in nomine Domini, Cardinales Episcopi vocantur: vt ait glossa super verbo [Cardinales Episcopi.] Succedunt etiam Apostolis in dignitate Apostolica, sicut in primo huius operis declarauimus, qui principalem locum in Ecclesia tenent.

Ad septimam respondetur, negando assumptum, videlicèt, quod ideo principaliter ad Concilium euocandi sunt vniuersale, quia in lege Domini fuerint plenitudinis eruditi, &c. Hoc enim falsum est, licèt tales esse deberent, iuxtà cap. qui Ecclesiastici distinct. 36.

Sed hoc deberetur eis iure dignitatis eorum. Sunt enim Principes Ecclesiæ à Deo constituti. Psalm. 44.

Ad octauam respondetur negando consequentiam. Et cùm dicitur, quod regula iuris est. Respondetur dupliciter:

Primò, quòd ab omnibus intelligitur, approbatum est, qnòd à potioribus, siue maioribus in vniuersitate approbatur.

Secundò respondetur, quòd regula illa non facit ad propositum, cùm non habeat locum, nisi vbi iura aliquorum tangerentur cum aliquo præiudicio. Vndè Innocentius notat in cap. vestra, & in cap. fin. de off. Leg. dicens: quòd cùm Episcopus, vel Legatus velit facere statutum tangens iura aliorum; hoc debet facere cum eorum assensu, etiamsi sint laici; vel si non consentiant, saltèm debent esse præsentes.

Hoc autem non est in Concilijs vniuersalibus, vbi regulæ viuendi, & doctrinæ nemini præiudiciales, sed salutares instituuntur.

Ad nonam respondetur, negando consequentiam. Dicimus enim, quòd ad hoc, quòd Concilium vniuersale repræsentet vniuersalem Ecclesiam, non requiritur præsentia omnium Fidelium. Hoc enim est impossibile; nec aliquo tempore factum legitur. Sed sufficit, quòd in eo sint maiores, siue potiores reipublicæ Christianæ, cuiusmodi sunt Prelati maiores, vt dictum est. Vndè facta in Concilio per tales, tota Ecclesia fecisse dicitur, vt apertè colligitur ex cap. confidimus dist. 25. qu. 1.

Ad decimam respondetur, quòd licèt in aliquibus Concilijs legantur interfuisse Presbyteri, aut Monachi, siue etiam laici, non tamen ad definitiuas voces admissi, sed vel ad consultatiuas, vel vt testes essent; quod manifestè colligitur ex varietate formarum subscriptionum, quibus vtuntur isti, & illi.

Forma autem Episcoporum subscriptionis est talis:

Flauius Episcopus Constantinus iudicans subscripsi.

Forma verò Presbyterorum Archimandritarum sit:

Faustus Presbyter Archimandrita Monasterij sancti Dionysij subscripsi.

Ecce, quòd non ait sicut Episcopus iudicans subscripsi.

Imperatores verò subscribentes non dicebant se definire, vel iudicare; sed definita, & iudicata suscipere; vt patet ex subscriptionibus Imperatorum in octaua Synodo.

De ista autem materia etiam aliquid in cap. sequenti dicetur.

CAP. XV.

Qui admittendi sunt ad Concilium vniuersale, & qui non.

POstquam ostendimus, qui regulariter ad vniuersalia Concilia necessario vocandi sunt, & qui non. Quoniam multi etiam non vocati veniunt petentes admitti. Iam enucleemus, qui & quibus de causis admittendi veniant, & qui non.

In primis notum est hæreticos non esse admittendos ad Concilium iuxta cap. cum quibus 24. quæst. 3. vbi Gelasius Papa dicit non esse Ecclesiastici moris, cùm his, qui pollutam habent communionem, permixtamque cùm perfidis miscere Concilium. De fidelibus verò, quòd omnes petentes admitti, admittendi sint, videtur aliquibus de numero nouellorum magistrorum inducentibus per se, & practicam aliquorum antiquorum Conciliorum, & aliquas persuasiones.

Ex practica quidem Conciliorum arguentes inducunt primò, quòd in Concilio celebrato per Apostolos, super electione Mathiæ, de quo Act. 1. non solum interfuerunt Apostoli, sed etiam laici, & mulieres videntur admissi, vt videtur colligi ex litera illius c.

Secundò, inducunt idem ex Concilio secundo Apostolorum. Vbi multitudo discipulorum vocata legitur, vt eligerent aliquos ad quotidianæ dispensationis ministerium peragendum, vt habetur actuum 6.

Tertiò, inducunt practicam Conciliorum modernorum, scilicèt Pisanui, Constantini, & Basileensis, in quibus indifferenter, Abbates, Magistri, Doctores, Licentiati, etiam Baccalaurij, & Presbyteri, Religiosi, Pro-

Procuratores, immò etiam quasi quicunque volebant, admissi fuerunt.

Quartò, ratione sic: ad Concilium vniuersale, in quo decidendæ veniunt arduæ causæ videntur omnes admittendi, quorum res agitur, & vertitur interesse propriæ salutis, sed huiusmodi sunt omnes fideles, ergo nullus fidelis, qui interesse, vult debet excludi, siue non admitti.

Quintò, quilibet filius tenetur pro sua facultate succurrere Matri suæ in angustijs constitutæ, sed omnes fideles sunt filij Matris Ecclesiæ, vt patet, ergo omnis fidelis tenetur pro sua possibilitate subuenire sanctæ Matri Ecclesiæ, sed vniuersale Concilium ad hoc congregatur, vt necessitatibus Ecclesiæ subueniatur. Ergo ad illud debent admitti omnes, qui opem volunt conferre.

Sextò, confirmatur sic ratio ipsa, quilibet homo sanus mente videns domum propriam, vel Domini sui ardere, debet occurrere, vel cum aqua, vel cùm aliqua alia re ad extinguendum incendium, sed domus propria, siue Domini Nostri Dei est vniuersalis Ecclesia. Ergo incenso in illa scandalo, debent omnes fideles concurrere, iuxtà illud Prophetæ psalm. 68. zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobantium tibi ceciderunt super me, sed hic concursus fit in Concilio vniuersali. Ergo ad id sunt admittendi omnes fideles concurrentes ad patrocinium conferendum.

In oppositum tamen videntur esse quæ dicta sunt in præcedenti capitulo. Præterea si passim omnes fideles petentes admitti ad Concilium admittendi essent, maximè ad voces definitiuas, & consultiuas, plura mala sequerentur, vt perturbatio pacis scandalorum materia, seditiones, rixæ, contentiones; difficultas aliquid rectè concludendi, orirentur.

Quoniam, vt ait beatus Chrysostomus in princ. suprà Io. in comm. literali. Multitudo Mater est seditionis, & contumaciæ. paucitas magistra disciplinæ. Et Augustinus, contrà Iulianum lib. 2. art. 2. dicit, in causa iudicandi amoto strepitu turbarum, honorandam esse paucitatem, quam ratio eruditionis, libertasque sublimat. Respondendo ergo ad hanc quæstionem, videtur nobis dicendum, quòd nullo modo conueniat admittere omnes, qui admitti postulant ad vniuersale Concilium ad voces definitiuas, nec etiam consultiuas, nisi vt suprà diximus.

Et tamen notandum, quòd reuoluentibus nobis multas historias, & practicas obseruatas in multis Concilijs, cognoscimus occurisse in facto, quòd multis, & varijs de causis aliqui preter Prælatos superiores, quos vt suprà diximus in his, quæ pertinent ad corpus vniuersalis Concilij admissi, & possunt admitti ad vniuersalia Concilia.

Primò, quidem modo ad pleniùs consulendum in agendis, & disponendis in Concilijs vniuersalibus, vt aliqui prudentes, & experti viri in notitia rerum tractandarum in Concilio, vt etiam si disponeretur via in Ierusalem, aut de bello contrà Turcas: admittendi venirent homines, qui in dispositiones rerum necessariarum pro tali negotio essent docti, & experti.

Secundò, leguntur admissi gratia disputationis tantùm, vt si contrè hæreticos disputatione agendum esset, vt aliqui doctissimi Magistri, & Doctores, sicut diebus nostris primò vidimus Basileæ, cùm contrà Bohemos disputabatur: secundò Florentiæ ad disputandum cùm Græcis. Hoc etiam superioribus temporibus legimus latiùs pertractatum super quæstionem de gradibus consanguinitatis per Alexandrum Papam II. de quo in cap. ad Sedem 35. quæst. 5. ità Papa loquitur, ad Sedem Apostolicam perlata est quęstio noniter orta de gradibus consanguinitatis, quam quidam legum, & Canonum imperiti excitantes, &c. sequitur, infrà hanc quęstionem discutere curauimus in Synodo habita in Lateranensi Consistorio, conuocatis ad hoc opus Episcopis, & Clericis, atque Iudicibus diuersarum Prouinciarum. Hæc ibi.

Tertiò, admissi leguntur aliqui tanquam Iudices discretiui, ad discernendum inter altercantes aliquos super aliqua profunda, siue ardua quæstione. Vndè in Synodo illa amplissima celebrata Romæ, in qua cùm coram Imperatore Constantino, & Hælena disputandum veniret inter Christianos, & Iudæos tempore beati Syluestri, quæ lex, an scilicèt Christianorum; an Iudæorum pręferenda veniret? Iudices duo positi sunt non suspecti, scilicèt Crato philosophus, qui nihil terrenum habere volebat, & Zenosmo, qui consul existens nunquam munus ab aliquo suscepit. Legimus etiam in Concilio Chalcedonensi in disputatione contrà Dioscorum Iudices discretiuos positos fuisse. Vndè de eis in actione 16. Sic habetur. Gloriosi Iudices dixerunt, ex his, quæ gesta sunt, vel ab vnoquoque deposita, ante omnia quidem, Primatum, & honorem præcipuum, secundùm Canones antiquos Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari oportet. Item in 8. Synodo actione 1. sic habetur. Imperatores nostri miserunt nos seruos suos, qui Senatores eorum Senatus vocantur, qui voluntate Dei honoratus est secundùm omnia, vt simus discreti eorum, quæ geruntur, Auditores.

Quartò, admissi leguntur ad vniuersalia Concilia, & etiam admitti possent ad conseruationem fidei, & defensionem, & gestarum rerum pleniorem acceptationem. Hoc modo Imperatores, & Principes quandoque leguntur ad vniuersalia Concilia admissi, ait enim Martianus Imperator in Chalcedonensi Concilio. Nos ad conseruandam fidem, non ad potentiam ostendendam exemplo gloriosissimi Principis Constantini Synodo interesse volumus, vt inuenta veritate, non vltra, multitudo prauis doctrinis attracta discordet.

Quintò, admittuntur aliqui ad Concilium gratia protectionis Synodi, & libertatis illius vt Princeps, vel eius locum tenens, in cuius territorio Synodus celebratur, maximè quando Synodum extra terra Ecclesiæ Romanæ celebrari contingit.

Sextò, admittuntur aliqui ad Concilium gratia doctrinæ, & eruditionis. Hac ratione non modo clerici, sed etiam laici admitti possunt, cùm aut de fide agitur, aut de gradibus consanguinitatis, vt erudiantur. Vndè Nicolaus Papa in capit. vbi distinct. 96. inquit. Vbi nam legistis Imperatores antecessores vestros Synodalibus inter-

ter-

terfuisse conuentibus, nisi forsan, vbi de fide tractatum est quæ vniuersalis est, quæ omnium communis est, quæ non solùm ad Clericos, verùm etiam ad laicos, & ad omnes pertinent Christianos.

Septimò, admittuntur aliqui, qui habent aliquid opponere, vt putà aut quærelas, vt qui habent causas litigiosas, vel qui super aliquibus grauibus occurrentibns causis circa materias, super quibus Synodus est congregata, petunt sibi per Synodum prouideri. Verùm isti, nec definitiuam, nec consultiuam vocem habent in Concilio, sed expositiuam tantùm. Vndè expositis verbo, vel scripto, quæ exponere voluerunt,non habent ampliùs Synodo interesse.

Octauò,aliqui leguntur admissi ad Concilia ad ampliorem notitiam iustitiæ veritatis. Hac de causa Innoc. in cap. ad Apostolicæ, de sententia, & re iudic. lib.6. dicit. Si diceret, scilicèt ipse Fredericus,quòd in nullo contra iustitiam Ecclesiam læserat, vel quòd nos eum contra iustitiam læsissemus. Parati eramus conuocare Reges, Prælatos, & Principes tàm Ecclesiasticos, quàm seculares ad aliquem tutum locum, vbi per se, vel solemnes Nuncios conueniret, &c.

Nonò, admissi leguntur aliqui ad Concilia gratia ministerij, vt officiales Notarij, & Procuratores. Vndè pluria verba leguntur in gestis Conciliorum, quæ sunt verba Notariorum referentium tam dicta Patrum, quàm etiam Imperatorum.

Decimò, admissi leguntur aliqui ad maiorem solemnitatem eiusdem, sicut patet in Synodo Romæ celebrata, in qua Leo Papa, clero, & populo simul conueniente, dat Regi Carolo Patriciatus dignitatem, vt in cap. Synodo distinct. 63. hoc etiam patet in Synodo Romæ celebrata in qua Nicolaus Papa formam electionis Romani Pontificis disponens in cap. in nomine Domini distinct. 23. in talibus enim Synodis, ad quæ non fiebat conuocatio Episcoporum,de diuersis prouincijs admittebantur, quandòque alij inferiores, vt Diaconi, Presbyteri, & Monachi, sicut in prædictis Concilijs legitur factum pro honore, & amplitudine Concilij.

Vndecimò, reperiuntur aliqui admissi ad Concilium, vt sint testes gestorum in Concilijs per subscriptiones eorum, sicut in quinta, & octaua Synodis legitur, quòd Presbyteri, Monachi, Diaconi, Lectores subscripserunt, & Imperator, ac Senatus.

Duodecimò, leguntur aliqui admissi gratia sanctitatis, cùm scilicèt aliquid orationum suffragio à Deo postulandum occurrit. Exemplum huius colligitur ex primo Concilio Apostolorũ,in quo cum orationibus impetrandum foret, admissi sunt omnes 120. qui cùm Apostolis erant in cęnaculo ad Concilium illud, vt omnium orationibus interuenientibus, faciliùs eorum petitio exaudiretur His habitis facilè respondetur ad rationes factas in oppositum. Verùm pro solutione obiectionum, quæ sumuntur ex practica, & forma præteritorum Conciliorum. Notandum, quòd de modo celebrandi Concilia vniuersalia, quo ad personas maximè vocandas, vel admittendas,præter Episcopos, nulla certa forma data est. Cuius ratio esse videtur, quia forma, & modus celebrationis vniuersalium Conciliorum pendet omninò ex dispositione Papæ, qui auctoritate, & potestate est suprà vniuersalia Concilia, vt extra de elect. cap. significasti,qui pro rerum,& casuum varietate potest illos, vel illos vocare, vel admittere, & ideò ex modo, vel ex forma seruata in vno Concilio vniuersali, vel in alio, siue per Apostolos,& Patres succedentes nõ potest capi efficax argumentum, quia variæ formæ leguntur obseruatæ circa personas instantes admittendas, vel non admittendas, vt iam visum est. Et maximè hoc verum est ex forma obseruata in quibusdam Concilijs, quæ non pro grauibus causis, & vniuersalibus, sed particularibus, & non ad definiendum, vel statuendum aliquid vniuersaliter pro tota Ecclesia celebrata sunt. Quare licèt primitiua Ecclesia celebrando aliqua Concilia exemplum nobis dederit, vt nos occurrentibus necessitatibus illa celebremus; vt ait gloss. act.15. non tamen obligamur,ritum tunc obseruatum, nunc obseruare, sicut nec ritum tunc circa Sacramentorum dispositionem obseruatum, obseruare tenemur, sicut patet de vsu sacramenti Eucharistiæ, quod institutum, & celebratum post cœnam legitur, & Apostolis traditum, Lucæ 22. quod tamen nos nonnisi ieiuni celebramus, & sumimus, iuxta cap. liquido de consecr. distinct. 2. vbi Augustinus, ità inquit. Placuit Spiritui sancto, vt in honore tanti Sacramenti priùs in os Christiani, corpus Dominicum intraret, quàm cæteri cibi, vnde ad argumentum, quòd sit. Christus post cœnam, siue cibum sumpsit Sacramentum, ergo nos ità debemus facere.

Respondet sanctus Thomas in 4. quòd non sequitur, quia non oportet, quòd Ecclesia seruet ordinem sumendi, quem Christus seruauit, quia non oportet, quod conuenit principio, vel generationi alicuius rei, quod competat ei, quando iam est in esse perfecto, & similiter non oportet, vt quod conuenit Sacramento in sui institutione,quòd competat ei quantum ad suum vsum. Similiter dicere possumus de ordine, & forma celebrandi Concilia.

Non enim oportet, quòd ritus obseruatus per Apostolos in Concilijs suis, seruetur per omnia nunc à nobis, quia aliquid fuit tunc conueniens,quando Ecclesia erat paruula, & in principio sui, quod nunc non conueniret Ecclesia producta ad perfectiorem statum, multa varietate ordinum, ac officiorum distributum.

Ad argumenta autem duo prima sumpta ex practica Conciliorum obseruata per Apostolos. Respondetur, negando consequentiam factam, tum ratione iam dicta, tum quia nunc non occurrit circa omnes, qui admitti petunt ad Concilia eadem raio propter quam Apostoli alios, quàm Apostolos, & Ecclesiasticos admittebant ad Concilia sua.

Ad tertium,quòd inducitur de Concilio Constantiensi, & Basiliensi.

Respondetur primò, quòd consequentia non valet, vt patet ex dictis.

Secundò dicitur, quòd paruum, aut nullum argumentum faciunt obseruata in præfa-

præfatis Concilijs; tum quia Pisanum, & Constantiense, quantùm ad eorum principium antequã forent omnes tres obedientiæ congregatæ, cùm fuerint celebrata in schismate non fuerunt vniuersalia Concilia habita à tota Ecclesia. Basileense verò cùm fuerit toti Ecclesiæ scandalosum, quod maximè euenit ex hac indiscreta admissione multorum ad voces definitiuas in Concilio, non est habendum in memoria alicuius auctoritatis.

Ad quartam, respondetur sub tali distinctione, aut in Concilio vniuersali, in quo aliquis de inferioribus petit admitti, tãgitur res, & salus illius in particulari, vt putà quia est accusatus de aliquo crimine, & proceditur contra eum, tunc concedimus, quòd admittendus est omnis talis ad respondendum pro se, vel ad indulgentiam petendum, quod etiam, vt ait gloss. in cap. conuenientibus 1. quæst. 7. conceditur, & tamen non propter hoc dicuntur admitti in Concilio ad voces consultatiuas, vel definitiuas. Si verò non agitur de salute illius in particulari, sed in communi cùm omnibus alijs fidelibus, tunc non est necessarium illum admitti, sed sufficit quòd superiores, & potiores, in quibus virtute omnes alij continentur intersint Concilio, aliàs quilibet fidelis, & etiam mulieres admittendæ venirent ad quæcumque Concilia, in quibus tractaretur de salute fidelium, aut rebus vniuersitatum, quòd est absurdum.

Ad quintam respondetur, negando consequentiam, quoniam licèt omnes fideles, qui se offerunt ad subueniendum necessitatibus Ecclesiæ occurrentibus, admitti debeant ad succurrendum Ecclesiæ, & cùm magna charitate suscipi, quando iuxta conditionem status eorum, & facultates in subsidium Ecclesiæ se offerunt, vt puta si agendum esset contra hæreticos, & infideles manu armata, aut passagium fiendum in terram sanctam, offerrent se, aut bona sua, non tamen ex hoc sequitur, quòd admittendi veniant in Concilio, prout hìc loquimur de admissione, videlicèt ad voces definitiuas, vel etiam consultiuas habendum in eo, quia si hoc daretur, vt iam diximus, nimis confusa esset Synodalis congregatio.

Ad vltimam rationem, simili modo respondetur.

CAP. XVI.

An omnes Prælati maiores totius Orbis Christiani necessario vocandi veniant ad Concilium vniuersales.

Viso qui ad vniuersalia Concilia de per se, & necessariò vocandi veniunt, quia scilicèt Prælati maiores. Consequenter enucleandum venit, an necessariò omnes Prælati maiores Orbis vocandi sint, & interesse debeant vniuersali Concilio?

Ad cuius quæstionis determinationem, repetenda nobis est distinctio Concilij vniuersalis, quam supra posuimus. Diximus enim, quòd vniuersale Concilium ad præsens capitur dupliciter, vno modo dictum ab vniuerso, sicut Prouinciale à Prouincia, & hoc modo Concilium vniuersale dicitur, quod Papa, vel eius Legatus cùm Patribus de toto vniuerso celebrat, quòd iuxta Augustinum appellamus plenarium Concilium.

Alio modo dicitur vniuersale ab vniuersitate auctoritatis, quæ est supra totam Ecclesiam.

Primò modo loquendo de vniuersali Concilio, quod dicitur plenarium, dicimus ad perfectionem huius Concilij omnes Episcopos Orbis conuocandos esse, etsi non particulariter, in communi saltem conuocando, & inuitando Patriarchas omnes, & Primates, vt ipsi cùm Episcopis, quos duxerint eligendos, quia nec est possibile, nec etiam vtile omnes simul conuenire, veniant ad Concilium. Hoc satis apertè probatur ex gestis octaui Concilij, ad quod Basilius Imperator dicitur Architectos Ecclesiastici tabernaculi à finibus Orbis conuocasse. Item legitur ibi, quòd in aduentu Vicarij Patriarchæ Alexandriæ, qui deficiebat. Patres istius Concilij dixerunt. Glorificamus Deum vniuersorum, quòd, quod deerat vniuersali Concilio suppleuit, & nunc perfectissimum demonstrauit. Hæc ibi. Vndè Abbas Anastasius in epistola ad Adrianum Papam de octaua Synodo loquens, ait sic. Facta est ergo hæc sacrosancta Synodus anno Imperij Basilij Pij Principis tertio, qui vniuersos Patriarchales thronos, sic, vt aliorum nulla in eorum loci seruitoribus Præsules habens, vniuersalis non inconuenienter ab omnibus appellatur. Vniuersalis est enim primò, quia Catholica fides in ea, & sanctæ leges, quæ non solùm sunt à Sacerdotibus, sed ab vniuersis Christianis, coli debent & venerari contra hostes earum, consona voce defendi. Deindè quia cùm Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, tot Patriarchales Sedes, quot in cuiuscumque mortalis corpore sensus locauerat, profectò generalitate nihil deest se Ecclesiæ, si omnes illæ Sedes vnius fuerint voluntatis. Sicut nihil deest motui corporis, si omnes sensus integræ, communisque fuerint sanitatis. Inter quas, videlicèt Sedes, quia Romana præcellit, visui non immeritò comparatur, qui profectò cunctis sensibus præeminet acutior illis existens, & communionem sicut nullum eorum, cùm omnibus habens. Hæc ibi.

Ex quibus patet, quòd Concilium vniuersale non dicitur, quia omnes Orbis Præsules præsentialiter conueniant, sed repræsentatiuè tantùm. Vnde ipsi Patres aduenientes, & si pauci respectu aliorum, tamen cùm vniuersitatem aliorum repræsentent, auctoritatem Concilij adimplent, cum nomine aliorum veniant.

Vndè in secundò Concilio Aphricano dicitur, quòd Legati aliorum nomine plenam tribuunt in Concilio auctoritatem. Et indè est, quòd quicquid per præsentes conclusum fuerit, vniuersali consensu dicitur conclusum, vt ex cap. sicut dist. 15. colligitur, vbi beatus Gregorius, post commemorationem quinque primorum Conciliorum vniuersalium,ità inquit:

Cunctas verò personas, quæ præfata vene-

veneranda Concilia respuunt, respuo, quæ venerantcr amplector, quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumit, &c. licèt enim omnes Prælati Orbis in illis Concilijs congregati non fuerint, quia tamen præsentes repræsentabanr omnes, qui vocati erant, omnium illorum auctoritatem, siue consensum habuisse iudicantur.

Vndè in quodam Concilio Tolletano sic dicitur. Si quis autem, tàm nostram, quàm eorum,qui nunc ex Prouincia sanctæ Synodo defuerunt huic salubri ordinationi obuiare præsumpserit,conuictus totius fraternæ charitatis habeatur extraneus, censentur enim illi præsentes, alijs ritè ad Synodum expectantibus vocatis, omnem auctoritatem habere. Hæc ibi.

Hoc vniuersalitatis modo prima octo Concilia vniuersalia dicta sunt, quoniam ad ea de vniuerso Orbe Christiano Patres conuenerunt, & licèt pauci numero,omnes tamen auctoritatis repræsentatione fuerunt, quia Primum fuit 318. Patrum. Secundum 150. Tertium 200. Quartum 230. æquè tamen dicuntur fuisse vniuersalia, & plenaria Concilia, tum ex præsentia auctoritatiua Apostolicæ Sedis, quæ in totum Orbem habet Primatum, tum ex repræsentatione in præsentibus consensus omnium Episcoporum Orbis quod etiam manifestè colligitur ex actione tertia septimæ Synodi, vbi in epistola, quam Orientales Episcopi scribunt Cæsario Constantinopolitano Patriarchæ, ita habetur. Si volueritis celebrare Synodum, ne molestia vobis appareat,trium Apostolicarum Sedium Patriarchalium,& sanctissimorum Episcoporum, qui sub ipsis degunt, absentia, non ex proprio eorum accidens proposito, sed ex dominantium illis terribilibus minis, & mortiferis pœnis. Hoc autem subtilius est considerandum, etiam ab ipsa sacra, & vniuersali sexta Synodo, in qua nullus eorum, qui per idem tempus in his partibus Episcopi erant, conuenisse repertus propter obsequorum obtinentiam, sed nullum ex hoc sanctæ adhæsit Synodo præiudicium, nec vires habuit prohibitio aliqua statuendi, & manifesta faciendi recta dogmata pietatis,præcipuè cum sanctissimus, & Apostolicus Papa Romanus concordauerit, & in ea inuentus sit per Apocrisarios suos, & nunc sanctissimè hoc cùm Dei adiutorio similiter fiet. Hæc ibi. Vbi non est prætereundum, quòd in his Concilijs vniuersalibus in partibus Orientalibus celebratis, pauci, aut nulli de latinis fuerunt præter Legatos Papæ.

Secundò autem modo loquendo de vniuersali Concilio dicto non ab vniuersitate Orbis, ita quòd de vniuerso Orbe Patres vocati sint, aut conuenerint: sed ab vniuersitate potestatis, quomodo dicitur vniuersale Concilium, quòd Papa per se, vel Legatum suum celebrat aliquibus Prælatis vocatis de rebus, quæ vniuersalem Ecclesiam respiciunt, dicimus, quòd non est necessarium ad illud vocare omnes Prælatos Orbis, siue Episcopos de toto Orbe, sed sufficit vocare aliquos de aliquibus Prouincijs, & eos, de quibus pro qualitate negotiorum,& temporum opportunitate Romano Pontifici videbitur expedire & fuerit facultas, nunc de multis, nunc de paucioribus Prouincijs, siue etiam de vna tantum in cap. Guilisanus 23. quæst.4. dicit Papa cùm Episcopis, quos congregare potuit. Hoc autem etiam exemplo ostendimus.

Primo quidem exemplo, & practica Conciliorum celebratorum tempore Ecclesiæ primitiuæ per Apostolos, licèt enim beatus Petrus Primus à Christo Summus Ecclesiæ Pontifex constitutus plura legatur cùm Apostolis Concilia vniuersalia celebrasse, vt superiùs cap. 2. commemorauimus, non tamen omnibus Apostolis præsentibus illa celebrasse legitur, nec absentes Apostoli, qui illis temporibus per Iudæam dispersi erant ad prædicandum, conuocati, nec aduenisse leguntur, sed solùm cùm his, qui Hierosolymis erant Apostolis,& Senioribus legitur celebrasse, immò in Concilio, quod in materia fidei super quæstionẽ de cessatione legalium celebratum est, solum beatus Petrus, & Iacobus, qui Hierosolymorum Episcopus erat, & Paulus, & Barnabas, qui ad habendum determinationem præfatæ quæstionis venerant Hierosolymam, conuenisse leguntur.

Secundò, hoc idem colligitur ex practica aliorum, quæ Conciliorum, quæ per sanctos Patres celebrata leguntur, tempore enim Cornelij Papæ, cùm noua hæresis insurgeret negaurium indulgentiam assequi posse post lapsum, cuius Auctorem Nouatum Presbyterum fuisse ferunt, congregata est Synodus celeberrima Romæ ab ipso beato Cornelio, in qua Nouatus cùm suis complicibus ab Ecclesia proiectus est, & definitum est, eos qui lapsi fuerunt,indulgentiam consequi posse, ad quam tamen Synodum non omnes Patriarchæ, nec Episcopi Orbis vocati leguntur:

Prætetea,idem patet de amplissimaSynodo Romæ celebrata per beatum Syluestrum post Nicænam Synodum 277. Episcoporum, in qua confirmatis regulis Nicæni Concilij, & damnatoArrio,multa Ecclesiasticis profutura definita sunt,& tamen ad hanc Synodum non leguntur Episcopi de toto Orbe congregati. Idem est etiam de Synodo tempore Cœlestini Papæ congregata Romæ celeberrima, quæ Nestorium velut hæreticum damnauit,de qua Synodo beatus Cyrillus Alexandrinus Episcopus in Synodica epistola ad eumdem Nestorium sic ait:

Ecce itàque cùm sancta Synodo, quæ apud amplam vrbem Romam congregata est præsidente sanctissimo, & venerandissimo fratre, & consacerdore nostro Cœlestino Episcopo his scriptis Synodichis te iam tertiò conuenimus, &c. & ità de multis alijs, &c. quæ vniuersalia, & celeberrima, ad quæ non de toto Orbe Christiano leguntur conuocati Prælati, sed de aliquibus tantùm Prouincijs, de quibus conuenientiùs, atque faciliùs poterant conuenire, & tamen in ipsis de fide, quæ vniuersalis est actum est,& instituta sunt multa, ad quorum obseruantiam tota Ecclesia est astricta, sicut de Cõncilijs multis exempla adducere possemus faciliter, sicut de celebratis, sub Hilario Papa, sub Felice III. sub Gelasio, sub Symacho, sub Stephano III. sub Nicolao I. sub Gregorio VII. sub Calixto II.

to II. sub Innocentio II. sub Eugenio III. sub Alexandro III. sub Innocentio III. & Clemente V. Exemplum etiam, quòd ad Synodum generalem, solùm Patres vnius Prouinciæ sunt euocati, potest colligi ex Concilio illo Apostolorum, quod congregatum fuit super quæstione legalium act. 15. vbi cùm Apostolis seniores tantùm Prouinciæ Iudeæ dicuntur conuenisse, nec alij absentes Apostoli, aut Discipuli sunt vocati, sicut superiùs circa 2. cap. notauimus.

Est autem notandum circa vniuersalia Concilia, quæ plenaria dicuntur, ad quæ de toto Orbe Patres vocabantur, quòd quia talia plurimùm habebant difficultatis, & laboris, non nisi pro maximis rebus, & arduis congregabantur, vt putà quando hæreses exortæ magnos habebant auctores, & fautores, aut multitudinem Episcoporum, sicut contingit de præfatis octo vniuersalibus Concilijs. Et ideò raro leguntur à Patribus celebrata, prout ex temporibus Summorum Pontificum colligi possunt. Vnde à primo Concilio Nicæno, quod celebratum fuit sub Papa Siluestro, vsque ad secundum, quod celebratum est Constantinopoli sub Damaso Papa, fluxerunt 52. anni.

A secunda Synodo vsque ad tertiam, quæ fuit Ephesina prima, quæ celebrata fuit sub Cęlestino Papa, fluxerunt anni 60.

A tertio verò Concilio, vsque ad quartum in Chalcedonia, quod celebratum fuit tempore Leonis Papę Primi, fluxerunt secundùm aliquos 30. secundùm alios 29. anni.

A quarta vsque ad quintam Synodum, quæ est celebrata Constantinopoli, fluxerunt anni 128.

A sexta vsque ad septimam, quæ celebrata fuit in Nicæna Vrbe tempore Hadriani Papæ, fluxerunt anni 110.

A septima vsque ad octauam, quæ celebrata est in Constantinopoli tempore Hadriani II. fluxerunt anni 82.

Et ità patet, quàm raro celebrantur temporibus illis Concilia illa generalia, cùm spatio quingentorum quadragintaquinque annorum tantùm octo Concilia plenaria celebrata legantur.

CAP. XVII.

In quo ponuntur obiectiones aliquæ contra prædicta.

ADuersùs ea, quæ iam dicta sunt, videlicet, quòd Concilium, quod Romanus Pontifex, non vocatis omnibus Episcopis Orbis, sed aliquibus tantùm, celebrat, vniuersale Concilium dicatur, obuiatur per aduersarios multipliciter.

Primò, ex definitione illa posita in glos. cap. 1. dist. 17. vbi sic dicitur: Concilium vniuersale est, quod Papa, vel eius Legatus cùm omnibus Episcopis constituit: ergo videtur, quòd de ratione vniuersalis Concilij sit, vt omnes Episcopi conueniant ad illud, vel saltem vocentur.

Secundò sic: vniuersale Concilium dicitur repræsentare vniuersalem Ecclesiam, vt colligitur tam ex cap. confidimus 15. qu. 1. quàm ex cap. sicut, dist. 15. ergo necessarium videtur, quod in eo concurrat vniuersitas Prælatorum, in quibus cæteri contineri, & repræsentari videntur.

Tertiò sic, cùm Romanus Pontifex non sit vniuersalis dicendus, iuxtà capit. vbi distinct. 99. non videtur, quòd ipse sine Episcopis totius vniuersi possit constituere vniuersale Concilium.

Quartò sic, si Papa paucis Episcopis vocatis de vna, vel duabus, aut tribus Prouincijs, exclusis omnibus alijs, intrà tamen Ecclesiæ vnitatem existentibus, posset celebrare vniuersale Concilium, tunc totus status tam fidei, quàm vniuersalis Ecclesiæ, qui consueuit declarari, & disponi in Concilijs vniuersalibus plenarijs, per hunc modum indirectè ad votum Papæ, & paucorum resolueretur, quod videtur nimis periculosum, vt quòd fides nostra committatur arbitrio vnius hominis, vt inquit Archid. in glos. cap. Anastasius dist. 19.

Quintò sic, si Papa cum paucis Episcopis de vna, vel duabus, vel tribus Prouincijs potest facere Concilium vniuersale tantæ auctoritatis, sicut plenarium, tunc sequeretur, quòd frustrà fierent, & facta essent Concilia plenaria; quoniam magis viderentur esse in fatigationem Ecclesiæ, quàm vtilitatem, quod tamen non est dicendum; cùm in maxima veneratione habita sint, iuxtà cap. sicut, dist. 15. & cap. octo, dist. 16.

Sextò sic, si Prælati, qui habiles sunt, & de officio interesse tenentur vniuersali Concilio, si non vocantur, videntur posse agere de contemptu; iuxtà cap. quod sicut, de elect. sed hoc non esset, nisi quòd omnes Prælati tales sunt vocandi, &c.

CAP. XVIII.

In quo datur responsio ad superiora obiecta.

SAnè, sicut supra diximus, dicendum videtur, quòd & si de congruo omnes Episcopi, qui habiles sunt, & intrà vnitatem Ecclesiæ constituti, si commodè fieri posset, ad vniuersale Concilium inuitandi essent; nihilominùs tamen non omnes necessariò de toto Vniuerso Christiano sunt semper vocandi. Nam, vt testatur beatus Thomas in quæstionibus de potentia, qu. 10. art. 4. Constantinus Augustus, sub quo celebrata est Synodus 6. dixit, quòd propter imminentia bella vniuersaliter Episcopos congregare non potuit, vnde non fuerunt, nisi 150. & tamen vniuersalis Synodus inter alias est appellata, vt in cap. sexta, dist. 16. dicendum ergo est ad rationes in oppositum factas.

Ad primam, quæ fundatur in gloss. capit. 17. dicimus, quòd loquitur de vniuersali Concilio primo modo dicto, scilicet plenario; nec tamen vniuersalis illa, cùm dicitur, cùm omnibus Episcopis Orbis, accipienda est, vt distribuat pro singulis Episcopis Orbis, quia fortassis numquam adhuc tale Concilium fuit, aut futurum est, in quo omnes

Epi-

Episcopi Orbis personaliter conuenirent, sed magis videtur accipienda, vt distribuat pro singulis Regionibus Orbis Christiani, vt sit sensus, Concilium vniuersale est, quod Papa, vel eius Legatus cùm Episcopis totius Orbis Christiani constituit, iuxtà modum loquendi beati Augustini; verùm quia in tali Concilio etiam omnes Episcopi iuris interpretatione interesse intelliguntur, vt supra exposuimus, potest adhuc sustineri prædicta definitio vniuersalis Concilij plenarij in prædicta gloss. vt intelligatur cum omnibus Episcopis, scilicet vel personaliter, vel repræsentatiuè constituitur.

Ad secundam respondetur, quòd Prælati illi per summum Pontificem ad Concilium vocati cum intentione, vel eius auctoritate aliquid disponant in vniuersali Ecclesia, licèt pauci sint respectu aliorum; nihilominùs tamen Papa, vel eius auctoritate fulti repræsentant etiam vniuersalem Ecclesiam, quemadmodum Concilium populi in ciuitate repræsentat totum populum, vt notat gloss. super Rubr. C.quæ sit longa consuetud. Episcopus enim est in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo, vt inquit Cyprianus in cap. scite debet 7. qu. 1. Papa etiam singulariter dicitur figurare Ecclesiam, vt dicit Augustinus, iuxtà cap. quodcumque 24. qu.1. hinc est, quòd id, quod Princeps totius Reipublicæ Christianæ, cuiusmodi est Papa, facit cum Prælatis aliquibus iuxtà discretionem secundùm temporum dispositionem, & tractandarum rerum qualitatem concluserit, ordinauerit, totius Ecclesiæ auctoritate dicitur esse factum.

Ad tertiam rationem respondemus: quemadmodum tetigimus in 2. libro, quòd Papa veraciter potest dici vniuersalis Episcopus, siue Patriarcha, cùm sit Episcopus totius Orbis, vnde in Chalcedonensi Concilio acclamatum est Leoni Papæ, Patres eiusdem Concilij Apostolicus Oecumenicus, idest, vniuersalis, siue Orbicularis, vt etiam testatur beatus Gregorius in registro, & beatus Thomas in tractatu suo contra errores Græcorum. Non est autem credendum, quòd sancta Synodus vniuersalis præfata falsè hoc attribuisset beato Leoni Papæ; verùm Summi Pontifices noluerunt vti hoc vocabulo duplici de causa. Primò ratione humilitatis, vt dicit sanctus Thomas, videbatur enim in superficie sua verbum hoc superbæ appellationis, vt ait beatus Gregorius, vbi supra. Secundò, ne daretur intelligi, quòd Papa esset præfectus cuilibet particulari Ecclesiæ, vt specialis illius Ecclesiæ Rector. Sic enim, vt arguit beatus Gregorius, cessarent omnium aliorum Pontificum auctoritates, & administratores, & ista est intelligentia, cap. nullus, & cap. Ecclesiæ, dist. 99.

Ad quartam rationem respondetur primò, negando consequentiam; quia vbicumque Papa concurrit, non modò Sacrum Dominorum Cardinalium Collegium, sed etiam condecens multitudo Prælatorum synodaliter conuocatorum, non est verum, quòd fides, & Status vniuersalis Ecclesiæ arbitrio vnius hominis committatur], & ità non facit ad propositum, quod dicit Archid. quia ista repugnant, scilicet quòd congregatio multorum Prælatorum concurrit cum Papa, quod ratio Concilij importat, vt supra diximus, vt communi eorum assensu cum omni libertate proferatur definitio fidei, & dispositio Status Ecclesiastici, & quòd solius Papæ arbitrio ista dicantur committi. Secundò dicimus, quod falsum est, quòd semper solitum sit de fide, & Statu vniuersalis Ecclesiæ in Concilijs vniuersalibus disponi, ità quòd non alibi; quoniam frequenter per solam Apostolicam Sedem fit, & factùm est, vt supra tetigimus; iuxtà cap. quotiens, 24. quæst. 1. & cap. hæc est fides.

Ad quintam respondetur, quòd non ideò conuocantur vniuersalia Concilia, quòd in eis sit plenior auctoritas, aut clauium potestas, quàm in sola Apostolica Sede, in quam totius Ecclesiæ Deus principatum locauit, vt in cap. nolite errare, dist. 11. & in cap. Basilicas, de consec. dist.1. Sed conuocantur propter multa alia, vt superiùs ostendimus, c.10. inter quæ sit propter maiorem auctoritatem reputationis, quia quæ multorum Sapientum studio diù deliberata, atque approbata sunt, & communi consensu tantorum Patrum definita, maioris auctoritatis reputantur, vnde gloss. super illud Actuum 15. [Placuit nobis collectis in vnum,] dicit gloss. interlin. vt maior sit auctoritas.

Ad sextam respondetur, quòd Episcopi absentes à Concilio, aut fuerunt per Papam, aut alium de mandato eius vocati, aut non, si sic & non venerint, non possunt agere de contemptu; si non fuerunt vocati, & constat de voluntate Papæ, quòd ipsis etiam non vocatis haberentur valida, quæ ibi facta sunt, non possunt agere de contemptu; quia Papa est, qui robur Concilijs tribuit, & firmitatem iuxtà cap. significasti de elect. vnde quod inductum est de cap. quod sic, non est ad propositum.

CAP. XIX.

De qualitate Prælatorum ad vniuersalia Concilia conuocandorum.

Ostenso iam non omnes Prælatos maiores Ecclesiæ necessariò conuocandos ad vniuersalia Concilia, nec benè possibile fore omnes conuocare; sed oporteat sæpè numero aliquos conuocare, alijs prætermissis; conueniens duximus, vt de qualitate conuocandorum: Capitulum hoc subiungeremus. Requiruntur autem potissimè in conuocandis Prælatis ad vniuersalia Concilia quatuor, scilicet, Sapientia, Viræ sanctitas, Experientia, & Zelus ad bonum Reipublicæ; vnde Constantinus Imperator pro sexta Synodo congreganda scribens Agatoni Papæ, ità dicit: Adhortamur vestram paternam Beatitudinem per præsentem nostram piam sacram dirigere viros vtiles, & modestos notitiam habentes totius, Deo inspirante, doctrinæ, & peritiam irreprehensibilem habentes dogmatum, induentes personam vestræ Apostolicæ Sedis. Hæc ille.

Meritò ergo dicemus, quòd in conuocandis requiritur primò sapientia. Sanè, cum inquiente Tullio lib. de senectute. Ma-

gnæ res non viribus generantur, sed Concilio, auctoritate, & oportere esse præditos vocandos ad vniuersalia Concilia, in quibus cùm de rebus maximis tractandum veniat: viros oportet esse multa sapientia præstantes, vnde Tobiæ 4. dicitur: [Consilium à sapiente semper require.] Ecclesiastici 8. [Os prudentis quęritur in Ecclesia,] & capit. 9. dicitur, cum sapientibus, & prudentibus tracta. Quantæ autem sapientiæ lumine fulgere debeant Patres ad vniuersales Synodos conuocandi; qui & doctrinæ lumen, & normam vitæ cęteris daturi sunt, beatus Dyonisius docet, dicens, eos, qui alios superuehere lumen habent, oportet doctissimæ claritatis esse repletos, & aliorum esse Doctores, 7. qu. 1. cap. conuenientibus.

Secundò, conuocandi ad Concilia debent pollere vitæ sanctitate, vt veraciter eorum Conuentus; Conuentus sanctorum Patrum nominari possit, ac de eo dici cum Propheta. [Confitebor tibi Domine in toto corde meo: in cōnsilio iustorum, & congregatione,] vt enim inquit Ambros. in lib. de offic. Talis debet esse consiliarius, qui nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil simulatum, quod vitam eius, atque mores refellat; nihil improbum, aut maliuolum, quod auertat consultantes. Sanè non erunt conuenientes consiliarij, cùm tractandum de reformatione Ecclesiæ venerit: homines vani, carnales, auari, qui iuxtà Gregor. præsentia appetunt; æterna despiciunt, iniusta agunt, & iusta deridet, sua quęrunt, non quæ Iesu Christi, & hoc est, quod Sapiens yronicè inquit. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, cum iniusto de iustitia, Ecclesiastici 37. Quocircà dicitur ibidem. [Noli consiliari cum socero tuo. Socer est Mundus, qui pater est carnis, quæ vxor est spiritus, per quem intelliguntur carnales homines amatores terrenorum,] de quibus Iob in persona Ecclesiæ dicit orans; Consilium impiorum longè fac. Consilium impiorum, vt ait Gregorius, est terrenam gloriam quęrere, æternam negligere. Laborandum ergo est, vt cum sanctis viris habenda sint Concilia; quoniam sanctitas plurimùm conducit ad benè consulendum, quod sapiens testatur, cùm ait Ecclesiast. 37. [Cor boni consilij statue tecum,] & subdit, [anima viri sancti enunciat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum,] gloss. tamquam magistri.

Tertiò, Patres vocandi ad Concilium debent esse experti, maximè in illis, super quibus quęrendum est consilium, quia vnusquisque in ea re, quam expertus est, aptiùs consulere potest, vnde dicit Valerius Maximus. Suæ artis vnumquemque & Auctorem, & Disputatorem optimum esse non dubitamus; quoniam in multis expertus, vt ait Sapiens Ecclesiast. 34. [Cogitabit multa, & qui multa didicit, enarrabit intellectum, qui non est expertus, pauca recognoscit.] Hinc reprobatur iuuenum consilium; quia inexperti sunt, sicut patet in Roboam, qui relicto senum consilio, & iuuenum adhærens consilio, pro magna parte Regnum amisit, 3. Reg. 11. propter quod dicitur Ecclesiast. 25. quàm speciosum caniciei iudicium, & presbyteri cognóscere consilium, quàm speciosa veteranis sapientia, & gloriosus intellectus; & consilium corona senum in multa peritia, & gloria illorum timor Dei, vbi inquit gloss. audiant presbyteri, & Ecclesiarum Præpositi, quia non licet eis ignorare legis scientiam, & sapientiam. Ex quo loco satis apertè colligitur, quantam impietatem in Ecclesiam sanctam committant, qui aut diuina sapientia vacuos, aut moribus deprauatos, aut pueros Ecclesijs præficiunt prælatos; qualis enim Synodus constituetur ex istis? quale Ecclesiæ regimen ab istis spectabitur? &c. De hac impietate beatus Bernardus loquitur, quænam maior impietas, quàm ponère super vnum puerum onus Angelicis humeris formidandum? Ex hoc etiam cap. ostenditur apertè, quàm dignè reprehendendi veniant, qui ad vniuersalia Concilia homines inhabiles, sine scientia, sine moribus, sine experientia, sine auctoritate admittunt, & maximè ad voces definitiuas cum Episcopis, qui error in Basiliensi Concilio scandala grauissima peperit in populo Christiano.

Quartò, vocandi ad Concilium vniuersale sunt, habentes zelum domus Dei, vt sint de numero eorum, de quibus in psalm. 68. dicitur: [Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria &c.] Siquidem debent habere zelum ad reformationem morum, ad correctionem vitiorum, & ad augmentum Diuini cultus. De hoc zelo exemplum habemus in filijs Israel, qui vt dicitur Iudicum 20. congregati 400. mil. dixerunt, quòd non redirent domum, donec vlciscerent scelus commissum in vxorem Leuitæ in Gabaa.]

CAP. XX.

De punitione Prælatorum, qui vocati ad Concilium venire contemnunt.

Verùm quia sępenumerò euenit, vt Prælati ad Concilia euocati venire negligant, siue contemnant, consequens est, vt de talium punitione aliquid subiungamus. Sanè Prælati ad Concilium venire admoniti, vt vult glos. in cap. Si Episcopus, dist. 18. nullo legitimo interueniente impedimento, si venire contempserint, multipliciter veniunt rationabiliter puniendi, & potiùs quàm qui Prouincialibus Concilijs, de quibus iura loquuntur expressiùs, interesse recusant. Vndè Imperator Theodosius scribens Dioscoro, vt veniret ad vniuersalem Synodum, ità ait: [Si quis verò tam necessariam, & verè Deo amicam Synodum prætermiserit, & non omni virtute secundùm prædictum tempus ad præfinitum locum peruenerit, nullam excusationem, neque apud Deum, neque apud nostram inueniet pietatem; Sacerdotalem enim conuentum, nonnisi quis mala conscientia sauciatus omittit. Hæc ille.

Veniunt autem huiusmodi Conciliorum contemptores puniendi pluribus animaduersionibus, & primò quidem pœna excommunicationis, iuxtà cap. Si Episcopus dist. 18. vbi ex instituto Concilij Agathensis ità scribitur: [Si Episcopus Metropolitanus ad prouinciales Episcopos epistolas direxerit, in qui-

quibus eos ad ordinationem Summi Pontificis, vel ad Synodum inuitet, postpositis omnibus, excepta graui infirmitate corporis, aut præceptione regia, ad constitutam diem adesse non differant, quòd si defuerint, sicut prisca Canonum præcepit auctoritas vsque ad primam Synodum, à charitate fratrum, & Ecclesiæ Communione priuentur. Hæc ibi. Item idem habetur in cap. sequenti, Si quis Episcoporum. Sed hìc non est prætereundum, quòd excommunicatio in hoc loco, prout colligitur tam ex glos. quàm ex Hug. & Archidiac. non accipitur, prout excommunicatio dicitur separatio à Sacramentis, & à Communione fidelium: sed pro suspensione quadam à communibus negotijs cum alijs Episcopis in communi practicandis, vt putà quòd non admittetur talis Episcopus tractatibus communibus Prouinciæ cum alijs Episcopis, non etiam ad scrutinum Episcoporum, non ad consecrationem eorum, non generaliter ad alia, quæ communiter sunt tractanda ab omnibus Episcopis, cùm Metropolitano, & hoc est ei in pœnam, vndè Episcopi qui taliter dicuntur excommunicati, licitè possunt celebrare Diuina Officia, & recipere Sacramenta Ecclesiastica, & communicare cum cæteris Episcopis, & alijs, præterquàm in præmissis Hug. Non negatur tamen quòd tales excommunicari poterint excommunicatione prima, quæ est separatio à participatione Sacramentorũ, & Cõmunione fidelium, si contumaces reperiantur, vt inquit Archid. in dicto cap. Si quis Episcoporum iuxtà cap. Certum, 11. quæst. 3.

Secundò præfati Episcopi vocati contemnentes ad Concilium venire, si reperti fuerint transgressores iuramenti secundùm formam, cap. Ego enim de iure iurand. puniri possent pœna depositionis à dignitate, quam periurantibus sancti Patres descripserunt iuxtà cap. Querelam, &c. tua nos extrà de iure iurand.

Tertiò incurrunt pœnam damnationis æternæ, vtpotè contemptores, & subsannatores patris sui, omniumque fidelium, scilicèt Romani Pontificis, & matris suæ vniuersalis Ecclesiæ per vniuersale Concilium repræsentatæ, quos videtur respicere sententia illa terribilis prouerbij 30. [Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, fodient eum corui de torrentibus, & comedent eum filij aquilæ. Notanter autem diximus, Prælatos vocatos ad Concilium, venire contemnentes, præfatis pœnis venire plectendos, quoniam secùs esset, si non ex contemptu, sed impedimento legitimo eos non venire contingeret. Quod ex duobus perpendi potest. Primò, si antequam terminetur Concilium, veniant, quia licèt à principio non venirent, præsumitur, quòd non ex contemptu, sed ex aliquo impedimento demorati sint; sæpè enim ex eo, quod sequitur, præsumitur quale fuerit, quod præcessit, art. 22. quæst. 2. quod ait: Ista est sententia tam Hugonis, quàm Archidiaconi, in cap. Si Episcopus superiùs allegato. Secundò si Episcopus excusationes literatoriè scribit ad Synodum, vel Procuratorem mittit cum legitimis rationibus, quòd venire non potuerit. De primo in cap. Placuit, dist. 18. loquitur Concilium Carthaginense ita dicens: [Placuit, vt quòcumque congregandum sit Concilium, Episcopi, qui nec ætate, nec ægritudine, nec grauiori necessitate impediuntur, competenter occurrant, quòd si non potuerint occurrere, excusationes suas literatoriè scribant. De secundo, scilicèt de Procuratore habetur in cap. Et si ægrotans fuerit, 5. quæst. 3. vbi Adrianus in Synodo instituit: [Si Episcopus ægrotans fuerit, aut aliqua eum grauis necessitas detinuerit, pro se Legatum ad Synodum mittat, qui scilicèt assignet, siue probet causam legitimam esse, quòd Episcopus non veniat, quia non sufficit dicere, non posse, nisi rationem impedimenti assignet, vt dicit glos. super verbo, rationem, in prҿallegato cap. Placuit. Et si quæritur quomodo probabitur legitima causa assignata impedimenti, respondet glos. ibi, quòd sufficit per vnum testem probare cum iuramento suo, quod intelligendum videtur, cùm Episcopus per Procuratorem se excusat, quoniam si per se ipsum literatoriè adhibito iuramento de veritate legitimi impedimenti, sufficienter videtur probata causa absentiæ, & ita standum erit iuramento suo, & ipse habendus est excusatus. Verùm est aduertendum, quòd Prælati, qui ad Concilium vocati, venire neglexerunt, antequàm iudicentur contumaces, & vt tales puniendi veniant, admonitio prҿcedere debet, & requisitio, vt est casus in cap. Propter Ecclesiasticas, dist. 18. super verbo, admoneant autem, &c. vbi glos. inquit art. quòd mora potest purgari, licèt sit certus dies appositus, & ratio est, quia vbicumque tractatur, quòd propter nehligentiam quis puniatur, aut priuetur iure suo, requiritur admonitio art. 12. quæst. 2. indignè.

CAP. XXI.

De impedientibus celebrationem vniuersalium Conciliorum.

POstquam de Prælatis ad Concilium vocatis, & venire contemnentibus sermo habitus est: Iam loquendum venit de impedimenta prҿstantibus, nè Concilia legitima auctoritate conuocata, suam habeant prosecutionem, planè non sufficit sermo noster explicare quanta pœna digni sunt, qui Conciliorum celebrationi impedimenta moliuntur inferre. Isti in primis veluti tyranni, & Reipublicҿ hostes habendi sunt, tot morte digni, quot egregia bona per talia vniuersalia fienda sperabantur. Prætereà si tollendi schismatis causa Synodus adunata esset, procul dubio tales Conciliorum turbatores, veluti fautores schismatis habendi venirent. Et si ob confundendas hæreses, & hæreticos expugnandos congregata foret, tales certè Conciliorum celebrationi impedimenta præstantes, hæreticorum defensores, siue fautores viderentur. Si verò reformationis causa Patres conuenissent, certè qui Concilij celebrationi aduersarentur, tamquam hostes Religionis Christianæ, sanctimoniæ Ecclesiæ habendi forent, ad quorum propulsandas temerita-

rita-

ritates obligati sunt Reges,& Principes Christiani, qui Ecclesiam tuendam susceperunt, vt in cap. Principes 23. quæst. 5. in quo si negligentes reperirentur, suspecti haberentur de fautoria hæresis, aut schismatis, iuxta cap. Qui 23. quæst. 3. vbi dicitur: [Qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit, nihil aliud est, quàm fauere impietati eorum.]

CAP. XXII.

Quis in vniuersali Concilio præsidere debeat.

Synodo iam constituta, reliquum est ostendere quis in ea præsidere debeat? cùm in omni multitudine benè ordinata necesse sit aliquem præsidentem esse, quoniam vt ait sapiens Prouerb. 11. [vbi non est gubernator, corruet populus,] dicimus autem, prout tam ex practica antiquorum Conciliorum, quàm ratione colligere possumus de præsidentia in Concilijs vniuersalibus, quòd regulariter Romanus Pontifex per se, aut Legatos suos habent vniuersali Concilio præsidere. Hanc conclusionem primò ex practica antiquorum Conciliorum sic ostendimus, & primò ex Concilio, quod Apostoli super institutione Mathiæ loco Iudæ celebrasse leguntur Act. 1. in quo beatus Petrus, vtpotè Apostolorum Princeps, ac totius Christianæ plebis præsedisse videtur, quòd ex circumstantijs literæ patet, tùm ex illo, quod in medio eorum exemplo Christi, vt ait glos. fuisse describitur; dicitur enim sic: [Exurgens Petrus in medio fratrum, dixit glos. Pastor pro ouibus loquitur.] Idem colligitur ex Concilio celebrato super quæstione obseruantiæ, vel cessationis legalium, de quo Act. 15. dicitur: [Quia conuenerunt Apostoli, & seniores Iudæorum de verbo hoc, cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus, &c.] in quo Concilio Petrus præsedit. Vndè glos. super verbo, [surgens Petrus,] dixit ad eos ità pre omnibus, quasi Princeps loquitur. Preterea hoc etiam ostenditur ex aliorum Conciliorum practica, vt luce clariùs, tam ex libro Conciliorum, & ex corpore Decreti, quàm ex Decretalibus colligi potest; habetur enim in libro Conciliorum: [Hilarius Episcopus Ecclesiæ Catholicę Vrbis Romę, Synodo presidens, dixit &c.] Item Gregorius in generali Synodo præsidens, dixit, &c. Item Symachus Papa in generali Synodo dixit, &c. Item in Decreto in cap. In nomine Domini, dist. 23. dicitur præsidente quoque Reuerendissimo Nicolao Papa. Item 25. quæst. 2. c. Si quis dogmata, dicitur. Nicolaus Papa vniuersali Synodo præsideus dixit &c. Item extrà de elect. in cap. Licet, habetur. Innocentius III. in Concilio existens, & præsidens: [Nos ad malum hoc euitandum, &c.]

Cæterùm quòd præsidere in Concilijs vniuersalibus ad summumPontificem spectet, etiam rationibus ostenditur multipliciter. Et primò ad hoc faciunt omnes illę rationes, quibus ostensum est suprà in cap. sexto, quòd ad solum Romanum Pontificem spectet regulariter congregare vniuersale Concilium, & id sua auctoritate fulcire, quoniam ex hoc consequenter concluditur, quòd ipse vniuersali Concilio præsidere habeat.

Secundò sic: Caput naturali iure præsidet corpori, sed Papa est caput Ecclesiæ Catholicæ, vt suprà in 2. lib. monstratum est; ergo in Synodo vniuersali Catholicæ Ecclesiæ Papa iure debet præsidere, præsidentia dico, non solùm honoraria, sed etiam auctoritatiua, quemadmodum caput præsidet corpori, non solùm situ, sed etiam fluxu regiminis, & auctoritatis. Vndè sancti Patres in Concilio Chalcedonensi constituti scribentes Leoni Papæ, licèt ipse non fuerit in Concilio illo personaliter, sed per Legatos suos scribunt: [Tn eis, id est Patribus Concilij, sicut membris caput præeras.]

Tertiò sic: Papa est excelsior, & Princeps cunctis Sacerdotibus, vt in c. Constantinus, dist. 96. ergo ipse vniuersali Synodo, quæ ex Sacerdotibus colligitur, veluti Princeps eorum præsidere debet.

Quartò sic: Si Synodus vniuersalis tempore Christi celebrata fuisset, soli Christo conueniebat præsidere, ergo illo à conuersatione nostra absente, in vniuersali Synodo præsidere soli suo generali Vicario videtur conuenire; consequentia videtur manifesta, cùm Romanus Pontifex vices eius gerat. De præsidentia verò Romani Pontificis per Legatos suos apertè docemur, tam ratione, quàm exemplis. Ratione verò, quia non dubium est, quod quis potest facere per alium, quod potest per se ipsum, & ita ponere loco sui Vicarium ad præsidendum. Exemplis etiam patet ex Concilijs vniuersalibus, tam antiquis, quàm modernis, in quibus Summi Pontifices personaliter non interfuerunt. Vndè Concilio Chalcedonensi Leo Papa scribens, cùm mitteret Legatos suos, ita inter alia dicit: [In his fratribus, hoc est Paschasio, & Vincentio Episcopis, Bonifacio, & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestræ vestra fraternitas confidat præsidere.] Et in epistola, quam ad Anatholium scribit, ita dicit: [Fratres nostri ab Apostolica Sede directi, qui vice mea Synodo præsiderant, probabiliter, atque constanter illicitis ausibus obstiterunt, &c. Vbi etiam notandum venit, quòd præsidere in Concilio vniuersali loco Romani Pontificis, non solùm possunt Prælati maiores, cuiusmodi sunt Episcopi, sed etiam inferiores, vt Abbates, & Archidiaconi, ac Presbyteri, vt patet, tam ex iam dictis, quàm ex cap. Conuenientibus, 1. quæst. 7. Prędicta etiam conclusio ostenditur ex practica obseruata in octaua Synodo, vbi Papa Adrianus scribens Domino Imperatori Basilio, ita dicit: [Volumus ergo per vestrę pietatis industriam illic numerosum celebrare Concilium, cui nostri quoque missi presidentes, & culparum personarum differentias liquidò cognoscentes, iuxtà quod in mandatis acceperunt, singulorum liberè discretiones exerceant.] Hęc ille. Notentur verba. Præterea quòd Legati illi fuerint pręsidentes, manifestè dicitur ex tenore, & forma subscriptionum Episcoporum eiusdem Concilij; vndè in principio sic habetur.

Ego Donatus Episcopus Hostien. Ecclesiæ locum obtinens Domini mei Hadriani Summi Pontificis, & vniuersalis Papæ, omnia, quæ superiùs leguntur, huic sanctæ, & vniuersali Synodo Præsidens, vsque ad voluntatem eiusdem eximij Præsulis promulgaui, & manu mea subscripsi.

Secundò subscribit Stephanus sanctę Nerisinæ Ecclesiæ Episcopus eodem modo nominando se Præsidentem.

Eodem modo, & Martinus Romanæ Ecclesiæ Diaconus subscribit.

Prædicta etiam conclusio ostenditur ex practica obseruata in Concilijs vniuersalibus alijs, sicut manifestum est in Concilijs temporum nostrorum.

CAP. XXIII.

In quo obijcitur per aduersarios, contra ea, quæ dicta sunt de præsidentia Romani Pontifici in Concilio vniuersali.

Contra hanc præsidentiam in Concilijs vniuersalibus omni iure Romano Pontifici debitam, dum in Basilien. Concilio essemus, & quæstio magna, & inaudita mota esset per eos, qui occasionem quærebant turbandi Ecclesiam, an scilicet Præsidentes sanctæ memoriæ Domini Eugenij ad præsidendum Concilio admitterentur. Audiuimus aliquos de nouellis magistris multa, & varia circa hanc materiam dicere, & plurima obijcere, vt non admitterentur, sed hi erant in duplici differentia. Quidam enim dicebant, quòd nullo modo deberent admitti ad præsidendum vniuersali Concilio. Alij verò, quòd admitti deberent ad præsidentiam honorariam tantùm, videlicet, vt eminentiorem locum in Concilio tenerent, & primò in eo loquerentur, & quæ agenda erant per interlocutionem dirigerent, non autem ad præsidentiam auctoritatiuam, dicentes etiam, quòd si Papa præsens esset, nihil auctoritatis haberet propter eminentiam loci, & ministerium directionis. Primi autem opinionem suam, si opinio, & non error dicenda sit, sic fulcire nitebantur.

Primò, in Concilijs vniuersalibus per Apostolos celebratis, Petrus Apostolus primus Romanus Pontifex non legitur præsedisse; ergo videtur, quòd etiam nunc Romanus Pontifex hanc præsidentiam in Concilijs vniuersalibus non debet expetere. Consequentia videtur nota: antecedens patet, cum de præsidentia Petri, nulla fiat mentio in prędictis Concilijs.

Secundò sic. Concilium hoc Basilien. fuit verum Concilium, & tamen nullum in principio habuit præsidentem; ergo non videtur necessarium, quòd aliquis, vt, putà Papa, aut eius Legatus præsideat in vniuersali Concilio.

Tertiò, Spiritus sanctus præsidet Concilijs vniuersalibus; dicitur enim Matth. 18. [Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum;] ergo non videtur, quòd sine iniuria Spiritus sancti possit aliquis alius admitti ad præsidendum.

Quartò sic. Nullus inferior præsidere debet suo superiori, sed Concilium vniuersale superiùs est Romano Pontifici, iuxta decretum Concilij Constantiensis; ergo Papa non debet illi præsidere, nec aliquis loco eius.

Pro opinione aliorum arguebatur sic per alios; si Papa, aut aliquis nomine eius præsideret vniuersali Concilio præsidentia auctoritatiua, iam sublata esset essentialis forma à Concilio, putà libertas in consultando, obstante coactione, & sic non omnes, sed vnus omnia faceret, & per consequens Synodus nulla redderetur.

Secundò dicebant, quod etiam non veriti sunt aliqui eorum scriptis demandare, quòd in Concilijs, in quibus Papa non fuit, sed Imperatores interfuerunt, Imperatores, & Iudices destinati, leguntur habuisse primatum, & officium præsidentiæ per interlocutiones, & de consensu Synodi, siue ex mandato conclusiones, & iudicia fecisse, & non reperitur, inquiunt, instantia in octo Concilijs vniuersalibus, de quibus dist. 16. cap. sancta octo, præterquam in actione 3. Chalcedonensis Concilij, vbi Vicarij Leonis Papæ vicem gerentes, quia nullus pro parte Imperatoris interfuit, aut in Synodo primatum tenuisse, & præsedisse, & Concilium direxisse per prælocutiones, & demùm ex iussu Synodi dixisse sententiam in Dioscorum ex communi consensu, alijs omnibus conindicantibus. Hæc sunt verba cuiusdam aduersariorum in quibusdam scriptis suis.

CAP. XXIV.

In quo respondetur ad obiectiones præfatas in primo loco positas.

Istis non obstantibus, quibus facilè est respondere tenendum est, quod dictum est, quòd regulariter in Concilijs vniuersalibus, si Papa præsens sit, ipse præsidet in eo. Non enim Summus Pontifex minùs est habens dignitatem, aut auctoritatem in Concilio vniuersali, quàm Metropolitanus in Concilio Prouinciali, cui præsidet, & Episcopus in Episcopali: immò multò plus, tum quia Romanus Pontifex vocatus est in plenitudinem potestatis, alij verò non, vt dictum est supra, tum quia superioritas Papæ super omnes Prælatos Ecclesiæ est ex diuina institutione: Metropolitanorum verò supra Episcopos Comprouinciales est ex humana institutione; vnde non habent, nisi in certis casibus respectu aliorum, iurisdictionem.

Ad rationes ergo in oppositum est dicendum. Ad primam respondetur dupliciter.

Primò, quòd consequentia illa, qua sæpè vtuntur aduersarij, videlicet hæc: hoc non legitur factum; ergo non fuit factum, non valet: ergo, locus enim ab auctoritate negatiuè nullius roboris est. Dicit enim beatus Ioann. Io. vlt. [Multa alia fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc.] Prætereà in hoc decipiuntur aduersarij, quòd ex hoc, quòd Petrus,

trus ex humilitate, vt dicit beatus Chrisost. super act. Apostolor. omnia agebat communi omnium voluntate, & nihil agebat principaliter, aut dominatiuè, quòd per se, faciendi non haberet auctoritatem, quod falsum est, sicut patet ex ipso Chrisost. vt supra ostendimus circa cap. 18. 2. lib.

Secundò, respondetur, quòd & si expressè, & formaliter non legatur, quòd beatus Petrus præsederit in Concilijs celebratis per Apostolos, datur tamen intelligi, tàm ex circumstantijs literæ, quàm ex glos. sanctorum Patrum, patet primum de primo Concilio, de quo act. 1. & primo ex loco, quia in medio fratrum dicitur fuisse, vbi glos. dicit, quòd exemplo Christi, qui in medio Discipulorum dicitur fuisse, vt habetur Ioann. 20. Secundò ex eo, quòd primus loquebatur: hoc enim non sumpsisset Petrus plenus Spiritu sancto, nisi toti congregationi præsedisset, vt Princeps, siue Prælatus; vnde glos. ait sic loquitur pastor pro ouibus suis.

Tertiò colligitur hoc ex forma loquendi; ait enim, viri fratres oportet impleri scripturam, & iterum: oportet ergo ex his, qui nobiscum sunt, &c. Certè ista loquendi forma magis præsidentiam, & auctoritatem notat in Petro respectu totius congregationis, quàm subiectionem.

Quartò, hoc irrefragabiliter arguitur ex eo, quòd, vt beatus Cyrillus testatur in lib. thesaurorum: Apostoli in Euangelijs, & Epistolis affirmarunt in omni doctrina Petrum esse loco Domini, & eius Ecclesiæ ei dantes locum in omni capitulo, & congregatione, in omni electione, & confirmatione. Clarissimum est autem, quòd si in congregatione Apostolorum locum Domini nostri Iesu Christi Petrus tenebat, vt dicit beatus Cyrillus, quòd congregationi præsederit, sicut ipse Christus præsedisset; vnde beatus Chrisost. beatum Petrum verticem Apostolorum vocat.

Ad secundam respondetur etiam dupliciter. Primò, quòd cum Concilium Basilien. vt toti Orbi notum est, scandalosum fuerit, & in multis præsumptuosum, transgrediens terminos quos posuerunt Patres sancti in Concilijs vniuersalibus, ab illo nullum argumentum sumendum est.

Secundò, respondetur, falsum esse, quòd Basiliense Concilium Præsidentem non habuit, quoniam habuit Legatum Apostolicę Sedis dominum Iulianum de Cæsarinis bonæ memoriæ Diaconum Cardinalem tituli sancti Angeli, qui Præsidens illius fuit per magna tempora, qui & si in principio personaliter non interfuit occupatus cum Bohemis: habuit tamen Locumtenentem.

Ad tertiam respondetur dupliciter. Primò negando consequentiam. Sanè si consequentia illa valida esset, nullus Princeps præsideret alicui Regno, aut Prælatus alicui sanctæ Congregationi; vnde dicendum est, quòd sicut causalitas primæ causæ non tollit causalitatem secundæ causæ, ità nec præsidentia, siue præsentia Dei tollit præsidentiam Ministrorum eius, per hoc ergo, quòd Spiritus sanctus dicitur presidere sanctæ Synodo, nec presidentia Romani Pontifici tollitur, nec eius auctoritas diminuitur. Prætereà si consequentia illa esset bona, peccassent Summi Pontifices sancti tamquam præsumptuosi, qui præsedisse leguntur, sicut visum est in multis Concilijs vniuersalibus, peccasent etiam Concilia ipsa, quæ hoc permittebant, maximè si hoc, vt aduersariorum stultitia arguit, vergeret in contumeliam Spiritus sancti, quorum tamen vtrumque esse erroneum nullus Catholicus ignorat.

Secundò respondetur, quòd falsum est vniuersaliter, quod assumitur, sicut patet de secunda Synodo Ephesina, quæ cum damnatissima fuit, magis ei præsedisse credendus est spiritus malignus, quàm Sanctus, licèt Patres in ea cōgregati se iactassent, quòd Spiritus sanctus eis consedisset; vnde sicut leguntur dixisse in eorum Synodo, si ergo Spiritus sanctus consessit Patribus, sicut manifestè consedit, & ordinauit, quæ ordinata sunt, quis retractat? quis Spiritus sancti cassat gratiam? Quod verò inducitur ex Matth. 18. vbi Christus ait; vbi duo, vel tres, &c. ad propositum non est, quia cùm auctoritas loquatur ad literam de congregatione quorumcumque fidelium, siue Laicorum, siue Clericorum, qui congregantur in nomine Domini, nec loquatur de congregatione locali in aliquo loco, siue Ciuitate, sed de congregatione, quæ est vnanimitas in aliqua vna re, in qua conueniunt, non loquitur ad literam de Concilijs vniuersalibus, sicut manifestum est cuique Euangelium legenti. Non negamus tamen dictum illud adaptari posse Concilijs vniuersalibus, & Prouincialibus, & capitulis etiam religiosorum in nomine Domini congregatis, quo ad promissionem assistentiæ Diuinæ gratiæ, arguendo per locum à minori ad maius. Prætereà, assistentia illa ibidem promissa congregatis in nomine Domini, non est præsidentia Synodalis, vt de se patet; vnde non est ad propositum. Prætereà, cum non possint dici congregati in nomine Domini, qui eius Vicarium vniuersalem ad præsidentiam non admittunt, sed contemnunt, manifestum est, quòd ratio illa aduersariorum nullius sit roboris, atque momenti.

Ad quartam respondetur, negando minorem, videlicet, quòd Concilium vniuersale sit superius auctoritate Rom. Pont. quoniam hoc videtur cōtrariari iuri naturali, iuri diuino, & iuri positiuo. Iuri quidem naturali; quoniam naturaliter, sicut caput humanum situ superius, ità, & virtute, ac regiminis auctoritate præstantius est suo corpore. Summus autem Pontif. caput est, & vertex Concilij vniuersalis. Iuri diuino etiam repugnat, cùm Romanus Pontif. diuina institutione Princeps sit super totam vniuersalem Christi Ecclesiam, dicente Domino Petro: [Super plebem meam Principem te constitui:] Et cùm ei dicitur: [Pasce oues meas] Ioann. vlt. Iuri etiam humano contradicit, vt patet extrà de electione cap. significasti, & ex multis alijs locis superiùs inductis. Ad id verò, quod inducitur de Concilio Constantiensi superiùs responsum est in cap. 99. secundi libri.

CAP.

CAP. XXV.

In quo respondetur ad obiectiones secundo positas.

Consequenter respondeamus ad rationes dicentium, quòd nec Papa, nec eius Legati debent habere præsidentiam in Concilijs auctoritatiuam, sed tantùm honorariam.

Ad primam cum arguitur, quòd si sic, tolleretur forma essentialis à Concilio. Respondetur, negando hanc consequentiam, quoniam nulla est. Non enim propter hoc, quòd Papa præsidet auctoritatiuè in Concilio, sequitur quod remoueatur libertas consulendi, nisi quis ità insipienter sapiat, quòd non sint alij actus iurisdictionis, quos Papa possit habere in Concilio, quam cogere existentes in eo, vt concurrant ad votum ipsius.

Ad id verò, quod in loco secundo dicunt, quòd in Concilijs vniuersalibus cum Papa præsens non fuerit, Imperatores, & Iudices destinati per eos habuerunt primatum, & præsidentiam, &c. Respondetur, quòd hoc totum, quod dicunt est falsum, vt patet per singula discurrendo; & mirandum est, quòd talia, qui Christiani sunt, & Ecclesiastici, & qui doctos se existimant libris suis demandent. Quod enim in primis dicunt, quòd absente Papa, Imperatores, & Iudices destinati per eos haberunt primatum, & præsidentiam tenuerunt in Concilijs vniuersalibus, patet esse falsum ex illo, quod Martianus Imperator, inquit, in actione sexta Concilij Chalcedonensis, & ponitur in cap. nos dist. 16. Nos ad fidem roborandam, non ad potentiam aliquam ostendendam, siue exercendam exemplo religiosissimi Principis Constantini Synodo interesse volumus, ne vlteriùs prauis persuasionibus à recta separentur fide. Ecce quod Imperatores, non primatum, non præsidentiam habebant in Concilijs vniuersalibus, in quibus ipsi confitentur, non nisi protectionis gratia velle interesse. Quòd autem non solùm in actione 3. Concilij Chalcedonensis Vicarij Papæ præsiderent, & primò loquerentur, & dirigerent omnia, vt dicit aduersarius, sed etiam in octo Concilijs, & non Imperatores, aut Iudices patet ex eo quod ponitur in ipsa tertia actione, vbi Vicarij Papæ sic leguntur allocuti sacro Concilio.

Notum est, nempè huic amabili Concilio, ab beatum Apostolicum Leonem Sacras Literas esse destinatus, quatenùs huic sacro Concilio se præsentare dignaretur: sed quoniam, nec antiqua consuetudo, nec necessitas temporis permittere videatur nostram paruitatem, huic Concilio sacro pro se præsidere præcepetat.

Ideòque necessarium est, hæc, quæ in medium proferuntur per nostram interlocutionem disceptari, propter hoc ergo porrectus libellus à Religiosissimo Fratre nostro, & Coepiscopo Eusebio susceptus recitetur, & factum est ità; hæc ibi.

Ecce manifestè, primò quòd Legati Papæ præsidere debeant Concilio loco Papæ; secundò, quòd ad eorum officium necessariò spectaret, vt per eorum interlocutiones, ea, quæ præferenda in medium veniret, præponi, & disceptari; vnde quòd aliquando iudices aliqui deputati legantur in Concilijs vniuersalibus ab Imperatoribus, non fuerunt deputati ad præsidendum, aut definiendum, aut iudicandum auctoritatiuè, cùm talem potestatem non haberent ipsi Imperatores; vnde si reperiatur scriptum, quòd Imperatores præsiderent, intelligitur non auctoritatiuè, sed ad ornatum. Vnde in epistola, quam Calcedonensis Synodus scribit Papæ sic habetur, quibus, scilicèt Patribus congregatis, tanquam caput membris præpositus eras per eos, qui tuam continent vicem rectum Concilium demonstrans. Principes autem fideles ad ornatum præsidebant; hæc ibi.

Et ità patet, quòd nec Imperatores auctoritatiuè præsidebant, nec deputati iudices per eos, sed cùm inter Catholicos, & alios hæreticos esset disputatio, & controuersia magna, ponebantur illi quasi auditores discretiui, & testes, vt audirent motiua, & rationes altercantium, vt veritate tandem patefacta, & relatione facta Imperatoribus: Imperatores ipsi fauorantes habentibus veritatem, sententias eorum, & definitiones per disciplinæ timorem facerent ad omnibus obseruari.

Nàm vt inquit beatus Isidor. & habetur in cap. Princeps 23. quæst. 5. Intrà Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi, vt quod non præualent Sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem; vnde quòd ità sit, patet ex illo, quod habetur ex actione quarta octauæ Synodi, vbi sic legitur: post hoc magnificentissimi, & gloriosissimi Principes, per Babanum magnificentissimum Patritium, & præpositum dixerunt: Imperatores nostri miserunt seruos suos, qui Senatus vocatur, qui voluntate Dei honoratus est secundùm omnia, vt simus discreti eorum, quæ geruntur, auditores. Si vultis ergo à nobis, sicut se habet Ordo Synodicus in fine sanctæ, & vniuersalis huius. Synodi exigere proprias subscriptiones, per me indignum seruum Sanctorum Imperatorum nostrorum cuncti Fratres mei, & Compatritij dicunt Sanctissimo Domino Nostro Patriarchæ, & Sanctissimis Vicarijs, tàm senioris Romæ, quàm Orientalium Sedium, nisi audierimus, & ab ipso Focio in cospectu nostro stante, & ab Episcopis eius, & ab his, qui habentes consecrationem beatissimi Methodij, & sanctissimi Ignatij, apostatæ facti sunt, vt in cospectu nostro obstruantur ora ipsorum ex Canonicis, & Synodicis præceptionibus, non scribet manus nostra vnam literam in Synodo ista: audiant, quæ iudicata sunt à seniori Roma in cospectu nostro, & si nihil contradicere potuerint, sanabitur Mundus ex consensu ipsorum. Si autem hoc factum non fuerit, scimus, quia nostri non egetis ad subscribẽdum in fine à vobis gestorum, quomodo enim subscribemus in huiusmodi iudicio illis clamantibus, atque dicentibus, audiamus depositionem nostram damnemur audientibus nobis, vt postulat iustitiæ ratio, &c. hæc ibi.

Ex quibus manifestè patet, quòd illi deputati per Imperatores non erant Præsidentes vt iudices Concilij per auctoritatem, sicut, nec ipsi Imperatores erant, sed vocati sunt iudices, sicut deputati ad audiendum aliquos altercantes, sicut magis vt auditores eorum, & testes gestorum per Patres ibidem.

Quod etiam manifestè colligitur ex cap. satis 96. dist. vbi Nicolaus Papa, ità inquit. Sed Theodosius minor sanctæ Synodo scribens, primæ dixit; deputatus est ergo Candidianus magnificentissimus Comes strenuorum domesticorum transire vsque ad sanctissimam Synodum nostram, & in nullo quidem, quæ faciendæ sunt de pijs dogmatibus quæstiones, seu potiùs expositiones communicare. Illicitum namque est, eum, qui non sit in ordine sanctorum Episcoporum Ecclesiasticis, immisceri tractatibus; hæc ille.

Ex quibus luce clarius habetur, quòd Laici illi nobiles, qui ad Concilium mittebantur per Imperatores, non ad præsidendum auctoritatiuè, aut ad definiendum, vel iudicandum deputabantur, cũ ipsemet Imperator protestetur illicitum esse tales Laicos Ecclesiasticis immisceri tractatibus.

Quod verò vlt. dicitur ex aduerso, quòd præsidentes Papæ de mandato, & auctoritate Concilij sententiam proferebant, falsissimum est; immò ipsi auctoritate Summi Pontif. sententiabant, quod manifestè colligitur ex quinta actione præfatæ octauæ Synodi, vbi præsidentes sententiam dantes contra Fotium, ità dicunt: vidistis fratres: vidistis, & audistis, quæ ex multo tempore dicta, & gesta sunt de huiusmodi causa, & apparuit vobis omnibus, quia irreceptibilis erat promotio huius viri, & depositio sanctissimi Patriarchę Ignatij de sede sua sine iustitia, & sine legibus fuerat acta.

Nos ergo non nouum aliquod, vel recens iudicium iudicabimus, sed vetus, & ex multo tempore præiudicatum quidem à sanctissimo, & beatissimo Papa Nicolao; firmatum autem à sanctissimo Papa Hadriano, & non possumus transferri, & commoueri à paternis definitionibus, & legibus, nec declinare ad dextram, nec ad sinistram. Scriptum est enim, audi fili leges patris, & ne repellas iura matris tuæ, & infra talem conatum abijcimus, & Anathematizamus ne vlterius contra Ecclesiam quęlibet alia fortè in omne seculum maligna introducatur actio, & infra, quid ergo placet? talia sunt nostra, & nostræ sedis, quæ si apud vos non fuerint acceptabilia, nos tamen super Montem excelsum huius Synodi adscendemus, & exaltabimus in fortitudine vocem nostram Euangelizantes vobis, & consequentiam, quæ facta, & ore promulgata est sanctorum Patrum nostrorum à gratia Spiritus sancti. Et sequitur ad hoc, quid dicit sancta Synodus? sunt hęc, quæ à nobis per lectionem dicta sunt, apud vos accepta? Sancta, & vniuersalis Synodus exclamauit, recipimus omnes, valdè quippè sunt discreta, & congrua, & consona Ecclesiasticis regulis atque legibus; hæc ibi.

Ex quibus manifestè patet falsum esse, & iniquum, quod aduersarij dicunt, quòd præsidentes Papæ auctoritate, & mandato Concilij sententiam protulerunt.

Nec debet quis moueri per hoc, quòd præsientes aliquando cùm sententiam dare deberent, legantur dixisse ad Synodum, vel ad illos iudices deputatos discretiuos, si iubeatis, quia hoc non erant peritio auctoritatis, sed erat verbum humilitatis, quod sonat, idest, dignemini audire.

CAP. XXVI.

De his, quæ in ipso vniuersalis Concilij prosecutionis exordio obseruanda sunt.

DEsignatis iam patribus ad Concilium vocandis, & præsidente in eo. Iam ad ea, quæ ipsius Concilij prosecutione veniunt primitus obseruanda descendamus. Occurrunt autem tria consideranda.

Primum est, quo habitu vestiti Prælati Synodum ingredi debeant, an in habitu communi, an in habitu dignitati suæ conuenienti.

Secundum est, quomodo ordinari debeant in sedendo.

Tertium est, à quo debeant Synodum inchoare.

Quantum ad primum, conuenientissimum nobis videtur, quòd Prælati vestibus dignitati suæ congruentibus conueniant ad Synodum celebrandam, quod duo satis persuadent.

Primò, quia cum ea, quæ foris geruntur, conformari & congruere debeant actibus, qui aliqua excellentiori potestate exercentur; vnde non nisi in vestibus sacris Sacerdos ad consecrandum Corpus Christi accedere debet, iuxtà cap. vestimenta, de consecr. dist. 1. conuenientissimum videtur, vt Prælati ad actum iudiciariæ potestatis exercendum, & in maximis rebus in Concilio conuenientes, non nisi in vestibus eorum dignitatibus, aut prærogatiuis condecentibus accedant.

Secundò, hoc persuadet exemplum: planè si in prouincialibus Concilijs hoc obseruatur, vt à Prælatis vestibus eorum conuenientibus adornatis, & cum mitris in capite celebrentur, iuxà cap. quod sicut, extrà de elect. lib. 6. vbi patet, quòd Archiepiscopus sine pallio non congregat Concilium, & de mitra habetur de priuil. vt Apostolicæ, lib. 6. Conuenientius est, vt hoc in vniuersalibus Concilijs obseruetur, quæ pro rerum gerendarum maiestate, maiore solemnitate veniunt celebranda. Mitrę verò Prælatorum sicut vidimus obseruari, tàm Constantiæ, quàm Basileæ omnes albę esse debent, & planè sine ornamentis, iuxtà notata per Ioann. Andr. in dicto cap. vt Apostolicæ, vbi dicit, quòd Episcopi in præsentia legatorum Ecclesiæ Romanæ, & per consequens maiorum suorum vtuntur tantùm mitris albis, & planis, quod fortius obseruandum est in pręsentia Romani Pontif. qui Princeps est Episcoporum; hæc etiam obseruantia tenetur in curia cùm Missam in Capella Papa celebrat.

Secundum quod considerandum venit, est de ordine, quem Prælati tenere debent in sedendo, & per consequens in subscriptionibus,

nibus; quia ordine quo sedent, se subscribunt.

Pro quo talis forma obseruanda videtur, vt primum locum teneat Romanus Pontif. qui Caput, & Princeps totius Ecclesiæ, vt in cap non decet dist. 12.

Secundum locum obtinet Cardinalis Hostiensi, qui hoc habet ex priuilegio, quia Romanus Pontif. consecrat, vt notat Hosti. in cap. antiqua, de priuileg.

Tertium locum, de iure, nisi obuiet aliqua Romanæ Ecclesiæ consuetudo, obtinet Patriarcha Constantinop.

Quartum, Alexandrinus.

Quintum, Patriarcha Antiochenus.

Sextum, Hierosolymitanus.

De quo ordine habetur in cap. renouantes, dist. 21. & in cap. præallegato antiqua, de priuile.

Post autẽ has Patriarchales sedes sequuntur aliæ quatuor sedes, scilicèt Aquilegiensis: Bituricensis: Grandensis, & Risangensis, de quibus Archid. in glosſ. fin. dist. 22. Cardinales verò, secundùm consuetudinem Romanæ curiæ præferuntur in sedendo istis vltimis Patriarchis, alij verò sequuntur ordinem dignitatis eorum, vt primò Archiepiscopi, deindè Episcopi, deindè Abbates, quando eos Synodo interesse continget, inter autem istos Ordo seruandus est, iuxtà tempus ordinationis eorum, dist. 17. §. Episcopos.

Tertium, quod considerandum est, à quo actu Synodus est inchoanda. Ad quod dicimus, quòd ab hac oratione, sicut à Missa Spiritus sancti, quæ celebrari debet per aliquem Prælatum de Concilio: Si enim, vt inquit Plato, in rebus etiam minimis diuinum auxilium est implorandum; multùm repræhensibile foret, si cum habenda sunt Concilia de rebus maximis, primò ad Deum, sine quo fieri nihil potest, oratiore non præmissa recurreretur; vnde Hieronim. in principio cuiuslibet operis, orationem Dominicam dicit præmittendam.

Item tota Ecclesia in singularum horarũ principio diuinum implorat auxiliũ dicens: [Deus in adiutorium meum intende.]

Congruitatis autem huius, quod diximus ab oratione in Synodo esse inchoandum, exemplum habetur ex illa religiosa consuetudine in omni capitulo vetustissimè obseruata, quòd cùm eligendus venit Prælatus, Missa de Spiritu sancto præmittetur, vt notat Innoc. de elect. cum nobis olim, quod certè fortius fiendum est, cum pro rebus maximis totius reipub. Christianæ vniuersitatem tangentibus, non vnius particularis Ecclesiæ capitulum, sed totius Ecclesiæ repræsentatiua Synodus adunatur, præmittenda est, vt diximus, specialis oratio ad Spiritum sanctum, quoniam & si illud, quod oratione sua impetrare Synodus optat effectus, communis sit totius Trinitatis, apporpriatur nihilominùs personæ Spiritus sancti, quod patet, duo namque sunt potissimè necessaria ad ritè, & benè celebrandum vniuersale Concilium.

Primum est, illuminatio veritatis in definiendis, & agendis.

Secundum est, vnanimitas Patrum congregatorum in Synodo in concludendis, vt omnium sit vna mens, vna sententia, & vnus sensus, vtrunque istorum attribuitur Spiritui sancto.

De primò, patet ex illo Ioann. 16. [Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & surggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.]

De secundo, patet ex illo ad Roman. 8. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd simus filij Dei, super quo verbo dicit glosſ. Spiritus sanctus communis est Patri, & Filio amborumque vnio, per ipsum fit societas, & vnitas, qua efficimus vnum Corpus vnici filij Dei; vnitas enim nos compaginat, quam fecit charitas, charitas vndè est, nisi à Spiritu sancto? hæc glosſ. quia verò hæc dona, quæ diximus, maximè Patribus conuenientibus ad Synodum necessaria dona Spiritus sancti sunt, laudabili consuetudine introducuntum est, vt ipso Concilij principio, antequam ad alia procedatur: Hymnus ille: [Veni Creator Spiritus:] voce alta decantetur. Consequentèr proponendus est sermo diuinus de pertinentibus ad Concilium, vt omnes intelligant, quid agendum sit, & moneantur ad volendum, & exequendũ ea, quę Deo placita sunt, & vniuersali Ecclesiæ accomoda. Proponendum est ergo verbum Dei coram synodali congregatione, sicut diximus, ad quod nos hortantur inter alia maiorum nostrorum exempla. Exemplum habemus primò à Domino nostro Deo, & Saluatore nostro Iesu Christo, qui Discipulis congregatis coram se fere semper prædicabat eis Matth. 5. Cùm sedisset accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos. Item hoc exemplum reliquit nobis Vicarius eius beatus Petrus, qui, cum conuenissent Apostoli, & seniores super quæstione de circumcisione, surgens, & prædicans, dixit ad eos viri, fratres vos scitis, &c. act. 15. Hoc etiam exemplum reliquit nobis vas electionis, qui vocatis maioribus natu Ecclesiæ apud Miletum ab Epheso prædicauit eis dicens, vos scitis à prima die, &c. act. 20.

CAP. XXVII.

A quibus cauendum est in Concilijs.

Viso à quo synodus est inchoanda. Reliquum est videre, à quibus in processu illius patres congregatos cauere decet, si synodum suam venerabilem mundo, & Ecclesiæ vtilem reddere cupiunt?

Occurrunt autem decem, à quibus cauendum est. Primum est malitia, siuè prauitas affectionis, vndè Imperator Basilius in principio octauæ synodi sic hortatur fratres Concilij; commonemus, & exortamur omnes vos fratres, vt cum multo pudore, ac reuerentia conueniatis ad sanctam hanc, & vniuersalem synodum tamquam ad communionem, & vniuersis aptam, atque sine labore medelam, nullam vitiosam motionem, vel affectum ferentes, nec ad contentiosam voluntatem respicientes, sed potius vinci, quàm benè vincere periculosè, hæc ille. Est ergo excludenda omnis sinistra, ac vitiosa assertio à patribus conuenientibus ad Synodum, & diri-

dirigenda omnis eorum intentio ad honorem, & gloriam Dei, ne oppositum facientes, videantur magis conuenisse aduersùs Christum, quale fuit Concilium Principum Sacerdotum, & Seniorum Populi, de quo habetur Matth. 26. [tunc cōgregati sunt Principes sacerdotum, & Seniores populi in atrium Principis, & conilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent.] Secundò, vt ad status Apostoli dignitatem, & auctoritatem conseruandam, & non ad eius destructionem conspirent, quale fuit Concilium, quod adversus Apostolos congregatum est, de quo Act. 5. vbi dicitur, quòd Princeps Sacerdotum, & omnes; qui cum eo erant conuocarunt Concilium, & sequitur post, & statuerunt illos, scilicèt Apostolos in Concilio. Tertiò, vt ad quietem, & adpacem fidelium, & non ad inquietationem, & turbationem bonorum studeant, quale fuit concilium contrà beatum Stephanum venerabilem Christi discipulum congregatum, de quo habetur act. 6. vbi sic dicitur. Concurrentes rapuerunt Stephanum, & adduxerunt in Concilium, & statuerunt falsos testes, huiusmodi autem Concilium, quòd in perturbationem virorum religiosorum est, non Concilium Sanctorum Patrum est, de quo Dominus per Prophetam dicit Concilium malignantium obsedit me. Cauendum est ergo à patribus ad vniuersale Concilium conuenientibus, ne aliqua eis insit intentio sinistra, aut affectio praua in eis aliqua regnet, sed præ oculis semper habeant, quæ sunt ad honorem Dei, ad decorem domus Dei, & ad pacem populi Christiani. Tales autem sunt, qui in nomine Domini congregantur, de quibus per Prophetam Isai. 40. omnes isti congregati sunt tibi, idest ad ea, quæ tua sunt, facienda, in tali Concilio glorificatur Deus, secundùm illud Psalm. Deus, qui glorificatur in Concilio Sanctorum. Talitèr autem in veritate congregatis in nomine Christi, diuinitatis suæ promittitur assistentia, iuxtà illud Matth. 18. [vbi duo, vel tres congregati fuerunt in nomine meo, in medio eorum sum.]

Secundùm quòd cauendum est à patribus in Concilio, est negligentia circa bonum commune, vt totis viribus, omnique studio publicis commodis intendant: prætermissis causis priuatis, vndè Leo Papa ad Theodosium Imperatorem scribens, vndè error secundæ Ephesinæ synodi originem traxit: inquit, dum priuatæ causæ religionis exercentur obtentu, commissum est impietate paucorum, quod vniuersam Ecclesiam vulnerat: hæc ille. Quocircà Tull. dicit, eos, qui Reipublicæ profuturi sunt, duo Platonis præcepta obseruare dabere. Vnum est, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quæcumque agant, ad eandem referant obliti commodorum suorum. Alterum, vt totum corpus respiciant nedum vnam partem tueantur, alteram deserant, vndè rectè patribus congregatis in Concilio potest dici illud, quod dicebat Iosaphat 2. Paralipom. 19. Sit timor Domini vobiscum, & cùm magna diligentia cuncta facite.

Tertium, à quo cauendum est in concilio, est timiditas, ne scilicèt aliquis propter timorem cuiuscumque pertimescat dicere veritatem eius, quod sentit de his, quæ pertinent ad gloriam Dei, & decorem domus eius: vt veracitèr dicere possit cum propheta: Non abscondi veritatem tuam à Concilio multo, dicit enim August. ad Casulanum, & habetur in c. quisquis 11. qu. 3. quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominē, quam Deum, & Ioann. Chrisost. vt in cap. nolite, eadem causa, & quæst. proditor est veritatis, qui non liberè veritatem pronunciat.

Quartum cauendum à Patribus in Concilio est amor vanæ gloriæ, seù vanitatis, ne scilicèt patres ad ostensionem sui, multa, & magnifica introducentes, tempus salubribus rebus deputatum in vanitate consumatur. Tale vanitatis concilium detestatur Propheta dicens, non sedi cum Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.

Quintum, quòd cauendum est, est dissolutio, ne scilicèt in Concilio, vbi cuncta cū timore Dei, & grauitate peragenda sunt dissolutionibus, & carnalibus solatijs, siue festiuitatibus vacetur. Tale itaque Concilium abominatur Ierem. dicens. Non sedi in Concilio ludentium Ierem. 15.

Sextum, quòd cauendum est in Concilio, sunt tumultus, disceptationes obstinatæ, & dissentiones, ne scilicèt inter patres contentiones, & diuisiones sint, ne eorum congregationes sint, de quibus ait Apostolus 1. ad Cor. 11. Conuenientibus vobis, audio inter vos scissuras esse, ad quod pulchrè exhortatur Concil. Toletan. 11. vt habetur in c. in loco 5. q. 4. sic dicens in loco benedictionis consedentes Domini sacerdotes, nullus debet, aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus, vel risibus agere, & quod est deterius obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. De vitando etiam huiusmodi tumultu in Concilijs vniuersalibus habetur etiam monitorium in gestis Calcedonensis Concilij à quo describendo supersedemus gratia breuitatis.

Septimum, quod est cauendum à patribus in Concilio, est tepida correctio circa culpas præteritas, & maximè in domo Domini commissas. Hely enim sacedos, quia filios suos tepidè correxit, diuino iudicio de sede cadens fractis ceruicibus expirauit 1. Reg. 4. Christus etiam, vt habetur Ioann. 2. tanto zelo contrà peccata in templo exarsit, vt factis funiculis negotiatores de templo manu propria eiecerit.

Octauum, quod cauendum, est sinistra persecutio aliorum, ne scilicèt aliqui odio contrà alios in Concilio persequantur, contrà eos iniustè aliquod molientes. Odio enim, vt inquit Gregor. & habetur in cap. quatuor 11. quæst. 3. peruertitur humanum iudicium, dum cōtrà quemlibet aduersarium molimur: amore, dum aliquo amico, vel propinquo præstare auxilium contendimus. De talibus enim dicitur prouerb. 36. qui operit odium fraudulentèr, reuelabitur malitia eius in Concilio, dum scilicèt apertè contrà sibi odiosos insurgit, quod exemplaritèr vidimus in Concilio Basiliensi, vbi quorumdam studio, qui contrà sanctæ memoriæ Dominum Eugeniū, odio habebant, totam quasi synodum ad illius persecutionem in scandalum totius Ecclesiæ commouerunt; quarè beatus Gregorius

rius

rius in epistola, quam vniuersis Episcopis, per Siciliam constitutis scribit, vt cum Petro subdiacono suo legato celebraretur Concilium, dicit sic. A quo Concilio procul absint otia facinorum nutrimenta, atque iudicia interna, tabescat nimis execrabilis, animorum, sacerdotes suos concordia Deo placita, & charitas recognoscat: hæc ergo omnia cum maturitate, & tranquillitate gerite, vt dignissimè possit episcopale concilium nuncupari.

Nonum cauendum à patribus in Concilio est, ne innitentes quibusdam phantasijs, aut somnijs, & incertis reuelationibus, siuè visionibus aliud ordinent, siuè disponant in Ecclesia, sensus enim sanctorum Patrum non phantasijs, sed sanctarum literarum regulis formari debent, atque inniti, propter quod dicitur Ierem. 14. Prophetæ, qui vident vana, atque diuinant mendatia, in Concilio populi mei non erunt.

Decimum, quod cauendum est à patribus in concilio, est error in promouendo materias in concilio, ne scilicèt parua magnis, temporalia spiritualibus anteponant, quod nullo modo faciendum est, promouenda enim principalitèr sunt maiora, sicut spiritualia, vtpotè, quæ ad fidem catholicam, ad cultum diuinum, ad morum reformationem, ad pacem Christiani populi, ad vtilitatem totius Reipublicæ Christianæ pertinent, ità legitur obseruatum in Concilijs sanctis antiquis vniuersalibus, vndè in gestis Ephesinæ Synodi habetur, quòd Telasius Episcopus sic dixit: piissimus, & Christianissimus Imperator desiderans fidem, quæ hactenòs est, inconcussam manere præcepit, nil aliud, nec dicere, nec agere in sancta Synodo, nisi priùs de fide statuatur, vndè omnia nunc negotia vacent, quæ sunt interim de fide, in medium proferantur. Et similia multi alij Episcopi prosecuti sunt. Opposita enim facientes deridet beatus Bernardus dicens: optimi estimatores, qui de maximis minimam, & de minimis maximam curam gerunt.

Vndecimum, quòd cauendum est in Concilio, est leuitas, & præcipitatio in consulendo, siue concludendo. Celeritas enim, vt dicit Diogenes, maximè inimicatur consilio, & vt inquid Tullius: est inimica iudicij, quare dicitur prouerb. 19. qui festinat, pedibus offendi. Et Sen. ait, velox consilium sequitur pænitentia, maximè consilio contraria sunt festinatio, & ira, & ideò dicit beatus Gregorius, & habetur in cap. summoperè, 10. quæst. 3. Summoperè præcauendum est, vt qui iusta iudicia exercent in dictandis sententijs, nullatenus leuitate, aut fauore ducti sint, præcipites, sed causis priùs diligentèr ventilatis, cum res, quæ ignorabatur, plenitèr ad notitiam venerit nunc, diuina, & humana lex resoluatur: & secundùm quod ibi constitutum est, remota personarum acceptione, definitiua proferatur sententia.

Duodecimum cauendum est violentia, libertas enim maximè requiritur in consulendo, ità vt vbi libertas non est synodus esse non possit, vndè de violentia facta in secunda synodo Ephesina orientales quidam Episcopi dixerunt, nullus consensit violentia facta est vix cum plagis, in pura charta subscripsimus, minabatur nobis damnatio, mine exilij tenebantur, milites cum gladijs, & fustibus instabant, timebamus fustes, & gladios: vbi gladij, & fustes qualis synodus? hæc ille, quasi dicat nulla.

CAP. XXVIII.

Quòd vniuersalium Conciliorum auctoritas à Romano Pontifice deriuetur, & pendeat.

SI quis superiùs dicta, quæ de Roman. Pontif. primatu, & eiusdem sedis prærogatiuis ex Sanctorum Patrum sententijs stabilimus, luce clariùs percipiet, quòd vniuersalitèr conciliorum auctoritas à Romano Pontifice pendeat, & emanet, vndè S. Thom. doctor egregius in tractatu suo contrà impugnantes religionem, hanc sententiam confirmat dicens: Sancti Patres in Concilio congregati, nihil statuere potuissent, nisi auctoritate Summi Pontificis interueniente, sine qua etiam Concilium congregari non potest: hæc ille.

Quòd autem hęc sententia, tàm ex superiùs dictis, quàm ex alijs sit vera, ostenditur primò, ex eo quòd in 2. lib. multiplicitèr ostendimus, quòd Romanus Pont. caput esset vniuersalis Ecclesiæ, & per consequens vniuersalis Concilij illam repręsentantis. Ex quo manifestè sequitur, quòd habitudo Romani Pontificis ad vniuersalem Ecclesiam, & per consequens ad vniuersale Concilium ipsam repræsentans; sit habitudo capitis ad corpus, cum autem talis ità sit, quòd corpus, non nisi mediante capite recipiat influxum virtutis sensus, & motus, vt ait Philosophus, & etiam Isid. lib. 10. Ethic. Inquit enim: prima pars corporis caput est, datumq; est illi hoc nomen, eo quòd sensus, & nerui, indè initium capiant, vt ex eo omnis vigendi causa oriatur, videtur necessariò, quòd omnis auctoritas, & potestas Concilij vniuersalis à Papa, sicut à capite immediatè dependeat, vndè Leo Papa, vt in cap. ità Dominus habetur dist. 19. hanc conclusionem confirmat, ità dicens: huius muneris sacramentum, ità Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro omnium Apostolorum Summo principalitèr collocaret, vt ab ipso, quasi quodàm capite, dona sua velut in corpus omne descenderet, vt exortem se ministerij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.

Secundò sic, in superioribus, in secundo libro ostensum est, quòd Romano Pontifici cura totius Ecclesiæ commissa est, & non alteri personæ, aut congregationi: cum dictum sit soli Beato Petro pro se, & suis successoribus: [Petre pasce oues meas] Ioann. 21. super quo dicit Theophylus, & habetur in gloss. contin. finito prandio commissionem ouium mundi Petro commendat. Et idem Chrysost. & Greg. & Aug. & Bern. vt superius induximus: ergo ad

solius

solius Romani Pontifici auctoritatem spectat prouidere, & dare pabulum toti Ecclesiæ, quod fit in vniuersalibus Concilijs disponendo, ordinando, constituendo, corrigendo, diffiniendo, interpretando: & ad nullos alios dispersos, siue, congregatos, nisi quantum ipse principalis Pastor concedit, & tribuit potestatem, ergo tota potestas vniuersalis Concilij pendet à Romano Pontifice, sicut à capite, & Pastore totius Ecclesiæ.

Tertiò sic, superiùs in secundo libro inter alia induximus, quòd Hierarchia nostra tàm iuxtà Ioan. in cap. 21. quàm iuxtà beatum Dyon. in lib. de Ecclesiastica Hierarchia sit exemplata à cælesti, vnde beatus Ambrosius dicit, quòd Ecclesia est Imago cælestium, sed sic est, quòd in Angelica, siue cælesti Hierarchia nulla potestas ad actus Hierarch. proficiendos tribuitur desuper à Deo personæ, aut ordini, aut toti Hierarchiæ, quæ non tribuatur, siue descendat mediante Hierarchia illius Hierarchiæ, vt patet ex ipsa beati Dyonisij doctrina, ait enim cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, lex diuinitatis sacratissima est, per prima, media in diuinissimam reducere lucem, ergo pari modo nulla potestas à Christo ipsi Ecclesiasticæ Hierarchiæ, aut vniuersali Concilio ipsam repræsenti, quæ non conferatur mediante Rom. Pont. qui est Hierarcha, & primus in tota Hierarchia, & ideò, quicquid auctor. habet vniuersale conciliũ immediatè à Rom. Pont. habet vnde oppositum dicere, est negare Ecclesiam militantem ad formam Hierarchiæ essem dispositam, & negare, quod lex illa sacratissima diuitatis in illa obseruetur

Quartò sic, in secundo libro tàm auctoritatibus, quàm rationibus ostendimus, quòd omnis auctoritas iurisdictionis prælatorum in Ecclesia Dei dependeret à Papa, & deriuaretur à Rom. Pont. ergo Concilium vniuersale, quod ex prælatis Ecclesiæ congregatur, omnem potestatem suam iurisdictionis constituendi, aut diffiniendi aliquid auctoritatiuè, non habet immediatè, nisi à Roman. Pont. consequentia est bona.

Quintò sic, superiùs in libro secundo ostensum est efficacissimis rationibus, quòd vniuersalis Ecclesia, vt vniuersitas in omnibus membris suis nec recipit à Christo immediatè potestatem clauiũ ordinis, nec iurisdictionis, ergo nec vniuersale Concilium illam representans, consequentia patet, antecedens sicut diximus, secundo libro multis rationibus monstratum est.

Sextò sic: Concilia vniuersalia videntur habere originem ex institutione humana; & non à Christo immediatè: ergo falsum est, quòd Concilia habeant immediatè à Christo potestatem iurisdictionis suprà omnes fideles. Consequentia videtur bona, & antecedens patet, tum ex cap. canones 15. dist. & ex cap. generalia quoque Concilia dist. 17. tùm quia nullibi in sacra Scriptura legitur de institutione facta à Christo vniuersalium Conciliorum, licèt benè legatur; quod fuerint aliqua per Apostolos celebrata, vt suprà in hoc tertiò libro notauimus, sed hoc non arguit institutionem eorum immediatam fuisse à Deo. Septimò sic, nec ex Scriptura sacra noui, aut veteris testamenti, nec ex doctrina sanctorum ab Ecclesia approbatorum habetur, quòd vniuersale Concilium habeat potestatem immediatè à Christo sine ordine ad Rom. Pont. ergo hoc non est dicendum, maximè cum contrariari videatur sacræ Scripturæ, & doctrinæ sanctorum doctorum. Consequentia patet, quia, vt dicit Hieronym. quod de Scripturis non habet veritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur, antecedens verò est notum discurrenti per passus sacræ Scripturæ, & manifestius factum est, cum responsum est suprà libro in cap. 68. ad auctoritates inductas per aduersarios, quòd claues datę sint vniuersali Ecclesiæ, quia illis se armarunt ad probandum, quòd vniuersale Concilium; illas habeat immediatè à Christo de quibus etiam aliquid infrà, dicetur.

Octauo sic, si Concilium vniuersale recipit immediatè potestatem à Christo, aut quando nondum est congregatum, aut quando congregatur, primum non potest dici, quia non existens capax potestatis non est. Si quando est, quæritur de hora, & si dicunt, quòd immediatè adueniente termino assignato conuentionis aliqui conueniunt, tunc sequeretur, quòd in potestate duorum, vel trium, aut paucorum concurrentium ad Concilium stabit dispositio totius Orbis terrarum, & ex paucorum, & fortè hominum nullius auctoritatis pendeat fides, & status vniuersalis Ecclesiæ, quod videtur inconueniens: si detur; quòd alia hora: quicquid dicetur, videtur ficticium. Si verò dicatur, quòd data sit hæc potestas Concilio. quando data est Ecclesiæ vniuersali; ità quòd potestas, quæ erat in habitu in Ecclesia dispersa, efficitur in actu ipsa synodaliter congregata: hoc stare non potest, quia sicut iam ante diximus, in secundò libro amplissimè ostendimus falsum est quod potestas aliqua iurisdictionis, sit data vniuersali Ecclesiæ, vt vniuersitati in omnibus membris suis, nec etiam toti vniuersitati clericorum ad intellectum aduersariorum. Prætereà si dicatur, quòd data sit hæc potestas Concilio; quando Episcopis in Apostolis, quibus indistinctè, & vniuersaliter videtur data potestas à Christo ad regendum christianum populum, hoc stare non potest, quia, vt superiùs in secundo libro plenè ostendimus nulla talis potestatis plenitudo data est collectiuè omnibus Apostolis simul sed solùm Petro, qui Princeps Apostolorum constitutus est, & pastor totius gregis dominici, talis potestas plenè data est, vt dicit beatus Cyrillus, & beatus Crys. & vt suprà induximus hoc requirit tàm vnitas Ecclesiæ, quam ratio Principatus regalis, siuè monarchici, cuiusmodi est principatus Ecclesiæ, quàm est forma dispositionis Hierarchiæ: sub qua constituta est militans Ecclesia.

Nonò arguitur sic, si vniuersale Concilium recipit aliquam auctoritatem immediatè à Christo, aut eandem, aut aliam: & si sic, aut æqualem cum potestate Papæ, aut maiorem, aut minorem, nec sic nec sic, ergo nullam consequentia patet à sufficienti: diuisione antecedens etiam non potest dici quod recipiat eandem, quia sicut aliàs argutum est in secundo, libro nulla superioritas attendi posset in Concilio respectu Papæ, quod

ad-

aduersarij prætendunt, nec potest dici quòd suscipiat aliam, quæ sit æqualis, tùm quia etiam tunc nulla superioritas esset auctoritatis in Concilio suprà Papā, quia par in Parem Imperium non habet, tum quia cum Papa, vt habetur in articulo quodam Constan. Concilij, & ratio ipsa manifestat cum, sit caput & Princeps Ecclesiæ, habet supremam potestatem in Ecclesiæ Dei. Si Concilium haberet æqualem potestatem; duæ supremæ potestates & duo capita essent in Ecclesia, hoc autem esse non potest, tum quia, quod per superabundantiam dicitur in vnoquoque genere, vnum tantum est. tum secundò, quia pluralitas principatuum non est bona, 12. metaphysicès, quod autem bonum non est, non est credendum, à Christo in Ecclesia sua constitutum esse, tùm tertiò, quia duas supremas potestates Ecclesiæ vnitas pati non potest, quæ non solum in vnitate fidei, charitatis: aut finis vltimi attenditur, sed ex ordine ad vnam supræmam potestatem regitiuam totius vniuersitatis Christianæ, in secundo lib. ostendimus, vnde vt beatus Cyprianus inquit in epist. ad quoq. præsbyteros, Deus vnus est, Christianus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata, aliud altare construi, aut sacerdotium nouum fieri præter vnum altare, & vnum sacerdotium non potest, quisquis alibi collegerit spargit, adulterium est, impium est, sacrilegium est quodcumqne humano fauore constituitur, vt dispositio diuina violetur, hæc Cyprianus.

Item; non potest dici, quòd Concilium recipiat maiorem potestatem, quàm Papa: patet, tum quia vt iam diximus Papa habet supræmam potestatem in Ecclesia Dei, tùm quia tunc constituto Concilio, Papa desineret esse caput Ecclesiæ, cum desineret habere supræmam potestatem, & dignitatem suprà corpus Ecclesiæ, quod esset absurdum & alienum a fide nostra. Prætereà non potest dici etiam, quòd minorem recepit, quia talis videretur frustrà esse cum potestas Papæ esset maior, & sufficeret ad perficiendum omnia ad quæ Concilium congregaretur, tùm quia Concilium non esset superiùs Papa, aut Papa illi subiectus, quod tamen aduersarij prætendunt, ergo videtur, quòd Concilium nullam potestatem recipit immediatè à Christo sed omnem, quam habet, recipiat à Vicario eius scilicèt Romano Pontifice.

Decimò sic viuente vno rectore vnius Ecclesiæ; alter non substituitur, sicut viuente marito, alter vir non datur vxori 12. qu. 1. factus est Cornelius Episcopus, & cap. sicut, ergo viuente Papa rectore vniuersalis Ecclesiæ non substituitur alius rector eiusdem Ecclesiæ à Deo, sed hoc fieret, si viuente verò, & indubitato Romano Pontifice vniuersali Concilio daretur aliqua vniuersalis potestas regitiua totius populi Christiani, ergo sequitur quòd non sit verum, quòd vniuersale Concilium recipiat à Christo immediatè potestatem.

Vndecimò sic, si Concilium vniuersale dicitur habere potestatem à Christo immediatè, quia vniuersali Ecclesiæ quàm repræsentat data sit, tunc sicut alias arguebamus in secundo libro necessarium esset: vt ad Concilium conuocarentur omnes fideles, qui infrà vniuersitatem Ecclesię continentur. si Concilium debeat exire in actum siue exercitium potestatis suæ, sed hoc est inconueniens, nec vnquam in Ecclesia fuit practicatum. Consequentia tamen patet. quia si aliqua potestas est data Ecclesiæ, vt vniuersitati, omnes fideles æqualiter se haberent ad ius potestatis illius, & per consequens omnes veniunt vocandi, quoniam quando iurisdictio ad vniuersitatem, vt vniuersitatem spectat, singuli non sunt iudices, sed omnes sunt coniudices art. 12. q. 2. qui manumittitur.

Duodecimo sic, superiùs in hoc lib. 3. in cap. 6. ostensum est. quòd auctoritas vniuersalium Conciliorum dependet immediatè ab auctoritate Apostolicæ Sedis, vt patet ex dist. 17. per totum, nec dependentia ista est solum accipienda respectu conuocationis, aut congregationis Conciliorum, sicut quidam aduersariorum prauè interpretantur, sed etiam quantum ad robur, & firmitatem omnium actitatorum in eisdem, quod manifestum est ex multis, tùm ex præfata d. 17 per totum, tùm secundò ex eo, quod dicit Papa Pelagius in cap. confidimus, 25. q. 1. quòd Apostolica Sedes vnamquamque synodum sua auctoritate confirmat, item tertiò synodus venerabilis tempore Symachi Papę Romæ celebrata, vt habetur in cap. beati distinct. 96. dicit, quod Apostolica Sedes statutis synodalibus consueuit tribuere firmitatem. Ecce, quòd non tantùm, quo ad vocationem, siuè congregationem Concilia pendent à Papa, sed etiam, quo ad auctoritatem constituendi, & iudicandi, & diffiniendi.

Quartò extra de elect. cap. significasti, dicit Paschalis Papa, quòd omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ auctoritatem, & facta sunt, & robur acceperunt, ergo Concilia vniuersalia immediatè capiunt à Papa potestatem iurisdictionis cum robur eorum, & firmitas pendeat à Romano Pontifice: consequentia est manifesta, quia firmitas ista quam Apostolica Sedes statutis tribuit synodalibus, non est firmitas, quam cancellarij dicuntur facere signādo literas suorum Dominorum sicut quidā aduersarij erroneæ interprætantur: sed est firmitas roboris, & auctoritatis, quàm Princeps tribuere dicitur legibus sine qua leges ipsæ vigore carent ac firmitate sicut infrà pleniùs explicabimus.

CAP. XXIX.

In quo obiectiones aliquæ aduersariorum ponuntur contra prædicta.

SVrrexerunt quidam nouelli magistri hoc nostro tempore, qui dogmatizare ausi sunt, quòd Concilium vniuersale potestatem immediatè habeat à Christo, & tantam, & tam plenam, vt ei omnis fidelis cuiuscunque status sit, aut præeminentiæ etiam si Papalis, obedire teneatur, quod etiam præsumpserunt dicere pertinere ad veritatem Catholicæ fidei, quàm nouellam doctrinam multipliciter

citer probare, & roborare moliuntur tàm auctoritatibus, quàm rationibus, quàm etiam, vt dicunt, determinatione vniuersalis Ecclesiæ.

Primò, auctoritate ex illo deutro. 17. Si difficile inquit, & ambiguũ apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem, & sanguinẽ causam, & causam lepram, & lepram iudicium intrà portas tuas videris verba variari, surge ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes leuitici generis & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcumque dixerint tibi, qui præsunt loco quẽ elegerit Dominus Deus tuus; & docuerit te iuxtà legem eius, non declinabis ad dextram. nec ad finistram, vbi inquit glos. hoc quoque in Ecclesia seruandum est. Ex hoc arguunt aduersarij sic, ergo sequitur, quòd generale Concilium in loco, quem elegit dominus audiẽdum est in sententia sua, nec declinandum ad dextram, nec ad sinistram, hoc autem non esset, nisi Concilium vniuersale haberet à Deo immediatè potestatem supræmam, & auctoritatem in Ecclesia, ergo &c.

Secundo sic, ex illo Matt. 18. vbi Christus inquit Apostolis, quæcumque ligaueritis in terra, erunt ligata &c. vbi videtur dedisse Apostolis immediatè potestatem iurisdictionis, quibus cum succedant Episcopi, ex quorum congregatione fit Concilium vniuersale, videtur, quod Concilium vniuersale immediatè recipiat à Christo potestatem.

Tertiò, ex eo, quod ibidem Matth. 18. sequitur, vbi duo, vel tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum, ergo videtur, quod à præsentia Christi Concilium capiat immediate potestatem, & non Papa.

Quartò ex illo Ioann. 20. accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c. ex quo videtur, quod Apostoli immediatè à Christo acceperunt potestatem clauium, & per consequens Concilium Collegium eorum repræsentans.

Quintò ad idem arguunt, ex Concilijs vniuersalibus, primò, ex octaua, Synodo in qua Patres congregati in damnatione Phocij, ita dixisse leguntur: hæc autẽ nolentẽ intelligere Phocium, vt benè ageret, sed inobedientem, & resistentem huic vniuersali Synodo repulimus, & anathematizauimus, atque à tota Catholica, & Apostolica Ecclesia fecimus alienum per datam nobis potestatem in Spiritu sancto à primo, & magno Pontifice nostro, & Deo liberatore, & saluatore cunctorum. Ecce inquiunt, quòd Synodus habet potestatem à Christo, & vt videtur immediatè.

Sextò, inducunt decretum, quod esse dicunt Concilij Constantiensis, in quo dicunt haberi, quòd Synodus vniuersalis habet immediatè potestatem à Christo, cui quilibet fidelis cuiuscumque dignitatis sit, etiam Papalis obedire tenetur.

Septimò inducunt talem rationem, si Papa mortuo naturaliter, siue ciuiliter, aut legitima causa renunciante, vel à barbaris capto, sine spe relaxationis, siue à tyrannis in exilium relegato, sine spe liberationis Ecclesia non haberet potestatem immediatè à Christo ante creationem Papæ, non videretur, quòd sapientissimus legislator sufficienter prouidisset Ecclesiæ suæ, quòd videtur absurdum; ergo sequitur, quòd necessarium sit dicere, quod vniuersalis Ecclesia habeat potestatem immediatè à Christo, cui omnes obedire teneantur.

CAP. XXX.

In quo reprobatur prædicta aduersariorum assertio, scilicet, quòd Concilium habeat immediatè potestatem à Christo, non mediante Romano Pontifice, & quod hoc pertineat ad veritatem fidei.

QVoniam præfata aduersariorum assertio, quantum ad illam partem, in qua ponit, quòd vniuersale Concilium, vt dicitur corpus Prælatorum Ecclesiæ condistinctum à Romano Pontifici; habeat potestatem à Christo immediatè, sine quacumque mediatione Romani Pontificis, satis plenè improbata est: tàm libro secundo, cap. 80. quàm in hoc tertio libro, cap. superiori, solum nunc restat illam refutare, quantùm ad illam partem, in qua aduersarij Basilienses plus sapientes, quàm oportebat, stulta temeritate dogmatizarunt, id ad fidei veritatem pertinere. Agemus autem breuibus, quoniam improbata illorum assertione de continentia veritatis ex supradictis necessariò relinquitur improbata de attinentia ad fidem Catholicam, cum fidei Catholicæ veritati, non nisi verum consonare possit.

Arguitur autem primo sic: nullum quòd repugnat rationi naturali, potest dici ad fidem Catholicam pertinere, sed quòd Concilium vniuersale, non habeat potestatem à Papa, sed à Christo immediatè, videtur rationi naturali repugnare, ergo &c. consequentia est bona, maior etiam patet: quia cum ius naturale deriuetur à iure diuino, impossibile est, vt quod contradicit iuri naturali pertineat ad ius diuinum: maior patet, quoniam rationi naturali repugnat, quòd Concilium vniuersale sit corpus, & Romanus Pontifex Caput eius, & tamen Concilium vniuersale non dependeat, & potestate, & auctoritate à Romano Pontifice Caput enim, vt dicit Isidor. libro ethic. prima pars corporis est: datumque est ei hoc nomen eo, quòd sensus, & nerui inde initium capiant, atque ex eo omnis vigendi causa oriatur.

Secundo sic: nulla assertio, quæ repugnat Euangelio Christi potest ad veritatem Catholicam pertinere, sed dicere, quòd Concilium vniuersale habeat auctoritatem à Christo, cui etiam Papa sit subiectus, videtur repugnare Euangelio: ergo talis assertio non pertinet ad veritatem fidei Catholicæ: immò tamquam erronea, & hæretica est repellenda, consequentia est bona, maior manifesta; minor patet; quoniam repugnat Euangelio, vbi Christus ait Ioann. vltimo. Symon Ioann. pasce oues meas; vbi Petrus, & in eo eius successor Romanus Pontifex totius gregis Do-

Dominici vniuersaliter nullo fidelium in illa fidelium congregatione excepto, Pastor, & Rector constitutus est; vndè dicit Chrysost. super hunc locum, quòd Petrus supra omnes, qui filij sunt cæpit potestatem; ergo Synodus si est Christi, necesse est, quòd Papa super illam habeat potestatem, & non è conuerso.

Tertiò sic: nihil, quod repugnat verbo Christi pertinet ad veritatem fidei Catholicę, sed magis erroneum est dicendum; sed assertio dicens, quòd vniuersalis Ecclesia, siue vniuersale Concil. potestatē regitiuam, siue curā regiminis, non tantū recipiat respectu omniū fidelium, sed etiam Papæ, non à Papa, sed à Christo immediatè repugnat verbo Christi dicentis Ioann. 10. erit vnum ouile, & vnus Pastor; ergo talis assertio non pertinet ad veritatem fidei, sed magis ei repugnare videtur; consequentia est bona, & maior est manifesta, & minor etiam patet; quia cum Papa sit Pastor omnium fidelium, & assertio illa ponit Concilium vniuersale esse Pastorem omnium fidelium, & vnus istorum non sit alius, sequitur secundum assertionem illam, quod sint duo Pastores respectu ouilis Christi.

Quartò sic: nihil, quod repugnat articulo fidei, potest dici ad fidem Catholicam pertinere, sed quod Concilia vniuersalia recipiant, non à Romano Pontifici, sed à Christo immediatè potestatem iurisdictionis repugnat articulo fidei, ergo &c. consequentia est formalis, & maior est manifesta; minor verò probatur, videtur enim esse contra articulum: Vnam sanctam Ecclesiam, quod sic ostenditur, quia cum vnitas Ecclesiæ inter alia attendenda sit ex ordine ad vnam supræmam potestatem regitiuam totius Ecclesiæ, quæ est in Papa, vt in superioribus est ostensum, & deducit sanctus Tho. pulchrè in 4. dist. 24. & colligitur ex glos. Matth. 16. sed ponere aliam supræmam potestatem in Concilio regitiuam, cui omnis fidelis obedire teneatur independentem à potestate regitiua datā Pastori vniuersali totius Ecclesiæ, est manifestè vnitatem Ecclesiæ scindere, cum rumpat ordinem, & connexionem totius corporis Ecclesiæ ad vnam potestatem suprēmam ipsius Pastoris totius multitudinis Christianorum, qui est Papa: Nam vt dicit Cyprianus in epistola ad quinque presbyteros: Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata, aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri præter vnum altare, & vnum sacerdotium non potest; quisquis alibi collegerit, spargit, adulterium est, impium est, sacrilegium est, quicquid humano furore constituitur, vt dispositio diuina violetur.

Quintò: nullum, quod contradicit dispositioni diuinæ, potest ad fidem Catholicam pertinere, sed quòd vniuersalis Ecclesia, per modum vniuersitatis, aut Concilium vniuersale habeat potestatem supræmam, non à Papa, sed à Christo immediatè, repugnat ordinationi, & dispositioni diuinæ; ergo talis assertio aduersariorum non potest dici ad Catholicam fidem pertinere, sed magis contradicere, consequentia est bona; maior patet, minor probatur: repugnat enim dispositioni illi, qua Deus Ecclesiæ regimen constituit Monarchicum, siue regale, de cuius ratione est, vt colligitur tàm ex tertio Politicorum, quam ex 19. ethic. quòd supræma potestas eius non est in multitudine, sed in vno totius multitudinis Principe, siue capite locata sit. Quòd verò Ecclesiæ regimen sit monarchicum, siue regale à Christo constitutum, non solum habetur ex illis locis Scripturæ diuinæ, vbi Ecclesia sub regni nomine describitur, sed etiam ratione manifestè demonstrat sanctus Thom. in 4. contra gentiles, cap. 76. probat enim hoc sic: Nullum dubium esse debet, quin regimen Ecclesiæ sit optimè ordinatum, vtpotè per eum dispositum, per quem reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Optimum autem regimen multitudinis est, quod regatur per vnum, quod patet ex fine regiminis, qui est pax, pax enim, & vnitas subditorum est finis regentis, vnitatis autem causa congruentior est vnus, quam multi; ergo manifestum est regimen Ecclesiæ sic à Deo esse dispositum, vt vnus toti Ecclesiæ præsit: & potestas, & Principatus non in multitudine ipsa locatus sit, sed in vno supræmo, à quo in omnes alios potestas deriuetur, quod manifestè in cap. nolite errare dist. 11. attestatur Iulius Papa dicens, multum conuenit vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibi obseruatione concordet, quæ indè auctoritatem habet, vbi Dominus totius Ecclesiæ posuit Principatum.

Sextò nulla assertio, quæ derogat honori, & priuilegijs Apostolicæ Sedis, pertinet ad veritatem fidei Catholicæ: immò tamquam falsa, & erronea est abijcienda, sed assertio dicens, quòd vniuersale Concilium non dependeat in potestate à Romano Pontifice detrahit honori, & priuilegijs Apostolicæ Sedis; ergo talis assertio non pertinet ad veritatem fidei Catholicæ, sed magis tamquam erronea venit abijcienda, consequentia est bona, maior patet ex cap. omnes dist. 22. minor autem patet; quoniam inter alia priuilegia Apostolicæ Sedis hoc connumeratur, quòd Romanus Pontifex Concilia vniuersalia congregat, auctoritate fulciat, & eorum gesta sua auctoritate roboret, & confirmet, vt patet ex dist. 17. per totum ex cap. confidimus 25. quæst. 1. ex cap. significasti de elect. & ex multis alijs inferiùs deducendis, cui priuilegio manifestè derogat assertio dicens, quòd vniuersale Concilium non à Papa, sed à Christo immediatè potestatem habeat, cui etiam Papa obedire teneatur.

Septimò: nulla assertio, quæ subtrahit obedientiam debitam iure diuino à Romano Pontifice, potest dici pertinere ad veritatem Catholicæ fidei, immò magis tamquam erronea venit abijcienda, sed assertio dicens, quòd Concilium vniuersale habeat potestatem non à Papa, sed à Christo immediatè, & tantam, quòd ei Romano Pontifici obedire teneatur, subtrahit obedientiam à Romano Pontifice debitam iure diuino ei à cunctis fidelibus, quorum pater est, & Princeps, & subijcit eum alijs; ergo talis assertio non pertinet ad fidei Catholicæ veritatem: sed magis videtur sapere schismaticam, & hæreticam prauitatem, consequentia est bona, & maior patet ex cap. si qui sunt dist. 81. vbi inquit beatus Gregor. peccatum paganitatis incur-

rit, quisquis dum Christianum se asserit, Sedi Apostolicæ obedire contemnit, & in extrauagante Bonifacij; vnam sanctam Ecclesiam Sedes Apostolica definiuit de necessitate esse salutis, omnem hominem subesse Romano Pontifici, ex quibus manifestè colligitur, quòd sicut nullus homo alius à Papa, potest se asserere in veritate Christianum, aut esse in statu salutis, qui subesse renuit Rom. Pontif. ità nulla hominum congregatio quamtumcumque nomine glorietur vniuersalis Concilij potest dici Christiana, aut in statu esse salutis, quæ per obedientiam se negat esse subiectam Romano Pont. minor verò patet ex terminis.

Octauò sic: nulla assertio, quæ manifestè repugnat Apostolicæ Sedis definitioni, & sanctorum Doctorum sententiæ est dicenda ad fidei Catholicæ pertinere veritatem; sed assertio illa dicens Concilium vniuersale habere potestatem à Christo, cui etiam Papa subiectus sit, est manifestè repugnans definitioni Apostolicæ Sedis, & sanctorum Patrum doctrinis; ergo: consequentia bona est, & maior etiam vera ex cap. hæc est fides Pater beatissime; minor verò patet ex cap. significasti extrà de elect. vbi Paschasius Papa dicit, quòd omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ auctoritatem, & facta sint, & robur acceperint. Dicit etiam sanctus Thomas in lib. suo contrà impugnantes religionem, quòd sancti Patres in Concilio congregati nihil statuere potuissent, nisi auctoritate summi Pontificis interueniente, sine qua Concilium congregari non potest.

Nono sic: nulla assertio pertinet ad veritatem fidei Catholicæ, sed magis erronea videtur iudicanda, quæ ab Ecclesia tollit ordinem, & ornatum hierarchiæ dispositionis, sed assertio dicens, quòd vniuersalis Ecclesia, siue Concilium vniuersale, vt dicit congregationem fidelium, aut Prælatorum condistinctam à Rom. Pontif. habeat hierarchizandi potestatem, non à Papa, qui est immediatus hierarcha suus, sed immediatè à Christo, tollit ordinem, & ornatum hierarchicæ dispositionis ab Ecclesia Dei; ergo talis assertio non est dicenda ad veritatem Catholicam pertinere, sed potiùs vt inimica fidei est abijcienda, consequentia est bona, maior est manifesta: minor verò sic ostenditur. Præsupponitur in primis cum beato Dionys. libro de Ecclesiastica hierarchia, quòd Ecclesia nostra sit ad modum hierarchiæ à Deo disposita. Secundò præsupponitur cum eodem, quòd hierarchia nostra formata sit ad exemplar, & similitudinem hierarchiæ Cœlestis; vndè etiã Moysi à Domino dictum est Exod. 25. Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Sanctus prætereà Ioann. Euangelista dicit se vidisse Ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de Cœlo, scilicèt exemplariter, vt Doctores exponunt, & beatus Bernard. 3. de consideratione ad Eugenium inducit. Prætereà, beatus Ambros. dicit, quòd Ecclesia sit imago Cœlestium, sed sic est, quòd in Angelica Hierarchia nulla potestas ad actus hierarchicos perficiendos tribuitur desuper à Deo personæ, aut ordini, aut corpori totius hierarchiæ, qui non tribuatur mediante primo illius hierarchiæ, vt patet ex ipsa Doctrina beati Dionys.: ait enim v. Ecclesiasticæ Hierarchiæ; lex diuinitatis sacratissima est, per prima media, & per media vltima in diuinissimam reducere lucem, an non sensibiles electorum essentias in cognatiora primùm videmus venientes, & per illa alia propriam diuidentes operationem, pulchrè, ergo omnis visibilis, & inuisibilis ornatus principium, & fundamentum in deiformes primos infert deificos radios venire, & per illos tamquam lucidiores animos, & ad participationem luminis, & traditionem opportunam habentes in subiectis proportionaliter lucet, & super apparet; ergo pari modo potestas regitiua à Christo deriuatur Ecclesiasticæ Hierarchiæ, aut vniuersali Concilio illam repræsentanti, quæ non conferatur mediante Romano Pontifice, qui est Hierarcha, & primus in tota Hierarchia, sicut etiam satis apertè colligitur ex cap. ità Dominus, dist. 19. vndè manifestum est, quòd asserere, quòd Ecclesia vniuersalis, aut Concilium vniuersale, vt dicit fidelium congregationem condistincta à Romano Pontifice, habeat aliquam potestatem regitiuam non mediante Romano Pontifice, est negare Ecclesiam Christi hierarchicè esse dispositam, & negare eam ad similitudinem cœlestis Hierarchiæ esse formatam, quæ omnia sunt absurda, & erronea. Et hæc pro nunc sufficiant ad ostendendum falsum esse, quod aduersarij dicunt, videlicèt ad veritatem Catholicæ Fidei pertinere, quòd vniuersale Concilium regulariter non à Romano Pontifice habeat potestatem, sed immediatè à Christo, cui omnes fideles etiam Papa obedire teneantur.

CAP. XXXI.

In quo respondetur obiectionibus suppositis aduersariorum ad probandum, quòd vniuersale Concilium habeat immediatè à Christo potestatem.

Reprobata autem assertione aduersariorum iam respondendum est rationibus eorum.

Ad primum ergo quod inducitur ex illo Deuteron. 17. respondetur, quòd auctoritas illa non est ad propositum; quia text. ille non loquitur de Concilio vniuersali, cùm Concilia vniuersalia, de quibus nunc loquimur, non essent tunc in vsu Ecclesiæ, sed loquitur de loco, vbi Summus Sacerdos erat, scilicèt Hierusalem, vbi locus erat tàm orationis, quàm magisterij diuinæ legis, & tribunal iudicij, & cùm dicitur, quòd gloss. ait, quòd ità faciendum est in Ecclesia; respondetur, quod ità fit, quando in arduis causis, siue maioribus, quæ auctoritatem excedunt particularium Iudicum, siue Prælatorum recurritur ad summum Pontificem, & Dominos Cardinales, qui succedunt Sacerdotibus Leuitici generis, vt dicit Innocentius Tertius in

in cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, & hoc in loco, quem elegit Dominus Deus noster, hoc est Apostolica Sedes, in qua Dominus totius Ecclesiæ principatum posuit.

Secundò respondetur, quòd dato, quòd auctoritas illa applicaretur vniuersali Concilio, non facit ad propositum aduersariorum, sed magis ad propositum nostrum; quoniam & si discussio dubiorum, & reseratio veritatis Conuentui adscribatur sacerdotum, definitiuum tamen iudicium, & imperium, cui sub pœna mortis obediendum erat, vni scilicet Sacerdoti summo conueniebat; vnde sequitur in text. qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille. Hæc ille. Hoc autem minimè conuenisset, si conuentus ille sacerdotum habuisset potestatem à Deo, non mediante summo Sacerdote.

Ad secundam, quæ sumitur ex illo Matthæi 18. [Quæcumque ligaueritis, &c.] respondetur tripliciter. Primò, quòd auctoritas illa non videtur facere ad propositum, quia per illa verba, cùm tantùm dirigerentur Apostolis, quibus promittebatur potestas iurisdictionis, non arguitur aliqua potestas data vniuersali Ecclesiæ insolidùm, siue vt collegio, quod aduersarij nituntur probare; quoniam Apostoli tunc non erant vniuersalis Ecclesia tota nec re, vt patet; quoniam plures alij tam viri, quàm mulieres erant fideles, & ità de corpore Ecclesiæ, nec repræsentatione cùm adhuc non essent Prælati aliorum fidelium, immò nec Sacerdotes, qui facti sunt in Cœna Domini.

Secundò respondetur, quòd Apostolis non est data potestas per illa verba, vt collegialiter congregatis, sed vt singulis, quod manifestè patet, cùm in hoc loco fundetur auctoritas iurisdictionis singulorum Prælatorum, qua possunt contumaces gladio excommunicationis ferire; vnde nec hic, nec alibi legitur, quòd Apostolis communiter sit data aliqua potestas, qua quilibet eorum per se non vteretur, patet etiam ex eo, quod Origenes dicit in gloss. ibidem, quòd ideò Christus dicens Apostolis: [Quæcumque ligaueritis, &c.] dixit in Cœlo, & non in Cœlis, sicut Petro, quia non erant tantæ perfectionis, sicut Petrus.

Tertiò respondetur, quòd dato, quòd potestas aliqua attributa esset Apostolis per illa verba, vt collegio, non tamen hoc fuit sine Apostolo Petro, immò in ordine ad Petrum, sicut mediante quo in alios deriuanda erat, quod manifestè colligitur ex ipso ordine verborum Christi. Primò enim beato Petro Christus ait: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum, &c.] quàm Apostolis dixerit: [Quæcumque ligaueritis, &c.] ad ostendendum, vt inquit sanctus Thomas, tam in 4. Sententiarum dist. 19. quàm in 4. contra Gentiles cap. 76. quòd per Petrum ad alium potestas clauium esset deriuata ad conseruandam vnitatem Ecclesiæ. Ex quibus clarissimè patet, quòd ex illa auctoritate magis veritas roboratur conclusionis nostræ, quàm aduersariorum.

Ad tertiam autem, quæ sumitur ex illo Matth. 18. vbi duo, &c. supra satis diximus in cap. 24. nihilominùs dicimus, quòd assistentia illa, quam Dominus sanctis congregationibus pollicetur inspirando, quæ bona sunt, & adiuuando ad prosecutionem, non arguit potestatem clauium, aut iurisdictionis, aut regiminis, vt clarissimum est; aliàs omnium sanctorum, omnium virorum, siue fœminarum congregationes in Christi nomine conuenientes, potestatem haberent, quod non modò periculosum est, sed etiam videtur sapere hæresim Waldensium, quòd omnes sanctos homines claues habere Ecclesiæ asserere præsumpserunt; vnde manifestum est, quòd ex illa Christi promissione, qua Dominus pollicetur in nomine suo congregatis adesse, nulla potestas iurisdictionis arguitur in Concilijs vniuersalibus, non interueniente summo Pontifice, & multò minùs in congregationibus, in quibus Vicarij Iesu Christi non interuenit auctoritas, & assensus, sed contradicit, cùm tales non possint dici in Christi nomine conuenire, qui contempto vero Christi Vicario, conuenticula præsumunt facere.

Ad quartam respondetur, quasi sicut ad secundam ad eandem etiam respondimus supra in cap. 61. lib. 2.

Ad quintam, quæ assumit de octaua Synodo, respondetur, negando consequentiam, ex verbis enim illis Patrum congregatorum nec habetur, nec sequitur, quòd Synodus ipsa potestatem à Christo habuerit immediatè, immò arguendo sic, committitur fallacia figuræ dictionis, qua sæpè falluntur aduersarij. Sanè si hæc argumentatio locum haberet, cùm, iuxtà Apostolum ad Rom. 13. [Non sit potestas, nisi à Deo, quilibet, qui potestatem aliquam haberet, dicendus veniret, illam habere immediatè à Deo, & ità non solùm ab ipsa Ecclesia, verùm ab ipso vniuerso tolleretur id, quod in ipso potissimùm est, quod est ordo; quod est absurdum, dicente Apostolo, vbi supra; quæ à Deo sunt, ordinata sunt.

Ad sextam, quæ sumitur de Concilio Constantiensi, iam plenissimè responsum est superiùs, maximè in lib. 2. cap. 99.

Ad septimam, quæ videtur aduersarijs Achilles, respondetur, negando assumptum, videlicet quod nisi vniuersalis Ecclesia haberet immediatè à Christo plenitudinis potestatem, Christus legislator non sufficienter prouidisset Sponsæ suæ; hoc enim est falsum, & præsumptuosè dictum, immò videtur, quòd sufficientiùs prouisum sit talibus casibus, non dando talem potestatem vniuersali Ecclesiæ eo modo, quo aduersarij dicunt, quàm dando, patet; quoniam si in prædictis casibus esset semper conuocandum Concilium vniuersale, tardè, & per consequens malè prouideretur similibus necessitatibus, quæ quasi subita exposcunt remedia, vnde optimè, & sapienter, sufficienterque videtur esse prouisum cum Collegio Dominorum Cardinalium Apostolica auctoritate commissum est, vt vacante Sede, aut quasi vacante, datum est prouidere posse in his, quæ necessariò occurrerent celeriter prouidenda in Ecclesia vsque ad creationem Rom. Pont. vt notatur in cap. vbi periculum de elect. §. idem quoque lib. 6. de quo infrà pleniùs dicetur.

CAP. XXXII.

Quod quicquid in Concilijs vniuersalibus statuitur, definitur, aut sententiatur auctoritate Romani Pontificis principaliter fit.

SAnè si quis superiùs iam dicta attentè rimetur, & practicas obseruatas in Concilijs vniuersalibus, in quibus maximè Romanum Pontificem interfuisse legitur, commemorauerit: facilè cognoscet, quòd ea, quæ in vniuersalibus Concilijs statuuntur, sententiantur, aut definiuntur, aut interpretantur: auctoritate Romani Pontificis principaliter regulariter fiant. Quod licèt ex superioribus satis pateat; nos tamen ad abundantiam doctrinæ hoc ipsum rationibus, & plurium antiquorum Conciliorum vniuersalium exemplis ostendere curabimus.

Primò sic, vt habet Aristotelis doctrina primo ethyc. secundùm ordinem finium, est ordo artium; primus ergo finis, siue consideratio, qui totum populum respicit, solùm est apud eum, qui toti Reipublicæ præsider, sed Papa est huiusmodi in Republica Christiana, cùm Caput sit, & Princeps: ergo ipsius tantùm est condere, & statuere ea, quæ totum populum Christianum respiciunt, & si alij quandoque hoc faciant, ex deriuatione, aut communicatione potestatis illius fit, qui eos conuocat ad hoc; ergo sequitur, quòd in Concilijs vniuersalibus, vbi disponuntur ea, quæ vniuersitatem populi Christiani respiciunt, Papa principaliter cuncta disponat.

Secundò ratione sancti Thomæ, qua in 2. 2. qu. 1. art. vlt. probat, quòd ad summum Pontificem pertineat editio Symboli, sic; noua editio Symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores: ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cuius auctoritatem pertinet sententialiter determinare ea, quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur, hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis, ad quem maiores, & difficiliores quæstiones Ecclesiæ referuntur. Hæc S. Thomas.

Tertiò sic: Papa est Princeps Ecclesiæ principatu non dependente ab Ecclesia, sed à Deo immediatè, vt in secundo libro copiosè monstratum est, & habetur in cap. in nono dist. 21. & in cap. sacrosancta, dist. 22. leges autem non habent vigorem, & virtutem coactiuam, nisi ex principis auctoritate, siue eius, in quo principatus totius communitatis est collocatus, vt est clarissimum apud omnia iura, vnde sanctus Anacletus Papa, & martyr in cap. leges 3. qu. 6. inquit: Leges Ecclesiæ Apostolica firmamus auctoritate, & ratio est, quoniam in Apostolica Sede totius Ecclesiæ principatus est collocatus, vt in cap. nolite errare dist. 12. & in cap. Basilicas de consec. dist. 1. ergo sequitur, quòd firmitas, & robur auctoritatis quorumcumque gestorum in Concilijs vniuersalibus pendeat à Romano Pontifice. Cæterùm hoc idem ostenditur exemplis, & practica antiquorum conciliorum, in quibus siue sit materia fidei, siue de schismate tollendo, siue de reformatione vniuersalis Ecclesiæ facienda: omnia Papa principaliter auctoritatiuè facit, licèt alij Patres consulendo, & consentiendo concurrant.

Et primò quidem hoc patet ex Concilijs primitiuæ Ecclesiæ, in omnibus enim illis, in quibus præsens fuit beatus Petrus, tamquam vertex collegij, & princeps totius congregationis, loquebatur primus definiens, & sententians omnia, sicut Act. 1. patet in electione Matthiæ, & Act. 15. in qu. de cessatione legalium, vbi cùm grauis quæstio mota esset in Concilio Apostolorum, beatus Petrus tamquam Princeps; vt ait gloss. primò locutus est, & in cuius sententiam tota multitudo Apostolorum transiuit, vnde Hieronymus ad Augustinum epistola 23. ità inquit: postquam breui sermone, scilicet Petrus, totam cinxit historiam, ait: tacuit autem omnis multitudo, & in sententiam eius Iacobus Apostolus, & omnes simul presbyteri transierunt; hæc enim non debent esse molesta Lectori, sed & mihi, & illi vtilia, vt probemus ante Apostolum Paulum non ignorasse Petrum; immò principem esse huius decreti, legem post Euangelium non esse seruandam. Hæc Hieronymus.

Secundò, hoc idem colligitur ex eo, quòd Imperator Martianus scribens Leoni papæ, vt ad Chalcedonen. Synodum veniret, ità inquit inter alia, superest, vt si placuerit tuæ Beatitudini in his partibus aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur, nostris vtique desiderijs vestra sanctitas satisfaciet, & sacræ religioni, quæ vtilia sunt, decernet. Si verò hoc onerosum est, vt in has partes aduenias, hoc ipsum nobis proprijs tua sanctitas literis manifestet, & infrà omnes sanctissimi Episcopi debeant conuenire, & quæ Christianæ Religioni, atque Catholicæ Fidei prosint, sicut sanctitas tua secundùm ecclesiasticas literas definiuit, sua depositione declarent. Hæc ibi. Ecce quòd Christianissimus Imperator nouerat, quod si Papa præsentialiter interesset Concilio, ipse decernere debebat; si verò absens, Episcopi conuenientes iuxtà priùs factam per eum definitionem, deberent in materia concludere.

Tertiò, hoc apertè ostenditur ex Concilio Chalcedonensi in sententia data contra Dioscorum; vnde in actione tertia sic habetur: Iulianus Episcopus Yponen. Paschasio, & cæteris Legatis Papæ. Nunc vestra sanctitas primatum tenens sanctissimi Leonis, nouit, quòd Dioscorus semel, & secundo, & tertio vocatus Synodo præsentari, nullatenùs voluit obedire, petimus autem Sanctitatem vestram in eo, quòd magis inter cæteros eminentis habentes locum sanctissimi Papæ Leonis, iustam in contumacem promulgare vindictam, ac regulis insitam contra eum proferre sententiam, omnes enim nos, & vniuersalis Synodus concors efficitur vestræ sententiæ sanctitatis, & infrà. Paschasius autem, & cæteri Legati tenentes locum beatissimi Leonis Papæ, replicatis priùs sub compendio malis multis, quæ Dioscorus commiserat, pronun-

nunciauerunt sententiam in Dioscorum sic dicentes: Sanctissimus, & beatissimus Archiepiscopus magnæ senioris Romæ Leo per nos, & præsentem sanctam Synodum vnà cum beatissimo, & omni laude digno beato Petro Apostolo, qui nuncupatus est à Domino Petrus & spiritualis Catholicæ Ecclesiæ factus est firmamentum: nudauit eum tam Episcopatus dignitate, quàm etiam omni sacerdotali officio, simulque eum alienauit à ministerio sacrosancto, & infrà. Anatholius Archiepiscopus Constantinus, & omnes alij Episcopi suum votum exprimentes, in eandem sententiam concordarunt, omnes se subscribentes. Et ità patet, quòd Leo Papa per suos Legatos sententiauit in Concilijs vniuersalibus.

Quartò, hoc idem colligitur ex gestis octauę Synodi in qua epistola Nicolai Papæ, quam vniuerso clero Ecclesiæ Constantinæ scribit, lecta fuit, & recepta cùm omni laude, in qua post aliqua decreta, sic habetur. Hæc sunt, quæ Sedes Apostolica statuit, hæc sunt, quæ vos tanto studiosiùs oportet amplecti, tantò sollicitiùs obseruare, quantò scitis, quæ ab ea statuta fuerint, hæc vniuersalem Ecclesiam semper tenuisse, ità contra singulos errores in Ecclesia exortos, prior hic secundùm Primatus sui auctoritatem sententiam dederit, & ità demùm vniuersalis Ecclesia, licèt aliquando per aliquantum temporis in quibusdam reluctata sit, quæ illa tamen quandoque probauit, probauerit, & quæ illa Sedes refutauerit, & ipsa vniuersalis Ecclesia refutauerit. Item in eodem Concilio scribitur neminem iustificatum per Sedem Apostolicam, damnatum per Ecclesiam: aut damnatum per ipsam Sedem, iustificatum per Ecclesiam. Ex quibus manifestè apparet auctoritas Apostolicæ Sedis respectu Conciliorum, & reuerentia sanctorum Patrum ad eam.

Quintò, patet ex illo, quòd in Chalcedonense Concilio circa 6. actionem legitur, prout refert Isidor. libro Conciliorum, quòd in omnibus Synodis Apocrisarij, idest Vicarij, siue Legati Apostolicæ Sedis decretas sententias propter summam Sedis eiusdem auctoritatem confirmabant, & subscribebant, quia ante nullum robur habebant. Hæc ibi. Et infrà sic habetur, cùm de Iba Episcopo, Episcopi petierant, quid sanctæ Synodo placerët fiendum locum Apostolicæ Sedis tenentes quia missi Apostolici semper in Synodis primò loqui, & confirmare sententias soliti sunt, per Paschasium dixerunt, relecta epistola Ibæ, cognouimus eum Catholicum, & ob hoc decernimus ad honorem Episcopatus, & Ecclesiam, de qua iniustè expulsus est, ad præsens reuocandum, similiter, & omnes Episcopi sequentes auctoritatem Apostolicæ Sedis decreuerunt. Hæc ibi.

Sextò, colligitur idem ex vniuersali Concilio Romæ celebrato, in quo Nicolaus Papa præsidens, sic inquit, vt in cap. in nomine Domini distinct. 23. quapropter instructi prædecessorum nostrorum, aliorumque sanctorum Patrum auctoritate, decernimus, atque statuimus.

Septimò, hoc idem colligitur, ex Concilio vniuersali Romæ celebrato per Alexandrum Tertium, in quo, vt habetur in cap. licèt de elect. dicit: Nos ad malum hoc enitadum de Concilio fratrum nostrorum, & sacri approbatione Concilij, aliquid decernimus adiungendo, &c.

Octauò, hoc accipitur ex Concilio Lateranensi, in quo Innocentius Tertius, vt habetur in cap. damnamus, & reprobamus libellum, seu tractatum, quem Abbas Ioachim edidit contra Magistrum Petrum Lombardum. Item in eodem: reprobamus etiam & condemnamus peruersissimum dogma impij Almarici.

Nonò, idem colligitur ex Concilio generali, in quo Innocentius Tertius, vt habetur in cap. cùm laicis extra de reg. Eccl. non alienan. ità dicit: volentes ergo super his indemnitatibus consulere Ecclesiarum, atque tantis grauaminibus prouidere, huiusmodi constitutiones, & venditiones, &c. sacri approbatione Concilij decernimus non tenere.

Decimò, idem colligitur ex cap. licèt de baptism. & eius effec. in quo idem Innoc. in Concilio præsidens, ità loquitur: volentes ergo tantùm scandalum ab Ecclesia remouere, sacro suadente Concilio districtè præcipimus, vt talia decreto non pręsumant.

Vndecimò, ex cap. in quibusdam extrà de pęnis, vbi idem Innoc. in Concilio vniuersali pręsidens ità dicit, sacri nihilominùs Concilij approbatione statuimus, &c.

Duodecimò, idem manifestè colligitur ex cap. sacro approbante Concilio extra de sent. excommunic. vbi Innoc. Concilio præsidens ità dicit, sacro approbante Concilio prohibemus, ne quis aliquem, &c.

Decimotertiò, idem colligitur ex cap. vbi periculum de elect. lib. 6. vbi Gregor. IX. in Concilio pręsidenss, ità inquit. Hæc sacro approbante Concilio statuimus, &c. Et infrà auctoritate nostra, & eiusdem approbatione Concilij.

Decimoquartò, idem colligitur ex Concilio vniuersali Lugdunensi celebrato, in quo Gregor. X. pręsidens ità inquit, vt in cap. de Summa Trinit. & fide Catholic. approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præsumpserunt, &c.

Decimoquintò, idem colligitur ex Concilio Viennensi, in quo Clemens V. Concilio præsidens, vt habetur in cap. 1. extrà, de Summ. Trinit. & fide cap. in Clement. ità inquit, sacro approbante Concilio declaramus.

Decimosextò, idem colligitur ex epistola, quam Adrianus Papa misit Imperatori Basilio ad octauam Synodum, vbi inter alia dicit sic. Volumus ergo per vestræ pietatis industriam illic numerosum celebrare Concilium, cui nostri quoque præsidentes, & culparum personarum differentias liquido cognoscentes, iuxtà quod in mandatis acceperunt, singulorũ liberè discretiones exerceant, in quo videlicèt sacrato cœtu execrandi vanitatis Concilij, quod aduersùs Sedis huius actum est, prorsus reuerentiam cuncta decernimus exemplaria, prorsùs à possesoribus suis ablatata, in mediumque delata contemplantitibus igne cremari, nec superesse apud quemlibet ex his omnibus vnum iota, vel vnum apicem, nisi fortè quis totius Clericatus, imò

totius

totius nomine Christianitatis anathemate propulsus carcere noluerit. Non enim nos tam detestandum collegium, nisi Ariminen. sub Constantino, vel Ephesino à Dioscoro congregato latrocinio, comparandum decernimus. Hæc ille. Nota verba, ex, quibus luce clariùs apparet auctoritas magna Romani Pontificis in Concilio vniuersali.

Decimoseptimò, idem colligitur ex Concilio Constantiensi, in quo postquam Martinus creatus est, Synodus non est vsa nomine constituentis, aut definientis, sed omnia nomine Martini instar aliorum Conciliorum approbante Synodo, definita sunt, & constituta.

Mirum est autem, quòd tam gloriosi Principes Ecclesiæ Summi Pontifices præsumpserint vti tali modo loquendi, vt omnia definita, constituta, declarata, & prohibita in Concilijs vniuersalibus, suæ ascriberent auctoritati, si ad eorum auctoritatem non pertineret, sed Concilia immediatè à Christo haberent auctoritatem talia faciendi.

Stupendum est insuper, quomodo tot, & tàm gloriosa Concilia, in quibus multi sancti Patres religione, & sapientia celeberrimi interfuerunt permiserunt Summos Pontifices, hac in Concilijs vti auctoritate, si vt aduersarij garriunt, Concilia vniuersalia immediatè à Christo, & non à Papa habeant auctoritatem definiendi, statuendi, & iudicandi, &c.

Nec dici potest, quòd Romani Pontifices in hoc vsurpauerint auctoritatem alienam, aut quòd illis temporibus vniuersalibus Concilijs nondum erat reuelata ista veritas potestatis Conciliorum, qualem præfati nouelli Magistri confingunt, aut quòd Romani Pontifices à Concilijs vniuersalibus illam auctoritatem accommodatam susceperunt, quoniam vtrumque horum est inconuenientissimè, & stultè dictum.

Primum enim ponit maculam in multis sanctis Pontificibhs, & in Apostolica Sede, in qua tamen, vt ait Hieron. & alij Patres sancti, sicut supra in secundo libro induximus, Christiana religio semper immaculata permansit.

Secundum ponit vniuersalem Ecclesiam vsque ad tempora istorum nouellorum magistrorum tanta caligasse ignorantiæ cæcitate, vt non nouerint hanc prærogatiuam suæ potestatis.

Tertium est falsum, quoniam vt in secundo plenissimè est demonstratum, Roman. Pontif. non à Concilijs, sed ab ipso Christo Saluatore nostro, cuius Vicarius est, & vices gerit, hanc potestatis excellentiam habet, vt etiam habetur in cap. quamuis dist. 21. Ex quibus omnibus confutatur inter alia erroris stultitia dicentium, quòd solùm quo ad conuocationem Concilia ipsa indigeant auctoritate Papæ, & non quo ad prosecutionem, videlicèt ad definiendum, vel constituendum, aut sententiandum: qui error, cùm Papam, non Iudicem, sed præconem tantùm faciat respectu Conciliorum, iudicio nostro maximus est, & periculosus vniuersali Ecclesiæ, cõtra quem errorem est sanctorum Patrum, & sacrorum Canonum doctrina, de quo locupletissimus testis est, & clarissimus Pater, & magnæ auctoritatis in Ecclesiá Dei Archiepiscopus Rhemensis Dominus Aymarus, libro de Synodis in cap. 18. ità dicens, non mireris, quòd ipsorum Conciliorum auctoritatem Roman. Pontif. ascribamus, nam nulla Concilia rata leguntur, quæ Apostolica auctoritate fulta non fuerint, vt beatus Damasus Papa in decretis cap. 9. asserit, cui sanctus Athanasius, & Iulius Papa, Nicænum quoque Concilium, & reliqui sancti Patres astipulantur; nàm illius Sedis Episcopus Iudex est totius Ecclesiæ, nec aliquod iudicium valet absque legitimo Iudice. Hæc ille. Nota, quòd dicit Iudex, non Præco. Hæc auem, quæ diximus de auctoritate Roman. Pontif. suprà Concilium adhuc pleniùs ex infradicendis, clariora reddemus.

CAP. XXXIII.

De laudabili consuetudine antiquorum Conciliorum, quòd absque priùs habito decreto Apostolicæ Sedis, non fieret in Synodo definitio cuiuscumque quæstionis ad fidem pertinentis.

ILlustre planè testimonium eminentis præfatæ auctoritatis Roman. Pontif. respectu Conciliorum vniuersalium colligitur ex obseruantia, quam sancti Patres Spiritu sancto pleni in antiquis, & venerandissimis Concilijs vsi sunt, sancti inquam Patres in Concilijs vniuersalibus constituti ante omnem determiuationem quæstionis, quæ de fide orta foret, semper Apostolicæ Sedis præstolabantur decretum, de qua beata consuetudine testimonia plura habemus, & egregia.

Primò enim hoc habetur ex actione Ephesini Concilij, vbi sancta Synodus ità loquitur:

[Congregatis nobis, Nestorium à Sacerdotio remouimus, depositionem eius canonicam facientes, atque laudantes Deo amantissimum, & sanctissimum Episcopum maximè Romæ Cœlestinum, qui ante nostram sententiam, hęretica Nestorij dogmata, & ante nos protulit aduersùs eum sententiam propter Ecclesiarum cautelam, & traditam nobis fidem ab Apostolis.] Hæc ibi.

Secundò, idem habetur testimonio Damasi Papæ, qui & cæteri Episcopi Romæ congregati scribentes de Concilio Ariminensi Episcopis in Illyrico constitutis, sic dicunt:

[Nec enim præiudicium aliquod fieri potuit per numerum Episcoporum Ariminij congregatum, quando constat Roman. Pontif. cuius ante omnia decebat expectare decretũ, talibus non præbuisse consensum.]

Tertiò, idem habetur ex eo, quòd Leo Papa ad Theodosium Imperatorem scribens, ostendens vndè occasionem erroris susceperat secunda Synodus Ephesina, ità ait, ad Episcopale Concilium, quod haberi apud Ephesum præcipistis, tàm instructi sunt missi, vt scripta, quæ ad sanctam Synodum, vel ad Flauianum Episcopum detulerunt, Epi-

sco-

ſcoporum publicari auribus Alexandrinus permiſiſſet Antiſtes, ità manifeſtatione puriſſimę fidei, quam Dinìnitùs inſpiratam, & accepimus, & tenemus, vt omnium concertationum ſtrepitus quieuiſſet, vt nec imperiria vltrà deſiperet, nec docendi emulatio reperiret. Hæc ille.

Cæterum idem quartò colligitur de ſexta Synodo, in qua ſuggeſtio Agathonis Papæ directa Imperatori per Legatos ſuos lecta fuit, & ſubſcriptione omnium Epiſcoporum acceptata:

[In cuius ſuggeſtionis epiſtola, poſt deſcriptam fidem Apoſtolicæ Sedis, ità Papa orat Imperatorem, corde contrito, & fluentibus lacrymis, mente proſtatus exoro porrigere dignemini clementiſſimam dexteram veſtram Apoſtolicæ doctrinæ, quam cooperator piorum laborum veſtorum beatus Petrus Apoſtolus tradidit, vt non ſub modio concluſam, ſed tuba clariùs in toto Orbe prædicetur, quia eius vera confeſſio à Patre de Cœlis reuelata eſt, pro qua à Domino omnium beatus eſſe pronunciatus eſt beatus Petrus, qui & ſpirituales oues Eccleſiæ ab ipſo Redemptore omnium trina commendatione paſcendas ſuſcepit, cuius annuente præſidio, hæc eius Apoſtolica Eccleſia nunquam à via veritatis, in quamlibet erroris partem deflexa eſt. Cuius auctoritatem, vtpotè omnium Apoſtolorum Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi amplectentes, in cunctis ſecutæ ſunt, vndè in ſexta ipſa Synodo actione octaua Patres ſuſceuerunt ſuggeſtiones Agathonis Papæ cum multa deuotione, vndè Demetrius Epiſcopus Pluſiados ità dicit:

Suggeſtiones directas à Patre noſtro Agathone ſanctiſſimo Archiepiſcopo Apoſtolicæ, & principalis Sedis antiquæ Romæ ad à Deo coronatum, & magnum victorem Imperatorem tamquam à Spiritu ſancto dictatas per os Spiritus ſancti, ac Principis Apoſtolorum Petri; & digito prædicti beatiſſimi Papæ Agathonis ſcripta ſuſcipio, & amplector, & ità credo, ità aſſentio, &c.

Item, Geneſius Epiſcopus Anaſtaſium peleos dixit, ſecundùm veritatem relatarum ſuggeſtionum ſanctiſſimi Papæ Romani ſic credo, & confiteor.

Item, Georgius Epiſcopus Camuli[illegible]orum ſuſcipio, & ſequitur ſuggeſtiones ab Agathone ſanctiſſimo Papa Romæ, & ſic credo, & ſic confiteor; & ità de omnibus. Propter quòd Papa Nicolaus ſcribens Michaeli Imperatori, ità dicit:

[Quomodo non egeat quęlibet Synodus iuuamine Sedis, quando in Epheſiuo lattocinio cunctis Præſulibus, & ipſis quoque Patriarchis prælabentibus, niſi magnus Leo imitator, ſcilicèt, illius Leonis, de quo ſcriptum eſt: Vicit Leo de tribu Iuda, Diuinitùs excitatus, os aperiens, totum Orbem, & ipſos quoque Auguſtos concuteret, & ad pietatem commoueret, religio Catholica penitùs corruiſſet.]

Quintò, idem colligitur ex quarta Synodo Chalcedonen. de qua Leo Papa ſcribens Theodorico Epiſcopo Cypti, ità dicit:

[R euenientibus ad nos fratribus, & Conſacerdotibus noſtris, quos ad ſanctum Concilium Sedes beati Petri direxit, agnouimus dilectionem tuam ſuperno adiutorio nobiſcum tam Neſtorianæ impietatis, quàm Euthycianæ veſaniæ extitiſſe victricem; vndè gloriamur in Domino, cum Propheta canentes: Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit Cælum, & terram; qui nullum nos in noſtris fratribus detrimentum ſuſtinere permiſit; ſed quæ noſtro priùs definierat myſterio, vniuerſæ fraternitatis irretractabili firmat aſsenſu, vt verè à ſe prodire oſtenderet, quòd priùs à prima omnium Sede firmatum totius Chriſtiani Orbis iudicium recepiſset, vt in hoc quoque capiti membra concordant.] Hæc ibi.

Item ſexto, ad idem eſt beatiſſimus Leo ſcribens vniuerſis Epiſcopis per Siciliam conſtitutis, ità dicit:

[Culpam nullo modo potuiſsetis incidere, ſi vndè conſecrationem honoris accepiſtis, indè legem totius obſeruantiæ ſumeretis, & beati Petri Apoſtoli Sedes, quæ vobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſset Eccleſiaſticæ Magiſtra rationis.]

Item Nicolaus Papa in epiſtola ad Imperatorem Michaelem, quę in quarta actione octauæ Synodi lecta fuit, dicit:

[Sicut conſtat ſanctam Romanam Eccleſiam, & beatum Petrum Principem Apoſtolorum, qui Dominico ore Primatum Eccleſiæ ſuſcipere promeruit, omnium Eccleſiarum Caput eſse, & ab ea rectitudinem, atque ordinem in cunctis vtilitatibus, & Eccleſiaſticis inſtitutionibus, quas Canonicas, & Synodicas ſanctorum Patrum ſermone inuiolabiliter, atque irrefragabiliter retinet, exquirere, atque ſectare.] Hæc ille.

Septimò, idem patet teſtimonio Nicolai Papæ, qui Imperatori Michaeli ſcribens, inter alia dicit ſic:

[Ad cuius enim, ſcilicèt fidei integritatem obſeruationis multotiens conuentus factus eſt ſanctorum Patrum, à quibus & deliberatum, & obſeruatum extitit, qualiter abſque Romani Pontificis conſenſu, nullius inſurgentis deliberationis terminus daretur.] Hæc ibi.

Octauò, etiam probatur in ſeptima Synodo, ad quam ſcribit Hadrianus Papa epiſtolam, ſiue decretum de adoratione Imaginum, qua perlecta, quærentibus Apocriſarijs Papæ, An Cæſarius Patriarcha, & tota Synodus acceptarent. Reſpondit tota Synodus: [Tota ſacratiſſima Synodus ità credit, ità ſapit, ità dogmatizat.] Et idem petentibus Apocriſarijs Papæ, dicat nobis ſancta Synodus, ſi admittat literas ſanctiſſimi Papæ Senioris Romæ, an non? Reſpondit ſancta Synodus: [Sequimur, & ſuſcipimus, & admittimus.]

Nonò, hoc idem patet ex octaua Synodo Conſtantinopolitana, ad quam Papa Hadrianus libellum mittit, vt omnes Epiſcopi ſecundùm formam illius profiteantur, & procedant, quod & factum eſt. Qui libellus, vt ex geſtis eiuſdem Synodi patet, incæpit:

[Prima ſalus eſt rectę fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutis Dei, & patrum nullatenùs deuiare, &c.] Quam Patres Synodi profitentes, ſic dicunt:

[Porrò

[Porrò de venerabilissimo Ignatio Patriarcha nostro , & de his , qui ex parte ipsius sunt, quod auctoritas Apostolicæ Sedis vestræ decreuit tota mente sequimur , & religiosa deuotione veneramur, atque pro posse, & nosse nostro, pia intentione , ac spiritali conflictu defendimus : quoniam, sicut prediximus , sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & obseruantes eius omnia constituta, speramus, vt in vna communione , quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra, & vera Christianæ Religionis soliditas, promittentes etiam, omnes sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, idest, non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra recitanda esse mysteria.] Hæc ibi .

Ex quorum Conciliorum sacrorum laudabili, & debita reuerentia ad Apostolicam Sedem, quod sine eiusdem præmissis decretis, nihil agerent luce clarius , quantum à bonitate, & honestate aberrent tam asserentes vniuersalia Concilia à Papa non suscipere auctoritatem suam, sed à Christo immediatè, quàm præsumptuosi illi, qui in vniuersalibus Concilijs , nulla priùs habita consultatione Apostolicæ Sedis , quæ & Mater cunctarum Ecclesiarum, & Magistra fidei est: arduas materias , vt putà fidei , & maiores causas definire præsumunt , & ab alijs obseruari præcipiunt .

CAP. XXXIV.

Quòd vniuersalia Concilia semper solita sunt gesta sua petere confirmari per Romanum Pontificem .

AMpliùs egregium, atque irrefragabile argumentũ præfatæ auctoritatis, quam Romanum Pontificem diximus habere in vniuersalibus Concilijs , est, quòd sancti Patres in Concilijs vniuersalibus congregati , definitiones suas , & gesta ad eorum vigorem , & firmitatem regulariter ab Apostolica Sede confirmari , ac roborari postularunt , apertè cognoscentes, oportere leges Ecclesiæ robur accipere, & auctoritatem ab eo, in quo Deus totius Ecclesiæ Principatum posuit , & Primatum, cuiusmodi est Romanus Pontifex, vt in cap. nolite errare distin.11. dicit Iulius Papa : huiusmodi beatæ obseruationis exemplum in primis habemus à Patribus singularissimi , & præ alijs , excellentissimi Concilij Nicæni, qui omnia gesta sua , & definita humiliter, & deuotè à beato Siluestro petierunt confirmari . Vndè in epistola, quam eidem beato Siluestro scribunt , ità inquiunt :

[Beatissimo Episcopo Vrbis Romæ cum omni reuerentia colendo Siluestro . Osius Episcopus Prouinciæ Hispaniæ Ciuitatis Cordubensis , & Macharius Episcopus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & Victor , & Vincentius Presbyteri ordinati ex directione Vrbis Romæ, & cæteri Coepiscopi 318. in Domino salutem .

Quoniam omnia corroborata de Diuinis mysterijs Ecclesiasticæ vtilitatis, quæ ad robur pertinent sanctæ Ecclesiæ Catholicæ , & Apostolicæ, ad Sedem tuam Romanam explanata, & de græco in latinum redacta, scribere confitemur.

Nunc itaque ad vestræ Sedis augmentum occurrimus roborari , itaque constat vestra Apostolica doctrina totius vestræ Apostolicæ Vrbis in vnum conuenire , vestrumque Concilium , sicut docet mystica veritas . Et sequitur, infrà, quicquid statuimus in Niceno Concilio , præcamur , vt vestri Oratoris consortio roboretur .] Hæc ibi .

In decreto vestro confirmationis, quàm præfatorum gestorum beatus Siluester In Concilio congregato Romæ facit , ità scribitur:

Siluester Episcopus Catholicæ , & Apostolicæ Sedis Præsul Vrbis Romæ , quicquid in Nicæna lichina constitutum ad robur sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ , & Apostolicæ à sanctis Sacerdotibus 318. nostro ore consortes firmamus , omnes, qui ausi fuerint dissoluere definitionem sancti magni Concilij , quod apud Nicænam congregatum est sub præsentia pijssimi , & venerandi Principis Constantini Augusti , anathematizamus ; & dixerunt omnes Episcopi, placet.] Hæc ibi .

Secundò , testimonium habemus de Ephesino Concilio , de quo dicit dominus Aymarus in libro de Synodis , quòd in eo Legati Apostolicæ Sedis beatus Cyrillus , & Archadius Episcopus ex Italia vice Celestini Papæ præfuerunt , & ipsam Apostolica anctoritate roborauerunt .

Habetur etiam ex gestis eiusdem Synodi , quòd Imperator , scilicet Theodosius iunior ad perfectionem Diuinitùs statutorum petijt Apostolicæ Cathedræ apponi confirmationem , vt sic tanquam à beato Petro facta meremur .

Tertiò , habemus de hoc testimonium à Patribus in Concilio Chalcedonensi conuenientibus , qui ad Leonem Papam ità scribunt , deprecantes , vt eorum decreta confirmare dignaretur :

[Nouimus quicquid rectitudinis à filijs fit , ad Patres recurrit , facientes hoc quasi proprium sibi . Rogamus ergo , & tuis nostr[illegible] decretuis onora iudicium , & sicut no[illegible] audicrimus in bonis cupitam consonantiam, sic summitas filijs, quòd deceat, adimpleat .]

Vbi notandum contra superbiam Basileen. quòd Synodus Papam Patrem vocat . Et infrà :

[Vt autem cognoscatis , quia nihil donando, cuilibet gratiam fecimus , aut per iniustitiam aduersando , sed vt nutu gubernante Diuino, omnium gestorum vim vobis insinuamus ad probationem vestræ sinceritatis , & ad eorum , quæ à nobis gesta sunt, firmitatem, & consonantiam .] Hæc Synodus .

Hanc cæterùm quartò Apostolicæ Sedis prærogatiuam Imperatores Valentinus , & Martianus non ignorantes , pro confirmatione gestorum præfati Synodi scribentes, ità dicunt : [Miramur per maximè, quòd Synodum Chalcedonensem, & literas venerabilium Episcoporum, quæ ad tuam Deo amicitiam

missæ

missæ sunt; per quas omnia, quæ in ipsa facta sunt, nobis nunciarunt, nequaquam à tua Sanctitate tales literæ missæ sunt, quæ videlicèt in sanctissimis Ecclesijs lectæ, in notitiam omnium deuenirent, quòd quorumdam animabus, quæ prauam ad hæc opinionem sectantur ambiguitatem, immisit verùm, scilicèt tua Beatitudo, quæ in sancta Synodo edita sunt, confirmauerit; & propter hæc tua reuerentia literas mittere dignetur; per quas in omnibus Ecclesijs, & Episcopis notum sit, vniuersa, quæ in secunda Synodo gesta sunt, à tua Beatitudine confirmata.]

Quintò patet ex epistola, quam Leo Papa, qui Agathoni succedens, ad pijssimum Constantinum super confirmatione gestorum in sexta vniuersali Synodo, scribit dicens:

[Hanc ergo rectę, atque Apostolicæ traditionis normam prædecessor meus Agatho Apostolicę memorię, se Papa cum sua Synodo prædicauit, hanc scriptis, præcurrentibus in suæ suggestionis pagina vestræ pietati per suos Legatos emisit, approbans, & confirmans testimonijs Sanctorum, ac probabilium Doctorum, quam sancta nunc magna Synodus suscepit, & in omnibus nobiscum complexa est, vtpotè beati Petri Apostolorum Principis sinceram doctrinam in ea cognoscens.] Et infrà:

[Et quia definitionem rectæ fidei, vt dictum est, prædicauit, quam & Apostolica Sedes beati Petri Apostoli, cuius licèt impares, ministerio fungimur, veneramur susceptis. Idcircò & nos, & per nostrum officium, hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer, & vnanimiter, quæ definita sunt ab ea, consentit, & beati Petri auctoritate confirmat.] Hæc ibi.

Item sextò, patet ex gestis septimę Synodi, quæ fuit apud Nicænam, legitur, quòd Tarasius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Præsul, totum processum eiusdem Synodi Summo Pontif. vt mos erat, retulit, vt tale Concilium sua auctoritate firmaret. Vbi nota, quod dicit, [Vt mos erat;] quia ex hoc apertè colligitur ità fieri per omnia Concilia, sicut & verum est ex practica aliorum posteriorum.]

Septimò, ad idem est Synodus illa venerabilis Romæ tempore Symachi Papæ celebrata, de qua in cap. benè dist. 96. in qua sic habetur: [Si cuiuslibet Prouinciæ Sacerdotes inter suos terminos consilio habito, quicquid sine Metropolitani sui auctoritate tractauerint, irritum esse debere, sancti Patres sanxerunt; quantò magis, quod in Apostolica Sede nunc stante Præsule, qui meritò beati Petri Apostoli per vniuersum Orbem Primatum obtinens, statutis Synodalibus consueuit tribuere firmitatem.] Hæc ibi.

Præterea, dicit Gratianus distinct. 16. cap. placuit, quòd Papa recepit sextam Synodum cum Canonibus suis, & etiam sancta octo vniuersalia Concilia, quæ Romani Pontificis professione dicit esse roborata. Ex quibus satis apertè apparet, quòd alia fides fuit apud illos sanctos Patres antiquorum Conciliorum sanctissimorum de auctoritate Conciliorum, & Romani Pontificis, quàm sit apud nouellos Magistros cõturbantes phantasticis adinuentionibus suis Ecclesiam Dei.

Planè si Concilia vniuersalia haberent illam supremam auctoritatem immediatè à Deo constituendi, definiendi, sententiandi, puniendi, & etiam supra Papam, sanctæ vniuersales illæ Synodi, non tam regulariter, tam deuotè, & humiliter à Romanis Pontif. gesta sua peterent confirmari. Planum est, quod ista stare non possunt simul, quòd Concilium habeat immediatè potestatem à Christo, cui etiam Papa obedire teneatur, & quòd Concilij sententiæ, & gesta nullius sint roboris, nisi Romani Pontificis auctoritate firmentur, superioris est enim roborare acta inferiorum, & non è conuerso.

Octauò, etiam inducemus testimonium de Concilio Constantien. quod cum plenæ rium ex omnibus obedientijs existeret integratum, supplicasse etiam legitur Domino Martino Papæ V. vt dignaretur decreta eiusdem Concilij sua auctoritate roborare, & confirmare.

Nonò, hoc etiam Basilien. non obstantibus eorum erroribus, voluissent obtinuisse à Domino Eugenio, vt eorum decreta approbasset, sed obtinere non potuerunt, & meritò.

Ex quibus luculenter apparet quàm periculosè, & quàm scandalosè errent, qui statuta Conciliorum, aut definita antequàm Romani Pontificis auctoritate firmentur, atque roborentur, publicant per Orbem, & obseruari præcipiunt, cùm tamen antequàm Principis Ecclesiæ auctoritate firmentur, nullum obligent, cùm nullum robur habeant, vt patet ex dictis, & colligitur ex Concilio Chalcedonen. Patet etiã ex cap. benè dist. 96. Hoc etiam ostendit apertissimè Leo Papa in epist. ad Aquilegiensem Episc. in qua scribens de forma recipiendi hæreticos Arrianos, ità inquit: [Inter alia omnia Decreta Synodalia, quæ excisionem huiusmodi hæreses. Apostolicæ Sedis, firmauit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare eloquantur, &c.] Ecce sola illa Synodalia Decreta quæ Apostolicæ Sedis, firmauit auctoritas iubentur amplecti, & venerari. Cæterùm huiusmodi Apostolicæ Sedis prærogatiuam sic apertissimè profitetur Christianissimus Imperator Iustinianus, qui vt habetur cap. de sum. Trinit. & fid. Cath. scribens ad Papã Ioannem, petens approbationem fidei suæ, & suorum confirmationem, ita dicit: [Victor Iustinianus &c. Nos reddentes honorem, & Apostolicæ Sedi, & vestræ Sanctitati, quod semper nobis in voto fuit, & est, & vt decet Patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinamus ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis;] & infrà, [Omnes verò Sacerdotes sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ, & Reuerendissimi Archimandritæ sacrorum Monasteriorum, sequentes Sanctitatem vestram, & custodientes statum, & vnitatem sanctarum Ecclesiarum, quem habent ad Apostolicam vestræ Sanctitatis Sedẽ, nihil penitùs immutantes.] Et infrà: [Suscipimus autem quatuor Concilia prima, sed secundùm quod vestra Apostolica Sedes docet, atque prædicat, omnes ergo Sacerdotes sequentes doctrinam vestræ Apostolicę Sedis, ità credunt, & confitentur, & prædicant; vndè properamus hæc ad notitiã deferre vestræ Sanctitatis.] Et infrà: [Petimus

mus ergo paternum affectum, vt vestris ad nos destinatis literis, & ad sanctissimum Episcopum huius almæ Vrbis, & Patriarcham, manifestum nobis faciatis, quod omnes, qui prædicta confitentur, suscipit Sanctitas vestra.] Hæc ille. Cui Imperatori respondens Papa Ioan. ità scribens dicit, vt habetur, vbi suprà: [Liquet ergo gloriosissime Imperator, vt lectionis, & Legatorum vestrorum patefecit nos Apostolicis eruditionibus studere, cùm de Religione Catholicę fidei ea sapiatis, ea scribatis, ea populis fidelibus publicatis, quæ diximus, & Sedes Apostolica, & Patrum reuerenda decreuit auctoritas, & confirmamus in omnibus.] Hæc ille. Ecce testimonium clarissimum prærogatiuæ Apostolicæ Sedis, de quo iam diximus. Ex prædictis manifestè confutantur tàm erroneæ duæ interpræationes datę per aliquos nouellos magistros aduersarios, & inimicos doctrinę omnium sanctorum Patrum in suis tractatibus. Prima est, quòd Papa non confirmat, aut robur auctoritatis tribuit vniuersalibusConcilijs, quæ de toto Orbe Christiano congregantur, sed tantùm de Concilijs Patriarchalibus, quæ quandoque etiam dicta reperiuntur vniuersalia. Quòd ista interpretatio erronea sit, manifestè patet ex dictis, quoniam Concilium Nicænum, & Chalcedonense vniuersalia fuerunt, & Sancti loquentes de hac prærogatiua, de vniuersalibus Concilijs omnibus loquuntur, & rationes factæ de omnibus etiam concludunt. Secunda interpretatio, quam præfati aduersarij dant, est quòd confirmatio, quam Romano Pontifici tribuere dicitur Concilijs vniuersalibus, non est auctoritatiua, ità quòd auctoritatem, & robur tribuat Concilijs, quia vt aiunt, auctoritatem habent à Deo immediatè, sed in signum tantùm, scilicèt, quòd facta in Synodo in concordia sint actitata, sicut & alij Episcopi se subscribentes in Synodis, dicuntur eas confirmare. Quòd autem hæc interpretatio falsa sit, & erronea, patet ex dictis in superioribus, specialiter per illud, quod habetur in 6. actione Chalcedonensis Synodi, vbi dicitur, quòd in omnibus Synodis Apocrisarij Apostolici decretas sententias, primò propter summam auctoritatem eiusdem Sanctæ Sedis confirmabant, & subscribebant, quia aliter nullum robur habebant. Ecce quòd confirmatio, quæ fiebat per Legatos Papæ, non erat tantùm significans, sed etiam auctorizans, quia vt inquit, nullum robur habebat. Prætereà, idem habetur ex c. Regula, dist. 17. & ex cap. Benè, dist. 96. quę expressè idem loquuntur, & de omnibus Synodis vniuersaliter, quod luce clariùs ostenditur ex illo, quod Leo sanctissimus scribit Maximo Antiocheno Episcopo, quod suprà eodem cap. inductum est. Cæterum quòd erronea sit interpretatio pręfata aduersariorum, patet ex hoc, quòd respectu Conciliorum vniuersalium nihil plus auctoritatis dant Summo Pontifici Principi totius Ecclesiæ, quàm alteri Episcoporum, quod quantum dissonet fidei Catholicæ, & etiam sanctorum Patrum doctrinæ, nullus sanæ mentis, parùm etiam in sacris literis nutritus potest cognoscere, patet ergo, quantum errent pręfati Apostolicæ Sedis aduersarij.

CAP. XXXV.

In quo ponuntur aduersariorum obiectiones.

VEritatem autem eam, quam in superiori capitulo tantis rationibus, & vniuersalium Conciliorum practica, & exemplis ostendimus, aduersarij moliuntur infringere.

Primò quidem ex veteri Testamento; dicunt enim, quòd Esdræ vltimò legitur Concilium vniuersale congregatum in Hierusalem, vt prouideretur super congregatione filiorum Israel, qui duxerant vxores alienigenas, vbi dicitur: [Quòd missa est vox, scilicèt citationis, in Iudæa, & Hierusalem omnibus filijs transmigrationis, vt congregarentur in Hierusalem, & omnis, qui non veniret tribus diebus, iuxtà consilium Principum, & seniorum, auferretur ab eo substantia eius, & ipse obijceretur à cœtu transmigrationis &c. vsque sic fiat.] Ex illo loco aduersarij arguunt duo. Primum est, quòd Esdras, licèt non esset summus Sacerdos, sicut Iosuè filius Iosedech, nihilominùs nomine totius Concilij dedit sententiam in prædicta causa, & ità concludunt, quòd determinatio, & diffinitio in Concilijs vniuersalibus non est solius Papæ. Secundum est, quòd punitio spiritualis, & temporalis inferenda contemnentibus venire fuit reseruata Concilij auctoritati, & non Summi Pontificis.

Secundò, arguunt ex illo Act. 15. vbi sic dicitur: [Placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros, & ex illis mittere in Antiochiam.] Et infra in Epistola, in qua diffinitionem, quam de quæstione mota de obseruatione legalium fecerant, notificant, dicitur sic: [Apostoli, & cæteri fratres his, qui sunt Antiochiæ, salutem: Et post pauca, visum est Spiritui Sancto, & nobis nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm &c.] Ex quibus videtur manifestè inquiunt primò, quòd Apostoli, & seniores simul omnia fecerunt, & non Petrus solus. Secundò videtur, quòd nomine totius Synodalis Congregationis conscripta est sententia, & non solius Petri.

Tertiò, arguunt ex gestis octauæ Synodi Constantinopolitanæ, vbi in allocutione Thomæ Metropolitæ Tyri facta ad Synodum incipientem, vestris Ecclesiasticis negocijs confusionem patientibus, &c. cuius verba sunt hæc, loquendo de Imperatore Basilio: [Conuocauit humilitatem nostram de Orientalibus Sedibus, ac Diœcesibus cum his, qui putabantur aduenire, atque concurrere à seniori Roma, sanctissimi Papæ Vicarijs circumspectè Ecclesiastica dissolueremus certamina, propter quod & nunc vsque perseuerantes, illorum præstolamur aduentum, quoniam verò nulla est facta tarditas, & suspicamur ex tyrannica potestate, propter tantam moram multas nobis superuenturas calamitates, atque necessitates, imò verò, & totum nostrum genus Christianorum propter talem causam submittendum varijs tentationibus, nequaquam eos, qui à Roma venire putaban-

tur,

tur, expectare iustum putamus, sicut superfluum, atque superuacuum arbitramur esse, præsertim cùm ea,quæ Romæ regulariter, ac synodicè gesta sunt, præ manibus habeamus, ità vt hìc constet vnà nobiscum esse beatissimum Papam Nicolaum per literarum suarum voces, adhuc etiam & successorem eius sanctissimum Adrianum, per proprias epistolas; ipsi ergo habentes nobiscum beatissimum Papam Nicolaum, & sanctissimum Papam Adrianum, ineptum, & incongruum omninò putamus despicere fluctuantem Christi, & Saluatoris nostri Ecclesiam per dilationem diffinitionis,quæ illi debetur. Hinc ergo velut ex necessitate nunc vobis denunciamus iustificationem Dei, & Diuinæ misericordissimæ prouidentiæ Concilium, atque iudicium, quantùm ad capacitatem nostram attinet.] Hæc ibi. Ex quibus habetur, inquiunt, quòd sine Papa, & eius Legatis Synodus congregata possit procedere ad diffiniendum, ac instituendum.

Quartò sic: in Concilijs vniuersalibus semper nomine Synodi sententiæ leguntur prolatæ, & institutiones Canonum, sicut patet in cap. Quoniam, dist. 16. vbi sic dicitur: Placuit huic sanctæ Synodo. Item infrà confirmamus & cæteros Canones. Itē octaua Synodus inquit, Phocium inobedientem, & resistentem huic sanctæ Synodo reprobamus, & anathematizamus.

Quintò, arguunt ex illo cap. Si Episcopus, 2. quæst. 6. vbi omnes Episcopi in Concilio videntur esse coniudices.

Sextò, ex illo, quod Nicolaus Papa in epistola, quam vniuersis Archiepiscopis, Metropolitanis, ac Episcopis Constantinopolitanæ Sedi subiectis in sententia contrà Phocium scribit, dicens: [Hæc, & his similia contra Euangelica, Apostolica, Prophetica, atque Canonica Statuta se offerens, sit Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum Principum Petri, & Pauli, & omnium simul sanctorum, ac venerandorum sex vniuersalium Conciliorum auctoritate, nec non & Spiritus Sancti per nos iudicio, omni Sacerdotali honore, & nomine alienus &c.] Ecce quòd auctoritate Conciliorum pronunciat sententiam, ergo &c.

Septimò, ab aduersarijs arguitur ex similitudine subscriptionis Papæ præsentis in Concilio vniuersali, aut suorum Legatorum cum subscriptionibus aliorum Prælatorum, sic: Omnes isti eamdem formam subscribendi se in gestis Conciliorum vniuersalium obseruarunt. Ergo videtur, quòd omnes æquè concurrunt ad constituendum, iudicandum, & diffiniendum, & non solus Papa diffinit, aut constituit, siue etiam principaliter; consequentia videtur bona ex similitudine subscriptionis; antecedens dicunt patere ex multis Concilijs; dicunt enim, quòd in omnibus vniuersalibus Ecclesiæ Concilijs leguntur Legati absque differentia, pariformiter alijs se subscripsisse. Vndè vnusquisque Episcopus, vel dicit annuens, vel statuens, vel diffiniens, subscripsi, ità pariformiter Apostolicæ Sedis Legati; vndè in Concilio Martini Papæ, quod præcessit sextam Synodum vniuersalem, reperitur Martinus sic subscripsisse, [Martinus sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus Vrbis Romæ huic diffinitioni consummationis orthodoxæ fidei, & damnationem Sergij statuens subscripsi, & sic Maximus sanctæ Aquilegiensis Ecclesiæ præcisè confirmando, damnando, & instituendo vnà cum 113. Episcopis, se subscripsit quisque in eadem forma. Sic etiam vt aiunt, reperitur in Concilio, cui Gregorius Iunior tempore Leonis, & Constantini Iunioris Imperatoris Romæ præsedit; vndè ipse Gregorius sic ait: [Gregorius sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Vrbis Romæ Episcopus, huic Statuto à nobis promulgato subscripsi] Agnellus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Florentinæ huic constituto à nobis promulgato subscripsi, & ità de cæteris, idem dicunt reperiri in Concilio, in quo Symachus præsedit.

Octauò, arguitur sic: Contingit quòd Concilium congregetur super facto Papæ, vtpotè quia accusatus, vel suspectus de heresi, sicut factum legitur tempore Symachi Papæ, vt in §. Hinc etiam dist. 17. & tempore Marcellini Papæ dist. 21. in cap. Nunc autem sed notum est, quòd ibi Concilium iudicat, & non Papa, quia nemo iudex est in propria causa; ergo non est verum, quòd semper sententiæ Concilij auctoritate Papæ, & nomine, cùm est præsens, proferantur.

Nonò, arguitur ex cap. Constitutum 16. quæst. 1. vbi dicitur: [Constitutum est à præsenti Concilio &c.]

Decimò arguitur sic: Omnium ordinatorum ad finem, regula, metrum, & mensura est ipse finis: sed vniuersalis Ecclesia, quam vniuersale Concilium repræsentat, est finis potestatis Papalis; ergo illius mensura, & regula sumenda est ex legibus, & regulis vniuersaliorum Conciliorum, & non è conuerso; ergo videtur, quòd magis pertineat ad Synodum ipsam constituere, & regulas dare, ac conseruare sententias Apostolicę Sedis, quàm è conuerso; consequentia videtur bona, maior est Aristotelis 2. Phys. & 1. Ethic. minor patet, quoniam Papa est propter Ecclesiam, & non è conuerso; vndè Apostolus 2. ad Cor. 10. inquit: [Potestatem dedit nobis Deus in ædificationem, & non in destructionem.

CAP. XXXVI.

In quo respondetur ad obiectiones factas:

AD ista, quæ aduersarij inducunt contra clarissimam, & fundatissimam sententiam, quam posuimus, non est difficile ex superioribus respondere.

Ad primam autem, quæ sumitur de veteri Testamento, licèt superuacuum sit respondere, cùm manifestum sit non facere ad propositum; nihilominùs, vt hìc liquidiùs pateat, respondetur primò, negando, quòd congregatio illa facta in Hierusalem virorum Iuda, & Beniamin cum vxoribus, & pueris suis fuerit Synodus generalis, sicut in pręsentiarum de Synodo vniuersali est sermo. Secundò etiam dicimus, quòd falsum sit, quòd Esdras nomine, & auctoritate illius congregationis dederit sententiam in causa sepa-

separationis vxorum alienigenarum, sed dedit eam auctoritate Regis Artaxersis, cuius erat Vicarius, & Princeps constitutus ad reductionem captiui populi in Hierusalem, potestatem ab eo habens super omnes transgressores legis Dei, vt patet in cap. 2. eiusdem libri, vbi exemplar ponitur epistolę datę sibi auctoritatis. Tertiò, dicimus quòd etiam falsum sit, quòd punitio non venientium ad illam conuocationem, fuerit reseruata auctoritati illius congregationis, imò reseruata fuit Esdræ, qui quasi Princeps erat, vt diximus, & Regis commissione præfatę congregationis; verum tamen est, quòd fiendum erat iuxtà Concilium Principum, & seniorum, vt dicit textus.

Ad secundam, quæ sumitur ex illo Act. 15. respondetur, quòd in nullo obuiat propositio nostro, quoniam licèt concederetur, quòd Patres existentes in Concilio simul concurrant cùm Papa in definiendo, aut constituendo canones, siue sententiando, sicut hic de Apostolis, & senioribus cùm Petro videtur aduersarij arguentibus, nihilominùs tamen, quicquid ibi ageretur, principaliter, & originaliter ascribendum esset Romano Pontif. vtpotè Principi totius Reipub. Christianæ; vnde gloss. Hieronym. super illo loco, vt parùm antè in cap. 31. inductum est, commemorato qualiter Iacobus, & omnes alij seniores in sententiam Petri transierant, dicit Petrum Principem fuisse ilius decreti, legem post Euangelium non esse seruandam. Ecce, quòd Hieronym. dicit Petrum illius decreti, quod factum est in illa Synodo, Principem, idest principalem auctorem fuisse, & hoc planè manifestum si quis tex. illum attente consideret, postquam enim Petrus definierat non esse imponendum onus obseruantiæ legalis conuersis ex gentilitate, sequitur in tex. tacuit autem omnis multitudo. Dicit Nicolaus de Lyra iuxtà Hieronym. consentiens Petro, quam Petri sententiam beatus Iacobus commendans, pertulit illam dicens, ego iudico, ità quòd indicare Iacobi non fuit sententiam auctoritatiuè dare, sed sententiam datam per Petrum Principem, & verticem congregationis Synodalis proferre, erat enim Episcopus Hierosolymitanus, licèt enim, vt ait Magister Nicolaus de Lyra ibidem, Petrus esset principalis inter Apostolos, tamen detulit ei in sua Diœcesi, vt determinationem dubij proferret.

Quod verò sequitur tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni Eclesia eligere viros ex eis, & mittere in Antiochiam, non importat aliquam definitionem alicuius dubij, sed iam definitam, velle illam publicare, & notam facere per Nuntios suos fratribus existentibus Antiochiæ, per hoc verò, quòd Apostoli scribentes fratribus existentibus Antiochiæ, dicunt visum est Spiritui sancto, & nobis, non habetur, quòd ista potestas Iurisdictionis sit data illi cógregationi Apostolorum, & seniorum immediatè à Spiritu sancto, sicut aduersalij confingunt, sed tantùm habetur, quòd definitio illa præfatæ quęstionis spiratione Spiritus sancti facta fuerit per Apostolos, & seniores, vt gloss. Beda ibi tangit, quæ exponens prædicta verba, ità dicit; placuit Spiritui sancto, qui arbiter suæ potestatis, vbi vult spirat, vbi vult loquitur, & nobis, idest, non solùm voluntate nostra, sed instinctu Spiritus sancti; hæc gloss. & ità illis verbis nihil aliud habetur, nisi, quòd Petrus, & alij Apostoli, & seniores in sententiam illius canonis de lege non obseruanda post Euangelium instinctu Spiritus sancti in vnum conuenerant; planè huiusmodi assistentia, qua Spiritus sanctus, qui est auctor pacis, & vnitatis, Sanctis congregationibus assistit spirando, & docendo, quid agendum sit, non abstulit à Petro, nec nunc à successoribus suis primatum supra Synodum vniuersalem, nec vnitatem, nec conexionem totius Corporis Ecclesiæ ad vnum Caput, scilicèt Christi Vicarium, qui vt dicit Chrysost. fuerat vertex Collegij, & Caput Apostolici Chori.

Prætereà, quòd epistolæ illius titulus scriptus communis fuerat omnibus Apostolis, & senioribus, non obuiat, quin Petrus auctor, & Princeps fuerit illius decreti, vt dicit beatus Hieronym. quoniam titulus epistolę illius formatus, est communis omnibus, vt omnis dissensionis tolleretur occasio; vnde gloss. interlin. super verbo Apostoli, & seniores, dicit sic: Apostolorum communis titulus præfertur, ne aliqua dissensionis relinquatur occasio.

Ad tertiam, quæ sumitur ex Synodo Constantinopolitana, respondetur, quòd gesta illius Synodi benè considerata in nullo fauent aduersariorum proposito, sed magis confirmant propositum nostrum.

Tùm primò, quia licèt Vicarij, & Legati Papæ nondum venissent in locum Synodi, Patres tamen Synodi auctoritate Papæ procedebant, tùm quia Synodus ipsa auctoritate Papæ Nicolai esset congregata; tùm quia Patres ipsi de mente, & voluntate Summi Pontif. circà definienda, erant iam instructi sufficienter, vt præfatus Metropolita confitetur dicens, præsertim cum ea, quæ Romæ regulariter gesta sunt, præ manibus habeamus, libellum scilicet, quem Papa Hadrianus miserat ad Synodum Constantinopolitanam, secundùm cuius formam procedendum esset.

Tùm quia, ibi imminebat casus maximę necessitatis, quæ legem non habet; vnde imminente tanta necessitate, sicut ipsi Patres describunt, non erat inconueniens, vt deliberarent pronunciare sententiam definitionis habitę per eos, etiam non præsentibus Vicarij Papæ, maximè quia sicut dictum est ipsi conformantes se menti, tàm Papæ Nicolai, quàm Hadriani, sententiam suam conceperant.

Tùm tertiò, quod inducunt non facit ad propositum aduersariorum, quia licèt tardantibus Vicarijs Papæ, consuluisset præfatus Metropolita procedere, illis ampliùs non expectatis, nihilominùs tandem Vicarij Papæ, scilicèt Hadriani venerunt, videlicet Donatus Episcopus Hostiensis, & Stephanus Episcopus Ephesinæ Ecclesiæ, & Marinus Diaconus Cardinalis, & tenuerunt locum Rom. Pontif. in omnibus, sicut patet ex gestis eiusdem Synodi, & habetur in cap. Hadrianus, dist. 63. vnde de iudicio, & sententia data per eos in Fotium, ità in actione 5. eiusdem Synodi habe-

habetur, deinde accipiens Theodorus deuotus à secretarijs legit, quæ à sanctissimis Vicarijs seniotis Romæ breuiter dicta sunt habentia ità, vidistis, & audistis, quæ ex multo tempore dicta, & gesta sunt de huiusmodi causa, & apparuit omnibus vobis, quia itreceptibilis erat promotio huius viri, & quòd depositio sanctissimi Patriarchæ Ignatij de sede sua sine iustitia, & sine legibus fuerat, nos ergo non nouum aliquod, vel recens iudicium iudicabimus, sed vetus, ex multo tempore præiudicatum quidem à sanctissimo, & beatissimo Papa Nicolao; firmatum autem à sanctissimo Patre Hadriano: Et infrà; talem conatum abijcimus, & Anathematizamus, ne vltetius contta Ecclesiam Dei, qualibet alia fortè in omne seculum maligna introducatur actio; hæc ibi, & post infrà in fine Synodus conformando se sententiæ Romanorum Pontif. dicit sic, propter hoc ergo nolentem intelligete, vt benè ageret, Fotium, nec obedientiam eligentem, nec confitentem peccatum suum, & iniquissimum præsulatum, sed inobedientem, & resistentem huic sanctæ, & vniuersali Synodo repulimus, & Anathematizamus, atque à tota Ecclesia Catholica, & Apostolica facimus alienum, &c. & sic patet propositum nostrum.

Ad quartam respondetur, quòd licèt in Concilijs vniuersalibus, vbi Papa non præsidet personaliter sententiæ, & canones nomine Concilij proferantur, sicut patet in cap. quidam 19. quæst. 1. de Concilio Chalcedonensi, nihilominùs tamen auctoritate Romani Pontif. statuitur vniuersaliter, quicquid ibi concluditur, habens vim obligandi, vt supradictum est cap. 32. quia cùm Papa solus sit Princeps totius Reipub. Christianæ, ipseque, vtpotè Caput Catholicæ Ecclesiæ, sit solus vocatus in plenitudine potestatis, non posset fieri tegulariter lex, quæ omnes fideles liget, siue obliget, nisi illius auctoritate fulciatur; vnde, vt habetur in cap. benè, dist. 96. Patres in Synodo congregati loquentes de valitudine quatundam scripturatum ad probandum, quòd præfata scriptura ibidem lecta nullas vires haberet, his duabus rationibus vtuntur; primò, quòd Canonibus non concordabat; secundò, & maximè, quia in ea nullus præsul Apostolicæ Sedis interfuisset, vel propria subscriptione eam confirmasse monstraretur; vbi supra verbo, nec Canoibus, dicit gloss, coniuncta accipite hæc duo, indiuisa iuris conceptio auctoritatem Apostolici expostulat.

Ad quintam respondetur, quòd tex. ille, vt manifestum est, loquitur de Concilio Prouinciali, in quo omnes Episcopi sunt coniudices, non sic autem in Concilio vniuetsali. Et si huiusmodi diuersitatis ratio petatur, dicendum, quòd ratio diuersitatis est multiplex.

Primò, quia non ità pendet auctoritas Episcoporum ab Archiepiscopo, siue Primate, aut Patriatcha, sicut à Papa, à quo omnes gradus dignitatum in Ecclesia disponuntur, iuxtà cap. omnes dist. 22.

Secundò, quia à Papa deriuatur omnis potestas iurisdictionis aliorum Prælatorum, vt in cap. ità Dominus, dist. 16. vt supra lib. 2. cap. 54. amplissimè ostendimus.

Tertiò, quià Episcopi non subijciuntur in omnibus, Archiepiscopis, Primatibus, aut Patriarchis, nisi in illis tantùm, in quibus Romanus Pontif. à quo potestas, & Ordo illorum pendet, illos illis subiecit, vt dicit sanctus Thom. in 2. sententiarum dist. vlt. in expositione literæ, dicit etiam Papa Nicolaus in cap. conquestus 9. quæst. 3. primates, & Patriarchas nihil priuilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi, quamtum sacri Canones concedunt.

Ad sextam, quæ sumitur ex epistola Papę Nicolai non est opus respondere, quia primò auctoritate beatorum Apostolotum Petri, & Pauli, quæ residet in Apostolica Sede, Papa Nicolaus pronunciat sententiam, quam auctoritate sex Conciliorum, auctoritatem autem Conciliorum post suam subiungit ad maiorem exagerationem penè, siue sententię contra Fotium, non autem ad necessitatem; quoniam potestas illa primatus Romani Pontificis, qua posset quemlibet iudicare, non dependet à Concilijs, sed ab ipso Omnipotente Deo, sæpè repetitum est, & habetur in cap. quamuis, dist. 22. quod manifestè patet ex eo, quòd idem Nicolaus in eadem epistola condemnans Gregotium Syracusanæ Ecclesiæ Episcopum, quia Fotium consecrauerat, scribit, ità dicens, iuxtà Canonicam deli berationem Apostolica auctoritate definimus, atque statuimus omni Sacerdotali carere, & priuari ministerio, ità quòd nullo modo liceat ei in quacumque Synodo restitutionis spem habere.

Ad septimam, cum arguitur de subscriptionum pariformitate respondetur dupliciter.

Primò, negando antecedens; quoniam falsum est, quòd regulariter pariformis sit subsctiptio Papæ, ac legatorum eius, & aliorum Episcoporum; vnde, quòd subscriptio Papæ alia sit à subsciptione aliorum Prælatorum, communiter apertè colligitur ex omnibus illis locis in decreto, & decretalibus sexto, & Clementinis, quæ inducta sunt supra cap. 31. in quibus Papa solus describitur statuere de consilio, aut approbatione Patrum consilij, vbi consultatio, & assensus, siue approbatio tantum tribuitur Consilio Patrum, statuere verò Rom. Pontif.

Item diebus nostris in decreto vnionis Grecorum facto Florentiæ sub Sanctæ Memoriæ Domino Eugenio, solus Eugenius in subscriptione dicit, definiens subscripsi; vnde verba sunt illa. Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, ità definiens subscripsi: Alij, vt Prælati, tàm Latini, quàm Greci, tantùm dicunt subscripsi, patet etiam falsitas antecedentis illius aduersariorum ex varietate subscriptionum legatorum Papæ, & aliorum Prælatorum; vnde in libro Conciliorum habetur sic, legatus Papæ se subscripsit in Concilio Chalcedonensi: Paschasius Episcopus Ciuitatis Lucanæ Vicarius Domini mei beatissimi, atque Apostolicæ, & vniuersalis Ecclesiæ Papæ Leonis Vrbis Romæ Synodo Præsidens, statui, consensi, & subscripsi, nullus verò Prælatorum aliorum dicit statui, sed definiens subscripsi.

Secundò, respondetur negando consequentiam illam aduersariorum; quoniam ex hoc,

hoc, quòd aliquando simuli modo Papa, & alij in Concilijs se subscribunt, non sequitur, quòd pari, siue æquali auctoritate simul concurrant Prælati cùm Papa in statuendo, definiendo, aut iudicando aliquid in Concilijs, cum omnis huiusmodi potestas aliorum Prælatorum pendeat à Rom. Pontif., vt in superioribus, maximè in 2.lib.c.54. clarè ostendimus. Sicut per hoc, quòd causæ secundæ dicantur simul cum causa prima operari aliquem effectum, non propter hoc sequitur, quòd pari virtute concurrant omnes ad effectum illum.

Ad octauam respondetur, quòd ratio facta nô arguit quin regulariter sit verum, quod dictum est, licèt in aliquo particulari casu possit contingere contrarium, sicut inferius dicemus, nichilominùs in casu inducto ex aduerso de accusatione Symmachi Papæ, auctoritate ipsius Symmachi Synodus ipsa fecit, quicquid fecit, vt ex ipso tex. patet.

Ad nonam respondetur, quòd non facit ad propositum; tùm quia Concilium illud Toletanum non fuit vniuersale, sed Prouinciale. In Prouincialibus autem Concilijs aliud est, vt suprà diximus respondendo ad quartum, quoniam in vniuersalibus, vbi tota potestas auctoritatis pendet ex Rom. Pontif., vt prædiximus, & ità dicendum est ad multas alias allegationes similes de Concilijs Prouincialibus; vndè in hac argumentatione aduersariorum, qua ex Concilijs Prouincialibus arguunt ad vniuersale, esset maximus error: non enim est similitudo, vt in superioribus ostendimus, fatemur tamen, quòd quandoque Papa exagerando prohibitionem, vel volendo honorare Patres in Concilio congregatos, aliquando dicit sacri Concili auctoritate prohibemus, & alibi dicit generalis Concilij decreuit auctoritas, alibi dicit nostrorum Episcoporum, omniumque cæterorum Sacerdotum, & Leuitarum auctoritate, & consensu, atque reliquorum fidelium, & cunctorum Conciliariorum nostrorum consultu definitum est.

Ad decimam respondetur, quòd regula, siue lex Ecclesiæ non potest dici regulariter esse Concilium vniuersale nisi plenarium, in quo auctoritas, & consensus interuenit Apostolicæ Sedis: cum plura Concilia exorbitasse legantur à fide, vt de Ariminensi, & Ephesino secundo, & de alijs, quæ infrà commemorabuntur, & etiam colligitur ex gloss. ipsi sunt canones 9. quæst. 3. sed lex illa, & regula est Apostolica Sedes, quæ nunquam exorbitasse à fide Catholica legitur, dicente Domino Luc. 22. beato Petro: [Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua,] quod sancti Doctores de firmitate, & inobliquitate fidei Apostolicæ Sedis exponunt, sicut diffusè suprà in 2. lib. cap. 19. ostendimus; vndè hac ratione Mater fidei, & Magistra dicitur Ecclesia Romana, vt in cap. omnes dist. 22.

Et ad probationem respondemus, quod nulla est: Pro quo notandum, quòd prout suprà 2. lib. circa cap. 84. distinximus dupliciter aliquid dicitur finis alicuius rei; vno scilicet modo, in quod tendit res illa ex ordine sibi dato, aut naturali, aut supernaturali, siue id, quod est intentum ab agente. Alio modo dicitur finis, idest ad cuius vtilitatem est ordinatum opus agentis, cuius exemplum potest poni in arte medicinæ: vno modo dicitur finis artis sanitas, quam inducere intendit: alio modo infirmus, siue corpus humanum, sicut ad cuius vtilitatem ordinatum est totum opus artis.

Item finis politiæ videtur esse pax, & tranquillitas ordinis, cum hoc videtur bonum ipsius, ad quod vniuersum regimen eius respicere, & tendere videtur. Ipsa verò communitas dicitur finis regiminis, siue potestatis publicæ, sicut ad cuius vtilitatem ordinatum est opus præsidentis, & agentis, ità finis potestatis Papalis non est ipsa Ecclesia vniuersalis, sicut id, ad quod est finaliter ordinatum, sed id, ad quod per vsum eius ipsa Ecclesia recta, & gubernata perducitur, quod est ipsa beatitudo cœlestis.

Secundo verò modo, scilicèt sicut id, ad cuius vtilitatem potestas ipsa ordinata est, benè dicitur finis eius ipsa vniuersalis Ecclesia. Qua distinctione habita dicimus ad antecedens, quod regula regiminis, & lex ordinationis eorum, quæ sunt ad finem, non capitur à fine secundo modo dicto, sed primo; nam Medicus non capit regulas medicandi à curandis, nec Dux regulam militandi ab exercitu suo, nec Princeps à populo leges regendi, sed è contra. Vndè responsio illa aduersariorum, nullius videtur esse virtutis, licet apud eos aliter videatur.

Et ad probationem, quam inducunt ex Apostolo, respondemus, quòd per illam auctoritatem non probatur, nisi quod Ecclesia potestatis Papalis sit finis modo assignato; vndè leges, & regulæ, quibus ædificari debet Ecclesia, non sunt sumendæ ab ipsa Ecclesia ædificanda, & regenda, sed ab ædificatore Christo, qui sicut est principium Ecclesiæ, ità est finis, ad cuius amplexum per regimen sui generalis Vicarij, scilicèt Summi Pontificis, qui vices eius gerit in terris, perducenda est; hinc optimè in definitione Ecclesiasticæ potestatis dicitur, quòd est ad ædificationem Ecclesiæ secundùm leges Euangelicas: & Apostolicæ Sedis, quæ mater cunctarum Ecclesiarum, & caput existit, atque fidei, ac legum magistra, sanctiones, & decreta, vndè potestas Papalis non dicitur esse in Ecclesia, sicut in regulante, sed sicut in regulato. In vero autem Vicario Christi est sicut in regulante, & dirigente; vndè Rector Ecclesiæ est, & Pastor, ac Princeps, cuius est, oues, & plebem sibi commissam pascere, regere, & gubernare, iuxtà leges, & mandata Christi, cuius est Vicarius.

CAP. XXXVII.

De honorando Summo Pontifice per vniuersalia Concilia, & vniuersos fideles: & de grauitate culpæ inhonorantium eum.

PErspectis benè his, quæ de Romani Pontificis Principatu super vniuersalem Ecclesiam suprà 2.lib. amplissimè disputauimus osten-

ostendendo eum, & Patrem, & Pastorem, & Principem, generalem Vicarium super vniuersam Rempublicam Christianam, & quòd ab eius potestatis excellentia vniuersum Conciliorum robur pendeat, & auctoritas sicut in hoc 3. libro copiosè supra monstrauimus, luce clariùs colligitur quanto honore, & reuerentia teneantur omnes fideles, omnes, maximè Ecclesiæ Prælati Romanum Pontificem reuereri, colere, ac venerari, quantoque studio ab vniuersalibus Concilijs seruandus sit honor Apostolicæ Sedi debitus, atque quàm oppido decertandum, ne auctoritas Roman. Pontif. in qua & Ecclesia fundata est, & vniuersa Concilia robur, & auctoritatem suscipiunt, ab aliquo deprimi præsumatur, cum de hac per Prophetam dictum esse videatur; si hæc humiliatur, ad cuius confugietis auxilium? aut vbi relinquetis gloriam vestram? vt Symmachus Papa in cap. aliorum 9. qu. 3. inquit: Quis enim Sedis illius honorem, quæ fidei magistra est, & cunctarum Ecclesiarum mater, tuebitur, si Concilia generalia deprimant, quæ nunc in primis contra oppressores, & contemptores omnes seruare debuerunt? vbi vmquam auditum est sacras, & venerabiles Synodos, quicquam aduersùs Sedem illam inclementer statuisse? certè nusquam, immò inhonorantes illam multa animaduersione castigasse, sicut pater de sancta, & vniuersali Synodo Chalcedonensi, in qua Dioscorus, quia contra Leonem Papam excommunicationem dictauit, sine vlla restitutione damnatus est, vt in cap. in tantùm habetur dist. 21.

Item, idem patet de sancta, & vniuersali Synodo 8. in qua Fotius, quia Concilium generale absque consensu Rom. Pontif. congregare præsumpsit in iniuriam, & derogationem Apostolicę Sedis, damnationis etiam sententia percussus est, vt ex gestis eiusdem Concilij manifestè habetur. Cæterum vniuersalium Conciliorum antiquorum reuerentia ad Apostolicam Sedem illustri testimonio colligitur ex eo, quòd Synodi ipsæ vniuersales semper Romanum Pontificem Patrem, & Caput eorum profitentes, semper veneratæ sunt, ac eorum robur, & auctoritatem ab eo pendere recognoscentes, semper solitæ sunt humiliter petere, quæque per eos statuta, & gesta auctoritate Apostolica confirmari, sicut supra de multis exemplariter ostendimus.

Si enim quando Oriens totus, & Aphrica fidei Christianæ titulo, & gloria erat illustris, quando Orbis totus Christum loquebatur, cùm sanctissimis viris omnes fermè Ecclesiæ Præsulibus gloriarentur, cùm deserta ipsa, & montes sanctos fouerent, nihil vmquam vllis in locis contra Sedis illius auctoritatem, ac dignitatem leuiter fuit attentatum; modò verò valdè dolendum esset, si quando fermè in sola Occidentali parte Christi religio sincera, & immaculata seruatur, sacræ illius Sedis minueretur, aut supprimeretur auctoritas? absit; maximè considerando quanta mala hìc, & in futuro illius immineant, qui Apostolicæ Sedi iniuriari, aut illius honori, & auctoritati derogare præsumunt; incurrunt enim inter alia pœnam primo maledictionis, qua Cham patris sui derisor prostratus est. Gen. 9. vnde Augustin. nihil ità Deo placet, sicut obedientia. Cham ideò maledictus fuit, & post multa secula manet, quia patri non est obsecutus. Cæterum Sem, qui obsecutus est patri, benedictionem habuit in omnia secula; hoc quare dico? vt obedientiam exhibeamus patribus nostris: qui patribus non obsequitur, Deo non obsequitur. Hæc ille: dicitur enim Deuteron. 17. [Maledictus qui inhonorat patrem suum.]

Secundò, incurrunt crimen læsæ maiestatis pro eo, quòd vniuersalis Ecclesiæ Principem, & Rectorem, atque in eo Regem Regum, & Dominum Dominantium, cuius Vicarius est, inhonorant, dicente Domino, Luc. 10. [Qui vos contemnit, me contemnit.]

Tertiò, incurrunt scelus schismatis pro eo, quod Ecclesiarum omnium fundamentum deserunt, dicit enim beatus Cyprianus in cap. qui Cathedram dist. 93. [Qui Cathedram, super quam Ecclesia fundata est, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.]

Quartò, incurrunt labem hæresis, eo quod Apostolicæ Sedis priuilegia violare pręsumant, vt enim inquit Nicolaus Papa in cap. omnes dist. 22. qui Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso Summo omnium Ecclesiarũ Capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur, fidem quidem violat, qui aduersùs illam agit, quæ mater est fidei, & illi contumax inuenitur, qui eam cunctis Ecclesijs prætulisse cognoscitur. Hęc ille.

Quintò, excluduntur omninò à spe Regni Cœlestis, quoniam vt Patres Concilij Occidentalis in epistola, quam ad Papam Hadrianum scribunt, quæ lecta fuit in 8. Synodo, dicunt: Nemo quippè fidelium in iniuriam beati Petri principatus impunè prorumpit, in cuius videlicet contumeliam, vt sanctus Bonifacius Papa scribit, quisquis insurgit, habitator cęlestium non poterit esse Regnorum: [Tibi, inquit, dabo claues Regni Cęlorum,] in quod nullus absque gratia Ianitoris introibit. Hæc ille.

Quanta insuper confusio, & ignominia etiam temporalis hìc huiusmodi præsumptoris sequatur, non modò antiquæ historiæ, quæ omnes tales communiter mala morte interijsse referunt, sed etiam scandala ipsa, & ignominiæ, quæ Basiliensibus superuenerunt pro eo, quòd Dioscori, & Fotij præsumptionis imitatores diabolica temeritate Romanum Pontificem Christi Vicarium, ac Ecclesiæ totius Prælatum, ac Rectorem sibi subijcere attentarunt, aperta luce demonstrant.

CAP. XXXVIII.

De quibus causis vniuersale Concilium debeat se intromittere.

CVm autem ex iam dictis omnibus notum factum sit vniuersalium Conciliorum auctoritatem à Papa dependere, & per consequens limitatam habere potestatem, ordo ipse exposcit, vt excutiamus, ad quæ vniuersalia Concilia determinando, sententiando, aut constituendo extendere se debeant, siue possint, aut de quibus causis se debeant intromittere? an scilicet indifferenter de omnibus,

bus, an de aliquibus tantum? Apparet autem nobis, saluo semper meliori iudicio, quòd stante in Sede Apostolica vero, & indubitato Pontifice, vniuersale Concilium non debeat indifferenter se intromittere de singulis causis, sed tantum de his, ad quorum determinationem, & definitionem extitit congregatum. Quod nos multiplici ex capite rationabile ostendemus.

Primò, irrefragabili testimonio beatissimi Leonis Papæ, beatus enim Leo Papa Anatholio Episcopo Constantinopolit. scribens, & reprehendens, quòd induxisset Chalcedonensem Synodum, vt prima Sedes post Romanam, quæ priùs erat Alexandrina, constitueretur Constantinopolitana, dicit sic: Quibus auditis, & numquam ante tentatis, ità præueneris excessibus, vt sanctam Synodum ad extinguendam solùm hæresim, & ad confirmationem Fidei catholicæ studio Christianissimi Principis congregatam, in occasionem ambitus tui trahas, & vt communentiam suam sibi dedit, interpellas, tanquam irritari nequeat, quod licitè noluit multitudo? & infra. Nimis ergo hæc improba, nimis praua sunt, quæ sacratissimis Canonibus inueniuntur esse contraria, in totius Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio, quæ ità abuti voluit Concilio Synodali, vt fratres in fidei tantummodò negotio conuocatos, & definitione eius causæ, quæ erat curanda perfunctos ad consentiendum sibi, aut deprauando traduceret, aut terrendo compelleret. Hæc ille.

Item Papa Nicolaus in secunda epistola, quam scribit Michaeli Imperatori, quæ lecta fuit in quarta actione, manifestè designat, quòd sancta Synodus non debeat se intromittere, nisi de eis, quæ Papa concesserit, aut commiserit, ità dicit: Quòd verò strenuum virum Ignatium Patriarcham vestro speciali deposuistis, damnastis, & expulistis arbitrio, & Fotium de laicali agmine vobis improuidè in eius loco subrogastis Episcopum, æquanimiter ferre omninò non possumus, maximè cùm horum duorum negotium inuestigari, & nobis renunciari, non definire mandauerimus. Hæc ille. Ecce manifestè habetur ex huiusmodi reprehensionibus, quòd Concilia vniuersalia congregata, ad ea tantùm extendere se debeant, sententiando, siue definiendo, ad quæ congregata, siue conuocata sunt, & non ad alia.

Secundò sic ratione, Concilium vniuersale habet robur, & auctoritatem à Romano Pontifice, vt supra ostensum est multipliciter iuxta dist. 17. per totum, & cap. significasti, extra de elect. ergo Concilium vniuersale ad tantum se extendere potest regulariter, quantum Papa ordinat, vel disponit, qui vniuersale Concilium conuocat, & sua auctoritate fulcit; vnde prædictus beatissimus Leo Papa ad Episcopos, qui in sancta Synodo Chalcedonensi congregati fuerant, inter cætera, ità scribit, vt fraterna vniuersitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me, non solum per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium propriam inijsse sententiam, in sola scilicèt fidei causa, quod sæpè dicendum est, propter quam generale Concilium, & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari, vt damnatis hæreticis, &c. Ecce quòd solùm Papa approbat ea, ad quæ Concilium fuerat congregatum, & alia non.

Tertiò arguitur sic, Concilia vniuersalia non congregantur, nisi pro magnis, & arduis causis, quæ ità commodè expediri non possunt sine Concilio, sicut cum Concilio, ergo ad illarum tantùm expeditionem, & quæ necessaria dependent ex illis, aut faciunt ad executionem illorum, Concilia vniuersalia se extendere possunt, patet consequentia, cum ad illorum tantùm expeditionem conuocata sint, & auctoritatem receperint; vnde Agatho Papa de potestate, quam apocrisarijs suis dedit; scribens Imperatori, & narrans qualiter mittebat apocrisarios ad sextam Synodum, ità dicit, licentiam dedimus, sine auctoritatem apud tranquillissimum tuum Imperium, dum vixerit tua clementia simpliciter satisfaciendi, in quantum dumtaxat iniunctum est, vt nihil præsumant augere, mutare, vel minuere, sed traditionem Apostolicæ Sedis, vt à prædecessoribus instituta est, sinceriter enarrare, propter quam etiam rationem Legati Papæ in octaua Synodo, vt colligitur ex quinta actione, scientes se non posse extendere, nisi quantum ab Apostolica Sede eorum potestas ampliata erat, dicebant sic ad Synodum: Nos non nouum aliquod, vel recens iudicium iudicabimus, sed vetus, & multo tempore, iudicatum quidem à sanctissimo, & beatissimo Papa Nicolao firmatum, autem à sanctissimo Papa Hadriano, & non possumus transferri, vel commoueri à paternis definitionibus, & legibus, nec declinare ad dextram, vel sinistram; hæc ibi.

Quartò sic: si vniuersale Concilium intromitteret se de singulis causis indifferenter, iam in Ecclesia essent duo suprema tribunalia, duę Cathedrę supremę, quod vnitas Ecclesiæ non admittit, vt sæpiùs repetitum est supra; ergo Concilium vniuersale non potest se intromittere de singulis causis.

Quintò sic: soli Apostolicæ Sedi, eo quòd in ea Deus totius Ecclesiæ posuit principatum, conuenit de singulis causis omnium fidelium iudicare, & definire, iuxta cap. Episcopus 9. quæst. 3. vbi venerabilis Beda inquit: sola Romana Ecclesia sua auctoritate valet iudicare de omnibus, & in cap. per principalem eodem cap. & quæst. ergo videtur, quòd hoc non conueniat Concilijs vniuersalibus, consequentia patet.

Sextò, Papa respectu Concilij vniuersalis est prælatus, comparatur enim ad Ecclesiam, vt Pater, Prælatus, Caput, & Princeps eius, vt patet; ergo Synodus vniuersalis vniuersalem Ecclesiam repræsentans, non potest aliquid, nisi quantum auctoritate Patris, Prælati, & Capitis sui, ac Principis ei conceditur: conseq. patet, & specialiter ex glos. illa super illud Psal. 44. [Pro Patribus tuis, &c.] quæ sic habet, æquiparatur in hoc, Patri Episcopus, & Ecclesia filio, quia sicut filius non potest sine auctoritate Patris litigare, sic nec Ecclesia sine auctoritate Prælati.

Septimò sic: Romano Pontif. sunt aliqua in iure reseruata ratione sui primatus, sicut est conuocatio vniuersalium Concilio-

rum

rum depositio Episcoporum maiorum causarum discussio, de quibus in cap. dudum 3. quæst. 6. & de multis specificè habetur in decreto, & decretalibus; ergo cum soli Romano Pontif. ista reseruata sint, nullus potest sine Apostolicæ Sedis iniuria ad illa manus extendere sine licentia, & auctoritate illius, consequentia patet. Quod verò quidam aduersarij dicunt, quòd cum dicitur, quòd solus Papa potest illa facere, aut quòd soli Papæ sunt talia, vel talia reseruata, non sit exclusio, nisi respectu inferiorum, non autem respectu congregationis vniuersalis Concilij, in qua auctoritas Papæ inclusa videtur, hoc nihil valet. Tum primò, quia congregatio ipsa, vt de ea nunc loquimur, vt scilicet distinguitur à Papa, non est, nisi congregatio inferiorum, & ideò si per ly, solus, excluduntur inferiores, clarum est, quòd excluditur congregatio eorum, quia inferiores, siue sint dispersi, siue collecti, semper manent inferiores respectu eius, qui eis superior est; tum secundò quia vt infrà dicetur, licèt Papa conuocet Concilium, non propter hoc incorporat tantam plenitudinem suæ potestatis Concilio ad faciendum quicquid voluerit, sed tantum ad ea expedienda, propter quæ congregatum est, vndè in hoc magistri nouelli decipiuntur, & ideò non mirùm si dato malo principio proruperint in varios errores; dicente Aristotile paruus error in principio, maximus fit in fine.

Octauò sic: nihil est attribuendum vniuersali Concilio, per quod schismatis occasio daretur in Ecclesia inter Caput, & membra, inter Romanum Pontificem, siue Apostolicam Sedem, & vniuersale Concilium, hoc est notum; sed Concilium vniuersale intermittendo se de singulis causis, & de reseruatis Apostolicę Sedi, introducitur diuisio, & schisma inter Apostolicæ Sedis iudicium, & Concilij vniuersalis iudicium, quoniam sæpè contingeret, vt quod ligaret, & solueret Apostolica Sedes, solueret, vel ligaret Concilium, vel è conuerso, vt practica nobis exemplariter ostendit. Basileæ cum ad persuasionem quorumdam nouellorum magistrorum congregatio illa de singulis etiam reseruatis Rom. Pontif. minùs prudenter tentauerit se intromittere, reuocando, retractando sententias in Romana curia datas per Apostolicam Sedem; vndè multa sunt orta scandala in Ecclesia Dei.

Nonò sic: nihil est attribuendum vniuersali Concilio, quod grauiter perturbaret, & damnificaret totam Ecclesiam, patet hoc, sed si Concilium vniuersale se intromitteret indifferenter de singulis causis, oporteret, vt quasi perpetuum fieret, aut in nimium longum tempus extenderetur, cum necessarium videretur, vt causas omnes assumptas terminaret: quod certè sine magno dispendio Ecclesiarum, & iactura Episcoporum manifestum est fieri non posse.

Decimò sic: præsupponendo cum Dominis iuristis, quòd impossibile sit, quòd idem & insolidum eodem modo, & pro eodem tempore possit à duobus possideri, & per consequens nec exerceri, vt digestis commo. lege si vt certo, §. si duobus vehiculum: sed nulli dubium est, quia Papa vtpotè Pastor, & iudex totius Reipublicæ Christianæ sit in possessione, & actu exercito iudicandi de singulis causis fidelium, & exequendi ea, quæ sunt plenitudinis potestatis clauium in tota Ecclesia Dei; ergo pro eodem tempore non videtur possibile, quòd hoc conueniat Concilio vniuersali; consequentia patet cum omnibus præmissis. Ex quibus omnibus manifestè conuincitur nullitas dispensationum, indulgentiarum, sententiarum, multarum causarum, atque collationum beneficiorum, & donationis, & aliorum, quæ Basileæ, contradicente Romano Pontif., sanctæ memoriæ Domino Eugenio, facta esse dicuntur, nisi priùs auctoritate Apostolicæ Sedis susceperint firmitatem. Ex dictis autem per multa capitula de dependentia auctoritatis Conciliorum à Rom. Pont. Christi Vicario confutatur manifestè error damnatissimus Marsilij de Padua attribuentis vniuersali Concilio, quod vniuersitatem dicit esse omnium fidelium, non distinguens inter laicos, & Clericos sine aliqua dependentia à Papa totum exercitium ecclesiasticæ potestatis, tam in prouisionibus beneficiorum, & dispensationibus, & indulgentijs, atque correctionibus quorumcumque errantium.

CAP. XXXIX.

In quo obijcitur contra prædicta.

Aduersus iam dicta arguunt multipliciter aduersarij asserentes, quòd vniuersale Concilium, cum est congregatum, potestatem habeat exercendi omnem actum potestatis iurisdictionis sicut, & Papa.

Primò sic: Concilium vniuersale habet auctoritatem supremam à Christo immediatè super omnes fideles cuiuscumque status, aut conditionis existant; ergo potest exire in actum illius potestatis, quando est congregatum, cum voluerit, consequentia videtur bona, quia frustra esset potentia, quæ non exiret in actum: antecedens colligitur ex decreto Concilij Constantiensis.

Secundò sic: quando Papa congregat Concilium vniuersale, videtur illi incorporare auctoritatem suam; vndè vniuersale Concilium legitimè congregatum ipsum Papam, & ita eius auctoritatem includit, & ita dato, quòd vniuersale Concilium non à Christo immediatè, sed à Papa susciperet suam auctoritatem, exire poterit in actum potestatis plenitudis Papalis, sed Papa potest de omnibus causis agere: ergo, & Concilium legitimè congregatum, consequentia videtur bona, & antecedens manifestum.

Tertiò idem arguitur ex practica aliorum præcedentium Conciliorum vniuersalium: primò, ex illo Apostolorum Concilio, de quo act. 1. habetur, vbi vacante Apostolatu Iudæ proditoris, omnes Apostoli, & Discipuli tractauerunt de eius successore, & elegerunt duos ex omnibus, scilicet, Barnabam, & Mathiam, & sic ille fuit susceptus in numero duodenario: ergo videtur, quòd Concilium possit se intromittere de prouisione Prælatorum.

Quartò sic: ex cap. primates 2. quæst. 1. vbi

vbi glos. dicit, quòd Synodus auctoritate Rom. Pontif. congregata potest priuare, seu damnare Episcopos, & hoc idem habetur in cap. nullus v. quæst. 4. ergo idem, quod prius.

Quintò, arguitur ex practica Conciliorum vniuersalium antiquorum, quæ omnem iurisdictionem videntur exercuisse, etiam in reseruatis Apostolicæ Sedi, quæ non solùm excommunicasse, sed etiam deposuisse aliquos Episcopos à suis dignitatibus, & restituisse depositos, sicut quasi per omnia octo Concilia vniuersalia legitur, cum ergo omnia Concilia vniuersalia æqualis videantur esse auctoritatis, videtur, quòd vniuersale Concilium possit se intromittere regulariter de omnibus causis etiam particularibus.

Sextò, idem arguunt ex cap. inter cætera 10. quæst. vlt. vbi Concilium quartum Toletanum ità dicit: Inter cætera denique, quæ consensu communi, inter nos conferre competenter oportuit quærimonias, etiam parochialium presbyterorum Galliæ Prouinciæ solertissimè decernere &c. Item in cap. si Clericus 11. qu. 1. vbi dicitur, quòd si Clericus habet contra suum Episcopum, vel alium causam, apud audientiam Synodi prouinciæ conqueratur; ergo idem, quod priùs.

Septimò, arguitur etiam de dispensationibus, quòd possit facere ex cap. presbyter. dist. 82. vbi Concilium vniuersale dispensat contrà Canones Apostolorum, vt dicit text. & glos. super verbo Apostolorum. Item in cap. presbyteros 50. dist. vbi Concilium vniuersale dispensat cum presbyteris, qui immolauerunt idolis, & posteà pœnituerunt, quòd possint retinere beneficia, sed non in ordine ministrare, & hoc dispensatiuè, vt dicit gloss. super verbo fungi.

Octauò, quod etiam ad maiores causas se possit extendere arguitur, quia potest Episcopum deponere, & restituere, vt in cap. si quis Episcopus, & cap. certum, & cap. Episcopos, & cap. irritam 11. quæst. 3.

Nonò, arguitur ex practica Concilij Basileensis, quòd non modo de causis particularibus, sed etiam plenarias indulgentias dedit.

CAP. XL.

In quo respondetur ad obiectiones prædictas.

BEnè autem considerando ea, quæ dicta sunt superius, facilè occurrit, quòd obiectiones prædictæ aduersariorum contra conclusionem nostram præfatam parùm militant. Conclusio autem nostra fuit, quòd vniuersale Concilium stante vnico, & indubitato Rom. Pontif. in Sede Petri, & contradicente, non posset ad alia tractanda, definienda, ac iudicanda debitè se extendere, quàm ad illa, ad quæ per Rom. Pontif. fuerit conuocatum; vndè dicendum est ad rationes inductas.

Ad primam, quæ sumitur ex Concilio Constantiensi, responsum est, suprà tam lib. 2. cap. 99. quàm in hoc 3. lib. cap. 31. quòd assumptum est falsum.

Ad secundam, in qua dicitur, quòd Papa conuocans Concilium videatur illi auctoritatem suam incorporare: respondetur, quòd concesso, quòd Papa conuocando Concilium vniuersale incorporet illi auctoritatem suam, non tamen conceditur, quòd incorporet illi omnem eius plenitudinem potestatis, sed tantum quantum necesse est ad prouidendum super illis, ad quæ illud conuocat; vndè si Patres illius Concilij ad alia se extendant, quàm ad ea, ad quæ à Rom. Pontif. receperint potestatem, & errant vsurpando sibi, quod non conuenit, & etiam facta sic per eos extrà potestatis datę terminos viribus vacua sunt, sicut apertè colligitur ex Chalcedonensi Concilio, in quo quia Patres, qui tantùm ad fidem confirmandam erant congregati, extenderunt se ad alia: Sanctus Leo Papa durè reprehendit Patriarcham Constantinopolitanum, vt patet ex superiùs in cap. 38. dictis, hoc etiam ex modo subscribendi, quo vsi sunt legati Papæ, in gestis octaui Concilij patet, qui fuit iste:

Ego Donatus Dei gratia Episcopus sanctæ Hostiensis Ecclesiæ locum obtinens Domini mei Hadriani summi Pontificis, & vniuersalis Papæ omnia, quæ superiùs leguntur, huic sanctæ, & vniuersali Synodo præsidens, vsque ad voluntatem eiusdem eximij præsulis promulgaui, & manu propria subscripsi. Eadem forma vsi sunt secundus Legatus, & tertius, videlicèt Stephanus Ephesinæ Ecclesiæ Episcopus, & Marinus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, quia enim alia ibi fuerant conclusa, de quibus fortè priùs Rom. Pontif. nòn fuerat informatus, præter principalem materiam, pro qua erant congregati, Legati Papæ non dabant plenarium assensum, aut confirmationem, nisi vsque ad beneplacitum Rom. Pontif.

Ad tertiam, quæ sumitur ex Concilio Apostolorum: respondetur, non esse ad propositum, quoniam in Concilio illo fuit beatus Petrus, & præsidens, & ad mandatum eius, siue ordinationem electio illa facta est, vndè ait: viri fratres oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda &c. & infrà, oportet ergo ex his, qui nobiscum sunt congregati, testem resurrectionis Christi nobiscum fieri vnum ex istis, & sequitur: Et statuerunt duos. Ecce manifestè, quòd Principatus huius electionis fuit apud eum, qui caput, & vertex erat Apostolici chori, vt dicit Chrysost.

Ad quartam, quæ sumitur ex cap. primates, respondetur, quòd Synodus auctoritate Papę congregata benè potest condemnasse Episcopos, si ad hoc habeat speciale mandatum, vndè glos. in cap. allegato nulli 5. q. 4. dicit sic, loquendo de Synodo auctoritatę generali: audiri potest causa Episcopi, sed non potest terminari sine speciali mandato Apostolicæ Sedis; hoc ibi, quæ glos. est multum notanda in hac parte, cum expressè confirmat propositum.

Ad quintam, quæ sumitur de practica antiquorum generalium Conciliorum: respondetur, quod non facit ad propositum, quoniam omnia illa in Concilijs præfatis gesta facta sunt auctoritate Rom. Pontif., sicut patet ex superioribus. Tum secundò, quia

quia licèt de aliquibus, ad quæ erant congregata Concilia, & ad eorum dependentia Patres se intromiserunt, non tamen de omnibus particularibus causis, & omnibus reseruatis Apostolicæ Sedi.

Ad sextam, quæ sumitur ex cap. inter cætera 10. quæst. vlt. & in cap. si clericus 11. quæst. 1. respondetur sicut ad præcedentia, quòd in omnibus gestis illis concurrit consensus, & auctoritas Rom. Pontif. &ità capitula illa non militant contra conclusionem nostram.

Ad septimam, quæ sumitur ex cap. presbyter. dist. 81. & ex cap. presbyteros dist. 50. respondetur primò, quia non faciunt ad propositum, quia illa non sunt Concilia vniuersalia, de quibus loquimur, sed sunt prouincialia, sicut patet ex Rubr. Secundò respondetur sicut ad præcedentia, quòd dispensatio illa facta est auctoritate Romani Pontificis, vnde in cap. præfato presbyter, quod est Concilij Grangen. ità habetur: presbyter si fornicationem fecerit, quamquam secundùm canones Apostolorum debeat deponi: tamen iuxtà auctoritatem Siluestri Papę, si in vitio non perdurauerit, &c.

Ad octauam, quæ sumitur ex cap. si Episcopus 11. qu. 3. & ex alijs capitulis eiusdem causæ, & qu. Respondetur primò, quòd in illis capitulis non habetur de depositione Episcoporum, licèt benè de damnatione, quæ dicitur ibi excommunicatio, sicut patet ex gloss. cap. si Episcopus. Secundò etiam respondetur, quòd dato, quòd ita sit, sicut aduersatius inducit, illud non fuit factum sine speciali auctoritate Romani Pontificis, iuxtà gloss. cap. nullus 5. qu. 4.

Ad vltimam, quæ sumitur ex practica Concilij Basilien. respondetur, quòd practica habita in Concilio Basiliensi in multis fuit exorbitans ab omni iure introducta per quosdam temerarios, & præsumptuosos homines, vnde à practica, & gestis illius congregationis, quæ tot scandala in Ecclesia peperit, nulla exempla sumenda sunt, sed potiùs de omnium fidelium veniunt delenda pectoribus. Ex istis etiam patet, quàm inualida sint, omnique virtute vacua, quæ in pragmatica sanctione Regni Franciæ ex decretis Basilien. continentur, quoniam multa illorum, aut falsa sunt, aut viribus carent, cùm Apostolicæ Sedis nulla sint auctoritate vallata. Nec potest dici, quòd illa decreta per acceptationem illam Regni Franciæ minùs benè consultè factam; salua reuerentia, acceperunt aliquid firmitatis.

CAP. XLI.

Ad quæ vniuersale Concilium congregatum, aut congregandum, vacante Sede Apostolica, se debet, aut possit extendere, & qua auctoritate.

POstquam ostendimus existente in Sede Apostolica Præsule aliquo indubitato, ad quæ vniuersale Concilium possit, aut valeat potestatiuè se extendere. Iam discutiendum venit, ad quæ se debeat, aut possit extendere, si congregari contingat, Apostolica Sede vacante. In qua disputatione nobis dicendum videtur, saluo semper meliori iudicio, quòd vniuersale Concilium congregatum, vacante Apostolica Sede, ante Romani Pontificis creationem possit, & valeat exequi, quæ necessariò occurrerent pro regimine, & tuitione Ecclesiæ, vbi per dispositionem iuris non posset prouideri, & quæ sine dispendio magno prorogari non possent vsque ad creationem Romani Pontificis.

Quæ conclusio faciliter ostenditur; quia nisi detur, quòd, vacante Sede Apostolica, in qua Dominus posuit Ecclesiæ principatum, & gubernaculum populi Christiani, apud Prelatos Ecclesiæ sit potestas prouidendi in casu prædicto necessitatibus imminentibus Ecclesiæ, non videretur sufficienter prouisum Ecclesiæ in his, quæ necessaria sunt populo Christiano, quod nullo modo dicendum est de Christo Fundatore, & Capite ipsius Ecclesiæ, cuius sapientia attingit à fine vsque ad finem suauiter cuncta dispositiones Sap. 8. & cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur. Sed si quæratur, quomodo hoc esse potest, aut qua auctoritate, maximè cùm non videatur concedendum, quòd aliqua congregatio Prælatorum inferiorum à Rom. Principe sine habitudine ad Apostolicam Sedem habeat potestatem aliquid ordinandi vniuersaliter in vniuersali Ecclesia, videtur nobis respondendum, saluo semper meliori iudicio, quòd Prælati maiores congregati hoc facere possunt auctoritate ipsa, quam priùs habebant ab Apostolica Sede, quæ in necessitatis istius articulo videtur ampliata.

Pro cuius intelligentia, & solutione multarum difficultatum in hac materia videtur nobis notandum, quòd quemadmodum simplex sacerdos non obstante, quòd limitatam habeat potestatem iurisdictionis, tam quoad personas, ità vt iure prohibeatur ei quemquam absoluere, nisi Parochianum eius, vt in cap. ecce 16. qu. 1. & in cap. placuit, de pœnitentia dist. 6. quàm quoad casus; quoniam multi sunt reseruati, à quibus ipse regulariter absoluere non potest. In articulo tamen necessitatis potest absoluere omnes homines, & de omnibus peccatis, & de omnibus sententijs. Tum quia, necessitas non habet legem, 1. quæst. 1. remissiones. Tum secundò, quia, vt inquit Bernardus; quod constitutum est pro charitate, contra charitatem militare non debet, ità dicendum videtur in proposito, quòd Prælati ipsius Ecclesiæ maiores, qui Apostolis in Ecclesia succedunt, licèt regulariter habeant limitatam potestatem, & quoad Territoria, quia distinctas habent Diœceses, & terminos certos, vltra quos non se debent extendere, & etiam quoad casus multos, vtpotè qui non sunt vocati in plenitudinem potestatis, sed in partem sollicitudinis, vt inquit Gregorius in cap. decreto 2. qu. 6. & Iulius Papa in cap. sequenti. In articulo tamen necessitatis Ecclesiæ, deficiente per naturalem mortem, aut alio modo summo Pontifice omninò impedito, cui cura, & regimen totius Ecclesiæ vniuersaliter est commissa, videretur habere auctoritatem Apostolicam ad prouiden-

dendum tantùm; tamen in necessarijs, quæ immediatam exigunt expeditionem, nec illis per antiquam iuris dispositionem prouideri potest, nec prorogari possunt vsque ad creationem Romani Pontificis, sicut in superioribus de Dominis Cardinalibus diximus. Ad prouidendum autem tantùm in necessarijs diximus; quoniam, vacante Sede Apostolica, Patres congregati, nec Domini Cardinales debent se intromittere extrà casum magnæ necessitatis de alijs particularibus causis, aut de reseruatis Apostolicæ Sedi, quia, sicut vacante Sede, nullus dicitur succedere Romano Pontifici in plenitudine potestatis, ità nec per consequens in exercitio, aut administratione plena illius, quemadmodum nec capitulum succedit, vacante Sede, Episcopo in his, quæ ad solum Episcopum pertinent, vt putà in potestate conferendi beneficia ad collationem solius Episcopi spectantia, vt habetur in cap.1. ne Sede vacante lib.6. multa alia induci possunt ad hoc, sed ista nobis sufficere videntur.

Ex quibus satis videtur confutata opinio dicentium, quòd, vacante Sede Apostolica, Concilium vniuersale congregatum possit exercitium potestatis Apostolicæ, & administrationem eiusdem vniuersaliter, siue plenariè habere sicut Papa. Quorum error iudicio nostro inde oritur, quòd non intelligunt, quomodo claues sint datæ vniuersali Ecclesiæ, iudicant enim de vniuersali Ecclesia ad modum capituli vnius Ecclesiæ Collegiatæ, vel ad modum prouincialis Concilij, aut ad modum vnius vniuersitatis popularis laicorum, & non rectè iudicant, quoniam non est simile in hac parte hinc, & inde, vt lib. 2. maximè circa cap. 72. ostendimus copiosè. Habet ergo Concilium congregatum, vacante Sede Apostolica, potestatem ampliatam ad prouidendum Ecclesiæ in necessarijs, quæ immediatam, vt diximus, exigunt expeditionem, nec prorogari possunt vsque ad creationem Romani Pontificis, ad quam omni studio est festinandum. Itaque Concilium Prælatorum in tali casu administrator, & executor est necessarius, & non voluntarius; & inde est, quòd in non necessarijs præfati Prælati non habent extensionem potestatis, quia quod necessitate conceditur, cessante necessitate, solui debet, vt in cap. quicquid, de consecr. dist.5. & hoc videtur aliàs obseruatum, vnde cùm auditum esset, quòd Marcellinus Papa mortis metu, Diocletiano compellente, idolis thurificasset: illicò Episcopi ex diuersis Prouincijs in magno numero, nullo eos vocante, ad prouidendum Ecclesiæ in præfata necessitate Romæ conuenerunt, cognoscentes eorum potestatem in tantæ necessitatis articulo ad hoc se extendere.

Nec debet alicui videri mirum hoc, quod diximus de ampliatione potestatis in casibus necessitatis, quoniam, vt dicitur in libro de regimine principum, qui inscribitur sancto Thomæ libro secundo cap. 19. In duobus casibus ampliatur potestas Romani Pontificis, vel ratione delicti, vel pro bono vniuersalis Ecclesiæ, quod eleganter ostendit nobis Hieremia Propheta, cui in persona Vicarij Iesu Christi dicitur: [Ecce constitui te super Gentes, & Regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, quod ad rationem delicti ferimus;] vbi in quatuor illis vocabulis diuersa genera pœnarum accipimus, quæ infligi possunt vnicuique fideli, siue subdito, cùm dicit super Gentes, siue Domino, cùm dicit, & super Regna. Secundum autem est, vnde accipimus ampliatam potestatem, cùm postea dicitur, vt ædifices, &c. quæ ad prouidentiam Vicarij Christi pertinet pro bono vniuersalis Ecclesiæ. Hæc ibi. Non est autem prætereundum, quod salubriter videtur consultum ad auferendum omnem dubietatis scrupulum, vt omnia, quæ per vniuersale Concilium, vacante Sede, gesta sunt, ac constituta, per Romanum Pontificem futurum confirmentur, sicut practicatum fuit in Concilio Constantien. in quo, creato Domino Martino, Patres Concilij supplicarunt Sanctitati suæ, vt ea, quæ ante creationem eius per omnes obedientias simul positas fuerant constituta, confirmare dignaretur, quod & fecit de his, quæ ad fidem expectabant.

CAP. XLII.

In quo obycitur contra prædicta.

Obijciunt autem contra prædictam conclusionem aduersarij multipliciter.

Primò sic: Vniuersale Concilium repræsentat vniuersalem Ecclesiam, sed vniuersali Ecclesiæ data est potestas clauium, cùm data est Petro, quia vt ait Augustinus super Ioannem, & habetur in cap. quodcumque 24. quæst.1. cùm Petrus claues accepit Ecclesiam sanctam significauit; ergo videtur, quòd cùm Ecclesia vniuersalis sit synodaliter congregata, possit, maximè vacante Apostolica Sede, omnia ministrare, ad quæ potestas clauium se extendit; consequentia videtur clara.

Secundò sic: Vniuersale Concilium, vacante Sede Apostolica, potest aliqua, vt habetur ex concessis in præcedenti capitulo: ergo etiam omnia alia; consequentia videtur bona, quia eadem ratio videtur currere de quibusdam, & de omnibus.

Tertiò sic: Concilium vniuersale Constantiense, vacante Sede, confirmauit Archiepiscopum Lugdunen. dedit etiam indulgentias, & super irregularitate dispensasse legitur, quæ videntur reseruata Apostolicæ Sedi: ergo videtur idem, quod priùs.

Quartò, idem arguitur ex Concilio Senensi, quod legitur dedisse indulgentiam plenariam.

Quintò, idem arguitur ex Concilio Basilien. quod non modò Rotam audientiæ causarum erexit, sed etiam indulgentiam plenariam dedit pro negotio Græcorum.

CAP.

CAP. XLIII.

In quo respondetur obiectionibus præfatis aduersariorum.

PRæfatis obiectionibus non est difficile respondere superioribus benè consideratis.

Vnde ad primam, quæ sumitur ex illo, quòd vniuersali Ecclesiæ datæ sunt claues, quod est fundamentum principale fabulatum, & errorum aduersariorum: respondetur, quòd vt superiùs lib. 2. cap. 72. plenè ostendimus, id non habet veritatem ad intelligentiam, quam aduersarij interpretantur: videlicet quòd vniuersali Ecclesiæ, quæ dicitur omnium fidelium collectio, vt in cap. Ecclesia de consecr. dist. 1. in omnibus suis membris, siue diuisim, siue coniunctim data sit clauium potestas. Præterea dicimus, quòd soli Petro, & in eo suis successoribus, quem toti vniuersitati fidelium præposuit, Caput, & Principem dedit, vt dicit beatus Cyrillus, quod suum est plenum, & ipsum solum, vt ait beatus Gregorius, & Iulius Papa, vocauit in plenitudinem potestatis. Quomodo autem sit intelligendum, quòd cùm Petrus claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit, supra exposuimus lib. 2. cap. 15. dicentes, quòd ideò dictum sit, quia non soli Petro, vt singulari personæ datæ sunt claues, quoniam, vt optimè arguit beatus Augustinus, si tantùm Petro datæ fuissent, nec iam aliquis absolui posset, nec ligari, nec aliqua reconciliatio fieret in Ecclesia; cùm ergo omni die in veritate fiat per Prælatos, & Sacerdotes Christi, sequitur, quòd non tantùm Petro datæ sunt, sed in eo omnibus eius successoribus, & vniuersis Prælatis futuris in Ecclesia per deriuationem ab eo in eos, secundùm illud, quod beatus Ambrosius inquit, quòd in beato Petro omnes nos sacerdotes claues accepimus, & hoc est, ipsum Petrum, cùm claues accepit, Ecclesiam sanctam significasse, vt patet ex litera beati Augustini benè ponderata; vnde Dominus Archidiaconus in Rosario hunc locum ad hanc intelligentiam exponens, ità dicit: Si hoc tantùm Petro dictum est, scilicet vt eius personam non transgrediatur, non facit hoc Ecclesia, idest eius auctoritas. Hæc ille. Planè hæc est vera intelligentia illius auctoritatis, & ità patet, quòd rectè intellecta, nihil facit pro aduersarijs.

Ad secundam, cùm arguitur, potest quædam, ergo omnia. Respondetur, negando consequentiam, quoniam nullam habet apparentiam; & cùm dicitur, quòd sit eadem ratio de quibusdã, & de omnibus, respondemus, quòd falsum est, quod in exemplo, quod de simplici sacerdote supra induximus, apertissimè patet; licèt enim simplex sacerdos in articulo necessitatis possit absoluere omnem hominem de omnibus peccatis, & ab omnibus censuris, non tamen hoc potest extrà necessitatis articulum. Item licèt in articulo necessitatis posset aliqua, putà quæ necessaria sunt saluti humanæ, sicut est absolutio à peccatis, & ab excommunicatione, si fuerit excommunicatus, non tamen alia, quæ necessaria non sunt, sicut dispensare super irregularitatibus, conferre indulgentias, & huiusmodi, quia sine his potest salus animæ haberi. Irà est in proposito, licèt Prælati congregati pro bono Ecclesiæ possint, vacante Sede, facere in casu necessitatis aliqua pro defensione fidei, pro bono vniuersalis Ecclesiæ, quæ vsque ad creationem Romani Pontificis sine magno Ecclesiæ dispendio differri non possunt; non sequitur, quòd possint omnia, aut quæ necessitas non exposcit, aut quòd etiam idem postea possint, quoniam, vt habetur in cap. quod 1. quæst. 7. quod pro remedio, aut necessitate temporis statutum est, constat primitùs non fuisse, quod ergo necessitas pro remedio reperit, cessante vtique necessitate, debet cessare pariter quod vrgebat; quia alius est ordo legitimus, & aliud vsurpatio, quod ad præsens fieri tempus impellit.

Ad tertiam, quæ sumitur ex Concilio Constantiensi, respondetur quòd ratio illa non militat multiplici ratione.

Primò, quia cùm id, quod factum est tunc, cum per vnam obedientiam factum fuerit, videlicet per obedientiam Ioann. XXIII. quæ apud alias duas obedientias, scilicet Gregorij, & Benedicti non credebatur facere Concilium vniuersale, siue Ecclesiam Catholicam repræsentare, nõ est multum ponderandum, sicut, nec multa alia ibi facta, sicut superiùs diximus in varijs locis, loquendo de decretis factis per illam obedientiam.

Secundò, dato quòd concessa fuisset indulgentia per Concilium postquam fuerat congregatum ex omnibus tribus obedientijs ratio adhuc non militat, quia indulgentia illa non fuit plenaria, quæ reseruatur Rom. Pontif. hoc enim non præsumpserunt Prælati Constantiæ congregari scientes, quòd cum ea, quæ sunt multitudinis alicuius, distribuere singulis de multitudine solùm competit ordinaria potestate ei, qui multitudini præest, distribuere verò thesaurum Ecclesiæ Papæ soli competit, qui toti Ecclesiæ præest, & non multitudini, vt S. Thom. in 4. dist. 20. dicit. Prætetea, cùm ad sponsum solùm pertinere videatur dispensatio dotis sponsæ, vt in lege dote ancillam Cod. de rei vend. & ad Patremfamilias thesauri domus in l. fin. Cod. de bonis, quæ liberis, & huiusmodi, sic Summus Pontifex, ad eũ solùm auctoritate ordinaria, qui solus vocatus est in plenitudinem potestatis pertinet dare pleniariam indulgentiam. Vndè ad Papam solùm pertinet indulgentiam plenariam concedere: ad multitudinem autẽ, siue congregat. Synodalem orationum suffragia impartiri, quòd apertissimè colligitur ex forma indulgentiarum datarum in Lateranensi Concilio pro passagio, quæ habetur in cap. ad liberandum extrà de Iudæis, & Saracenis, vbi Innoc. in apparatu, & post eum Io: And. formam Indulgentiarum, de quibus ibi fit mentio, narratis quibusdam, ponentes talem dicunt fuisse formam Indulgentiarum: Nos ergo de Omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confisi, & ex illa, quam nobis, licèt indignis, contulit Deus ligandi, atque soluendi potestatem, omnibus, qui laborem istum in proprijs personis subierint, & expen-

expensis suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, & ore confessi, veniam, Indulgentiam, &c. sequitur infrà: sancta vniuersalis Synodus orationum, & beneficiorum suorum suffragia impartitur, vt eis dignè proficiat ad salutem, datum Laterani 19. Kal. Ianuarij Pontificatus nostri anno 8. Ecce, quòd Synodus, tàm vniuersalis, tam gloriosa, sicut illa non præsumpsit dare Indulgentias, sciens, quòd ad sponsum, & ad thesaurarium, & præsidentem huiusmodi dispensatio tantummodò conueniebat, vndè Prælati Constantiæ existentes, non plenariam, sed multò minorem, scilicèt centum dierum, vel 40. & hoc auctoritate Legatorum Dominorum Cardinalium præfati Ioannis XXIII. qui ex antiqua consuetudine dant centum dies Indulgentiarum, licèt Concilio ascripta sit.

Tertiò dato, quòd illa Indulgentia plenaria fuit, postquam omnibus tribus obedientijs simul conuenientibus Concilium habitum est, indubitatum dicimus, quòd data est sub spe ratihabitionis futuri Romani Pontificis, & ità ratio non procedit.

Ad quartum de Concilio Senensi, respondetur, quòd non est ad propositum, quia Concilium illud non dedit Indulgentias, licèt statuerit, quòd indulgentiam talem, vel talem consequerentur præstantes fauorem Inquisitoribus fidei, & quicquid ibi statutum fuit, de mente, & voluntate Summi Pontificis, & eius auctoritate, scilicèt Domini Martini, vndè Indulgentia illa data, scilicèt præstantibus fauorem inquisitoribus, sub bulla eiusdem Domini Martini, processit, vt à Domino Paduano bon. mem. qui in eodem Concilio vnus de præsidentibus fuit, sæpè numero Basileæ audiuimus.

Ad quintum, quòd inducitur de Basileensi Concilio suprà respondimus, quòd cùm in illo multa præsumptuosè in totius Ecclesiæ perturbationem attentata fuerunt, magis memoria illorum execranda venit, quàm ex eo exempla sumenda.

CAP. XLIV.

In quo ostenditur, quòd Romanus Pontifex auctoritate iurisdictionis superior sit vniuersali Concilio.

ETsi ex antedictis possit quisque doctus sufficienter intelligere veritatem huius quæstionis, quæ inter multos decurrit. An scilicèt Romanus Pontifex superior sit iurisdictionis auctoritate vniuersali Concilio, vel è conuerso: nihilominus pro ampliori illustratione veritatis, hoc paucis rationibus probare volumus, videlicèt, quòd Romanus Pontifex superior sit vniuersali Concilio, capiendo vniuersale Concilium, vt dicit distinctam congregationem Prælatorum vniuersalis Ecclesiæ condistinctam contra Romanum Pontificem, licèt autem ad hoc probandum efficaces sint omnes rationes, quas supra in secundo libro induximus ad ostendendum: quòd in Ecclesia necessariò esset dandus vnus Rector, & Princeps supremam potestatem habens super totam vniuersalem Ecclesiam, quem ipsum vniuersale Concilium repræsentat, nihilominus in speciali, & ex proprijs illud probamus.

Et primò sic; omne, quod tribuit alteri potestatem est superiùs illo cui auctoritatem tribuit. Hoc patet; quia causa potior est suo effectu, sed Papa tribuit auctoritatem Concilio vniuersali, vt suprà circa cap. 32. sufficienter ostendimus, & habetur dist. 18. per totum, & extra de electione cap. significasti. Ergo Papa auctoritate iurisdictionis superior est vniuersali Concilio. Consequentia est bona.

Secundò, omne, quod tribuit esse, & quasi formam alteri, est superiùs illo, cui esse tribuit, patet hoc, sed Papa tribuit esse, & quasi formam vniuersali Concilio, illud conuocando, & approbando, patet. Nàm absque Romani Pontificis licentia celebratum non Concilium, sed conciliabulum; aut conuenticulum nominatur, vt in cap. in multis dicitur dist. 18.

Tertiò sic: omne illud, quod in aliqua communitate habet rationem Rectoris, & Præsidentis, est superiùs auctoritate tota illa multitudine, cui præest, vt Rector, patet, & colligitur ex primo politicorum, sed Papa est Rector, & Præsidens Concilio, vt ostendimus suprà in cap. 22. ergo idem, quod priùs.

Quartò sic; Papa tribuit robur Canonibus, & confirmat sententias Conciliorum vniuersalium, vt multipliciter ostendimus suprà in cap. 34. ergo Papa est superior iurisdictionis auctoritate vniuersali Concilio, consequentia patet.

Quintò sic: Sedes Apostolica absoluit, quandoque quod Concilium ligat, & damnat ergo sequitur, quòd Romanus Pontifex sit superior auctoritate Concilio vniuersali, consequentia patet, & colligitur manifestè ex cap. inferior dist. 21. antecedens patet, ex eo quod Papa Nicolaus in epistola, quam scribit Patriarchæ, & toti clero Constantinopolitano: Necnon, & Patrum, & prædecessorum nostrorum secuti vestigia, qui soliti sunt etiam vniuersorum Concilia nequiter celebrata cassare, Pontificum, si qua socia sunt crebro dictæ, vel exemplaria fortassis epistolæ, quin potiùs non solùm hoc, sed & omnia scripta, vel aduersùs fratrem, & Coepiscopum nostrum Ignatium, & iniquè confectæ, vel aduersùs nos, causam illius canonicè prosequentes furiosè deprompta sunt, perenni damnationi mandamus. Hæc ibi.

Item patet ex eo, quòd Papa Pelagius vniuersis Episcopis per Dardaniam constitutis scribens, vt habetur in cap. cuncta per Mundum 9. quæst. 3. ait. Sed nec illa prætерimus, quòd Apostolica Sedes frequenter more maiorum, etiam sine vlla Synodo præcedente exoluendi, quos Synodus iniqua damnauerat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem, & hoc nimirùm, pro suo Principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce, & tenuit semper, & tenebit, sanctæ quippè memoriæ Athanasium Synodus Orientalis addixerat,

xerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi græcorum non consensit, absoluit. Sanctæ memoriæ Ioan. Constantinopolitanum Synodus Catholicorum Præsulum damnauerat, quem simili modo Sedes Apostolica, quia non consensit, absoluit.

Itaque sanctum Flauianum Pontificem Græcorum damnatum pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica nō consensit, potiùs, qui illic receptus fuerat, Sedis secundæ Præsulem sua auctoritate damnauit, & impiam Synodum non consentiendo sola submouit, & auctoritatem, vt Synodus fieret Chalcedonensis sola decreuit. Hæc ibi. Ex quibus manifestè patet falsitas interpretationis cuiusdam aduersarij, qui vt scribit, auctoritas Apostolicæ Sedis poterat absoluere, quem Concilia Prouincialia, siue Patriarchalia damnauerant, non autem quos vniuersalia, vniuersale enim fuit Ephesinum secundum, in quo Flauianus Præsidens Papæ fuerat condemnatus.

Sextò sic: solus Roman. Pontif. est vocatus in plenitudinem potestatis, solus ipse habet potestatem illimitatam, in cuius argumentum, vt dicit S.Thom. in 4. dist.24. Papa non vtitur baculo, sicut alij Episcopi, in signum, quòd non habet coartatam potestatem, quam curuatio baculi designat, sed alij Prælati, ex quibus congregatur Concilium, conuocati sunt in partem sollicitudinis, vt in cap. decreto, ait Gregor.II. quæst. 6. ità habent potestatem limitatam, ergo sequitur, quòd Papa sit superior auctoritate vniuersali Concilio.

Septimò sic: omnis Pastor superior est auctoritate grege suo, patet, sed Papa, est Pastor omnium ouium Christi, secundum illud Ioann. vlt. [Pasce oues meas,] & Concilium vniuersale pertinent ad gregem Christi, vt patet: ergo necessarium confirendum est, quòd Papa sit auctoritate superior Concilio vniuersali. Confirmatur sic ista ratio: Concilium vniuersale seorsum sumptum à Papa aut est Pastor, aut ouile, siue grex, non potest dici, quòd sit Pastor, quia non potest assignari cuius gregis, aut ouis sit Pastor, patet, quia non potest dici, quòd sit Pastor vniuersalis Ecclesiæ, quia cum illam repræsentet, & auctoritate illius dicatur fulciri, non potest dici Pastor eius, sicut nec superior illa, non potest dici, quòd sit caput fidelium singulorum, qui sunt extra Concilium. Tum quia, etiam illos repræsentat, & sic repræsentatiuè ipsi. Tum quia, Papa est Pastor omnium fidelium, vnius autem ouilis vnus esse Pastor secundum illud Ioann. 10. [Erit vnum ouile, & vnus Pastor.] Si autem Concilium est grex, necesse est si sit grex ouium Christi, & non diaboli, quòd sit sub Romani Pontificis cura, & potestate, cui in beato Petro Christus vniuersas oues suas sine exceptione quacumque pascendas commisit.

Octauò sic: caput superiùs est non solùm situ, sed etiam auctoritate toto residuo corpore, patet, sed Roman. Pontif. est caput Concilij. Ergo necessariò dicendum est, quòd sit superior auctoritate vniuersali Concilio. Consequentia est manifesta, maior est nota, minor etiam notissima, cùm sit caput vniuersalis Ecclesiæ, quam repræsentat ipsum Concilium, vt in superioribus est demonstratum, vnde etiam beatus Chrysost. beatum Petrum verticem nominabat Apostolici chori, & Synodus Chalcedonensis Leonem Papam caput suum profitetur apertè, vt superiùs introductum est.

Nonò sic: Christus est superior vniuersali Concilio potestate auctoritatis, vt patet, ergo, & Papa, patet consequentia, quoniam Papa est Vicarius generalis eius, vices ipsius gerens in Ecclesia Dei, & per consequens in Concilio vniuersali, ergo Papa est super Concilium vniuersale. Vndè beatus Cyrillus in libro thesaurorum dicit, quòd Apostoli in Euangelijs, & epistolis affirmarunt Petrum esse loco Domini, & eius Ecclesiæ eidem dantes locum in omni capitulo, & omni electione.

Decimò, Papa, qui præest auctoritate, & prælatione toti Ecclesiæ Dei, vtpotè, qui caput, & Princeps eius est, vt in secundo libro multipliciter probatum est. Ergo etiam superior est vniuersali Concilio illam repræsentanti. Consequentia est nota ex alijs etiam dicendis infrà hoc magis firmabitur. Ex quibus iam dictis, & superiùs per diuersa capitula explanatis, faciliter quisque intelliget Papam multipliciter esse supra Concilium, videlicet causalitate prælationis, dignitate amplissimè auctoritatis, & extensione administrationis. Ex quo manifestè conuincitur error dicentium Concilium vniuersale maius simpliciter Roman. Pontif. auctoritate, & potestate iurisdictionis.

CAP. XLV.

In quo ponuntur aduersariorum obiectiones.

Contra iam dicta de auctoritate Roman. Pontif. & superioritate super vniuersalia Concilia aduersarij multa moliuntur, & inducunt, vt eis apparet, pro se plurima de auctoritatibus sacræ Scripturæ, & de vniuersalibus Concilijs, atque de dictis sanctorum Patrum sumpta, addentes insuper aliquas rationes, de quibus multis principaliora, & quæ eorum iudicio potiora, sunt colligemus, quæ sequuntur.

Primò enim arguunt ex illo Matth. 18. [Si peccauerit in te frater tuus, &c.] sequitur: [Dic Ecclesiæ] in quo loco Petrus, qui futurus ordinabitur Summus Pontifex, remitti videtur ad Ecclesiam in casu iudicij, sicut ad tribunal maius, & per consequens non dubium, quin Ecclesia vniuersalis Synodaliter congregata sit superior ipso Papa, cùm nullus remittatur in tali casu, nisi ad superiorem. Quòd autem Concilium vniuersale sit intelligendum per Ecclesiam, cui Christus dixit [Dic Ecclesiæ.] Probare nituntur ex tribus:

Primò per Gregor. qui in registro suo epistola 265. reprehendens Ioannem Constantinopolitanum, eo quòd vniuersalem se vocabat, dicit sic:

[Nos quidem, in quibus talis, tantaque

que per ausum temerarium culpa committitur, seruamus, quòd præcipit veritas, dicens: Si peccauerit in te frater, &c. sequitur. Ego itàque per responsales meos semel, & bis, verbis humilibus hoc, quòd in tota Ecclesia peccatur, corripere studui; per me scribo quicquid humiliter facere debui, non omisi, in mea correctione despiciar. Restat, vt Ecclesiam habeam adhibere.] Hæc Gregorius.

Vbi dicit aduersarius, quòd per ly Ecclesiam adhibendam, Gregor. intelligat Concilium vniuersale.

Item, idem probare secundò nituntur auctoritate Nicolai Papæ, qui in cap. præcipuè 9. quæst. 3. ità dicit Regi Lothario:

Cæterùm caue, ne quando nobis secundùm præceptum Domini duos, vel tres testes adhibeamus, immò verò hoc sanctæ Ecclesiæ dicamus; & quod non optamus, de cætero cunctis fiat ethnicus, & publicanus.] Hæc ibi.

Dicit aduersarius, quòd per ly sanctæ Ecclesiæ dicere, intelligat dicere Concilio vniuersali, tamquam tribunali maiori.

Tertiò, probare nituntur per Albertum Magnum, qui dicitur sic exposuisse auctoritatem illam, dic Ecclesiæ, idest Prælato, vel Synodo.

Secundò, principaliter arguunt ex illo Act. 8. vbi dicitur, quòd cùm audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quòd recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum, & Ioannem. Ex quo arguunt, quòd commissio importat superioritatem in mittente respectu missi, quòd Collegium Apostolorum, quod repræsentat Concilium vniuersale, esset maius, & superiùs auctoritate ipso Petro, & per consequens Concilium vniuersale ipso Romano Pontifice.

Tertiò, ex illo Act. 15. vbi cùm quæstio fieret super obseruatione legalium inter Apostolos, Petrus volens votum suum dicere, surrexit, vt ait textus: [Surgens Petrus, dixit ad eos.] Quòd videtur fecisse in signum reuerentiæ, reuerentia debetur superiori. Ergo videtur, quòd Collegium Apostolorum fuerit superius auctoritate Petro.

Quartò, ex Concilio octauo Constantinopolitano, in quo habetur sic:

Si Synodus vniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romana Ecclesia quæuis ambiguitas, & controuersia, oportet venerabiliter, & cum conuenienti reuerentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen sententiam audacter dare contra Summos Seniores Pontifices. Ex quo exaduerso arguitur, quòd Synodus vniuersalis, dùm tamen non audacter, sed cum conuenienti reuerentia, aduersùs Romanum Pontificem posset proferre sententiam, si fuerit incusatus, & per consequens, quòd Synodus vniuersalis superior sit auctoritate Papa.

Quintò, ex Concilio Constantien. vbi declaratum est, quòd Concilium vniuersale habeat à Deo immediatè potestatem, cui quilibet Fidelis cuiuscumque dignitatis sit, etiam Papalis, tenetur obedire.

Sextò, ex eodem Concilio vniuersali, Papa Martinus, approbante eodem Concilio, condemnans articulum illum, non esse de necessitate salutis; credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias. Dicit error, si per Romanam Ecclesiam intelligatur vniuersalis Ecclesia, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares. Ex quo arguitur ex aduerso, quòd Concilium legitimè congregatum sit super omnes Ecclesias, & earum Rectores, & ità supra Romanam, & eius Pontificem.

Septimò, ex verbis Hilarij Papæ, qui cùm quandam edidisset constitutionem, corrigens excessus quorumdam, sic ad congregatam Synodum dixisse fertur; vt habetur in capit. quòd quis 25. quæst. 9. quòd, vt deinceps possit illa tenaciùs custodire sancta Synodus sententiam, & propriam subscriptionem accommodet, vt Synodali iudicio aditus recludatur illicitus. Ex quo arguitur ex aduerso, Papam in Ecclesia reformatione Synodi congregate iudicium, vt supremum tribunal cognouisse, cum potentius Synodali iudicio, quàm suo aditum ad illicita posse claudi iudicauerit.

Octauò, ex verbis Symmachi Papæ, qui in Synodo præsidens cum de valitudine cuiusdam scripturæ, qua cautum erat, vt si Romanum Pontificem hoc ex seculo migrare contingeret, non sine Præfecti Vrbis consultatione cuiusquam noua celebraretur electio, quæstionem referret in medium, illam voluit in sancta Synodo perlegi, vt cuius esset vigoris possit agnosci, dicens, id agere ne ipsum, in posterum disputare contingeret cùm sacra posset Synodus iudicare, &c. vt in cap. benè distinct. 96. Ex quo exaduerso arguitur, quòd Romanus Pontifex profitetur sanctam Synodum iudicare posse super eo, quod abusum continet, & diminutionem Ecclesiasticæ libertatis.

Nonò, ex §. item Symachus 2. quæst. 7. vbi ità inquit Gratianus:

[Item Symmachus Papa in Romana Synodo dignitate sua spoliatus, priùs statui, pristinò restitui discernitur, & tunc venire ad causam, & si ità rectè videretur, accusantium propositionibus responderet, digna res visa est, maximo numero Sacerdotum, ac meretur effectum, sed cùm postmodùm ordinaretur, quomodò esset accusandus præfatus Papa, vt causam diceret, occurrebat, sed ab emulis est impeditus, &c.]

Ex his arguitur ex aduerso, lucidè haberi, quòd Romani Pontif. causam, si incusatus fuerit, si velut spoliatus restitutioni, siue recuperationi intendat, deferri debere supremo tribunali vniuersalis Concilij.

Decimò, ex cap. prouidentiæ distin. 99. vbi beatus Anacletus, & Papa Lucius etiam in cap. Vrbes distinct. 80. planè dicunt, non solùm Petrum, sed etiam omnes Apostolos, in quibus ipse includebatur tamquàm primus, distinxisse Prouincias, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos constituisse, quæ omnia signum sunt iurisdictionis eminentissimæ.]

Ex quo arguunt, quòd Petrus non fuerit maior Collegio Apostolorum, & per consequens nec Papa vniuersali Concilio.

Vnde-

Vndecimò sic: Eleutherius Papa dicit in capit. quamvis 3. quæst. 6. quòd à Cœtu Apostolorum, quem generalis Synodus repræsentat, definitum esse, nonnisi Romanum Pontificem definire Pontificum accusationes.

Item Iulius Papa dicit in cap. dudum 3. quæst. 6. à sanctis Apostolis, & sic ab eorum Cœtu statutum fuisse, non oportere absque sententia Romani Pontificis, Concilia celebrari. Quæ quidem, inquiunt aduersarij, euidentissimè demonstrant superioritatem congregatorum Apostolorum; & consequenter Concilij vniuersalis in Romanum Pontificem, cùm ex eorum decretis, & non è contra Petri potestas fuerit sublimata.

Planè, etsi definitionem causæ accusati Episcopi transtulerit Cœtus Apostolicus in Romanum Pontificem, non tamen illam à se abdicauit, & consequenter nec à Synodo generali, vt est clarissimus textus 4. quæst. 5. quisquis.

Duodecimò arguunt sic: Romanus Pontifex tenetur obedire statutis vniuersalis Concilij, & illa seruare, nec posse soluere, vt patet in cap. sicut, distin. 15. inquit Gregor. & etiam idem habetur cap. contra 25. quæst. 1. & per multa capit. ibidem. Ergo, &c.

Decimotertiò sic: sententia Romani Pontificis examinatur in Concilijs vniuersalibus. Ergo videtur, quòd vniuersale Concilium superius sit potestate, & auctoritate Romano Pontif. Consequentia videtur nota. Antecedens nituntur ostendere tribus exemplis:

Primò, de depositione Dioscori facta per Leonem Papam, quæ fuit examinata in Concilio Chalcedonensi.

Secundò, de depositione Pyri, & Sergij facta per Martinum Papam in Synodo Romana, quæ fuit examinata in Synodo Constantinopolitana.

Tertiò, de depositione Photij Constantinopolitani, quæ fuit per Nicolaum, & Hadrianum Romanos Pontifices, quæ post examinata fuit in octaua Synodo.

Decimoquartò sic: auctoritate beati Ambrosij in epistola 72. vbi ipse referens epistolam beati Damasi Papæ directam Iudicibus deputatis à Capuen. Synodo in causa Bonosi Episcopi, sic dicit, eum dixisse pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam suscitare voluistis; sed cùm huiusmodi fuerit Concilij Capuensis iudicium, vt finituri, Bonoso, ac eius accusatoribus Iudices tribuerent, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicen. de eius factis agnoscerent, aduertimus, quòd nobis iudicandi forma competere non posset. Nàm si integra esset hodie Synodus rectè de his, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est ergo, qui hoc recepistis, iudicium sententiam ferre de omnibus. Vicem enim Synodi accepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique cùm Bossus Episcopus post iudicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui eius sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam, interrumpere, ac ingredi responsum est ei, quòd nihil temerandum foret; sed omnia modestè, & patienter oportere ferenda, nec contra sententiam vestram tentandum aliquid, vt quod videretur nobis iustitiæ, conuenire statueretis, quibus hæc Synodus dederat auctoritatem. Et ideò primum est, vt hi iudicent, quibus iudicandi facultas est data. Vos enim totius, vt scripsimus, Synodi vice discerneris. Nos enim quasi de Synodi auctoritate iudicare non conuenit, &c.] Et infrà subiungit sic: [Vndè vestræ normam expectamus sententiæ.] Hæc ibi.

Ex hoc arguunt aduersarij, quòd Romanus Pontifex fatetur, quòd si Synodus integra fuisset, hoc est si alteri causam non delegasset, ipsum de causa potuisse cognoscere. Sed quia Synodus alij delegando præuenit, dicit se iudicandi onus non posse assumere, cùm illi Synodi vice decernant, sibi autem de Synodi auctoritate iudicare non conuenit, cùm tamen si ipse Synodo superior, foret aduocare posset causam per Synodum delegatam, de appellat. cap. vt nostrum.

Decimoquintò sic: ex auctoritate eiusdem Ambrosij, qui in quadam præfatione dedicationis Altaris maioris Ecclesiæ Mediolanen. inter alia, dicit sic:

[Per Christum Dominum nostrum, qui eminentiam potestatis acceptæ Ecclesiæ contulit, quam pro honore suscepto Reginam constituit, & Sponsam, cuius sublimitati vniuersa subiacet, &c.]

Ex quo arguitur sic ex aduerso: si igitur eminentiam potestatis acceptæ contulit Ecclesiæ vniuersa eius subijciens potestati, necessariò contulit, quòd in eamdem transtulit potestatem Summum Pontificem iudicandi in casu necessario.

Decimosextò sic: auctoritate beati Hieronymi, qui in cap. legimus distinct. 93. dicit sic:

[Si auctoritas quæritur Orbis, maior est Vrbe.]

Ex quo arguitur ex aduerso, quòd si auctoritas Orbis, maior est Vrbe Romanæ Ecclesiæ. Ergo Concilij vniuersalis potiùs, & maius est iudicium, in quo repræsentatio est Orbis.

Decimoseptimò, auctoritate eiusdem Hieronymi sic:

[Hieronymus loquens in quadam epistola ad Damasum Papam de supremo ordine Ecclesiæ, scilicèt Episcopali, sic ait: [De hoc officio ampliùs disputare non possum, quoniam quicquid in Clericis consecratum est, prædixi, Episcopum solùm habere, manifestum est. In illis partes, & membra virtutum, in Episcopo plenitudinem Diuinitatis corporaliter habitare; atque ità est, vt in Episcopis Deum, in Presbyteris Apostolos, qui & ipsi sunt recognoscas.] Et infrà: [Omnem enim potestatem Deus Discipulis dedit; & Moysen Dominum dici voluit Pharaonis.]

Ex hoc arguitur ex aduerso, quòd si Dominus Deus omnem potestatem dedit Discipulis suis, sequitur, quòd & potestatem supra Romanum Pontificem dedit Apostolis congregatis, quorum vices repræsentant Episcopi congregati in vniuersali Concilio. Consequentiam probare nituntur per hoc, quod

quòd Apostolus loquens de Christo ad Hebræos 2. super illud Psal. [Omnia subiecisti sub pedibus eius ;] dicit in eo, quod dicit, omnia subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.]

Decimooctauò sic : ex dictis beati Augustini in epistola quadam, quam scribit ad Glorium Eleusium, & Felicem Grammaticũ, qui aduersùs Donatum, & aliquos alios calumniatores sententiam, quam Melchiades Papa cum Episcopis quibusdam promulgauerat, in qua Cecilianum Episcopum in suo Episcopatu confirmauerat scribens, ità dicit :

Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicauerunt, non bonos Iudices fuisse. Restat adhùc plenarium vniuersalis Ecclesiæ Concilium, vbi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari, & si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.]

Ex hoc arguitur ex aduerso, quòd sententia data per Romanum Pontificem, si recta non fuerit, retractari posset per vniuersalem Synodum, tamquam per tribunal superius.

Decimononò sic : ex dicto Augustini, qui in cap. putò 2. qu. 7. ità dicit :

[Cùm Petrus à Paulo posteriore corrigititur, & pacis veritatis vinculo custodito ad martyrium promouetur, quantò faciliùs, & fortiùs, quod per vniuersæ Ecclesiæ statutum firmatum est, vel vnius Episcopi auctoritati, vel pro vnius Prouinciæ Concilio præferendum est.] Ex quo ex aduerso concluduntur duo :

Primum est, quòd Petrus, licèt esset Summus Pontifex, non rectè agens, à Paulo benè sentiente licitè argui potest.

Secundum est, quòd statutum vniuersalis Concilij statuto cuiuslibet Episcopi, etiam Romani præferendum sit.

Vigesimò sic, ex glossa in cap. Anastasius distinct. 19. vbi ponitur, quòd vbi de fide agitur, tunc Synodus maior est Papa.

Vigesimoprimò sic : Concilium vniuersale non potest errare in fide, vt videtur, Papa verò sic, vt in cap. si Papa dist. 40. Ergo Concilium vniuersale est superius Romano Pontifice.

Vigesimosecundò sic : ex gestis octauæ Synodi, vbi reperitur dixisse Zacharias Episcopus contrà sententias Nicolai Papæ, & Adriani Summorum Pontificum, & omniũ Patriarcharum Canon Princeps est; & secundùm illum agentes, nihil faciunt extrà illud, quod decet : cùm verò extrà hunc faciunt, siue Papa Nicolaus, siue alius quis, non acquiescimus. Ergo videtur, quòd si Canon sit Princeps Papæ, quòd per consequens Concilium.

Vigesimotertiò sic : Concilium vniuersale iudicat, & deponit Papam, ergo Concilium vniuersale est auctoritate superiùs Papa consequentia est manifesta, quia huiusmodi iudicium non est, nisi superioris, vt patet ex cap. inferior dist. 21. antecedens etiam patet, tum ex cap. præallegato, si Papa dist. 40. tum ex practica sæpe habita in Ecclesia.

Vigesimoquartò sic : si Concilium vniuersale non est maioris auctoritatis, quàm Papa, tunc frustrà fit celebratio vniuersalium Conciliorum, sed hoc non est dicendum, ergo idem, quod prius.

Vigesimoquintò, in cap. de quibus dist. 20. traditur ordo talis seruandus in solutione alicuius quæstionis, vt primùm recurrendum sit ad scripta veteris, vel noui testamenti, secundò ad canones Apostolorum, vel Conciliorum: tertio, ad decreta, & decretalia summorum Pontificum. Ex quo arguunt aduersarij, quòd Concilium vniuersale, cuius sunt canones, sit superioris auctoritatis, quam Romanus Pontifex, cuius sunt decretalia. Alia argumenta tangentur, cùm de appellatione, infrà erit sermo, & alia tacta sunt in secundo lib. circa cap. 97.

CAP. XLVI.

In quo respondetur obiectionibus præfatis.

HIs non obstantibus, quibus facilè est respondere, licèt sint multa numero, standum videtur firmiter in sententia priùs posita, videlicèt, quòd Papa Christi generalis Vicarius, & vices suas, & locum tenens in terris, non solùm quolibet prælato Ecclesiæ particulari est auctoritate maior, atque superior, sed etiam Concilio vniuersali ex omnibus alijs mundi prælatis congregato, vndè dicendum est ad singulas rationes.

Ad primam respondemus, sicut aliàs in secundo libro cap. 98. responsum est plenissimè, vbi in conclusione habitum est, quòd per ly Ecclesiam, ad quam sicut ad iudicem videtur quisque fidelis remitti, in auctoritate illa Matth. 17. dic Ecclesiæ, non est regularitèr accipienda vniuersalis Ecclesia, nec per Orbem dispersa, nec in vnum synodalitèr congregata, sed prælatus Ecclesiæ, iuxtà expositionem Chrisost. beati Augustini, & beati Thomæ, & quasi omnium Doctorum antiquorum. Ad illa autem testimonia inducta per aduersarios ad probandum, quòd præfatus tex. dic Ecclesiæ, sic intelligendus de Concilio vniuersali : respondemus, quòd falsum sit, quòd aliquis illorum Doctorum voluerit hoc intelligere, quod patet discurrendo per singulos. Non quidem beatus Gregorius, cum ait, restat vt Ecclesiam habeam adhibere, quoniam ibi Ecclesiam, non vniuersalem Ecclesiam, quæ collectio est omnium fidelium, nec synodum vniuersale vocat, sed disciplinam, aut censuram Ecclesiasticæ auctoritatis, quòd patet manifeste ex duobus. Primò, ex forma sermonis, ait enim, si in mea correctione despiciar, restat, vt Ecclesiam debeam adhibere, quod nihil aliud videtur sonare, quam si in mea correctione, quam sepe feci meis literis, & per nuncios meos despiciar restat, vt disciplinam Ecclesiasticam adhibeam, putà excommunicationis, vel suspensionis. Secundò, colligitur hoc idem ex gestis Beati Gregorij, circà illam causam, quoniam despectus Beatus Greg. in correctione sua à præfato Ioanne Patriarcha Constantinopolitano, non adhibuit vniuersale Concilium ad correctionem illius, sed disciplinam Ecclesiasticam, vndè mandauit responsalibus suis,

suis, quos ad Constantinopolim mittebat, ne communicaret cum eo in diuinis, vndè idem Gregorius scribens Imperatori Mauritio, de eódem dicit,eumdem fratrem,& consacerdotem meum studiosè admonere curaui vt si pacem omnium: concordiamque desiderat,à stulti;vocabuli appellatione compescat.

Item in epistola sequenti ad Eugenium Episcopum Alexandrinum, & Anastasium Episcopum Antiochenum, de Cyriaco Patriarcha, qui secutus fuerat Ioannem in vsurpatione nominis vniuersalis, dicit sic: meus verò dyaconus cum prædicto fratre nostro Cyriaco, missarum solemnia celebrare non debet, quia prophanum vocabulum culpa superbiæ, aut commisit, aut sequitur, ne si, quod absit,ei tali elatione posito procedit, vanitatem stulti nominis confirmare videamur, eumdem vero fratrem admonere studui, vt se à tali superstitione corrigat, quia si hanc non correxerit,pacem nullo modo nobiscum habebit.

Item in epistola alia ad eumdem Cyriacum patriarcham, ità scribit. Cum ea charitate, qua dignum est,studemus, vt prophanam elationem peruersi, superbique vocabuli scandalum de medio Ecclesiæ festinet auferre, ne à pacis nostræ societate diuisi inueniri possitis, hæc ille: Ecce quòd beatus Gregorius vocat Ecclesiam,quam adhibere, vel adire voluit, quia non nisi Ecclesiasticam censuram, quam ipse facere poterat.

Secundò, responderi potest, quòd dato, quòd beatus Gregorius perEcclesiam ibi.vniuersale Concilium intelligere voluisset,non sequitur propter hoc, quòd Concilium vniuersale sit superiùs auctoritate Romano Pontifice,cum vt ipse Gregorius scribens Imperatori Mauritio contrà præfatum Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum,dicat: Ecce claues Regni Cœlestis accepit Petrus, potestas ei ligandi, & soluendi tribuitur,cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur, vndè non est accipiendum, quòd adhibiturus erat Ecclesiam, tamquam tribunal maius, sed ad maiorem confusionem, & erubescentiam illius, quemadmodum inquit glos.Hieron.super illud Matth.18. dic Ecclesiæ, vt scilicèt maiorem erubescentiam patiatur, post hæc omnia sequitur excommunicatio, quæ ferri debet per os Ecclesiæ, idest per sacerdotem. Quod verò secundò inducitur ex cap.præcipue 60. quæst.3. etiam non facit pro aduersarijs, quia cum Nicolaus Papa dicit, quòd dicamus Ecclesiæ, nomine Ecclesiæ non intelligit vniuersale Concilium, sed seipsum designat, vt in iudicio præsidentem. Nam, vt S. Thomas,tam in 4.dist.19. quam in 2.2.quæst.34. pertractans intellectum præfatæ auctoritatis: Si peccauerit in te &c. dic Ecclesiæ, dicit: quòd Prælato in iudicio præsidenti,est dicere Ecclesiæ,& quod ità sit in præsenti loco,patet per glos. præfati cap. quæ ità habet, sic ergo in causa denunciationis idem potest esse Iudex,accusator, & testis extra de symon.cap.licèt. Quod vero tertiò inducitur ex Alberto Magno,non facit pro aduersarijs propter duo. Primò, quia falsum est, quòd ità Albertus Magnus dixerit, sicut allegatur, sed verba sua formalia sunt, quæ sequuntur: dic Ecclesiæ, idest prælato in conspectu, vel synodo, ità quòd,synodo,est ablatiui casus sicut ly conspectu. Secundò, quia dato, quòd diceret Albertus, sicut inductum est axaduerso, non sequitur propter hoc aliqua superioritas in synodo suprà Romanum Pontificem, vt manifestum est.

Ad secundam rationem principalem de actibus Apostolorum 8.ca.respondetur, quòd falsum est, quòd semper missio importet superioritatem in mittente respectu personæ missæ, vt plenissimè ostendimus in 2. lib. cap.14.ibi videatur.

Ad tertiam, quæ sumitur ex illo act.15. surgens,&c.dicendum, quòd parū valet, quoniam beatus Petrus non dicitur surrexisse ad loquendum propter reuerentiam exhibendam alijs Apostolis,tamquam maioribus, aut subiectionem ostendendam, cum Princeps esset Apostolorum,& caput Apostolici Chori, sed vt in tanta multitudine meliùs audiretur, vt Nicolaus de Lyra exponens illud act.11.exurgens Petrus dicit. Et simili modo respondetur ad aliam obiectionem aduersariorum, qua arguunt ex eo, quòd præsidentes Papæ leguntur quandòque,cum deberent loqui,surrexisse in Concilijs vniuersalibus, sicut in 6. Concilio in actione 1.

Ad quartam de synodo 7. respondetur, quòd auctoritas illa sano oculo bene visa, consideratis etiam, quæ præcedunt, non facit aliquod pro aduersarijs, sed magis contrà, quod sic patet, dicit enim synodus illa: quòd si aliqua ambiguitas orta fuerit de Ecclesia Romana,liceat venerabilitèr, & cum conuenienti reuerentia sciscitari, idest perscrutari de illa, & sic venerabilitèr perscrutando,solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere,non tamen audactèr sententiam dare, & quasi rationem assignans subiungit, contrà summos Senioris Romæ Pontifices, planè Romanus Pontif. non esset Summus, si contrà eum ex superioritate,quis posset sententiam dare, consequentia verò, quam aduersarij faciunt dicendo, quòd synodus, & si non audacter, tamen reuerentèr posset ferre sententiam contrà Romanum Pontificem,est nulla, quia in hoc vacat argumentum à contrario sensu, quia non esset reuerentia, sed irreuentia, & confusio, & temeraria præsumptio,contrà Summum Pontificem inferiores Pontifices ferre sententiam. similia notat Archidyac. in cap.non decet dist.12.super illo verbo præceptis Apostolicis non dura superbia resistatur,ità dicens: vacat hìc argumentum à contrario sensu, quia non esset humilitas, sed indiscretio, si ei resistatur.

Ad quintam, quæ sumitur ex declaratione facta Constantiæ per patres aliquos obedientiæ Ioann.23. sic in sua obedientia nominati,sufficientèr respondimus suprà lib. 2. cap.94. ibi vide.

Ad sextam, quæ sumitur ex bulla Domini Martini,respondetur, negando consequentiam, quoniam ex hoc, quòd synodus vniuersalis dicatur suprema inter alias Ecclesias, nullo modo sequitur,quòd auctoritatis superioritate sit super caput suum, quod est Romanus Pontifex maximè cum tota auctoritas ipsorum Conciliorum, & nomen, & digni-

dignitas ab Apostolica Sede, in qua Dominus totius Ecclesiæ posuit principatum, censeatur dependere, vt dist. 17. per totum.

Ad septimam, quæ sumitur ex cap. quisquis 35. quæst. 9. respondetur, quòd aduersarij in duobus peccant. Primò, quia malè allegant auctoritatem. Secundò, quia ex illa malè concludunt, primum patet: tex. enim ille non habet, sicut inductus est, sed sic: dicit enim Hilarius Papa, quod scilicèt, constitutum per eum, vt deinceps possit tenacius custodiri, si placet, omnes vos sententias, & subscriptiones proprias accommodate &c. secundùm patet, scilicèt, quòd ex illo tex. malè arguatur ex aduersò, quoniam Papa Hilarius non requirebat sententias, & subscriptiones patrum illius synodi, tamquam superioris tribunalis, aut maioris potestatis, sed quia omnium eorum interueniente consensu, & approbatione, tenaciùs, vt habet tex. sententia sua, ac institutio custodiretur, superiùs enim diximus, quòd consensus, & approbatio synodi multum operatur, tàm ad faciliorem obedientiam statutorum Romani Pontificis, quàm ad firmiorem custodiam eorum. Præterea si aduersarius considerasset plenè text. illum, magis inuenisset eum contrà se, quàm pro se. Tum ex eo, quia Papa in illo Concilio dicitur præsidere: secundò, ex hoc, quòd ipse solus regulam dabat in reformatione Ecclesiæ, & synodus assentiendo concurebat.

Ad octauam, quæ sumitur ex cap. benè dist. 96. respondetur, quòd in nullo fauet aduersarijs, sed maximè confirmat propositum, quoniam in isto loco non petit Papa, vt synodus sententiet auctoritatiuè, tamquam superior, iudex, quid agendum sit de illa scriptura, sed tantùm, vt consulat, siue dicat, quid appareat suo discretionis iudicio, vtrum aliquid roboris habeat illa scriptura, vel non? vndè omnes illi Episcopi, qui responderunt, quòd nullius esset roboris, assignauerunt hanc rationem, quia Apostolicæ Sedis, quæ statutis synodalibus consueuit tribuere firmitatem, non erat auctoritate roborata. Præterea, hoc idem fit manifestũ ex verbis ipsius synodi, quæ locuta est post præfatos Episcopos, sic dicens, licèt secundùm prosecutionem venerabilium fratrum nostrorum Laurentij, Petri, &c. nec apud nos habetur incertum, hanc ipsam scripturam nullius esse momenti, verumtamen, & si aliqua possit ratione subsistere, omnibus modis in synodali conspectu prouida beatitudinis tuæ sententia eneruari conueniebat, & irritum deduci, &c. Ecce, quòd synodus cognoscens principatum auctoritatis esse apud Romanum Pontificem, profitetur ad ipsam spectare in Synodo sententiam diffinitiuam dare, quid agendum esset circa præfatam scripturam, vel declarando nullius esse roboris, vel cassando, siuè irritando illam, & non ad synodum.

Ad nonam, quæ sumitur ex §. item Symachus, respondetur, quòd non fauet in aliquo aduersarijs, tum primò, quia synodus illa auctoritate ipsius Symachi Papæ præcedebat, tum secundo, quia dato, quòd in casu aliquo, vt putà, quòd Papa incusaretur de hæresi, aut spoliatus, & restituendus veniat, vel non: Concilium esset Iudex competens: iuxtà notata per Doctores in cap. si Papa dist. 40. non propter hoc sequitur, quòd concilium suprà Papam verum indubitatum esset superioritate auctoritatis.

Ad decimam, quæ sumitur ex cap. prouidentiæ, &c. respondetur, quòd nihil facit ac propositum aduersariorum propter multa. Primò; quia Apostoli simul congregati Synodalitèr non leguntur distinxisse aliquas prouincias, aut constituisse aliquos Patriarchas, siuè Primates, siuè Archiepiscopos, &c. secundò, quia, & si Apostoli dispersi per mundum prædicando, & conuertendo populos ad fidem Christi erexerint aliquas Ecclesias, & constituerint aliquos Prælatos hoc fecerunt auctoritate beati Petri, qui Princeps eorum erat, & quia, quod per Ecclesiæ Romanę auctoritatem factum est, ipsa Ecclesia Romana dicitur fecisse; dicit enim Nicolaus Papa in cap. omnes dist. 22. omnes, siuè patriarchæ cuiuslibet apicem, siuè metropoleon Primatus, ac Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum, siuè cuiuscumque ordinis dignitatem, instituit Romana Ecclesia, illam verò ipse solus fundauit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro eternæ vitæ clauigero terreni simul, & cœlestis Imperij iura commisit.

Ad vndecimam, quæ sumitur ex capit. quamuis & cap. dudùm 3. quæ. 6. respondetur

Primò, quod falsum dicunt aduersarij, videlicèt, quòd cætus Apostolorum, quasi synodaliter congregatus talia diffinierit nec hoc dicunt capitula inducta.

Secundò respondetur, quod, dato quòd ita esset, quod aduersarius dicit videlicet, quòd à cætu Apostolorum, quasi synodaliter congregatorum, fuerit diffinitum, non nisi Romanum Pontificem debere diffinire accusationes Episcoporum, & congregare vniuersalia concilia, non sequitur ex hoc, quòd aliqua superioritas sit in Concilio suprà Papam, aut fuerit in Concilio Apostolorum suprà Petrum, tum primò, quia talis diffinitio non contulit Petro aliquam sublimitatem, sicut falsè & erroneè intelligit aduersarius sed benè declarauit id, quod ratione primatus Petro debebatur, tum secundò, quia falsum est, quòd subiungit aduersarius, quòd cætus Apostolorum transtulerit in Petrum auctoritatem, tam de congregandis Concilijs vniuersalibus, quàm de determinatione causarum Episcoporum, quoniam nihil auctoritatis Rom. Pont. ab Apostolis alijs suscepit, sed potiùs ipsi ab eo, vt superiùs lib. 2. c. 54. multipliciter ostendimus, & habetur in cap. ità dominus dist. 19. & in capit. loquitur 24. quæst. 1. quod verò aduersarij inducunt de cap. quisquis, vbi videtur, quòd olim primas, vel Concilium deponebat Episcopum, parum valet, quia hoc fuit de licentia Papæ vt dicit glos. in cap. accusat. 3. q. 6.

Ad duodecimam in qua dicitur, quòd Papa teneatur obedire &c. respondetur, quòd dupliciter potest intelligi Papam teneri obedire statutis Concilij vniuersalis, vno modo quia statuta sunt Concilij vniuersalis: & sic dicimus, quòd falsum est, quòd Papa teneatur necessariò obedire statutis cuiuscunque Concilij, quoniam taliter teneri obedire statutis alteriùs designat inferioritatem in eo, qui obe-

obedire tenetur: cum autem Papa sit super omnia Concilia, vt probatum est hoc modo, nullo modo dicendum est teneri de necessitate obedire cuicunque, nisi Deo, qui solus est eo superior, sicut de hoc nos infrà pleniùs loquimur. Alio modo potest intelligi teneri obedire statutis Concilij, non quia sunt statuta Concilij, sed quia sunt de tali materia, putà fidei, aut sunt spectantia ad ius diuinum, sicut potissimè sunt statuta, siue diffinita pro maiori parte quatuor Conciliorum vniuersalium, de quibus Greg. loquitur in cap: sicut dist. 15. cap, contra 25. qu. 1. & alia similia, & hoc modo obedire tenetur statutis Conciliorum, approbatis tamen per Sedem Apostolicam ratione materiæ, de qua loquuntur, non arguit superioritatem in Concilijs suprà Papam, sicut nec in prædecessore si similia statuat, quæ concernunt fidem, aut ius diuinum, sicut Greg. in cap, si ea. 25. qu. 1. dicit. Si ea destruerem, qui antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed euersor esse comprobarer. & hoc est, quia talia sic diffinita in Concilijs vniuersalibus, non habent robur à Concilijs, sed à iure diuino, cui subijcitur Papa, vnde etiam glos. super cap. sicut dist. 15. dicit sic: videtur ergo, quòd Papa non posset destruere statuta Concilij, sed intellige, quòd hìc dicitur contra articulos fidei. Item Dominus Archi. in rosario ad idem respondens dicit sic, fateor in his, quæ ad fidem pertinent: & generalem statum Ecclesiæ; in alijs potest contrà statuta Conciliorum venire.

Ad tredecimam. quæ sumitur de examinatione sententiarum Papæ, respondetur, negando assumptum, dicimus enim, quòd falsum est, quod vnquam sententia Romani Pontifici habita sit, tanquam suspecta de veritate, aut iustitia in aliquo Concilio vniuersali, & indè venisse in eo examinanda: vnde Agatho Papa scribens Imperatoribus ad sextam synodum de legatis, quos mittebat, ita inquit, qui suggestionem, in qua Apostolicæ nostræ fidei confessionem prælibamus, offerre debeant, non tamen tanquam de incertis contendere, sed vt certa, atque immutabilia compendiosa diffinitione proferre simpliciter. Ea verò quæ inducta sunt ex aduerso ad probandum antecedens, nullius sunt roboris, si gesta præfatorum Conciliorum rectè ponderentur. Sententiæ quidem Romanorum Pontificum contrà præfatos hæreticos non sunt refutatæ; aut lectæ in synodis, vt examinarentur per synodum, sed prout ex gestis præfatorum Conciliorum colligitur, hoc factum esse videtur duplici ratione.

Primò, vt omnibus præsentibus existentibus in Concilio notitia fieret sententiarum, quæ datæ erant à Romano Pontifice, vnde in sexta synodo Georgius Archiepiscopus Constantinopolitanus, & quæ subest synodus, dixerunt ad Imperatorem, petimus vestram tranquillitatem, suggestiones directas ad à Deo instructam vestram fortitudinem, tam ab Agathone sanctissimo Papa Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ, quàm ab eius synodo relegantur, vt auditum capiamus, quatenus & nos cognitionem accipiamus totius virtutis, quæ in ipsis continentur, hæc ille. Item in octaua synodo in 5. actione habetur, quòd cum Focius ductus in præsentia synodi interrogatus à synodo ipsa, an Apostolicæ Cathedræ iudicia tam de se, quam de Ignatio Patriarcha, promulgata amplecteretur, & ille taceret, Vicarij senioris Romæ dixerunt, ecce homo, qui obturat aures, sicut aspis surda, & non audit vocem quam ei sancta Synodus obijcit; sed vult per hoc silentium effugere condemnationem, quam sancta Romana Ecclesia ante multos annos promulgauit aduersùs eum, veruntamen legantur epistolæ, quæ de eo missæ sunt a sancta Romana Ecclesia, placet ergo omnibus vt legantur, sancta synodus dixit: placet. Ecce quòd ad petitionem vicariorum Papæ lectæ sunt episcopalæ istæ & hoc vt venirent in notitiam omnium, & non, vt examinarentur, an iustę, vel canonicæ essent licèt autem post complectionem primæ epistolæ, legantur Vicarij Papæ dixisse ad synodū ad hoc quòd dicit sancta synodus est canonica expositione plena epist. hæc, an non, & responderit sancta synodus, canonicam legem complet, & synodicam pręceptionem, & legislationem, nihilominus ista non sunt facta aut dicta per viam examinationis, quoniam in actione quarta eiusdem synodi omnes epistolæ ipse lectæ, fuerunt iam acceptatæ, & commendatæ, nec interrogatio ista vicariorum Papę fuit interrogatio dubitationis, ita quòd dubitarent de veritate epistolarum Apostolicarum, sed facta est, vt calumniam tollerent aduersariorum, sicut fuit, quæstio illa Ioannis Matth. 11. Tu quis es an alium expectamus. Item quæstio Christi cum de Lazaro quærit, vbi posuistis eum; non quia ignorat, sed, vt illi, qui ostenderent sepulchrum non possent negare nec calumniari. Ità hìc interrogant, vt ex responsione danda per synodum pleniùs auferretur calumnia hæreticorum.

Secundò quia condescensum est, vt coram synodo ipsi iudicati, siue condemnati audirentur, si quid vellent contrà iudicata obijcere, tam vt obturarentur ora obloquentium maximè, quia conquærebantur licèt falsæ, non audiuisse depositionem suam, vndè dicebant audiamus depositionem nostram damnemur nobis audientibus, quàm vt iustitia Romani Pontifici illusrior fieret, quod patet ex his, quæ habentur in actione quarta octauæ synodi, vbi sic legitur, post hæc magnificentissimi, & gloriosissimi Principes pet Babanim &c. suprà est in cap. 25. ad longum. Cæterum hoc manifestum fit ex actione quarta vbi Babanis magnificentissimus patritius diceret, quòd Fotius, & complices sui ignorarent iudicium factum per Papam contra eos, & ideò deberet coram ipsis sententia condemnationis recitari; dicunt sic Vicarij Nicolai Papæ, nobis non licet rescindere iudicium sacrorum Romanorum Pontificum, hoc enim contrarium est canonicis institutis, quoniam præsentes illic per proprios missos, & Romæ demorantes, contra se sententiam: & prolatam damnationem in Focium: & in manus impositionem, eius, & audierunt, & liquido didicerunt, veruntamen, vt manifestiorem eis iustam iudicationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ faciamus ingrediantur, & audiant: legi synodicas diffini-

finitiones, & iudicia beatissimi Nicolai Papæ, & certificentur magis, ac magis, magnificentissimi, & gloriosissimi dixerunt hoc probum, & bonum est, hæc ibi.

Ex quibus verbis manifestè patet; quòd talis replicatio sententiæ Romani Pontificis rationibus assignatis facta in synodo ad insinuationem præfatorum principum, nullam in synodo superioritatem suprà Romanum Pontificem arguit.

Ad decimamquartam, quæ sumitur ex epistola Beati Ambrosij, respondetur, quòd nihil est in illa epistr. beati Ambrosij, quod in veritate faueat aduersarijs, quod ex multis colligitur: Tum primò, quia cum illud Concilium Capuense fuerit prouinciale, & non vniuersale, si ratio procederet, non modò vniuersale, sed etiam prouinciale argueretur esse suprà Papam, quod esset error peior priore. Secundo quòd dato, quòd esset vniuersale Concilium: epistola in omnibus illis partibus, ex quibus argumenta sumunt aduersarij, habet aliam intelligentiam, quam aduersarius pretendit. Nam cum ait Dam. Papa. nobis iudicandi forma competere non posset, non est sensus, quòd ipse Papa non haberet facultatem iudicandi, sed dicit, quòd forma iudicandi scilicèt per modum delegationis a Concilio, non poterat sibi cōpetere, cum scilicèt esset superior. Et hoc est quod infrà subiungit. Nos enim quasi de Synodi auctoritate iudicare non conuenit, qui, scilicèt Christi legatione fungimur, non Concilij vestri. Cum verò consquenter ait, nam si integra esset hodie synodus, rectè de his, quæ compræhendit vestrorum scriptorum series, discerneremus, non est sensus ille, quem dat aduersarius dicens, quòd Papa confiteatur, quòd si Synodus non delegasset, Papa potuisset de causa cognoscere, sed quia Synodus delegando preuenit, dicit se iudicandi onus suscipere non posse, ista sunt verba conficta, nec talia in præfata litera continentur, sed verus sensus est: Damasus Papa dicit, quòd si Synodus integra esset, conuenienter de causa illa iudicasset, assumendo ad se iudicium, sed quia integra non erat, quia iam dissoluta, & iudicium ex parte synodi erat commissum illis iudicibus, quibus scribebat, dicit, cùm ad ipsum non pertineat talis forma iudicandi, scilicèt per delegationē a Cōcilio, quòd ipsi, quibus causa erat delegata, primò iudicent, & ipse expectabit normā sententiæ eorum, & tunc poterit ipse iudicare, eorum iudicium approbando, aut dissoluendo: vndè nulli dubium est, quòd ex hoc, quòd Papa noluit assumere ad se causas delegatas per synodum, sed voluit, quòd iudices deputati primò iudicarent, non arguitur: quòd Synodus sit supra Papam, sed benè verum est, quòd arguitur in Papa honestas, cum voluerit, quòd delegatio causæ facta per Synodum haberet locum

Ad decimamquintam, quę sumitur ex auctoritate beati Ambr. respondetur, quòd auctoritas illa in nullo fauet aduersarijs: dicimus enim quòd verum inquit Ambr., quòd Christus dedit eminentiam potestatis Ecclesiæ, ei cuncta subijciens, sed non ad intellectum aduersariorum, scilicèt quòd Ecclesiæ vniuersali in omnibus eius membris coniunctim data sit talis excellentia potestatis, quia vt inquit, Ambr. libro de pænitentia, & habetur de pænit. di. 1. §. certum est. In solis Presbyteris Ecclesia claues accepit. ergo excellentia potestatis Ecclesiæ in est prælatis, & præcipuè in prælatorum Prælato Christi generali Vicario, qui solus vocatus est in plenitudinem potestatis, & cui, vt inquit, Cyrillus, omnes iure diuino caput inclinant.

Ad decimamsextam, quæ sumitur ex cap, legimus dist. 93. respondetur, quòd nihil facit ad propositum propter duo.

Primò, quia ibi Hieron. non loquitur de auctoritate iurisdictionis orbis respectu Ecclesiæ Romanæ, siue Apostolicæ Sedis, sed loquitur de auctoritate cōsnetudinis quæ tantò maioris auctoritatis esse dicitur, quanto generalior & est a pluribus approbatur, vt colligitur ex cap. nouit di. 12. quemadmodum de canonicis scripturis dicit Aug. & habetur in cap. in canonicis di. 19. secundùm quam regulam non dubium est, quin consuetudo orbis maior sit consuetudine vrbis, quam Apostolica Sedes in omnibus obseruare non iubet. Quòd hoc modo loquitur Hieron. patet ex intentione Hieron. loquentis, loquitur enim contra consuetudinem, quæ in vrbe regnabat; vt quidam Dyaconi præferrentur presbyteris, ex qua consuetudine alij Dyaconi per orbem volebant præcedere suos presbyteros, cum tamen contrariā consuetudo esset per orbem; de qua consuetudine itá in tex. loquitur: quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem, quid paucitatem de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vendicas? omne, quod rarum est, plus appetitur; pulegium apud indos pipere pretiosius est, Dyaconos paucitas honorabiles facit, presbyteros verò turba contemptibiles facit hæc ille.

Hoc etiam, quòd tex. ille de consuetune loquatur, patet ex glos. quæ sic ibidem ait super verbo maior: maior est, & ideò magis est sequenda consuetudo generalis, vt hic. Tum secundò auctoritas præfata Hier. non militat pro aduersarijs, quia Romanus Pontifex non solùm vrbis, sed orbis est Episcopus, cum caput, & princeps sit vniuersalis Ecclesiæ, vnde ipse Hieron. de obitu, siue ortu sanctorum patrum, de beato Petro loquens, itá ait, Petrus in Christo, Ecclesiæ fundamentum, Cephas Corporis, Christi principatus, & caput est, Apostolorum Princeps, pastor humani generis, petra Ecclesiæ, clauicularius regni.

Ad decimamseptimam, quæ sumitur ex quadam epistola eiusdem Hieron. respondetur, quod in nullo fauet aduersarijs, quod enim dicit Hieronymus, quòd Deus omnem potestatem suam dedit discipulis, sanè est intelligendum, quia non est intelligendū sic, nec intellexit beatus Hierony. de omni potestate Diuina absolutè; quia nec potestatem auctoritatis, quę est solius Dei, nec potestatem excellentię, quę est propria Christo, dedit Discipulis, sed tantùm ministeriale, vt dicit Augustinus: [Nec istam ministerialem dedit Discipulis suis sine ordine; quia omnia quæ sunt à Deo, ordinata sunt. Ad Rom. 13.] Dicitur ergo Christus dedisse omnem potestatem Discipulis; quia omnes fecit participes illius potestatis, non tamen sic, vt quilibet

bet eorum vocaretur in plenitudine potestatis, sed vnus tantùm, scilicet Petrus, quem caput, & Principem omnibus præfecit, sicut ipse Hieronym. ait, vt patet in responsione præcedentis rationis. Et ità patet, quòd licèt alij Prælati, qui succedunt Apostolis, participes sint potestatis clauium; Romanus tamen Pont. qui succedit Petro, præ omnibus accepit, & per consequens omnibus illis, siue dispersis, siue congregatis, maior, & superior est.

Ad decimam octauam, quæ sumitur ex epistola Augustini, respondetur, quòd in nullo fauet aduersarijs, licèt apud eos repræsentetur Achilles, patet; quia non est intentio beati Augustini dicere in epistola illa, quòd Concilium vniuersale sit superius Papa auctoritate potestatis, quod patet, quia in epistola ipsa, sicut & in lib. de vnico Baptismo profitetur, quòd in Romana Ecclesia Apostolicę Cathedrę viguit Principatus, quod verum non esset, si superius tribunal, aut superior Cathedra, quàm sit Romani Pontificis, alia daretur; quod ergo dicit beatus August. [Restabat ergo adhuc plenarium vniuersalis Ecclesiæ Concilium;] non dicit ratione superioritatis Principatus, aut potestatis, quę maior sit in Concilio plenario, quàm in Apostolica Sede, cùm vt dictum est, auctoritas Conciliorum à Romano Pontifice pendeat, sed hoc dixit ratione amplioris, & maioris examinis, quale sperabatur in plenario Concilio Patrum totius Ecclesię. Quòd verò ista sit intelligentia beati Augustini, patet ex verbis ipsis epistolæ, & ex alijs, quæ de ista materia commemorat in lib. de vnico Baptimo; dicit autem sic in præfata epistola: [Sed iam tamen quasi haberent, quòd dicerent, malos Iudices esse perpessos, quæ vox est omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam manifestissima veritate superati, quasi non adhuc eis dici posset, & iustissimè dici. Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos Iudices fuisse, restabat adhuc plenarium vniuersæ Ecclesiæ Concilium, vbi etiam cum ipsis Iudicibus causa possit agitari.] Hæc ibi. Et hoc dicebat Augustinus, maximè, quia, vt in libro de vnico Baptismo idem dicit, maiores accusatorum Episcopi Ceciliani, qui innocens fuerat à Papa iudicatus, querebantur Imperatori, quòd non plenè fuerit illud iudicium Romæ examinatum, atque deprom ptum; quam ob causam dicebat Augustinus, quòd præfati Episcopi accusatores Ceciliani, qui dicebant: [Licèt falsè iudicium factum Romæ minùs plenè fuisse examinatum, antequàm schisma facerent, separantes se ab Apostolica Sede, debuissent expectasse iudicium vniuersalis plenarij Concilij, vbi cum ipso Papa discussio plenior fieret, & consultatio. Quod verò consequenter dicit Augustinus, quòd si malè iudicasse conuicti fuissent, eorum sententiæ soluerentur; non ità accipiendum est, quòd auctoritate Concilij plenarij, tamquam superioris Iudicis potestate, sententiæ illæ soluerentur, cùm vt superiùs diximus, ipse Augustinus dicat, quòd in Ecclesia Romana semper Apostolicæ Sedis viguit Principatus, sed est intelligendum, quòd hoc fieret auctoritate ipsius Romani Pontificis, meliùs consulti, & informati, cuius auctoritate prę fatum Concilium veniret congregandum, ità quòd ipse Papa meliùs informatus, & consultus per vniuersale Concilium, si ita esset, quòd priùs malè iudicatum fuisset, prę fatum Vincentium Innocentem declarando, sententiam suam solueret, vel sententiam aliorum ab eo comprobatam reuocaret, quod non modò mediante Concilio, sed solus hoc posset facere, iuxtà cap. Sententiam 35. quęst. 9. vndè simile huius legimus factum in §. Hinc etiam, dist. 17. in accusatione Papæ Symachi, vbi auctoritate eiusdem, & Synodus congregatur, & sententiatur in causa. Præterea, simile habetur de beato Gregorio, qui vt habetur in cap. Si quis, 2. q. 7. dicit sic: [Si quis super his nos arguere voluerit, vel extrà auctoritatem nos facere contendat, veniat ad Apostolicam Sedem, & ibi ante confessionem beati Petri mecum iustè decertet, quatenùs ibi vnus ex nobis sententiam suscipiat suam. Clarum est autem, quòd sententia per Apostolicam Sedem, siue contra Papam, siue pro eo, non nisi auctoritate Papæ in ea sedentis, à quo eius thronus auctoritatem suscipit, ferenda veniret, aut per alterum, cui ipse committeret, & ità in proposito. Et ita patet, quòd præfata epistola Augustini benè intellecta in nullo fauet aduersarijs, licèt in ea plurimum fundent se aduersarij, sine tamen ratione, iudicio nostro.]

Ad decimam nonam, quæ sumitur ex cap. Puto, 2. quæst. 7. respondetur, quòd in nulla parte facit pro aduersarijs, non equidem in parte prima, licèt Paulus benè sentiens, Petrum non benè sentientem potuerit publicè reprehendere, non propter hoc sequitur, quòd fuerit superior illo officio Ecclesiasticæ dignitatis, vt patet ex cap. Paulus è causa, quæst. Non etiam in secunda parte, quia textus ille non est extendendus ad Episcopum Romanum, qui & Caput, & Princeps, & Iudex est totius Ecclesiæ, & à quo Conciliorum Statuta robur accipiunt, vt sæpenumerò repetitum est.

Ad vigesimam, quæ sumitur ex glos. c. Anastasius, dist. 19. respondetur, quòd glos. intelligitur, quòd vbi de fide agitur, conuentus Synodalis patrum Ecclesię est maior, non maioritate potestatis, sed maioritate iudicij discretionis, superior, ac maior ipso Papa, siue maioritate approbationis, secundùm quòd qui maiore ratione vtitur, maioris auctoritatis eius verba esse videntur, vt c. 1. dist. 20. & secundùm quòd pars, quæ iustiori ratione vtitur, maior esse dicitur, licèt sit minor alio respectu, vt habetur glos. in cap. Multi, dist. 40. maior autem discretio, & iudicium verisimiliter regulariùs arguitur esse in omnibus Presbyteribus vnius Synodi generalis, quàm apud vnum solum hominem, etiam si sit Papa, propter hoc, cùm casus est valdè dubius, & habet fortes pro vtraque parte defensores, recurrendum est ad Synodum, quoniam vt ait Dominus Archidiaconus in hoc loco, nimis periculosum esset fidem nostram committere arbitrio vnius hominis. Secundò posset responderi, quòd glosæ Decreti, propter conditionem, quam implicare videntur, parùm militant; vndè glos. super cap. Quodcumque, 24. quæst. 1. dicit

dicit sic art. quòd sententia totius Ecclesiæ præferenda est Romanæ, si in aliquo sibi contradicant art. dist. 93. legimus: sed contrariū credo art. infrà eod. hæc est fides, nisi erraret Romana Ecclesia, quod non credo posse fieri, quia Deus non permitteret art. infrà cap. A recta, &c. pudenda. Hęc glos.

Ad vigesimam primam, quæ sumitur ex non posse peccare, respondetur dupliciter, negando primò vniuersaliter antecedens, quoniam videtur falsum; sic patet de Ariminensi Concilio, & de Ephesino secundo, & de multis alijs, de quibus infrà habebitur sermo; de Apostolica tamen Sede hoc certissimum esse, quòd in ea Religio Christiana semper immaculata permansit, vt superiùs ostendimus in secundo libro, & habetur in cap. In Sede 24. quæst. 1. Secundò respondetur, negando consequentiam, dato etiam quòd antecedens esset verum, consequentia non valet, rationem aliàs assignauimus, videlicèt quoniam istæ gratiæ sunt diuersi ordinis, & rationis, scilicèt non posse errare in fide, aut in moribus, & gratia prælationis, aut potestas iurisdictionis, siue clauium, quæ ita distinctæ sunt, vt vna non arguat aliam, sicut manifestum est, aliàs vnus vir laicus, aut fæmina in gratia confirmatus, maioris esset auctoritatis Romano Pontifice in gratia non confirmato, quod non modò est erroneum, vt in secundo libro ostendimus, verùm etiam absurdum audire.

Ad vigesimam secundam, de gestis in octaua Synodo, respondetur, quòd nihil valet ad propositum aduersariorum, quia dictum illud, sicut patet ex eiusdem Synodi gestis, fuit dictum Zachariæ pertinacissimi defensoris Phocij hæretici, à quo ille Zacharias erat ordinatus Episcopus, & etiam cum eo condemnatus; vndè verba illa tamquam vnius fatui hęretici non sunt in auctoritatem adducenda; vndè Imperator dicto Zacharię, & complicibus eius respondens, vt habetur in gestis, dixit sic: [Vsque in præsens in peccato vestro estis, & in sepulchro nequitiæ vestræ iacetis mortui? vndè omnes summi Pastores Patriarchæ concorditer vos condemnant,]. & infrà [Omnes nouimus, quia laici estis, & non adduximus vos latrare, & sine ordine facere verbá; omnia enim vestra, mendacia sunt.] Hæc ibi. Et infrà in actione sexta contrà eumdem Zachariam Metaphanes Metropolita Smyrnę respōdendo, ait: [Quòd falsum dixerat, dicendo, aliquem iustificatum per Sedem Apostolicam, damnatum per Ecclesiam, nec damnatum per ipsam Sedem, iustificatum per Ecclesiam, & respondit ad singula exempla, quæ Zacharias adduxerat, vbi quia præfatos hæreticos Zacharias in fauorem errorum suorum induxerat, inter alia exempla, quòd Apiarium iustificatum à Romanis Præsulibus, Aphricana Synodus non iustificauerit, sed repulerit, respondit præfatus Metropolita, post multa circa illam historiam, sic inuenitur; ergo Aphricana Synodus paruisse potiùs iudicio Zosimi Papę Romani, atque per hoc propriam reprobasse sententiam, & iustificasse Apiarium, non, vt fassus es, restitisse voto Romanorum Pontificum.] Hæc ille.

Ad vigesimam tertiam, quæ sumitur ex eo, quòd Concilium quandoque iudicat Papam; respondetur, non militat illa ratio pro aduersarijs, quod patet ex tribus. Primò, quia falsum est, quòd Concilium vniuersale iure deponat, aut deponere possit Romanum Pontificem, nisi in casu hæresis, quidquid aliquando de facto factum esse legatur, sicut diximus in secundo libro circà cap. 103. In casu verò hæresis est speciale, vt patet ex cap. allegato, Si Papa, dist. 40. quia Papa hæreticus subiectus veniret Concilio, sicut & quilibet alius fidelis à fide deuius; cùm enim per hæresim à Papatu cadat, factus est, vt ait S. Thom. in 4. dist. 19. omni fideli minor, & idem habet glos. in c. Achatius 24. quæst. 1. vbi sic dicit: [Hic est casus in quo Papa Papam potest ligare, in quo Papa canonem latæ sententiæ incidit, nec obuiat regula illa, quia par parem soluere, vel ligare non potest, quia si Papa hæreticus est, in eo quòd hæreticus, minor est quolibet Catholico, & ad istum casum facit, cap. inductum ex aduerso, Si Papa, vt patet legenti illud, dicit enim sic: [Si Papa suæ, & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis, & remissus in operibus suis, & insuper à à bono taciturnus, quod magis officit sibi de omnibus, &c.] Huiusmodi culpas istìc redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi depræhendatur à fide deuius.] Hæc ibi. Et intelligitur, vt dicit glos. ineuitabiliter, quòd Capitulum, cùm loquatur de Papa iam per hæresim notoriam, & contumaciter defensam, in quo casu ipso iure Pontificatu sit priuatus, quia remota fide, per quam fit prima connexio hominis ad corpus Christi mysticum, membrum Ecclesiæ esse desinit, & per consequens Caput, manifestè demonstratur, & ex hoc nulla superioritas potestatis arguitur in Concilio vniuersali super Papam Catholicum, & indubitatum. Secundò, hoc ostenditur ex eo, quòd licèt iuxtà glos. in cap. Achatius, quæ inducta est parùm antè, in casu hæresis Papa Papam ligare possit, non propter hoc sequitur, quòd Papa sit potestate superior prædecessore suo, aut successore suo Catholico existente. Tertiò, idem ostenditur, quòd ratio illa aduersariorum si militaret, militaret contrà eos, sic arguendo: Papa reprobat, & damnat mala, & iniqua Concilia, sicut patet de Ariminensi, & Ephesino secundo, & de alijs, vt in cap. Cuncta, 9. quæst. 3. ergo sequitur potiori etiam ratione, quòd Papa superior sit Concilijs vniuersalibus, quod tamen ipsi negant, licèt sit verum.

Ad vigesimam quartam, quæ sumitur ex necessitate Conciliorum, respondetur, negando consequentiam; dicimus enim cum Domino Henero, & aliàs nos supradiximus, quòd auctoritas totius Concilij, & auctoritas Papæ non sunt aliquid maius, quantùm ad ipsam auctoritatem; nihilominùs non sequitur, quòd aliquando non oporteat conuocare Concilium generale in aliquibus casibus, quia hoc non fit ad habendum maiorem auctoritatem, sed ad habendum pleniorem collationem, & deliberationem, & etiam ad maiorē solemnitatem, & concordiā Ecclesiæ, sicut pleniùs in superioribus ostendimus.

Ad

Ad vigesimam quintam, quę sumitur ex cap. De quibus, dist. 20. respondetur, negando consequentiam; decipiuntur enim aduersarij non distinguentes inter auctoritatem, & potestatem iurisdictionis, cùm tamen plures dicantur, & sint sapientes, & prudentes, ac magnę auctoritatis viri, qui nulla potestate iurisdictionis, aut prælationis funguntur; vndè ex isto ordine, quem ponit glos. obseruandum in solutionem quæstionis, non sequitur aliqua superioritas iurisdictionis suprà Papam, & licèt Canones, qui fiunt in Concilio cum consilio maturo Patrum, totius Ecclesiæ maioris reputetur auctoritatis, idest reputationis, aut appretiationis, quàm sint Decreta facta per solos Summos Pontifices, secundùm illud, quod habetur in c. Decretales; dist. 20. quò quisque maiori ratione vtitur, eò maioris auctoritatis eius verba esse videntur, non tamen propter hoc sequitur, quòd Concilium sit maius potestate iurisdictionis ipso Papa, maximè quia, idem est, qui per auctoritatem in Concilio condit Canones, & qui sine Synodo facit Decreta, & Decretales; vndè ex hac parte Decretales, & Canones paris, imò eiusdem sunt auctoritatis, vt in c. Decretales, dist. 20. Exemplum huius assignare possumus in his, quę Papa facit cum Cardinalibus in Consistorio, & quæ solus, planum est, quòd maioris auctoritatis reputantur facta per Papam in Consistorio cū consilio dominorū Cardinalium, quā per eum facta, & nihilominus eiusdem roboris, & auctoritatis sunt hæc, & illa cum eadem potestate sint edita. Ex quibus omnibus benè consideratis deridenda venit manifestè nouellorum magistrorum temeritas, qui antiquos Doctores, qui veritate coacti in fauorem principatus Romani Pontificis locuti sunt: aut de adulatione arguunt, aut de falsa intelligentia, & interpretatione sacræ Scripturæ, in quo stulto, & temerario iudicio potissimè hi nouelli magistri tamquam præsumptione diabolica repleti veniunt arguendi; quoniam præfati Doctores in honorem beati Petri, & pro eius Principatus amplitudine loquentes, aut sunt Romani Pontifices, pro Christo martyrio coronati, aut confessores gloriosi ab vniuersa Ecclesia venerati, aut sancti Patres, aut in iure diuino, & humano cæteris in Ecclesia Dei præstantiores Doctores, periculosum valdè esset, & insanum tantorum sanctorum Patrum traditiones postponere, immò tamquam falsas conculcare, & assertionibus adhærere nouellorum istorum magistrorum, quorum caput, & magister extitisse videtur Ockan, & eius quidam Discipulus Iarson nominatus, qui prætermissis sanctorum Patrum, & Doctorum Ecclesiæ expositionibus, Scripturam sanctam hæreticorum more ad propriam voluntatem interpretantur, contra quos beatus Hieron. in cap. non afferamus 24. quæst. 1. ait: non afferamus stateras dolosas, vt appendamus, quod volumus pro arbitrio nostro, dicentes, hoc graue, hoc leue est: sed afferamus diuinam stateram de Scripturis sacris, tamquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus, & in cap. ridiculum dist. 12. ait Papa Nicolaus: ridiculum, & satis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus, infringi patiamur.

CAP. XLVII.

Quod non liceat appellare à Papa ad vniuersale Concilium.

QVamuis ex his, quæ de superioritate Romani Pontf. super Concilium vniuersale demonstrata sunt, facilè sit intelligere, quòd appellare non liceat à Romano Pontif. ad Concilium vniuersale, sed magis è conuersò, puta à sententia Concilij, quam Apostolica Sedes nondum approbauerit, ad Papam liceat appellare, nihilominus pro ampliore illustratione veritatis, id ostendere ex multis curabimus.

Præsupponimus in primis, quòd appellatio fiat ab inferiori ad superiorem iudicem, & non è conuersò, vt colligitur ex cap. omnes 2. quæst. 6. & ff. à qui. appel. non lib. l. 1. & in multis alijs locis, quo præsupposito: dicendum videtur, quòd nullo modo liceat appellare à Romano Pontif. ad Concilium vniuersale, tamquam ad superiorem iudicem, quæ Conclusio in primis ponitur in cap. ipsi sunt 9. quæst. 3. vbi Gelasius Papa ità inquit: ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sanctæ Sedis examen voluerunt deferri, ab ipsa nusquam prorsùs appellare debere sanxerunt. Nota verbum, nusquam, nota verbum, prorsùs, quasi diceret nullo tempore, nullo casu. Amplius hanc conclusionem, primò rationibus, secundò auctoritate sacrorum Conciliorum, tertiò ex gestis, & practicis in Concilijs vniuersalibus, ostendemus veram esse.

Primò sic: à iudice, in quo est suprema potestas in Ecclesia, & totius Ecclesiæ principatus, non licèt appellare ad aliquod Concilium Ecclesiæ, hoc patet ex supposito; sed in Romano Pontif. est suprema potestas in Ecclesia, vt dicit articulus definitus per Papam Martinum in Concilio Constantien. & habetur in cap. patet 9. q. 3. vbi dicit Nicolaus Papa: profectò Sedis Apostolicæ, cuius auctoritate maius non est iudicium, dicit etiam in cap. nolite errare dist. 11. quòd in ea Dominus totius Ecclesiæ posuit Principatum; ergo sequitur, quòd à Romano Pontif. appellare non liceat ad Concilium, sicut ad superiorem iudicem, consequentia est manifesta, quia aliàs oporteret dicere, quod suprema potestas non esset in Papa, quod est contra articulum.

Secundò sic: à capite non est licitè appellare ad membra, patet, quia caput præstantius est auctoritate suis membris; sed Papa Caput omnium fidelium, est Caput Concilij vniuersalis; ergo ab ipso ad quemcumque fidelium conuentum, siue Concilium appellari non potest; consequentia patet, & minor etiam patet ex multis locis maximè in cap. si quis 2. q. 6. vbi habetur, quòd quisquis pulsatus aliqua aduersitate licenter possit appellare ad Apostolicam Sedem, & ad eam quasi caput refugium habeat, & idem in cap. Romanam ead. causa & quæst.

Tertiò sic: à matre omnium ecclesiarum, & omnium fidelium nullo modo licèt appellare ad filios, nec dispersos, nec congregatos, quia mater semper maior est auctoritate filijs, & etiam filiorum congregatione; sed Romana Ecclesia, siue Apostolica Sedes est mater omnium ecclesiarum, sicut patet per multa capitula maximè per cap. omnes 2. quæst. 6. vbi habetur, quòd omnes Episcopi quibuscumque aduersitatibus propulsati liberè ad Apostolicam Sedem appellent, & ad eam quasi ad matrem fugiant.

Quartò ab eo iudice, cuius est de tota Ecclesia iudicare, & de quo non est datum alicui iudicare, non est licitum appellare, patet ex terminis, Papa est huiusmodi; ergo ab eo non est licitum appellare ad quemcumque alium iudicem, consequentia patet, & minor habetur in cap. cuncta 9. quæst. 3. vbi Gelasius Papa omnibus Episcopis scribens ait: Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quòd sacrosancta Romana Ecclesia de omnibus fas habet iudicandi, nec cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, siquidem ad illam de qualibet parte mundi appellandum est, ab illa autem nemo appellare permissus est.

Quintò ab illo iudice appellare non est licitum ad iudicem, qui iudicare non habet potestatem, nisi ab eo, à quo appellatur; patet hoc à primo fundamento, sed Concilium vniuersale auctoritatem constituendi, & sententiandi, siue iudicandi habet à Papa, vt superiùs ex multis ostendimus, & facit ad hoc dist. 17. per totum, & cap. significasti extrà de elect. & cap. benè dist. 96. ergo à Papa ad Concilium appellare non licet.

Sextò sic: idem est censendum tribunal Christi, & Papæ in terris, cum eius sit Vicarius vices eius gerens in terris; vndè Chrysostom. super illud Ioann. vlt. [Pasce oues meas:] idest loco mei præpositus esto, & Caput fratrum tuorum, vt ipsi loco meo te assumentes, vbique terrarum te in throno tuo sedentem, prædicent, & confirment. Hæc ille. Et hoc pariter colligitur ex cap. putamus de consuet. lib. 6. sed ponere, quòd à tribunali Papæ possit appellari ad aliud in terris, aut quòd ab alio ad tribunal Papæ non possit appellari, est ponere, quòd à tribunali Christi appellari liceat. Item quod illud tribunal sit maius tribunali Christi patet, quia omne tribunal maius tribunali Vicarij Episcopi, est maius tribunali Episcopi, cuius est Vicarius, cum vnum, & idem sit vtriusque tribunal, quorum vtrumque est manifestè erroneum.

Præterea: secunda via eadem conclusio ostenditur vera auctoritate, scilicet vniuersalium Conciliorum. Habetur primò in gestis Ephesini primi Concilij statutum, quòd à sententia Sedis Apostolicæ nulli liceat appellare. Item secundò ex cap. ne Romani extrà de elect. in cle. quod fuit in Concil. Viennensi, vbi dicitur, quòd lex superioris per inferiorem tolli non potest, glos. Ioann. an. dicit, quòd hoc habet maximè verum, cum inferior ab illo superiore recipit potestatem, in casu nostro cætus Cardinalium. Et sequitur: per quod idem videtur de Concilio supra eodem tit. cap. significasti 9. q. 1. cuncta. Hæc ille. Item tertiò, Alexander tertius in Concilio vniuersali cap. licèt de elect. dicit: In Ecclesia Romana aliquid speciale constituitur, quia non potest ad superiorem haberi recursus glos. Hostien. quia nulla superior, sed ipsa super omnes est. Et idem Ioann. an. ergo videtur, quòd iuxta fidem expressam in Concilijs vniuersalibus de superioritate Apostolicæ Sedis, ab ea appellari, non sit licitum ad quodcumque aliud iudicium, siue etiam Concilium.

Cæterum eadem conclusio tertiò ostenditur ex gestis, & practicis in Concilijs vniuersalibus, & primò ex gestis in Concilio Ephesino secundo, vbi cum lederetur fides Catholica, Legati Romani Pontificis leguntur appellasse; vndè Leo Papa in Epistola ad Theodosium Imperatorem scribens, & rogans, vt Chalcedonensis Synodus in correctionem Ephesinæ institueretur, ità inquit inter alia: Tota mentis acie reuerenter aspice beati Petri gloriam, & communes cum ipso omnes Sanctorum coronas, cunctorumque Martyrum palmas, quibus alia non fuit causa patiendi, nisi confessio deitatis, & veræ humanitatis in Christo, cui sacramento, quia nunc à paucis imprudentibus obuiatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ omnem mansuetudinem vestram gemitibus, & lachrymis supplicant sacerdotes, vt quia & nostri fideliter reclamauerunt, & eis libellum appellationis Flauianus Episcopus dedit, generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ità repellat &c. Item idem secundò colligitur ex gestis Chalcedonensis Synodi super eminentia data Ecclesiæ Constantinopolitanæ super Alexandrinam, in qua legati Papæ leguntur contradixisse, ac ad beatum Leonem Papam appellasse; vndè in actione 10. eiusdem Synodi, ità Vicarij Apostolicæ Sedis dixisse referuntur: Sedes Apostolica nobis præsentibus humiliari non debet, & ideò quæcumque in præiudicium Canonum, vel regularum hesterna die gesta sunt, nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, vt circumduci iubeatis, sin aliàs contradictio nostra his gestis inhereat, vt nouerimus, quid Apostolico viro vniuersalis Ecclesiæ Papæ referre debeamus, vt ipse aut suæ Sedis iniuria, aut de canonum euersione possit ferre sententiam? Hæc ibi. Item de eadem contradictione loquitur Leo Papa, tam in Epistola, quam scribit Martiano Imperatori, quàm in ea, quam scribit Anatholio Episcopo Constantinopolitano; vndè sanctus Thomas de Aquino, in quæst. de pœnitentia q. 10. art. 4. de hoc memoriam faciens, ità dicit: Etiam Romanus Pontifex hæc, sua auctoritate potest, cuius sola auctoritate Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur, quæ omnia patent in gestis Chalcedonensis Concilij. Hæc sanctus Thomas.

CAP.

CAP. XLVIII.

In quo aduersariorum obiectiones ponuntur contra prædicta.

ADuersùs conclusionem præfatam, quamuis multis, & irrefragabilibus testimonijs roboratam, aduersarij multa obijciunt.

Et primò quidem arguunt ex illo, quod contineri affirmant in Concilio secundò Chalcedonensi, quòd ab electa Synodo non possit appellari.

Secundò ex Concilio quodam Toletano, vbi dicunt constitutum esse, vt à sententia Synodi nón appelletur.

Tertiò sic: à lege, siue constituto Dei nullo modo est appellandum, sed Canones sunt spiritu Dei editi, vt habetur in cap. violatores 25. q. 1. ergo à canonibus, & per consequens à Concilijs vniuersalibus, in quibus Canones constituuntur non licet appellare.

Quartò: Concilium vniuersale errare non potest, vt præsupponitur; ergo ab eo appellari non potest; consequentia videtur nota.

Quintò sic: à Papa non licèt appellare, vt in cap. cuncta 9. q. 3. ergo multò minùs à Concilio, quod vniuersalem Ecclesiam repræsentat.

Sextò sic: ex cap. à collatione lib. 6. idem videtur esse Consistorium Papæ, & Concilij, sicut Episcopi, & Capituli, in quo Episcopus, vt Prælatus præsidet; ergo videtur, quòd à Papam appellare non liceat.

Septimò sic habetur, quòd à Prætore non appellatur ad Imperatorem; ergo multò minus à Concilio ad Papam; consequentia videtur manifesta. Et idem arguitur de Senatu, à cuius sententia non appellatur, vt ff. à quib. appell. non liceat; & inducitur in cap. Ecclesia 16. quæst. 1.

Octauò: ex Concilio Aphricano Chatthaginensi, cui interfuisse dicitur beatus August. sic: Patres illius Concilij scribunt Cœlestino Papæ, non debere appellationes à Concilio suscipere, subiungentes, quòd ità statutum sit in Concilio Nicæno.

Nonò sic: Petrus accepit claues nomine Ecclesiæ, vt in cap. quodcumque 24. quæst. 1. ergo videtur, quòd à Concilio vniuersalem Ecclesiam repræsentante, nulli ad Petrum liceat appellare.

Decimò sic: ab illo iudicio appellare non licet, ad quod vltimatè Deus remisit iudicium omnium causarum, dicens Petro Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. sequitur: Dic Ecclesiæ.

Vndecimo sic: ab illo iudicio non est licitum appellare, quod relinquitur vltimum, quasi examinans omnia alia, sed iudicium Concilij vniuersalis est huiusmodi, vt patet per August. in epistola ad Glorium, & Eulosium; ergo &c.

Duodecimo sic: à minori, siue inferiori ad superiorem iudicem est licitum appellare, sed Concilium vniuersale est superior iudex, vt habetur ex Concilio Constantiensi; ergo idem quod prius.

CAP. XLIX.

In quo respondetur obiectionibus præfatis aduersariorum.

HIs non est difficile respondere: verùm pro clariore, & breuiore responsione ad obiectiones prȩfatas, & pleniorem intelligentiam materiæ, est notandum, quòd de Concilio vniuersali dupliciter possumus loqui, & ità de senteutijs datis in eo, aut enim in Concilio præsidet Papa, vt Prælatus, & Caput Concilij per se, aut per suos Legatos, & ab eo, & à Concilio vnanimi consensu emanant sententiæ, & loquendo hoc modo sit conclusio nostra prima ista: quod nec à Concilio ad Papam, nec à Papa ad Concilium est licitum appellare.

Patet hæc conclusio, tum quia vnum, & idem est tribunal, & consistorium, & idem iudex, modo ab eodem ad eundem non est facienda appellatio, per cap. non putamus, de consue. lib. 6. Tùm secundò, quia nullus est superior iudex in terris, ad quem appellatio deuolui posset; vndè ff. à qui. appell. non li. l. 1. dicitur, quòd à Principe, & Senatu appellare non licet. Alio modo loqui possumus de Concilio, in quo Rom. Pontif. nec per se, nec per suos Præsidentes consentit in sententijs datis, aut definitionibus per Concilium. Et tunc sit ista conclusio nostra secunda, quòd in talibus sententijs, aut definitionibus, in quibus non interuenit consensus Papæ, qui, vt sæpè repetitum est, habet confirmare sententias, & gesta Conciliorum, licitum est appellare à Concilio ad Papam, hæc conclusio manifesta est ex gestis, tà Ephesinæ Synodi, quàm Chalcedonensis, vt visum est in cap. præcedenti; his habitis dicendum est, ad rationes in oppositum.

Ad primam, quæ sumitur de Chalcedonensi Concilio, respondetur, quòd Chalcedonense Concilium loquitur de Concilio vniuersali iuxtà primum modum, quoniam electa synodus dicitur quȩ auctoritate Rom. Pontif. fulcitur, & roboratur, & cuius auctoritate sententiæ eius sunt confirmatȩ; vndè in actione 6. eiusdem Concilij habetur, quòd in omnibus Synodis Apocrisarij Apostolici decretas santentias primò propter auctoritatem eiusdem sanctæ Sedis confirmabant, quia aliàs nullum robur habebant; vndè etiam, vt habetur ex decretis Concilij Antiocheni perfectum Concilium dicitur, vbi interfuerit Metropolitanus antistes.

Item ibidem: illa dicitur plenaria Synodus, in qua etiam Episcopus Metropolitanus interfuerit. Ità dicendum est de vniuersali, quòd tantùm tunc dicitur perfectum plenarium, & electum, quando in eius statutis auctoritate, & consensu interuenerit Romanus Pontif., qui est totius Orbis Antistes.

Ad secundam rationem, quæ sumitur de Concilio Toletano, respondetur pari modo; quoniam constitutum illud Concilij Toletani, vt ex eius verbis manifestè habetur, loquitur de his, quæ fuerunt definitione descripta vniuersalis auctoritatis, manifestum est au-

tem, quòd non possunt dici descripta definitione vniuersalis auctoritatis, quibus non interuenit assensus Romani Pontif. qui totius Orbis Episcopus est, & in quo Deus totius Ecclesiæ Principatum posuit, vt sæpè dictum est.

Ad tertiam, quæ sumitur de cap. violatores, respondetur, quòd propriè sunt canones constituti per vniuersalia Concilia interueniente auctoritate Rom. Pontif. quæ Canonibus robur impartitur, & à talibus sententijs, siue Canonibus vniuersalis Concilij non appellatur, sicut nec à Papa, vt dictum est.

Ad quartam, quæ sumitur ex eo, quòd Concilium errare non possit, iam responsum est supra in cap. 46. quòd præsuppositum hoc non est vniuersaliter verum; quoniam aliqua Concilia inueniuntur errasse; vnde quia errat secunda Synodus Ephesina, appellatum est ab ea.

Ad quintam, quæ sumitur ex eo, quòd à Papa non appellatur, &c. respondetur negando consequentiam, quoniam Papa habet supræmam potestatem in Ecclesia, Concilium verò tantam, quantam Papa indulget; vnde non est simile de Papa, & Concilio, sicut etiam ex superioribus patet.

Ad sextam, ex cap. à collatione, respondetur sicut ad primum, & secundum argumentum.

Ad septimam, quæ sumitur ex eo, quòd à prætore non appellatur, respondetur simili modo, scilicèt quòd à prætore, qui speciali auctoritate Imperatoris sententiat, appellandum non est, sicut nec à Concilij sententia, quam Romanus Pontif. confirmat.

Ad octauam, quæ sumitur de Concilio Aphricano, respondetur, quòd nullo modo militat aduersùs propositum, quod patet ex multis.

Primò enim ex hoc, quòd Concilium illud fuit Prouinciale Concilium, & multa videtur dicere, quæ non sunt vera, potissimè, id, quod dicit de Concilio Niceno; quoniam semper, quicquid statuant de huiusmodi causis, semper excipitur Romani Pontif. auctoritas; vnde non est tantę auctoritatis Concilium illud, quòd eius dicta necessariò sint admittenda, quod verò dicunt aliqui, quòd beatus Augus. in hoc Concilio se subscripsit, non est verum, vt patet consideranti tempus beati August. & illius Romani Pontif. cui illa Synodus scribit.

Secundò, ratio, non militat, quia Concilium illud non dicit, quòd Papa non possit suscipere appellationes à Concilio, quia sic dicendo, falsum diceret, sed quòd non debeat faciliter, & indifferenter, hoc videtur satis rationabile, maximè quando appellatio, non nisi ad fugiendum correctionem, fieri videtur, sicut videbatur in casu illo, in quo non modò sceleratissimus referebatur fuisse Episcopus ille, sed etiam conuictus, & confessus dicebatur de criminibus, de quibus erat accusatus.

Tertiò respondetur, maximè ad rem, quòd hoc Aphricanum Concilium, quod in multis visum fuerat priùs præsumptuosum aduersùs Sedem Apostolicam, postmodùm venit ad obedientiam, & reuerentiam debitam acceptans definitionem Apostolicæ Sedis, vt colligitur ex Concilio 8. Constantinopolitano, vbi sic habetur: [Inuenitur ergo Aphricana Synodus paruisse potiùs iudicio Zozimi Papæ Romani:] ac per hoc propriam reprobasse sententiam, & iustificasse Apiarium, non restitisse voto Romanorum Pontif. hæc ibi: quod pleniùs deducit Papa Bonifacius in epistola, quam Eulalio Alexandrino Episcopo scribit de reconciliatione Carthaginensis Ecclesiæ, & aliorum Episcoporum, vbi ità dicit: Aurelius enim præfectus Carthaginensis Ecclesiæ olim Episcopus cùm Collegis suis, instingante Diabolo, superbire temporibus prædecessorum nostrorum Bonifacij, atque Cœlestini contra Romanam Ecclesiam cœpit, sed videns se modò peccatis Aurelij Eulalij à Romanæ Ecclesiæ communione segregatum, humilians recognouit se, pacem, & communionem Romanæ Ecclesiæ petens, subscribendo vnà cum Collegis suis damnauit Apostolica auctoritate omnes scripturas, quæ aduersùs Romanæ Ecclesiæ priuilegia factæ quocunque ingenio fuere; hæc ibi.

Ad nonam, quæ sumitur ex cap. quodcunque, responsum est in 2. lib. circa cap. 75. vbi sententia dictum est, quòd falsum sit, quòd beatus Petrus claues accepit nomine Ecclesiæ ad intellectum aduersariorum, nec hoc vult dicere cap. quodcunque, sicut in superioribus demonstrauimus, & etiam colligitur ex gloss.

Ad decimam, vndecimam, & duodecimam respodetur simul, quòd minor cuiuslibet illarum rationum est falsa, & ad probationes earũ, iam responsum est supra cap. 46. vbi responsum esse, tam ad auctoritatem illam Matth. 18. Dic Ecclesiæ, quam ad epistolam August. & ad declarationem factam Constant. & pleniùs in 2. lib. cap. 72. & 99.

CAP. L.

Quòd vniuersale Concilium in Rom. Pontif. verum, & indubitatum extrà casum hæresis, nullam habeat iurisdictionem.

Ex his, quæ de superioritate Romani Pontif. respectu vniuersalium Conciliorum plenè iam diximus, facilè est intelligere nullam iurisdictionem, nullamque facultatem habere vniuersale Concilium supra Papam verum, & indubitatum, etiam si deuiet à vitę honestate, cum tamen non incidat in hæresim propriè dictam. Planè, cum inferior superiorem ligare, aut soluere, siue iudicare non possit, & multipliciter sit demonstratum Papam superiorem vniuersali Concilio esse, nulli relinquitur dubia præfata cõclusio; vnde Apostoli sententia est, ad Rom. 2. Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? suo enim Domino, aut stat, aut cadit. Verùm quia ista conclusio ex iam dictis clarissima habetur, & quia in lib. 2. cap. 93. quòd Papa extrà casum hæresis iudicem non haberet in terris, sufficientissimè rationibus, & auctoritatibus sanctorum Patrum, sacrorum Conciliorum definitionibus,

bus,

bus, Sedis Apostolicæ determinatione, atque clarissimorum Doctorum sententia, & doctrina ostendimus, respondentes etiam obiectionibus aduersariorum, reputamus superfluum plura ad hoc inducere,& ità breuitatis gratia ab vlterioribus abstinemus. Ex quibus satis apertè, immò apertissimè elidıtur error, & temeritas Basileæ congregatorum, qui sibi Vicarium Christi, & locum eius tenentem in terris,Patrem omnium Christianorum,Pastorem gregis Dominici, & Ecclesiæ vniuersalis Principem Romanum Pontif. verum,& indubitatum, & ità ab vniuersa Ecclesia habitum, scilicèt Eugenium sanctæ memoriæ, citare,suspendere, ac deponere quantum in eis fuit, pręsumpserunt. Audacia planè impia, & præsumptio diabolica nullis anterioribus seculis attentata, quæ sanè ampliora futuris temporibus nocitura generasset scandala,nisi omnipotens Deus, qui Nauis Ecclesiæ est certissimus gubernator, Ecclesiam suam ab huiusmodi tempestatibus, & turbidis fluctibus seruasset illesam, Christianorum Principum,aliorumque fidelium mentibus inspirando, vt Basilientium præsumptionibus, nec fides, nec locus daretur; vnde etiam factum est, vt citò eorum memoria,sicut fumus euanesceret, & hoc ideò, quoniam sicut beatus Ambros. in quodam sermone tractans illud prouerb 30. Tria sunt mihi difficilia, inter quæ ponitur semitas scire Nauis nauigantis dicit: Nauis Ecclesiæ, & si vndarum fluctibus, atque procellis sæpè vexetur,tamen nunquam potest sustinere naufragium,quia in arbore eius, scilicèt Cruce, Christus erigitur, in puppe Pater residet gubernator, proram Paraclytus seruat Spiritus, hanc per angusta huius Mundi freta duodecim remiges ducunt, duodecim Apostoli, & similis numerus Patriarcharum.

CAP. LI.

Quòd Romanus Pontifex legibus, & statutis vniuersalium Conciliorum, nec ligatur, nec necessariò subijcitur.

SAnè plenè cosiderationibus, quæ in superioribus parùm antè, tàm de superioritate Rom. Pontif. supra totam Ecclesiam, quàm de vniuersalium Conciliorum auctoritatis dependentia à Romano Pontif. quàm rationibus, auctoritatibus, & exemplis firmiter stabiliuimus, luce clarissima patet, quòd Romanus Pontif. nec ligatur, nec subijcitur necessitate quorumcunque Conciliorum, non tantùm Patriarchalium, quia de istis nunquam fuit dubium, sed etiam nec vniuersaliũ statutis, legibus, aut Canonibus, quæ sub iuris positiuis genere comprehenduntur.

Primò quidem ex superioritate, qua Romanus Pontif. superior est, & primatum habet vniuersalis Ecclesiæ, arguendo, præfata conclusio patet, ait enim Nicolaus Papa in cap. inferior dist. 21. Non potest iudicio inferior potiorem ligare; vnde Propheta ait: [Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, qui trahit eam?] His itaque ex diuina Scriptura commemoratis, Sole clarius exhibuimus, non posse quemquam, qui minoris auctoritatis est, eum, qui maioris potestatis est, iudicijs suis adijcere, aut proprijs definitionibus subiugatur, hæc ille.

Secundò, idem patet ex eo, quòd à Romano Pontif. vt superiùs extitit monstratum, canonum Conciliorum dependet auctoritas: alienum profectò est à ratione, vt quis legibus illis alligetur coactus, qui legibus ipsis, & vim, & auctoritatem impartitur; vnde iuris peritus ait: Princeps solutus est legibus, quantum scilicet ad vim coactiuam; vnde S. Thom. in 2.2. quæst.96. artic.6. quęrens an Princeps subijciatur legibus, respondens dicit, quòd Princeps est solutus legibus quantum ad vim coactiuam, & subdens rationem inquit: Quia nullus cogitur propriè à seipso,lex autem non habet vim coactiuam, nisi à Principis potestate, licèt quo ad vim directiuam Princeps subiectus sit legi propia voluntate, prout infrà dicetur. Cùm ergo Rom.Pontif. Princeps Ecclesiæ sit, nullis Ecclesiæ legibus ligatur coactus, siue tenetur obnoxius. Notanter dicimus Ecclesiæ, quia aliud est de legibus iuris diuini, aut naturalis.

Tertiò sic eadem conclusio apertè demonstratur ex cap. significasti extrà de elect. vbi dicitur, quòd Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem facta sint, & robur acceperunt, & in eorum statutis Ramani Pontif. patenter excipiatur auctoritas gloss. Hostie. tanquam superior 9. quæst. 3. cuncta per mundum, ergo inferior non potest ei legem imponere, infrà, de maior. & obed. cum inferior; hæc Hostien.

Quartò, eadem conclusio apertissimè colligitur ex cap. innotuit de elect. vbi Innoc. III. apertissimè declarat, quòd canon vniuersalis Concilij, etiam confirmatus per Papam, non ligat eum, sic dicens; Quamuis autem Canon Lateranensis Concilij ab Alexandro Papa prædecessore nostro editus, qui illegitimè natos adeò persequebatur, quòd electionem talium Innuit nullam esse, nobis tamen per eum adempta non fuit dispensandi facultas,cùm ea non fuerit prohibentis intentio qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præiudicium generare, pari post eum, immò eadem potestate functuris, cum non habeat Imperium par in parem; hæc ille. Ex quibus verbis patet etiam manifestè,quòd potestas Papæ, & Concilij simul non est maior potestate Papæ; secundò, quòd tota potestas constituendi aliquid in Concilio à Papa dependet immediatè.

Quintò, eadem conclusio luce clarissima colligitur ex §.his itaque respondetur 25.q.1. vbi Gratianus volens iura iuribus concordare, quæ hac parte dissonare videbantur, dicit sic, his itaque respondetur, sacrosancta Romana Ecclesia ius, & auctoritatem sacris Canonibus impartitur, sed eis non alligatur, habet enim ius condendi canones,vt putà,quę Cardo est, & caput omnium Ecclesiarum, à cuius regula nemini dissentire licet, ità ergo Canonibus auctoritatem præstat, vt seipsam sibi non subijciat, sicut Christus, qui legem dedit ipsam legem carnaliter impleuit octauo

dic

die circumcisus, quadragesimo die cum hostijs in Templo est præsentatus, vt in seipso eam sanctificaret, postea verò, vt se Dominum legis comprobaret, contra literam legis leprosum tangendo sanauit, Apostolos quoque contra literam Sabbati per sata prætergredientes, spicas vellentes, & confricantes manibus suis, &c. & infra hinc de eo dicitur: Erat Ioannis docens tamquam potestatem habens, idest tamquam Dominus legis, addens moralibus ea, quæ deerant ad perfectionem, vmbram figuralium in lucem spiritualis intelligentiæ commutatus, non tamquam scribæ eorum, qui litera legis astricti, non audebant aliquid addere, vel commutare, sicut & summæ Sedis Pontifices Canonibus, siue à se, siue ab alijs sua auctoritate conditis, reuerentiam exhibent, & eis se humiliando, ipsos custodiunt, vt alijs obseruandos exhibeant; nonumquam verò, seu iubendo, seu definiendo, siue discernendo, seu aliter agendo, se decretorum Dominos, & conditores ostendunt.

In præmissis ergo capitulis, alijs imponitur necessitas obsequendi, Pontificibus Summis ostenditur inesse auctoritas imperandi, vt à se tradita obseruando, alijs non condemnanda demonstrent exemplo Christi, qui Sacramenta, quæ Ecclesiæ seruanda mandauit, primùm in seipso suscepit, vt ea in seipso sanctificaret. Oportet ergo primam Sedem, vt diximus, obseruare ea, quæ decernendo mandauit, non necessitate obsequendi, sed auctoritate impartiendi, licèt itàque sibi contra generalia statuta decreta, specialia priuilegia indulgere, & speciali beneficio concedere, quod generali prohibetur decreto.

Sacri siquidem Canones, ità aliquid constituunt, vt suæ interpretationis auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ reseruent; ipsi namque soli Canones valent interpretari, qui ius condendi eos habent; vnde in nonnullis capit. Conciliorum, cum aliquid obseruandum decernitur, statim subinfertur, nisi auctoritas Romanæ Ecclesiæ aliter imperauerit: hæc ibi. Finaliter patet ergo, quòd Papa de necessitate non subijcitur Canonibus, aut statutis Conciliorum; verùm, licèt ità sit, de honestate tamen tenetur ista obseruare, tùm secundùm iam dicta, vt alijs det exemplum obseruandi, secundùm illud act. 1. Cœpit Iesus facere, & docere, tum vt habetur de constit. cap. cum omnes, quod quisque iuris in alterum statuit, ipse debet vti eo. Et sapientis dicat auctoritas. Patere legem, quam ipse tuleris: hoc etiam habetur in cap. confidimus 25. quæst. 1. vbi dicitur: Confidimus, quòd nullus iam veraciter Christianus ignoret vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, vbi super verbo oportere, dicit glos. sic: oportet est hic verbum honestatis; addit Archidiac. & æquitatis. Et itàque patet, quòd Papa non necessitate, licèt benè honestate, Canones obseruare teneatur. Canones dicimus, quæ ipsa Sedes Apostolica confirmauit.

CAP. LII.

Quod vniuersale Concilium non possit facere contra Romanum Pontificem decretum irritans.

LVce clariùs ex præmissis confunditur error nouellorum Magistrorum aduersariorum Apostolicæ Sedis, qui per Prælatos Ecclesiæ synodaliter congregatos posse asserunt, poni contra Romanum Pontificem decretum irritans, & decreta detrahentia constitutionibus Papalibus, & licèt, vt diximus, clarissimum sit, omnes in hoc errare, vt ex prædictis: tamen aliqua modica commemorando, sic breuiter ostendimus.

Primò, Concilia vniuersalia non possunt præfigere legem Romano Pontifici; ergo vniuersalia Concilia non possunt contra Romanum Pontificem decretum irritans condere, siue facere, consequentia est manifesta; antecedens patet ex cap. significasti, extra de elect. & habetur in superiori cap.

Secundò sic: contra ordinem naturalis rationis est, quòd inferior possit annullare, aut irritare leges superioris, sed Papa est superior auctoritate Concilijs vniuersalibus, sicut caput corpore suo; ergo Concilia vniuersalia nullo modo annullare, aut irritare possunt facta, aut instituta Romani Pontificis, consequentia est bona, maior etiam patet, & colligitur ex cap. inferior, dist. 21. minor est superiùs multipliciter probata.

Tertiò sic: Papa habet supremam potestatem in Ecclesia Dei; ergo sequitur, quòd nulla potestas Ecclesiastica potest facta Papalia, siue decreta irritare, siue annullare; consequentia est manifesta; antecedens etiam est notum ex articulo Concilij Constantiensis, vt supra induximus, & colligitur etiam ex cap. patet 9. qu. 3.

Quartò sic: quicquid auctoritatis habent Concilia vniuersalia instituendo Canones, est à Romano Pontifici; ergo sequitur, quòd vniuersalia Concilia nullo modo possunt irritare, aut annullare decreta, aut facta Romani Pontificis, sicut nec Stellæ extinguere lumen Solis, à quo illuminationem suscipiunt; consequentia patet, & antecedens probatum est tàm in præcedenti capit. quàm in superioribus. Ex quibus, & alijs superiùs habitis apertè confutantur multa somnia, & errores Magistrorum nouellorum Basileensis circa potestatem Conciliorum suorum. Sed de hac materia hìc sufficiat, quoniam super hoc tractatum, aliàs cum Basileæ essemus, edidimus copiosum, qui de decreto irritante intitulatur contra præsumentes ibi contra Romanum Pontificem in prouisionibus Ecclesiarum, irritans decretum apponere.

CAP.

CAP. LIII.

Quòd ad Romanum Pontificem pertineat Canonum sacrorum interpretatio.

ET si facilè sit intelligere ex superioribus iam enucleatis de Principatu Romani Pontificis respectu vniuersalium Conciliorum, quòd ad Romanum Pontificem, vt putà ad Principem Reipublicæ Christianę maximè spectet legum Ecclesiæ, siue sacrorum Canonum interpretatio, atque declaratio cuiuscumque ambiguitatis, quæ de vniuersalibus Concilijs nasceretur: nihilominùs, vt clariùs id fiat, aliqua ad hæc inducemus. In quorum primis notandum occurrit, quid sit interpretari? Secundò, quot sunt genera interpretationis. Interpretari legem, siue præceptum legis, est dare rationabilem intellectum, siue sensum præcipientis, & præcepti, siue legislatoris in lege, quam condidit. Genera verò interpretationis sunt duo ad præsens, quoddam, scilicet magistrale, cum per inuestigationem rationis quæritur intellectus canonis, siue legis, aut præcepti, & hanc potest facere quilibet doctus, & hoc in manifestis, ideſt in his, quæ ratione probari possunt, sicut Doctores interpretantur, quòd præceptum Ecclesiæ de ieiunio non obligat pueros, aut notabiliter debiles, aut grauiter laborantes, siue etiam eos, qui tanta penuria fatigantur, vt non possint vnam refectionem sufficientem habere. Hæc autem interpretatio dicitur probabilis, non necessaria; vnde ei non statur de necessitate, nisi quantum ratione demonstratur ei standum fore. De hac magistrali interpretatione habetur, C. de profess. qui in vr. Constan. l.1. lib.12. & talis interpretatio dicitur magistralis quo ad alios, sed quo ad seipsum epycheia, quæ legem interpretatur, vt eam non sequatur in casu, in quo apparet eam esse contra mentem Legislatoris, de quo Aristot. tractat 5. ethyc. respectu etiam sacræ Scripturæ, vt diximus in lib. 2. est interpretatio etiam quædam magistralis, qua Doctores sacræ Scripturæ inuestigatione rationis ex alijs sacræ Scripturę locis arguentes, interpretantur talem, vel talem esse sensum sacræ Scripturæ in tali, vel tali loco, sicut communiter fit per Expositores sacræ Scripturæ, de quibus videtur, & Esdræ 8. vbi Scribæ dicuntur interpretantes legem in populo. Hæc autem magistralis interpretatio non habet necessitatem, scilicet, quòd liget, sed benè probabilitatem, nec ei statur, nisi quantum ratione ostenditur, quòd talis sit de mente Spiritus sancti, Scripturam sanctam dictantis, secundùm illud Prophetæ: [Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis;] Gloss. ideſt Spiritus sancti, iuxta illud 2. Petri 1. [Spiritu sancto locuti sunt homines Dei,] & ideò vt habetur in cap. hæresis, 24. qu. 3. quicumque aliter Scripturam sanctam intelligit, quàm sensus Spiritus sancti efflagitat, à quo Scriptura est, licèt ab Ecclesia non recesserit tamen hæreticus appellari potest.

Secundum genus interpretationis est auctoritatiuum, cui statur non ratione aliqua assignata, sed auctoritate interpretantis; vnde talis interpretatio vocatur necessaria: necessitat enim, siue obligat ad tenendum sensum datum per eam, & hoc modo legem interpretari, non est cuiuslibet, sed aut condentis, quia eius est interpretari, cuius est condere, ff. de legib. cum de consuetudine, aut paris dicitur, aut par, qui in dignitate succedit, qui ideò habet auctoritatem interpretandi legem prædecessorum, quia & tollendi, quia par in parem imperium non habet. Non autem dicitur hìc par, qui habet similem dignitatem, sed non eandem, nam statutum vnius Episcopi, alius alterius Diœcesis non habet interpretari, nec falcem suam mittere in messem alienam. Aut interpretari est superioris, scilicet qui potest regulare particularem personam, aut etiam Collegium. Superior etiam hìc dicitur, qui iudex est inter aliquos, inter quos interpretatur legem, ff. de legib. nam vt ait, interpretationi eius in iudicio prolatæ, partes stare tenentur, nisi appellauerint. Conuenit etiam interpretari inferiori ex commissione superiorum, sicut Legato; vnde Legatus Papæ interpretatur rescriptum Papæ, extra de postul.Prælat.cap.1. circa medium, & extra de sequestra, ad hoc.

Quibus notatis ponuntur duæ conclusiones.

Prima, quod ad Romanum Pontificem maximè pertinet declaratio cuiusuis ambiguitatis, quæ de vniuersalibus Concilijs oritur. Ista conclusio patet auctoritate beatissimi Gregor. qui in cap. nec licuit, dist. 17.ità ait: Quotiens aliqua de vniuersali Synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo, quod non intelligunt, rationem, ad Apostolicam Sedem pro percipienda ratione conueniant, aut fortè, sicut de talibus scriptum est: peccator cum venerit in profundum malorum, ità obstinati, & contumaces extiterint, vt doceri non velint, eos ab eisdem Apostolicis Sedibus, aut attrahi ad salutem quoquo modo necessè est, aut ne aliorum perditio esse, possint secundum Canones per seculares comprimi potestates: hæc Gregor. vbi notandum est verbum de vniuersali Synodo, non dicit de Patriarchali contra quosdam aduersarios dicentes, Rom.Pont.tantum Concilij sui Patriarchalis, non autem vniuersalis dubia declarare posse.

Secunda conclusio, Canonum interpretatio maximè conuenit Romano Pontifici. Quæ conclusio ratione probatur sic: Romani Pontificis auctoritate Canones sunt constituti, vt parùm ante satis copiosè demonstratum est in cap. 32. ergo ad ipsum Romanum Pontificem spectat illorum interpretatio; consequentia patet, cum eius sit interpretari, vt dictum est, cuius est condere, & vnde ius prodit, ab eo interpretatio requirenda est, vt extra de sent.excomm. inter. Hoc etiam apertissimè roboratur primò ex §. Ex his in cap. sicut enim 11. quæst. 1. vbi sic dicitur: Sicut enim solus ille habet ius interpretandi Canones, qui habet potestatem condendi eos: ità ille solus ciuilium legum debet esse interpres, qui eis ius, & auctoritatem impartitur.

Præ-

Præterea, conclusio patet ex cap. ideò, 25. qu. 1. §.his, vbi dicitur: Sacri quidem Canones, ità aliquid constituunt, vt suæ interpretationis auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ reseruent, & rationem subiungens, ait: Ipsi namque soli Canones valent interpretari, qui ius condendi eos habent. De hac autem auctoritate Romani Pontificis, ità testatur sanctus Thom. in quæst. de poten. q. 10. art. 4. dicens: quòd sicut posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum à priori Synodo conditam, ac ponendi aliqua ad eius explanationem, ità Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest, & à quo sensententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur, quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi, nec est necessarium, quòd ad eius expositionem faciendam vniuersale Concilium congreget: cum quandoque id fieri prohibeant bellorum dissidia, sicut in 6. Synodo legitur, quòd Constantinus Augustus dixit, quòd propter imminentia bella vniuersaliter Episcopos congregare non potuit, sed tantùm illi, qui conuenerunt quædam dubia in fide exorta sequentes sententiam Agathonis Papæ, determinauerunt, scilicet, quòd in Christo sint duæ voluntates, & duæ actiones. Et similiter Patres in Chalcedonensi Synodo congregati secuti sunt sententiam Leonis Papæ, qui determinauit Christum esse in duabus naturis post Incarnationem. Hæc sanctus Thomas, & hæc de præsenti cap. quia de interpretatione dubiorum in lege Dei, siue in sacra Scriptura, qualiter Romano Pontifici maximè competat in 2. libro cap. 107. enucleauimus.

CAP. LIV.

Quòd ad Romanum Pontificem maximè spectet, tàm dispensatio sacrorum Canonum, quàm regularum sanctorum Patrum moderatio.

SAnè quemadmodum ad Romanum Pontificem ratione sui Principatus pertinere diximus sacros Canones interpretari, ità eadem ratione illi potissimè conuenit dispensatio sacrorum Canonum, etiam vniuersalium Conciliorum, ac regularium sanctorum Patrum moderatio, quod & si satis apertè ex prædictis habeatur, nihilominus ad maiorem notitiam, illud aliquibus rationibus probare curabimus.

Præsupponimus in primis pro fundamento dicendorum, quòd in qualibet republica necessariò debet esse aliqua potestas dispensandi in legibus suis, quæ cum institutæ sint ad regulandum humanos actus, qui multam suscipiunt varietatem, non possunt semper impermutabiles permanere: hinc Aristot. 7. ethyc arguit necessitatem ponendi in Principe virtutem epycheiam, quam æquitatem, siue moderamen nos dicimus, cuius virtutis officium est, in quibus legis obseruantia Reipublicæ vtilitati cognoscitur non expedire, prætermissis verbis legis sequi, quòd ratio, vel communis vtilitas deposcit; vnde nisi talis auctoritas dispensandi in legibus, & statutis Reipublicæ daretur, multa, quæ ordinata fuerunt ad vtilitatem, & pacem fidelium, vergerent in damnum, & perturbationem totius Reipublicæ. Hinc dicitur in cap. regula distinct. 19. quòd regulę sanctorum Patrum pro varietate temporum, & locorum temperantur.

Quo habito, dicimus, quòd cùm dispensatio, vt communiter dicitur, sit relaxatio iuris communis, siue amotio obligationis à præcepto, dispensatio legis non videtur alicui competere, sicut de interpretatione diximus, nisi ad Legislatorem, vel parem, aut superiorem, aut ad aliquem alium ex superioris cōmissione, hoc est manifestum, sed Rom. Pontif. est Princeps, & actor canonum, vtpotè cuius auctoritate conditæ sunt, ac robur accipiunt, vt ostendimus suprà, estque omnibus superior; ergo ad ipsum solùm maximè pertinebit auctoritate propria in canonibus dispensare.

Secundò sic; ad illum præcipuè, & singulariter spectat dispensatio in legibus reip. prout temporum, & personarum conditio exigit, apud quem residet auctoritas publica, sed huiusmodi in Reipublica Christiana est Roman. Pontif. siue Apostolica Sedes, in qua Dominus totius Ecclesiæ Principatum dicitur collocasse. Ergo sequitur, quòd ad Apostolicam Sedem spectabit singulariter, & maximè dispensatio canonum, siue regularum sanctorum Patrum. Hoc etiam confirmat beatus Bernardus, qui ad Eugenium scribens Romanum Pontificem nominat Patrem, regum legum moderatorem, sal terræ, Orbis lumen, Sacerdotem altissimi, de qua auctoritate Romani Pontificis in canonibus dispensandis, siue moderandis, illustre testimonium dat Dominus Archiepiscopus Rhemensis lib. de Synodis cap. 39. ita dicens. Facultatem temperandorum, siue mutandorum canonum Romano Pontifici potissimum adiacere non dubitamus, vt sancti Patres docuerunt, nàm beatus Gelasius, & Nicolaus Papa Primus in decretis eorum, Symachus verò in generali Synodo, diuerso quidem tempore, sed eadem voce de Romani Pontificis auctoritate, ità protestati sunt: Necessaria, inquiunt, rerum dispositionem constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine conuenimur, sic canonum Paternorum decreta liberare, & retrò præsulum, decessorumque nostrorum præcepta metiri, vt quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesijs relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantùm potest fieri, temperemus, habetur 1. qu. 8. cap. necessaria.

Ne miteris, si Romani Pontifices hanc peculiariter habuerunt potestatem; vt canones pro tempore dispensarent, ipsi enim sunt actores canonum, & illa Sedes semper hoc priuilegium habuit, vt ligatum, & solutum, sit quicquid ipsa ligauerit, & soluerit, vnde iuxta attestationem sanctorum Patrum omnibus Ecclesijs præeminet. & de omnibus iudicare potest. Hæc ille. De necessitate verò ponendi hanc potestatem in Romano Pontifici, idem Doctor in eodem cap. ità dicit. Nequaquam autem Ecclesiastica disciplina consistere

sistere posset si non Præsul Apostolicus illam auctoritatem haberet de canonibus, quam supra retulimus, nam præcedentium Patrum statuta Ecclesiasticam disciplinam aliquando non tam instituerent, quàm confunderent, si nulla ratione à successoribus eorum mutari possent, cum tamen necessitas temporis, nunc minùs, nunc seueriùs incedendum persuaderet, quod illum non latebit, qui præcedentium Patrum, & subsequentium statuta diligenter inuestigare curauerit. Nempè si beatus Pelagius numerum annorum, quos sui antecessores singulis gradibus præceperunt, minuere non posset, penuriæ Clericorum sui temporis per Presbyteros ex laicis infrà annum maturatos nullo modo succurrisset.

Item si moderni Pontifices antiquorum rigorem canonum per lapsos Sacerdotes remittere nequiuissent, ipsa Christiana religio destituta Sacerdotali officio penitùs stare non posset, cùm iam pœnè nulli Sacerdotes, nisi criminaliter lapsi reperiantur, quos antiqui canones deposuisse leguntur. Hæc ille. Et tangitur in cap. requisitis 1. quæst. 7. Est ergo priuilegium Apostolicæ Sedis, vt iudex sit canonum, & decretorum, vt pro temporis conditione, & rerum necessitate, nunc intendat, nunc remittat prout necessitati, & vtilitati Ecclesiæ expedire prospexerit, huius sententiæ est beatus Thomas tàm in 2. 2. quàm in quodlibetis, quàm etiam in tractatu contra impugnantes religionem dicens, omnia statuta sanctorum Patrum, quæ sunt iuris positiui, sunt relicta dispositioni Papæ, vt ea possit mutare, vel dispensare secundùm opportunitates temporum, vel negotiorum: Vbi pro ampliori declaratione huius cap. est notandum, quòd duplex est genus canonum vel regularum, aut decretorum sanctorum Patrum, vt S. Thom. innuit quodlibeto art. 14. Est vnum genus canonum, qui instituti sunt iure Diuino, sicut pertinentia ad articulos fidei, ad substantiam Sacramentorum, aut quæ manifestã habent connexionem ad legem diuinam, siue naturalem, pertinentia ad bonos mores, & in talibus Papa dispensare non potest. Et ratio huius est secundum S. Thom. quia ista habent efficaciam ex institutione diuina, de quibus venit intelligendum, quod Papa Zozimus in cap. contra 25. quæst. 1. ait Contra statuta sanctorum Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem Sedis potest auctoritas.

Secundum genus canonum, siue decretorum est eorum, quæ instituerunt Patres de iure positiuo, licèt enim canones à sanctis Patribus vnanimiter instituti, dicantur conditi à Spiritu sancto, non tamen omnes dicuntur pertinere, aut ad legem naturæ, aut ad legem diuinam, sed aliqui dicuntur pertinere ad ius humanum, siue positiuum, sicut licèt omnis veritas à quocumque dicatur, vt ait Ambros. à Spiritu sancto est, non tamen omnis veritas pertinet ad ius diuinum, sed erit alteriùs inferioris generis, aut ordinis, videlicèt, aut legalis, aut canonici, aut facultatis medicinalis, & sic de alijs, & de hoc genere canonum loquentes, dicimus iuxta iam dicta, quòd Romanus Pontifex potest dispensare in eis à quocumque sint editi, etiam ab Apostolis, vt dicit S. Thom. in tractatu suprà nominato. Hoc duplex genus canonum, aut statutorum sanctorum Patrum tangit Leo Papa in cap. sicut sunt distinct. 14. ità dicens: Sicut sunt quædam, quæ nulla possunt ratione conuelli, ità multa sunt, quæ aut pro necessitate temporum, aut pro conditione ætatum oportet temperari. Ex quibus confutatur aduersariorum quorumdam error, dicentium Roman. Pontif. non habere potestatem in canonibus Conciliorum vniuersalium.

CAP. LV.

Quòd Romanus Pontifex habet auctoritatem tollendi statuta aliqua, tam sacrorum Conciliorum, quàm Prædecessorum suorum.

Si quis benè perscrutetur Principatum Romani Pontificis, reperiet, quòd Rom. Pontif. non solùm auctoritatem in canonibus sacrorum Conciliorum, etiam vniuersalium, & decretis suorum Prædecessorum dispensandi habeat, verum etiam tollendi, aut reuocandi, aut mutandi, prout temporum, aut causarum necessitas exposcerit. Pro quo notandum circa intelligentiã aliquorum terminorum iuxta D. Petrum de Palude in 3. sent. quòd dispensatio, & reuocatio in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt. Conueniunt autem in hoc, quòd tam dispensatio, quàm reuocatio important amotionem ad obligationem præcepti. Sed differunt in hoc, quòd dispensatio importat amotionem præcepti in casu, & quo ad aliquem, vel aliquos, non autem quo ad omnes, sed reuocatio absolutè importat amotionem obligationis, quo ad omnes. Amota autẽ obligatione, siue quo ad aliquem specialiter per dispensationem, siue quo ad omnes generaliter per reuocationem efficitur licitum, quod priùs erat illicitum, & sic sunt tria circa præceptum, siue legem, aut canonem.

Primum est interpretatio, quæ non tollit obligationem aliquam, sed declarat solùm intentionem præcipientis, vel præcepti.

Secundum est dispensatio, quæ tollit obligationem, quo ad aliquos, vel aliquem solùm, sicut si dispensaretur cùm aliquo, quod non ieiunaret in quadragesima.

Tertium est reuocatio, quæ tollit obligationem simpliciter quo ad omnes, sicut si Papa reuocaret ieiunium quadragesimæ, nullus obligaretur ad ieiunium illud. In superioribus duobus capitulis ostendimus, quòd Roman. Pontif. prærogatiua Primatus sui poterat tam interpretari dubia, quæ in canonibus Conciliorum sacrorum orirentur, quàm dispensare in illis, nunc restat ostendere, quòd etiam possit tam canones vniuersalium Conciliorum, quàm decreta suorum Prædecessorum aliquando pro temporum, & causarum necessitate reuocare, tollere, atque mutare, licèt non vniuersaliter, quòd nos triplici via ostendimus, videlicèt auctoritatibus, rationibus, & exemplis.

Auctoritate primò, videtur colligi ex cap.

cap. non debet, de consang. & affin. vbi sic dicit Papa Innoc. IV. Non debet reprehensibile iudicari, si secundùm varietates statuta varientur humana. Et idem extrà de sent. excommun. cap. alma. Præterea, auctoritate Aymarij Archiepiscopi Rhemensis, de quo supra in libro de Synodis, item patet, dicentis sic, vt supra extitit allegatum in præcedenti capitulo. Temperandorum, siue mutandorum canonum facultatem Romano Pontifici adiacere non dubitamus.

Item ad idem est auctoritas beati Thomę, qui in tractatu suo contra impugnantes religionem, ità inquit, vt in cap. præcedenti inductum est. Omnia statuta, quæ sunt iuris positiui, sunt relicta dispositioni Papæ, vt ea possit mutare, vel dispensare secundùm opportunitates temporum, vel negotiorum.

Secunda via, scilicet rationibus, hoc idem ostenditur sic: Eiusdem est destruere, amouere abrogare, cuius est condere, vt habetur Cod. de leg. lib. 1. de in integr. restit. cùm venisset, sed Papæ auctoritate conduntur canones Conciliorum, vt supra probatum est. Ergo apud illum erit facultas illos amouendi, si necessitas Ecclesiæ, aut vtilitas exposcerit.

Item secundò, sicut par in parem Imperium non habet, sed tantùm potestatis habet vnus Papa, sicut alius. Ergo constitutio vnius non arctat alium; quin possit illam tollere, & reuocare, si voluerit.

Tertiò sic: sicut se habet Imperator ad ad Imperatorem, ità Papa ad Papam, sed Imperator potest tollere determinata per alium Imperatorem, aut contra ea facere. Ergo & Papa tollere poterit instituta suorum prædecessorum. Ratio autem quare hoc rationabiliter potest facere, licèt statuta suorum prædecessorum fuerint rationabiliter ordinata, est iuxta dicta in superiori cap. quia bonum, vt inquit Dionys. constat ex omni parte, ità quòd defectus vnius circumstantiæ debitæ in esse, statim ponit rationem mali, & & ideò secundum philosophum 2. Ethic. virtus consistit in medio, secundùm quòd sapiens determinabit, & quia aliud expedit vni vno tempore, quàm alio, & sic de alijs circumstantijs. Omni enim negotio tempus est, & opportunitas: Ecclesiastic. 8. ideò frequenter ea, quæ rationabiliter fuerunt facta, reuocantur, maximè in agibilius, in quibus non potest haberi firma stabilitas, nec infallibilis certitudo.

Tertia via, scilicèt exemplis, ostenditur primò, exemplo sacrę Scripturæ constat, quòd Dominus mandauit exaltari serpentē ęneum in deserto, vt in eum aspicientes sanarentur à morsibus serpentum, sicut patet numeri 21. quem tamen Rex Ezechias confregit, sicut patet 4. reg. 14. quia filij Israel sibi adolebant incensum. Ex quo patet, quòd id, quod ex præcepto Domini rationabiliter ordinatum fuit, postea eiusdē instinctu rationabiliùs reuocatur, quia frequenter, quod vno tempore fuit expediens, alio tēpore nociuum reperitur.

Item exemplum habemus etiam sacræ Scripturæ de Rege Artarxerses, qui reuocans literas, quas ad suggestionem Principis Amon dederat, vt tota gens Iudæorum deleretur, ait sic. Nec putare debetis, si diuersa iubeamus, ex animi nostri venire leuitate, se pro qualitate, & necessitate temporum, vt Reipublicæ possit vtilitas sententiā ferre: Hest. 11.

Tertiò, patet exemplo, & magis ad propositum ex canone 6. Synodi, qui canon vult quòd Subdiaconus non minor 20. annorum ordinetur, in cap. Subdiaconus dist. 77.

Item ex canone Carthaginensis Concilij qui vult in cap. placuit eadem dict. quòd nullus ante 27. annos ordinetur Diaconus. Ad idem est canon Concilij Agatensis in cap. Episcopus, eadem di. Ad idem canon quarti Concilij Toletani in cap. veteri lege, eadem di. & nihilominus Roman. Pontif. omnes illos sustullit, vt patet in Clementina generalem de ętat. & qualit. vbi glos. dicit sic, hic corrigit canones distinct. 77. peruenit distinct. 78. cap. 1. 2. 3. & vltim. & distinct. 28. cap. de his, in quibus dicitur, quòd habens 20. annos Subdiaconus, 27. Diaconus, 30. Presbyter poterit fieri; & hæc ibi.

CAP. LVI.

In quo obijcitur per aduersarios contra prædicta.

ÆGrè multum ferentes aduersarij, quòd Romanus Pontifex mutare, & tollere possit canones sacrorum Conciliorum, multipliciter nituntur arguere in contrarium.

Primò, ex cap. in istis distinct. 4. vbi inquit Augustin. in istis temporalibus legibus quanquam de his homines iudicent, cum eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundùm ipsas. Ex hoc arguitur ex aduerso, quòd Papa non possit mutare canones, aut tollere, sed necessariò secundùm eos iudicare.

Secundò, arguitur ex cap. sicut dist. 17. vbi beatus Gregorius ità inquit. Sicut Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor. Et infrà: cunctas verò personas, quos præfata veneranda Concilia respuunt, respuo, & quæ venerantur, amplector, quia dum vniuersali consensu sunt constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumit absoluere quos ligant, aut ligare quos absoluunt.

Ex hoc arguunt aduersarij, quòd Roman. Pontif. non possit mutare statuta Conciliorum vniuersalium; quia eadem ratio, quæ currit de istis, videtur currere de omnibus alijs.

Tertiò, arguitur ex cap. sancta octo vniuersalia Concilia distinct. 16. vbi enumeratis octo vniuersalibus Concilijs, sic sequitur in professione Romani Pontificis vsque ad vnum apicem immutilata seruare, & pari honore, & veneratione haberi, & quæ prædicauerunt, & statuerunt, modis omnibus sequi, & quæcumque damnauerunt, ore, & corde damnasse profiteor.

Ex isto aduersarij arguunt id, quod priùs, maximè quia non videtur, quòd Papa ire vellet contra suam professionem.

Quartò, arguitur ex §. hoc autem intelligendum est distin. 19. vbi sic dicit Gratian.

Hoc autem intelligendum est de his sanctionibus, vel decretalibus epistolis, in quibus

bus nec præcedentium Patrum decretis, nec Euangelicis aliquid contrarium inuenitur.

Ex hoc arguunt aduersarij, quòd Romanus Pontif. præcedentium Patrum decreta tollere non possit. Et per consequens nec Canones vniuersalium Conciliorum.

Quintò, ex cap. sunt quidam distin.25. quæst. 1. vbi Vrbanus Papa inquit, quòd vbi apertè Dominus, vel eius Apostoli, & omnes sequentes Patres sententialiter definierunt, ibi non nouam legem Romanus Pontifex potest dare; sed potiùs, quod prædicatum est, vsque ad animam, & sanguinem confirmare debet.

Sextò inducitur cap. sequens, vbi Zozimus Papa itá inquit:

[Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huiusmodi quidem Sedis potest auctoritas; apud nos enim inconuulsa radicibus viuit antiquitas, cui decreta Patrum sanxerunt reuerentiam.]

Item septimò arguitur ex illo Leonis Primi, qui in octauo Concilio tuba Euangelicæ veritatis legitur nominatus, ad Martianum Imperatorem de Canonibus Nicænis scribens, dicit, quòd nulla possunt improbabilitate conuelli nulla nouitate violari. Et addit: In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est me perseuerantem exhibere famulatum; quoniam dispensatio mihi credita est; & ad meum tendit reatum, si Paternarum regulæ sanctionum, quæ Spiritu Dei spirante, sunt conditæ, meque, quod absit, conuiuente violentur.

Octauò, arguitur ex capit. violatores distin. 25. quæst.1. vbi Damasus Papa dicit: [Violatores Canonum, & voluntariè grauiter à sanctis Patribus iudicantur, & à sancto Spiritu instinctu, cuius ac dono ditati sunt, damnantur.

Ex quo videtur nonò formari talis ratio: inferior non potest tollere, aut dispensare in lege superioris. Ergo nec Papa in Canonibus, cùm sint à Spiritu sancto editi. Consequentia patet.

Decimò arguitur: Canon est regula regiminis ad ædificationem Ecclesiæ, secundùm quam Architectus regere, & operari habet, ac vti potestate sua, si benè vult operari. Sed videtur, quòd huiusmodi regulæ debent esse immobiles, etiam inuariabiles, sicut principia in speculabilibus. Ergo Papa, qui Architectus est in ædificando, construendo, & gubernando Ecclesiam, nihil potest immutare circa Canones. Quod confirmatur per illud Hormisdæ Papæ in capit. prima salus, distinct.25. quæst.1. ità dicentis: [Prima salus est rectè fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenùs deuiare.

Vndecimò; si Papa ratione Principatus, siue Primatus potest tollere leges, & instituta inferiorum, sequitur, quòd cùm Petrus fuerit superioribus Apostolis, & per consequens Romanus Pontif. ipse potuerit tollere, immò Canones condere, contra eà, quæ Paulus posuit in epistolis suis, quod videtur inconueniens.

Duodecimò sic: Romanus Pontif. non potest reuocare, aut tollere dicta Doctorum exponentium sacram Scripturam. Ergo multò minùs Summorum Pontificum prædecessorum suorum decreta; aut vniuersalium Conciliorum Canones, & instituta. Consequentia est bona. Et antecedens videtur haberi distinct. 20. in cap. decretales, vbi dicitur, quòd in sacrarum Scripturarum expositionibus Doctores excellentes præponuntur; in causis verò definiendis Summi Pontifices præferuntur.

CAP. LVII.

In quo respondetur obiectionibus præfatis.

Licèt paucis verbis possit plenè satisfieri obiectionibus aduersariorum: nihilominùs pro pleniori præsentis materiæ intelligentia, quid scilicèt Papa, possit in statutis, tam vniuersalium Conciliorum, quàm sanctorum Patrum, & prædecessorum suorum, & clariori responsione ad capitula inducta per aduersarios in oppositum, est aduertendum. Quòd, prout apertè colligi potest ex differentia superiùs assignata inter interpretationem, dispensationem, & reuocationem, siue obligationem; in multis potest cadere interpretatio, in quibus non potest cadere dispensatio, & per consequens nec abrogatio; & in multis potest cadere dispensatio, in quibus non habet locum abrogatio; & in aliquibus potest vtrumque cadere. Quòd luculentissimè ostenditur per conclusiones sequentes:

Prima: Papa potest habere in multis auctoritatem interpretandi, in quibus nullam habet dispensandi facultatem, & multò minùs reuocandi.

Ista conclusio patet, quia Papa cùm sit Vicarius Christi, habet auctoritatem interpretandi dubia in lege Diuina, quæ Fidelibus occurrere possunt, vt supra lib. 2. cap.7. ostendimus.

Vndè & in veteri Lege ad Sacerdotes erat recursus de dubijs legis, quorum interpretationi, qui non stabat, mortis reus habebatur, vt patet Deuteron.17. & introducitur extrà, de test. cap. licèt. Vbi Papa interpretatur illud: [In ore duorum, vel trium;] idest, non paucorum, sed quamplurium; & tamen in lege Diuina dispensare non potest. Nàm in præceptis legis naturæ non potest, sicut in habendo duas vxores, in quo solus Conditor potest dispensare, vt ipsemet Papa dicit extrà, de diuort. cap. gaudemus. Similiter nec in præceptis positiuis vtriusque Testamenti à Deo, vel à Christo immediatè institutis, sicut quòd homo non teneatur ad Baptismum, vel ad Confessionem, vel huiusmodi; quia in lege superioris inferior non potest dispensare, nisi in quantum illi committitur; non videtur autem hoc sibi commissum. Vndè magis commissum legitur immutare cursum naturæ per miracula, quam dictamen iuris naturalis, & præcepta Diuina dispensando, & idem dicendum est de Canonibus, & regulis sanctorum Patrum, & de decretis prædecessorum suorum, in quibus aliqua statuuntur pertinentia ad articulos fidei, siue ad Sacramenta, quæ fundamenta sunt religionis

gionis Christianæ, siue ad bonos mores.

Certè in talibus, licèt possit cadere interpretatio Papæ, cum aliqua ambiguitas nasceretur, non tamen dispensatio, & multò minùs reuocatio: quia, illis intelliguntur maiora non licere, quibus vetita sunt minora, vt habetur extrà, de sentent. excommunic. & cap. cùm illorum.

Minùs est autem dispensare, quàm reuocare, quia omne totum est maius sua parte. Reuocare autem, est legem totaliter abrogare quo ad omnem personam, locum, & tempus. Dispensatio verò quo ad quosdam, vel quo ad quædam tempora, vel loca.

Et ità patet, quòd Papa nec articulos fidei, nec præcepta legis naturæ, vel Decalogi, aut Sacramenta potest mutare, siue reuocare, sicut nec in illis potest dispensare. Et ad istum sensum accipienda, siue intelligenda sunt capitula inducta ex aduerso, sicut cap. sicut distinct. 15. & cap. sunt quidam dist. 25. quæst. 1. & cap. contra, ibidem.

Secunda conclusio est, quòd in aliquibus sanctorum Patrum Canonibus, siue statutis potest Papa dispensare, in quibus non potest tollere generaliter aliquid, siue reuocare. Patet conclusio ista: quoniam Papa dispensat in Canonibus Apostolorum. Sicut patet, quòd bigamus promoueatur, sicut habetur in cap. lector dist. 34. & quòd Presbyter fornicarius non deponatur, vt in capit. Presbyter distinct. 72. Et tamen hos Canones generaliter tollere non posset.

Pro quo notandum, iuxtà dominum Petrum de Palude super 3. sententiarum, quòd licèt illa, quæ Apostoli in primitiua Ecclesia fecerunt propria auctoritate, siue auctoritate solius officij, & proprio instinctu, potest nunc Roman. Pontif. mutare; quia non habet minorem auctoritatem, quam ipsi habuerunt.

Non tamen ea, quæ ex speciali commissione, aut inspiratione Spiritus sancti; quoniam talia, nec ipsi Apostoli, nec successores reuocare possunt, nisi quantum principalis committeret, sicut Scriba legis Imperialis, vel promulgator reuocare non potest, nisi in quantum Princeps iterùm sibi committit. Quicquid autem per Apostolos constitutum est, quod in Canone est receptum, creditur specialiter esse inspiratum à Spiritu sancto. Et similiter, quod in quatuor Concilijs vniuersalibus fuit factum, ità quòd in primitiua Ecclesia Apostoli quædam ordinarunt, non simpliciter, sed ad tempus, quod reuocatum non est, sed impletum est, quando cum tempore finitum est, sicut legalia cum Euangelio seruare Iudæis, & abstinere à suffocatis, & sanguine, & celebrare in fermentato, & huiusmodi, quæ lapsu temporis cessauerunt. Quædam verò, dictante Spiritu sancto, sic ordinauerunt, vt in perpetuum permanerent, sicut tamen, quòd pro loco, & tempore liceret dispensare, non tamen totaliter amouere, & sic expedit Ecclesiæ. Et in talibus licuit successoribus dispensare, eodem Spiritu committente. Sicut apertè colligitur ex facto ipsorum sanctorum Patrum, qui dispensasse leguntur, sicut patuit in exemplis positis, & in multis alijs. Non autem licet huiusmodi generaliter reuocare, quia non est commissum, vt apparet, quia nullus Sanctus hoc præsumpsit. Et cùm ad regimen naturæ, & maximæ gratiæ Dominus faciat quod melius est: imò optimi est optima adducere, ideò commisit, quod expedit, & non aliud.

Vtile est autem Ecclesiæ, quòd aliquando cum bigamo, & percussore, & huiusmodi dispensetur cum aliquando tales inueniantur meliores, non autem expedit, quòd tales indifferenter, sicut cæteri promoueantur. Vnde illud commisit, istud prohibuit. Ergo Papa in talibus potest dispensare; sed non potest ea generaliter, & vniuersaliter reuocare, sicut vnam decretalem à se, vel à prædecessore suo editam. Vnde notauit Alanus extrà, de decimis, cap. licèt, quòd Papa posset alicui laico concedere, quòd non solueret decimas, aut quòd eas percipiet. Non tamen hoc omnibus laicis posset in perpetuum concedere, legem generalem condendo; sed tantùm ex causa ad tempus dispensando, sicut Regibus dantur etiam decimæ Clericorum in subsidium Terræ Sanctæ, vel ob aliam iustam causam.

Tertia conclusio: In multis sanctorum Patrum Canonibus, & statutis Roman. Pont. sicut potuit dispensare, ità & illos abrogare, & omninò tollere. Patet conclusio ista de multis Canonibus abrogatis, & institutis prædecessorum Summorum Pontificum per Romanos Pontif. sequentes. Sicut patet in exemplis priùs positis de Canonibus antiquis de ætate ordinandorum.

His habitis, respondendum est ad argumenta in oppositum.

Ad primum de cap. in istis distinct. 54. respondetur, negando id, quod aduersarij arguunt ex 1. capit. sequatur: quoniam capit. illud intelligitur, non de Iudice summo, scilicèt Papa, vel Principe; quoniam ista possunt etiam post conditas leges de ipsis iudicare, & eas tollere, vel moderare, sed loquitur de inferiori Iudice. Vnde dominus Archidiaconus exponendo hoc capitulum, ità dicit: [Litera hìc loquitur de inferiori Iudice. Nàm si inferior Iudex velit aliquid proponere, quare lex illa non debeat condi, faciliùs audiretur primò, quàm posteà, argum. ad hoc distinct. 31. Nicæna.

Ad secundum, de cap. sicut distinct. 5. respondetur dupliciter:

Primò sic ad antecedens, quòd hoc, quod dicitur, quòd quatuor illa Concilia non posset mutare, aut reuocare, potest intelligi duobus modis. Vno modo, quia Concilia sunt, & sic non est verum antecedens, quia quod competit alicui in quantum tale, competit omni tali. Sicut quod competit homini in quantum homo, competit omni homini. Si ergo hoc competeret illis quatuor Concilijs in quantum Concilia, sequeretur, quòd nullas sententias datas, aut constituta facta in quibuscumque Concilijs possit reuocare, quod tamen falsum est, vt in gloss. per principalem dist. 9. quæst. 3. Aut potest intelligi, quòd hoc competat illis quatuor Concilijs, non in quantum Concilia sunt, sed in quantum de tali materia sunt, scilicèt de veritate articulorum fidei, & sic dicimus, quòd hoc competat illis quatuor Concilijs, quod reuocari nō possunt propter hoc, scilicèt, quòd non fuerunt nisi declaratiua articul. fidei.

Secun-

Secundò respondetur, negando consequentiam, videlicèt, quòd ex capit. illo sequatur, quòd Papa in nullis Canonibus vniuersalium Conciliorum possit dispensare, aut aliquid immutare, licèt benè concedatur, quòd non possit statuta Conciliorum vniuersalium immutare quantum ad ea, quæ concernunt articulos fidei, & generalem statum vniuersalis Ecclesiæ, vt gloss. eiusdem capit. habet. Vnde Archidiaconus in Rosario idem dicit in hac forma verborum: [Fateor in his, quæ ad fidem pertinent, & generalem statum Ecclesiæ, in alijs potest contra statuta Conciliorum venire.]

Si dicatur, quæ dicuntur ad generalem statum Ecclesiæ pertinere? Videtur nobis, quòd inter alia sunt ista, quæ omnes Fideles tangere possunt; vt sunt illa, ex quorum alteratione tota Ecclesia turbaretur, sicut ponitur exemplum de depositione omnium Episcoporum simul; quia cùm omnes Animæ Christianorum sunt in manibus Episcoporum, hoc quemlibet tangit; & cùm Episcopi in loco Apostolorum succedunt, vniuersalem Ecclesiam repræsentent, turbaretur fides Christiana.

Prætereà, cùm in depositione omnium Episcoporum simul non possit esse causa iusta, maximè præsumeretur in tali depositione defectus fidei in Papa, & hoc faceret in destructionem fidei, ex quo turbaretur tota Christianitas.

Et meritò dicitur pertinere hoc ad vniuersalem statum Ecclesiæ. Et ità posset poni exemplum in multis alijs, ex quibus vniuersalis Ecclesia turbaretur, & scandalizaretur.

Similiter possent ad vniuersalem statum Ecclesiæ dici pertinere præcepta Diuina, præcepta legis naturalis, & Sacramenta, in quibus status, & salus vniuersalis Ecclesiæ consistit, & omnes tangit vniuersaliter.

Ad tertium de cap. sancta octo distin. 16. respondetur eodem modo sicut ad precedens, videlicèt, quòd intelligendum est de his, quæ spectant ad articulos fidei, & generalem statum vniuersalis Ecclesiæ, & quæ necessaria sunt saluti.

Ad quartum de §. hoc autem intelligendum, dist. 19. respondetur, quòd id, quod magister Gratianus ibidem dicit, intelligendum est de his, de quibus præcedentia capitula exposita sunt, aliàs non diceret verum; vndè Dominus Archidiaconus in Rosario, exponendo hunc locum, dicit sic: Videtur dicere, Gratianus scilicèt, quòd Papa contrà benè statuta suorum prædecessorum non possit aliud statuere, quod non puto verum esse: nam, & benè statuta potest reuocare inspecta causa, dummodò non tangat pręcepta veteris, & noui testamenti, vel articulos fidei, vel ea, quæ sunt necessaria ad salutem, vel quæ pertinent ad generalem statum Ecclesiæ, & ideò non approbo, quod hìc dicit magister, nisi de talibus intelligatur, hæc Archidiaconus.

Ad quintum de cap. sunt quidam 25. quæst. 1. est eadem responsio, quæ data est ad præcedentia, & est responsio gloss. dicit ibidem quòd verum est, quòd Papa non dispensat in his, quæ pertinent ad articulos fidei, & quæ sunt iuris diuini, benè autem in alijs sicut; cum bigamo contrà Apostolum, vt dist. 34. lector, & contrà canonem Apostolorum, vt in cap. præsbyter 82. dist. Item etiam quamquam contra generalem statum Ecclesię, sicut fecit Innoc. in Lateranen. Concilio, extrà de cosan. & affin. hæc gloss.

Ad sextum de capit. contrà, respondetur, vt respondet glossa, quæ super verbo statuta, ità dicit: de articulis fidei, vt dictum est in cap. proximo. Ad hoc cap. etiam S. Thom. respondet eodem modo, in tractatu contrà impugnantes religionem, sic dicens: Verum est, quod hìc dicitur in illis, quæ statuta Sanctorum Patrum decreuerunt de iure diuino, sicut articuli fidei, qui determinati sunt per Concilia, sed illa, quæ sancti Patres decreuerunt de iure positiuo, sunt relicta dispositioni Papæ, vt ea possit mutare, vel dispensare secundùm opportunitates temporum, vel negotiorum, hęc sanctus Thomas.

Ad septimum, quod inducitur de Leone Papa, respondetur: dato, quòd auctoritas illa iaceat, vt inducitur per aduersarium, quod tamen non est verum in toto, quòd auctoritas illa non facit pro aduersarijs propter duo. Tum primò, quia Leo Papa licèt dicat Nicęnos canones nulla posse improbitate euelli, aut nouitate vitiari, non tamen negat quin auctoritate Romani Pontificis, ob necessitatem, & vtilitatem fidelium possit in eis fieri dispensatio, magna differentia est, inter ista duo, improbitate euelli, & necessitate, aut vtilitate moderari. Secundò, quia licèt ad Papā pertineat intendere, ne canones, per aliquos pro voluntate violentur: non sequitur, quòd ipse ex rationabili causa dispensare non possit, vt est manifestum.

Ad octauum de cap. violatores 27. qu. 1. respondetur, quòd cap. illud nihil facit pro aduersarijs, quoniam licèt violatores canonum voluntate, idest sine necessitate repræhendantur, & veniant damnandi, non propter hoc Romanus Pontifex prohibetur dispensare, aut mutare illos, si personarum, locorum, aut rei conditio exposcit, aliud enim est propria voluntate, sine causa, sine necessitate violare canones: & aliud est rationabili causa existente, per habentem auctoritatem dispensare in illis, maximè quia, vt dicit sanctus Thomas in tractatu contrà impugnantes religionem, quando Papa dispensat, aut mutat canones secundùm opportunitates temporum, & negotiorum, non facit contrà canones, aut statuta Sanctorum Patrum, quia seruatur intentio statuentium, quæ est vtilitas Ecclesiæ, sicut, & in omni iure positiuo accidit, derogatur enim prioribus statutis, per statuta sequentia; hæc ille. Ad idem etiam Chrysost. super Matth. dicit sic: Lex legislatori subiecta, non legislator legi, qui ergo soluit legem, literam quidem legis soluit, propositum autem legis eius non soluit, sed magis illi addit ad hoc dignitatem, hæc ille.

Ad nonam obiectionem sumptam ex eodem cap. violatores, respondetur sicut suprà responsum est, ad sextam negando consequentiam. Pro quo notandum iuxtà sanctus Thomas, & Doctores, quòd duplex distinguitur genus

genus canonum, qui, Spiritu Sancto dictante, per plures Sanctos in Concilijs, siuè extrà Concilia conditi sunt.

Primum genus est eorum: quæ sunt de Iure diuino, sicut sunt canones pertinentes, siuè statuta ad articulos fidei, aut ad substantiam Sacramentorum, aut quæ manifestam connexionem habent ad legem diuinam pertinentia ad bonos mores, & de talibus intelliguntur omnia illa capitula, vt dicit S. Thomas, iuxtà etiam gloss. quæ ponuntur 25. quæst. 1. videlicèt cap. violatores, cap. sunt quidam, cap. contrà statuta, cap. prima salus.

Secundum genus canonum est eorum, quæ Sancti Patres instituerunt in Concilijs vniuersalibus de iure positiuo, licèt enim canones omnes à Sanctis patribus vnanimitèr, & vno consensu editi, censeantur conditi à Spiritu Sancto, sicut dictante, & inspirante: non tamen omnes dicuntur pertinere, aut ad legem naturæ, aut ad ius diuinum, sicut aduersarij videntur innuere, sed aliqui dicũtur pertinere ad ius positiuum, nam si canones omnes, quia à Spiritu Sancto dicuntur conditi, pertinere ideò dicerentur ad legem naturæ, siue ad ius diuinum, indispensabiles essent, & ità Ecclesia errasset dispensando in canonibus factis à Sanctis Patribus. Item nec mutari possent, qui semel essent constituti, & multa alia sequerentur, quæ omninò sunt absurda, & inconuenientia. In primo genere canonum, qui pertinere videntur ad legem Domini: Papa non dispensat, nec mutationem facit, in secundo verò genere canonum sic, quemadmodum sæpe dictum est.

Ad decimam, quæ sumitur ex eo, quòd canon dicitur regula, respondetur, negando minorem, in qua dicitur, quod oporteat regulas huiusmodi agibilium esse immobiles, & impermutabiles, sicut principia in speculabilibus. Pro quo notandum, quòd cum certitudinis firmitas varietatem rerum, vt dicitur, primo de anima, & 1. Ethyc. & omnis mensura dicatur regulatiuè ad mensuratum, non oportet, quòd omnis mensura, aut regula sint æqualis certitudinis, aut firmitatis, nec omnis possunt esse infallibiles, sed quantum possibile est in suo genere, vndè cum illa, quæ regulanda sunt lege humana, siue canonica, siue Concilij, sint contingentia singularia, multiplicitèr variabilia, non possunt leges humanæ habere illam immortalitatem, siuè immutabilitatem, quam habent principia in speculabilibus, sicut est manifestum, immò propter huiusmodi rerum varietatem, quibus oportet mensuras, & regulas coaptari ad salutem reipublicæ, est necessarium leges ipsas mutabiles fore, vt Sanctorum Patrũ auctoritatibus suprà ostensum est c. 52. vndè lex, quæ vno tempore est iusta, & vtilis, alio tempore seruata, esset iniusta, & nociua. Pro quo aduertendum est iuxtà SanctumThomam in 1. 2. quòd rectum in rebus corporalibus dicitur absolutè, & ideò rectum in eis, quantum est de se, manet semper rectum, sed rectitudo legis accipitur non absolutè, sed in ordine ad vtilitatem communem, cui non semper proportionatur vna, & eadem res, & ideò talis rectitudo mutatur, vndè dicit Aug. in primò de liber. arbitr. quòd lex temporalis, quamuis iusta sit, mutari tamen per tempora iustè potest. Et ità patet, quòd ratio illa, quæ apud aduersarios censetur esse magni roboris, non procedit, & ad cap. prima salus 25. quæst. 1. quod inducitur, respondetur, quòd intelligitur de statutis conditis à Sanctis Patribus, quæ sunt de iure diuinò, & non de his, quæ sunt de iure positiuo, quoniam à talibus pro loco, & tempore licitum est declinare, vndè propter hanc differentiam, quæ est in constitutis Sanctorum Patrum, dicit Leo Papa in cap. sicut dist. 14. quòd sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione conuelli: ità multa sunt, quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum oportet temperari, per quam distinctionem soluuntur multa alia argumenta aduersariorum, quæ inducunt de immutabilitate canonum.

Ad vndecimam, quòd possit tollere, &c. respondetur iuxtà superius dicta, quòd contrà dicta Apostolorum extrà scripturam sanctam potest Romanus Pontifex, quia sic superior est: sed contrà dicta contenta in sacra scriptura, non potest, non quia Pauli sunt, sed quia in scriptura sunt, quæ necessario continet infallibilem veritatem, & quæ à Spiritu Sancto principalitèr est, à Paulo autem est instrumentalitèr, iuxtà illud Psalm. 44. Lingua mea calamus scribæ &c. Actio autem attribuitur principali agenti, non autem instrumentali, & ideò cum spiritus Sanctus sit superior Papa, si faceret contrà Scripturam sanctam, faceret contrà Spiritum sanctum, & ità illa consequentia aduersariorum non procedit qua dicunt: ergo Papa potest tollere ea, quæ Paulus posuit in epist. suis, cum epistolæ illæ in canone sacræ Scripturæ contineantur.

Ad duodecimam de cap. decretales dicendum, quòd consequentia non valet: quoniam ad diuersas gratias spectant, primum enim ad excellentiam scientiæ, secundùm ad eminentiam potestatis, & ideo licèt diuinarum scripturarum excellentissimi Doctores scientia Pontificibus Romanis fortè præmineant: & dicimus fortè, quia potest esse ità doctus Romanus Pontifex, quòd nullus suo tempore sit par ei, neque superior etiam in scientia, nihilominus in causarum, siue dubiorum definitione, in dispensatione canonum, aut mutatione etiam statutorum prædecessorum suorum, quæ omnia respiciunt auctoritatem meritò Pontifices præferentur, vndè S. Thomas in quodlibeto 5. & vlt. dicit, quòd magis standum est sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio præfert, quàm quorumlibet sapientum hominum in scripturis opinioni, dicit enim in 2. 2. q. 2. artic. 3. quòd contrà auctoritatem Papæ, nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis Sanctorum suam sententiam defendit. Ex quo satis confunditur præsumptio aduersariorum nouellorum magistrorum, quæ apertè Summorum Pontificum sententijs, & Sanctorum etiam Patrum sententias suas anteferre præsumunt.

CAP. LVIII.

Quod vniuersale Concilium plenarium in his, quæ fidei sunt, errare non possit.

EX his, quæ de sacrorum Conciliorum vniuersalium canonibus, suprà explanauimus, orta nobis est occasio veniendi ad quęstionem illam, vtrum vniuersale Concilium in his, quæ fidei sunt, errare possit? Ad quam quæstionem nobis videtur sub distinctione respondendum: de Concilio vniuersali loqui possumus dupliciter vno modo de Concilio vniuersali plenario, plenarium autem Concilium dicimus, in quo cum Ecclesiæ Patribus Romanus Pontifex eorum Caput, & Princeps vnanimi consensu, & auctoritate concurrit, siuè interuenit; vndè Concilium Antiochenum de plenario Concilio prouinciali loquens ait: perfectum Concilium est illud, in quo interuenit Metropolitanus antistes. Item ibidem, illa dicitur plenaria synodus, in qua etiam Episcopus Metropolitanus interfuit.

Secundo modo loqui possumus de Concilio, prout dicit corpus tantùm Patrum, distinctum à capite suo Romano Pontifici, si primo modo loquamur de Concilio sit ista conclusio: Concilium vniuersale in his, quæ ad fidem pertinent, errare non potest, quæ tàm patrum Ecclesiæ, quàm Romani Pontificis vnanimi consensu definita sunt. Ista conclusio multipliciter probatur.

Primò sic: Apostolicæ Sedis iudicium in his, quæ fidei sunt, errare non potest, ergo nec Concilium vniuersale, in quo Apostolicæ Sedis interuenit, siue concurrit auctoritas, & consensus, consequentia est manifesta, antecedens est à nobis muliplicitèr demonstratum lib. 2. in cap. 109. colligitur etiam ex illo Luc. 22. [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, &c. Item ex cap. illo in fede, & cap. hæc est fides 24. qu. 1.

Secundò sic, in Ecclesia militante est certum iudicium de difficilibus, & obscuris, quæ circa fidem emergunt, patet, alitèr enim tota Ecclesia militans posset circà fidem errare: sed vltimum iudicium circà difficilia, & obscura circà fidem emergentia penès Concilium vniuersale plenarium residere censetur, vt videtur velle Aug. in epistola ad Glorium, & Eleusium, & in lib. 1. de vnico baptismo contrà Donatistas, vbi ità inquit: Quæstionis huius obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus, ante scisma Donati, magnos viros, & magna charitate præditos patres Episcopos, ità inter se compulit, salua pace, disceptare, atque fluctuare, vt diù Conciliorum in suis quibusque regionibus diuersa statuta mutarent, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiã remotis dubitationibus firmaretur, hæc ille, ergo Concilium vniuersale circa fidem errare non potest.

Tertio sic, vniuersalis Ecclesia non potest errare, quia Spiritu Sancto gubernatur, qui est Spiritus veritatis, hoc enim promisit Dominus Discipulis suis Ioan. 17. Cum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, sed definita per Concilia vniuersalia plenaria, sunt definita auctoritate vniuersalis Ecclesiæ, ergo sequitur, quòd Concilia vniuersalia plenaria nullo modo errare possunt in fide.

Quartò sic, si Concilia vniuersalia plenaria errare possent nihil certum haberemus de definitis per Concilia vniuersalia, & ità symbolum fidei, quod in missa cantatur factum in Concilio Constantinopolitano, redderetur nobis dubium, quod est absurdum dicere, & multa alia inconuenientia sequerentur. Ista argumentatio videtur esse 8. synodi, vndè facta definitione, ità inquit post multa: At verò si reprobauerit saltem vnum ex his, quæ hìc scripta sunt, & à Beato Nicolao antę iudicata, fiet estus in Ecclesia nostra continuus, & simultas Ecclesiasticorum negotiorum, ità vt numquam videri posset in Ecclesia quilibet ordo, vbi enim concursus omnis patriarchalis throni, & vt idipsum dicatur, omnes sancti Theologi, si diabolico concilio ambiguitatem quis habeat, vocatio profectò, tandem infirmitatem habebit, & ecclesiastica constitutio pacem, anathema ergo illi, qui secundùm aliquid præsumpserit reprobare quicquam ex his, quæ hìc scribuntur à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto amen, hæc ibi.

Quintò sic: à Concilio vniuersali plenario in causa fidei appellari non potest. Ergo sequitur, quòd circa causas fidei errare non possit. Consequentĩa patet, cùm omnis causa vitiata per appellationis remedium sit subleuanda: distinct. 2. quæst. 6. cap. liceat. Si Concilium tale errare posset in causa fidei, cùm illa posset vitiari; & ità per appellationis remedium esset subleuanda, & ità licèret appellare à Concilio. Antecedens tamen patet, cùm ex decreto Concilij Chalcedonen. vbi statutum legitur, quòd ab electa Synodo non appellatur. Electa autem Synodus dicitur, in qua assensus, & approbatio Apostolicę Sedis interuenit, vt aliàs declarauimus.

Prætereà: si appellare licèret, aut ad aliud Concilium vniuersale, aut ad Papam, aut ad Ecclesiam vniuersalem. Non ad aliud Concilium vniuersale, quia eadem ratione ab illo appellare licèret; & ità finis talis causæ imponi non posset. Non esset appellandum ad Papam; quia cùm in Concilio plenario interuenire intelligatur cõsensus Papę, & auctoritas eius; appellatio illa esset à Papa ad Papam, & non ad aliquem superiorem. Nec etiam appellandum ad Ecclesiam, quia frustrà ad vniuersalem Ecclesiam appellaretur, cùm vniuersalis Ecclesia simul in vnum conuenire non possit.

Sextò sic: illa congregatio in his, quæ fidei sunt errare non potest, cuius definitiones, & constituta omnes Fideles sub pœna anathematis, siue priuationis communionis Fidelium iubentur obseruare, patet; sed vniuersalia Concilia sunt huiusmodi. Ergo, &c. Minor patet ex multis, cùm ex Concilio nono Toletano, vbi actione 11. ità dicitur: [Ne quilibet in posterum, aut impunè valeat conueniri, aut generalia statuta conuellere plena, decernimus vnanimitate connexi, vt quæ-

quæcumque pro fidei causis, Ecclesiasticisque negocijs, aut in præteritis gestis, aut in præsentibus constitutis, aut in futuris etiam decretis, vel sint, vel fuerint definitione conscripta vniuersalis auctoritatis, nullus hic deinceps contradicere audeat, nullus reuerberare præsumat, nullus implere contendat. Nàm si quis ex religione contrà hæc inobediens, aut susurrans, certè latrator, aut inuidus, aut potiùs non fautor extiterit gratiosus, & honoris sui, & communionis sanctæ, lugeat amissione mulctatus.] Hæc ibi.

Item, hoc etiam à sanctis Patribus legitur institutum, vt dominus Aymarus libro de Synodis testatur, ità dicens: [Sancti Patres sub districto anathemate condemnasse leguntur eos, qui Orthodoxorũ Patrum statuta non receperint, quæ vniuersalibus Concilijs consonare perspexerint.] Vndè Gregor. I. omnes à principalibus Concilijs dissentientes, in sua Synodica anathematizauit.

Septimò sic: ea quæ conclusa sunt in Concilio plenario supradicto dicuntur vniuersaliter totius Ecclesiæ consensu definita, & conclusa. Ergo sequitur, quòd præfatum Concilium vniuersale in his, quæ circa fidem definit, errare non possit. Consequentia patet argumentatione, qua beatus Gregor. vtitur in capit. sicut distinct. 15. dicens: [Cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo, quæ venerantur, amplector, quia dùm vniuersali sunt consensu constituta, se, non illa destruit, quisquis præsumpserit absoluere quos ligant, aut ligare quos absoluunt.]

Octauò sic: in Concilijs vniuersalibus plenarijs creduntur sancti Patres Spiritu sancto Canones condidisse, & maximè circa fidem, sine qua impossibile est placere Deo; vt inquit Apostolus ad Hebr. 11. Ergo videtur, quod talia Concilia, dirigente Spiritu sancto, in his, quæ fidei sunt, errare non possunt. Consequentia patet, quia Spiritus sanctus, cuius gratia editi sunt Canones, est Magister veritatis, & non erroris. Antecedens habetur ex cap. illo distinct. 15. quod est beati Isidori, vbi enumeratis quatuor vniuersalibus Concilijs plenarijs, scilicèt, Niceno, Constantinopolitano, Ephesino primo, & Chalcedonen. ità inquit: [Hæ sunt synodi principales 4. fidei materiam plenissimè prædicantes, sed, & si quæ sunt alia Concilia, quæ Sancti Patres Spiritu Dei pleni sanxerunt post istorum 4. auctoritate manent omni stabilita vigore, secundò ex cap. violatores, vbi Damasus Papa, ità dicit: Violatores Canonum voluntariè, grauitèr à Sanctis Patribus iudicantur, & à Spiritu Sancto instinctu, cuius, ac dono ditati sunt, damnantur, hæc ille.

Nonò sic: illud Concilium errare non potest in fide, quo errante, erraret vniuersalis Ecclesiæ: quia in tali Concilio vniuersali, vniuersalis Ecclesia repræsentatur, & virtute continetur.

Decimo arguitur sic: nullum iudicium, quod in materia fidei irreiterabile, & irreuocabile est, defectibile est, aut errare potest in fide, sed iudicium plenarij Concilij in materia fidei, ità habitum est apud SanctosPatres, & definitum, vt inconuulsum, & irreuocabile in æuum maneret, ergo Concilium vniuersale, de quo loquimur, in his, quæ fidei sunt defectibile esse non potest, consequentia est bona, maior etiam patet, minor verò est Gelasij Papæ in epistola, quàm vniuersis Episcopis per Dardaniam constitutis, scribit, vbi dicit. Patres nostri Catholici, videlicèt doctique Pontifices in vnaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica, atq; apostolica in cõuulsum voluerũt, deinceps firmumque constare, nec in eadem causa denuò, quæ præfixa fuerant, retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt, sapientissimè prouidentes, quoniã si decreta salubritèr cuique liceret iterare nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum: atque semper eisdem furoribus rediuiuis omnis integra definitio turbaretur, &c. Indè est, vt in cap. maiores 24. quæst. 1. habetur, idem Papa Gelasius dicit. Maiores nostri diuina inspiratione cernentes, necessariò prædicarunt, vt quòd contrà vnaquamque hæresim coacta, idest coadunata, semel synodus pro fidei communione auctoritate catholica, atque Apostolica promulgasset, non sine retractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur, quæ medicinalitèr fuerant statuta post propulsandi, & infrà in fine: synodus semel gesta cõdemnans, vlteriùs ad noua Concilia venire non sint, vt scilicèt inquit, temerè de fide disputent.

Nam, vt inquit Imperator Martianus de summ. Trin. & fin. cap. iniuriam facit iudicio reuerendissimæ Synodi, si quis semel iudicata, ac rectè disposita, reuoluere, atque publicè disputare contendit, quo circà in cap. confidimus 27. qu. 1. Papa Gelasius inquit. Confidimus, quòd nullus tam veraciter Christianus ignorat vniuscuiusque synodi constitutum, quòd vniuersalis Ecclesia probauit assensus, nulla magis exequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & vnamquamq; synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit. hæc ille. Huiusmodi autem Concilia, in quibus vniuersalis Ecclesiæ concurrit assensus, sunt illa, quæ plenaria vocat Augustinus, quorum, vt ipse ait in epistola ad Ianuarium, saluberrima in Ecclesia auctoritas est, in cap. illa dist. 12. de quibus currunt rationes, quæ fiunt, quòd vniuersale Concilium errare in his, quæ fidei sunt, non possit.

Vltimò sic: illa congregatio in definitione vnanimi sua in his, quæ fidei sunt credenda est non errare, cuius definitionis oppositum tenentes, sunt hæretici, sed tenentes, & sapientes contrarium eorum, quæ vniuersalia Concilia plenaria de fide definierunt sunt hæretici: ergo, &c. consequentia est bona, maior patet, minor etiam patet, vndè dicitur in Concilo Calcedonen. actione 5. post datam sententiam de duabus naturis, & vna persona in Christo, dicunt Patres sic. His itaque à nobis dispositis, definiuit sancta, & vniuersalis synodus alteram fidem nulli licere proferre, vel conscribere, aut componere, aut sentire aliter eos, aut qui ausi sunt, aut componere fidem alteram, aut certè proferre, aut decere, aut tradere alterum symbolum: si Epi-

si Episcopi fuerint, aut clerici, alienos esse ab Episcopatu, & clericos à clero, si Monachi, & laici fuerint, anathematizati, multa similia habentur ex alijs Concilijs vniuersalibus.

Secundo vero modo loqui possumus de Concilio vniuersali, prout tantum dicit Prælatorum congregationem distinctam, siue condiuisam à Romano Pontifice, siue non inclufo Romano Pontifice, & hoc modo loquendi: sit ista conclusio: Concilium vniuersale non interueniente consensu, & approbatione Apostolicę sedis errare potest in his, quę fidei sunt. Quæ conclusio exemplis, & auctoritate ostenditur.

Exemplaritèr patet primò de Concilio, quod copioso numero Episcoporum conueniente Arimini celebratum est, in quo, vt dicit Hieronym. in altercatione Luciferiani, & Orthodoxi nomine vnitatis, & fidei infidelitas, scripta est, contrà quod Damasus Papa viriliter insurrexit, & congregato Concilio condemnas Liberium, anullauit quod fecerat, hoc Concilium beatus Augustinus vocat latrocinium, hoc Concilium damnatur in canone in cap. Sancta Romana Ecclesia, vbi Gelasius Papa inquit: In primis Ariminen. synodum à Constantino, Cesare, Constantini filio congregatam mediante Thauro præfecto, ex tunc, & in æternum confitemur esse damnatam.

Secundò, idem ostenditur ex Concilio Ephesino secundo, quod legitimè inchoatum fuit, præsidentibus etiam Legatis Papæ, nihilominùs in euersionem fidei agitatum est, & in eius correctionem Leo Papa Calcedonen. synodum instituit.

Item Synodus Aquileiæ celebrata, quæ quintam vniuersalem synodum à Iustiniano Imperatore, & Vigilio Papæ Constantinopoli celebratam suscipere diffidit: quam Sergius Papa salubritèr redarguit, & ad concordiam reduxit, vt narrat Vincentius in speculo historiali lib. 24. cap. 134.

Item synodus tricentorum triginta Episcoporum tempore Constantini Constantinopoli congregata, in qua, vt narrat idem Vincentius libro commemorato capit. 174. ædictum promulgatum est de imaginibus Dei, & Sanctorum deponendis, contrà quam Stephanus Papa Romæ synodum congregat, in qua omnia à Constantino ordinata reordinat, & venerationem sanctarum imaginum confirmat, eorumque prophanatores anathematizat, vt idem Vincentius commemorat libro præfato cap. 165. vndè septima synodus condemnans præfatā synodum sic ait: frementi Concilio, contrà venerabiles imagines anathema.

Item, infrà de peruersione illius Concilij loquens, & causis damnationis eius, ità inquit: Hoc, nempè Concilium Cayphaicum, conciliabulum factum est, illud aduersùs Dominum inania meditatum est, hoc aduersùs imaginem fremuit, & infrà hoc Concilium solam nuncupationem habet sacerdotalem, scientiam autem prauam, atque prophanam, hoc Concilium contumax habet os, & spiritum mendacio delibutum. Nam veritatem quamdam finxit, in fallacia præsumpsit, hoc Concilium, sancta synodus, vtpotè zizania Dominicæ Areæ, idest Ecclesię Catholicę, ventilauit, & ventilabro Diuini Iudicij proiecit, ablata ergo sunt à Catholica Ecclesia, & redarguta figmanta eius, hæc ille.

Item Concilium Aquisgrani celebratum cuius definitioni circà materiam Sacramenti Matrimonij non statur, videlicèt quòd raptor non possit matrimonialitèr cum rapta copulari, de quo in cap. placuit 36. qu. 2. sed potiùs statuitur auctoritati Hieron. contrarium definientis, vt in cap. tria eadem quæst. de quo fit mentio, etiam in glos. super cap. de libellis dist. 20. sic de multis alijs possent exempla induci, & cum illis, etiam de Basilien. quod, & scandalosum, & in multis à Sanctorum Patrum doctrina errasse videtur. Præterea, quòd Concilium præfatum errare possit, satis apertè colligitur ex beato Augustino, qui in epistola quadā contrà Donatistas, vbi post quoddam acerrimum argumentum, subinfertur ad propositū, sic faciant mille concilia, Episcopi vestri huic vnæ sententiæ respondeant; & ad id, quod volueritis, consentimus vobis.

Item idem colligitur ex beato Isidoro in cap. Domino Sanct. dist. 50. vbi ait: quòd si in gestis Conciliorum distans sententia inueniatur, illius Concilij sententiæ standum sit, cuius quidem potior, & antiquior extat auctoritas, numquam autem ad inuicem possunt discordare, nisi altero illorum à vero declinante, quoniam secundùm Philosophum 1. Ethyc. Omnia vera consonant, sed falsum est, quod à vero dissonat, hoc autem nequaquam dixisset Isidorus, si fuisset impossibile Concilium aliquod errare. Idem etiam colligitur ex cap. cuncta per mundum. 9. quæst. 3.

Item Augustinus in epistola contrà Donatistas, ait: Itaque Concilium illud peruersum, atque nephandum maximè, vt creditur, traditorum fuit. Ex his exufflatur phantasia stulta eorum, qui omni Concilio non errandi gratiam, quasi essentialitèr inesse affirmant, cum tam ex Euangelio, quàm ex actibus Apostolorum, & gestis antiquorum Conciliorum manifestè oppositum habeatur.

CAP. LIX.

In quo obijcitur contra prædicta.

SVnt aliqui aduersarij, quibus non sapit veritas prædicta de infallibilitate iudicij plenariorum Conciliorum, & arguunt contrà illam multipliciter.

Primò sic, vt Gulielmus Okan inducit in Dialogo suo: Vna sola Ecclesia militans est, quæ contrà fidem errare non potest, quia de sola vniuersali Ecclesia militante inuenitur in scripturis authenticis, quòd errare non potest: Concilium autem vniuersale, licèt sit pars Ecclesiæ vniuersalis, non tamen est ipsa Ecclesia vniuersalis; ergo temerarium est dicere, quòd Concilium generale circa fidem errare non possit.

Secundò sic: Illa congregatio, quæ potest voluntate humana dissolui, potest contrà fidem errare, quia illa Ecclesia, quæ in fide errare non potest vsque in finem seculi est duratura, iuxtà verbum Christi Matth. vlt. [Ego autem

autem vobiscum sum vsque ad &c.] sed Concilium vniuersale potest humana voluntate dissolui; sicut dissoluitur : ergo Concilium vniuersale potest errare in fide.

Tertiò : Illæ personæ, quæ in diuersis locis existentes possunt circa fidem errare: etiam si ad vnum locum conueniunt, possunt circa fidem errare : quia concursus ad eumdem locum non reddit illos inobliquabiles à fide, quia sicut locus non sanctificat homines, ità non confirmat in fide, sed omnes ad Concilium venientes generale, antequam conuenirent, potuerunt circa fidem errare: ergo etiam postquam conuenerūt potuerunt, labi in hæreticam prauitatem.

Quartò sic: Si in generali Concilio congregati circa fidem errare non possunt, aut hoc est ratione sapientiæ, qua præfulgent, aut ratione sanctitatis, qua pollent, aut ratione auctoritatis, & potestatis, quam habent, aut ratione promissionis Christi, qui promisit Apostolis fidem vsque ad finem sæculi duraturam. Non propter primum tantùm, quia sæpè multi sapientes Catholici inueniuntur extrà generale Concilium, qui habent defensare fidem, licèt errare possint. Non propter secundum, scilicet sanctitatem, quia non semper sanctiores sunt, qui ad Concilium conueniunt generale, tum etiam; quia sanctitas in Ecclesia militante nullos confirmat in fide, sicut patet. Nec propter tertium, scilicet auctoritatem, quia Papa est maior auctoritate illis, & tamen errare potest in fide, iuxtà cap. si Papa dist. 40. Non etiam propter quartum, scilicet Christi promissionem, quia Christus promittens, quòd fides semper duratura foret in Ecclesia, nullam fecit mentionem de Concilio vniuersali.

Quintò arguitur exemplis multorum Conciliorum, quæ videntur errasse, de quibus dictum est in præcedenti cap.

Sextò arguitur etiam errasse Concilium plenarium, in quo consensus, & approbatio Apostolicæ Sedis interuenit; patet de Synodo Stephani Papæ Septimi, qui erroneè omnes ordinationes factas per Formosum Papam irritas esse decreuit; vndè etiam Synodo celebrata Romæ per Ioannem IX. extitit reprobata: ergo Concilium vniuersale potest errare, quia constat, quòd altera illarum Synodorum, quarum vna aliam reprobauit, errauit.

Septimò arguitur ex illo beati Augustini lib. de vnico baptismo contra Donatistas: plenaria Concilia sæpè priora posterioribus emendari; hoc autem non esset, nisi priora illa, quæ emendanda veniunt, aliquo modo errassent.

CAP. LX.

In quo respondetur obiectionibus præfatis.

Benè considerantibus, quæ dicta sunt, facile est respondere præfatis obiectionibus.

Vnde ad primam, cùm dicitur, quòd de sola vniuersali Ecclesia inueniatur in scripturis authenticis, quòd errare non possit in fide: respondetur dupliciter.

Primò, negando maiorem illam; quoniam in scripturis authenticis, non tantùm de vniuersali Ecclesia, sed etiam de Romana, siue Apostolica Sede reperitur, quòd errare non possit; vnde Luc. 22. dictum est Petro pro Ecclesia Romana, & Apostolica Sede: [Petre ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua,] habetur etiam in cap. in Sede, & in cap. hæc est fides 29. quæst. 1. sicut pleniùs in lib. 2. cap. 109. ostendimus.

Secundò, respondetur ad minorem, quòd licèt plenarium Concilium non sit materialiter tota vniuersalis Ecclesia: est tamen tota auctoritate; vndè hac ratione in cap. confidimus 25. qu. 1. definita in plenaria Synodo, dicuntur vniuersalis Ecclesiæ assensu approbata.

Ad secundam, cùm dicitur, quòd congregatio, quæ voluntate humana, &c. respondetur, negando vniuersaliter assumptum. Verumtamen est notandum, sicut in 2. libro cap. 109. distinximus, quòd non errare, siue deficere aliter videtur attribui, quando dicitur, quòd vniuersalis Ecclesia errare, vel deficere non potest in fide, & aliter, cùm attribuitur, aut Apostolicæ Sedi, aut plenario Concilio, vniuersali quidem Ecclesiæ attribuitur, quia fides numquam deficiet de Ecclesia; quoniam semper in aliquibus multis, aut paucis fides semper permanebit vsque ad finem, sicut nos plenissimè ostendimus lib. 1. huius summæ cap. 28. Sedi verò Apostolicæ, aut plenario Concilio attribuitur quo ad iudicium, ità quòd dicimus, quòd ipse omnipotens Deus hos, quibus fidei magisterium commisit, non permittet in his, quæ fidei sunt, errare, vndè stat benè, quòd Concilium plenarium dissoluatur humana voluntate, & tamen cùm fuit congregatum, in his, quæ fidei sunt vniuersali omnium cōsensu definita, non erret, propter quod Imperator Martianus in epistola, quam in fine Concilij Chalcedonensis scribit Constantinopolitan. dicit sic: Verè impius, & sacrilegus est, qui post sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit : extremæ quippè dementiæ est in medio, & perspicuo die commentitium lumen inquirere; quisquis enim post veritatem repertam, aliquid vlteriùs discutit, mendacium quærit, & infrà. Iniuriam facit iudicio Reuerendissimæ Synodi, si quis semel iudicata, ac rectè disposita, reuoluere, & publicè disputare contendit. Hæc ille.

Ad tertiam, cùm dicitur, quòd illæ personæ, quæ in diuersis locis, &c. respondetur, quòd ratio non procedit: quoniam licèt omnes conuenientes ad locum Concilij sigillatim considerati possent errare, non tamen omnes simul iuncti in iudicio eorum, quæ ad fidem pertinent, Deo sic ordinante. Aliqua enim sunt priuilegia communitatis, quæ non conueniunt singulis de communitate, similiter licèt quilibet de Eccclesia possit errare in fide, non tamen ipsa Ecclesia, quæ non est, nisi ipsorum fidelium collectio, sic in cap. Ecclesia de consecr. dist. 1.

Ad quartam, cùm arguitur, quòd aut ratione sapientiæ, &c. respondetur, quòd principaliter ratione pormissionis diuinæ, & ad im-

improbationem, cùm dicitur, quòd Christus, cùm promisit Apostolis fidem duraturam, non fecit mentionem de Concilio vniuersali, respondetur dupliciter.

Primò, quòd Christus promittendo beato Petro, quòd fides eius in Ecclesia sua, & Sede numquam esset defectura Luc. 22. vt dictum est, & in Concilio plenario Romanus Pontifex intelligatur, vt Caput, & Magister, ac Definitor, ex consequenti promissio illa extenditur ad Concilium vniuersale plenarium, quod & auctoritate, & approbatione Apostolicæ Sedis fulcitur.

Secundò respondetur, quòd Christus promittendo Ecclesiæ vniuersali, quòd portæ inferi non essent præualituræ aduersùs eam Matth. 18. promisisse etiam intelligitur hoc plenario vniuersali Concilio, quod ipsam vniuersalem Ecclesiam plena repræsentat auctoritate.

Ad quintam, cùm arguitur, quòd multa Concilia errasse leguntur, respondetur, quòd illa Concilia, de quibus exempla inducta sunt, plenaria non fuerunt, cùm in eorum definitionibus, nec approbatio, nec consensus Romani Pontificis, qui est vniuersalis Ecclesiæ Rector, & Princeps, interuenit, & ità non vniuersalis Ecclesiæ fuerunt auctoritate definita.

Ad sextam, cùm arguitur de Concilio Stephani Septimi, respondetur, vt aliàs responsum est in 2. lib. cap. 109. quòd error ille non fuit circa ea, quæ humanæ saluti sunt necessaria, vnde non est ad propositum.

Ad septimam, cùm arguitur de beato Augustino, responsio eadem est, dicimus enim quòd Augustinus non loquitur de emendatione quoad fidem, sed quoad ea, quæ consistunt in facto, in quibus Ecclesia potest falli, vnde ait ipsa plenaria Concilia sæpè priora posterioribus emendare, cum aliquo rerum experimento aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat, hoc autem non videtur posse referri ad fidem, vt infrà pleniùs dicetur.

CAP. LXI.

In quo ostenditur, quòd Apostoli omnes in passione Christi à fide eius defecerunt.

QVoniam quidam aduersariorum ad probandum, quòd Ecclesia vniuersalis in fide deficere possit, & per consequens vniuersale Concilium illam repræsentans, magnum fundamentum capere videtur ex hoc, quòd omnes Apostoli, in quibus vniuersalis Ecclesia repræsentari videbatur, in Christi passione defecisse videntur, secundùm illud Matth. 26. quòd Dominus dixit Apostolis: [Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte, scriptum est enim: percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.] gloss. inter 1. ab vnitate fidei soluentur. Placuit nobis de hoc aliquid tractare, vbi aduertendum est, quòd sunt aliqui aduersariorum dicentes, nullo modo asserendum esse, quòd omnes Apostoli in passione Christi defecerint, timentes ex hoc sequi, quòd fides defecerit Ecclesiæ, sed istud iudicio nostro, saluo semper meliori, non est benè dictum propter duo: primò, quia suppositum videtur falsum: secundò, quia consequentia, quam faciunt, nullas vires habet.

Primum patet, quoniam suppositum illud, videlicet quòd omnes Apostoli in passione Christi à fide eius perfecta non ceciderint, non videtur consonare, sed repugnare sacræ Scripturæ, sanctorum Patrum testimonijs, & communi fidei vniuersalis Ecclesiæ. Repugnare quidem videtur sacræ Scripturæ in pluribus locis.

Primò illi, quæ habetur Psalm. 13. [Omnes declinauerunt,] super quo ità inquit Hieron. hunc Psal. de passione Christi refert, quoniam omnes Dominum reliquerunt, in tantum, vt Petrus quoque, qui Apostolorum fuit Princeps, negaret. Item infrà super illud. Non est qui faciat bonum vsque ad vnum, dicit idem Hieron. sic: hìc apparet, quòd hic Psalm. de passione pertineat: quia nullus de Discipulis, nec Petrus, qui Caput Ecclesiæ est, quia & ipse negauit. Hæc Hieron.

Item secundò, repugnat sacræ Scripturæ illi, quæ habetur Psalm. 68. [Laboraui clamans, &c.] sequitur: [defecerunt oculi mei;] vbi sic dicit glossa: à sperando in Deum verum, alia littera habet sic: Discipuli desperauerunt; vnde oculi duorum Discipulorum tenebantur in via Christum non cognoscentium; quoniam desperantes dixerunt: Sperauimus, quòd esset redempturus Israel, quibus extrà factum est, quod intus erat, idest cęcitas cordis facta est in oculis, sed spem reddidit, quando cicatrices palpandas obtulit, quibus tactis, Thomas ad spem redijt clamans: Deus meus, & Dominus meus. Hæc ibi. Item, repugnat Scripturæ sequentis versus, vbi ait: Multiplicati sunt super capillos capitis mei, &c. vbi ait gloss. tempore passionis recesserunt Iudæi à Christo, & etiam Apostoli: eo vero resurgente, redierunt Apostoli, sed non Iudæi. Hæc ibi.

Item tertiò, repugnat Scripturę illi Ps. 87. [Oculi mei languerunt præ inopia;] super quo beatus Gregorius, & habetur etiam in gloss. ordinaria, ità loquitur, illi oculi, idest sancti Apostoli, quibus non reuelauerat caro, & sanguis, sed Pater eius, qui est in Cœlis, vt Petrus diceret: Tu es Christus filius Dei viui, videntes eum tradi, atque tanta perpeti mala; quoniam non videbant eum in virtute formæ suæ, sed quasi superatum, atque impotentem, infirmati sunt ab eius inopia, velut subtracto sibi cibo lumine suo. Hæc ille.

Quartò, repugnat Scripturæ illi Psal. 88. [Perfudisti eum confusione,] super quo ità inquit Hieron. confusione, inquit, mortis, hoc dicebant Apostoli, ignorantes eum à morte debere resurgere, & Petro quasi delitamenta visa sunt verba Resurrectionis eius, Thomas autem ait: Nisi videro, non credam. Hæc Hieron.

Quintò, contradicit Scripturę illi Ps. 108. [Genua mea infirmata sunt à ieiunio:] quod exponens beatus Augustinus de Apostolis ità inquit: vbi significatum esse arbitror eos, qui in membris eius fortes videbantur, tamquam præsentia panis, quo sustentabantur, abstracta in eius passione, defecisse vsque ad negatio-

tionem, quæ apparuit in Petro. Et caro inquit mea immutata est propter oleum, vt eos mea morte deficiens, mea resurrectione firmarem, & misso Spiritu sancto vngerem, qui non ad eos venisset, nisi ego abijssem. Hæc ille.

Sextò, repugnat Scripturę illi Psalm. 138. [Dies formabuntur, & nemo in eis,] vbi habet alia litera: per diem errabunt, & nemo in eis, quod beatus Augustinus exponens de Apostolis, ità ait: Dies hic adhuc erat Dominus Iesus Christus, vndè dicebat, ambulate, dum lucem habetis; sed per diem errabunt, imperfecti eius putauerunt, & ipsi Dominum Iesum Christum tantummodo hominem esse, non habere in se occultam diuinitatem, non esse occultè Deum, sed hoc solùm, quod videbatur, hoc & ipsi putauerunt; nam & ipse Petrus dixerat Domino, cùm interrogasset, quem illum dicerent homines, tu es Christus filius Dei viui: dixerat ei Dominus: Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in Cœlis; quare, quia dixerat illum filium Dei, vbi paulò post in eodem loco in ipsa contextione verborum cępit Dominus de passione sua futura dicere: ille autem Petrus, qui iam confessus erat illum filium Dei, timuit, ne sicut filius hominis moriretur: erat enim filius Dei, & filius hominis, timuit Petrus ne in forma serui periret forma Dei, & non potiùs præsumpsit, quia ex forma Dei reuiuisceret forma serui, & ait illi, absit à te Domine, propitius tibi esto, & Dominus, qui illum beatum dixerat, in illa voce, vade post me, inquit, sathana, neque enim sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum, & infrà: Christus inter illos ambulauerat ante oculos illorum: fluctus calcauerat: ventis imperauerat, ante oculos ipsorum quatriduanum mortuum suscitauerat, ante oculos ipsorum tanta miracula fecerat: & tamen trepidauerunt in passione eius, quasi amisissent eum, de quo frustrà præsumpserant, sed per diem errabant, & nemo in eis. Nemo prorsùs, nec ipse, qui dixerat, tecum ero vsque ad mortem; dixerat enim illis veniet hora, vt me relinquatis solum, & eat vnusquisque viam suam. Hæc Augustinus.

Septimò, contradicit Scripturæ illi, quæ habetur Iob 19. vbi dicitur Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, &c. quod verbum exponens beatus Gregor. ità ait: In osse fortitudo, in carnibus infirmitas corporis designatur, per os ergo Christus, per carnem Discipuli, qui tempore passionis infirma sapuerunt. Hæc illæ. Ex quibus auctoritatibus videtur iuxtà expositiones sanctorum Patrum Discipuli non videntur sapuisse, quę Dei erant in Christo, sed tantum, quæ hominis erant, quæ dicuntur infirma.

Octauò, repugnat Scripturæ illi, quæ habetur Matth. 26. & Marci 14. vbi Christus ait Apostolis. Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte: scriptum est enim percutiam Pastorem, & dispergentur oues gregis glos. interlin. ab vnitate fidei soluentur. Item, glossa ord. habet sic: prædicit, quod passuri sunt, vt cum passi fuerint, non desperent, sed pœniteant, qui scandalizantur nocte: scandalizantur, idest mente obscurati. Item, hunc locum exponens sanctus Thomas, ità dicit: Apostoli propter infirmitatem Carnis scandalum passi, aggrauatur peccatum eorum ex propinquitate temporis, quia post tantas admonitiones, sacramenti susceptionem, vndè obliti erant, quæ fecerat eis. Hæc ille.

Nonò, contradicit Scripturæ illi, quæ habetur Lucæ 24. vbi legitur, quòd verba mulierum nunciantium Apostolis Christum resurrexisse, visa sunt Apostolis, quasi deliramentum, & non crediderunt illis.

Decimò, repugnat Scripturæ illi, quæ habetur Marci 16. vbi legitur, quòd Dominus apparens Apostolis exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt; vbi dicit glos. quæ est Gregorij in homilia, quòd Discipuli resurrectionem Domini tardè crediderunt, non tàm illorum infirmitas, quàm nostra firmitas fuit; dubitantibus enim ipsis resurrectio per multa argumenta probara est, quibus, & nos firmiùs solidamur. Ad idem beatus Ambros. lib. de incarnatione cap. 7. sic dicit: Discipuli quidem aliquando errauerunt, ne nos posteà errare possemus, ergo illorum error nobis profecit, quasi homines errauerunt, quasi Discipuli crediderunt. Hæc ille.

Amplius secundò, dictum etiam aduersariorum repugnat sanctorum Patrum doctrinis; ait enim beatus Isidor. vt habetur in glos. super illud Exod. 3. ità vt fugeret Moyses, virga in serpente, Christus in morte, expauit Moyses, & fugit, mortuo enim Christo, expauerunt Discipuli à spe, in qua fuerant recedentes. Hæc ille. Cæterum dictum aduersariorum contradicit communi Ecclesiæ vniuersalis fidei; nam vt Gulielmus in rationali diuinorum officiorum testatur Candela, quæ in diebus occultatur tenebrarum hebdomadæ sanctæ, per totam Christi Ecclesiam designat Christi fidem, quę in sola Virgine remansit, per quam omnes fideles docti, & illuminati sunt. Item, idem confirmans irrefragabilis Doctor magister Alexander de Ales in 3. sententiarum in expositione Symboli dicit sic: Opinio, quæ dicit quod in sola Virgine stetit Ecclesia, in qua sola fides mansit in passione, videtur nobis vera. Item, Doctores iuris Canonici; vndè Huguicio in apparatu suo super illud de pœnitentia dist. 1. in §. his auctoritatibus dicit sic: Mortuo Christo, Petrus, & alij Apostoli defecerunt in fide Christi, dubitantes de eo, peccauerunt mortaliter; idem dicit Archid. in eodem loco.

Prætereà secundò, dictum aduersariorum non est sustinendum: quoniam consequentia, quam faciunt, nullius efficaciæ est, Apostoli defecerunt in fide: ergo fides Ecclesiæ defecit: quoniam in beata Virgine dicitur integerrima permansisse, quod non est minùs credibile, quàm illud, quod beatus August. inquit super Psalm. [Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea;] & habetur in glos. vbi ità dicit: Aliquando in solo Abel erat Ecclesia. Cæterum ista consequentia non valet; Petrus, & alij Apostoli defecerunt in fide; ergo vniuersalis Ecclesia, siue Concilium vniuersale, scilicet Papa, qui succedit beato Petro, & omnes alij Prælati, qui succe-

succedunt Apostolis simul Synodaliter congregati errare in fide possunt propter duo. Tum primò: quia nec Petrus tunc temporis Pastor erat Ecclesiæ, nec alij Apostoli erant in aliqua prælatione iurisdictionis sublimati: quoniam vt in superioribus commemoratum sæpe est, per verba illa tantum: [Pasce oues meas.] Io. vlt. dicta Petro, Petrus constitutus est actu Pastor Ecclesiæ vniuersalis: vndè tunc solus Christus erat Pastor Ecclesiæ, & ideò non mirùm si oues Pastorem suum relinquentes, errauerunt, secundùm illud Zachariæ 13. & Matth. 26. percutiam pastorē, & dispergentur oues. Tum secundò, quia Apostoli deficientes, non defecerunt collegialiter congregati, videlicèt defectu, qui ex communi eorum consensu emanauerit, vt patet, sed defecerunt vt singuli, secundùm quod Dominus eis prædixerat dicens: Veniet hora, vt me relinquatis, & eat vnusquisque in viam suam, Matth. 26. Ex quibus satis patet aduersariorum dicta sustinenda non esse; sed cum iam ex sanctorum Patrum testimonijs habitum sit Apostolos in Christi passione defecisse in fide, quærendum videtur, vtrum ratione illius erroris, quo errauerunt, poterant dici hæretici, vel infideles, ad quod nobis videtur dicendum, saluo semper meliori iudicio, quòd non fuerunt hęretici, quia hæresis non tantum dicit errorem in intellectu, sed pertinaciam, quasi formale principium, vt colligitur ex cap. hæresis 24. quæst. 3. vndè August. inquit: Non qui falsas opiniones imitantur, sed qui eas contumaciter defendunt, hæretici sunt censendi, cum autem Apostoli non restiterint fidei pertinaciter resurrectionis, aut aliqua animositate defenderint incredulitatem eorum, non poterant censeri hæretici. Infideles verò dici non potuerunt, vt purà sine fide Christi, vt patet ex supradictis: vndè Chrysost. tractans illud Io. 20. Maria Magdalena venit ad monumentum cum adhuc tenebræ essent, dicit, quia adhuc fuit in tenebris infidelitatis. Item, mulier, quid ploras? non lachrymas nudas, sed fidem quæro. Sed surgit hic alia quæstio: si infideles fuerunt, quæritur in qua specie infidelitatis errauerunt? communiter enim non dicuntur, nisi tres species infidelitatis, videlicèt prima, qua renititur fidei non susceptæ, & talis est infidelitas Paganorum, siue gentilium; secunda est, qua renititur fidei susceptæ in figura, & talis est infidelitas Iudæorum; tertia est, qua renititur fidei in ipsa manifestatione veritatis. Et quæcumque harum ascribatur Apostolis, videtur inhonorabile eis. Ad hoc respondendum nobis videtur, saluo semper meliori iudicio, quòd nulla specierum Prædictarum infidelitatis Apostoli dicendi sunt fuisse infideles tempore passionis Christi. Pro quo notandum, quòd infidelitas tripliciter potest accipi; duos modos ponit sanctus Thom. in 2. 2. quæst. 10. art. 1. Vno modo secundum puram, siue secundum simplicem negationem, vt dicatur quis infidelis ex hoc solo, quòd non habet fidem, & hoc modo, vt dicit sanctus Thom. vbi suprà, in his, qui nihil audiuerunt de fide, non habent rationem peccati, sed magis pœnæ, quia talis ignorantia diuinorum ex peccato primi parentis est subsecuta. Secundò, capitur infidelitas secundùm contrarietatem ad fidem, quia scilicèt aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam, secundùm illud Isaia 5. Quis credidit auditui nostro? & in hoc perficitur ratio infidelitatis. Cum autem Apostoli non sint dicendi simplicem negationem fidei habuisse, cum multa de fide, & resurrectione audierint à Christo: immò etiam ipsi confessi fuerint fidem diuinitatis in Christo, quando à Christo interroganti: vos autem, quem me esse dicitis: Petrus pro se, & omnibus alijs respondit. [Tu es Christus filius Dei viui.] Præterea, August. super Ioann. inquit, quòd Apostoli à Christo creduntur baptizati, & per consequens habuerunt fidem Christi, & ita non possunt dici infideles per simplicem negationem fidei. Cæterum non potuerunt etiam dici infideles secundò modo, scilicet secundùm contrarietatem ad fidem, quia nusquam leguntur fidei contradixisse, tenendo, aut pertinaciter defendendo contrarium. Cum autem dicantur fuisse infideles, necesse est ponere tertium modum infidelitatis, qui scilicèt medius sit inter duos modos prædictos, qui est quædam fluctuatio inter duas partes, nec vni, nec alteri firmiter adhærendo, de quo videtur satis conuenienter ad propositum loqui cap. primum extrà de hæreticis, dubius in fide infidelis est. Fides enim, vt inquit beatus Bernardus, ambiguum non habet, vel si habet, fides non est, & isto modo possunt intelligi, tàm dicta sacræ Scripturæ, quàm sanctorum Patrum, vbi videntur Apostoli dici increduli, siue infideles. Et ex his patet, quòd nulla illarum trium specierum, videlicèt Paganorum, Iudæorum, hæreticorum, de quibus arguebatur, Apostoli sunt censendi infideles, quia Apostoli non dicuntur fuisse infideles, secundò modo infidelitatis, scilicet secundùm contrarietatem ad fidem, cuiusmodi infidelitatis sunt præfatæ tres species, vt superiùs est explanatum.

CAP. LXII.

Quòd ad Romanum Pontificem spectat corrigere, & damnare Concilia, quæ in perniciem fidei, aut scandalum Ecclesiæ processisse contingit.

QVemadmodum ad Romanum Pontificum, vt ad Ecclesiæ Principem pertinet Concilia vniuersalia, si benè processerint, approbatione, & auctoritate sua confirmando honorare. Ità ipsius est, ea Concilia, quæ in perniciem fidei, aut totius Ecclesiæ perturbationem celebrata reperta fuerint, corrigere, reprobare, ac cassare ea, quæ minùs iustè, minusque benè acta sunt, retractando, & condemnando, sicut de Concilio Ariminensi patet, quia enim in eo fides læsa fuit, & infidelitas conscripta, Damasus Papa eam annullat, vt iam diximus supra in cap. 58. Item, idem patet de Ephesino Concilio secundo, quod licèt auctoritate Apostolica fuerit congregatum, & amplissimo Prælatorum numero venerabile, verumtamen, quia vt dicit Leo

Papa

Papa in eo non fuit obseruata Iustitiæ moderatio, nec fidei Religio; idem Leo Papa beatissimus non modò sine ipsius Synodalis congregationis assensu submouit, sed etiam condemnat, cassauit, atque reprobauit documento eius, qui ait Isaia 79. Dissolue colligationes impietatis: atque in correctionem eius Synodum Chalcedonen. sua auctoritate instituit. Pro cuius Synodi malè actæ condemnatione, scribit Galla Placida semper Augusta Helenæ pulcherrimæ pijssimo semper augusto orans, vt de illa Synodo Leo Papa permitteretur iudicare, sicut ad eum iure primatus sui pertinebat, ità dicens. Cum ergo beato Petro nostram præsentiam dedissemus, illic multitudine Sacerdotum Romanus Leo Papa circumdatus pro dignitate sui loci, vos primus adijt, qui propter impositam gemitus sui tristitiam, desiderium plenè suum verbis insinuare non poterat, vicit tamen constantia sapientiæ Sacerdotis, vt lachrymas paululum retineret, & causam violatæ fidei, tamquam huius vindex, manifesto sermone, proferret. In quo sermone cognouimus nostris Catholicam fidem esse turbatam, quam à Diuo Patre nostro Constantino nostri generis parentes seruauerunt; ergo tua clementia, secundum Catholicam fidem, quod semper nobiscum fecit, & nunc similiter conspirare videtur: dignetur vt quicquid in illius tumultuoso, miseroque Concilio, scilicet Ephesino constitutum est, omni virtute submoueatur, & omnibus integris permanentibus, ad iudicium Apostolicæ Sedis, in qua primitus beatissimus Apostolorum Petrus, qui etiam claues Regni Cœlorum suscipiens, Sacerdotij Principatum tenuit Episcopatus causa mittatur. Hæc illa. Item pro eadem causa scribens Imperatori Theodosio, sic inquit: Dum in ipso ingressu Ciuitatis hanc citram habuissemus, vt cultum beato Petro redderemus, in ipso adorando altari martyrii Reuerendus Leo Episcopus paululum se post orationem retinens, propter Catholicam fidem apud nos defleuit, & infrà: hac ergo gratia tua mansuetudo tantis turbis resistens, veritatem immaculatam fidei Catholicæ religionis seruare præcipiat, vt secundùm formam, & definitionem Apostolicæ Sedis, quam etiam nos tamquam præcellentem similiter veneramur, instituta Sacerdotij, illæso manente per omnia Flauiano, ad Concilij, & Apostolicæ Sedis iudicium transmittantur, in qua primus ille, qui Cœlestes claues dignus fuit accipere, Principatum Episcopatus ordinauit. Hæc illa. Item, pro eadem causa, & cum eadem fide Valentinianus Imperator scribens Theodosio Imperatori ità dicit: Cum aduenissem in Vrbem Romam ad diuinitatem placandam, sequenti die ad Basilicam beati Petri Apostoli processi, & illic à Romano Episcopo, & ab alijs cum eo ex diuersis Prouincijs congregatis rogatus sum scribere vestræ mansuetudini de fide, quæ cum sit conseruatrix animarum, dicitur perturbata, quam nos à nostris maioribus traditam debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Apostolo Petro intemeratam, & in nostris temporibus conseruare, quatenus beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui Principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat, & facultatem de fide, & sacerdotibus iudicare. Hæc ille. Ex quibus manifestè patet, quòd ad Romanum Pontificem iure Principatus sui pertinebat iudicare de quibuscumque sacerdotum congregationibus, si errore aliquo istas contingeret maculari. Quòcircà sanctus Dionysius Papa scribens Seuero Episcopo, dicit sic, Olim, & ab initio tantam percepimus à beato Petro Apostolorum Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem vniuersali Ecclesiæ, auxilianre Domino, subuenire, & quicquid nociuum est, auctoritate Apostolica corrigere, & emendare, ad hoc enim diuinæ dispensationis prouisio gradus, & diuersos constituit ordines esse distinctos, & sic dum minores potioribus reuerentiam exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vna concordiæ fieret ex diuersitate contexio, & ratione officiorum geretur administratio singulorum, hæc ille.

De hac verò auctoritate Romani Pontificis in cassando concilia nequiter celebrata, & hoc pro sua auctoritate, qua à Christo donatus est, cum ei dictum est. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cælis, & quodcunque solueris super terram &c. loquitur Papa Nicolaus in epist. illa gloriosa, quam scribit Archiepiscopis Metropolitis, & Episcopis Constantinopolitanæ Sedi subiectis pulchrum testimonium faciens, ità inquit. Nec non & patrum, ac prędecessorum nostrorũ secuti vestigia, qui soliti sunt etiam vniuersorum Concilia nequiter celebrata cassare, Pontificum siqua socia sunt, crebro dictę, vel exemplaria fortassis epist. &c. Vndè in gestis octauæ synodi de Papa Nicolao ità habetur, tũc cognoscens Papa Nicolaus scilicèt, quæ fecerat Phocins contrà Ignatium, & scrutans omnia, fecit synodum, & conuocauit omnes occidentales Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitas, & omnem clerum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, atque totum Senatum Principum Romanorum, & damnauerunt Liberium, & Concilium malignantium, quod factum est aduersùs sanctissimum virum Ignatium, & deposuit Apocrisarios, qui venerant huc, Raydealdũ scilicèt, & Zachariam, & & ab omni honore sacerdotali, ac omni communione repulit eos: quoniã communicauerunt, & consenserunt, & constituerunt inuasorem, & adulrerum Phocium, & abdicauit concilium maliguantium: hæc ille.

Item, Synodus Romæ congregata tempore Adriani, qui secutus est Nicolaum supplicans: vt prosequeretur, quod inceperat Papa Nicolaus, dicit sic, Quapropter oramus te ò angelice Papa, vt eundem habens spiritum, eundemque zelum pietatis; quem, & fratres tui feruentissimi præsules, conciliabulum eum gestis suis, quod Constantinopolim nuper contrà veritatem, sub tyrrannicè imperante Michaele, congregatum est, ita sententię vestræ falce recidatur, vt nullum de eo momentum, nullum de eo remanet omninò vestigium, sed ad sui damnationem, vel execrationem Ariminensi synodoso, vel Ephesino latrocinio sit modis omnibus comparandum. Et infrà: Adrianus ipse prosequens petitionem præfatæ synodi, ità inquit, Conciliabu-

liabu-

liabulum vanitatis à Focio, & huius fautore Michaele, videlicèr tyrannicæ imperanre Constantinopolim aduersùs Apostolicæ Sedis reuerentiam, & priuilegium congregatum, vtporè veritatis inimicum, & omni falsitate repletum, quod & sibi consentientium animas interficiens, Ephesino latrocinio comparandum fore statuimus; & ipsius execranda gesta, quibuscunque habeantur monimentis inserta, summi iudicis Iesu Christi, sanctorumque Principum Apostolorum Petri, & Pauli, nostraque mediocritatis auctoritate penitùs abolenda decernimus, ità vt igni voranda tradantur, & anathemate perpetuo percellantur: similitèr, & de cæteris scripturis, quæ, viris iam nomiatis auctoribus, contrà eandem sedem tempore diuerso sunt editæ, gerendis modis omnibus diffinimus hæc ille.

Item, idem Adrianus Papa scribens Tepasio Patriarchæ in septima Synodo dicit sic. Vestra sanctitas suggerat pijs Imperatoribus, vt in primis pseudosylogus, idest falsum collegium, ille, qui sine Apostolica Sede inordinatè, & sylogisticè factus est aduersùs venerabilium Patrum traditionem, contrà diuinas imagines, anathematizetur præsentibus apocrisarijs nostris, & omne zizaniũ eradicetur ab Ecclesia, & Domini nostri Iesu Christi sermo compleatur, quia portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & rursus. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram &c:] cuius Sedes in omnem terrarum Orbem primatum tenens, refulget, & caput omnium Ecclesiarum Dei consistit, hæc ille.

Item, idem testatur Papa Pelagius scribens vniuersis Episcopis per Dardaniam constitutis, vt testatur dominus Aymarus in libro de synodis, & habetur etiam in capit. cuncta 9. qu. 3. vbi ità dicit: Cuncta per Mundum nouit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia de omni Ecclesia ptias habet iudicare, nec cuiquam de ea liceat iudicare iudicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo appellare permissus est, sed nec illa præterimus, quòd Apostolica Sedes frequentèr more maiorum, etiam sine vlla synodo præcedente exoluendi, quæ, vel quos Synodus iniqua damnauerat, & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem, & hoc nimirum pro suo principatu, quem beatus Petrus Apostolus domini voce tenuit, & semper tenebit, sanctæ quippe memoriæ Athanasium Synodus addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi græcorum non consensit absoluit, itàque Flauianum Pontificem græcorum congregatione damnatum pari tenore, quoniam sibi Sedes Apostolica non consensit potiùs, qui illic receptus fuerat Dioscorum sedis secundæ præsulem, sua auctoritate damnauit, & impiam Synodum non consentiendo sola submouit; & auctoritate, vt Synodus fieret Calcedonensis, sola decreuit hæc: ille.

Huic autem sententiæ dominus Aimarus subiungit. Alij sanctissimi patres, scilicèt, Calixtus, Fabianus, Sixtus, Siluester, Iulius: & reliqui innumerabiles astipulantur, quam à Deo amplexi sunt veritatem, vt potiùs mori, quàm mentiri deliberauerint, hæc Aimarus Item, beatus Greg. in registro scribens Eulogio, & Anastasio Episcopis dicens sic. Ante hos quidem annos octo sanctæ memoriæ prædecessorum mei Pelagij tempore, frater, & coepiscopus noster Ioan. in Constantinopolitana Vrbe, ex alia causa occasionem quærens, Synodum fæcit, in qua se vniuersalem appellare conatus est, quod mox ipse decessor meus, vt agnouit, directis epistolis S. Petri Apostoli auctoritate eiusdem Synodi acta cassauit: hæc ille,

CAP. LXIII.

De ordine Conciliorum adinuicem: Cui standum sit, si sibi inuicem discrepare, siue dissonare inueniantur?

QVoniam quandòque Concilia vniuersalia aduersari, siue dissonare ad inuicem videntur, vt in cap. domino sancto dist. lib. ab Isid. innuitur. Iam videndum est, cuius Concilij sententiæ magis obtemperandum, siue standu sit.

Circa hanc quæstionem conclusio videtur esse beati Augstini Concilia prouincialia debere credere vniuersalibus, & vniuersalia priora quandòque posterioribus emendari.

Vnde ipse Aug. ponens gradus varios inter eos, qui auctoritatem habent in Ecclesia, ità loquitur lib. 2. de baptismo contrà Donatistas, quis inquiens nesci sacram Scripturam tàm veteris, quàm noui testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posteriorum Episcoporum literis ità præponi, vt de illa omninò dubitari, vel disceptari non possit, verum verum, vel vtrum rectum sit quicquid in ea scriptum esse constiterit, Episcoporum autem literis, quæ post confirmatum canonem, vel scriptæ sunt, vel scribentur, & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet in ea re potiores, & per aliorum Episcoporum grauiorem auctoritatem, doctorumque prudentiam, & per Concilia licere reprahendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est, & ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritate, quæ fiunt ex vniuerso Orbe Christiano sine vllis ambagibus cedere ipsaque plenaria Concilia sæpè priora posterioribus emendari cum aliquo rerum exprimento aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat sine vllo typo sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cũ charitate Christiana. Itẽ, in cod ẽ loquendo de Cypriano ità ait, si autem concilium eius attenditur, huic est vniuersæ Ecclesiæ posteriùs Concilium præponendum, cuius se membrum esse gaudebat. Nam, & Concilia posteriora prioribus apud posteros præponenda, & vniuersum partibus semper optimo iure præponitur. Hæc Aug. Sed forrassis vide-

videbitur alicui huic sententiæ Aug. aduersari sententia beati Isid. qui vt habetur in cap.Domino sancto dist.50. dicit, quòd quotiescunque in gestis Conciliorum discors sententia inuenitur, illius Concilij magis sententia teneatur, cuius antiquior, & potior existit auctoritas, hęc ille.

Cui sententiæ etiam fauere videtur Leo Papa sanctissimus, qui scribens Anatholio Episcopo, ità inquit. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodolia Concilia, nec 300. illis & 18. Episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre, cum diuinitùs & priuilegio, Nicæna sit Synodus consecrata, vt siue per pauciores, siuè per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitùs auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diuersum. Item, eadem sententia reperitur ab eodem Papa Leone scribens Episcopis, qui in sancta Calcedonensi Synodo fuerunt congregati. Item, Nicolaus Papa in epistola ad Michaelem Imperatorem, vt habetur in octaua Synodo ad argumentum Focij, & suorum, quia numero Patrum arguebant dicentes, in Concilio vniuersali, vbi Ignatius fuit depositus, tot fuisse Episcopos, sicut in Nicæno Concilio, respondit ità. Nos quidem non numerosum tantum sanctorum Episcoporum Collegium Nicæni, vel Chalcedonensis, Conciliorum cæterorum sanctorum Patrum Synodicas constitutiones sequimur; sed eorum liberales veneramur iustas, & Diuinitùs inspiratas sententias, & non tantum pro suorũ multitudine obseruantur à nobis, quia reuera multi in personis fuere, sed inualidissimis sententis eos perpendimus plures esse, verùm pro concordia horum visum est nobis, saluo semper meliori iudicio, fore distinguendum, quoniam dissonantia illa, quæ inter Concilia plenaria vniuersalia dicuntur esse, vel est circa ea, quæ fidei sunt, aut non, sed circa iudicia, vel instituta circa proficua, & regimen humanæ vitæ, siue Ecclesiasticam disciplinam.

Si primò modo, sit ista conclusio.

Si discordia inueniretur inter Concilia vniuersalia, quod non credimus, iuxtà dicta dicta, possibile, standum esset, sententiæ antiquioris, siue prioris Concilij, dum tamen fuerit vniuersale plenarium, auctoritate Romani Pontificis, & approbatione fulcitum, & roboratum, cum enim, vt suprà diximus tale Concilium in fide, stante diuina promissione, errare non possit, & fides sit simplex, & incommutabilis, vt ait August. & Leo Papa: non potest sequens Concilium illi in veritate aduersari, nisi alterum ipsorum à veritate fidei deuiaret, quia vero non nisi falsum dissonat, aut ergo controuersia vera non est, quod magis credendum est, aut aliquod illorum Catholicum non esset: quod magis de posteriori præsumendum esset, cum antiquum iam totius Ecclesiæ acceptatione fuisset approbatum, pro qua parte videtur facere dictum beati Isidori in cap. Domino sancto dist. 50. quod suprà inductum est, vbi etiam non parum vtile erit aduertere, quòd sanctus Thomas dicit, in 4. contra gentiles cap. 25. quòd cùm dicitur in Chalcedonensi Synodo, quòd Patres apud Constantinopolim congregati doctrinam Nicæni Synodi roborauerunt, non est intelligendum per modum additionis, quasi ad id, quod minùs esset inferentes, sed per modum declarationis, ea, quæ de Spiritu sancto dicta sunt contra eos, qui eum Dominũ respuere tentauerunt, Scripturarum testimonijs roborantes.

Vndè beatus Hilarius lib. 5. de Synodis, in defensione Synodi Chalcedonensis contrà quosdam criminantes eandem Synodum, quia aliqua videbatur addidisse, quæ non fuerunt in Nicæno Concilio, ità dicit: nescientes regulam, & consuetudinem Conciliorum, sic noua posterioribus Concilijs, prout necessitas emergentium hæreticorum exegerit sanxite decreta, vt tamen in vita permaneant, qui dudum antiquioribus Concilijs contrà veteres hæreticos fuerunt promulgata. Nam si post Nicæni Concilij statuta, nihil ampliùs liceret recipere, qua auctoritate Spiritum sanctum vnius gloriæ cum Patre auderemus asserere, quod ibi constat omninò tacitum fuisse? hæc ibi.

Si verò dissonantia, quæ reperitur inter Concilia, sit circa ea, quæ iuris sunt positiui circa regimen humanæ vitæ, aut disciplinam Ecclesiasticam, magis standum videtur posterioribus, per quæ in talibus agibilibus, quia eorum materia est variabilis, sæpè priora supplentur, moderantur, & etiam corriguntur, sicut dicit beatus Augustinus, vt suprà inductum est, quòd sæpè priora posterioribus emendantur, cum aliquo rerum experimento aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat. In talibus ergo non habet locum antiquitas, quoniam aliqua superioribus temporibus erant conuenientia, quæ nostris valdè inconuenientia forent, & dispendiosa. Vndè canones Apostolorum, licèt cæteris vetustiores sint, tamen in multis eorum rigidæ sententiæ non statur, sed sententiæ per pietatem mitigatę per alia sequentia Concilia, in illis enim erat statutum, vt Presbyter fornicationem quomodolibet committens deponeretur, sed talis rigor per Gangrensem Concilium hodie mitigatur, & illi statur, & ità præiudicatur canonibus Apostolorum, vt dicitur 82. Presbyter: ità etiam Concilio Nicæno circa dispositionem Sedium Patriarchalium præiudicatum est per Concilium vniuersale sextum, quoniam iuxtà dispositionem Concilij Nicæni Alexandrina Ecclesia habebat primum locum post Romanam, iuxtà verò dispositionem Concilij Constantinopolitani sexti, Constantinopolitana habebat locum antè Alexandrinam, vt in cap. renouantes, dist. 22. & illi nunc statur, & præiudicatur Nicæno, licèt antiquiori, verùm vt tangitur in gloss. præfati cap. Domino sancto, dist. 50. aliqui distinguunt de constitutis, in quibus Concilia reperiuntur dissonare, quoniam constitutiones illę, aut sunt locales; & temporales, aut sunt generales, si locales, & temporales, tunc præponenda est illa constitutio, quam plures grauiores recipiunt illi, quam potiores auctoritate obseruant, iuxtà regulam datam in cap. Canonicis dist. 19. & ità videtur standum esse in isto casu Concilio, cuius potior est auctoritas. Si verò sunt generales, potior videtur præiudicare priori, extrà de cognat. spir. cap. 1. & ff. de

ff. de legi. non est nouum, vbi dicitur, quòd posteriores leges trahunt ad se priores: Sed quærit, tàm Glosator, quàm Hugo, qualiter posset esse contrarietas in Canonibus, cùm dicatur esse conditi per Spiritum sanctum, vt in cap.violatores 25.quæst.1. Ad hoc respondens Hugo dicit, quòd potest dici, quòd sancti Patres non semper loquebantur per Spiritum sanctum, & ità potuerunt dicere contraria, vel ignoranter, vel scienter, vel posset dici, quòd non est ibi contrarietas, nisi quo ad nos, qui non plenè intelligimus; hæc ille. Glosator verò respondet, quòd duo canones possunt esse contrarij, & tamen vterque est iustè institutus, quia vnus statuit, & iustè, alter contrarium posset statuere, & iustè, vt 63. dist. §. verùm, quod intelligendum est, habita consideratione ad diuersas causas, vel circumstantias temporum, vel locorum; vnde propriè non sunt contrarij: Nàm diuersitas statutorum, nequaquam contraria esse censetur, si diuersitas locorum, & temporum atque personarum, quibus distributa sunt intelligatur.

CAP. LXIV.

Cuius iudicio standum sit, si in Concilio vniuersali contingat Patres à Papa, vel eius legato dissentire?

POstquam visum est, quid arguendum sit, cùm discors sententia reperitur in statutis vniuersalium Conciliorum: Iam enucleandum venit, cuius sententiæ, siue iudicio standum sit, cum Patres Concilij in Synodo congregati super definiendis, atque statuendis, siue iudicandis dissentiunt. Pro quo videtur nobis per distinctionem procedendum; quoniam dissensio, siue discordia inter Papam, & Patres Concilij, aut est in materia fidei, aut non. Si in materia fidei, hoc dupliciter, aut est materia illa, iam definita priùs per Apostolicam Sedem, quam Patres Concilij, aut vellent refutare, aut immutare, & in tali casu: sit ista conclusio, quòd sententiæ Papæ firmiter standum est, iuxtà beatum Hieron. in cap. hæc est fides 24. quæst. 1. Et in hoc sensu videtur intelligenda gloss. super cap. quodcuuque, quæ ità dicit argumentum, quòd sententia totius Ecclesiæ præferenda est Romanæ, si in aliquo sibi contradicant argumentum 93. dist. legimus, sed contrarium credo argumentum hæc est fides 24. quæst. 1. nisi erraret Romana Ecclesia, quod non credo posse fieri, quia Deus non permitteret, argumentum, infrà c. A recta, & cap. pudenda; hæc gloss.

Item, gloss. super cap.nemo 9. quæst. 3. sic dicit art. quòd Concilium non potest Papam iudicare, vt extrà de elect. cap. significasti; vnde si totus Mundus sentiret contra Papam, videtur, quòd sententiæ Papæ standum esset, vt 24. quæst. 1. hæc est fides; hæc gloss. Secundò modo possumus loqui, quòd prædicta contrarietas sit in materia fidei, sed nondum definita, sed quæ nouiter per Concilium veniret definienda, tunc in tali casu ponitur ista conclusio secunda, quòd magis regulariter standum foret iudicio Patrum Concilij, quàm iudicio Romani Pontifici. Ista conclusio, in primis videtur colligi ex gloss. in cap. Anastasius dist. 19. quæ ità habet: Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum, vbi de fide agitur, & tunc Synodus maior est Papa, quod intelligendum est maioritate discretiui iudicij, secundùm quod non dubium, quin regulariter Concilium sit maius Romano Pontif. Nàm vt Bernardus dicit; quæ maior superbia, quàm quòd homo toti congregationi iudicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat Spiritum Dei? propter quod Archid. approbans gloss. præfati cap. Anastasius dicit: Periculosum esset fidem nostram committere arbitrio vnius hominis. Et non modò Papa vniuersali Concilio, sed etiam vnicuique, qui melius sentiret, deberet credere plùs, quàm sibi. Sicut exemplum habemus de beato Petro, qui Paulo resistenti sibi rationibus acquieuit, de quo pulchrè Cyprianus in quadam epistola, ità loquitur, nàm nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cum secùm Paulus de circumcisione postmodum disceptasset, nec vendicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, nec dicere se primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & posteris sibi potiùs oportere, nec despexit Paulum, quòd Ecclesiæ primus persecutor fuisset, sed Concilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vendicauit, facilè consensit, documentum nobis, & concordię tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus, si quæ aliquando à fratribus, & Collegis nostris vtiliter, & salubriter suggeruntur, si sint vera, & legitima, ista potiùs, quàm nostra dicamus.

Diximus autem regulariter, quia non esset impossibile, quòd quandòque vnus homo, & maximè Papa multiplici respectu in aliqua materia meliùs sentiret cæteris omnibus; vndè secundùm communem doctrinam Doctorum in sola beata Virgine fides mansit inuiolata Catholica in triduo, & sanctitas Ecclesiæ. Dicitur etiam in cap. Nicæna 31. dist. quòd Panuntius Confessor contradixit Nicænæ Synodo volenti instituere, quòd Episcopi, Presbyteri, atq; Diaconi cum vxoribus, quas ante consecrationem, duxerant non dormirent: dicit gloss. vnus ergo potest contradicere vniuersitati, si habet rationabilem causam, vt extrà de his, quæ fin. à maior. par. ca. cap. 1. Vbi tamen aduertendum, quòd quando talis controuersia in materia fidei orta esset inter Papam, & Patres Concilij licèt vniuersitas Patrum sequenda esset, vtpotè iudicio discretionis præeminentior, & superior, nihilominùs nihil videretur conciliaritèr concludendum, quousque concorditer Papa, & Patres in vnam simul conuenirent conclusionem, & sententiam. Si verò materia, circa quam dissensio, & contrarietas est inter Patres, & Romanum Pontificem, non pertineat ad fidem, sed ius positiuum, tunc distinguendum, quia aut ista dissensio est super condendo nouum ius, aut super tollendo ius aliàs positum, aut super dispensando in veteri iure:

iure : Si super ius nouum condendum, est distinguendum, aut tale ius, siue constitutio habet qualitates legis, quas beatus Isidor. ponit in cap. erit autem lex dist. 4. videlicet, quòd sit honesta, iusta, rationabilis, iuxtà naturam, & consuetudinem patriæ, loco, temporique conueniens, necessaria, vtilis, &c. sit ista conclusio. Quòd sententia Papæ est præferenda sententiæ omnium aliorum. Quæ conclusio patet, tum ex superioritate Romani Pontifici, qua in Ecclesia præeminet vniuersis, vt Prælatus, Magister, & Princeps, & habet plenitudinem potestatis, vt 2. quæst. 7. decreto, & extrà de auct. & vsu palium ad honorem; tum ex qualitate legis, & quæ talis esse ponitur, quod religioni congruat disciplinæ conueniat, & proficiat saluti; vnde iussa huiusmodi, & præcepta Romanæ Ecclesiæ ab omnibus seruanda sunt, vt dist. 12. cap. 2. & in cap. enim dist. 19. dicit Stephanus Papa V. Enimverò quia in speculum, & exemplum sancta Romana Ecclesia, cui nos Christus præesse voluit, posita est omnibus, quicquid statuit, & quicquid ordinat perpetuò, & irrefragabiliter obseruandum est; hęc ille, hæc est sententia Hug. & Archid. in cap. In istis dist. 4. addentes, quòd vbi subditi nollent acceptare rationabilem constitutionem, posset eos ad hoc compellere, & sic factum est, vt inquit Archid. 23. q. 5. de liguribus, vt ibi patet in casu, vt eum aliàs eius potestas esset delusoria. Si verò contingat, quòd id, quod Rom. Pontif. instituere vult, non habeat qualitates præfatas legis, ità quòd nec religioni congruat, nec disciplinæ conueniat, nec proficiat vtilitati, aut etiam non sit loco, temporique conueniens, sit ista conclusio, quòd potiùs standum esset contradictioni Episcoporum, quàm voluntati Papæ.

Ista conclusio est gloss. in cap. in istis dist. 4. quę ità habet: Cùm Papa vult condere Canones, Episcopi possunt contradicere, & dicere, Canon iste non conuenit consuetudini religionis nostræ. Si verò controuersia sit super tollendo ius antiquum, vt putà, quòd Episcopi vellent tollere aliquos canones, aut instituta antiqua, & Papa nollet, sit ista conclusio. Sententiæ Papæ in hoc casu potiùs standum est, patet conclusio; tum quia Episcopi legati sunt per vetus ius, & ideò non possunt de veteri iure iudicare, nec ipsum tollere, dist. 4. in istis; tùm quia, quod semel approbatum est, ammodò non potest reprobari, nisi Papa consentiente 8. quæst. 2. dilectissimi, & cap. licet gloss. in cap. veniam 35. quæst. 9. dicit, quod Papa approbat, non licet alijs reprobare 24. quæst. 1. hæc est fides. Si verò controuersia sit in dispensando contra vetus ius, sit ista conclusio. Sententiæ Papæ est magis standum, quàm opinioni aliorum, patet conclusio ex cap. veniam 35. q. 9. vbi Papa dispensat cùm vno à prædecessoribus suis damnato ad preces, seu petitionem Episcoporum, quod non fuit necessè, quia cum ipse solus plenitudinem potestatis habeat, vtporè Princeps legum Ecclesiæ, ad ipsum per se pertinet dispensatio pro tempore, & loco canonum, & regularum sanctorum Patrum, prout vtilitati Ecclesiæ prospexerit expedire, vt in cap. necessaria 1. quæst. 7. inquit Papa Pelagius, vt supra plenè circa cap. 54. dictum est.

Sed arguunt quidam aduersariorum; quòd si Papa præferret in aliquo iudicium suum Patribus existentibus in Concilio vniuersali, cum illi repræsentent Ecclesiam vniuersalem, existimaret posse errare damnabilitur, & per consequens credere Ecclesiam non sanctam contra articulum: [Credo sanctam Ecclesiam,] sed videtur nobis hoc argumentum valdè debilè.

Tùm primò, quia si loquamur de iudicio auctoritatis, siue potestatis iurisdictionis, cum hoc iudicio Apostolicæ Sedis nullum sit maius, vt supra ostendimus, maximè in secundo libro, & habetur iu cap. patet 9. quæst. 3. Papa præferendo se in auctoritate huius iudicij omnibus alijs Fidelibus, qui siue sint dispersi, siue congregati omnes, sunt eius oues, & ei subditi, non præfert se vniuersali Ecclesię, & vniuersalis Ecclesia nominat Corpus cum capite suo, sed benè præfert se vniuersali Ecclesiæ, prout nominat Corpus vniuersitatis fidelium subditorum ipsi Christi Vicario.

Tùm secundò, quia si loquamur de iudicio discretionis, si etiam Papa in aliquo casu, & in aliqua materia præferret iudicium suum iudicio aliorum Patrum existentium in Concilio, non sequitur propter hoc, quòd Papa existimaret vniuersalem Ecclesiam posse damnabiliter errare.

Tùm primò, quia falsum est, quòd aliqua congregatio Presbyterorum secluso Romano Pontif. vero, & Catholico, qui Princeps, & Caput vniuersalis Ecclesiæ est, repræsentet vniuersalem Ecclesiam.

Tùm secundò, quia licèt vniuersale Concilium Ecclesiam vniuersalem repræsentare dicatur, non tamen est ipsa Ecclesia vniuersalis, & ideò aduersariorum consequentia nulla est, vniuersale Concilium errat, ergo vniuersalis Ecclesia errat, vnde licet Concilia aliqua, vt Ariminensis, & Ephesinum secundum errare damnabiliter dicatur, non tamen propter hoc dicitur vniuersalis Ecclesia damnabiliter errasse.

Tùm tertiò, quia non omnis error est damnabilis, aut obuius sanctitati, Ecclesia enim in multis fallit, & fallitur, vt in cap. à nobis 2. de sentent. ex, & nihilominùs talis error non derogat sanctitati militantis Ecclesiæ, obuiaret autem sanctitati triumphantis, vt patet; quoniam illa nullum errorem, nullumque defectum patitur, seu admittit, sed omnia ibi in luce clarescunt.

CAP. LXV.

Cui parti Patrum de Concilio standum sit, si inter eos dissensionem interuenire contingat

Reliquum est, iam videre si dissensionem inter Patres Concilij oriri contingat, quæ illarum pars præferenda sit, vt ei stetur an. scilicèt semper arguendum à maiori parte?

Ad quod responsuri, sic distinguendum iudicamus, quoniam materia, super qua est inter Patres dissensio, aut habet pro aliqua

qua sui parte ità euidentem rationem, aut ità apertam auctoritatem, quòd eius oppositum manifestè est falsum, & in isto casu: sit ista conclusio, in Concilijs vniuersalibus in prædicto casu, non est arguendum semper à maiori parte, quæ conclusio primo exemplariter de Concilio Ariminensis, vbi cum inter Patres numero 830. fuisset dissensio, & maior multo pars fuerat errantium, vt patet ex historia, malè argutum fuisset tunc à maiori parte; vnde Damas. Papa scribens Episcopis per Illyricum constitutis. Nec enim præiudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimino congregatum, quando constat, nec Romanum Episcopum, cuius antè omnia decebat expectare decretum, nec Vincentium, qui tantis annis Episcopatum inuiolabiliter custodiuit, nec alios talibus præbuisse assensum.

Secundò patet in secundò Concilio Ephesino, in quo cum etiam plures fuerint, qui declinauerunt à veritate, pauci verò pro veritate certantes, malum fuisset si in illo Concilio a maiori parte fuisset argutum, possunt etiam alia exempla poni de alijs Concilijs, quæ superiùs errasse commemorata sunt; vndè planum est, quòd in tali casu, vbi apparens, & euidens ratio veritis est, sacrilegium esset arguere à multitudine, sicut leguntur fecisse Iudæi contra Christum, qui vt inquit Chrysost. conuenerunt, vt multitudine vincerent, quem ratione superare non poterant, à veritate se nudos professi sunt, qui se multitudine armauerunt. Si verò materia, super qua est controuersia, non sit clara, & euidens, vt oppositum per rationem, aut auctoritatem Scripturæ sanctæ, ac sanctorum Patrum definita, manifestè ostendatur falsum, sed videatur habere probabilitatem ad vtranque partem, sit ista conclusio, quòd in tali casu regulariter à maiori parte sit arguendum. Patet ista conclusio, quia vbi maior pars, ibi præsumitur esse Ecclesia, vt 56. dist. Apostolica, iuxtà glos.

Tùm secundò, quia vt in cap. in cunctis, extrà de his, quæ fi. à maior. par. cap. dicit Concilium Lateranen. In cunctis Ecclesijs, quod pluribus, & senioribus fratribus visum fuerit, incunctantur debet obseruari, graue nimis est, & repræhensione dignum, quòd per quasdam Ecclesias pauci, quandòque non tàm ratione, quàm propria voluntate ordinationem Ecclesiasticam procedere non permittunt; hæc ibi.

Ad hoc etiam iuuat. cap. sicut; dist. 15. hinc in Concilio nonò Toletano est ordinatum sub hac forma, quòd cùm quælibet Synodus agitur, aut pacificè inter Pontifices quippiam definitur, si pauciores per nescientiam, vel contentionem fortè dissentient, aut commoniti plurium sententiæ cedant, aut ab eorum cætu cum dedecore, & confusione abscendant, aut excommunicationis annuæ luant penam. Benè autem dicitur per nescientiam, vel contentionem dissentiunt; quoniam si pauciores, immò etiam vnus cum rationabili causa contradicit vniuersitati, vt in superiori cap. tactum est, non est culpabile, iuxtà cap. Nicæna 31. dist. Sanè non est prætereundum hìc silentio, quid olim sancti Patres obseruandum dixerunt, ne in vniuersalibus Concilijs super huiusmodi dubijs ventilandum controuersia aliqua oriretur, & vt veritas pleniùs, & citiùs illustrata, ac ceptabilis fieret toti Ecclesiæ. Planè vt tàm ex antiquorum Conciliorum historijs, quàm ex beati Augustini sententia colligere possumus, hoc apud veteres Patres obseruatum est. Summus enim Pontif. quandò Patriarchis, & alijs Ecclesiæ Prælatis denunciaret voluntatem suam de congregando Concilio vniuersali, semper explicabat necessitatem conueniendi, & materiam, super qua foret prouidendum, mandans, vt ipsi primò in suis Prouincialibus Concilijs deliberarent, & quid totius Prouinciæ Patribus in vnum congregatis visum esset, per nuncios mittendos ad vniuersale Concilium, ipsi vniuersali Concilio explicarent; vnde beatus Augustinus contra Donatistas hoc apertè testari videtur, sic dicens. quomodo enim potuit res ista tot altercantium nebulis inuoluta, ad plenarij Concilij luculentam illustrationem, confirmationemq; deduci, nisi priùs diuitiùs per Orbis terrarum Regiones multis hinc, atque hinc disputationibus, & collationibus Episcoporum pertractata constaret?

CAP. LXVI.

Quòd Papa possit transferre Concilium congregatum de loco ad locum, id rationabili causa exigente.

SAnè ex his, quæ supra de Principatu Apostolicæ Sedis, ac prærogatiua dignitatis, quam habet Romanus Pontifex super vniuersalia Concilia, enucleauimus, manifesta luce colligere possumus hanc conclusionem, quòd Rom. Pontif. sua auctoritate, causa legitima occurrente, potest Concilium vniuersale congregatum, de loco ad alium locum transferre.

Ista conclusio non solùm exemplis multis in Ecclesia Dei, in quibus, aut propter pestem, aut guerrarum angustias, translationes sæpè factæ leguntur Conciliorum, sed ità ratione sit manifesta, vt vacuus sensu omninò indicandus veniat, qui Romanum Pontificem, ad quem, & vniuersalia Concilia spectat congregare, auctorizare, confirmare, interprætari, dispensare, & malè celebrata cassare, vt in superioribus est demonstratum, neget posse, causa legitima occurrente, sine existente, Concilium sua propria auctoritate de loco ad locum transferre? Præterea, si Pastor potestatem habet transferendi gregem de loco ad locum, prout gregi pascendo cognouerit expedire, quis, nisi sensu vacuus negabit Romanum Pontif. qui Pastor est vniuersalis Ecclesiæ, & per consequens Concilij eam repræsentantis, posse trasferre vniuersale Concilium, cum hoc rationabilis causa exposcit? Cæterum si iuxtà sanctorum Patrum irrefragabilia testimonia superiùs inducta Summus Pontifex rationi sui primatus, pro conditione, & necesitate rerum auctoritatem habet, vt moderator sit Canonum, profe-

ctò multò magis existente temporis, rerumq; necessitate Conciliorum transferre, cùm iuxtà Gregor. in cap. nouit dist. 12. Non pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt, & 2. Machab. 5. dicatur, quòd non propter locum gentem, sed propter gentem locum Dominus elegit. Planè non videtur parùm circa fidem auctoritatis Summi Pontificis desipere, qui hoc priuilegium Apostolicæ Sedi denegaret, verùm si per aduersarios huius conclusionis inducatur decretum Constantien. Concilij, quod incipit frequens, quod etiam confirmatum asseritur per Dominum Papam Martinum, in quo videtur dari lex scripta Papæ in transferendo Concilium; Conciliorum autem vniuersalium decreta videntur obseruanda esse, quemadmodum lib. 4. Euangeliorum, vt testatur Gregor. in cap. sicut dist. 15. Respondetur tamen breuiter abstinendo à multis, quæ rationabiliter in hoc dici possent, quòd constitutio illa Constantiensis Concilij non arctat Papam, aut stringit, quin Papa posset dictam constitutionem moderare, siue in ea per temporum, personarumque necessitate dispensare, aut in totum tollere, quemadmodum in superioribus de Canonibus sacrorum Conciliorum manifesta veritate ostendimus, manifestè etiam habetur ex §. ex his 25. quæst. 1. Papa enim non subijcitur legibus Conciliorum, vt in cap. significasti, extrà de elect. & in l. Princeps ff. de legi, quia non Rex legi, sed lex est subiecta Regi, quæ lex animata dicitur. Quod autem inductum est de cap. sicut, quòd decreta Conciliorum obseruanda sunt, sicut 4. libro Euangeliorum, non obstat, quia illud, sicut gloss. testatur, & in superioribus plenè declarauimus, vniuersaliter non est verùm, sed tantum habet veritatem in his, quæ de fide, vt putà circa articulos fidei, ac Sacramenta per Concilia definita sunt.

Nec consequenter obstat, quod etiam dicitur, quòd constitutio illa frequens fuerit confirmata per Martinum, quoniam approbatio, siue confirmatio Martini præfata in hoc genere rerum, nullum potuit inferre præiudicium suis successoribus pari, immò eadem post eum potestate functuris, cum par in parem non habeat imperium, in cap. meruit, §. Quamuis de elect. & in l. Marcus de arbit. vnde ipse dominus Martinus, non obstante prædicta constitutione Concilij Constantiensi, & confirmatione sua, dedit Præsidentibus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi Concilium, nulla facta mentione consensus Concilij; vnde ratio aduersariorum non militat.

CAP. LXVII.

Quòd Romanus Pontifex causa legitima, siue rationabili existente, possit auctoritate sua vniuersale Concilium dissoluere, etiam inuitum.

PLanè considerata benè superioritate Romani Pontificis, atque auctoritate, quam habet in vniuersali Ecclesia, nullus Christianus vertet in dubium, quin Romanus Pontifex, qui Ecclesiæ Princeps est, & cui totius Ecclesiæ vniuersalis cura ab ipso immortali Omnipotente Deo commissa est, poterit vniuersale Concilium congregatum, rationabili causa exposcente, absque cuiuscumque alterius consensu, dissoluere, aut in alium locum transferre, quam conclusionem, licèt multis rationibus firmare possemus ex superioribus, aliqua commemorando paucis agemus.

Primò sic, ex illo, quod ait Christus beato Petro Matth. 18. [Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.] Vnde contra hanc potestatis prerogatiuam dicere videntur, qui negantes Romanum Pontificem ex causa rationabili posse dissoluere Concilium aggregatum.

Secundò sic, principium regulare, ff. de legib. l. 1. est, quòd eiusdem est soluere, cuius est condere; vnde etiam iuris regula prima situata extra de regulis iuris est, quòd per easdem causas res dissoluitur, per quas nascitur; cùm autem vniuersalia Concilia auctoritate Romani Pontificis, & congregentur, & robur accipiant, vt patet dist. 17. per totum: patet quòd Romanus Pontifex poterit Concilium vniuersale, rationabili causa exposcente, dissoluere; vnde remota potestate Papæ, iam non remanet Concilium, sed conuenticulum, vt dicit text. dist. 17. multis.

Tertiò sic, si vt superiùs ostensum est, Concilia non ritè celebrata Romanus Pontifex, vtpotè totius Ecclesiæ Iudex, potest sua auctoritate, sine cuiuscumque alterius consensu, cassare, & reprobare, vt in cap. cuncta per mundum, 9. qu. 3. quis, nisi insensatus, negabit Romanum Pontificem Concilia non ritè celebrata, aut in malum machinantia, posse auctoritate sua, sine consensu cuiuscumque, dissoluere, attento maximè, quòd Dominus per Prophetam Isaiam, ait cap. 54. [Solue colligationes impietatis.]

Quartò, confirmatur auctoritate Papæ Gelasij, quæ in cap. cuncta 9. qu. 3. ita inquit: Cuncta per mundum nouit Ecclesia quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum, Sedes beati Petri ius habet dissoluendi, vtpotè, qui de omni Ecclesia ius habet iudicandi.

Quintò sic, negare quòd Roman. Pontifex non possit dissoluere Concilium congregatum, rationabili causa exposcente, videtur esse nimium periculosum Christianæ fidei, & vnitati Ecclesiæ, ergo nullo modo est dicendum; consequentia patet, & antecedens colligitur ex casibus multis;

Primò quidem, & maximè cum contingeret, quòd ad eorum hominum impietatem Synodus esset deuoluta, quorum studia priuata in euersionem fidei, pacis, & vnitatis agitarentur Ecclesiæ, sicut ait Leo Papa VIII. de secunda Synodo Ephesina.

Secundò, cum Episcoporum, quæ Patres, & columnæ dicuntur Ecclesiæ, iudicio contempto, inferiores, multitudine seditiosa præualente, hierarchicum ordinem moliantur confundere.

Tertiò, cum Synodus in tyrannidem esset conuersa.

Quartò, cum aliqui in Concilio nouis ausi-

ausibus vsurpare iura Apostolici Principatus pertinaci animositate contenderent.

Quintò, cum contingeret, quòd Concilium faueret hostibus Romanæ Ecclesiæ, ac Summ. Pont.

Sextò, cum Princeps terræ, in qua celebrari Synodum contingeret, multitudine clericorum dominij sui aduersùs Romanum Pontificem, vel Romanam Ecclesiam, aut alios Prælatos Christianos, aliquod sinistrum intentare præsumeret.

Septimò, cum Synodus ad manus deuolueretur eorum, qui pro Principatus sui gloria augenda, aut temporali vtilitate consequenda, perpetuare Concilium niterentur.

Octauò, cum cautulosè, aut malitiosè id ageretur, vt adueniente Romani Pontificis decessu, ad eos futuri Pontificis deuolueretur electio. Et sic de similibus, quæ tam ex antiquorum quorumdam Conciliorum practica, quàm ex prauis Basileensis studijs nota sunt.

Quis autem in huiusmodi casibus, nisi ratione vacuus, dogmatizare præsumeret Romanum Pontificem vniuersalis Ecclesiæ Principem, Pastorem, & Custodem non posse absque cuiuscumque alterius consensu Concilium vniuersalis Ecclesiæ dissoluere? Planè non nisi insanus assereret quòd turbę luporum insidiantium vitę ouium, pastor non posset absque luporum consensu lupis illis obuiare, & illos profugare de loco. Ex quibus manifestè confutatur error dicentium, quòd Romanus Pontifex, etiam rationabili causa exposcente, non possit propria auctoritate sine consensu Concilij dissoluere ipsum congregatum Concilium. Contra quem errorem possunt facere omnia, quæ superius inducta sunt de Romani Pontificis auctoritate, & superioritate, tàm ex auctoritatibus sanctorum Patrum, & Canonum, quàm glosarum, quorum sententiæ potiùs standum videtur, quàm quorumcumque nouellorum Magistrorum adinuentionibus. Nam, vt inquit Nicolaus Papa in cap. ridiculum, dist. 12. Ridiculum, & satis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitùs à Patribus suscepimus, infringi patiamur; vnde Prouerb. 22. dicitur: [Non transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui.]

CAP. LXVIII.

In quo obijcitur per Aduersarios contra prædicta.

ADuersarij impugnantes præfatam conclusionem arguunt multipliciter in contrarium illius.

Primò, ex decreto frequens Concilij Constantiensis, in quo cum prohibeatur mutatio loci, prorogatio temporis Concilij, sine consensu Concilij, multò magis prohiberi videtur dissolutio.

Secundò sic, Concilium, cum sit congregatum ad aliqua agenda, videtur, tantò tempore debere durare, quousque causæ, propter quas est congregatum, finem sortiantur optatum; perfecta enim debent esse opera Concilij, perfectum autem est, cui nihil deest; ergo videtur, quòd nullo modo conuenienter dissolui possit ante complementum eorum operum, propter quæ sit congregatum.

Tertiò sic, si Concilium est pro causa Papæ congregatum, vt putà, quia diffamatus est de hæresi, clarum est, quòd dissoluere id non potest Papa; ergo conclusio præfata falsa, consequentia videtur bona.

Quartò, si Concilium congregetur pro extirpanda aliqua hæresi, quia, vt habet gloss. in cap. Anastasius, dist. 19. in quæstione fidei Papa debet requirere Concilium Episcoporum, videtur, quòd ante expeditionem rei Papa non posset dissoluere sine consensu Concilij; ergo, &c.

Quintò, si Papa posset sua auctoritate dissoluere Concilium; similiter posset prohibere, ne vmquam celebrarentur vniuersalia Concilia, sed hoc non potest, vt patet. Ipsa enim potestas, & priuilegia sunt ad ædificationem, non autem ad destructionem; prohibere autem celebrationem Conciliorum, caderet in euersionem fidei, ruinam Ecclesiæ, & perturbationem populi Christiani.

Sextò sic, si Papa posset dissoluere vnum Concilium propria auctoritate, ità & aliud, & sic de singulis, & ità posset omnia Concilia, antequam aliquid concluderent, dissoluere, quod non modo scandalosum, sed perniciosum fieret Ecclesiæ Dei.

Septimò, si hæretici vellent conuerti, & non nisi per Concilium, clarùm est, quòd tale Concilium Papa non posset dissoluere, nisi consensu interueniente Patrum ipsius Concilij.

Octauò, si Concilium congregatum est pro bono vniuersalis Ecclesiæ, & tale bonum Papa solus prohibere non potest, videtur, quòd Papa sine consensu Concilij dissoluere non posset, aliàs videretur magis hostis Ecclesię, quàm promotor.

CAP. LXIX.

In quo respondetur obiectionibus factis.

IAm facilè responderi potest obiectionibus factis, vt vnico quasi verbo satisfieri posset omnibus simul, videlicet, quòd nos non dicimus, quòd Romanus Pontifex pro libito voluntatis quæque Concilia dissoluere posset, sed tamen legitimis rationibus, siue rationabilibus causis hoc exposcentibus, hoc enim solùm dicimus, quòd non modò in sanctorum Patrum libris, sed in practica cognouimus vniuersalis Ecclesiæ, videlicet, quòd sicut in Romani Pontificis facultate, & potestate est pro arduis, magnisque causis Concilia temporibus, & locis congruis congregare, ità rationabilibus causis exposcentibus, absque cuiuscumque alterius consensu, ipse sua auctoritate, vtpotè qui vices Christi gerit in terris, transferendi illa, & dissoluendi illa, liberam habeat facultatem. Et qui contrarium dicit, non modò illius priuilegijs diuinitùs concessis derogare videtur; sed Christo Saluatori nostro, cuius Vicarius est, qui non talem

lem facultatem Vicario suo dedisset, non videretur ei dedisse plenitudinem potestatis necessariæ ad Ecclesiæ suæ vniuersalis gubernationem, & defensionem, & ità minùs sufficienter fuisset prouisum Ecclesiæ, quod de Deo, cuius prouidentia amplissimæ est liberalitatis, & quæ in sui dispositione non fallitur, non est fas dicere; licet ergo ista sufficerent ad singulas obiectiones in communi: nihilominùs ad singulas in particulari respondemus.

Ad primam, de decreto Constantiensi plenè responsum est in cap. 66. præcedenti. Prætereà, decretum illud non est ità abusiuè interpretandum, quòd causa imminente, siue vrgente, Papa non habeat facultatem dispensandi circa loci mutationem, temporisque prorogationem Concilij; & per consequens dissolutionem eiusdem, cum etiam, nec tale statutum esse posset, iuxta superiùs demonstrata, & clarè habetur extra de elect. cap. significasti.

Ad secundam, cum dicitur, quòd Concilium tanto tempore debet durare, &c. respondetur, verum est, nisi aliud impediat, propter quod rationalis causa exposceret, vt dissolueretur tale Concilium, & reseruarentur illa opera complenda alio in loco, & alio tempore.

Ad tertiam, cum arguitur de Concilio congregato ratione hæresis, de qua Papa esset infamatus, &c. respondetur, quòd in hoc casu, vt nobis apparet, Papa, maximè si in fraudem faceret, non posset sine consensu Concilij, quod in illa parte Iudex est, dissoluere Concilium.

Ad quartam, quando arguitur de Concilio congregato pro extirpanda hæresi: respondetur, quòd videtur nobis rationabile, quòd in tali casu Papa non sic dissolueret sine consensu Concilij; nihilominùs, vbi Papa de certo talem dissolutionem nō faceret in fraudem, sed manifestè cognosceret, quòd pro dicta hæresi extirpanda alio tempore, & alio loco conuenientiùs celebraretur vniuersale Concilium, posset ipse sua potestate, quæ à nullo, quàm à Deo dependet, nec ligari potest, illud Concilium dissoluere, & aliud pro eadem causa instituere celebrandum.

Ad quintam, cum arguitur, quòd pari ratione posset prohibere, &c. respondetur, negando consequentiam; manifestum est enim, quòd ex hoc, quòd Papa habeat potestatem rationabili causa exposcente dissoluere, congregatum Concilium, non sequitur, ergo potest prohibere, ne vmquam celebrarentur Concilia. Concilia enim vniuersalia, cum vt inquit August. sint saluberrimæ auctoritatis illorum celebratio, vt in principio lib. 3. ostendimus ex multis, vtilissima, & accommodatissima est in Ecclesia Dei, & pertinere videtur ad numerum eorum, qui vniuersalem statum vniuersalis Ecclesiæ respiciunt; vnde si Romanus Pontifex, instante maximè causa necessaria celebrationis Concilij vniuersalis, celebrationem eiusdem impedire reperiretur, tamquam hostis fidei, & Ecclesiæ habendus esset.

Ad sextam, cum arguitur, ergo potest singula Concilia dissoluere; respondetur, negando consequentiam: & ratio est, quoniam rationabilis causa, seu legitima dissolutionis Concilij, ante complementum operum propter quæ congregatum est, non potest omnibus Concilijs esse communis, licèt alicui, aut aliquibus possit accedere. Concedimus enim, quòd omnia illa Concilia Papa dissoluere posset, quibus eadem causa rationabilis dissolutionis esset communis, quia vbi eadem causa, ibi idem ius videtur habere locum.

Ad septimam, cum arguitur de hæreticis, respondetur, quòd in illo casu, si aliud non interueniret, verum est, sed nihilominùs si sub colore conuersionis hæreticorum, aut reformationis Ecclesiæ, alia mala committerentur, sicut contigit in Basileensi Concilio, vbi sub colore reductionis Bohemorum, & reformationis Ecclesiæ in capite, & in membris, praticata sunt multa mala, & scandala orta; vsurpata enim sunt Apostolicæ Sedis priuilegia, plurima mala dogmata seminata, Papa posset reuocare, sicut sanctæ memoriæ Dominus Eugenius fecit de præfato Concilio Basileensi.

Ad octauam, cum arguitur de Concilio congregato pro bono vniuersalis Ecclesiæ, respondetur, sicut ad præcedens; multa autem in his aduersariorum argumentationibus præsupponuntur, vt putà, quòd solus Papa inter omnes de Concilio obuiet bono vniuersalis Ecclesiæ, aut quòd ipse videret necessitatem Ecclesiæ, & fidei periclitationem, nisi Concilium continuaretur, & tamen, quòd ipse solus nollet continuationem Concilij, & multa similia, quæ aduersarij facilè, & temerariè iudicant in Summis Pontificibus, licèt tantæ iniquitatis exempla nusquam superioribus temporibus expræssè in aliquo vero Romano Pontifice legerint, non respondemus, non quia credamus illa tanta facilitate possibilia, quanta aduersarij illa possibilia supponunt. Nobis enim non videtur tantum malum de Summis Pontificibus facilè iudicandum, considerata maximè prærogatiua illius Apostolicæ Sedis, tàm ex parte Diuinæ pollicitationis, quàm ex parte excellentiæ meritorum sanctorum Pontificum, qui in ea sederunt; vnde Symmachus Papa in cap. non nos distinct. 40. dicit, quas enim Sanctum dubitat, quem apex tantæ dignitatis extollit? In quo si desunt bona acquisita per meritum, sufficiant, quæ à loci prædecessore testantur. Aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut quæ eriguntur illustrat.

Et tantùm dictum sit pro isto tertio libro huius præsentis summæ de Ecclesia.

EIVS-



EIVSDEM AVCTORIS.

DE SVMMI PONTIFICIS, & Generalis Concilij potestate.

Ad Basileensium Oratorem, in Florentina Synodo responsio, viua voce, exhibita.

SVMMARIVM.

1 *Apostolica Sedes, hæreses non fouet, sed destruit.*

2 *Romano Pontifici, iure diuino caput omnes inclinant.*

PRÆFATIO.



Otastis, credo, superiori die, pro vestra sapientia, & humanitate; Reuerendissimi Patres, sanctissimam, & religiosam intentionem Sanctissimi Domini Nostri, & celeberrimum eius desiderium; optat enim Sanctissimus Dominus Noster, sicut pius Pater: vtpotè qui in
1 cathedra sedet, quæ nullam vmquam hæresim fouet, sed omnes hæreses destruit, nascentes errores de medio Populi Christiani euellere, vult nihilominus hoc cum omni pace, & charitate, quantum fieri poterit, adimpleri, ea grauitate seruata, quam sanctitatis suæ circumspectio materiam fidei nouit, pro singularitate celsitudinis suæ exigere. Instituit propterea eius sanctitas de controuersia super reprobatione quorumdam errorum Basileen. inter deputatos orta, coram prudentissimis circumspectionibus vestris, pro vtraque parte agitari rationes; Et hoc maximè circa propositionem primam inter tres illas, quas Basileenses intelleximus declarasse veritates esse fidei catholicæ, cuius Tenor est.

Veritas de potestate Concilij generalis vniuersalem Ecclesiam repræsentantis suprà Papam, & quemlibet alterum, declarata per Constantien. & hoc Basileen. generalia Concilia, est veritas fidei catholicæ. Audiuistis iam heri sapientissimum virum, & celeberrimum Patrem, Dominum meum singularissimum, qui more suo sapientissimè, & amplissimè partem illam fulsit, quam gratia illustrioris veritatis habendæ, defendendam suscepit. Vtinam tam pro ampliore claritate veritatis, quàm pro sublimitate auditorum, alius quàm ego institutus fuisset dignitate, & auctoritate maior, perspicacior ingenio, & locupletior sapientia; qui tantæ rerum amplitudini satisfaciens, dictis per eumdem clarissimum, & Reuerendissimum Patrem, & Dominum, plena responsa dedisset. Verùm quia eius mandatis me parere oportet, cui omnes, iure diuino, caput incli-
2 nant, responsionem hanc de eius confisus auxilio, cuius Vicariatum defendimus, & Principatus honorem cum omni humilitate, & reuerentia, & sub omnimoda correctione, & emendatione sanctissimi Domini Nostri, & supportatione pia omnium Reuerendissimorum Patrum, & Dominorum hìc existentium, rem ipsam mihi deputatam aggredior. Distinxit autem, præfatus Dominus (si benè teneo) actum suum in tres Articulos principales: In primis enim arbitratus, quòd illa prima propositio Basileensium, parùm ante commemorata, non posset tangi tactu reprobationis, & comdemnationis, & nisi pariter decretum Constantien. de potestate Concilij super Papam tangeretur; Induxit primo loco auctoritates multas, & rationes pro veritate præfati decreti Constantien. de auctoritate Concilij vniuersalis supra Papam; secundò visus est per rationes plures persuadere, quòd prædicta prima propositio Basileensium non debeat tangi; Tertiò eius prudentia studuit argumenta soluere, quæ fiebant ab aliquibus patribus inter deputatos; Quòd non possent aliæ duæ propositiones damnari, nec veritas translationis factæ per sanctissimum Dominum Nostrum ab Basilea ad Ferrariam habere firmitatem, præfata illa propositione prima non damnata. Circa primum considerauit Dominus proponens quinque partes in decreto illo Constantien. edito de potestate Conciliorum, secundùm quas primum articulum suum in quinque partes subdistinxit; Prima pars illius decreti Constantiensis est, quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, & generale Con-

Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam repræsentat. Pro huius partis probatione, inducta est illa epistola Domini Martini, quam, approbante vniuerso Concilio Constantien. editam, ad Germaniæ Prælatos direxit; In qua inter cætera interrogatoria, quæ fienda instituit captis hæreticis suspectis de erroribus damnatæ memoriæ Ioan. Wichieff & Ioann. Huss. iubetur, vt hæreticus talis interrogetur, Vtrùm credat, teneat, & asserat, quòd quodlibet Concilium generale, & etiam Constantien. vniuersalem Ecclesiam repræsentet.

RESPONSIO.

Ad primum Articulum.

SVMMARIVM.

1 *Concilium ab eo congregatum, qui indubitatus Pontifex non est, legitimum dici non potest.*

2 *Congregatio per Ioannem XXIII. facta Constantiæ, non consentientibus alijs duabus obedientijs; nec Synodum legitimam constituit, nec vniuersalem Ecclesiam repræsentauit.*

3 *Veritas illa catholica non fuit, cui aliæ duæ obedientiæ contradixerunt.*

4 *Concilium generale, vniuersalem Ecclesiam repræsentare non dicitur, si integrum, & plenarium non est.*

5 *Integrum, & plenarium Concilium, quando verè existat.*

6 *Congregatio nulla, Canonico Romano Pontifice excluso, vniuersalem Ecclesiam repræsentare potest.*

7 *Desinire quòd decretum illud Constantiense, ad charitatem fidei catholicæ pertineat, temerarium & scandalosum est.*

8 *Concilium generale, legitima Apostolica auctoritate congregatum, habere potestatem à Christo immediatè, non est veritas catholicæ fidei.*

9 *Papa indubitato in Concilio personaliter existente, Synodus constituentis, aut desinientis nomine non vtitur, sed Pontifex sacro approbante Concilio, vniuersa decernit.*

10 *Quomodo Synodus definiat, statuat, pronunciet, & condemnet.*

11 *Sine Papæ auctoritate; nec Concilium congregari, nec quidpiam in eo determinari potest.*

12 *Papa legitimus, Ecclesiæ catholicæ caput est, & supremam in illa auctoritatem habet.*

13 *Concilium vniuersale, potestatem habere à Christo immediatè, falsum est.*

14 *Et repugnat articulo fidei, Credo vnam sanctam Ecclesiam.*

15 *Nulli congregationi Synodali Ecclesiæ, fidelium omnium regimen immediatè commissit.*

16 *Petro soli, & successoribus, vniuersaliter, & indistinctè dixit Dominus, Pasce oues meas.*

17 *Ecclesiæ regimen monarchicum, & regale, à Christo institutum est.*

18 *Species regiminis politiæ Ecclesiasticæ, immutabilis est.*

19 *Ecclesiastica Hierarchia, ad exemplar cælestis formata est.*

20 *Nulla potestas à Christo Ecclesiæ, aut generali Concilio tribuitur, quæ, Romano Pontifice mediante, non conferatur, qui Hierarcha, & primus est in tota Hierarchia.*

21 *Conciliorum vninersalium auctoritas, & quo ad conuocationem, & quo ad actitatorum robur, & firmitatem, ab Apostolicæ sedis auctoritate immediatè dependet.*

22 *Iurisdictionis potestatem, à Christo immediatè Apostoli alij non acceperunt, sed mediante Petro.*

23 *Apostolis alijs Christus immediatè subditos non dedit.*

24 *Nec illis Christum populos immediatè diuisisse legimus.*

25 *Nec potestatem aliquam, etiam limitatam eis contulisse.*

26 *Dato quòd Apostoli iurisdictionis potestatem, sicut ordinis, à Christo immediatè receperint, non tamen concedendum est, quòd alij prælati Ecclesiæ eamdem potestatem, nunc à Christo immediatè suscipiant.*

27 *Iurisdictionis potestatem, mediante Romano Pontifice Christi in terris Vicario, prælati Ecclesiæ accipiunt.*

28 *Papa princeps, & monarcha est in Ecclesiæ principatu.*

29 *Est primus in ordine Prælatorum Ecclesiæ, & in eo residet plenitudo potestatis.*

30 *Romana Ecclesia, aliarum Ecclesiarum caput est.*

31 *Ad vnitatem Ecclesiæ requiritur, quòd omnium Prælatorum potestas iurisdictionis, à Romano Pontifice deriuetur.*

32 *Dato quòd Ecclesiæ Prælati iurisdictionis potestatem à Christo immediatè susciperent, non tamen sequitur, quòd Concilium vniuersale à Christo immediatè auctoritatem habeat, cui etiam Papa obedire teneatur.*

33 *Cum Matth. 16. Christus dicit, Dic Ecclesiæ, non Ecclesiam vniuersalem dispersam, aut in Concilio congregatam, sed Prælatum principaliter intendit.*

34 *Fraternæ correctionis præceptum, nec impossibile, nec difficilè est.*

35 *Totalitas Ecclesiæ multiplex.*

36 *Quando, & quomodo Papa fraternè corrigendus sit.*

37 *Ligandi, & soluendi potestas, quomodo Episcopis, & sacerdotibus omnibus intelligatur collata.*

38 *In Concilio, qua potestate patres decreta condant.*

39 *Spiritum sanctum pastores posuisse, vt regerent, quomodo intelligatur.*

40 *Claues Ecclesiæ quomodo Apostolis, & eorum successoribus Christus dederit.*

41 *Augustini locus, 24. qu. 1. cap. quodcumque, de Petro claues accipiente, & Ecclesiam significante, explicatur.*

42 *Non Petro tantùm, vt singulari personæ data est clauium auctoritas, sed in eo successoribus eius, & vniuersis Prælatis in Ecclesia Dei futuris, quos in partem*

tem ſollicitudinis ſuæ vocaret.

43 *Paſce oues meas, non tantùm Petro, ſed eius ſucceſſoribus, & alijs in partem ſollicitudinis eius euocandis, dictum eſt.*

44 *Nouatianorum error eſt, dicere apud ſacerdotes, nullam eſſe abſoluendi facultatem.*

45 *Hæretici, & ſchiſmatici, nec ligare, nec ſoluere poſſunt.*

46 *Vniuerſale Concilium poteſtatis auctoritate, Romano Pontifice ſuperius eſſe non ſenſit Auguſtinus.*

47 *Iudicium per Papam, & patres vniuerſæ Eccleſiæ ſimul habitum, in quo differat à iudicio cum paucis per Papam facto.*

48 *Dei, & Papæ conſiſtorium idem eſt, ſicut Epiſcopi, & eius Vicarij, ideò nullum maius tribunal in terris inuenitur.*

39 *De iudiciaria poteſtas, Apoſtolis, Epiſcopis, & Presbyteris omnibus à Chriſto tradita, Hieronymi ſententia explicatur.*

50 *Non omnia Eccleſiæ membra claues habent, ſed Epiſcopi, & Presbyteri.*

51 *Claues ſecundum plenitudinem poteſtatis Eccleſia accepit in Petro, cuius Romanus Pontifex ſucceſſor eſt.*

52 *Chriſtus donauit Apoſtolis, vt ipſe quoque petræ vocarentur.*

53 *Parem Apoſtolos omnes cum Petro poteſtatem à Chriſto accepiſſe, quomodo intelligatur.*

54 *Pro omnibus, & præ omnibus claues Petrus, non veluti procurator, & Syndicus, accepit.*

55 *Petrus, & eius ſucceſſores, in poteſtate iuriſdictionis, cæteris omnibus, etiam ſimul iunctis, antecellunt.*

56 *Caput, & princeps alijs influens, in toto corpore Eccleſiæ Petrus conſtitutus eſt.*

57 *Ex verbis octauæ Synodi non habetur, Concilium à Deo immediatè poteſtatem accepiſſe, aut illi conuenire, quod Dominus Matth. 18. dixit. Vbi fuerint duo, vel tres congregati, &c.*

68 *Impoſſibilitas errandi in fide, quomodo Concilijs, & quomodo Papæ conueniat.*

56 *Homo confirmatus in gratia, Romano Pontifice non confirmato, poteſtate præſtantior non eſt.*

60 *Beatæ Virgini, quamuis Apoſtolis omnibus digniori, claues regni cælorum non commiſit Deus.*

51 *An quilibet, etiam Papa, in his quæ ſunt fidei, vniuerſali Concilio obedire teneatur.*

62 *Concilij generalis, & vniuerſalis Eccleſiæ decreta ad fidem expreſsè ſpectantia Papa amplecti & recipere tenetur.*

63 *Cocilia vniuerſalia non habent priuilegium in iudicio fidei, non errandi.*

64 *Decreto generalis Concilij de fide definienti, per Apoſt. Sedem probato, & confirmato, etiam Papa obedire tenetur.*

65 *Si Apoſtolica Sedes, aut Eccleſia Romana Synodo contradicit, definitioni Apoſtolicæ Sedis, potius, quàm decreto cuiuſcumque Synodalis congregationis parendum eſt.*

66 *Eccleſia Romana errare non poteſt.*

67 *Solo Papa, patribus vniuerſis in Concilio, de fide definientibus, contradicente, iudicio potius Synodi, quàm ſolius Papæ ſtandum eſſet.*

68 *Vbi de fide agitur, Papa Epiſcoporum iudicium requirere tenetur.*

69 *Synodus quandoque maior eſt Papa.*

70 *Declarationibus de fide ab vniuerſa Synodo, per aperta S. ſcripturæ, aut ſanctorum prælatorum teſtimonia vnanimiter factis, ſi Papa obedire renuit, veluti hæreticus Concilio ſubditur.*

71 *Papa in canonem latæ ſenten. incidere poteſt.*

72 *Concilium ſupra Papam Catholicum, nullam poteſtatem habet.*

73 *Papa in caſu hæreſis Concilio ſubditur.*

74 *Decretum Conſtantienſe, quòd quilibet etiam Papa, Concilio generali in his, quæ pertinent ad extirpationem ſchiſmatis obedire teneatur, non loquitur vniuerſaliter, ſed de illo tempore tantùm.*

75 *In caſu vniuerſalis reformationis, Papa de honeſtate, non autem de neceſſitate Concilio obedire tenetur.*

76 *Decretum Concilij neceſſitatem cohercitiuam, ſeu coactionem importans reſpectu Papæ, ſcripturis & patribus repugnat.*

77 *Concilium Generale, extra caſum hæreſis, Papam indubitatum, nec deponere, nec iudicare poteſt.*

78 *Diſpenſator Papa eſt, à Chriſto ſuper Eccleſiam conſtitutus.*

79 *Inferior ſuperiorem non iudicat.*

80 *Romano Pontifice Solus Deus ſuperior eſt, cuius & ſeruus eſt.*

81 *Papæ iudicium ſibi Deus reſeruauit.*

82 *Papa per ſingularem clauium prærogatiuam totius Eccleſiæ fundamentum eſt.*

83 *Papa vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor, & rector à Chriſto in Petro conſtitutus eſt.*

84 *Grex Paſtorem non corrigit.*

85 *Romanus Pontifex in Orbem vniuerſum, primatum tenet, Petri ſucceſſor, Eccleſiæ totius caput, fidelium pater, doctor, paſtor, rector, in Petro à Chriſto inſtitutus eſt.*

86 *Papa per mortale peccatum non deſinit eſſe ſuperior.*

87 *Cur ex ſola pertinacia in hæreſi à iuriſditionis ſuperioritate quis cadat.*

88 *Paſtores mali, rectè tamen docentes, abijciendi non ſunt.*

89 *Veritas fidei catholicæ non eſt, quæ ſedis Apoſtolicæ determinationi contradicit.*

90 *Papa deponendus non eſt, & ſi imminente neceſſitate reformationis Eccleſiæ, Concilio reformare volenti, ſe opponat.*

91 *Incorrigibilitas in Papa Eccleſiam ſcandalizante, non ſemper depoſitionis cauſa ſufficiens eſt.*

92 *Papa tantùm pro hæreſi ſtrictè ſumpta, iudicari poteſt, & aliter dicere, error eſt.*

93 *Papæ contra Eccleſiæ vniuerſalem ſtatutum facienti, obediendum non eſt, ſed reſiſtendum, non tamen ob id à Concilio ille iudicandus eſt.*

94 *Papa volens deponere ſimul omnes Epiſcopos, aut ſimi lia facere, quæ à veritate, aut ſanctorum Patrum ſententijs ſunt deuia, aut contra ſtatutum vniuerſalis Eccleſiæ, agere tentans, ſuſtinendus non eſt.*

Dicimus in primis, quòd pars huius
decreti non potest habere rationem
veritatis catholicæ fidei;

Primò, quia vt exploratissimum est,
quòd D. Balthasar in sua obedientia, Io-
1 annes XXIII. vocatus, cuius auctoritate
congregatio illa facta est, & legitima esse
describitur; fuerit summus Pontifex in
Ecclesia, verus Christi Vicarius, caput
sanctæ Ecclesiæ Catholicæ; non habet
eam certitudinem indubitatam apud om-
nium fidelium animos, qualem veritas ca-
tholicæ fidei importat. Nihil enim cer-
tius fide, ait Gregorius super Ezec. & vt
etiam ait August. nihil est certius homini
sua fide.

Secundò, quia quòd obedientia præ-
fati Ioan. 23. quæ Constantiæ congregata,
2 præfatum decretum ante vnionem Eccle-
siæ edidit, sola præter alias obedientias le-
gitimam Synodum vniuersalem constitue-
ret, & Christi vniuersalem Ecclesiam re-
præsentaret; non habet certitudinem Ca-
tholicæ fidei, vt manifestum est.

Tertiò, quia illud non potest habere ra-
tionem veritatis Catholicæ, cui in ipsa
vnione Ecclesiæ, duæ aliæ obedientiæ, Gre-
gorij scilicet, & Benedicti apertissimè, in
plena congregatione contradixerunt, & eo-
rum contradictio fuit acceptata; Contrà
dixit in primis, Dominus Gregorius in
sua obedientia vocatus, verum Romanum
Pontificem verbo, & scripto se asserens,
parti illius decreti: in qua dicitur, quòd
congregatio Patrum, quæ sub obedientia
Ioannis Constantiæ conuenerat, si legiti-
mè congregata esset, generale Concilium
faceret, Ecclesiam catholicam repræsen-
tans, quare vt clarissimum est ex gestis il-
lius Concilij, mittens idem Dominus Gre-
gorius post Oratores suos ad Constantiam,
committit eis, videlicèt Domino Cardi-
nali Sancti Sixti, & Domino Ioanni electo
Patriarchæ Constantinopolitano, & Do-
mino Archiepiscopo Treueren. & Domino
Comiti Palatino, & Domino Carolo de
Malatestis, auctoritatem, congregationem
ipsam Constantiæ, in quantum per Sere-
nitatem Regiam, & non per Balthasarem
se nuncupari facientem Ioan. 23. vocatam,
vice sua conuocandi, & auctorizandi in
generale Concilium, remota tamen om-
nimodè dicti Balthasaris præsidentia, &
præsentia ab eisdem, &c.

Verba sunt formalia Bullæ datæ aucto-
ritatis præfatis oratoribus, quæ inserta est
3 gestis præfati Concilij. Quòd autem hæc
verba, & gesta Domini Gregorij præfato
decreto Constantien. contradicant, mani-
festum est. Contradixit præterea eidem
decreto obedientia Dominorum Regum,
& Principum, qui Petro de Luna, Bene-
dicto 13. nuncupato, tamquam verò sum-
mo Pontifici adhærebant, nam ex gestis
eiusdem Concilij patet, pro eo quòd tene-
bant præfatos Patres Constantiæ congre-
gatos, non facere Concilium vniuersale,
nec Ecclesiam Catholicam repræsentare
voluerunt, iuxtà compactata in Narbona
cum bonæ memoriæ Domino Imperatore
Sigismundo, vt noua fieret Ecclesiæ per eos
Concilij conuocatio, & factum est, ex qua
hora tantùm, cum iam omnes tres obe-
dientiæ simul essent, habita est certitudo,
& fides apud omnes, vniuersale Concilium
Constantiæ celebrari, & Ecclesiam repræ-
sentare catholicam, quare cum fuerit du-
bium tempore Schismatis, apud quos vera
Ecclesia esset, quam supra cathedram Pe-
tri Hieronym. dicit esse fundatam, in cap.
quoniam vetus oriens, & in sedis Aposto-
licæ radice Augustinus dicit constitutam,
in cap. pudenda, 24. quæst. 1. non potest
dici ad veritatem catholicæ fidei pertinere
congregationem illam sub obedientia di-
cti Ioan. 23. Constantiæ congregatam pro
tempore illo, quo præfatum decretum de
potestate Conciliorum edidit, Concilium
facere generale, & Ecclesiam Catholicam
repræsentare, sine insupportabili scandalo
aliarum obedientiarum. Vnde quòd Do-
minus Martinus dicit in epistola allegata
per Reuerendissimum Dominum meum,
referendum est non ad tempus schismatis,
pro quo sola obedientia Ioan. Constantiæ
conueniens decretum illud edidit, sed ad
tempus, in quo omnes obedientiæ pro
vnione Ecclesiæ facienda, simul conuene-
rant.

Est præterea hic considerandum, quòd
dictum Domini Martini, in quo ait Con-
4 cilium generale vniuersalem Ecclesiam re-
præsentare, accipiendum est de Concilio
5 integro, siue plenario, quòd id dicitur esse
ex decretis Concilij Antiocheni, & ex di-
stinct. 17. per totum, in quo auctoritate
& assensu Romanus Pontifex assuerit, cùm
enim dicat Augustin. in sermone quodam
Apostolorum Petri, & Pauli, quòd solus
Petrus, cui succedit Romanus Pontifex in
plenitudine potestatis, inter Apostolos to-
tius Ecclesiæ gesset personam, nulla con-
6 gregatio, canonico Romano Pontifice ex-
cluso, dicenda est vniuersalem Ecclesiam
repræsentare, quare beatissimus Cyprianus
in epistola, quam ad lapsos scribit, qui à
Romano Pontifice segregati, nomen Ec-
clesiæ sibi ascribere præsumpserant, ità di-
cit, Dominus Noster, cuius præcepta in-
tueri debemus, & seruare, Episcopi hono-
rem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens,
in Euangelio sic loquitur, & dicit Petro,
[Tu es Petrus, & super hanc petram ædi-
ficabo Ecclesiam meam,] &c. Infrà, cum
hoc ita diuina lege fundatum sit, miror
quosdam audaci temeritate sic mihi scri-
bere voluisse, vt Ecclesiæ nomine literas fa-
cerent, cum Ecclesia in Episcopo, & cle-
ro, & omnibus statibus sit constituta. Hæc
Cyprianus, &c.

Qua parte sic illustrata, non esset iam
opus cæteras præfati decreti partes tange-
re, quoniam demonstrato non esse verita-
tem catholicæ fidei, immò nec opinionem
communem omnium fidelium; partes Con-
stantiæ sub obedientia dicti Ioannis XXIII.
congregatos pro tempore, quo declaratio
illa de potestate Conciliorum supra Pa-
pam emanauit, facere Concilium vniuer-
sale, aut Ecclesiam repræsentare catholi-
cam, illicò ruit omnis auctoritas, & fir-
mitas factæ declarationis; quoniam iuxtà
beati

beati Augustini sententiam ad Hieronymum, si dubitatio, aut falsitas ad scripturas sanctas admissa fuerit, nil profectò in eis remaneret auctoritatis. Nihilominus vt ad omnia, quæ tacta sunt per Dominum arguentem, plena detur responsio, ad alias etiam partes præfati decreti, consideratione nostra tendamus.

Dicitur autem in secunda parte præfati decreti, quòd Synodus ipsa habet potestatem immediatè à Christo, cui quilibet cuiuscumque dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur. Hæc autem declaratio cùm ex ipsa verborum forma, accipienda veniat de congregatione illa patrum tempore schismatis Constantiæ, sub obedientia dicti Ioan. 23. congregata: clarissimum est ex iam dictis, quòd nullo modo potest habere rationem veritatis fidei Catholicæ, nec communis opinionis omnium catholicorum, quoniam quicquid sit de fide, aut opinione patrum, qui præfatam declarationem ediderunt, patres tamen, & Principes aliarum duarum obedientiarum, scilicet Georgij, & Benedicti, nec tenuerunt pro tunc, nec adhuc viuentes tenent, quòd congregatio illa patrum, tempore schismatis sub Ioann. dicto 23. Constantiæ celebrata, potestatem à Christo haberet immediatè, cui quilibet cuiuscumque dignitatis existeret, obedire teneretur. Quibus rebus sic existentibus, teme-
7 raria planè nimis, & scandalosa præsumptio est definire decretum illud Constantię, in hac parte ad veritatem catholicæ fidei pertinere. Temeraria quidem diffinitio, quæ nec auctoritate, nec ratione certa probari potest; scandalosa verò, quoniam sicut per primam partem decreti, duæ aliæ obedientiæ concluduntur fuisse schismaticæ, per cap. scire debes 7. qu. 1. & c. non vos, 23. quæst. 5. & per cap. pudenda, & capit. schisma 24. qu. 1. Ita per secundam partem de hæresi conuincuntur infectæ, per cap. si qui presbyteri, dist. 81. & cap. arrecta, & cap. alienus 24. qu. 1. Viso iam, & clarissimè demonstrato, partem illam decreti Constantien. dicentem Synodum habere potestatem immediatè à Christo, nullo modo dicendam esse ad veritatem fidei catholicæ pertinere, intelligendo illam de congregatione illa, quæ Constantiæ tempore schismatis sub dicto Ioan. 23. conuenit. Reliquum est ostendere, quòd etiam accipiendo partem illam de Synodo vni-
8 uersali legitima, & indubitata, Apostolica auctoritate congregata, non sit veritas fidei Catholicæ, quòd talis potestatem immediatè habeat à Christo, cui &c.

Quod multipliciter ostenditur, & primò ex gestis, & declarationibus fidei in ipso Constantien. Concilio, facta vnione Ecclesiæ, conclusis: legimus enim in primis gestis præfati Concilij, quòd cùm Dominus Martinus electus fuit in Romanum Pontificem, amplius Synodus non est vsa
9 nomine constituentis, aut diffinientis, sed ipse Dominus Martinus omnia, Synodo approbante, statuisse & diffiniuisse describitur, morem in hoc secutus prædecessorum suorum, qui siue in materia fidei, siue in materia schismatis, siue reformationis Ecclesiæ, soli in Concilijs vniuersalibus, auctoritate propria statuisse, & sententiasse leguntur, sicut ipsorum Conciliorum gesta in Decretalibus, Clementinis, & Extrauagantibus inclusa, clarissima luce demonstrant; quod planè minimè per tam gloriosos, & doctos Romanos Pontifices attentatum fuisset, nec ab ipsis vniuersalibus Concilijs permissum, si esset veritas catholicæ fidei, quòd Concilium vniuersale non à Papa, sed immediatè à Christo potestatem haberet in his, quæ sunt fidei, & schismatis, & reformationis Ecclesiæ; & potissimùm cum illa infallibilitate iudicij, & superioritate, quam aiunt, auctoritatis. Si enim Ecclesiastici cap. 11. in sacra Scriptura, immò in sacra Scriptura ipse Spiritus sanctus, in medio senum prohibet adolescentem loqui, quantò magis prohibitum esse credimus, vtpotè omni reprehensione dignissimum, vt quis iudicio, auctoritate, & potestate inferior, in medio congregationis senum totius Ecclesiæ, diffiniendi, & statuendi sibi assumat superioritatem, & principatum? Cum autem blasphemiam esset dicere, Apostolicam sedem contra diuinam prohibitionem, hunc in Ecclesia tanto tempore sibi vsurpasse statuendi, & diffiniendi auctoritatis principatum, quæ vt in cap. arrecta 24. qu. 1. per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errare probatur; ex ipsa practica Concilij vniuersalis apertissimè colligitur, quòd sacra ipsa Synodus Constantien. ex omni parte Christianitatis collecta, non tenuit, sicut nec tenendum est, ad veritatem fidei catholicæ pertinere, quòd existente in Ecclesia vno, & indubitato Romano Pontifice Synodus vniuersalis potestatem immediatè habeat à Christo.

Si verò dicatur, quòd etiam Synodus legitur statuere, & diffinire, sententiare &
10 condemnare, sicut patet ex multis capitulis in decreto, Respondetur primò, quòd hoc legitur factum, quando Papa non fuit personaliter Concilijs vniuersalibus præsens.

Secundò, quòd hoc facit ipsa Synodus non auctoritate, quam immediatè suscipiat à Christo, sed auctoritate Romani Pontificis, vt dicit Sanctus Thomas: cuius verba, in tractatu contra impugnantes religionem, sunt quæ sequuntur, Sancti pa-
11 tres in Concilio congregati, nihil statuere potuissent, nisi auctoritate Romani Pontificis interueniente; sine qua etiam Concilium congregari non potest, hæc Sanctus Thom. vbi nota, quòd Sanctus iste vult, quòd auctoritas Papæ non solùm respiciat conuocationē Concilij, sed quòd patribus congregatis potestatem tribuit diffiniendi, & statuendi. Prætereà, hoc idem notari videtur in c. his ita videtur 25. qu. 1. Vbi dicitur, quòd summæ Sedis Pontifices, canonibus à se, vel ab alijs sua auctoritate conditis, reuerentiam exhibent, & eis se humiliando, ipsos custodiunt, vt alijs obseruandos exhibeant, & manifestum est, quòd de canonibus vniuersalium Concilio-

ciliorum loquatur. Cæterùm ex hoc ipso, quòd Synodus vniuersalis auctoritate Romani Pontificis canones condit, ipse Romanus Pontifex, vtpotè totius Reipublicæ Christianæ Princeps, conditor dicitur canonum, vt ex eodem cap. colligitur. Cæterùm, quòd Synodus vniuersalis absente Papa, auctoritate eiusdem Romani Pontificis principaliter diffiniat, & sententiet, accipitur manifestè ex Concilio Chalcedonensi. In quo sancti Patres congregati, in sententia data contra Dioscorum, ita dicunt. Sanctissimus, & Beatissimus Archiepiscopus magnæ senioris Romæ Leo, per nos, & per præsentem Synodum nudauit eum, tam Episcopatus dignitate, quàm etiam omni sacerdotali officio, simulque eum alienauit à ministerio sacrosancto.

Clarum est autem, quòd Papa in hoc loco non nisi rationem, siue habitudinem principij influentis auctoritatem ipsi Synodo importare potest. Vndè in epistola, quam super condemnatione eiusdem Dioscori præfati Patres Imperatoribus Valentiniano, & Marciano scribunt, ita iuxtà translationem, quæ habetur in libro Isidori summorum Pontificum, dicunt. Magna Synodus secundùm Dei gratiam, & vestræ pietatis sanctionem congregata in Chalcedonensi ciuitate &c. Sequitur, Nos igitur confidentes, & vniuerso Orbi factæ tempestatis causam inquirentes, huiusmodi rei auctorem comperimus Dioscorum Episcopum, quapropter & quia damnatus iam erat à Sedis Apostolicæ Episcopo Leone, cuius auctoritate fulti, & nos omnes consona voce damnamus. Prætereà, quòd pars decreti Constantien. dicens Synodum immediatè habere à Christo potestatem, &c. non contineat vnitatem fidei catholicæ, manifestè ostendunt duo Articuli fidei in ipsa Synodo Constantien. diffiniti, quæ omnia habentur in epistola decretali Domini Martini, quam vniuerso approbante Concilio editam prælatis Alemaniæ contra errores W.cleuistarum, Ioan. Hufs. direxit. Primus est, quòd Papa sit caput Ec-
12 clesiæ Catholicæ. Secundus qui inter interrogatoria fienda hæreticis continetur est, quòd Papa canonicè electus habeat auctoritatem supremam in Ecclesia.

Quòd autem primus Articulus præfato decreto contradicat, patet manifestè, quoniam ex hac propositione Christianæ fidei, quòd Papa est caput Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, habetur, quòd habitudo Papæ ad vniuersam Ecclesiam, & per consequens ad vniuersale Concilium illam repræsentans, sit habitudo capitis ad corpus: sed sic est quòd corpus non nisi mediante capite recipit influxum virtutis sensus, & motus, vt communis habet doctrina. Vndè Beatus Isidorus lib. 10. Etymologiarum dicit; Prima pars corporis caput est, datumque est illi hoc nomen, eo quòd sensus, & nerui indè initium capiant, atque ex eo omnis vigendi causa oriatur, ergo cum hoc articulo, siue diffinitione fidei, quòd Papa sit caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, non potest stare quòd Synodus corpus Ecclesiæ repræsentans, non mediante Papa, sed immediatè à Christo potestatem regitiuam, & motiuam suscipiat, consequentia notissima est, & notum antecedens per processum. Quòd verò secundus articulus præfato decreto etiam contradicat, patet manifestè, quoniam si à cunctis fidelibus indubitata fide credendum est, quòd Papa canonicè electus, habeat supremam potestatem in Ecclesia Dei, de necessitate sequitur, quòd Concilium vniuersale non habeat potestatem immediatè à Christo, cui ipse Papa obedire tenetur, cùm obedientiam inferiores ex ordine superioribus tantùm debeant, vt in cap. si obedientiam, dist. 93. & cap. in his omnibus, dist. 21. Si verò quis contentionis amator, dicat, quòd hoc, quòd Papa dicitur habere supremam potestatem in Ecclesia, non sit simpliciter accipiendum respectu vniuersalis Ecclesiæ, sed respectu tantùm singulorum prælatorum in Ecclesia; animaduertat ne volens vitare vnum errorem, altero inuoluatur. Cùm enim ex superiori articulo conuincamur credere, quòd Papa sit caput totius corporis Ecclesiæ, quia Ecclesiæ sanctæ Catholicæ; & caput præstantius sit virtute, & potestate, toto corpore; necesse est nos credere, quòd Papa habeat simpliciter post Christum, cuius Vicarius est, supremam potestatem in tota Ecclesia, non tantùm respectu singulorum, sed etiam respectu totius corporis Ecclesiæ, quare in cap. nolite errare, dist. 11. dicit Iulianus Papa, & in capit. Basilicas, de consecrat. dist. 1. Gelasius Papa, quòd in Apostolica sede, Dominus totius Ecclesiæ, posuit principatum.

Ampliùs confirmando hanc rationem ostenditur multipliciter ex alijs, quòd pars decreti, videlicet, quòd Synodus vniuer-
13 salis immediatè habet potestatem à Christo, non contineat veritatem. Potestas, quam dicitur Synodus immediatè habere à Christo, aut est eadem cum potestate Papali, aut est alia ab illa. Non potest dici quòd sit eadem, nec quòd sit alia ab illa, argo fictitium est dicere, quòd veritas fidei Catholicæ sit, quòd Synodus habeat potestatem immediatè à Christo. Consequentia est manifesta, & maior ex sufficienti diuisione. Minor verò pro vtraque sui parte sic probatur, quòd enim non possit dici primum, videlicet quòd potestas data Synodo, sit eadem cum potestate Papali, patet, quia tunc nulla superioritas attendi posset in Synodo respectu Papæ; Decretum autem dicit, quòd Synodus habet potestatem immediatè à Christo, cui etiam Papa obedire tenetur. Si enim par in parem ratione paritatis potestatis, non habet Imperium, multò minùs Synodus in Papam, si eadem sit potestas vtriusque. Quòd verò non possit dici secundùm, videlicet, quòd sit alia potestas, & maximè suprema à potestate Papali, patet.

Tum primò, quia repugnat supradictis duobus articulis, quos ad veritatem fidei Catholicæ pertinere, sacra Constantiensi Synodo approbante, Dominus Martinus Constantiæ declarauit, quorum primus est: Quòd Papa sit caput Ecclesiæ san-

ſanctæ Catholicæ, ſecundus, quòd habeat ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei, quòd autem per ſuperabundantiam dicitur in vnoquoque genere, tantùm vnum eſt.

Tum ſecundò, quia pluralitas Principatuum non eſt bona 12. Metaphyſicæ, quòd autem bonum non eſt, non eſt credendum à Chriſto in Eccleſia ſua inſtitutum eſſe.

Tum tertiò, quia talis poteſtas ſuprema; alia à poteſtate Papæ dari non poteſt, quia, vt inquit beatus Cyprianus in epiſtola ad quinque Presbyteros, Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna, & ſuper Petrum vocem Domini fundata, aliud altare conſtrui; aut Sacerdotium nouum fieri præter vnum altare, & vnum ſacrificium non poteſt, quiſquis alibi collaberit, ſpargit, adulterium eſt, impium eſt, ſacrilegium eſt quodcumque humano furore conſtituitur, vt diſpoſitio diuina violetur. Præterea Conc. vniuerſale habere aliam ſupremam poteſtatem immediatè à Chriſto, à poteſtate Ro.Pont. videtur eſſe contra articulum fidei; Credo
14 vnam ſanctam Eccleſiam, ergo pars illa decreti dicentis Synodum immediatè habere poteſtatem à Chriſto, cui, &c. magis dicenda eſt continere errorem, quàm veritatem fidei Catholicæ. Conſequentia nota eſt, antecedens autem oſtenditur ex eo, quòd vnitas Eccleſiæ attenda eſt neceſſariò inter alia ex ordine ad vnam ſupremã poteſtatem regitiuam reſpectu totius boni communis, legitur enim Canticorum 4. de Eccleſia, quòd terribilis eſt, vt Caſtrorum acies ordinata in vnum, vt deducit ſanctus Thomas in 4. diſt. 24. Oportet eſſe aliquod vniuerſale regimen ſuper particularia regimina, quia in omnibus virtutibus & artibus, vt dicitur in primo Ethicorum eſt ordo ſecundùm ordinem finium. Bonum autem commune, eſt Diuinius, quàm bonum ſpeciale, & ideò ſupra poteſtatem regitiuã, quæ communicat bonum ſpeciale oportet eſſe poteſtatẽ regitiuã vniuerſalẽ reſpectu boni communis, aliàs non poſſet eſſe colligatio ad vnũ, & ideò cùm Eccleſiæ ſit vnum corpus, prima Cor. 12. oportet ſi iſta vnitas debeat ſeruari, quòd ſit aliqua poteſtas regitiua reſpectu totius Eccleſiæ ſupra poteſtatem Epiſcopalem, qua vnaquæque ſpecialis Eccleſia regitur, & hæc eſt poteſtas Papæ, qui caput eſt, & Rector totius Eccleſiæ. Vndè gloſ. ſuper illud Matth. 16. [Tibi dabo claues Regni Cœlorum.] Dicit, quòd ideò ſpecialiter ligandi, & ſoluendi poteſtatem Chriſtus Petro conceſſit, vt ad vnitatem nos inuitaret, ideò enim eũ Principem Apoſtolorum conſtituit, vt Eccleſia vnum principalem Chriſti Vicarium haberet; ad quem diuerſa membra Eccleſiæ recurrerent, ſi fortè inter ſe diſſentirent. Quòd ſi diuerſa capita eſſent in Eccleſia, vnitatis vincula rumperentur. Cypr. in epiſt. ad Magnum dicit, Dominus inſinuans nobis vnitatem de diuina auctoritate venientem, ponit, & dicit. [Ego & Pater vnum ſumus,] Ad quam vnitatem redigens Eccleſiam ſuam, denuò dicit, & erit vnus grex, & vnus Paſtor, quare ſanctus Thomas tam in 4. diſtinct. 24. quàm, & in tractatu de erroribus Græcorum, dicit quòd, qui hanc ſupremam poteſtatem negant in Romano Pontifice, ſchiſmatici dicuntur, quaſi diuiſores Eccleſiaſticæ vnitatis, ſed ponere, quòd Synodus vniuerſalis habeat poteſtatem datam à Chriſto immediatè, aliam à poteſtate ſuprema Romani Pontificis, eſt vnitatem præfatæ Eccleſiæ ſcindere: Tum ponendo dualitatem ſupremarum poteſtatum, cui quilibet fidelis teneatur obedire, manifeſtè eſt rumpere ordinem, & colligationem totius corporis Eccleſiæ, ad vnam ſupremam poteſtatem, Ducis Paſtoris totius multitudinis Chriſtianæ. Quòcirca beatus Cyprianus in epiſtola de vnitate Eccleſiæ, ad Nouatianum loquens, ità ait, quis ergo ſic ſceleratus, & perfidus? Quis ſic diſcordiæ furore veſanus? vt aut credat ſcindi poſſe, aut audeat ſcindere vnitatem Dei, veſtem Domini, Eccleſiam Chriſti? Manet ipſe in Euangelio ſuo, & docet, dicens. [Et erunt vnus grex, & vnus Paſtor.] Et eſſe poſſe in vno loco aliquis exiſtimat, aut multos Paſtores, aut greges plures? Et beatus Gregorius concordans in epiſtola ad Ruſticum Monachum, vt habetur in cap. in apibus 7. quæſt. 1. ità dicit, in apibus Princeps vnus, grues vnam ſequuntur ordine literato, Imperator vnus, Iudex vnius Prouinciæ, Roma autem condita duos fratres ſimul Reges habere non potuit, & cur hæc omnia? certè quia, vt ait beatus Auguſtinus in libro primo de Nuptijs, & concupiſcentia, natura Principum amat ſingularitatem, & omnis poteſtas impatiens eſt conſortis diſt. 23. quæſt. 7. quod autem.

Item arguitur ſic, nulli congregatio-
15 ni Synodali Eccleſiæ Chriſtus commiſit immediatè regimen omnium fidelium, ergo nulli congregationi Synodali Eccleſiæ Chriſtus immediatè regimen omnium fidelium, ergo nulli congregationi Synodali Eccleſiæ Chriſtus immediatè dedit poteſtatem, cui omnis fidelis cuiuſcumque dignitatis exiſtat, obedire teneatur. Conſequentia patet, quonia auctoritas regendi, & iubendi maiorum, eſt tantùm reſpectu ſubditorum. In maioribus ſiquidem eſt iubendi, regendique poteſtas. In minoribus obſequendi neceſſitas, in §. in his omnibus diſt. 21. Antecedens probatur, quoniam ſoli Petro, & ſolis ſucceſſoribus eius ait Dominus vniuerſaliter, & indiſtinctè, [Paſce oues meas,] Ioann. 21. Super quo verbo dicit Theophilus, & habetur in gloſ. quòd finito prandio, commiſſionem ouium mundi, Petro commendat non alij.

Item Chryſoſtomus ſuper eodẽ verbo & habetur in eadem gloſ. ità dicit: Præteriens alios, ſcilicèt Apoſtolos, Petro de talibus loquitur, eximius enim erat Apoſtolorum Petrus, & os Diſcipulorum, & vertex collegij, vndè, & negatione deleta, committit ei prælationem fratrum. Si diligis me, præſide fratribus, & feruentem amorem, quem per omnia demonſtraſti,

& ani-

& animam, quam dixisti positurum te esse pro me, hanc da pro ouibus meis. Ecce quòd vni tantùm, scilicèt Christi Vicario, omnium fidelium regiminis cura committitur. Ecce quòd vnus tantùm totius Christianæ Reipublicæ Princeps à Christo constituitur. Cui ergo dubium, quòd soli isti Christus immediatè potestatem tribuit, cui quilibet fidelis obedire tenetur? Prætereà, confirmando hanc rationem, ad idem ar-
17 guitur sic, Ecclesiæ regimen constitutum est à Christo monarchicum, siue regale, ergo suprema potestas, & supremus Principatus non multitudini alicui, sed vni tantùm in Ecclesia à Christo collata est. Consequentia patet, quoniam, vt colligitur ex 3. Politic. In hoc distinguitur Regnum siue Principatus regalis, ab alijs speciebus regiminis, videlicèt ab Aristocratia, & Democratia, quoniam in Regno Principatus, & potestas suprema est apud vnum. In Aristocratia est apud paucos, in Democratia verò apud multos. Vndè sanctus Thomas in 4. sententiarum, dist. 24. dicit, quòd in Regno tota potestatis plenitudo residet apud vnum: In Aristocratia verò non apud vnum, sed apud plures; antecedens verò patet per illud Isa. 9. super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit, gloss. id est Ecclesiam. Præterea, ex illo colligitur, quòd in Euangelio Ecclesia, Regni nomine sæpenumerò describitur, nostro Saluatore dicente, simile est Regnum, &c. Ratione verò probatur sic, vt sanctus Thomas probat lib. 4. contra Gentiles cap. 76. ità enim dicit. Nulli dubium esse debet, quin regimen Ecclesiæ sit optimè ordinatum, vtpotè per eum dispositum, per quem Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Optimum autem regimen multitudinis, est quòd regatur per vnum, quòd patet ex fine regiminis, qui est pax; Pax enim, & vnitas subditorum est finis regentis, vnitatis autem causa congruentior est vnus, quàm multi. Manifestum est ergo regimen Ecclesiæ, sic esse dispositum, vt vnus toti Ecclesiæ præsit. Hæc sanctus Thomas. Et notandum, quòd hac ratione sancti Thomæ ostenditur Ecclesiæ regimen regale esse, siue Monarchicum, non solùm respectu Christi, sed etiam respectu sui Vicarij. Quare beatus Hieronymus in epistola, quam ad Eustochium, de regula viuendi in Monasterijs dicitur scripsisse, dicit, quòd piscatori Petro à Christo totius Mundi Monarchiæ est traditus Principatus.

Item, hac ratione beatus Gelasius Papa in generali decreto de Ecclesiasticis statutis ad omnes Episcopos scribens, ait. Conueniens est, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibi obseruatione concordet, quam illic vigore videt, vbi Dominus totius Ecclesiæ posuit Principatum. Dicere autem, quòd Synodus aliquam habuerit à Christo immediatè potestatem supremam, cui quilibet fidelis obedire tenetur, est dicere, quòd non in vno, sed in multitudine Christus Ecclesiæ suæ Principatum collocauit. Si quis verò vellet dicere, quòd licèt regulariter Ecclesiæ Principatus in vno locatus sit, nihilominùs tempore Concilij vniuersalis, Principatus Ecclesiæ multitudini cõmittitur; Dicendum, quòd hoc nullo modo stare potest.

Tùm primò, quia species regiminis
18 politiæ Ecclesiæ, non immutabilis permaneret, sed multiplicem pateretur varietatem & corruptionem, contrà illud Dan. 7. Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum eius non corrumpetur, & Ioann. 10. Erit vnum ouile, & vnus Pastor.

Tùm secundò, quia cùm, vt dictum est, regimen Monarchicum, quo multitudo tota regitur per vnum, sit optimum, & species principalior inter omnes species politiæ, si tempore celebrationis Conciliorum, Ecclesiæ regimen à Monarchia transiret in Aristocratiam, vel Democratiam, profectò descenderet à perfectione sua.

Tùm tertiò, quia cùm istæ tres species regiminis ex opposito distinguantur, simul esse in vno Principatu non possunt, dicente Aristotele 3. Politicorum. Necesse est dominans, aut vnum esse, aut paucos, aut multos. Si, Synodo existente, Ecclesiæ Principatus supremus esset apud multos, necesse est dicere, quòd congregata Synodo, & Ecclesia, desineret esse Regnum, & Romanus Pontifex desineret esse Princeps Ecclesiæ, & plenitudinem habere potestatis, quæ omnia sunt inconuenientissima, & absurda. Præterea, quòd pars illa decreti dicens Synodum habere potestatem immediatè à Christo, &c. Non sit veritas fidei Catholicæ, sicut luculenter ostenditur, & præsupponitur, in primis cùm beatissimo Dionysio libro de Ecclesiastica Hierarchia, quòd Ecclesia nostra sit ad modum Hierarchiæ à Christo disposita.

Secundò, præsupponitur cùm eodem, quòd Hierarchia nostra formata sit ad
19 exemplar, siue similitudinem Hierarchiæ cœlestis; Vndè etiam Mosi à Domino dictum est Exod. 25. Inspice & fac secundum exemplar, quòd tibi monstratum est in monte. Præterea, sanctus Ioannes Euangelista dicit Apocalypsis 21. se vidisse Ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de Cœlo, scilicèt exemplariter, vt Doctores exponunt. Quare beatus Ambrosius dicit, quòd Ecclesia est imago cœlestium. Et beatus Bernardus libro 3. ad Eugenium Papam clarissimè inducit. Sed sic est, quòd in Angelica Hierarchia nulla
20 potestas ad actus Hierarchicos perficiendos tribuitur desuper à Deo personæ, aut ordini, aut toti Hierarchiæ, quæ non tribuatur mediante primo illius Hierarchiæ, vt patet ex ipsa doctrina beati Dionysij (ait enim Ecclesiæ Hierarchiæ lex diuinitatis sanctissima est, per prima media in diuinissimam reducere lucem) ergo pari modo nulla potestas à Christo ipsi Ecclesiasticæ Hierarchiæ, aut vniuersali Concilio illam repræsentanti tribuitur, quæ non conferatur mediante Romano Pontifice, qui est Hierarcha, & primus in tota Hierarchia. Quare manifestum videtur, quòd cum veritate Catholicæ fidei, tam ex Scriptura sancta, quàm ex sanctorum

ctorum Patrum traditione,habemus, quòd Romanus Pontifex caput ſit Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ, & Hierarcha Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & cùm noſtra Hierarchia ad ſimilitudinem, & exemplar cœleſtis formata ſit, non poſſit ſtare, quòd exiſtente vnico, & indubitato Romano Pontifice in Eccleſia, Concilium vniuerſale habeat poteſtatem à Chriſto immediatè, cui quilibet fidelis cuiuſcumque dignitatis exiſtat, obedire teneatur. Amplius hoc idem ſic probatur. Nihil quòd in auctoritate ſua dependet immediatè ab auctoritate Apoſtolicæ Sedis, eſt dicendum habere immediatè poteſtatem à Chriſto, cui etiam Papa obedire tenetur. Sed auctoritas vniuerſa-
21 lium Conciliorum dependet immediatè ab auctoritate Apoſtolicæ Sedis, ergo Concilia vniuerſalia non ſunt dicenda immediatè à Chriſto poteſtatem habere, cui, &c. conſequentia patet, maior nota eſt, ex terminis, minor patet ex diſtinct. 17. per totum. Vndè in cap. regula dicitur, quòd nec vllum eſt ratum, aut vnquam erit Concilium, quòd Romanæ Eccleſiæ, non fuerit auctoritate fulcitum, & quòd hæc dependentia non ſolùm accipienda ſit reſpectu conuocationis, aut congregationis Conciliorum, ſicut quidam dicere voluerunt, ſed etiam quantùm ad robur, & firmitatem omnium actitatorum in eiſdem, patet ex cap. confidimus 25. quæſt. 1. vbi Gelaſius Papa, Apoſtolicam Sedem, vnamquamque Synodum dicit ſua auctoritate confirmare, & extra de Elect. in cap. ſignificaſti, dicit Paſchalis Papa, quòd omnia Concilia per Eccleſiæ Romanæ auctoritatem, & facta ſunt, & robur acceperunt. Ecce quàm clarè loquitur text. iſte, quòd per Papam, & per conſequens non immediatè à Chriſto Concilia ipſa vniuerſalia robur accipiant. Ex quibus omnibus ſic breuiter, & luculenter demonſtratur, quòd declaratio illa Conſtantiæ facta, dicens quòd Synodus vniuerſalis immediatè habeat à Chriſto poteſtatem, non contineat veritatem fidei Catholicæ. Iam ad auctoritates, & rationes accedamus, per quas Dominus arguens pro parte aduerſa, nixus eſt probare declarationem præfatam veram eſſe. Verùm quia in hac argumentationis parte principalior articulus reſidet præſentis difficultatis, & examinis. Tria præmittam per ordinem circa hunc articulum, antequam præfatis inductis auctoritatibus, & rationibus formaliter reſpondeatur.

Primò, quidem oſtendam, quòd id, quòd præſuppoſuit præfatus Dominus, videlicet, quòd Apoſtoli alij, à Petro, receperunt immediatè à Chriſto poteſtatem iuriſdictionis, non ſit vſque quaque probabile.

Secundò, oſtendam, quòd dato, quòd hoc eſſet verum de Apoſtolis, non tamen ità eſſet dicendum de Epiſcopis, & curatis, videlicèt, quòd ſuſcipiant poteſtatem iuriſdictionis immediatè à Chriſto.

Tertiò, oſtendam, quòd dato, quòd hoc etiam eſſet verùm, non probatur, aut, ſequitur ex hoc, quòd ſit veritas Catholicæ fidei, quòd Synodus vniuerſalis habeat poteſtatem immediatè à Chriſto, cui quilibet Fidelis obedire tenetur.

22 Primum verò, quòd Apoſtoli alij à Petro, non immediatè poteſtatem iuriſdictionis acceperunt, auctoritate & ratione multipliciter declaratur, auctoritate primò beati Anacleti, qui vt habetur in cap. Sacroſancta diſtinct. 22. dicit, inter Apoſtolos quædam fuit diſcretio, & licèt omnes Apoſtoli eſſent, Petro tamen à Domino conceſſum eſt, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & Cephas, id eſt caput, Principatum teneret Apoſtolatus. Cum autem nomine capitis, & principij, origo deſignatur poteſtatis, non videtur poſſe dici beatus Petrus caput, & principium tenere Apoſtolatus, niſi ab eo poteſtas iuriſdictionis deriuaretur in Apoſtolos cæteros.

Secunda auctoritas eſt B. Cypriani in epiſt.quę de vnitate Eccleſiæ inſcribitur ad Nouatianũ,& habetur in cap.loquiturDñus 24.q.1.loquiturDñus ad Petrum.[Ego dico tibi,quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.] Super vnum ædificat Eccleſiam, & quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam,parem, ideſt communem poteſtatem tribuat, & dicat. [Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum.] Tamen, vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique cæteri Apoſtoli, quo Petrus pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis; Gloſs. in ordine, & dignitate conſecrationis, non in adminiſtrationis plenitudine. Sed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia Chriſti vna eſſe demonſtretur. Hæc Cyprianus. Vbi cùm ait, quòd Chriſtus, vt Eccleſiæ vnitatem manifeſtaret, poteſtatis originem ab vno incipientem diſpoſuerit, manifeſtè dat intelligi, quòd ſolus vnus, ſcilicèt Petrus,ſuper quem vnum fundatam dicit Eccleſiam, à Chriſto immediatè poteſtatem ſuſceperit iuriſdictionis. Alij verò Apoſtoli mediante ipſo Petro, planè vt videtur, ſi immediatè omnes Apoſtoli poteſtatem iuriſdictionis recepiſſent à Chriſto, origo poteſtatis non incepiſſet in Eccleſia ab vno Apoſtolorum, cùm data fuiſſet ſimul, & immediatè omnibus.

Tertia auctoritas eſt beatiſſimi Auguſtini, qui ſuper Ioann. homil. 114. dicit ſic, Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui Primatum; gerebat figuratam generalitate Eccleſiæ perſonam. Quòd enim ad ipſum proprium pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Chriſtianus,abundantiore gratia, vnus idemque primus Apoſtolus. Sed quando ei dictum eſt. [Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcunque ligaueris, &c.] Vniuerſam ſignificabat Eccleſiam. Et infrà: [Eccleſia ergo, quæ fundatur in Chriſto, claues ab eo Regni Cœlorum accepit in Petro, ideſt poteſtatem ſoluendi, ligandique peccata:] Sed videtur, quòd hoc, quòd ſol. Petro attribui-

tribuitur, ratione Primatus non esset verum, si alij Apostoli cùm Petro immediatè potestatem iurisdictionis recepissent à Christo, quia dato illo, Ecclesia non in solo Petro, sed etiam in alijs Apostolis claues recipisse diceretur.

Quarta auctoritas est beatissimi Leonis, qui (vt habetur in cap. ità Dominus dist.19.) ità dicit. Huius muneris Sacramentum ità Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro omnium Apostolorum Summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet,, vt extorrem se ministerij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.

Quinta auctoritas est eiusdem in sermone tertio ordinationis suæ. Ità dicentis. Multò digniùs est ad beatissimi Petri gloriam contemplandam, aciem mentis attollere, & hunc diem in illius potissimùm veneratione celebrare, qui ab ipso omni charismatum fonte, ità copiosis est irrigationibus inundatus, vt cùm multa solus acceperit, nihil in quemquam sine eius participatione transierit. Et infrà. De toto Mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi sint Sacerdotes, multique Pastores; omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus: Magnum & mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio & si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit. Ecce quàm clara luce Leo iste irrefragabilis auctoritatis inter Patres Ecclesiæ, dicit quòd quidquid commune Christus cùm Petro cæteris voluit esse Principibus, videlicèt Apostolis, non nisi per Petrum dedit, quidquid donabile esset per hominem, alijs non negauit, & ità manifestè habetur: quòd cęteri Apostoli non immediatè à Christo iurisdictionem acceperunt, sed mediantè Petro beatissimo Apostolo eorum Principe. Consequenter hoc idem ratione probatur, & primò sic, ab eo, à quo quis non habet subditum, ab illo non habet aliquam potestatem iurisdictionis, sed alij Apostoli
23 non habuerunt immediatè subditos à Christo, ergo ipsi non habuerunt potestatem iurisdictionis immediatè à Christo. Consequentia patet. Maior etiã, cùm nullus ligare, aut absoluere possit, nisi subditũ; cùm à non suo Iudice ligari nullus valeat, nec absolui, de Pœn.& remiss.c.omnis nam: potestas iurisdictionis, qua aliquis potest absoluere, & ligare, dicitur relatiuè ad subditum. Relatiua autẽ, vt habet doctrina Arist. in prædicamentis, posita se ponunt, & perempta se perimunt. Vndè sicut si non est seruus, non est Dominus, propter quòd (secundùm August. lib. de Trinit.) Deus non fuit Dominus quousque habuit creaturam suam; Ità si non est subditus, non est Prælatus, nec Iudex, qui possit eum iudicare, Rom.14 [Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? suo Domino, aut stat, aut cadit. Minor verò probatur, quia si Christus dedisset alijs à Petro subditos, aut omnes dedisset, aut aliquos; non est dicendum primum, quòd dedisset omnes, tùm quia, vt dictum, est pluritas Principatuum non est bona, vt dicitur 12. Methapysices, & ideò sic concluditur ibidem, vnus ergo Princeps.

Tum secundò, quia tunc ouile Christi non esset vnum, nec vnus ouium Pastor, sed plures, contrà illud Ioann. 10. [Erit vnum ouile, & vnus Pastor, Præterea, secundum non est dicendum cùm nullibi le-
24 gatur Christum Apostolis populos immediatè diuisisse, nec facile est fingere quos, scilicèt subditos, quibus scilicèt Prælatis subiecerit.

Item secundò, ratione arguitur sic; Si Christus dedisset Apostolis immediatè potestatem iurisdictionis, aut dedisset plenam, & omnimodam, sicut Petro, aut particulariter limitatam, & coarctatam, sed neutram, ergo nullam. Consequentia bona. Maior patet ex sufficienti diuisione. Minor quo ad primam partem patet. Primò, quia vt dicit beatus Cyrillus in libro Thesaurorum, nulli alij quàm Petro Christus, quod suum est plenum commisit, sed ipsi soli dedit.

Secundò, quoniam si alijs Apostolis data fuisset potestas in ea plenitudine, qua Petro data est, Petrus nec maior, nec superior, nec Princeps, nec caput fuisset Apostolorum, sed omnes iurisdictionis auctoritate pares fuissent, quod est erroneum, vt enim sanctus Anacletus inquit in cap. sacrosancta dist.22. inter Apostolos quædam fuit discretio, licèt enim omnes Apostoli essent, Petro tamen à Domino concessum est, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas idest Caput, & Principatum teneret Apostolatus.

Secunda verò pars minoris, quæ dicit,
25 quòd etiam Christus non dedit Apostolis potestatem aliquam limitatam, & coarctatam; patet, quoniam nullibi in Euangelijs Christus legitur aliquam talem potestatis limitationem Apostolis indulsisse; nec possibile est fingere certitudinem talis limitationis. De talibus autem, quæ facta esse dicuntur, maximè circa Apostolos, de clauibus Ecclesiæ, nihil videtur asserendum, quòd de Scripturis sanctis non habeat testimonium explicitè, vel implicitè, quod in hac parte non datur. Et hoc de primo puncto breuitatis causa sufficiat; in quo ostendendum erat non esse vsquequaque probabile, Apostolos alios à Petro potestatem iurisdictionis immediatè suscepisse à Christo. Reliquũ est iàm ostendere, secun-
26 dum, quòd dato, quòd Apostoli immediatè à Christo potestatem iurisdictionis, sicut ordinis receperint, non tamen concedendum sit, sed omninò negandum, quòd alij Prælati Ecclesiæ nunc suscipiant potestatem iurisdictionis à Christo immediatè. Non enim sequitur, Apostoli, qui primi fuerunt lapides ædificij Ecclesiæ, habuerunt immediatè potestatem à Christo. Ergo & alij Prælati successores illorum nunc

nunc ab ipso immediatè suscipiunt; sicut exemplariter non sequitur. Si Deus in institutione Mundi immediatè fecit Cælos, & elementa, & alias partes principales Mundi, sicut prima indiuidua specierum, quòd in propagatione rerum institutarum illa fiant immediatè à Deo, quæ fuerunt secundùm speciem facta immediatè in Mundi constitutione. Immò fiunt multa, mediante virtute Cælesti, & mediantibus alijs causis secundis. Sol enim, & homo generant hominem, dicit Aristot. 2. Physi-
27 corum. Quòd autem Prælati Ecclesiæ non immediatè à Christo potestatem suscipiant iurisdictionis, sed mediante Romano Pontifice eius generali Vicario, multipliciter ostenditur:

Et primò quidem hoc manifestum redditur omnibus illis auctoritatibus, & rationibus superiùs inductis, quibus ostensum est, Apostolos non à Christo immediatè, sed mediante Petro Ecclesiæ Principe ab eo constituto, potestatem iurisdictionis suscepisse, cùm eam habitudinem, quam habuit Petrus postquam fuit Papa ad Apostolos, & primitiuam Ecclesiam, habeat Papa ad omnes Prælatos Ecclesiæ, & ad omnes alias Ecclesias: cùm succedat Petro in eadem plenitudine potestatis.

Quod probatum est de Petro respectu Apostolorum, & Discipulorum Christi, probatum relinquitur de quolibet successore suo legitimo Romano Pontifice respectu omnium Prælatorum Ecclesiæ.

Prætereà in speciali auctoritate videtur ostendi manifestè; primò, per illud, quod habetur in cap. omnes distinct. 22. vbi sic dicit: [Nicolaus Papa, omnes siue Patriarchæ cuiuslibet apicem, siue Metropolitanum, Primatus, aut Episcopatuum cathedras, vel Ecclesiarum, siue cuiuscumque ordinis dignitatem instituit Romana Ecclesia.]

Ad idem secundò est auctoritas beati Clementis, qui, vt habetur in cap. In illis distinct. 80. dicit: Quòd in illis Ciuitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi flamines eorum, atque primi legis Doctores erant, Episcoporum Primates, atque Patriarchas, beatus Petrus poni præcepit, qui reliquorum Episcoporum causas, & maiora negocia in fide, idest fideliter, vt ait glossa, agitarent.

In illis autem, in quibus dudum apud prædictos Ethnicos erant eorum Archiflamines, quos tamen minores esse tenebant, quàm memoratos Primates Archiepiscopos instituit præcepit.

In singulis verò reliquis Ciuitatibus singulos, & non plures Episcopos constitui præcepit, qui Episcoporum tantùm vocabula sortirentur, quoniam nec inter ipsos Apostolos par fuit institutio, sed vnus præfuit omnibus.

Manifestum est autem, quòd hæc fundamentalis dependentia dignitatis, ordinis, & gradus cæterarum Ecclesiarum ab Ecclesia Romana intelligi sanè non possit, nisi per hoc, quòd cæterarum Ecclesiarum iurisdictionis auctoritas intelligatur ab Apostolica Sede deriuata. Quare sanctus Thomas in fine secundi sententiarum dicit, quòd sicut se habet potestas Dei ad omnem potestatem creatam, sic etiam se habet potestas Imperatoris ad potestatem Proconsulis, sic se habet potestas Papæ ad omnem potestatem in Ecclesia; quia ab ipso Papa gradus dignitatum diuersi in Ecclesia disponuntur, & ordinantur; vnde eius potestas est quoddam Ecclesiæ fundamentum, vt patet Matth. 16. Hæc sanctus Thomas.

Tertiò auctoritate hoc ipsum ostenditur, per illud, quod habetur in cap. decreto distin. 2. qu. 7. vbi beatus Gregorius ità dicit, quòd sancta Romana Ecclesia vices suas ità alijs impartitur Ecclesijs, vt in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Item eadem sententia ponitur in cap. seq. vbi Vigilius Papa ità dicit; [Ecclesia Romana, quæ prima est, ità reliquis Ecclesijs vices suas credidit largiendas, vt in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.]

Prætereà hoc idem ratione probatur sic: in omni Principatu potestas iurisdictionis deriuatur, ad quamcumque personam illius Principatus à Monarcha, siue
28 Principe illius Principatus; sed Papa est Princeps, siue Monarcha in sacro Ecclesiæ Principatu. Ergo sequitur, quòd potestas iurisdictionis omnium inferiorum Prælatorum deriuatur à Papa. Consequentia bona, maior patet ex sentẽtia Dionysij, qui tam de Ecclesiastica, quàm de cælesti Hierarchia docet, ab ipso Hierarcha in omnes Hierarchiæ personas descendere irradiationis profluxum. Minor verò, quòd solus Papa sit Princeps, & Monarcha totius Ecclesiastici Principatus, superiùs inductis auctoritatibus ostensum est: in quibus sancti Patres ipsum, & Ecclesiæ totius Principem, & Caput prædicant, & attestantur.

Dicit etiam Chrysostomus super Act. Apostolorum, quòd Petrus à filio super omnes, qui filij sunt accepit potestatem, non vt Moyses in gente vna, sed in vniuerso Orbe. Et Theophyl. super illud Lucæ 22. [Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos;] dicit, quòd Petrus obtinuit, vt esset Antistes Mundi.

Item, in Ecclesiastico Officio legitur ei Christus dixisse: [Super plebem meam Principem te constitui.]

Prætereà secundò, sic confirmatur idem ratione; & primò, in vnoquoque ordine, in quo maximè residet plenitudo virtutis, siue potestatis, originaliter dependet virtus omnium sequentium in illo ordine.

29 Sed Romanus Pontifex est primus in ordine Prælatorum Ecclesiæ, & in quo solo residet plenitudo Ecclesiasticæ potestatis; ergo sequitur, quòd potestas omnium sequentium Prælatorum Ecclesiæ, dependeat, & deriuetur ab ipso Romano Pontifice. Consequentia est bona. Maior colligitur ex sententia Arist. 2. Metaph. Minor est Canon Concilij Constantinopolitani, dicentis: [Veneramur secundùm Scripturas, & Canonum definitiones, sanctissimum

mum antiquæ Romæ Episcopum primum esse, & maximum omnium Episcoporum.]

Item in Concilio Chalcedonen. acclamatum legitur à tota Synodo Papæ Leoni: [Leo sanctissimus Apostolicus, & Oecumenicus, & vniuersalis Patriarcha, per multos annos viuat.]

Confirmatur hoc argumentum per illud beati Isidori, qui, vt dicitur in cap. in nouo distinct. 21. ità dicit: [In Nouo Testamento, post Christum Dominum, à Petro cæpit Sacerdotalis ordo.] Et causam subiungens ait: [Quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia datus est;] dicente Domino ad eum: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.]

Item tertiò sic, idem confirmando inter habentia ordinem secundùm influentiam, omnia, quæ alijs influunt, virtutem influendi recipiunt à primo illius ordinis; sed ordo, qui est inter Romanam Ecclesiam, & alias Ecclesias, siue inter Romanum Pontificem, & Prælatos cæteros, est secundùm influentiam, prout vnus mouet alium ad actus Hierarchicos; ergo potestas iurisdictionis omnium Prælatorum Ecclesiæ, deriuatur à Romano Pontifice. Consequentia est bona. Maior patet ex commento primæ propositionis de causis. Causa enim secunda virtutem causandi habet à prima. Minor verò patet auctoritate beatissimi Cypriani, qui, vt in cap. loquitur dist. 24. quæst. 1. Ecclesias particulares ad Ecclesiam Romanam comparat, sicut radios ad Solem, fluuios ad fontem, sicut ramos ad radicem. Quare, dicit Petrus Rauennas, quod stipiti rami, quod capiti membra, quod Soli radij, quod fonti riuuli, hoc Apostolicæ Sedis reuerentiæ debent omnes Ecclesiæ, quas vbique terrarum Religio Christiana fundauit.

Quartò sic confirmatur eadem ratio, Omnia membra à capite recipiunt immediatè deriuationem virtutis, sensus, & motus sui regiminis. Sed Ecclesia Romana est caput cæterarum Ecclesiarum; ergo cæteræ Ecclesiæ, & earum Prælati, potestatis suæ originem suscipiunt à Romana Ecclesia, siue à Romano Pontifice. Consequentia est bona. Maior patet, quoniam, vt superiùs habitum est, ex sententia Isidori, ex eo datum est capiti hoc nomen, quòd sensus omnes, & nerui indè initium capiant, atque ex eo omnis vigendi causa oriatur.

Minor verò ponitur in cap. sacrosancta distinct. 22. vbi sanctus Anacletus ait, quòd Apostolica Sedes, caput, & cardo scilicèt omnium Ecclesiarum, est à Domino, & non ab alio constituta, & sicut cardine ostium regitur, sic huiusmodi sanctæ Apostolicæ Sedis auctoritate, omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur.

Quintò sic: Quilibet Fidelis tenetur credere vnam esse sanctam Ecclesiam Catholicam. Sed ad vnitatem Ecclesiæ re-
31 quiritur, quòd omnium Prælatorum potestas iurisdictionis deriuetur à Romano Pontifice; ergo necesse est, quòd quilibet Fidelis hoc credat, & teneat. Consequentia est bona. Maior patet, cùm sit articulus fidei, & dicatur Canticorum 6. [Vna est Columba mea, vna est perfecta;] dicit Glossa, idest Ecclesia.

Minor probatur, quoniam vnitas Ecclesiæ, vt habetur à beato Cypriano in epistola de vnitate Ecclesiæ, & habetur in cap. loquitur distinct. 24. quæst. 1. necessariò attenditur in ordine ad vnam fontalem originem totius potestatis Ecclesiasticæ, quam esse dicit Apostolicam Sedem, siue Romanum Pontificem, super quem fundatam esse dicit Ecclesiam, vndè ait: [Ecclesia Dei luce perfusa, per totum Orbem radios suos porrigit, vnum tamen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur, radios suos per vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largitur riuos, latiùs expandit, vnum tamen caput est, & vna origo, & vna mater fœcunditatis copiosa.] Hæc illæ.

Item sanctus Thomas contra gentes lib. 4. cap. 56. dicit soli Petro promisit: [Tibi dabo claues Regni Cælorum, vt ostenderetur potestas clauium, per eum ad alios deriuanda, ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem. Ex quibus manifestè colligitur pertinere ad vnitatem Ecclesiæ, quòd à Romano Pontifice omnium aliorum Prælatorum deriuetur auctoritas; quæ erat minor probanda.

Sextò arguitur, confirmando præcedentem rationem sic: Teste beato Dionysio 10. cælestis Hierarchiæ: [Omnes Hierarchiæ sunt connexæ, & ordines ipsi cuiuslibet Hierarchiæ sunt etiam connexi.] Hæc autem connexio, secundùm eiusdem Diuini Doctoris doctrinam, vt sanctus Thomas, & Albertus declarant, non tantùm attenditur per relationem ad vnum vltimum finem, secundùm quem omnis Hierarchiæ finis, est similitudo, & vnitas ad Deum; sed secundùm ea, quæ sunt de essentia Hierarchiæ, scilicèt secundùm ordinem, scientiam, & actionem.

Secundùm ordinem quidem, in quantum in omnibus Hierarchijs inuenitur distinctio per primum, medium, & vltimum.

Secundùm scientiam verò, in quantùm irradiatio extenditur, procedendo à primo vsque ad vltimos.

Secundùm actionem autem, in quantùm primi habent actionem Hierarchicam in medios, & per medium in vltimos.

Sed Ecclesia nostra à Deo est, ad instar Hierarchiæ disposita, & formata; ergo necesse est, nisi Hierarchiam nostram inconuenientissimè asserere inconnexam vellemus, potestatem Ecclesiasticam à primo nostræ Hierarchiæ, qui est Romanus Pontifex, in omnes inferiores procedere, & deriuari, processus patet: huius autem connexionis Hierarchiæ nostræ duo sunt euidentissima testimonia:

Primum est, quòd qui à beati Petri societate, & connexione Apostolicæ Sedis segregatur, non potest absolui à peccatis. Secundum est, quòd talis existens, si prælatus sit, ipsa potestate ecclesiastica denudatur.

datur. De primo habetur in Gloſ. Matth. 16. quòd Petrus, ideò ſpecialiter claues Regni Cœlorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit, vt omnes per Orbem credentes intelligant, quòd quicumque ab vnitate fidei, & ſocietate Petri, quouis modo ſemetipſos ſegregant, nec vinculis peccatorum abſolui, nec ianuam Regni Cœleſtis ingredi poſſunt. De ſecundo habetur in cap. factus, & in cap. Nouatianus 7. quæſt. prima, & in cap. dicimus 24. quæſt. prima, quæ omnia ſunt beatiſſimi Cypriani teſtimonia. Super ſedeo autem multis alijs, quæ induci poſſent, maximè ex inſtitutionibus, confirmationibus, mutationibus, translationibus, & depoſitionibus, quas circa Eccleſias, & earum Prælatos, Sedes Apoſtolica iure ordinatio facere ſolita eſt, quas facere minimè liceret, niſi earum iuriſdictioni auctoritas ab ipſa Apoſtolica Sede, modo ſupradicto dependeret; quod pro obſeruanda breuitate ſermonis, tantùm de iſto ſecundò puncto dixiſſe ſufficiat.

Duobus iam punctis luculenter expreſſis, venio ad tertium, in quo dicendum inſtitui, quòd etiam dato, licèt non conceſſo, quòd præſuppoſitum; & fundamentum Reuerendiſſimi Patris Domini ar-
32 guentis verum eſſet, videlicèt quòd Eccleſiæ Prælati poteſtatem iuriſdictionis à Chriſto immediatè reciperent, ſicut Papa, non tamen ex hoc habetur, quòd decretum præfatum Conſtantien. in illa parte contineat veritatem fidei Catholicæ: Primò quia dato, quòd quilibet Apoſtolorum, & nunc quilibet Eccleſiæ Prælatus, poteſtatem iuriſdictionis immediatè à Chriſto habuiſſet, non tamen ex hoc habetur, quòd tota Eccleſiæ communitas collegialiter talem immediatè à Chriſto poteſtatem accepiſſet. Secundò dato quòd Apoſtoli tunc, & nunc Eccleſiæ Prælati immediatè à Chriſto poteſtatem ſuſcepiſſent, non habetur, quòd decretum illud Conſtantienſe contineat veritatem, dicens quòd Concilium vniuerſale, habet poteſtatem immediatè à Chriſto, cui etiam Papa obedire tenetur, qui enim Apoſtolos dicit cum Petro, & Prælatos cæteros cum Papa à Chriſto immediatè iuriſdictionis poteſtatem ſuſcipere, debet animaduertere ſi errorem Indorum, & Armenorum, & quondam Græcorum, Valdenſium, pauperum de Lugduno, & nouiſſimè Boemorum vitare vult; quòd non æqualem omnes Apoſtoli cum Petro, nec Prælati cum eius ſucceſſore Romano Pontifice, ſuſcipiunt poteſtatem: ſolus quidem Papa inter eos tamquam caput totius corporis Eccleſiæ ſuſcipit: & ideò ipſe ſolus in toto corpore Eccleſiæ, plenitudinem poteſtatis accepit; cæteris, vt ſupra habitum eſt, in partem tantùm ſollicitudinis euocatis, vt ait beatus Gregorius in cap. Decreto 2. quæſt. 7. in cuius teſtimonium, cum ſoli Petro poteſtas à Chriſto promittitur, dicitur: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis.] Matth. 16. cum Apoſtolis verò alia forma ſeruatur, dicitur enim quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo. In Cœlo vno dicit, non in Cœlis, ſicut Petro dixerat; ait Origenes, & inducitur in gloſſa continua, quia non fuit tantæ perfectionis, ſicut Petrus: quare ſicut in corpore naturali, cui Apoſtolus ipſum Eccleſiæ corpus ſimile eſſe dicit, ad Roman. 11. nulla aliorum membrorum multitudo adæquat virtutem capitis; etiamſi mille manus, mille pedes, milla oculi, & ſic de alijs particularibus membris, in vno corpore aggregarentur. Ità in corpore myſtico Eccleſiæ, nulla membrorum Eccleſiæ multitudo adæquare poteſt virtutem, & amplitudinem poteſtatis Capitis Eccleſiæ, ſcilicèt Romani Pontificis. Quo ergo iure prælati Eccleſiæ congregati, maiores poteſtate, aut ſuperiores Romano Pontifice, Capite & Principe totius Eccleſiæ, dicendi ſint, non inuenio. Quocircà inter veritates Catholicæ fidei, nullo modo annumerandum venit, niſi aliundè apertiori teſtimonio ſacræ Scripturæ, aut Sanctorum Patrum fuerit roboratum. Dicit enim Hieronymus ad Demetriadem Virginem, quòd de Scripturis ſanctis auctoritate non habetur, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

Tribus iam punctis breuiter expeditis, venio quarto loco ad reſpondendum auctoritatibus, & rationibus inductis per Patrem, & Dominum arguentem pro hac parte Decreti Conſtantien. qui dicit, quòd Concilium vniuerſale poteſtatem habet immediatè à Chriſto, cui &c. Prima auctoritas inducta fuit illa Matth. 16. Vbi Chriſtus ait: [Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum, &c. [Sequitur. [Si te non audierit, dic Eccleſiæ.] Etſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus, quòd per ly, Eccleſiam, non ſolus Prælatus, ſed Eccleſia ipſa vniuerſalis accipienda ſit, patet per gloſ. ordinariam, quæ eo loco ſic habet, vel dic Eccleſiæ: ideſt toti Eccleſiæ. Ad iſtam auctoritatem, in qua maximè aduerſa pars fundamentum facere videtur, reſponſurus, duo faciam: Primò oſtendam, quòd in auctoritate Chriſti per Eccleſiam, cui tamquam iudici, fratris noſtri peccatum poſt admonitionem denunciari præcipitur, ex ſenſu literali, non vniuerſalis Eccleſia, nec Concilium vniuerſale, ſed prælatus intelligendus ſit. Secundò oſtendam, quod dato, quod quandoque ad Concilium vniuerſale auctoritas illa per aliquos applicetur; ex hoc tamen nulla ſuperioritas in Concilio arguitur ſuprà Papam. Primum autem videlicèt, quod
33 in dicta auctoritate per Eccleſiam, cui tamquam iudici, delinquentis fratris peccatum denunciari præcipitur, non ſit accipienda, ex ipſa principali intentione legiſlatoris, vniuerſalis Eccleſia, nec diſperſa per Orbem, nec conciliariter congregata; clariſſimè oſtenditur, ſuppoſito primò cum
34 omnibus Doctoribus ſacræ Scripturæ, quòd correctio fraterna, de qua in præfata auctoritate à Chriſto datur generalis Doctrina, cadat ſub præcepto. Quo præſuppoſito clariſſimum eſt, primò auctoritatem

tatem prædictam de Ecclesia vniuersali per Orbem dispersa, non posse accipi ex ipsa impossibilitate adimplendi. Ait autem Hieronymus. Anathema sit, qui Deum dixerit aliquod impossibile præcepisse. Secundò, hoc idem patet de Ecclesia conciliariter congregata, tum ex ipsa raritate Conciliorum vniuersalium; Tum ex eo, quòd Synodorum congregandarum auctoritas, non in cuiuslibet est potestate, sed solùm Romani Pontificis, vt dist. 17. habetur. Tum propter ipsam oneris insupportabilem grauitatem, qua populus Christianus grauaretur, si pro adimplendo præcepto de correctione fraterna, teneretur venire ad Concilium vniuersale, etiam actu congregatum. Tanta autem grauitas repugnat suauitati legis Christi, qui ait Deuter. 30. [Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te, nec procul positum, nec in Cœlo situm, vt possis dicere, quis nostrum ad Cœlum valet conscendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, & opere compleamus? neque trans mare positum vt causeris, & dicas, qui ex nobis transfretare poterit, & illud ad nos deferre, vt possimus audire, & facere quod præceptum est? Sed iuxtà te est valdè; Gloss. interlin. [Mandata Dei, moderata, & temperata sunt humanis viribus;] & Matth. 11. dicit ipse Legislator. [Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.] Planè non leue esset præceptum Domini de correctione fraterna, si fidelis quilibet id adimpleturus, ad vniuersale Concilium actu existens venire esset obnoxius, ad quod proculdubio obnoxius esset, si per Ecclesiam, cui denunciandum est delinquentis fratris peccatum, non prælatus, sed Synodus vniuersalis ex ipsa intentione literalis sensus accipienda veniret. Quare manifestum videtur, non esse de intentione legislatoris Saluatoris nostri Dei, per Ecclesiam, in prædicta auctoritate, dessignari vniuersalem Ecclesiam, nec Concilium vniuersale; sed prælatum præsidentem, secundùm eum intelligendi modum, quo Philosophus 9. Ethicorum dicit, quòd Ciuitas est id, quod principale est in ea, quòd etiam multiplici testimonio roboratur. Primò, ex eo manifestè colligitur, quòd Christus non vniuersali Ecclesiæ, nec alicui Synodo vniuersali, sed tantùm Apostolis ipsis, & eorum successoribus Ecclesiæ Prælatis ait: [Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo:] vbi Glos. Hieronymi ait: hanc potestatem tribuit Apostolis; Secundò, patet ex Glos. Origenis, qui, vt habetur in Glos. continua, ponderans illud; Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo; ait: Non dixit in Cœlis, sicut Petro, sed in Cœlo vno, quia non sunt tantæ perfectionis sicut Petrus. Tertiò, patet ex auctoritate beatissimi Chrysostomi, qui super Matthæum, vt habetur in Glos. continua, exponit; Dic Ecclesiæ, id est his, qui Ecclesiæ præsunt. Quartò, auctoritate beati Thomæ, qui & in quarto dist. 19. & in 2. 2. q. 34. in materia de correctione fraterna, exponit: [Dic Ecclesiæ;] idest Prælato in iudicio præsidenti. Quintò, auctoritate Alberti Magni super Matth. qui ait, sic in forma, Dic Ecclesiæ, hoc est Prælato in conuentu, & Synodo, ita quòd ly, Synodo, sicut ly, conuentu, in ablatiuo ponitur. Vndè subiungit, si Ecclesiam non audierit, vt secundùm arbitrium prælati corigatur, sit tibi quasi Ethnicus, & Publicanus. Sextò, ad idem est Dominus Hugo Cardinalis primus postillator Bibliæ, qui iuxtà duas Glos. quæ ponuntur in Gloss. continua, quarum vna dicit: Dic Ecclesiæ, idest his, qui Ecclesiæ præsideant: & alia dicit; Ecclesiæ, idest toti Ecclesiæ, vt maiorem erubescentiam habeat, dicit super Matth. sic: Si priuata persona corrigit, sic exponendum est: Dic Ecclesiæ, idest coram Prælato Ecclesiæ eum conuince per testes, quos noluit audire corripientes, & hoc iuxta primam Glos. Si verò Prælatus corripit, sensus est, Dic Ecclesiæ, idest coram Ecclesia illum excommunica, idest coram congregatione fidelium. Eandem sententiam prosequitur Magister Nicolaus Gorram super Matth. Septimò, ad idem est communis expositor literalis Magister Nicolaus de Lyra, qui exposuit super Matth. Dic Ecclesiæ, idest Prælato, Octauò, ad idem est Glos. decreti, in cap. si peccauerit 2. quæst. prima, quæ consimiliter exponit, Dic Ecclesiæ, idest sacerdoti. Nonò, patet testimonio Innocentij Papæ, qui in cap. nouit, extrà de Iudicijs, de Pastore, & Prælato vniuersalis Ecclesiæ, scilicet de Romano Pontifice, illam exponit. Decimò, patet ex practica, & consuetudine obseruata à Sanctis, & ab vniuersitate fidelium, & ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio. Manifestum est autem, quòd practica obseruata in Ecclesia Dei, circa obseruantiam præcepti de correctione fraterna, semper fuit & est, denuntiare Prælato, & non vniuersali Ecclesiæ, siue dispersæ, siue congregatæ, fratris errantis peccatum. Cum ergo consuetudo obseruantiæ, sit interpres legis, & vt dicat Augustinus libro de Mendacio, ex factis Sanctorum colligamus, quid in Scripturis sentire debeamus. Manifestum est, quòd verus, ac proprius, & principalis intellectus præfatæ auctoritatis sit, vt per ly, Ecclesia, cui tamquam iudici denuntiatio fienda est, Prælatus Ecclesiæ intelligendus veniat, & non vniuersalis Ecclesiæ Synodus. Ad argumentum autem, quòd quidam professores aduersæ partis contra hoc faciunt, videlicèt quòd cùm Christus in hoc loco Petro loqueretur, qui futurus erat Prælatus Ecclesiæ, & nemo remittatur ad seipsum per Ecclesiam, cum dicitur, Dic Ecclesiæ, non intelligendus sit Prælatus, sed vniuersalis Ecclesia eo modo, quo haberi potest, scilicet Synodaliter congregata. Responsio est manifesta. Dicitur enim primò, quòd hæc Doctrina data à Christo de correctione fraterna, generalis est, omnes fideles respiciens, & non solùm Petrum, licèt ad ipsum specialiter vice omnium directus sit sermo Domini, in signum Principatus sui super alios, & ità Christus tàm subditos, quam

Prælatos ad obſeruantiam huiuſmodi pręcepti obligare voluit. Verùm, vt ſuperiùs commemoratum eſt, ex ſententia Domini Hugonis Cardinalis ſuper Matth. exponentis, iuxtà duas gloſſas ordinarias dupliciter hunc textum, alia eſt intelligentia huius nominis Eccleſiæ, quando priuata perſona corrigit, & alia quando publica perſona. Nam ſi priuata perſona corrigit, tunc eſt ſenſus, Dic Eccleſiæ, ideſt Prælato. Si verò publica perſona corrigit, tunc eſt ſenſus Dic Eccleſiæ, ideſt coram congregatione eum obiurga; vt ſic, quemadmodum ait gloſ. maiorem erubeſcentiam patiatur, vel coram congregatione eum excommunica, vt ſic, quemadmodum ait Hieronymus, multorum deteſtationi habitus opprobrijs ſaluetur, qui pudore ſaluari non potuit. Sed cum hoc modo Prælatum remitti ad Eccleſiam, non ſit remitti ad ſuperiorem, ſiue ad iudicem, vt de ſe patet, manifeſtum eſt quòd ratio ex aduersò, in nullo probat intentum. Prætereà, ratio præfata non procedit, quoniam non videtur inconueniens, quòd quis remittatur ad ſeipſum ſecundum aliam, & aliam habitudinem conſideratum. Prælatus enim, vt ait ſanctus Thom. in 4. diſt. 19. quæſt. 2. dupliciter poteſt conſiderari, aut ſecundum quòd in iudicio præſidet, & ſic dicere prælato, inquit, eſt dicere Eccleſiæ, aut extrà iudicium exiſtens, & ſic dicere Prælato, non eſt dicere Eccleſiæ, per quem modum perſona in prælatione conſtituta, poteſt à ſe, vt eſt priuata perſona, remitti ad ſe, vt eſt perſona publica, & tunc dicere Eccleſiæ, nihil aliud eſt, quàm exire in actum iudicij, quo modo beatus Gregorius ſcribens Ioanni Patriarchæ Conſtantinopolitan. ſuper vſurpatione vocabuli vniuerſalis Eccleſiæ, epiſtola 265. Oſtendit, ſic dicens; Nos quidem, in quibus talis, tantaque per auſum nefarium culpa committitur, ſeruamus, quod præcipit veritas dicens. [Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum, ſi autem te non audierit, dic Eccleſiæ. Si verò Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. Ego itaque per reſponſales meos ſemel & bis, verbis humilibus, hoc, quod in tota Eccleſia peccatum corripere ſtudui, per me ſcribo, quicquid humiliter facere debui, non obmiſi. Si in mea correctione deſpiciar, reſtat vt Eccleſiam debeam adhibere. Hæc Gregor. Vbi Eccleſiam adire, vel adhibere, eſt cenſuram Eccleſiaſticam apponere, ſicut fecit, non conuocando ſuper hoc aliquod Concilium vniuerſale. Prætereà, hoc modo ait Nicolaus Papa, ſicut habetur in cap. pręcipuè, vbi ità dicit Regi Lothario. Cæterùm caue ne quando vobis, ſecundùm præceptum Domini, duos, vel tres teſtes adhibeamus, immò verò hoc ſanctæ Eccleſiæ dicamus, &, quòd non optamus, de cętero cunctis ſiat Ethnicus, & Publicanus. Quòd verò ibi per Eccleſiam, non alium iudicem, quàm ſeipſum intelligat, patet ex gloſ. quæ in eo loco dicit: Sic ergo in cauſa denunciationis, idem poteſt eſſe iudex, accuſator & teſtis, & extrà de Simonia cap. licet. Cæterum ipſe beatus Petrus, in cuius perſona hæc conſtitutio diuina primò emanauit, abſque hoc, quòd vniuerſali Eccleſiæ diceret, aut vniuerſale Concilium conuocaret, Ananiam, & Saphiram eius coniugem ſua auctoritate damnauit. Nimium planè foret periculoſum aſſerere, beatum Petrum, alioſque ſanctos Patres, tranſgreſſores extitiſſe diuini pręcepti, qui ad correctionem peccatorum, abſque denunciando vniuerſali Eccleſiæ, ſua auctoritate proceſſerunt. Amplius, ſi cum dicitur: [Si in te peccauerit frater tuus &c. Dic Eccleſiæ,] ſemper recurſus habendus eſſet ad aliquem alium. Immò numquam Papa, aut alius Prelatus veniret iudicaturus eum, qui in ipſum peccaret, quod eſt inconuenientiſſimum, & ab omni ratione, & veritate ſeparatum. Ad confirmationem autem inducta eſt gloſſa ordinaria per Patrem, & Dominum arguentem, qui ait; Vel dic toti Eccleſiæ, licèt iam ex ſuperioribus in reſponſione pręcedentis argumenti pateat copiosè ſatis reſponſio eius: nihilominùs dicitur, quòd gloſ. in vllo deſeruit propoſito partis ſuæ, quinimmò omninò eius intentionem infirmat, ſi gloſ. benè videatur. Gloſ. autem ità dicit: Vel dic toti Eccleſiæ, vt maiorem erubeſcentiam patiatur; poſt hęc omnia, ſequatur excommunicatio, quæ fieri debet per os Eccleſiæ, ideſt per ſacerdotem, quo excommunicante, tota Eccleſia cum eo operatur: hęc gloſ. tria veniunt ponderanda, primò quòd cum ait: Vel dic toti Eccleſiæ, per totam Eccleſiam, non eſt accipienda vniuerſalis Eccleſia, quia, vt ſuperiùs oſtenſum eſt, fidelibus in diuerſis regionibus Orbis conſtitutis, adimplere hoc, eſſet impoſſibile, ſed illa
35 totalitas Eccleſiæ accipienda eſt valdè ſtrictè, quandoque enim pro Collegio Cardinalium, quandoque pro congregatione vna conuentuali, quandoque pro congregatione vna capitulari, quandoque pro congregatione vna Synodali, aut prouinciali; quandoque pro congregatione vnius paruæ familiæ: ſic enim accommodata locutione, quandoque nomine vniuerſæ Eccleſiæ ſacra Scriptura vtitur, ſicut Apoſtolus ad Rom. vltimo ait: [Salutat vos Caius hoſpes meus, & vniuerſa Eccleſia;] vbi per vniuerſam Eccleſiam, ſolam Prouinciam Caij intelligit, vt ait gloſ. Secundò conſiderandum eſt in prædicta gloſſa, quòd dicendum eſſe toti Eccleſiæ dicit, vt maiorem erubeſcentiam patiatur, in quo nihil auctoritatis attribuit communitati.

Quo circa manifeſtum, quòd remitti Prælatum hoc modo ad communitatem, non eſt remitti ad ſuperiorem. Tertiò, ponderandum eſt, quod ait: Et poſt hoc ſequatur excommunicatio, quæ fieri debet per os Eccleſiæ, ideſt per Sacerdotem, vbi manifeſtè innuit, quòd non apud communitatem, ſed apud Prælatum, qui os & vertex eſt Eccleſiæ, ſit auctoritas iudicij, quo excommunicante, ſiue vniente, tota illa Eccloſia, quæ eſt corpus eius, cuius conſenſu, & approbatione in contumacem fratrem Prælatus ſententiam condemnationis profert, dicitur cum eo operari, & hoc

hoc de primo, quod erat dicendum circa auctoritatem illam. Secundò dicitur, quòd & si aliquando prædicta auctoritas ad Concilium vniuersale Apost. auctoritate fultum applicetur, aut ad Concilium vniuersale, Sede vacante, non tamen propter hoc habetur intentio arguentis, videlicet; quòd vniuersalis Synodus supra Papam, vnicam & indubitatam potestatem iudicij haberet, & quòd Papa extrà casum hæresis, veniat Ecclesiæ denunciandus. Si verò
36 dicatur, quòd Papa frater noster est, ergo videtur, quòd ad eum se extendat auctoritas præfata, quæ ait: [Si peccauerit in te frater tuus, &c.] dicendum quòd Papa cum hoc, quòd est frater noster, & naturæ conformitate, & fidei religione, est etiam Princeps, Caput totius Ecclesiæ vniuersalis, supremam habens potestatem in Ecclesia: ratione primi, scilicèt quia frater noster, extendit se ad eum auctoritas præfata in ea parte, in qua simplex tangitur correctio fraterna, prout est actus charitatis, videlicet prout dicit quandam charitatiuam admonitionem, quæ potest esse inferioris ad superiorem, sicut & ipse charitatis affectus. Ratione verò secundi, videlicet quòd Princeps, & Pastor, supremam potestatem Ecclesiæ habens, totius gregis Dominici est, non extendit se ad eum auctoritas præfata in ea parte, in qua contra non suscipientem correctionem fraternam iubetur Ecclesiæ denuntiationem fieri, & correctionem iustitiæ per coarctationem pœnæ exhiberi; quoniam cum hoc genere correctionis, nemo corrigendus veniat, nisi à superiori, ad illos tantùm se extendit Christi institutio, qui superiorem habet in terris, cuiusmodi non est Papa, quem Christus, vtpotè Vicarium eius, supremum omnibus fidelibus, siue dispersis, siue in vnum conuenientibus præesse voluit, & ideò peccata illius suo solo reseruauit iudicio. De hoc plurima inferiùs dicenda veniet, ideò pro nunc dixisse de ista auctoritate sufficiat.

Secunda auctoritas inducta, est illa Ioann. XX. vbi Christus ait Apostolis:
37 [Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:] super quo verbo beatus Gregor. in homilia, vt deducit sanctus Thom. in gloss. continua, ità dicit de Apostolis. Principatum superni iudicij sortiuntur, vt vicem Dei, quibusdam peccata retineat, quibusdam relaxent, quorum nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent, & soluendi, atque ligandi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Ad istam auctoritatem respondetur, vt sanctus Thomas respondet in 4. sententiarum, ad quam dicit, dist. 19. quòd ad absolutionem à peccato requiritur duplex potestas, scilicèt potestas ordinis, & potestas iurisdictionis. Prima quidem potestas adæquatur in omnibus Sacerdotibus, non autem secunda; & ideò vbi Dominus Ioann. XX. [dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata;] intelligitur de potestate, quæ consequitur ordinem; vnde & Sacerdotibus quando ordinatur, illa verba dicuntur, [sed Petro dedit singulariter potestatem remittendi peccata] Matth. 16. vt intelligatur, quòd ipse præ alijs habet potestatem iurisdictionis; hæc ibi sanctus Thom. Secundò in eodem 4. sententiarum, dist. 24. ad eamdem auctoritatem respondens, ait, quòd quamuis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi, & soluendi, tamen vt in hac potestate Ordo aliquis significaretur: Primò soli Petro data est, vt ostendatur, quòd ab eo in alios debeat ista potestas descendere; propter quod etiam ei dixit singulariter Christus: [Confirma fratres tuos, & pasce oues meas:] idest loco mei, vt dicit Chrysostomus. [Præpositus, & caput esto fratrum tuorum, vt ipsi te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment;] hæc sanctus Thomas. Ad idem est sententia Alberti Magni, & Bonauenturæ, ex qua responsione cùm duo colligamus, primò quòd auctoritas illa inducta Ioann. XX. de potestate ordinis accipienda sit, quæ æqualis est in omnibus Sacerdotibus. Secundò, quòd potestas iurisdictionis, quæ non est communis omnibus, nec æqualis in omnibus, in quibus est, à Petro, in quo solo per plenitudinem fuit, in alios deriuata est. Patet quòd ex auctoritate illa non probatur quoque modo veritas decreti Constantiensis, nec quo ad immediationem potestatis iurisdictionis à Christo, nec quo ad superioritatem Conciliorum supra Papam.

Tertia auctoritas inducta in ordine per præfatum Dominum arguentem, est illa Act. 15. [Placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex illis, & mittere Antiochiam.] Et infrà: [Visum est Spiritui sancto, & nobis nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hoc necessariò, vt &c.] Ex hac auctoritate arguit Dominus opponens, quòd Apostoli,
38 & seniores fecerunt decreta. Ad hanc auctoritatem respondetur, quòd in nullo probat decretum præfatum veritatem continere. Primò quidem, quia licèt aliquo modo concedatur, quòd Patres in Concilio existentes, simul concurrant cum Papa in decretando, siue in condendo Canones, sicut hìc de Apostolis cum Petro legitur; nihilominùs principatus decretandi, siue auctoritas principalis conpetit Romano Pontifici, vtpotè qui Princeps est totius Reipublicæ Christianæ. Vndè gloss. Hieronymi super illo passu, & habetur in epistola 22. eiusdem ad Augustinum, commemorato qualiter Iacobus, & omnes Presbiteri in sententiam Petri transierant, inquit sic: Non debent hæc molesta esse lectori, sed & mihi, & illi vtilia, vt probemus antè Apostolum Paulum non ignorasse Petrum Principem esse huius decreti, legem post Euangelium non esse seruandam. Ecce quòd Hieronymus decreti illius, quod in illa Synodo Apostoli, & seniores fecisse dicuntur: Principem Petrum appellat. Prætereà, id quod sequitur: [Visum est Spiritui sancto, & nobis.] Non arguit aliquam iurisdictionem datam immediatè à Christo, siue à Spiritu sancto toti collegio Apostolorum; sed benè arguit datam inspiratio-

tionem ad intelligendam veritatem. Vndè venerabilis Beda in gloſs. ità dicit. Placuit Spiritui ſancto, qui arbiter ſuæ poteſtatis, vbi vult ſpirat, vbi vult loquitur, & nobis non ſolùm voluntate humana, ſed inſtinctu Spiritus ſancti; hæc gloſs. Ex quibus verbis nihil habetur, niſi quòd Petrus, & alij Apoſtoli, & ſeniores in ſententiam illius Canonis, de lege poſt Euangelium non ſeruanda, inſtinctu Spiritus ſancti, ſiue Spiritu ſancto inſpirante, & docente conuenerant. Planum eſt autem, quòd huiuſmodi aſſiſtentia, qua Spritus ſanctus, ſanctis congregationibus aſſiſtit inſpirando, & docendo quid agendum ſit, non abſtulit à Petro tunc, nec nunc ab eius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus ſuperioritatem, & præſidentiam ſuper Synodum, non vnitatem Eccleſiæ, non connexionem totius Corporis Eccleſiæ ad vnum caput, Chriſti Vicarium, præcipuè cum dicat Chryſoſtomus, quòd Petrus erat vertex Collegij, & Caput Apoſtolici chori. Et ità patet, quòd auctoritas inducta, non probat veritatem præfati decreti Conſtantien.

Quarta auctoritas eſt illa, quæ Act. 20.
39 [habetur: Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus regere Eccleſiam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ad iſtam auctoritatem dicitur, quòd ex ea non probatur intentum arguentis. Et primò quidem, quoniam ſi ex hoc, quod dicitur, quòd Chriſtus poſuerit Presbyteros illos, ad quos ſermo Pauli dirigebatur, regere Eccleſiam ſuam, arguatur, quòd tales acceperint à Chriſto regimen immediatè, ſiue poteſtatem iuriſdictionis, conſequentia nullas vires habet. Immò ſic arguẽs cõmittit fallaciam figuræ dictionis, mutando quid in quale. Vndè & Apoſtolus cum ait ad Rom. 13. Non eſt poteſtas niſi à Deo: immediatè ſubiungit; quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, ſtat ergo, quòd omnis poteſtas à Deo ſit, & tamen quod non immediatè ſingulis conferatur à Deo, ſicut Ioann. 1. dicitur: [Omnia per ipſum facta ſunt.] Et nihilominùs multa non immediatè, ſed mediantibus cauſis ſecundis à Deo fiunt. Prætereà ſecundò, ſi ex prædicta auctoritate arguens velit inferre, quòd alij Apoſtoli, ſiue Prælati habeant poteſtatem regiminis Eccleſiæ, aut ſuperiorem, aut æqualem Petro; negabitur conſequentia, quoniam cum dicat Apoſtolus Ad Rom. 13. quòd omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, & ſubiungat: Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt; oportet quòd prælatio attendatur ſecundùm aſcenſum, & deſcenſum, non ſecundùm æqualitatem. Quare neceſsè erit, vt arguit Dominus Cardin. Bonauent. in 4. ſecundum rectum ordinem Eccleſiæ, quòd ſuprema poteſtas regiminis, & plenitudo iuriſdictionis ſtet in vno primo, & ſupremo, in quo ſolo, ſicut in primo, & in ſimpliciſſimo in illo genere, eſt ſtatus omnis prælationis Eccleſiaſticæ. Quocircà cum alij à Petro dicuntur, aut Principes, aut Rectores Eccleſiæ, aut Paſtores gregis Dominici, non eſt intelligendum, quòd aut tales immediatè conſtituti ſunt à Chriſto; aut quòd vocati ſunt in plenitudinem poteſtatis, ſed accipiendùm eſt mediatè, & ſecundùm eam partem ſollicitudinis, ad quam per ſupremum Paſtorem in Eccleſia S. Romanum Pontificem, vocati ſunt. Vnde gloſs. ſuper illud primæ Petri 5. [Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei.] Dicit ſic: Sicut Dominus Petrum totius gregis curam habere iuſſit, ità Petrus ſequentibus Eccleſiæ Paſtoribus iure mandat, vt quiſquis, qui ſecùm eſt, gregem Domini ſollicita gubernatione tueatur.

Quinta auctoritas eſt illa, quæ habetur in cap. firmiter, extrà de Summ. Trinit. §. vnam ſanctam, vbi dicitur, & eſt definitio in Concilio vniuerſali facta, quòd
40 Ieſus Chriſtus conceſſit claues Eccleſiæ Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus; vbi Ioann. Andr. dicit: [quòd non ſoli Petro Chriſtus claues conceſſit, ſed & cæteris Apoſtolis.] Ad hanc auctoritatem reſpondetur, & primò ad hoc, quòd non ideò claues dicuntur Eccleſiæ, quòd communitati totius Eccleſiæ datæ ſint, ità quòd ſigillatim, ſiue collegialiter omnes fideles, claues à Chriſto ſuſceperint; cùm teſte beato Ambroſio libro de pœnit. & habetur à Magiſtro ſententiarum in 4. diſt. 18. ius hoc ſoluendi, & ligandi, ſolis Sacerdotibus competat, ſed dicuntur eſſe Eccleſiæ triplici ratione, primò quia claues iſtæ datæ ſunt potioribus partibus Eccleſiæ, ſicut ait Hieronymus, quòd datæ ſunt Eccleſiæ, in Epiſcopis, & Presbyteris. Solitum eſt autem, vt patet nono Ethicorum, vt communitas dicatur id, quòd principaliſſimum eſt in ea.

Secundò, dicuntur claues Eccleſiæ, quia poteſtas, quæ non poteſt perpetuari in vno, aut pluribus ſingularibus ſuppoſitis alicuius multitudinis, ſed tantùm per ſucceſſionem conſueuit ſæpè nominari, & dici poteſtas communitatis, licèt non omnibus de communitate talis conueniat poteſtas, ſicut eſt in priuilegio perpetuo dato dignitati alicuius Eccleſiæ, & ità eſt de poteſtate clauium Eccleſiæ data in Epiſcopis, & Presbyteris.

Tertiò, ideò dicuntur claues Eccleſiæ, quia ad bonum totius Eccleſiæ à Chriſto Petro & eius ſucceſſoribus donatæ ſunt, ſicut etiam Sacramenta Eccleſiæ eſſe dicuntur, quia ad eius vtilitatem inſtituta, licèt collatio Sacramentorum non ad totam communitatem, ſed ad miniſtros ſolos Eccleſiæ pertineat.

Prætereà, ad id, quòd conſequenter in auctoritate ponitur, videlicèt quòd Chriſtus Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus claues conceſſit: Reſpondetur, quòd verum eſt, & etiam quòd Ioann. Andr. in gloſs. loquitur, ſed ex hoc nihil auctoritatis inducitur pro veritate decreti Conſtantien.

Primò, quia quod dicitur, quòd Chriſtus omnibus Apoſtolis, & ſucceſſoribus claues conceſſit: Intelligedum eſt, vt patet ex ſuperiùs inductis: Petro per ſe, & immediatè, alijs verò Apoſtolis mediante Petro

Secundò, quia quamuis non ſolus Petrus

ttus accepit claues, solus tamen, vt sæpè ex dictis Sanctorum commemoratum est, in plenitudine suscepit, vtpotè aliorum Princeps, & Caput, ob quam prærogatiuam solus Petrus cùm clauibus depingitur, solus Petrus de collatione clauium sibi à Christo facta in Ecclesia, inter cæteros præcipuè commendatur.

Sexta auctoritas inducta per Dominum, & Patrem opponentem, fuit illa extrà de pœnit. & remiss. in cap. nona vbi dicitur, quòd Apostolis omnibus Deus claues commisit. Ad istam auctoritatem, patet per iam dicta, responsio, per has enim, & huiusmodi auctoritates, sicut iam probatum est, nec habetur, quòd alij Apostoli à Petro, immediatè à Christo susceperint potestatem iurisdictionis, nec quòd si susceperint, superiorem, aut æqualem, cum Petro eorum Principe potestatem habuerint.

Septima auctoritas inducta est illa Augustini super Ioann. & habetur in cap. quodcumque 24. quæst. 1. vbi dicit Augustinus, quòd si hoc, scilicet: [Quodcumque ligaueris super terram,] tantùm Petro dictum est, non hoc facit Ecclesia. Si autem in Ecclesia, fit vtique, quæ iu terra ligantur, & in Cœlo, & quæ soluta sunt in terra, soluta sunt in Cœlo. Et sequitur: Si ergo
41 in Ecclesia sit Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit. Ad istam auctoritatem dicendum, quòd nihil ex ea fauoris, seu virtutis decreto Constantiensi præstatur; qoniam non est ea intelligentia Augustini in hoc loco, quam quidam prætendunt, videlicet quòd beatus Petrus, ità nomine Ecclesiæ, vt tamquam syndicus eius, aut procurator, siue vices gerens, à Christo claues accepit, cùm ipse Princeps, Caput, & Rector totius vniuersalis Ecclesiæ in collatione clauium constitutus esse dicatur. Non autem stant hæc duo simul, quòd Petrus in susceptione clauium à Christo, fuerit syndicus Ecclesiæ, siue quòd procuratorio nomine illas susceperit, & quòd sit per claues illas Princeps, Caput, & Rector Ecclesiæ à Christo constitutus.

Cæterùm hæc intelligentia, ex eo aliena à fide omninò iudicanda est, quia Papa non Ecclesiæ Vicarius, sed Christi est, non Ecclesiæ vices, sed Christi gerit in terris; non ab Ecclesia potestatem suscepit, sed à Christo super Ecclesiam, quam gubernandam, regendamque suscepit. Præterea, quod dicitur, quòd Petrus, quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit, non est ità accipiendum, quasi voluerit Augustinus, quòd vniuerso corpori Ecclesiæ, in omnibus eius membris datæ sunt claues, cum in solis Episcopis, & Presbyteris, testibus beatissimis Ambrosio, & Hieronymo,
42 illas susceperit. Sed hæc sana, & vera beatissimi Augustini intelligentia, quòd non Petro tantùm vt singulari personæ data sit auctoritas clauium: quoniam, vt Augustinus optimè arguit, si tantùm Petro data fuisset, iam nec absolutio, nec ligatio, nec aliqua reconciliatio fieret in Ecclesia, cum ergo in veritate ità fiat, sequitur, quòd non tantùm Petro data sit, sed etiam data sit in eo Successoribus eius, & vniuersis Prælatis futuris in Ecclesia Dei, quos in partem vocaret sollicitudinis suæ. Vnde data est ei potestas clauium, vt signanti, & repræsentanti vniuersos Prælatos futuros in Ecclesia Dei, manentes in vnitate Corporis Christi, siue in societate Petri; & hoc est ipsum Petrum cùm claues accepit, Ecclesiam sanctam significasse: vt patet ex ipsamet litera benè considerata. Vnde dominus Archidiaconus in Rosario suo, hunc locum ad istam intelligentiam exponens, ità dicit: Si hoc tantùm Petro dictum est, scilicet, vt eius personam non transgrediatur, non hoc facit Ecclesia, idest eius auctoritas; hæc ille. Planè hæc est vera intelligentia, hoc est veraciter Augustini argumentum, sicut iste clarissimus Doctor exponit; si potestas data esset soli Petro, ità quòd eius personam non transgrederetur, profectò auctoritas ligandi, & soluendi in Ecclesia non esset.

Prætereà, quòd ex ista auctoritate non sequatur aliquid pro veritate decreti Constantiensis, patet ex ipsa gloss. ordinaria, quæ ità habet in hoc loco, Argumentum quòd sententia totius Ecclesiæ præferenda sit Romanæ, si in aliquo sibi contradicant, argumentum dist. 93. legimus; sed contrarium, inquit, credo, argumentum infra eadem. Hæc est fides, nisi erraret Romana Ecclesia, quod non credo posse fieri, quia Deus non permitteret, cap. arrecta, & cap. pudenda; hæc gloss. & hoc de auctoritate ista.

Octaua auctoritas inducta est eiusdem Augustini super Psalm. vbi ità dicit: Sunt quædam, quæ dicuntur ad Petrum, quæ licet propriè ad eum pertinere videantur, non tamen habent intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gessisse personam, propter primatum, quem in Discipulos habuit. Ad istam patet responsio, ex responsione data ad superiorem auctoritatem. Verum enim est, vt ait Augustinus, quòd cum claues Petrus recepisse dicitur, licèt veraciter hoc dicatur, nihilominùs cum intellectu ad Ecclesiam accipiendum est, idest ad omnes successores eius, & alios futuros in Ecclesia Prælatos, sicut sæpè commemoratum est; ex hoc autem non potest argui, quòd aliquis in Ecclesia, aut ipsa tota Ecclesia, potestate clauium maior, aut superior fuerit ipso Petro: quod etiam ex eo patet, quòd Augustinus in eadem auctoritate dicit, quòd Petrus habuerit inter Discipulos primatum.

Nona est auctoritas Augustini, qui in de Agone Christiano, ità dicit: Non enim sine causa inter omnes Apostolos huius Ecclesiæ personam sustinuit Petrus: huic enim claues Regni Cœlorum datæ sunt, & cum dicitur: [Petre amas me? pasce oues meas.] ad omnes dicitur. Ad istam auctoritatem eadem est responsio, quæ ad superiores assignata est, quoniam eamdem cum illis sententiam importare videtur. Id enim quòd primò dicitur, quòd cùm Petro claues datæ sunt, Ecclesiæ datæ sunt,

iam

iam in superioribus dictum est, qualiter accipiendum sit, videlicet, quòd Ecclesiæ non in multitudine fidelium, sed in Episcopis, & Presbyteris datæ sint. Vnde dicit Ambrosius, quòd in Petro claues omnes Sacerdotes recepimus, quod vero secundò in auctoritate dicit Augustinus,
43 quòd cum dictum est Petro: [Pasce oues meas.] ad omnes dictum sit: non ità accipiendum est, quòd omnibus fidelibus Christus commiserit curam pastoralem Ecclesiæ, maximè cum dicat Apostolus ad Rom. 12. [Dedit quidem Deus quosdam Pastores;] quosdam dixit non omnes, sed intelligentia est Augustini, quòd ly omnes, solùm distribuat pro Pastoribus in Ecclesia successoribus Petri, & alijs euocandis in partem sollicitudinis eius: quod manifestè Augustinus ostendit in sermone quodam, qui sermo incipit: Apostolum Petrum primum omnium Apostolorum; in quo tractans præfatum verbum:[Pasce oues meas.] ità inquit: Per singula enim dicebat Petro Dominus Iesus dicenti: [Amo te, pasce agnos meos, pasce ouiculas meas;] in vno Petro figurabatur vnitas omnium Pastorum: Hęc Augustinus. Præthereà,licèt cura pastoralis multis alijs Prælatis, quàm Petro commissa sit, non tamen, vt sæpè repetitum est, in ea plenitudine, & vniuersalitate, qua Petro, qui ità vniuersaliter totius gregis Dominici Pastor à Christo est constitutus, vt non sit dicendus quis Christianus, nec Christi agnus, nec fidelium hominum conuentus, qui dicit se non esse sub cura huius Pastoris, vt sanctus Thom. ait super Ioann. in cap. vlt.

Decima auctoritas inducta est eiusdem beatissimi Augustini, qui in lib. 2. qu. noui, & veteris Testamenti, sic loquitur: Dominus noster Iesus, Discipulos suos ante passionem suam, sicut noscis, elegit, quos appellauit Apostolos. Inter hos penè, vbique Petrus solus totius Ecclesiæ meruit gestare personam, & propterea audire meruit: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum;] & sequitur: Has autem claues non homo vnus, sed vnitas accepit Ecclesiæ. Ad istam auctoritatem respondetur, quòd non intendit Augustinus negare, Petrum claues accepisse, cùm Petro à Christo dictum sit: [Tibi dabo claues Regni Cęlorum,] Matthæi 16. & Ioann. 21. [Pasce oues meas;] & ipse Augustinus ipsum dicat, & Apostolorum Principem, & totius Ecclesiæ Caput appellet: sed ideò dictum est, quòd non vnus, quia non vnus solus singulariter, ità, quòd non alij in eo susceperint, planè in eo etiam Ecclesiæ posteritas in Prælatis suis claues accepit eo modo, quo sæpè commemoratum est. Pro cuius auctoritatis, & multarum similium Augustini, plena intelligentia, sciendum est, quòd duo errores, inter alios, emanauerunt circa claues Ecclesiæ, quos veluti perniciosissimos beatus Augustinus peruigili studio eradicare curauit.

Primus error fuit Nouatianorum, vt dicit sanctus Thom. in 3. parte quæst. 84. artic. 10. qui negabant pœnitentiam lapsis post baptismum, dicentes, apud Sacerdotes nullam tales absoluendi à peccatis esse facultatem. Istum errorem tangit Augustinus, & impugnat primo libro de vera, & falsa pœnitentia, vbi in cap. 3. in principio, ità dicit: sunt quidam, qui credant vsque in baptismum pœnitentiam, proficere, sed postea peccantibus cassam perseuerare. Item in princ. capituli quarti dicit, Adhuc sunt, qui reclamant non esse peccatorum remissionem baptizatis per pœnitentiam. Ad quem errorem penitùs eradicandum beatus Augustinus, vtpotè acutissimus argumentator, visus est semper ostendere, quòd non soli personæ Petri claues datæ sunt, sed cum Petro datæ sunt Ecclesiæ, idest toti posteritati Ecclesiæ in Prælatis. Vndè in cap. 5. præfati libri inducens contra præfatos hæreticos illud Ioann. 20. quòd Christus ait Apostolis. [Accipite Spiritum sanctum, & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.] dicit sic. Scimus autem, & primos patres, & in omni tempore Ecclesiam Dei, semper vsque ad septuagesies septies, quod est semper peccata dimittere; quam potestatem isti ab Ecclesia auferre conantur.

Prætereà, de istorum peruersorum hominum errore apertissimè loquens, cumque fortissimè expugnans, in lib. de Agone Christiano cap. 31. sic dicit. [Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere.] Itàque miseri dum in petra Petrum non intelligunt, & nolunt credere claues Regni Cœlorum esse datas Ecclesiæ ipsi; eas de manibus amiserunt; hæc Augustinus. Agit etiam contra hos hæreticos Nauatianos Sacerdotes parem congressum beatus Ambrosius libro suo de pœnitentia; cuius verba causa breuitatis pertranseo.

Secundus error fuit eorum, qui in
45 hæresi, & in schismate constitutos, & ità ab vniuersitate Ecclesiæ separatos, asserunt posse ligare & soluere, qui error est communiter omnium schismaticorum; contra quem errorem dicit beatus Cyprianus in quadam epistola, & habetur 7. q. 1. cap. Nouatianus. Qui nec vnitatem, inquit spiritus, nec conuentionis pacem obseruat, & se ab Ecclesiæ vinculo, atque Sacerdotum Collegio separat, nec Episcopi potestatem habere potest, nec honorem. Item multa huiusmodi sunt in cap. dicimus, & in cap. pudenda, & in cap. schisma 24. quæst. 1. vbi maximè ad notitiam huius rei considerandum venit illud, quod Cyprianus ponit in epistola ad Iouinianum, & ità dicens: [Clamans Dominus, vt qui sitit veniat, & bibat de fluminibus aquæ viuæ, quæ de eius ventre fluxerunt.] Quò venturus est qui sitit? Vtrum ne ad hæreticos, vbi fons, & fluuius aquę vitalis omninò non est? an ad Ecclesiam, quæ vna est, & super vnum, qui & claues eius accepit, & Domini voce fundata est? Hæc est vna, quæ tenet, & possidet omnem sponsi sui, & Domini potestatem; hæc ille. Beatissimus prętereà Augustinus lib. de pœnitentia superiùs commemorato, contrà præfatum errorem loquens, & vnitatem Ecclesiæ ad vsum clauium necessariam esse ostendens,

ità dicit. Nemo pœnitere dignè potest, quem non substineat vnitas Ecclesiæ, ideòque non petat sacerdotes ab vnitate Ecclesiæ diuisos. Ad destruendum ergo errorem hunc secundum, videlicèt quòd ab Ecclesiæ vnitate diuisi, potestatem habeant clavium iurisdictionis, dixit in auctoritate inducta, quòd non vnus, sed vnitas claues acceperat; ostendens per hoc necessariam esse vnitatem Ecclesiæ ad habentem communionem potestatis Ecclesiasticæ. Et quòd hæc fuerit Augustini intentio, patet, quoniam post illa verba inducta per Dominum arguentem, quæ habentur in sermone Apostolorum Petri, & Pauli, qui incipit. Istum nobis diem, ità subiungit, Huic ergo Petri excellentia commendatur, quoniam ipsius vniuersitatis, & vnitatis Ecclesiæ figuram gessit, hæc Augustinus. Planè Petrus vniuersitatis Ecclesiæ figuram gessit, & hoc contrà primum errorem, qui à sacerdotibus præsentis temporis clauium potestatem auferebat. Gessit prætereà figuram vnitatis Ecclesiæ, contrà errorem secundum, dicentium, ab Ecclesia diuisos vsum potestatis clauium retinere, & ità patet, quòd beatissimi Augustini dicta, optimè considerata non probant ea, quæ Basileenses astruunt de potestate Concilij vniuersalis Ecclesiam repræsentantis, sed illa magis infirmant.

Vndecima auctoritas inducta, est illa Augustini de doctrina Christiana: has igitur claues dedit Ecclesiæ suæ, vt quæ soluta essent in terra, soluta essent in cœlo, ad istam auctoritatem, ex dictis, ità plenè patet responsio, vt superfluum sit ad eam aliquid dicere.

Duodecima auctoritas inducta, est illa eiusdem Augustini in Epistola ad Glorium, & Eleusium Episcopos Donatistarum, ad
46 quos, ità post multa alia loquitur. Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicauerunt, non bonos iudices fuisse. Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ vniuersalis Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitare, & si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur. Ad istam auctoritatem, quæ partis aduersæ videtur Achilles; respondetur, quòd per eam nullo modo probatur decretum Constantien. in parte illa, de qua loquimur, continere veritatem, tum primò, quia per illa verba, non est intentio Augustini dicere, quòd vniuersale Concilium potestatis, auctoritate superius sit Romano Pontifice. Primò, quia in eadem epistola, sicut etiam in libro de vnico baptismo, profitetur, quòd in Romana Ecclesia Apostolicæ cathedræ semper viguit principatus. Quod verum non esset, si superior cathedra, quàm sit Apostolica, alia in Ecclesia daretur. Secundò, quia idem Augustinus, vt inducitur in cap. pudenda, secundò, & l.qu.1. dicit, quòd cùm Ecclesia, nulla esse potest, ea sit, quæ in Apostolicę sedis radice per successionem Episcoporum constituta est. Quomodò autem Augustinus Apostolicam sedem diceret radicem fundamentalem Ecclesiæ, si illius sedis auctoritas ad aliquam aliam altioris potestatis, & principatus resoluenda veniret cùm natura radicis, aut vltimi fundamēti, siue primi principij hoc non patiatur, sicut ex primo Posteriorum habetur. Quod autem dicit Augustinus, quòd restabat adhuc plenarium Ecclesiæ vniuersalis Concilium, non dicit ratione superioritatis principatus, aut potestatis, quæ maior sit in plenario Concilio, quàm in Apostolicà sede: sed ratione amplioris, & maioris examinis habendi iudicij, quale superabatur in plenario patrum totius Ecclesiæ Concilio, secundùm illud, vbi consilia multa, ibi salus. Prouerbiorum vndecimo. Quòd verò ista fuerit Augustini intelligentia, patet ex verbis Epistolæ, & ex illis, quæ de ista materia commemorat in libro de vnico baptismo. Dicit enim sic in præsenti epistola ad Glorium, & Eleusium, Sed iam tamen, quasi haberent, quod dicerent, malos iudices se esse perpessos, quæ vox est omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam manifestissima veritate superati, quasi non adhuc eis dici possit, & iustissimè dici. Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuisse, restabat adhuc plenarium Ecclesiæ vniuersale Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa possit agitari. Et hoc eo quia, vt in libro de vnico baptismo idem Augustinus dicit, maiores accusatorum Episcopi Siciliani, qui innocens erat iudicatus, quærebantur Imperatori, quòd non plenè fuerat illud iudicium Romæ examinatum, atq; depromptum, quam ob causam dicebat beatus Augustinus, quòd præfati Episcopi, qui iudicium Papæ dicebant, licèt falsò, minùs plenè examinatum, quòd antequam schisma facerent, se ab Ecclesia Romana separantes, debuissent, si amatores erant vnitatis Ecclesiæ, iudicium expectasse plenarij Concilij vniuersæ Ecclesiæ, in quo cum ipso Papa discussio fieret. Nulli autem du-
47 bium est, quòd iudicium habitum per Papam, & patres vniuersæ Ecclesiæ simul, maius estimetur auctoritate reputationis, grauitate examinis, & plenitudine discussionis, quàm iudicium habitum per Papam cum paucis, licèt non maius dicendum sit superioritate potestatis.

Quod autem consequentèr dicit Augustinus, quòd si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur, non ità accipendum est, quòd auctoritate Concilij plenarij tamquam superioris iudicij potestate, sententia Papæ dissolueretur, cùm maius tribunal, siue iudicium alterius haberi non possit in terris, quàm sit Vicarij Iesu Christi. Idem quidem est
48 consistorium Dei, & Papæ, sicut Episcopi, & Vicarij eius, vnde glos. super illud Matthæi 16. [Tibi dabo claues Regni Cœlorum.] dicit, Vide quantam potestatem habet petra, suprà quam ædificatur Ecclesia, vt etiam iudicia eius maneant firma, quasi Deo iudicante per eam: & ideò in cap. patet 9 qu.3. dicit Nicolaus Papa, iudicium Apostolicæ Sedis, cuius profectò auctoritate maius non est iudicium, à nemine fore retractandū, nec de eius cuiquam

liceat

liceat iudicare iudicio. Quod ergo dicit Auguſtinus, quòd ſi malè iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ diſſolueren-tur, exponendum eſt, ideſt nullæ, aut caſſæ, aut diſſolutæ eſſe iure oſtenderentur: quia, vt ait regula iuris, Quæ contrà ius fiunt, debent pro infectis haberi, extrà de regulis in ſexto, & hoc modo ponitur illud de cap. multis diſt. 17. veſtrum conuenticulum, vel conciliabulum caſſatur, ideſt ipſo iure caſſum eſt. Ità hìc Auguſtinus hoc accipere videtur, cum ait; Si malè iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ diſſoluerentur, ideſt ipſo iure nullæ, ſiuè nullius firmitatis eſſe oſtenderentur; vel accipiendum eſt verbum illud, quòd auctoritate mei ipſius Papæ, cuius auctoritate plenarium Concilium congregatur, & ſententiæ firmantur, deberent diſſolui, vel declarari nullæ eſſe, quando legimus factum diſt. 17. cap. huic etiam, vbi Synodo congregata, ſuper criminibus, quibus, impetebatur Symachus Papa, Patres Epiſcopi ibidem congregati auctoritate ipſius Symachi, ſententiarunt ipſum Symacum immunem eſſe. Præterea, ſimile legimus de beato Gregorio, qui ait, vt habetur 2. quæſt. 7. cap. Si quis nos ſuper his arguere voluerit, vel extrà auctoritatem nos facere contenderit, veniat ad Sedem Apoſtolicam, & ibi ante confeſſionem beati Petri mecum iuſtè decertet, quatenùs ibi vnus ex nobis ſententiam ſuſcipiat ſuam. Clariſſimum eſt autem, quòd ſententia danda per Apoſtolicam Sedem, ſiue contrà Papam, ſiue pro eo, non niſi auctoritate Papæ ſeden. à quo eius thronus auctoritatem ſuſcipit, danda veniret, & ità patet, quòd ex auctoritate illa Auguſtini in nullo probatur veritas Conſtantien. decreti.

Tertiadecima auctoritas inducta, eſt illa Hieronymi, quæ habetur in gloſ. ſuper illud Matthæi 16. [Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cœlis, &c.]
49 vbi ſic dicit, Habent quidam eandem iudiciariam poteſtatem, alij Apoſtoli, quibus poſt reſurrectionem Dominus ait, [Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt, & quorum retinnueritis, retenta ſunt.] Habet etiam omnis Eccleſia in Epiſcopis, & præſbyteris. Ad iſtam auctoritatem, patet ex ſuperioribus plenè reſponſio. Ex ea enim non habetur aliquid pro veritate decreti dicentis, quòd Synodus poteſtatem habet immediatè à Chriſto, cui etiam Papa obedire teneatur, maximè ſi id, quod ſequitur in auctoritate Hieronymi, producatur in medium, ait enim Hieronymus, poſt antepoſita verba ſic. Sed ideò ſpecialitèr Petrus eam accepit, vt omnes intelligant, quòd quicumque ab vnitate fidei, & ſocietate eius ſe ſeparauerint, nec à peccatis ſolui, nec cœlum poſſunt ingredi. Ecce quàm manifeſtè beatus Hieronymus docet, quòd Petrus ſpecialius poteſtatem clauium, quam omnis Eccleſia acceperit. Secundò, quòd omnes ità dependent à Petro, vt quicumque ab eius ſocietate, & fidei vnitate ſe ſeparauerit, nec vinculis abſolui poſſit, nec ingredi cœlum.

Quartadecima auctoritas, eſt illa eiuſdem Hieronymi, & ponitur in cap. omnibus conſideratis 24. quæſt. 1. vbi ſic ait, de
50 domo Eccleſiæ loquens. Hæc domus etiam claues accepit, & poteſtatem ligandi, & & ſoluendi; hanc domum, ſi quis corrigentem, corripientemque contempſerit, ſit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus. Ad iſtam auctoritatem reſpondetur, quòd per eam in nullo probatur intentum arguentis, primò quidem, quia domus Eccleſiæ, non ità dicitur habere claues, quòd in omnibus ſuis membris diſperſis, aut ſimul congregatis eas habeat, ſed tantùm, iuxtà eiuſdem doctoris ſuperiùs poſitam auctoritatem, in Epiſcopis, & presbyteris eas habet, in quibus contemni dicitur, aut venerari. Ex cuius glorioſiſſimi Doctoris ſententia ſatis manifeſtum eſt, quàm alienum ſit à patrum doctrina, quòd conuentus copiſtarum, aduocatorum, & ſæcularium hominum, claues dicatur habere Regni Cœlorum, & quòd cum illorum conuentus iudicium contemnitur, vniuerſalis Eccleſia contemni dicatur.

Secundò, quia licèt domus Eccleſiæ, claues accepit eo modo, quo dictum eſt, ſcilicèt in Epiſcopis, & presbyteris; nihi-
51 lominùs ſpecialiùs, quia in plenitudine poteſtatis eas accepit in Petro, cuius ſucceſſor eſt Romanus Pontifex, in cuius contemptu, vt potè Principis ipſius Eccleſiæ, maximè Eccleſia ipſa contemni dicitur, quoniam Petrus, vt ait Auguſtinus, totius Eccleſiæ figuram, ſiue perſonam geſſit: & vt dicit Ambroſius libro de Arca Noe, Senioris nomine, de quo pendent cæteri, domus omnis ſignificatur, qui Romanus Pontifex, cum pro eo, quòd Caput, & Rector totius Domus exiſtat, ſuperiorem, extrà caſum hæreſis, non habeat, non poteſt propriè dici in alio caſu Eccleſiam corrigentem, aut corripientem contemnere, huiuſmodi enim contemptus propriè non eſt, niſi inferiorum reſpectu ſuperiorum. Quare manifeſtum eſt, quòd auctoritas illa nullam ſuperioritatem arguit Concilij vniuerſalis ſuprà Papam.

Auctoritas quintadecima inducta eſt eiuſdem Hieronymi, qui ſuper Ioelem Prophetam tertio, ità dixiſſe fertur. Petra,
52 inquit, Chriſtus eſt, qui donauit Apoſtolis ſuis, vt ipſi quoque vocarentur petræ, dicens, [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Ad hanc auctoritatem reſpondetur, quòd ex ea non habetur in aliquo propoſitum arguentis; quoniam licèt Chriſtus donauerit Apoſtolis, vt ipſi quoque vocarentur petræ; hoc tamen præcipuè Petro donauit, cui ſpecialiter ait, [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & in quo omnes alij Apoſtoli, primo nomine Petro ſumpſerunt.] Quare rectè poſt Chriſtum, fundamentum fundamentorum, ac petra petrarum, ac totius Eccleſiæ firmamentum Petrus aſſeritur: vndè Leo Papa in ſermone tertio conſecrationis, dicit, quòd in Petro omnium fortitudo inuenitur, & diuinæ gratiæ, ità ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per

per Petrum Apostolis conferatur. Et ideò beatus Ambrosius, (& habetur in cap.fidelior, dist. 50.) dicit, eò petra dicitur, quia primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tamquam saxum immobile totius corporis Christianitatis compagem, molemque contineat. Cui ob hanc singularitatem nominis Petræ, fertur dixisse Paulus Petro, mortis instante hora, vt beatus Dionysius testatur, Pax tecum fundamentum Ecclesiarũ, & Pastor ouium. Patet ergo, quòd ex eo, quòd cæteris Apostolis suo modo nomen petræ, aut fundamenti in Petro Christus donauerit, non habetur quòd Synodus vniuersalis à Christo immediatè potestatem suscipiat, cui ipse Papa obedire teneatur.

Auctoritas sextadecima inducta per dominum arguentum, est illa Cypriani in cap.loquitur. Dominuus 24. quæst.1. vbi ità ait, quamuis Deus omnibus Apostolis post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat, [Sicut misit me pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum
53 Sanctum, & infrà: Hoc vtique erant cæteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis. Ad istam auctoritatem, facilis patet responsio primò per Glossam eiusdem capituli, dicit enim ibi Gloss. quòd ista paritas accipienda sit in ordine, & dignitate consecrationis, non in administrationis plenitudine, in hoc enim Petrus superior fuit, & maior, vtpotè Apostolorum Princeps, & totius Ecclesiæ caput. Vt enim ait beatus Clemens, & habetur in cap. in illis dist.80. inter Apostolos non fuit par institutio, sed vnus præfuit omnibus. Secundò respondetur, quòd paritas in hoc loco non dicit æqualitatem; sed similitudinem, vnde exponendum est, parem, idest similem, aut communem: quomodo loquitur beatissimus Leo Papa in Epistola ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, inter beatissimos Apostolos, in similitudine honoris fuit quędam discretio potestatis. Tertiò respondetur, quòd dato, sed non concesso, quòd cæteri Apostoli cum Petro pari potestate iurisdictionis præditi fuissent, non habetur ex hoc, quòd Synodus vniuersalis à Christo potestatem immediatè susciperet, cui Papa obedire teneretur, [par enim in parem, potestatem non habet, nec principatum.

Decimaseptima auctoritas fuit Alexandri Papæ in cap.audiuimus 24. quæst.1. sic dicentis. Vnde cùm Dominus daret omnibus discipulis parem ligandi, ac soluen-
54 di potestatem, Petro pro omnibus, & præ omnibus claues Regni Cœlorum se daturum promisit, dicens, [Tibi dabo claues Regni Cœlorum.] Quicumque ergo ab vnitate Ecclesiæ, quæ per Petrum intelligitur, fuerit alienus, execrare potest, consecrare non valet, excommunicationis, vel reconciliationis potestatem non habet. Ad istam auctoritatem dicitur, quòd non agit contrà, sed plurimùm confirmat, quòd nullo modo potest stare cum veritate pars illius decreti dicentis, quòd Synodus habet immediatè potestatem à Christo, cui etiam Papa obedire tenetur: quod sic ostenditur, quod enim primò dicitur, quòd parem potestatem Dominus Apostolis dedit, accipiendum est, vt proximè dictum est, ad auctoritatem præcedentem, aut quòd sermo sit de potestate ordinis, quæ, vt superius ex Sancto Thoma in quarto dist.19. & dist. 24. commemoratum est, æqualitèr fuit illa data omnibus. Quod verò consequentèr dicitur, quòd Christus Petrus se daturum promiserat claues pro omnibus, manifestũ declarat partem illius decreti Constantiensis, non continere veritatem. Nam
55 in eo, quod dicit, quòd Petro præ omnibus datæ sunt claues: datur intelligi, quòd Petrus, & per consequens eius successor, in potestate iurisdictionis superior, & maior omnibus fuerit, etiam simul iunctis. In eo verò, quod dicit, quòd pro omnibus, & præ omnibus potestatem accepit, manifestè designatur, quòd alij Christi discipuli, & eorum successores potestatem iurisdictionis non acceperint, nisi per Petrum, & ità non immediatè à Christo. Vbi considerandum est, quòd cum dicitur Petrus suscepisse pro omnibus, & præ omnibus potestatem, non est intelligendum ipsum pro omnibus accepisse ad modum, quo vnus procurator nomine aliquorum, aliquod donum, sicut castrum, aut principatum accepit à Principe, sed intelligendum est, ad modum, quo dicimus solem accepisse lumeñ à Deo pro omnibus stellis, & præ omnibus, quia in maiori plenitudine, quàm cæteræ stellæ. Pro omnibus, quia in eo ordine, vt ab ipso, sicut à fonte in cæteras stellas lumen descendat, & simile est de capite, quod præ omnibus, & pro omnibus membris virtutem recepit, præ omnibus quidem, quia in solo capite est plenitudo sensuum. Pro omnibus quidem, quia ab ipso cætera membra sensum motus, & regiminis suscipiunt. Ita est de Petro, qui non tantùm auctoritate præ omnibus alijs donatus est, sed etiam Caput, & Princeps alijs influens, in toto corpore Ecclesię constitutus est, vt apertissimè superius ex doctrina sanctorum ostensum est. Prætereà, huius rei causa, videlicèt quòd Petrus in Ecclesia non tantùm fuit prælatus superior cæteris amplitudine potestatis, sed etiam caput influentia virtutis, dicitur consequenter, quòd vnitas Ecclesiæ, per Petrum intelligitur. Sanè vnitas corporis in vno capite designatur, & exercitus in vno duce. Propter quod optimè dicitur in cap. non vos 23. quæst. 5. Quisquis ab apostolicis diuisus est sedibus, in schismate cum esse non dubium est. Quare optimè concludit, quòd quicumque ab vnitate, quæ per Petrum intelligitur, fuerit alienus, ligandi, & soluendi potestate priuatur. Auelle radium à solis corpore, inquit Cyprianus in epistola de vnitate Ecclesiæ, & habetur in cap.loquitur 24. quæst. 1. diuisionẽ vnitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: à fonte præscinde riuum, præscissus arescit. Ex quibus omnibus clarè satis ostenditur, ex prædicta auctoritate non probari propositum Domini arguentis.

Deci-

Decimaoctaua, &, si benè retinui, vltima auctoritas est illa octauæ Synodi, quæ
57 dicitur sic in condemnatione Phocij dixisse, hæc autem nolentem intelligere Phocium, vt benè ageret, sed inobedientem, & resistentem huic vniuersali Synodo, repulimus, & anathematizauimus, atque à tota catholica, & Apostolica Ecclesia fecimus alienum per datam nobis potestatem à Spiritu sancto à Christo, & magno Pontifice nostro, & Deo liberatore, & Saluatore cunctorum, & postea subditur, Nullus ergo studeat eorum, qui Christiano vocabulo digni sunt, quique regimen pastorale sortiti sunt, contrarium quicquam agere huius sanctæ, & vniuersalis Synodi, ac per hæc inueniatur Deo contradicens, & illius Concilij iudicium spernens. Dicit enim Paulus magnus Apostolus. Qui spernit nos, non spernit hominem, sed Deum vnum, qui dedit Spiritum sanctum in nobis. Quis enim nesciat, quòd in medio huius, & vniuersalis Synodi fuerit incircumscriptibilis, & incompræhensus Deus, qui ait, vbi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, sum in medio eorum. Ex istis contentis in hac auctoritate arguit præfatus Dominus, primò, quòd Synodus habeat immediatè à Deo potestatem. Secundò quòd Concilio vniuersali competat illud Matth. 18. Vbi duo, vel tres congregati fuerint &c. Ad istam auctoritatem breuiter respondetur, quòd parum habet difficultatis, tum primò, quia non ità habetur in originali, sicut inducitur per arguentem. Sed hic habetur per datam nobis potestatem in Spiritu sancto, à primo & magno Pontifice nostro Deo liberatore, & Saluatore Cunctorum. In quibus verbis Synodus, videtur per magnum Pontificem, Papam intelligere: tum secundò, dato, quòd sic se haberet auctoritas, sicut allegata est, non sequitur id, quod arguitur: nam ad primam partem respondetur, negando consequentiam. Ex verbis enim illis patrum in Synodo congregatorum, non sequitur quòd Synodus ipsa immediatè à Christo potestatem habuerit, immò vt sæpè repetitum est, in hac argumentandi forma committitur fallacia figuræ dictionis. Sanè si hæc argumentatio locum haberet, cum iuxtà Apostolum Roman. 13. non sit potestas nisi à Deo, quilibet, qui potestatem aliquam haberet, posset dici illam habere immediatè à Deo, & ità nedum ab ipsa Ecclesia, sed ab ipso vniuerso, id, quod optimum est, scilicet ordo tolleretur. Ad secundam partem respondetur, quòd illa, & similia verba Christi, optimè competunt Concilijs vniuersalibus similibus, qualia fuerunt illa 8. Concilia Apostolica auctoritate fulta, & roborata, & quæ debitam reuerentiam, & charitatem obseruarunt semper ad sedem Apostolicam; sed illa verba non competunt peruersis, & malignis congregationibus Synodalibus, sicut patet de multis, scilicet Ariminensi, & Ephesina secunda, & ità de alijs quibuscumque, quæ fuerint ab Apostolicæ sedis societate, & charitate diuisæ. Verum ex eo, quòd vniuersali Synodo competat illud verbum. Vbi duo, vel plures congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum; non arguitur, quòd Synodus immediatè habeat potestatem iurisdictionis à Christo, sicut manifestum est. Aliàs omnis congregatio quorumcumque fidelium, siue magna, siue parua, in Christi nomine conueniens, potestatem iurisdictionis haberet immediatè à Christo, quod ab omni ratione alienum est.

Vltimò, quantùm ad istum articulum, respondendum est ad rationem illam supradictam, pro Ecclesia vniuersali, ex parte
58 impossibilitatis errandi in fide, arguebatur autem sic. Ecclesia vniuersalis numquam legitur errasse, nec errare in futurum potest. Sed Romanus Pontifex à fide errasse legitur, vt in cap. Anastasius, dist. 19. & potest errare, vt de se patet. Ergo videtur, quòd vniuersalis Ecclesia, & per consequens, vniuersale Concilium illam repræsentans, auctoritate superior sit Romano Pontifice. Ad istam rationem respondetur breuiter, primò ad antecedens, quòd Ecclesia vniuersalis, quæ errare non potest, non dicit congregationem distinctam, aut separatam à Romano Pontifice, cùm illa dicatur collectio omnium fidelium, de Consecrat. dist. prima in capit. Ecclesia. Secundò, ad consequentiam dicitur negando illam. Hæc enim argumen-
59 tatio nulla est, Ecclesia vniuersalis, non potest errare in fide, Papa verò sic, ergo illa est maior potestate iurisdictionis, siue potestate clauium (de qua maioritate est præsens sermo) ipso Romano Pontifice, quod ex eo manifestum est, quoniam istæ gratiæ gratis datæ distinctæ sunt, videlicèt non errare in fide, & potestas clauium, & vna non arguit aliam de necessitate, sicut planum est. Aliàs quilibet in gratia confirmatus, potior esset auctoritate Romano Pontifice non confirmato, quod esset absurdum. Est autem multum animaduertendum pro solutione multarum huiusmodi rationum illud, quod scribitur extra de pœnitentijs, & re. in cap. Noua, quòd licèt beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit vniuersis Apostolis, non tamen illi, sed istis, Deus claues Regni cœlorum commisit. Ecce quòd, licèt beatissima Virgo Maria mater Dei,
60 sponsa Christi, Regina mundi, & Angelorum Domina, gratia plena, & in fide semper immobilis fuerit; non tamen arguitur indè, quòd potior fuerit potestate clauium ipso Petro. Tertiò, ratio facta etiam non procedit, eo quòd licèt vniuersalis Ecclesia priuilegium habeat non errandi in fide, hoc tamen priuilegium vniuersalia Concilia non habent, cùm multa eorum errasse legamus, cùm à doctrina Apostolicæ sedis, in qua semper immaculata Christianæ fidei est religio seruata, declinauerint: immò si alicuius auctoritatis esset ratio facta, clarè concluderet in oppositum, cùm Apostolica sedes, iuxtà illud Lucæ 22. Ergo rogaui pro te, vt non deficiat fides tua &c. & iuxta sanctorum patrum doctrinam exponentium hunc locum, priuilegium habeat à Christo, vtpotè tribunal

Christi

Christi in terris; in iudicio fidei non errandi: quod Concilia vniuersalia, ab Apostolica sede separata, non habent. Et hæc de omnibus auctoritatibus, & rationibus factis per reuerendissimum Patrem Dominum Cardinalem, pro secunda parte decreti facti Constantiæ, per obedientiam dicti Ioannis 23. dixisse sufficiat.

Tertia pars decreti, quam præfatus Dominus arguens tetigit tertio loco, est illa, vbi dicitur, quòd quilibet cuiuscumque
61 dignitatis, etiam si Papalis existat, tenetur obedire vniuersali Synodo in ijs, quæ pertinent ad fidem. Dicebat prædictus Dominus, quòd decretum illud in hac parte nullam difficultatem habet, & quòd omnes in eius sententia concordare videntur. Ad cuius probationem induxit capitulum. Si Papa dist. 40. De hac parte præfati decreti, cum omni tamen correctione Sanctissimi Domini Nostri loquendo, cuius auctoritati & iudicio omnia dicta mea subijcio, non videtur mihi simpliciter, & indistinctè asserendum decretum illud Constantiæ editum, in hac parte veritatem non continere fidei catholicæ, cuius ratio est, quoniam propositio illa multiplicem habet intelligentiam, in quarum vna, potest decretum illud continere veritatem, & in alia non, potest autem pars illa decreti, primo modo sic intelligi, quòd quilibet catholicus, etiam Papa, tenetur obedire,
62 idest amplecti, & recipere ea, quæ Synodus iusserit, quæ manifestè ad fidem pertinent, vtpotè in sacra Scriptura expressa, aut per Ecclesiam vniuersalem, aut per Apostolicam sedem iam diffinita, & in hoc sensu decretum illud in hac parte continet veritatem. Sed quòd in hoc casu teneatur Papa obedire Synodo, non est ex aliqua superioritate potestatis, quæ sit in Synodo supra Papam, quia in talibus ad fidem pertinentibus obedire tenetur, nedum Synodo sed Apostolicæ sedi talia docenti, quæ nullam habet superioritatem respectu Papæ. Sed obedientia, & reuerentia ista attenditur ratione materiæ fidei, quę auctoritatem supremam habet ex parte Spiritus sancti, à quo est omnis veritas, vt dicit Ambrosius, à quocumque dicatur: quomodo loquitur Apostolus ad Roman. decimo. Non omnes obediunt Euangelio. Secundo modo pars illa decreti potest habere hunc sensum, quòd scilicet Papa teneatur stare, & obedire diffinitionibus vniuersalis Concilij in ijs, quæ ad fidem pertinere ipsa Synodus diffinierit. In quo sensu non videtur, quòd ità simpliciter, & indistinctè loquendo, pars illa decreti contineat veritatem catholicæ fidei, quoniam cùm Concilia vniuersalia non habeant hoc priuile-
63 gium in iudicio fidei non errandi, quia quandoque, vt superiùs dictum est, leguntur errasse, sicut manifestum est, de Synodo vniuersali secunda Ephes. nullo modo videtur asserendum, quòd sit veritas catholicæ fidei, quòd ità indistinctè, & simpliciter quilibet fidelis, etiam Papa, tenetur obedire Synodo vniuersali in his, quæ pertinent ad fidem, idest quæ ipsa Synodus iudicauerit, aut diffinierit ad fidem pertinere. Nec hoc probat capitulum. Si Papa inductum ex aduersò.

Quare necessariò sensus iste distinguendus est, quoniam, aut Synodus vniuersalis
64 aliquid diffiniuit de fide, Apostolica sede probante, & confirmante, quæ, vt habetur in cap. omnes dist. 22. mater fidei appellatur. Et tunc dicendum videtur, quòd decretum illud contineat veritatem, videlicet, quòd tali diffinitioni, & determinationi fidei, quam vniuersalis Synodus modo assignato fecerit, quilibet fidelis tenetur, etiam Papa obedire. In quo casu optimè venit illud, quod beatus Gregorius ait, & habetur in cap. sicut, dist. 15. sicut sancti Euangelij libros quatuor, sic & quatuor Concilia, & venerari me fateor, & hæc tota deuotione complector, integerrima approbatione custodio: quia in his, velut in quadro lapide, sanctæ fidei structura consurgit, & cuiuslibet vitæ, atque communis actionis norma existit, quæ dum vniuersali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumpserit absoluere quos ligant, aut ligare quos absoluunt, idest iudicare catholicos, quos illa hæreticos iudicat, aut è conuerso. Si verò contingat, quòd Synodus aliquid diffiniat, cui Apo-
65 stolica sedes, siue Romana Ecclesia contradicat, sicut factum est de vniuersali Synodo Ephesina secunda, tunc manifestum est, quòd magis obediendum est diffinitioni Apostolicæ sedis, quàm diffinitioni cuiuscumque Synodalis congregationis. Vndè glos. in cap. quodcumque 24. qu. 1. dicit, Credo quòd sententiæ totius Ecclesiæ præferenda sit sententia Rom. Ecclesiæ, si in aliquo sibi contradicant, art. hęc est fides Papa beatissimè, eadem causa, & quæstione, nisi erraret Romana Ecclesia,
66 quòd non credo posse fieri, quia Deus non permitteret, art. eodem cap. pudenda, hæc glos. Hoc etiam confirmatur omnium illorum patrum testimonijs, qui Apostolicæ sedis priuilegium non errandi in iudicio fidei, esse testantur, de quibus iam aliqua commemorata sunt suprà. Præterea, quòd hæc consideratio habenda sit in diffinitionibus fidei factis per Synodos quascumque, ostendit beatissimus Leo Papa in epistola, quam ad Nicetam Aquilegiensem Episcopum scribit, de quibusdam clericis Pelagiana, & Cœlestiana hæresibus suspectis, vt errores suos cogantur detestari. Vbi sic inter alia dicit. Damnent apertis professionibus sui superbi erroris auctores, & quicquid in doctrina eorum vniuersalis Ecclesia exhorruit, detestentur, omniaque decreta Synodalia, quæ ad excessionem hæreseos Apostolicæ sedis confirmauit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur, hæc ille.

Ecce quòd non inquit simpliciter, illos debere omnes Synodales decisiones illius hæreseos complecti, sed eas tantùm, quas Apostolicæ Sedis confirmauit auctoritas. Si verò casus talis contingeret, quòd pa-
67 tres vniuersi in Synodo vniuersali conuenientes vnanimiter aliquam diffinitionem

fidei

fidei facerent, cui sola persona Papæ contradiceret. Dicerem iudicio meo, quòd Synodo standum esset, & non personæ Papæ, iudicium enim tantorum patrum vniuersalis vnius Synodi, in materia fidei, meritò præferendum videtur iudicio vnius hominis. In quo casu optimè venit illa gloss. quæ habetur in cap. Anastasius distinct. 19. quòd vbi de fide agitur, Papa te-
68 netur requirere Concilium Episcoporum, quod intelligendum est, quando casus est valdè dubius, & Synodus conuocari poterit, & tunc Synodus maior est Papa, non
69 quidem potestate iurisdictionis, sed auctoritate discretiui iudicij, & amplitudine cognitionis, vt enim habet gloss. in cap. multi, dist. 40. pars illa, quæ iustiori ratione vtitur, maior dicitur, licèt sit minor, scilicèt alio respectu, 31. dist. capit. Nicæna. Vbi autem ità eueniret, quòd talibus, quæ ad fidem pertinere tota Syno-
70 dus, per apertissima testimonia sacræ scripturæ, aut sanctorum patrum doctrinam vnanimiter declararet, Papa acquiescere, obedire, & stare nollet, sed contumaciter contradiceret, talibus apertè ad fidem catholicam pertinere declaratis, iam vtpotè hæreticus subiectus veniret Concilio, sicut & quilibet alius à fide deuius, cum enim per hæresim à Papatu cadat, factus est, vt ait sanctus Thomas in quarto, omni fideli minor: & idem habetur in gloss. in capit. Achatius, el primo, vbi sic dicit, hic est
71 casus, in quo Papa in canonem latæ sententiæ incidit. Nec obuiat regula illa, quia par parem soluere, aut ligare non potest, quia si Papa hæreticus est, in eo quòd hæreticus, minor est quolibet catholico. Et ad istum casum facit cap. si Papa, inductum ex aduersò, & non ad alium, sicut ex ipso tex. patet. Dicit enim sic, si Papa suæ, & fraternæ salutis negligens depræhenditur, inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi, & omnibus, &c. huius culpas isthic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi depræ-
72 hendatur à fide deuius, hæc ibi. Et intelligitur, vt dicit gloss. incorrigibiliter, quod capitulum cum loquatur de Papa, cum iam per hæresim notoriam, & contumaciter defensam, fit ipso iure Pontificatu priuatus, quia remota fide, per quam fit prima connexio hominis ad corpus Christi, membrum Ecclesiæ esse desiuit, manifestè demonstratur, quòd ex eo nulla supe-
73 rioritatis potestatis arguitur in Concilio vniuersali suprà Papam catholicum, siue fidelem, sicut nec ex hoc, quòd iuxtà gloss. iam dictam in cap. Achatius, Papa, Papam in casu hæresis ligare potest, sequitur quòd Papa vnus superior sit potestate prædecessore, aut successore suo vero catholico existente.

Quarta pars decreti tacta per præfatum Patrem, & Dominum opponentem quarto loco, est illa, in qua dicitur, quòd quilibet fidelis cuiuscumque dignitatis, etiam si Papalis existat, tenetur obedire vniuersali Synodo in his, quæ pertinent ad extirpationem schismatis. Induxit autem idem Dominus pro hac parte capitulum. Si duo contrà fas dist. 79. circa quam partem primò considerandum est, quòd
74 decretum Constantiæ editum, non loquitur de schismate quocunque, sed tantùm de schismate, illo tempore currente, quo decretum est. Nam sic ait, & in his, quæ ad extirpationem præsentis schismatis. Quàm periculosum autem: & scandalosum sit secundùm hunc sensum, quem forma huius decreti prætendit dicere, quòd sit veritas Catholicæ fidei, quòd quilibet fidelis in pertinentibus ad extirpationem illius schismatis, aut in quacunque alia re tenebatur obedire illi congregationi, quæ sub Ioann. 23. dicto tempore schismatis Constantiæ sub nomine generalis Concilij conuenit, patet manifestè, & in superioribus perspicuè ostensum est. Quare alijs prætermissis testimonijs, videndum est, quid veritatis contineat præfatum decretum, accipiendo illud de alio quocumque schismate, & de quacunque alia vniuersali Synodo:

Videtur autem respondendum, quòd decretum illud in illa parte veritatem continet, in eo casu, in quo loquitur cap. si duo contra fas inductum per R. P. & Dominum distinct. 79. vbi text. loquitur quando duo contra fas, idest illicitè, temeritate concertantium fuerint ordinati; quod capitolum locum habet, quando neuter illorum est canonicè, siue vt ait gloss. electus à duabus partibus, ad quem casum referenda est intelligentia decreti Constantiensis, quod incipit, frequens. Sed in casu, quo vnus canonicè est electus, & per vniuersalem Ecclesiam per multos annos indubitatus habitus, & veneratus pro tali, & eo superstitè, alius per non nullos intronizatur, non videtur esse veritas Catholicæ fidei, immò falsitas, quòd Papa, qui verus, & indubitatus est, obedire tenetur vniuersali Synodo, quæ pro extirpando schismate vellet disponere de despositione eius.

Planè si hæc consuetudo introduceretur, innumera schismata nascerentur in Ecclesia, nullusque suam dignitatem seruaret illæsam, & peruersis hominibus occasio præberetur audaciæ, & temeritatis plurimæ ad eleuandum idola in Ecclesia; vt hac occasione ille deponendus veniret, quem quilibet Princeps, aut communitas gratum non haberet, in quo considerandum est, quòd beatissimus Cyprianus dicit in epistola ad Cornelium, de quinque Presbyteris, qui tenebant cum Nouatiano intruso. Quòd si ità res est, fateor, vt nequissimorum timeatur audacia, vt quòd mali iure, atque æquitate, non possunt, temeritate, ac desperatione perficiant, actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi, ac diuina potestate, nec Christiani vltrà; aut durare, aut esse possumus, si ad hoc ventum est, vt perditorum minas, atque insidias pertimescamus.

Et in alia quadam epistola, sic dicit. Quid, quia honorem Cathedræ Sacerdo-

cerdotalis Nouatianus vsurpat? Nunquid idcircò nos Cathedræ renunciare debemus? Et qui Nouatianus altare collocare, & sacrificio offerre contra fas nititur, ab altari & sacrificij cessare nos oportet, ne paria, & similia, cum illo celebrare videamur? Vanum prorsus, & stultum est, quia Nouatianus extrà Ecclesiam vendicat sibi veritatis imaginem, relinquat Ecclesiæ veritatem. Hæc Cyprianus. In casu ergo, quòd vniuersalis Ecclesia pro schismate, huiusmodi tollendo congregaretur, non vtique deberet procedere ad deponendum verum, & indubitatum habitum Romanum Pontificem, & quem nullo iure constat à Papatu cecidisse, sed ad persequendos eos perditos homines, qui per noui idoli erectionem, schisma introducere in Ecclesiam, tanta temeritate præsumunt, & & hoc de quarta parte illius decreti dixisse sufficiat.

Quinta pars decreti tacta per præfatum Dominum opponentem est, quòd quilibet fidelis cuiuscumque status dignitatis, etiam si Papalis existat, tenetur obedire vniuersali Synodo, in his quæ pertinent ad generalem reformationem Ecclesiæ, in capite, & in membris. Licèt autem idem Dominus dixerit, opus esse, vt hoc decretum in hac parte declararetur, pro eo, quòd aliqui illud extendebant, quàm accipiendum esse videretur, nihilominus tres induxit casus, si benè retinui, in quibus dixit gloss. & Doct. aliquos ante Constantiensem Concilium, fuisse illius sententiæ, & doctrinæ, in quibus videtur, quòd decretum illud sit verum.

Primus est, quando esset necessitas reformandi Ecclesiam, & Concilium esset congregatum ad hoc, & ipse nollet facere reformationem, quia in hoc casu videretur, quòd nollet, quòd Ecclesia esset pulchra, & ità decolaret Ecclesiam.

Secundus casus, quando scandalizat Ecclesiam sua mala vita, quia ex hoc daretur occasio credendi alijs multa non esse peccata. Pro quo casu induxit gloss. cap. si Papa.

Tertius, quando vellet facere contrà vniuersalem statum Ecclesiæ, quod tamen non potest facere, vt dicunt Doctores in cap. Sicut dist. 15. & cap. Si illa dist. inct. 25. quæst. 1. Vnde Archidiaconus, & Innocentius dicunt, quòd si vellet contrà vniuersalem statutum Ecclesiæ, non esset sustinendus. Ad istam partem in paucis responde-
57 retur, dicendo, quòd ly, tenetur obedire, intelligeretur de honestate, non de necessitate, & sic decretum verum esset iuxtà gloss. in cap. Confidimus dist. 25. quæst. 1. nisi sequeretur in alio sequenti decreto, quòd quicunque cuiuscunque status, vel dignitaris, etiam si Papalis existat, qui mandatis statutis, seu ordinationibus, aut præceptis huius sanctæ Synodi, & cuiuscumque alterius factis, vel fiendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipiscieret condignæ pœnitentiæ subijciatur. Hic
76 enim tenor, & hæc forma decreti necessitatem coercitiuam, & coactionem important.

Propter quam causam omninò videtur impossibile, sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum senteutijs consideratis, videre quòd hæc pars decreti, & veritas Catholicę fidei, videlicet quòd Papa teneatur hoc modo obedire decretis statutis quibuscunque Synodi vniuersalis ad generalem reformationem pertinentibus, vniuersalis Ec-
77 clesiæ in capite, & in membris. Ità, quod Papa illa non obseruans, per Concilium vniuersale posset puniri, siue iudicari, aut deponi, quoniam ex superioribus, tam ex reprobatione aliarum partium præfati decreti iuxtà intelligentiam, quam de eo Basileenses recspiunt, quàm ex his, quæ de Primatu Romani Pontificis dicta sunt, & de Conciliorum dependentia à Sede Apostolica, manifestum videtur, vt etiam est communis doctrina Theologorum, & Iuristarum, quòd extrà casum hæresis, in quo, vt dictum est, Papa à Papatu cadit, cadens à petra fidei, vniuersalis Synodus non possit Romanum Pontificem verum, & indubitatum prædicto modo iudicare propter non obseruantiam quorumcunque statutorum, seu decretorum vniuersalis Concilij, siue propter quodcunque aliud crimen à crimine hæresis. Oppositum enim dicere, facilè est ostendere repugnare sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum doctrinis.

Primò quidem repugnare videtur sacræ Scripturæ illi, quæ habetur Matth. 24. & Luc. 12. vbi Christus Petro loquens ait.
78 Quis putas est fidelis dispensator, & seruus prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? gloss. 1. Ecclesiam. Dicit autem Ambrosius lib. 5. de Trinitate quòd seruus iste super Ecclesiam à Christo constitutus, est Petrus, & per consequens eius successor. Vndè in Ecclesiastico officio, Christus legitur Petro dixisse. Super plebem meam Principem te constitui. Quòd autem huic Scripturæ sanctæ contradicat pars illa decreti, patet manifestè, quia hæc scriptura dicit, Romanum Pontificem, potestate sibi à Deo tradita, esse super Ecclesiam Principem constitutum, decretum verò dici, Concilium vniuersale Ecclesiam repræsentans, per potestatem à Deo immediatè habitam, esse suprà Romanum Pontificem, & posse illum iudicare.

79 Notum est autem, quòd inferior iudicare non potest superiorem, ad Rom. 14. Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? suo Domino stat, aut cadit, & primæ. Cor. 4. Qui autem iudicat me Dominus est & in cap. inferior distinct. 21. dicit textus, quòd inferior Sedes, nec absoluere, nec ligare potest potiorum sola potior est, quæ inferiorem conuenienter absoluit, aut ligat. Cùm ergo solus Deus superior sit
80 Romano Pontifice, cùm illius solius seruus sit, & Vicarius; videtur quòd ad solùm Deum Dominum eius pertineat, eius iudicium in hoc casu, quod etiam ex sequentibus in præfata auctoritate videtur manifestè colligi, ait enim sic Saluator noster. Quòd si dixerit seruus ille in corde suo, Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere seruos, & Ancillas, & edere,

edere, & bibere, & inebriari glofs. 1. ad vitia incitare, & conscientiam infirmorum
81 paruo exemplo, vel verbo laniare. Sequitur, veniet Dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, qua nescit, glofs. iudicij, vel mortis, & diuidet eum à consortio Fidelium, partemque eius cum infidelibus ponet, hoc ibi. Ecce quàm manifestè Saluator noster sibi soli reseruat iudicium serui sui delinquentis, quem constituerat super familiam suam.

Hoc est, quod dicit Symmachus Papa, Concilio generali Romæ præsidens, in quo, teste fratre Martino in chronica, ducenti viginti Episcopi conuenerant. Dicit autem sic, vt in cap. aliorum 9. quæst. 3. Aliorum hominum causas, Deus per homines voluit terminari, sed Sedis istius Præsulem, suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Præterea, pars illa decreti, contradicit Scripturæ sanctæ illi Matth. 16. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam, &c.] ergo non potest dici continere veritatem, sed magis errorem. Consequentia patet, & antecedens deducitur sic. In
82 hac auctoritate beatus Petrus non solùm præ omnibus singulari prærogatiua clauium donatus est, vt ait glofs. ordinaria, sed etiam totius Ecclesiæ futurum pronuntiabatur fundamentum. Vndè in commentario, Hieronymus, & ponitur in glofs. Secundùm metaphoram petræ, rectè dicitur ei, [ædificabo Ecclesiam meam super te,] & iterum glofs. Vide quam potestatem habet petra, super quam ædificatur Ecclesia, vt etiam iudicia eius maneant firma, quasi Deo iudicante per eam. Sed manifestum est, quòd ista duo repugnant, Pontificem Romanum fundamentum esse Ecclesiæ per singularem prærogatiuam Principatus clauium, & ipsum esse subditum vniuersali Concilio, Ecclesiam repræsentanti.

Dicit enim Propheta Isaias in cap. 10. & habetur in capit. inferior distinct. 21. Nunquid gloriabatur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, qui trahit eam? Et sequitur in præfato cap. inferior, his itaque ex diuina Scriptura commemoratis, sole clariùs exhibuimus, non posse quemquam, qui minoris auctoritatis est, eum, qui maioris potestatis est, iudicijs suis addicere. Cæterùm arguitur sic: pars illa decreti contradicit Scripturæ illi sanctæ Ioann. vltimo, [Petre pasce oues meas.] Ergo illa non potest continere veritatem fidei Catholicæ, sed errorem magis. Consequentia patet, antece-
83 dens deducitur sic, per hanc Saluatoris institutionem Petrus, cui succedit Romanus Pontifex, constitutus est vniuersalis Ecclesiæ Pastor, & Rector. Vnde beatus Chrysostomus super act. Apostolorum, Petrus à filio super omnes, qui filij sunt, potestatem accepit, non vt Moyses in gente vna, sed vniuerso Orbe, dicente Domino ipsi Petro; [Pasce oues meas, inter oues istas, & illas non distinguens, sed vniuersas oues suas eius curæ commendat.] Et beatus Gregorius ad Imperatorem Mauritium, cunctis Euangelium scientibus, liquet quòd voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro, totius Ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippè dicitur, [Petre amas me, pasce oues meas.

Sed manifestum est, quòd ista repugnent ad inuicem, quòd Romanus Pontifex sit Pastor totius gregis Dominici, rector, & gubernator. Et quòd ipse grex, aut vniuersalis Synodus gregem ipsum repræsentans, potestatem habeat à Christo immediatè iudicandi, & puniendi Pastorem ipsum, si gregis sui transgrediatur instituta.

Ratio enim Pastoris, & ratio gregis, ista simùl stare non patiuntur. Ad Pastoris enim rationem pertinet cura regēdi oues; ouiū verò est obedire Pastori. Vndè Io: 10. [Oues meæ vocem meam audiunt.] Et beatus Augustinus in de verbis Domini, homilia 62. Animaduertit charitas vestra: Dictum est Petro à Domino per interrogationem: Diligis me? [Cui respondit ille: Tu scis, quia amo te, hoc secundo, hoc tertiò: & ad singula verba respondens, dicebat Dominus, Pasce agnos meos. Commendat Petro Christus agnos suos pascendos, qui pascebat & Petrum.] Et infrà; [Pertineat ergo ad nos cura, ad oues obedientia, ad nos vigilantia Pastoralis, ad vos humilitas gregis.] Hæc Augustinus.

Nulli ergo dubium, cùm contra rationem Pastoris sit, vt oues, aut grex potestate superior sit ipso Pastore, quòd contra institutionem Christi, qua Romanus Pontifex constitutus est Pastor, & rector totius gregis Dominici, sit pars prædicta decreti. Quamobrem dicitur in capit. oues dist. 2. q. 7. oues, quę suo Pastori commissæ sunt, eum nec reprehendere, nisi à fide exhorbitauerit, nec vllatenùs accusare possunt, quæ facta Pastorum, oris gladio ferienda non sunt, quamquàm reprehendenda rectè videantur.

Idem habetur dist. 6. q. 1. oues: Oues Pastorem suum non reprehendant, scilicèt imperiosè. Et sequitur ratio, quia non est discipulus supra Magistrum.

Præterea, quòd pars illa decreti non posset dici continere veritatem fidei Catholicæ. Patet, quoniam contradicit decreto huius vniuersalis, & Oecumenicæ Synodi Florentinæ: in qua Occidentali, & Orientali Ecclesijs conuenientibus, præsidente sanctissimo, ac beatissimo Domino nostro Eugenio Papa IV. Diuina, & Apostolica auctoritate definitum est, Aposto-
85 licam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum Orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi Ecclesiam vniuersalem à Domino Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Planè hæc simùl stare non possunt, vt Romanus Pontifex primus sit totius Orbis, & tamen vniuersali Concilio Or-

bem repræsentanti, sit subiectus.

Quòd Princeps sit Apostolorum, seu plebis Christianæ, & illorum Concilio subditus sit.

Quòd sit Vicarius Christi præsentialis immediatè ab eo constitutus, & alteri, quàm Christo subditus sit.

Quòd sit Caput totius corporis Ecclesiæ, & à Concilio corpus Ecclesiæ repræsentante, veniat iudicandus, & regendus.

Quòd sit Pater omnium Christianorum, & sub pœna damnationis damnorum, de consilio filiorum suorum parere teneatur mandatis.

Quòd sit Doctor omnium Fidelium, & Synodo vniuersali Collegio Discipulorum suorum veniat inferior.

Quòd plenam à Christo potestatem acceperit pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam.

Et quòd Concilium vniuersale, Ecclesiam repræsentans, superius sit illo potestate regiminis, & gubernationis.

Planè hunc locum optimè respicit dictum sapientissimi Salomonis, qui Prouerb. 30. dicit: Per tria mouetur: glossa interlin. inquietatur, terra; glossa, idest Ecclesia; & quartum sustinere non potest; proternum, cùm regnare cœperit.

Quòd tunc videtur contingere, cùm inferiores, superiores reprehendere, & corrigere, & quos Deus exaltauit dignitate Principatus, humiliare præsumunt. Vbi compleri videtur, quod dicitur Ecclesiast. 10. Vidi seruos in aquis, glossa interlin. in dignitate, Principes autem ambulantes quasi seruos.

86 Nec potest dici, quòd Papa per peccatum mortale desinat esse superior: quoniam hoc falsum est, & erroneum. Vndè in Concilio Constantiensi, vt patet in epistola decretali Domini Martini super erroribus Wicleff, & Ioannis Hus, sequentes errores sunt condemnati. Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus.

Item alius, Papa non est manifestus, & verus successor Principis Apostolorum Petri, si viuit moribus contrarijs Petro.

Item alius, Cardinales non sunt veri, & manifesti successores Collegij aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum seruantes mandata, & consilia Domini nostri Iesu Christi, per solùm

87 quidem crimen hæresis pertinaciter defensum, quis cadit à superioritate iurisdictionis, & potestatis.

Et cùm quæritur, vndè huius differentiæ inter crimen hæresis, & alia peccata habetur fundamentum? Respondetur breuiter pro nunc, quòd de sacra Scriptura, & ex iure canonico, & ex ipsa ratione. Ex Scriptura quidem, nàm de alijs criminibus, ait Dominus Matth. 24. [Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi.

88 Quæcumque dixerint vobis, facite, & seruate; secundùm opera eorum nolite facere.] Ecce, quòd Dominus non abijciendos dicit malos Pastores, qui doctrinam bonam habent, vitam verò malam.

Item ad Roman. 13. dicit Apostolus: [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, glossa bonis, vel malis.] Et 1. Petri 2. [Subditi estote Dominis vestris, non tantùm bonis, sed discolis.

De crimine verò hæreseos, quòd illud faciat Prælatum cadere ab auctoritate iurisdictionis, & per consequens à Papatu, qui Principatum iurisdictionis importat, colligitur primò secundùm quorumdam veterum expositionem ex illis Deuter. 17. non poteritis alteriùs gentis, quàm scilicet Christianæ, hominem regem facere, qui non sit frater tuus, scilicet fidei religione.

Præterea, dicit Saluator Matth. 10. [Qui negauerit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.]

Item, Ioann. 3. [Qui non credit, iàm iudicatus est.]

Item, Ioann. secundæ 1. [Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domo vestra, nec aue dixeritis ei. Qui enim dixerit aue, communicat operibus eius malignis.]

Ex quibus videtur manifesta differentia inter hæresis crimen, & alia.

Cæterùm ex iure canonico huius differentiæ capitur fundamentum, sicut superiùs ostensum est, in multis capitulis inductis ad ostendendum, quòd Hæretici potestate priuantur iurisdictionis.

Ratione etiam non caret hæc differentia, quoniam cum fides sit prima connexio, qua quis connectitur corpori Christi, sitque primus lapis ædificij spiritualis, impossibile videtur, quòd quis habeat rationem capitis, qui non habet rationem membri.

Ecce quàm clara differentia, ex ipsa Scriptura sancta colligitur inter crimen hæresis, & alia peccata in ipsis Pastoribus Ecclesiæ. Et ideò non mirum, si Doctores eruditi tam Theologi, quàm Iuristæ, magnam inter illa differentiam faciant.

Ampliùs, arguitur sic contra præfatam partem decreti. Illa non videtur pos-

89 se dici continere veritatem Catholicæ fidei, quæ determinationi Apostolicæ Sedis contradicit. Sed illa est huiusmodi. Ergo non veritatem, sed magis errorem continere dicenda est. Maior patet ex illa Hieronymi in cap. hæc est fides Papa beatissime 24. quæst. 1. Minor verò patet in decretali illa, Vnam sanctam, quam fecit Bonifacius VIII. cuius sunt verba, quæ sequuntur: [Si deuiat terrena potestas, iudicatur à spirituali; si deuiat spiritualis, iudicatur minor à suo superiore; si verò suprema, à Deo solo potest iudicari.] Hæc ibi. Alia plurima facilè est inducere contra hanc partem decreti, contra quam manifestè sunt, Hugo de sancto Victore, sanctus Thomas, Albertus Magnus, Alexander de Ales, Aluarus, & alij plurimi in facultate Theologica Magistri, quorum dicta pertranseo breuitatis causa. Quibus sic habitis venio ad casus positos per Dominum arguentem:

Pri-

90 Primus casus assignatus est, videlicet quando imminente necessitate reformationis Ecclesiæ, & actu existente Concilio, Papa nollet facere reformationem, non sufficit ad depositionem Papæ, cùm talis negligentia, aut mala voluntatas, non deijciat eum à superioritate potestatis, nisi ista mala voluntas talis esset, quæ manifestè oriretur ex aliquo errore in fide Catholica, vt putà, quia non crederet Ecclesiam sanctam esse, contra illud, quod de ea ait Spiritus sanctus. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, Cant. 4. Aut quòd non crederet, quòd sanctitas vitæ requiratur in suscipientibus ordines sacros, & promouendis ad Ecclesiasticas dignitates de necessitate præcepti, & si non de necessitate Sacramenti. Contra illud Leuit. 21. Homo de semine Aaron, qui habuerit maculam, non offeret panes coram Domino, nec accedat ad ministerium eius, vbi per maculam in gloss. omne vitium intelligitur, iuxta quem sensum intelligendi sunt Doct. si qui illum casum proposuerunt, sic dico, quia nullum talem, qui alicuius esset nominis, talia docentem ego legi.

De secundò autem casu, quando sci-
91 licet scandalizat incorrigibiliter Ecclesiam, dico quòd ista incorrigibilitas malæ vitæ, qua talis scandalizat Ecclesiam, potest dupliciter intelligi. Vno modo in continuatione criminis, putà quia monitùs non curat desistere, seu abstinere à peccatis. Alio modo potest intelligi incorrigilitas illa in defensione criminis, vt si pertinaciter defenderet aliqua non esse peccata, sicut simoniam, sicut auaritiam, sicut promotionem indignorum. Ità quòd crimina prohibita iure Diuino, laudaret, aut defenderet tamquam licita.

Primo modo loquendo de incorrigibilitate, casus ille iuxtà superiùs dicta non habet veritatem.

Secundo autem modo intelligendo locum haberet, quia iam hæreticus esse conuincitur sentiens malè pertinaciter de lege, & Sriptura sancta. Et ad gloss. quæ allegatur in cap. si Papa, dico quòd multa sunt, propter quæ illa gloss. nullum doctum, seu grauem virum debeat mouere, immò parum, aut nihil est curandum de illa.

Tum primò, quia gloss. illa nulla firmatur ratione, nec hoc, quod inducit, [Si peccauerit in te frater tuus.] Facit pro opinione sua, sicut in responsione, ad primam auctoritatem est ostensum.

Tum secundò, quia gloss. est manifestè contra text. vnius Summi Pontificis, & Martyris, qui multò præstantioris est auctoritatis, quàm Hugutio vnquam fuit.

Tum tertiò, quia est contra alios multos text. sacrorum canonum, sicut patet de capitulo, nemo iudicabit primam Sedem, & cap. aliorum hominum causas, & cap. cuncta nouit. Ecclesia 9. quæst. 3. cap. eiect. dist. 80.

Quartò, quia contraria est multis alijs gloss. & maximè in cap. si quis pecuniam
92 dist. 79. quæ vult quòd tantùm pro hæresi strictè sumpta Papa posset iudicari, scilicèt si peccat contra articulos fidei.

Quintò, quia est contra clariores Doctores in iure Diuino, quorum aliqui superiùs nominati sunt, quibus meritò in hac parte credendum est, & securiùs creditur eis, quàm Hugutioni, inter quos Dominus Aluarus maximus Doctor in vtroque iure ponit expressè in libro de hæresibus rubrica 32. quod error est, quòd Papa possit iudicari extrà casum hæresis à Concilio generali.

De tertio vero casu, quando scilicet
93 vult facere contra vniuersalem statum Ecclesiæ, dicitur quod in isto casu, licèt Papæ non esset obediendum, sed resistendum, non tamen venit propterea à Concilio iudicandus. Aliud enim est non obedire, quod potest facere inferior, cum aliquid contra diuinam legem à superiore præcipitur. Vt enim dicitur act. 5. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus, de quo in cap. qui resistit, & in cap. si ijs qui præest 11. quæst. 3. aliud est resistere, cum à superiore aliquid dicitur, quod à veritate, aut à sanctorum Patrum sententijs fit deuium, sicut Paulus restitit Petro, quia non ad veritatem Euangelij ambulabat, ad Galat. 2. aut cum contra statutum vniuersalis Ecclesiæ generaliter agere attentaret, sicut si vellet deponere simul omnes Episcopos, ac similia. Ex quibus patenter vniuersa turbaretur Ecclesia, & hoc modo dicunt Host. & Innoc. & Archidiaconus, quod non esset Papa sustinendus, idest non permittendus hoc facere, sed ei, cum omni tamen humilitate, & reuerentia resistendum esset. Non autem dicunt, quòd in hoc casu deponendus esset, cum ipsi cum antiquis Doctoribus Theologis concordantes, dicunt Papam propter solùm crimen hæresis posse ab Ecclesia iudicari. Aliud est iudicare, & hoc non est, nisi superioris, sicut antedictum est. Qui autem iudicat me Dominus est 1. Cor. 4. Et patet, ità quod nullus illorum trium casuum sufficiat, vt Papa possit subiacere iudicio vniuersalis Concilij. Et ratio est, quæ superius assignata est, videlicèt quod propter nullum aliud crimen venit sub iudicio quorumcunque inferiorum. Quare cum quamdiu Catholicus est, verus Summus Pontifex sit, dicunt Doctores, quòd semper in honore habendus est. Vnde Augustinus lib. 9. Veteris, & noui testamenti dicit sic, non ne sciens Dauid diuinam esse traditionem in officio ordinis Regalis. Idcirco Saul in eadem adhuc traditione positum honorificat, ne Deo iniuriam facere videatur, qui his ordinibus honorem decreuit. Dei enim imaginem habet Rex, sicut & Episcopus Christi. Quamdiu ergo in eadem traditione est, honorandus est, siue propter se, siue propter ordinem. Vnde Apostolus inquit, potestatibus sublimioribus subdiri estote. Non enim est potestas, nisi à Deo. Hæc August. Ex quibus omnibus patet, quòd decretum illud per Patres obedientiæ Io. XXIII. dicti, Constantiæ editū iuxta intelligentiam, quam de eo practicant verbis, & factis Basileen. secundùm quam prosecutus sum istam responsionem, non

contineat veritatem fidei Catholicæ, immò errorem, & impietatem. Quare præsumptio maxima, & execrabilis temeritas fuit tali intelligentia data, definire decretum illud, veritatem esse Catholicæ fidei. Animaduertissent vtinam pro eorum salute illud, quod Augustinus dicit in libro de Ecclesiasticis dignitatibus in fine, vbi sic ait, si quis Scripturas præter eas, quas Catholica Ecclesia recepit, vel in auctoritate habendas esse, vel fuerit veneratus, anathema sit. Et hæc dicta sufficiant pro primo articulo propositionis factæ per Patrem, & Dominum arguentem.

RESPONSIO

Ad secundum Articulum.

SVMMARIVM.

1 *Concilium Constaniense unmquam decreuit Concilium esse supra Papam.*
2 *Patres Constantiæ congregati, recta intentione procedebant.*
3 *Petierunt confirmationem suorum decretorum à Romano Pontifice, quem Concilio superiorem confessi sunt.*
4 *Basileensium propositio absque offensa Concilij Constantiensis meritò veluti haeretica condemnatur.*
5 *Constantiensi decreto de superioritate Concilij sæpè contradixerunt Patres.*
6 *Ioann. XXIII. renuntiauit iuri Papatus, si aliquod habebat.*
7 *Et pro hæresi spetialiter fuit à Concilio iudicatus.*
8 *Concilium generale, præsertim Sede vacante, potest facere decreta reformationis, pertinentia, tam ad caput, quàm ad membra.*
9 *Romanus Pontifex legibus quoad vim coactiuam non subijcitur.*
10 *Legis ratio duo includit iuxta sanctum Thomam.*
11 *Concilia in Ecclesiæ Romanæ, aut Summ. Pontif. præiudicium, non possunt leges statuere.*
12 *Princeps quomodo solutus sit legibus.*
13 *Rex à Deo tantùm puniendus est.*
14 *Basileense Concilium legitimè conuocatum, & continuatum esse quomodo intelligitur.*
15 *Concilium legitimè incohatum, & continuatum errare potest in suis definitionibus.*
16 *Concilium Ephesinum secundum, & Aquisgranum legitimè inchoata, & continuata, tandem errauerunt.*
17 *Concilia plenaria priora, à posterioribus plerunque emendantur.*
18 *Basileen. obseruasse, quæ Eugenio P. max. promiserant, ostenditur.*
19 *Papæ, præsidentes noluerunt recipere.*
20 *Præsidentibus Ap. S. non consentientibus, nulla est Concilij definitio.*
21 *Quomodo Præsidentes decretis Concilij subscribunt.*
22 *Non errare, non est priuilegium Conciliorum generalium.*
23 *Basileensium decreta, nunquam approbauit Eugenius IV.*
24 *Conciliorum decreta à Rom. Pont. necessariò confirmari debent.*
25 *Quamuis potestas Papæ in Concilio sit inclusa, necesse est tamen, vt eius decreta ab Apostolica Sede expressè confirmentur.*
26 *Concilium potiùs includitur in Papa, quàm è conuerso.*

SEquitur secundus articulus propositionis factæ per dominum opponentem, in quo nixus est duplici via persuadere, quòd propositio illa prima Basileensium de potestate vniuersalis Concilij supra Papam, quam veritatem fidei Catholicæ vocant, quæ superiùs posita est, non condemnaretur, & prima via sumpta fuit ex parte patrum, qui decretum illud Constantiæ ediderunt, secunda ex parte eorum fratrum, qui illud Basileæ renouarunt. Circa primam viam, prima ratio, si benè mente tenui, fuit, quia non poterat condemnari sine offensa, & scandalo Concilij Constantiensis, quod decretum præfatum de potestate Concilij vniuersalis supra Papam
1 edidit. Ad istam rationem respondetur quòd, salua pace, numquam Concilium vniuersale Constantien. tale decretum edidit. Vnde ex hac parte dicimus Basileenses falsum dixisse in propositione illa prima præsupponendo, quòd Constantiæ per vniuersale Concilium, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, fuerit illa superioritas potestatis Concilij supra Papam declarata. Cùm enim solùm pro tempore, quo tres obedientiæ fuerunt simul, congregatio illa fuerit indubitata Synodus generalis credita, & non à tribus obedientijs decretum illud, sed ab vna tantùm fuerit editum, vt sæpè in exordio præsentis responsionis commemoratum est, manifestè falsum est, quod præsupponitur. Quod etiam ex alio colligitur, nam tota Synodus ex tribus obedientijs aggregata, statuto suo designare videtur, præfatum decretum numquam de mente sua processisse. Vndè in sessione 36. ità dicitur, sacrosancta Constantiensis Synodus &c. Statuit, & decreuit, quòd futurus Romanus Pontifex, per Dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc sacro Concilio, vel deputandis per singulas nationes, debeat reformare Ecclesiam in capite Rom. Curiæ, secundùm æquitatem, & bonum regimen Ecclesiæ, antequàm hoc sacrum Concilium dissoluatur, supra materijs articulorum aliàs per nationes in reformatorio oblatorum, qui sequuntur, Primò de numero, qualitate, & natione dominorum Cardinalium. Et infrà in 13. articulo dicitur, propter quæ, & quomodo Papa posset corrigi, vel deponi, ex quo instituto manifestè datur intelligi, quòd Synodus illa hoc decernens, non priùs instituerit, aut decreuerit, quòd Papa non obediens etiam incorrigibiliter statutis, mandatis, & ordinationibus Concilij vniuersalis, ex omnibus obedientijs Christianitatis collecti, in pertinentibus ad fidem, & exstirpationem

tionem schismatis, reformationem in capite, & in membris, veniret per Concilium correctione pœnali puniendus, & maximè pœna depositionis, & præcipuè eo considerato, quòd nullus videatur posse dari casus, qui non contineatur in prædictis. Secundò arguebatur per eumdem Dominum arguentem sic, Dato, sicut verum est, quòd decretum illud factum fuisset ab vna obedientia tantùm, nihilominùs in illa erat maior pars Ecclesiæ. Vndè non videtur cautum, quòd decretum illud à tot populis factum, condemnaretur vt hæreticum. Ad hoc licèt plurima possent dici tam circa præsuppositum, quàm circa consequen-
2 tiam, respondetur breuiter sic: Primò quòd non tractatur hic, neque est de mente S. D. N. quòd decretum illud Constantiæ factum per obedientiam Ioannis 23. condemnetur vt hæreticum, quoniam arbitratur sanctissimus D. N. pro illorum Patrum reuerentia, religione, & integritate, non alium sensum habuisse in illo decreto, quicquid verba eius in sono literæ prætendant, quàm Sancti Patres habuerunt; sicut colligi potest ex reuerentia, obedientia, & professione humilitatis ostensis per eos Domino Martino Rom. Pontifici electo per eos, qui mox vt creatus fuit, Cathedram sumpsit iudicij supremi: ipse quidem definiuit, statuit singula, Concilio sa-
3 cro approbante. Præterea, ipsi recognoscentes Decretorum suorum firmitatem, ab Apostolica Sede pendere, confirmationem eorum à præfato Romano Pontifice humiliter postularunt, per quæ omnia rectè ponderata profitebantur Romanum Pontificem superiorem Synodo, non inferio-
4 rem. Sed tractatur nunc, quòd prima illa Basileensium propositio vnà cum alijs duabus, in quibus omnes conueniunt, pariter damnetur, sicut iure damnanda est, manifestum sit illam ad eorum intelligentiam, quam verbis factisque docent, & practicant, alienam esse à Scripturæ sanctæ, & à Sanctorum Patrum Doctrina, & hoc potest optimè fieri, absque offensa decreti Constantiæ facti benè intellecti, & absque scandalo decretantium illud; quoniam planum est, quòd vna & eadem propositio multiplicem habens intelligentiam, secundùm vnam intelligentiam possit esse vera, & secundùm aliam sit hæretica, sicut exempla plurima dari possent, in quibus quia nota sunt, & breuitatis causa, supersedeo.

Secundò respondetur, quòd Domini, & Patres de obedientia Ioann. 23. ità debent honorem suum zelare in defensione præfati decreti, quòd non velint alias duas obedientias schismaticas, & hæreticas declarare, quoniam hìc error peior esset priore: quod tamen, vt superiùs ostensum est, difficillimum est obseruare, nisi decretum illud ad aliam trahatur intelligentiam, quam verba in superficie prætendunt, & quam Basileen. prædicarunt; aliàs non videbantur, salua pace, obseruare illud, quod Dominus præcepit. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

5 Tertiò arguit Dominus opponens, quòd licèt ab vna obedientia tantùm fuerit factum præfatum decretum, nihilominùs cum post, nulla facta fuerit reclamatio per aliàs obedientias, videtur approbatum fuisse. Respondetur negando, quòd nulla fuerit facta reclamatio, immò multiplex. Tum primò, quando primò factum est, contradictum, & reclamatum est, tam per Prælatos, & aliquos Dominos Cardinales, qui, vt in gestis eiusdem Concilij patet, se absentarunt à sessione illa, quàm per multos doctos viros, sicut à fide dignis, qui interfuerunt, refertur. Tum secundò contradictum est per eum, quem obedientia illa pro Romano Pontifice venerabatur, & cuius auctoritate congregatio illa legitimè adunata dicebatur, scilicèt Io. 23. dictum, qui decreta illa facta, erronea esse sæpe professus est, vt dominus Dynensis ab eius ore in oppido Schaphusen, propè Constantiam audiuit. Tertiò contradictum est per duas obedientias, scilicèt, Gregorij, & Benedicti, quæ, vt superiùs ostensum est in principio præsentis responsionis, manifestè verbis, & factis contradixerunt opinioni dicentium, eos, qui de obedientia præfati Ioannis 23. Constantiæ antè conuenerant, Concilium generale facere, Ecclesiam Christi repræsentare, habere potestatem immediatè à Christo, cui &c. Tum quartò manifestum testimonium huius reclamationis, siue non acceptationis, colligi videtur ex eo, quòd numquam amplius conuenientibus omnibus obedientijs simul, fuerunt illa decreta repetita, nec confirmata, sed statutum fuit, vt iam dictum est, quòd per Papam, & per Concilium deberet declarari, per quæ, & quomodò Papa possit corrigi, vel deponi.

Quartò arguit dominus opponens, quòd si illud decretum non fuit verum, Ioann. 23. non potuit deponi, maximè cum vt ex sententia eius pateat, non fuit depositus pro heresi, sed iuxtà glos. cap. si Papa, scilicèt quia moribus suis prauis scandalizabat incorrigibiliter Ecclesiam. Nec potest dici, inquit, quòd postmodum Florentiæ approbauit depositionem suam, & electionem Martini, quia talis approbatio non poterat facere Martinum Papam.

Ad istam rationem, dimissis multis alijs, quæ possent dici, respondetur, negando consequentiam, & hoc duplici ratione.
6 Tum primò, quia ipse, vt patet per instrumenta, quæ includuntur in gestis huiusmodi Concilij, renuntiauit iuri Papatus, si aliquod habebat. Et quod dicitur, quòd approbatio sua nihil iuris contulit Domino Martino, negatur, dicendo, quòd approbatio non fuit talis, qualis dicitur esse per dominum arguentem, sed talis fuit, vt Reuerendissimus Placentinus, & alij Domini Cardinales nuper in præsentiarum dixerunt, quòd videlicèt postquam liberatus à carceribus venisset Florentiam ad Dominum Martinum, approbauit renuntiationem suam, quam fecit in carcere, profitens illam publicè non metu, non sophisticè, sed veraciter, & liberè fecisse. Secundò, consequentia non valet, quoniam
7 in casu heresis, de qua iste accusatus fuit, & testes

testes inducti, vniuersale Concilium potest Papam iudicare, sicut dictum est, vndè negatur, quòd non pro heresi, sed pro alijs criminibus Ioannes ille fuerit iudicatus. Vndè, sicut patet ex gestis illius Concilij, in sententia suspensionis eiusdem facta in sessione decima, vocatur notorius hæreticus, & incorrigibilis; Sed licèt hoc in sententia condemnationis non exprimatur specialiter, nihilominùs in eadem sententia dicitur, quòd propter illa crimina tunc ibi nominata, & alia crimina in processu dictæ causæ contrà eum deducta, & contenta, tamquam indignum, & inutilem, & damnosum sancta Synodus priuat.

Quintò arguit dominus opponens, & præsupponit quòd, vt patet ex gestis illius Concilij, inter patres deputatos obedientiæ Ioann. 23. & Patres de obedientia Benedicti, fuerunt compactata Narbonæ quædam capitula, inter quæ fuit vnum, scilicet primum, de conuocatione fienda per Prelatos vtriusque obedientiæ. Aliud verò capitulum fuit, quod est secundum in ordine, quòd dicta congregatio, & constitutio Concilij fienda per dictos dominos, fieret generaliter pro extirpatione schismatis, & heresis, & pro sancta vnione Ecclesiæ, & pro reformatione vniuersalis Ecclesiæ in capite, & in membris &c. Ex istis elicit prefatus Reuerendissimus dominus, quòd Concilium habeat potestatem in reformatione capitis facienda, & per consequens videtur, quòd omnium illorum Patrum fuit hæc fides, quòd Concilium haberet hanc potestatem.

Ad istam rationem, dimisso quòd ex conuocatione illa noua, & institutione Concilij, arguatur manifestè non esse creditum apud omnes, veritatem esse fidei Catholicæ, Patres conuenientes Constantiæ, quando fecerunt decreta, de quibus est sermo, facere Concilium generale, aut vniuersalem Ecclesiam repręsentare; respondetur, quod per cap. illud secundum, quod, vt in eodem continetur, factum est vt deferreretur honori Concilij Constantien. & sub certis conditionibus, non ar-
8 guitur aliquid contrà dicta. Non enim negatur, quòd Concilium vniuersale, & maximè Sede vacante, possit facere decreta reformationis pertinentia, tam ad Caput Ecclesiæ, quàm ad membra; sed hoc
9 negatur, quòd posset facere leges indifferenter habentes vim coactiuam contra caput eius, Romanum, scilicet Pontif. Pro quo norandum, quod vt ait, sanctus Thomas in prima 2. quæst. 96. quinto art. vbi quærit, vtrum omnes subijciantur legi,
10 quòd lex de ratione sui duo habet, videlicèt, quod est regula humanorum actuum: & quod habet vim coactiuam. Quantum ad primum, Concilium vniuersale potest facere decreta, & instituta, quæ respiciant tam caput, quàm membra, etiam instituta, quæ respiciant ipsa vniuersalia Concilia. Quantum verò ad secundum, scilicet vim coactiuam, iudicium condemnationis inferendi transgressoribus legum, non potest, cùm inferior huiusmodi legem non
11 possit imponere superiori, & ideo dicitur extrà de elect. cap. sig. quod Romanæ Ecclesiæ nulla Concilia legem præfixerint. Quòd etiam in preiudicium Romani Pontificis nihil instituere possint, testatur Innocentius Tertius, in cap. innotuit extrà de elect. vbi dicit, quòd Car on Lateranen. Concilij ab Alexandro Papa prædecessore suo editus, nullum potuit successori suo præiudicium generare, cum non habeat Imperium par in parem.

Quamobrem sanctus Thomas prefato
11 articulo, in responsione ad tertium dicit, quòd Princeps dicitur solutus legibus, non quidem quantùm ad vim directiuam, debet enim legibus viuere, sed quantùm ad vim coactiuam, quia nullus potest in ipsum iudicium condemnationis inferre, si contrà legem agat. Vndè per illud Psalmi. [Tibi soli peccaui,] dicit gloss.
13 Rex est omnibus superior, ideò à Deo tantùm, qui maior est, puniendus est. Si quis de populo errauerit, & Deo peccauerit, & Regi, Rex verò non habet hominem, qui sua facta diiudicet, ideò ait: [Tibi soli peccaui,] hæc gloss. & hæc de rationibus inductis ex parte Patrum de obedientia Ioannis 23. & gestorum Concilij Constantien. dixisse sufficiat.

Item ad argumenta, quæ egit præfatus dominus opponens ex parte Concilij Basileen. tendamus, licèt ex multis eorum, quia dispensatiuè, per modum tolerantiæ ad preces Regum, & Principum Apostolica Sedes fecit, vt schismatis tolleretur occasio, & Bohemorum tractatus ex dilatione non susciperet impedimentum, argumenta sumpta, parum debeant habere virtutis.

Argumentum est autem in primis, si benè retinui, sic, Concilium Basileense fuit legitimè inchoatum, quia auctoritate, & Martini, & presentis S. D. N. & hoc pro reformatione in capite, & in membris, fuitque legitimè continuatum, vt in bulla annullationis dissolutionis, siue translationis eiusdem Concilij S. D. N. attestatur, & præfatum Concilium fecit illas declarationes, de potestate Concilij vniuersalis, sicut est manifestum: Ergo videtur decretum illud esse verum, aliàs Concilium illud non fuit legitimè continuatum; errare enim non stat cum legitima continuatione.

Ad istam rationem respondetur, quòd
14 Concilium legitimè continuari, potest intelligi duobus modis, vno modo quia continuatur eius potestas instituentis, & non est euacuatum auctoritate, sed habet processum legitima potestate fulcitum; Alio modo potest intelligi legitimè continuari, non per respectum ad auctoritatem dictam, sed ad materiam processus, ità quod omnis declaratio facta per tale Concilium, fuerit vera. Omnis eius constitutio sancta, est sententia iusta.

Capiendo autem hoc secundo modo legitimam continuationem, conceditur consequentia, & negatur antecedens, licèt enim S. D. N. declarauerit Concilium illud legitimè continuatum, quia non fuerat intentionis sanctitatis suæ, quòd Concilium

cilium illud euacuaretur virtute sua, si causæ, propter quas illud transtulerat, non essent veræ, aut tantæ grauitatis, sicut eius sanctitas agnouit, non tamen concessit eis, nec declarauit eos in omnibus, quæ dixerant, definierant, aut constituerant, benè, sanctè, iusteque fecisse.

Capiendo autem primo modo legiti-
timam continuationem Concilij, concedi-
tur antecedens, & negatur consequentia,
15 stat enim cum hoc modo legitimationis
processus Concilij, error aliquis in con-
16 clusionibus, sicut patet de secunda Syno-
do Ephesina, quæ sicut fuit legitima au-
ctoritate incohata, ita etiam continuata,
quæ tamen grauissimè errauit. Præterea
Concilium Aquisgrani celebratum legiti-
mè fuit, & continuatum, de quo in cap.
placuit 36. quæst. 2. & tamen eius defini-
tioni præponitur sententia Hieronymi, vt
in eodem loco colligitur, & habetur in
glos. in cap. de libellis dist. 20. Præterea
dicit Augustinus contrà Donatistas lo-
17 quens lib. 1. de vnico baptismo; plenaria
Concilia sæpè priora, posterioribus emen-
dari. Præterea, interrogentur Patres Ba-
sileenses, vtrum dicant verum apud omnes
indubitatum in hoc, quod Synodus vniuer-
salis Constantien. fecisset illas declaratio-
nes, & planè si veritatem loquuntur, di-
cturi sunt contrà definitionem eorum,
cùm manifestum sit per vnam solam obe-
dientiam illas factas esse.

Non ergo erit inconueniens, quòd Concilium Basileen. licèt dicatur fuisse legitimè continuatum, scilicèt quoad processum eius, habeat in eis, quæ declarauit aut instituit aliquid emendandum, & corrigendum. Secundò arguebat idem dominus opponens sic, confirmando rationem præmissam, Concilium Basileen. fuit vniuersale, & indubitatum, & renouauit hoc decretum, facta reuocatione dissolutionis: Ergo sequitur, quòd illud sit verum.

Ad istam rationem respondetur, pri-
18 mò ad antecedens, quòd attento, quòd
conditiones, & promissiones domino no-
stro factæ, vt dissolutionem, siue transla-
tionem reuocaret, non fuerunt ei obserua-
tæ, maximè quòd sui præsidentes non fue-
runt recepti iuxta dispositionem, & iuxtà
morem antiquorum Conciliorum, non vi-
detur omninò indubitatum fuisse illud
Concilium, immò apud multos do-
ctos, omninò vacuum auctoritate iudi-
catum est.

19 Cùm præsidentes Papæ iuxtà formam
à Romano Pontifice datam, noluerit reci-
pere; sed contrà omnem morem, & ratio-
nem, corpus sine ordine dependentiæ ad
caput sibi à Christo superpositum, potesta-
te propria voluit procedere.

Secundò dicitur, quòd non videtur verum, quòd Concilium Basileen. renouauerit decretum illud Constantiense, immò decretum fecerit nouum: quod patet ex eo, quòd forma vnius multum differt, & litera, & intelligentia ab alio, sicut patet intuenti illas, quas supersedeo prosequi breuitatis causa.

Tertiò, præsidentes omnes, quibus insolidum auctoritas data erat, non consenserunt, immò contradixerunt, & protestati sunt eo modo meliori, quo potuerunt, licèt aliqui eorum non vt præsidentes, sed vt particulares personæ quasi violentur, cùm aliter non reciperentur ad præsidentiam, in renouatione illa consenserint.

20 Sed quærebat Dominus arguens, vn-
dè habetur, quòd si Concilium vult ali-
quid definire, & præsidentes nolunt con-
sentire, quòd definitio sit nulla, cùm hoc
videatur valdè mirabile?

Ad hoc respondetur, quòd hoc colli-
gitur, primò ex Chalcedonen. Concilio,
in cuius gestis in actione 6. vt habetur in
libro Pontificum Isidori, ità dicitur: [In
omnibus Synodis Apocrysarij Apostolici
decretas sententias primò, propter sum-
mam auctoritatem eiusdem sanctæ Sedis,
confirmabant, & subscribebant, quia aliter
nullum robur habebant; vndè scriptum est:
21 [Paschasius Episcopus, vice Domini mei
beatissimi, atque Apostolici vniuersalis Ec-
clesiæ Papæ Vrbis Romæ Leonis, Synodo
Præsidens statui, consensi, & subscripsi.
Similiter & reliqui fecerunt.] Hæc ibi.

Secundò colligitur ex dist. 17. quæst. per totum, & præcipuè in capit. regula, vbi habetur, nullum ratum esse Concilium, quod non fuerit Apostolica auctoritate fulcitum.

Clarum est, quòd ea, quæ fiunt Præsidentibus Papæ contradicentibus, non possunt dici fulta auctoritate Apostolica.

Secundò respondetur ad consequen-
tiam, negando illam, assignata est ratio
negationis in superioribus, pro eo, scili-
22 cet, quòd non errare, non reperitur priui-
legium esse generaliter vniuersalium Con-
ciliorum etiam indubitatorum, nisi cùm
ità vniuersali consensu in eisdem cuncta
sunt definita, quòd Apostolicæ Sedis con-
sensus, & approbatio interuenerint.

Exempla etiam assignata sunt [de secunda Synodo Ephesina vniuersali, & indubitata.

Tertiò arguebatur per eumdem Dominum Opponentem sic: Sanctissimus Dominus Noster approbasse videtur illud Concilium per Bullas suas; ergo videtur, quòd definita per illud, sunt approbata per Apostolicam Sedem, & per consequens vera sunt, aut Apostolica Sedes errauit cum illo.

23 Ad hoc respondetur, sicut idem san-
ctissimus Dominus Noster pro se tunc res-
pondit, quòd approbauit progressum il-
lius, sicut dictum est, non autem decreta
eius, quod sapientissimè factum est. Quis
enim, nisi imprudentissimus, approbaret
decreta aliqua, antequàm illa videret,
examinaret, atque plenè, & integrè pon-
deraret, si quid in eis minùs rectum, minùs
verum, aut minùs expediens contineatur?
aut si quid ineptum, aut si quid diminu-
tum, aut superfluum sit? quomodò dicitur
fecisse Papa Clemens, vt Ioann. ponit in
principio Clementinarum, de constitutio-
nibus factis in Concilio Viennensi, quæ
quia,

quia, vt inquit, aliquæ earum erant ineptæ, aliquæ prolixæ, aliquæ defectiuè compositæ, aliquæ etiam non expediebant, fecit illas Clemens recenseri per Peritiores, qui aliquas illarum in toto reseruarunt, aliquas in totum resecatunt, aliquas mutarunt quoad verba, mente seruata, aliquibus verò earum quibusdam detractis quoad verba, & quoad mentem, aliqua sunt addita.

Prætereà, si approbando processum Concilij, sanctissimus Dominus Noster approbasset decreta illius Concilij, cur tanto studio, & tam repetitis vicibus laborarunt Basileenses per Oratores suos, vt sanctissimus Dominus noster approbaret, & confirmaret eorum decreta, quòd hucusque habere non potuerunt?

42 Sed quærebat Dominus Arguens: Vndè reperitur, quòd necesse est accipere, aut habere à Romano Pontifice, siue Apostolica Sede confirmationem decretorum factorum per Concilia vniuersalia, cùm in vniuersali Concilio intelligatur esse auctoritas Papæ?

Ad hoc respondetur, quòd huiusmodi necessitas confirmandi decreta Conciliorum per Papam, colligitur primò ex auctoritate sacræ Scripturæ; secundò ex euidentia rationis; & tertiò ex practica obseruata sacrorum Conciliorum præstantissimorum.

Ex sacra Scriptura quidem colligitur Deuteron. 17. vbi Dominus ait: [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium perspexeris, (dicit glossa interl.) hoc quoque in Ecclesia obseruandum est, & Iudicum inter portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum (glossa i. Ecclesiam) quem elegit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, (gloss. i. legitimos,) & ad Iudicem (glos. i. Pontificem) qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegit Dominus, & docuerint te iuxtà legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille. Vbi licèt dubiorum difficilium discussionem, & indagationem veritatis Deus conuentui Sacerdotum attribuat, Imperium tamen, & diffinitiuum iudicium, cui sub pœna mortis obediendum est, vni soli, scilicèt Summo Sacerdoti attribuit; vndè manifestè patet, quod robur, & auctoritas, & vis coactiua decretorum vniuersalium Conciliorum, ab vno, scilicèt Summo Sacerdote dependet.

Prætereà, præcipitur Moysi, qui potestate, vt ait diuus Bernardus libro de consideratione ad Eugenium Papam, fuit figura Romani Pontificis: Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt ostendas eis cerimonias, & ritum colendi Deum, Exodi 18. Cæterùm Christus cùm alijs Apostolis imperauerit, vt laxarent retia sua, tantummodò Petro inquit, Duc in altum, Luc. 4. Hoc est in profundum disputationum, vt ait glossa Ambrosij, & habetur in cap. non turbatur 24. quæst. 1. Quomodò autem hæc Diuina institutio integra seruaretur, quà Summo Ecclesiæ Pontifici Diuinitas tam singulariter iniunxit summarum causarum, & difficilium quæstionum in Ecclesia iudicium; si Patrum in Synodis conuenientium decreta, canones, & sententiæ, quæ communiter de rebus maximis proferuntur, non consensu, & approbatione firmarentur Summi Pontificis?

Suffragatur prætereà ad hoc ratio euidens; lex enim non habet vigorem, & virtutem coactiuam, nisi ex Principis auctoritate, aut auctoritate eius, in quo Principatus totius communitatis est collocatus. Istud est clarissimum apud omnia iura; sed Romanus Pontifex est Princeps Ecclesiæ, & Principatus totius Ecclesiæ collocatus est ab ipso Summo omnium Principe Christo Saluatore nostro in Apostolica Sede, vt in cap. Basilicas, de consecrat. dist. 1. Ergo necessariò firmitas, robur, & auctoritas decretorum Conciliorum dependet à Romano Pontifice, siue ab Apostolica Sede, sicut habetur exprefsè in cap. confidimus 25. quæst. 1, & extrà, de elect. cap. significasti.

Facit etiam ad hoc ratio beatissimi Thomæ in secunda secundæ quæst. 1. artic. vltimo, quam sumit ex vnitate fidei, sic vna fides debet esse totius Ecclesiæ secundùm illud 1. Corinth. 1. Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, quæ videtur seruari non posse, nisi quæstio fidei de fide exorta determinaretur per vnum, qui toti Ecclesiæ præest, vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideò concludit, quòd ad solam auctoritatem Romani Pontificis pertineat noua editio Symboli. Hæc sanctus Thomas.

Ex quibus patet quanta necessitas sit, vt canones Conciliorum, & maximè fidem respicientes, per eum, qui vniuersali Ecclesiæ præsidet, confirmentur.

Fundatur prætereà hoc ipsum in practica antiquorum Conciliorum, Nicæni scilicèt, & Chalcedonen. in quibus Patres conuenientes, omnia diffinita, & constituta per eos miserunt ad Apostolicam Sedem, rogantes illa per Romanum Pontificem confirmari, sicut patet de Patribus Nicænæ Synodi, ex epistola eiusdem Synodi missa ad Papam Siluestrum, quæ habetur in gestis eius: & de Patribus Chalcedonensis Synodi ex epistola eiusdem missa super hoc ad Leonem Papam, quas pro breuitate tenenda, hic interserere non curaui.

Hoc prætereà obseruatum in Concilio Constantiensi legimus, in quo licèt Papa Martinus fuerit præsens, & fortassis primus omnibus assensum dedisset, nihilominùs factus Pontifex in fine omnium rogatus est, vt omnia Apostolicæ Sedis auctoritate roboraret, quod sub certa forma fecit, vt patet in gestis eiusdem Concilij.

Quod verò dicebatur per Dominum
25 Arguentem videri, hoc non esse necessa-

rium,

rium, quia, vt inquit, in Concilio vniuersali potestas Papæ includitur.

Respondetur primò, quòd hæc locutio, propriè loquendo, non videtur mihi accipienda, quòd potestas Papæ sit inclusa in Concilio vniuersali ad eorum sensum, quem prætendunt illi, qui dicunt Concilium, omnia posse, quæ Papa, & maiora.

Dicunt enim, quòd Concilium dicit, quodam aggregatum ex potestatibus particularibus, quarum vna sit potestas Papę, ità quòd Concilium dicat vnum totum comprehendens omnes istas intrà se potestates. Indè arguentes, quòd cùm totum maius sit sua parte, Concilium sit maius Papa. Sed re vera non ità accipienda est ratio Concilij, sicut isti imaginantur. Cùm autem Romanus Pontifex, vtpotè caput Ecclesiæ, plenitudinem, & totalitatem habeat potestatis, & ab ipso omnis potestas iurisdictionis aliorum Prælatorum deriuetur, vt superiùs multipliciter est ostensum, potestas Papæ non potest comparari ad potestates particulares aliorum Prælatorum, sicut pars totius comparatur ad alias compartes, ex quibus illud totum resultat; sed vt totum comprehendens virtute quicquid potestatis est in illis, sicut dicit Boetius, quòd superior virtus comprehendit in se inferiores. Et beatus Dionysius libro 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, dicit Hierarchici ordinis virtus in omnibus capit sanctitatis totalitatibus; vndè omnes Episcopi congregati cum Papa, quo ad potestatem iurisdictionis, non videntur dicere plùs potestatis, quàm Papa solus.

Omnes prætereà Rectores Officiales Regis, simul conuenientes cum Rege, non dicunt plùs iurisdictionis, quàm Rex solus, sicut sanctus Thomas inquit, quòd omnes creaturæ, & Deus considerata simùl, non portant plùs bonitatis, quàm Deus solus,
26 & ideò non est ità dicendum: sicut ex aduerso intelligitur, quòd potestas Papæ includatur in Concilio, immò fortassis magis propriè diceretur è conuerso, scilicèt, quòd potestas totius Concilij comprehenderetur in Papa, sicut deriuatum, & dependens comprehenditur in eo, à quo dependet, & emanat.

Dicimus enim, quòd omnium membrorum virtus continetur in capite, & omnium inferiorum potestas in Principe.

Secundò respondetur, quòd ad hunc sensum potest dici, quòd in vniuersali Synodo includitur potestas Papæ, quia si rationem Concilij vniuersalis habet, necessariò consensus Papæ includitur, & auctoritas ad earum rerum prosecutionem, ad quas Synodus ordinata est. Sed ex hoc modo comprehensionis potestatis Papæ in Concilio, non sequitur, quod conclusa per Patres Synodi non egeant confirmatione Principis Ecclesiæ. Et hæc de secundo Articulo pro mea mediocritate dicta sufficiant.

De tertio autem Articulo, quia cùm non fuerit opus loqui, nihil respondi. Ideò in hac recollectione responsionis meę supersedeo: per totum omnia per me dicta subijciens correctioni, & emendationi sanctissimi Domini Nostri Eugenij Papæ Quarti verissimi Christi Vicarij, & Principis vniuersæ Ecclesiæ, cuius Sanctitatis mandato hanc responsionem in præsentia Beatitudinis Suæ, & Reuerendissimorum Patrum Dominorum Cardinalium, ferèque omnium Prælatorum huius sanctæ Synodi Oecumenicæ, multorumque aliorum Patrum, Magistrorum, & Doctorum satis ex tempore factam, nunc parùm copiosiùs, & extensiùs collegi.

Sitque ipse Deus, omni boni fontalis origo, pro assistentia gratiæ suæ in secula benedictus. Amen.

Explicit Responsio, facta per Magistrum Ioannem à Turrecremata, sacri, & Apostolici Palatij Magistrum, anno Incarnationis Dominicæ 1439.

CAMILLVS CAMPEGIVS

Theologus Papiensis, Lectori s.

VT controuersiæ status mox intelligatur, hæc ex Constantiensi, & Basileensi Concilijs fideliter sumpta, subiecimus, ex quibus Aduersarij adeo hallucinati fuere, vt schisma, cum tanta Christianæ Religionis iactura, concitauerint; quæ si rectè, vt vir iste doctissimus explicat, intelligantur, Romanum Pontificem magis extollunt, quàm deprimant.

EX CONCILIO CONSTANTIENSI

Sessione quarta.

HÆC sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis schismatis, & vnione, ac reformatione Ecclesiæ Dei in capite, & in membris fienda, ad laudem Omnipotentis Dei in Spiritu sancto legitimè congregata, ad consequendum faciliùs, securiùs, liberiùs, & huberiùs vnionem & reformationem Ecclesiæ Dei, ordinat, (aliàs definit,) disponit; statuit, decernit, & declarat, vt sequitur.

Et primò, quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata legitimè, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiam Papalis, existat, obedire tenetur in his, quæ pertinet ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris.

In quinta sessione hoc idem decretum confirmatur, & aliud, quod nos hic apposuimus, additur.

ITem declarat, quòd quicunque cuiuscunque conditionis, status, dignitatis. etiam si Papalis, qui mandatis, statutis. seu ordinationibus, aut præceptis huius sacræ Synodi cuiuscunque alteriùs Concilij generalis legitimè congregati super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignę pœnitentiæ subijciatur, & debitè puniatur etiam ad alia iuris subsidia, si opus fuerit recurrendo.

Ex Concilio Basileensi, sessione secunda, hæc habentur decreta, quæ ad negotij cognitionem plurimùm conducunt.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, &c. decernit, statuit, definit, declarat, & ordinat, vt sequitur:

Decretum, quòd Concilium Basileense est legitimè inchoatum.

ET primò, quòd eadem sacra Basileensis Synodus sacris Constantiensi, & Senensi Concilijs generalibus decernentibus, atque ordinantibus, & auctoritate Apostolica interueniente, fuit & est in hoc loco Basileensi debitè, legitimèque, ac ritè initiata, & congregata. Et ne de eiusdem sacræ Basileensis Synodi potestate à quoquam dubitetur, ipsa eadem Synodus duas declarationes ex decretis Synodi Constantiensis in præsenti sessione, alijs suis decretis editis, seu edendis inserendas, ordinat, & decernit, quarum quidem declarationum tenor primæ sequitur, & est talis.

Decretum quòd Concilium generale est super Papam.

ET primò declarat, quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, & Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem immediatè à Christo habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris. Alteriùs verò tenor sequitur in hæc verba.

Quòd inobedientes Concilio, puniantur.

ITem declarat, quòd quicunque cuiuscumque status, vel dignitatis etiam si Papalis existat, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis huius sacræ Synodi, & cuiuscumque alterius Concilij generalis legitimè congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.

Præmissis igitur, & nonnullis illis Constantiensis Concilij, præsertim capit. quod incipit: Frequens; in priori huius sacræ Synodi Basileensis sessione recitati, decretis attentis, prælibata Synodus Basileensis decernit, & declarat, ipsa pro hæresum extirpatione, ac morum generali reformatione Ecclesiæ in capite, & in membris, necnon pace inter Christianos procuranda (vt præmittitur) in Spiritu sancto legitimè congregata, per nullum quauis auctoritate, etiam si Papali dignitate præfulgeat, dissolui, aut ad alium locum transferri, seu ad aliud tempus prorogari debuit, aut potuit, debet, aut potest, debebit, aut poterit in futurum, absque eiusdem Synodi Basileensis deliberatione, & consensu.

Sessio trigesimatertia eiusdem Concilij Basileensis, de veritate fidei Catholicæ per tres veritates.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis in Spiritu sancto legitimè congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Sicut vna est Christi Ecclesia, quæ, vt ait Apostolus 2. Tim. 3., est columna, & firmamentum veritatis, sic omnia Ecclesiæ membra vnitatem semper obseruare necesse est, in professione Catholicæ veritatis, atque fideliter, & firmiter credere, quicquid per ipsam Ecclesiam de veritate fidei fuerit declaratum, vt non sicut paruuli fluctuantes circumferamur omni vento doctrinæ, aut per repugnantium dogmatum varietatem in diuisiones, & schismata probabantur.

Dudum autem in sacra generali Constantiensi Synodo conueniens Catholica Ecclesia, veritatem de generalium Conciliorum auctoritate solemniter declarauit.

Deindè in hac sacra generali Basileensi Synodo, eamdem necessariam declarationem sub eodem, qui sequitur tenore, innouauit.

Primò, quòd generalis Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam Militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet

libet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris.

Item declarat, quòd quicumque cuiuscumque dignitatis, etiam si Papalis existat, qui mandatis, statutis, siue ordinationibus, aut præceptis huius sanctæ Synodi, & cuiuscumque alteriùs Concilij generalis legitimè congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis, vel fiendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris subsidia, si opus fuerit recurrendo.

Cùmque, sicut præfertur, quilibet cuiuscumque dignitatis, etiam si Papalis existat, Concilio generali in (aliàs prædictis) præmissis obedire teneatur, declaratum etiam fuit frequenter, ac dilucidè, quòd ipsum generale Concilium pro præmissis, eaque concernentibus, aut aliquo præmissorum actu congregatum, sine ipsius consensu per nullum quauis auctoritate, etiam si Papali dignitate præfulgeat, dissolui, transferri, aut ad aliud tempus prorogari potest.

Et licèt has esse veritates fidei Catholicæ, satis constet ex pluribus declarationibus præcedentibus, tam in præfato Constantiensi Concilio, quàm in hoc Basileensi factis, ad maiorem tamen soliditatem, & firmitatem omnium Catholicorum in vnanimi professione veritatum ipsarum, hæc sancta Synodus definit, declarat, prosequitur.

Veritas de potestate Concilij generalis vniuersalem Ecclesiam repræsentantis, supra Papam, & quemlibet alterum declarata per Constantiense, & hoc Basileense generalia Concilia, est veritas fidei Catholicæ.

Veritas hæc, quòd Papa Concilium generale vniuersalem Ecclesiam repræsentans, actu legitimè congregatum super declaratis in præfata veritate, aut aliquo eorum, sine eius consensu nullatenus auctoritatiuè potest dissoluere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est veritas fidei Catholicæ.

Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans, est censendus hæreticus.

Datum in sessione nostra publica, in maiori Ecclesia Basileensi solemniter celebrata 17. Kalendas Iunij, anno à natiuitate Domini, millesimo quadringentesimo trigesimonono.

FINIS.



REGESTVM.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg.

Omnes ſunt Duerniones, præter Gggg, quæ eſt Ternio; Principium eſt Duernio.



ROMÆ, M.DC.XCVIII.
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

Superiorum permiſſu.